PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M588
Alma, California

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXXVIII.

RICHERUS S. REMIGII MONACHUS; AUCTORES INCERTI ANNI; OPERA ΑΔΕΣΠΟΤΙΚΑ; MONUMENTA DIPLOMATICA; MONUMENTA LITURGICA; MONUMENTA MONASTICA.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

7978

APPENDIX AD SÆCULUM X

COMPLECTENS

AUCTORES INCERTI ANNI

ET

OPERA ΑΔΕΣΠΟΤΙΚΑ.

ACCEDUNT

MONUMENTA DIPLOMATICA, LITURGICA ET MONASTICA.

TOMUM INCHOANT ET SÆCULUM CLAUDUNT

RICHERI

S. REMIGII EXTRA MUROS REMENSES MONACHI

HISTORIARUM LIBRI IV

RECUSI JUXTA PRÆSTANTISSIMAM D. PERTZII EDITIONEM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M588
Alma, California

TOMUS UNICUS.

Ausgeschieden

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

7978

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXVIII CONTINENTUR.

RICHERUS S. REMIGII MONACHUS.

Historiarum libri quatuor. *Col.* 17

APPENDIX AD SÆCULUM X.

Auctores anni incerti. 169
Opera ἀδέσποτα. 189
Monumenta diplomatica. 447
Monumenta liturgica. 855
Monumenta monastica. 1345

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

RICHERUS

S. REMIGII EXTRA MUROS REMENSES MONACHUS.

DE RICHERO ET EJUS CHRONICO NOTITIA.

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ hist.* Script. tom. III.)

Quod raro tantum historiæ commodo fieri solet, ut antiquorum regum casum novique hominum generis ortum vir utrisque necessitudine quadam conjunctus et historiæ scribendæ capax stylo committat, ea ultimis Carolorum et Hugoni, regum hodieque in Gallia florentium principi, claritas Richero nato concessa est. Hic, ut ipso tradente discimus, sancti Remigii extra muros Remenses monachus (1), patrem habuit Rodulfum, Ludovici Transmarini regis militem et consiliarium. Pater « consilio commodus, facundia simul et audacia plurimus, unde et rex admodum ei consuescebat et apud eum sæpissime consultabat, » inter alia quæ patravit, anno 949 Lauduni capiendi ordinem in consilio regis proposuit et ipse dux feliciter exsecutus est (2), atque an. 956 Gerbergæ reginæ vindex Montem Castriloci, Hannoniæ caput, noctu expugnavit, et Ragenerum, qui reginæ injurias intulerat, uxore et liberis inde ablatis, ad satisfaciendum reginæ coegit (3). Tali patre editum et Lothario rege, qui ultimus Carolorum dignitatem regiam inter bella civilia et externa haud infeliciter sustinuit, adultum, Richerum studio regii generis et patriæ amore flagrasse et primam rerum publicarum et artis militaris notitiam domi consecutum esse, haud est quod mireris. Ultimis Odelrici archiepiscopi annis (4), vel quod potius credam Adalberone archiepiscopo, monasterium sancti Remigii intravit, ubi sub Rodulfi abbatis disciplina ab egregio magistro Gerberto litteris instructus, artibus liberalibus studium advertit, diversasque philosophiæ partes edoctus et classicis Romanorum scriptoribus, philosophis, poetis, historicis, cosmographis imbutus, ut de monacho sperari poterat, sanctis Patribus etiam et canonibus ecclesiasticis legendis operam dedit (5). Erat tunc Remorum urbs A ut inter Galliæ civitates ab antiquo clara et primum præsulis insignis, ita Adalberonis regimine nobilitata, eoque non minus exemplis quam doctrina animis moribusque juvenum formandis valida. Richerus igitur bonitate et ingenio amicitiam Gerberti sibi comparavit, « viri, ut ejus verbis utar, magni ingenii ac miri eloquii, quo tota Gallia ac si lucerna ardente vibrabunda refulsit. » Qui cum intimis Adalberoni archiepiscopo a consiliis esset, atque itineribus, epistolis et magisterio summis in Gallia, Germania et Italia viris familiaritate jungeretur, optimam juveni rerum sui temporis cognoscendarum et perspiciendarum facultatem dedit. Medias tamen inter turbas, quæ Carolorum casum et novi regni initia comitabantur, Richerus artı medicæ se B addixit, quam quo studio sit amplexus, ex plurimis morborum descriptionibus operi insertis (6) colligitur. Anno 991 mense Martio ab amico Heribrando medico, Carnotensi clerico, litteris et legato arcessitus, Carnotum adiit, ubi apud magnæ liberalitatis et scientiæ virum Hippocratis aphorismos et librum de concordia Hippocratis, Galeni et Suriani studiosius evolvit; cujus itineris molestias libro IV, capite 50, exposuit. Paulo post cum, Arnulfo, Adalberonis successore, deposito, Gerbertus regum Hugonis et Rotberti, discipuli sui, favore archiepiscopatum Remensem suscepisset, Richero historiæ Gallorum conscribendæ auctor factus est. Quod quidem munus « ob summam quam afferre videbatur utilitatem et materiæ ubertatem eo animi C nisu suscepit, qua jubentis mira benivolentia se pertrahi » dicit (7), triennioque absolvit. Siquidem annis 995 et 996 litteras ad Gerbertum operi præfixas, librum I et libri II capita 1-78, quibus historia usque ad annum 948 perducitur, conscripsit, reliqua libri II capita, librum III et IV historiam

(1) Prologus operis et lib. IV, 50.
(2) II, 87-91.
(3) III, 6-10.
(4) Certe haud ante annum 966; nam Flodoardum non novisse videtur. Cf. Prologum.
(5) I, 3, Hieronymus et Sulpicius memorantur; III, 46, sqq. auctores classicos a Gerberto adhibitos recenset.
(6) Exempli gratia I, 11, 13, 18, 49, 56, 65; II, 37, 46, 59, 90, 103; III, 13, 96, 109; IV, 5, 24, 50 sqq., 94.
(7) Prologus.

annorum 948-995 complexos, annis 996-998 addidisse et tum quoque totum opus retractasse ultimamque ei manum admovisse videtur (8).

Consilium et rationem operis ipse præfatus ita prodit: « Bella a Gallis patrata variosque eorum tumultus ac diversas negotiorum rationes ad memoriam reducere scripto specialiter propositum est. Si qua vero aliorum efferantur, ob incidentes rationes quæ vitari non potuerunt id evenisse putetur. » Initium operis ab eo tempore sumpsit, quo Hincmarus Annalibus suis finem dederat (9). Et cum per centum amplius annos librum deducendum proponeret, Julii Cæsaris exemplo a divisione orbis et descriptione Galliæ populorumque eam incolentium exorsus (10), historiam Odonis et Caroli IV regum usque ad an. 920 (11) ex fontibus, si Flodoardi Historiam Remensem excipias, unde pauca tantum mutuatus est, nobis inaccessis proponit; historiam Caroli IV, Rotberti, Rodulfi, Ludovici et initia Lotharii inde ad an. 920 usque ad an. 965 ex Flodoardi Annalibus (12) et fontibus nobis ignotis concinnavit (13), denique regna Lotharii (14), Ludovici V, Hugonis et Rotberti (15) ab an. 969 usque ad an. 995, historico nullo adjutus, adhibitis tamen chartis nonnullis archivi sancti Remigii (16) atque Gerberti (17) historia concilii Remensis et synodi Mosomensis, conscripsit. Quod quo concilio quave fide fecerit collatis cum historia fontibus ejus qui hodieque exstant, perspicietur. Igitur cum non annales sed historiam Gallorum scribendam sibi proposuisset, Flodoardi libro adhibito, « non verba eadem, sed alia pro aliis longe diverso orationis schemate disposuit (18), satisque lectori fieri arbitratus est, si probabiliter (19) atque dilucide breviterque omnia digessisset. » Certe neminem latebit, nec reprehendi potest, Richerum plurima a Flodoardo prolata omisisse, reliqua sæpe ita disposuisse, ut ordo rerum gestarum multo melius intelligeretur (20), additisque suis omnia ita digessisse, ut plane nova probabilisque narratio evaderet; nec tantum indulgendum, sed gratulandum est, quod pro varia qua excelluit doctrinæ copia, res a Flodoardo interdum non nisi verbo attactas amplius exposuit, ita ut vel ea pars operis, quæ ex uno Flodoardo fluxit, commentarii (21) perpetui a viro insigni scripti vices quodammodo expleat; ignosci potest, quod Flodoardum nonnunquam haud bene intellexit (22); at acri censura animadvertendum, quod nonnunquam a Flodoardo recedens, in bellorum descriptione aut permagnos (23) aut multo majores quam Flodoardo teste novimus (24) pugnatorum aut occisorum numeros refert, quod Gallis victoriam immeritam (25) attribuit, imo Flodoardum undecim millia in parte Rotberti, in parte Caroli septem millia centum et duodeviginti cæsos scripsisse dicit (26), ubi Flodoardi codices et editiones omnes (27) nonnisi hæc verba: *Multis ex utraque parte cadentibus* legunt. Quod ut veritati aperte contrarium nec ulla excusatione obvelandum, ita leve tamen vitium videbitur, si alium locum intuearis, quo se in licentiam viro candido, qualem historiarum scriptorem esse decet, plane indignam, partium studio et vanitate abripi passus est. Nam cum operi ad finem perducto secundum manum admoveret, eam libri primi partem, quæ de rebus Caroli cum Belgis et duce eorum Giselberto agit, ita retractare non erubuit, ut Belgicæ loco Germaniam et pro Giselberto Heinricum scriberet, quo scilicet Germaniam Carolo eo tempore subjectam fuisse simularet; quod ab Ekkehardo Uraugiensi, qui nostrum evolverat, receptum, cum reliquis omnibus testimoniis repugnaret, ad nostra usque tempora scrupulum saltem historicis injecit, nec nisi authentico reperto explicari potuit. Talibus Richerum patriæ ultra quam ferri potest studiosum et vanæ gloriæ, quæ vel in Napoleonis nuntiis (28)

(8) Hæc inde efficio, quod cum prior operis pars atramento fusco, reliqua inde a capite 79 libri II, nigriori, quo et correctiones et additamenta prioris partis, conscripta sint, eadem atramenti diversitas in notitiis historicis offenditur, quæ ultimæ codicis paginæ a Richero illatæ, præcipua annorum 995 et 996 facta atramento fusco et vix legendo, quale in prima parte operis occurrit, reliqua annorum 996-998 nigriori, quali reliqua operis et correctiones conscripta sunt, exhibent.

(9) Prologus.

(10) Lib. I, 1-3.

(11) I, 4-19.

(12) I. 19 usque III, 21.

(13) Prologus.

(14) III, 22-109.

(15) Liber IV.

(16) III, 29, 30.

(17) IV, 73.

(18) Prologus. — Exempli, gratia, I, 49, Flodoardi locum *Warnarius comes ibi, equo cui sedebat occiso, captus et interemptus est*, Richerus ita exprimit: *Warnerius comes ibi, equo occiso quo vectus ferebatur, decem vulneribus perfossus interierit.* I, 51, *rex inter humeros sauciatus*, ubi Flodoardus *rex ibi vulneratus* scribit.

(19) Vox ambigua ab ipso adhibita.

(20) Exempli gratia, II, 27, 43.

(21) Exempli gratia, I, 64, commendationis usus exponitur; I, 60, 61, Consecratio; I, 62. Lauduni captio; II, 45, Remorum obsidio.

(22) Exempli gratia I, 50, ubi reversos e pugna Nortmannos insulam ingressos esse scribit, cum Flodoardus id a Nortmannis Rodomensibus factum narret; ibidem regem Rodulfum insulam expugnasse dicit, quod, rege in pago Bellovacensi morante, Heriberto comiti debetur; II, 82, synodos S. Vincentii Laudunensem et Trevirensem confundit.

(23) Exempli gratia, I, 62, 8000; I, 44, primo 5000 scripsit, tum 6000, deinde 10000.

(24) I, 49, plusquam 800 Flodoardus, 960 Richerus; I, 51, Flodoardus 1100, Richerus 8000; II, 85, occisi, plus quam 560 Richerus, quadringenti Flod. Hist. Rem. quadraginta Flod. Annales.

(25) I, 49, victoria de Nortmannis reportata, castrorum incensio, 3000 Nortmanni occisi Flodoardo repugnant.

(26) I, 46.

(27) An. 923. Alteram Flodoardi editionem vel aliud fortasse ejus opus nobis incognitum hic minime in calculum venire posse, quæ sequuntur demonstrant.

(28) *Bulletins.*

indignationem populorum incurrit, deditum experti, si totum opus caute legendum, nec ullo ejus loco nisi fundamentis ejus bene perspectis utendum esse censemus, nihil ultra justum et verum statuere videbimur. Et vel primis libris præter ea quæ Flodoardi auctoritate nituntur plura nostro propria inesse, quibus fidem præstare fas sit, ultro fateor. Pertinere eo videntur historia Odonis regis, præcipue narratio de victoria apud Montem Panchei (29), licet nulla ejus in Annalibus Vedastinis, Abbone vel Reginone mentio occurrat, in historia Caroli et Rodulfi notitiæ de rebus Belgicis (30) ex antiquo fonte derivatæ, sed supra adulterationis notatæ, narrationes de Haganone, de captione Caroli (31), de rebus Nortmannorum (32), et pauca alia (33), multa (34) in historia Ludowici IV, cui et Richeri patrem a consiliis fuisse diximus, et cujus extrema ipse fortasse puer vidit. In hac igitur operis parte ita procedendum est, ut, adhibito Flodoardo, primum quid ei debeatur aut nonnisi pro commentario ejus habendum sit intelligatur, deinde reliquorum in fidem, auctoris vaniloquentiæ ac nimii patriæ studii ratione habita, inquiratur. Qua via licet eorum quoque, quæ ex fontibus nobis incognitis fluxerunt, auctoritas aliquoties infringatur (35), ea tamen ad historiam sæculi decimi intelligendam plurimum conducere reperies. Altera operis pars, libri III capita 22-110 et librum IV complexa, præcipuam sibi laudem comparabit, quippe qua auctor suum tempus et res, quas ipse expertus fuerat aut a Gerberto, operis scribendi suasore, didicerat, candide, perspicue et accurate conscripsit. Laudi accedit, quod animum Carolorum studiosum vel post exitium eorum servavit; nam licet Adalberonem et Gerbertum secutus, regum novorum auctoritatem agnosceret (36), et tyranni vocabulum, quo antea rebelles et desertores (37) Caroli et Ludovici nuncupare solitus fuerat (38), inde ab Hugonis coronatione in Carolum transferret (39), ejus tamen causæ justitiam minime celavit (40), et Adalberonis Laudunensis episcopi proditionem narratione ipsa quam acerrime fieri poterat reprehendit. In conciliis ad sanctum Basolum et Mosomensi scribendis cum Gerberto in universum congruit, quædam a Gerberto omissa (41) profert, omnia tamen, ut operis institutum poscebat, bene concepta succincte exposuit. Acta ab utroque inserta paucissimis et nullius momenti vocibus discrepant, ubi cujusnam auctoritas prævaleat haud liquet.

Opus igitur ad lancem appensum auctorem ostendit benevolum, gravem, sagacem, varia eruditionis specie instructum, rerum in causas inquirere solitum, hominum et rerum qui ad historiam sui temporis facerent bene gnarum, quique Romanorum exemplo historiam scribere didicisset. Præ aliis etiam sui ævi scriptoribus peritia artis bellicæ (42) et locorum (43) quibus res gestæ sunt insignis, iis describendis operam dedit. Errores nimio gloriæ patriæ studio et vanitati tribuendi (44). Ordo in universum temporis decursum secutus, nonnunquam studio rerum connectendarum turbatur. Oratio dilucida, brevis, vigore et simplicitate placet.

Richerus, opere usque ad mensem Junium anni 995 perducto, scribendi finem fecit, notatis tamen præcipuis annorum 996, 997 et 998 eventibus, ita ut eum his quoque conscribendis animum advertisse pateat. Quo tempore Gerberto ad sedem Ravennatem et anno sequenti pontificatus Romani ad apicem promoto, an Richerus opus transmiserit, dubitari potest. Certe autographus liber non ita comparatus est, ut archiepiscopi summive pontificis manibus traditum facile existimem; descriptum autem fuisse, ignoramus. De Richero quoque amplius nihil constat, præter quod, studio ejus librum legis Salicæ, qui hodie in bibliotheca regia Parisiensi numero 4789 insignitus exstat, bibliothecæ sancti Remigii Remensis illatum, inscriptio vetus tradit (45).

Historia autographa sæculo XI bibliothecæ monasterii S. Michaelis Babenbergensis ab Heinrico II imp. conditi inter primos ejus fortasse libros illata, cum aliis libris Gerberto et Richero notis in catalogo Ruotgeri intra annos 1112-1123 confecto recensetur (46), ubique annis 1098-1101 ab Ekkehardo Uraugiensi (47), et quadringentis annis post a Tri-

(29) I, 4-13.
(30) I, 20, 23, 24, 34, 35-41.
(31) I, 14-16, 21, 22.
(32) I, 28-33.
(33) Exempli gratia, I, 63.
(34) Exempli gratia, II, 1-5, 16-20, 30-35, 51-59, 87-90, 93, 94; in principio Lotharii III, 6-10.
(35) Exempli gratia, II, 30 sqq. ad cædem Wilhelmi Nortmannorum ducis Ottoni Magno imputandam unius Richeri auctoritas nos sufficit.
(36) Rotbertum, Gerberti discipulum, etiam novisse videtur; laudat eum IV, 13.
(37) I, 46.
(38) Exempli gratia II, 27.
(39) IV, 18.
(40) IV, 39.
(41) Guidonis episcopi orationem IV, 63.
(42) Cf. descriptiones pugnarum et machinarum bellicarum I, 8 sqq. II, 10, 55, 45; III, 8, 103-107; IV, 17, 19, 22.
(43) Exempli gratia, III, 101. Virduni situs.
(44) Alios etiam re haud bene perpensa commisit; exempli gratia I, 3, Carolum patre obeunte biennem, I, 12, anno 893 quindennem facit; III, 109, Lotharii annos non accurate computat.
(45) *Liber sancti Remigii studio... n... ris richer..*
(46) Schannat. Vindem. I, 52.
(47) Cf. Arch. VII, 470, 471. Ekkehardus, contra morem suum in exscribendis aliis scriptoribus probatum, Richeri textu satis libere utitur, nec tantum alia verba sententiasque, sed bis, in historia scilicet Haganonis et Giselberti, diversam plane narrationem, eo tamen animo iisque verbis quæ Richero quam maxime conveniant, profert. Conjici igitur posset, eum alia operis editione usum fuisse; sed nullum alterius codicis vestigium exstat. Nam codicem nostrum jam ante annum quidem 1611 in ecclesia metropolitana Babenbergensi asservatum, sæculis anterioribus, et fortasse post magnam illam monasterii S. Michaelis devastationem quæ a. 1453 contigit, eo translatum esse oportet, quum in catalogo bibliothecæ metropolitanæ antiquiori ad sæcu-

themio (48) exscripta, tum in bibliothecam capituli translata, anno 1611 marginibus heu præcisis membranæ illigata, et nostro demum sæculo bibliothecæ publicæ Bambergensi illata est. Cujus thesauros cum Boehmero nostro comite mense Augusto anni 1833 perlustrarem, oblatus est nobis inter codices historicos liber magna sui parte lectu difficilior, cujus in fronte manu recenti inter alia legebatur : *Richerii Monachi Senensis ord. S. Benedicti libri IV Historiæ.* (Achery *Spicil.* T. II, III, non convenit.) In primo quoque folio manu sæculi XVI scriptum erat : *Historia Richeri monachi.* Primo intuitu vetustate operis perspecta, mox primis etiam lineis haud sine maximo gaudio scriptorem sæculi decimi hucusque inéditum, et cujus tantum nomen a Trithemio proditum fuisset, agnovi, quem ut describerem a V. Cl. Jaeck, qui magno litterarum commodo bibliothecæ ditissimæ præest et summo in rem Germanicam favore studiis nostris suffragatur, facillime impetravi. Prodit igitur jam liber, tenebris quibus per octingentos amplius annos tegebatur evolutus, atque inter historicorum medii ævi præcipuos locum suum ipse sibi vindicaturus. Atque ut de codice unde nobis provenit uberius dicam, ipsa littera, cujus specimina adjicimus, prodente, sæculo decimo exeunte, annis scilicet 996-998, scriptus fuit. Membrana magna ex parte palimpsesta, forma pro diversis quaternionibus diversa, in universum tamen quæ dicitur in 4° longiori sive octavo; quaterniones sex numeris signati, quorum primus constat foliis 1-8, schedula [2ᵇ], quæ *Ant Philonium ad catarrum* in fronte inscribitur, inserta, secundus foliis 9, 12-16, insertis 10 et 11, tertius foliis 17-22, quartus foliis 23-28, 30, 32, insertis 29 et 31, quintus foliis 33, 38-44, insertis 34-37, sextus foliis 45, 46, 48, 52, 54-57, insertis 47, 49-51 et 53. Scriptura in prima operis parte major, inde a folio nono decrescit, in nonnullis paginis, præcipue p. 49 et 50, valde exigua, in aliis injuria temporum tam pallida, ut haud sine difficultate legatur. Est, ut opus ipsum prodit, autographum Richeri, totumque ejus manu non solum finitum sed et recognitum. Quod quidem patet ex multis cum vocabulis tum sententiis, eodem atramento, quo scribi cœperant, deletis atque aliis vocibus et sententiis eadem scribendi serie substitutis. Cujus rei exempla cum textus infra edendus præbeat, hic tantum advertendum erit, auctorem in recognoscendo etiam opere complura majoris momenti immutasse, ita ut vocabula, sententias, imo et paginas eraderet, eisque alia substitueret. Quod præcipue locum habuit in quaternione primo, cujus atramenti pallor ab atramento nigriori auctoris opus suum recognoscentis valde distat, fol. 2, 5, 6, 7, 8, ubi etiam vocabulo Gisleberti, comitis Belgici, nomen Heinrici, ducis Saxoniæ, substituit. In secundo quaternione fol. 9 et 10 multa immutavit, folia 10 et 11 eademque plurimum correcta et nigriori atramento scripta inseruit; in quarto quaternione fol. 33 initium secundæ paginæ erasit, fol. 34-37 inseruit, fol. 38 pauca immutavit. In sexto demum quaternione foliis 49-50 et scedula 51 insertis, narrationem de itinere suo Remis Carnotum et historiam synodi in monasterio S. Basoli habitæ, necnon scedula 53 inserta sex lineas narrationi pugnæ inter Conanum et Fulconem commissæ addidit. Vere igitur, si ullius unquam auctoris, Richeri autographum nobis relictum esse, apparet.

Liber in paginæ 55' linea octava desinit; multo majore paginæ parte una cum pagina 56 vacua relicta, paginæ 56' alia plane manu litteræ Gerberti inscriptæ sunt; pagina 57 vacat, pagina 57' Richeri iterum manu præcipua continuandæ historiæ capita diverso tempore inscripta præbet.

Jam superest ut de editionis consilio et ratione paucis moneam. Opere quanta diligentia fieri potuit exscripto, textum, qualis ultimus auctori placuit, exprimendum duxi, adjectis, quantum propter evanidam scripturæ faciem concessum erat, prima lectione, quam veræ sententiæ sistendæ sæpe plurimum efficacem superiora docuerunt. Capitum distinctionem ab auctore ipso profectam, sed nonnunquam prætermissam, ubicunque ex ipsius sententia necessaria videbatur, instituí; inscriptiones in margine positas retinui, numeros adjeci. Loca obscura aut unius alteriusve litteræ abscisione lacera conjectura probabili ductus explevi. Interpunctionem nonnisi raro, cum sententiarum nexus id fieri apertissime posceret, attigi. Qua quidem in re Richeri et Gerberti idem fere modus fuisse videtur, verborum distinctione vocis modulationi adaptata. Ultimo loco quoniam Richerus ex Gerberti historia conciliorum ad S. Basolum, Mosomensis et Cauceiensis plurimum illustratur, opuscula ista ope codicum sæculi x exeuntis et XI, scilicet.

1) Lugdunensis inter Vossianos in 4°, n. 54, olim libri Miciacensis monasterii, unde concilium Remense una cum litteris Gerberti ad Widerodum episcopum Argentinensem et ad Siguinum archiepiscopum et Hugonis regis ad Johannem papam Francofurti anno 1600 in 8ᵛᵒ prodiit, a Boehmero nostro mecum exscripti, et

2) Guelferbytani inter Helmstadienses n. 32 in fol.

lum XII vel XIII pertinente, quem Cl. Jaeck in Okenii Iside a. 1829 p. 1237 et 1238 evulgavit, nulla Richeri mentio facta sit. Trithemius codicem nostrum et Ekkehardum ante oculos habuit; nec vereor ne quis fabulam de malefica et Ranthei equa, Haganonis apud eum historiæ insertam, ex Richero haustam fuisse opinetur, cujus a scribendi ratione æque ac animo, superstitionibus minime obnoxio, abhorret. Talia Flodoardo convenire possent. Hugo etiam Flaviniacensis in Chronico apud Labbeum I, p. 157,

Caroli captionem et Gerberti disputationem cum Othrico aut a nostro aut ab alio scriptore qui nostrum exscripserat accepit; econtra Hugo Floriacensis nostrum minime novit, et Gesta pontificum Remensium ab eo memorata historiam Arnulfi et Gerberti multo diversam ab ea quæ hic legitur exhibuerunt.

(48) In Chron. Hirsaugiensi et libro de Origine Francorum ap. Schardium.

olim S. Remigii Remensis (49), unde vitiosa Flacii editio concilii ad S. Basolum fluxit, a D. Waitzio cum editis iterum collati, appendicis loco referenda statui, adjectis ex codice Guelferbytano fol. 169, 170 litteris Gregorii V papæ ad Willegisum archiepiscopum, quibus eum de decretis synodi Papiensis circa Arnulfum certiorem facit; quæ documenta historiæ sæculi x illustrandæ aptissima, a summis viris profecta, et codicum optimorum auctoritate aut integritati restituta aut prima vice luci data, ineditos Richeri libros haud incommode comitatum iri, persuasum habeo. (*Litteras Gregorii V et concilium Mosonense, de quibus hic Pertzius, habes infra in Gregorio V et Gerberto.* Editor Patrologiæ.)

(49) Marlot in Hist. metropolis Remensis II, 45, autographum penes se haberi scribit, mutilum tamen, in quo scilicet capp. 25 40 deessent; unde pauca tantum transcripsit p. 45, 46. — Codex bibliothecæ Barberinæ cujus in Annalibus nostris mentionem feci, chartaceus, ex Chesnii codice minori descriptus est.

RICHERI HISTORIARUM LIBRI QUATUOR.

PROLOGUS AUCTORIS.

Domino ac beatissimo Patri, Gerberto Remorum archiepiscopo, Richerus monachus.

Gallorum congressibus in volumine regerendis, imperii tui, pater sanctissime Gerberte [1], auctoritas seminarium dedit. Quam, quia summam utilitatem affert et rerum materia sese multiplex [2] præbet, eo animi nisu complector, qua jubentis mira benivolentia pertrahor. Cujus rei initium a vicino ducendum existimavi [3], cum [4] res multo ante gestas, divæ memoriæ [5] Hincmarus ante te in pontificatu octavus [6], suis annalibus copiosissime annexuit. Tantoque superiora lector ea inveniet, quanto a nostri opusculi exordio, per ejus regesta sese attollet. Et hoc inquam, ne Karolorum aliorumque frequens in utroque opere repetitio, operis utriusque ordinem turbet. Ubi enim rerum ordo non advertitur, tanto nitentem error confundit, quanto a serie ordinis errantem seducit. Unde cum hic atque illic sepe Karoli, sepe Ludovici notæ offeruntur, pro tempore auctorum prudens lector reges æquivocos pernotabit. Quorum temporibus bella a Gallis sæpenumero patrata, variosque eorum tumultus, ac diversas negotiorum rationes, ad memoriam reducere scripto specialiter propositum est. Si qua vero aliorum efferantur, ob [7] incidentes rationes quæ vitari non potuerunt, id evenisse putetur. Sed [8] si ignotæ antiquitatis ignorantiæ arguar, ex quodam Flodoardi presbyteri Remensis libello, me aliqua sumpsisse non abnuo, at non verba quidem eadem, sed alia pro aliis longe diverso orationis [9] scemate disposuisse, res ipsa evidentissime demonstrat. Satisque lectori fieri arbitror, si probabiliter atque dilucide breviterque omnia digesserim. In dicendo enim recusans effluere, plurima succincte expediam. Ac totius exordium narrationis aggrediar, breviter facta orbis divisione, Galliaque in partes distributa, eo quod ejus populorum mores et actus describere propositum sit.

LIBER PRIMUS

1. *Divisio orbis.* — Orbis itaque plaga, quæ mortalibus sese commodam præbet, a cosmographis (50) trifariam dividi perhibetur, in Asiam videlicet, Africam, et Europam. Quarum prior, a septemtrione per orientis regionem usque in austrum, extrinsecus Oceano disterminata, interius a Ripheis montibus usque ad terræ umbilicum, Thanai, Meothide, Mediterraneoque ab Europa distinguitur. Ab umbilico vero usque in austrum, Nilo fluvio ab Africa est seclusa. Africam vero et Europam, exterius quidem ab

VARIÆ LECTIONES.

[1] G. *codex.* [2] x *evanuit.* [3] ducere volui *ab auctore mutatum, ut supra.* [4] m *evanuit.* [5] d. m. *codex.* [6] *prima manu* Hincmarus ante te septimus Remorum metropolitanus. [7] per 1. [8] Sed *usque* digesserim *manu* 2. *scilicet corrigentis.* [9] ordinationis *corr.* orationis.

NOTÆ.

(50) Cf. Orosii l. 1, c. 2.

austro in septemtrionem Oceano circumdatas, Mediterraneum interjectum [10] discriminat. Ab Asia vero interius earum alteram Nilus, alteram vero Mediterraneum, Thanaisque ac Meotis, ut dictum est, sejungunt. Quarum singulæ cum proprias habeant distributiones, Europæ tamen partem unam quæ Gallia a candore (51) vocatur, eo quod candidioris speciei insigne ejus oriundi præferant, in suas diducere partes ratum duxi.

2. *Istius Galliæ per partes distributio.* — Gallia [11] ergo et ipsa in tria distincta est, in Belgicam, Celticam, Aquitanicam. Quarum prior Belgica, a Rheno, qui Germaniam ab Oceano determinat, quæ multarum gentium ferax, a germinando nomen accepit, exporrigitur usque in fluvium Matronam. Ab utroque vero latere, hinc quidem Alpibus Penninis, inde vero mari vallatur, cujus circumfusione insula Brittannica efficitur. Celtica autem [12] a Matrona per longum in Garunnam distenditur; cujus latera, oceani Brittannici, et insulæ Brittannicæ limites habent. Quicquid vero a Garunna distenditur [13] in Pireneum, Aquitanica appellatur, hinc [14] Rhodano Ararique atque inde Mediterraneo conlimitans. Constat itaque, totius Galliæ spatium ab oriente quidem Rheno, ab occidente Pyreneo [15], et a septentrione mari Brittannico, ab austro vero Mediterraneo cingi.

3. *Mores Gallorum.* — Omnium ergo Galliarum populi innata audatia plurimum efferuntur, calumniarum impatientes. Si incitantur, cedibus exultant, efferatique inclementius adoriuntur. Semel persuasum ac rationibus approbatum, vix refellere consuerunt. Unde et Hieronimus (*ep.* 60, *adv. Vigilant.*) *Sola* inquit : *Gallia monstra non habuit, sed viris prudentibus et eloquentissimis semper claruit.* Præter hæc quoque Belgæ rebus disponendis insigniores, robore atque audatia non impares. Maxima quæque magis ingenio quam viribus appetunt. Et si ingenio in appetendis cassantur, viribus audacter utuntur. Cibi etiam potusque adeo parci. Celtæ vero ac Aquitani, consilio simul et audatia plurimi, rebus seditiosis commodi. Celtæ tamen magis providi, Aquitani vero præcipites aguntur, plurimumque in ciborum rapiuntur appetitum. Quod sic est eis innatum, ut præter naturam non appetant. Hinc et Sulpicius (*Dialog.* I', 4) : *Edacitas*, inquit, *in Græcis gula est, in Gallis natura.* Hos omnes populos etsi [16] natura feroces, ab antiquo fere per omnia [17] prospere egisse et cum pagani [18] essent historiæ tradunt [19]. Post vero a sancto Remigio [20] baptizati, adprime [21] clara semper et illustri [22] victoria emicuisse [23] feruntur. Quorum quoque primus rex christianus, Clodoveus fuisse traditur. A quo per succedentia tempora imperatoribus egregiis res publica gubernata fuisse dinoscitur, usque ad Karolum, a quo historiæ sumemus initium.

4. *Quod ob infantiam et principum dissidentiam pyratæ Gallias* [24] *irruperint.* — Hic patrem habuit [25] Karlomannum regem (52), avum vero paternum Ludovicum cognomento Balbum, abavum autem Karolum Calvum, Germanorum atque Gallorum imperatorem egregium. Biennis adhuc patrem amisit; matre [26] vix per quadriennium superstite. Ob cujus infantiam cum regnorum principes nimia rerum cupidine sese præire contenderent, quisque ut poterat

VARIÆ LECTIONES.

[10] interjectus *cod.* [11] *cap.* 2. 3. *Ekkehardus in historia Pippini et Karolomanni majorum domus regiæ exscripsit.* [12] autem hinc matrona inde garunna abluitur *prior lectio.* [13] d. in hiberum qui hiberiæ regioni nomen indidit, usque in oceanum *deleta.* [14] h. provinciæ lugdunensi atque inde 1. [15] hybero 1. [16] *vox abscisa.* [17] p. o. *abscisa; locum Ekkehardo adhibito restitui.* [18] um pa *abscisa.* [19] æ tra *abscisa* [20] a s. R. *abscisa.* [21] adpri *abscisum.* [22] a semper, lustri *abscisa.* [23] emicu *abscisum.* [24] alli *ex conject. supplevi.* [25] habuit ludovicum regem c. b. auum vero 1. [26] m. paulo ante amissa 1.

NOTÆ.

(51) Scilicet a γάλα, *lac.*

(52) Imo Ludovicum Balbum, quo defuncto natus est. — « Hoc potissimum loco notitiam sistere placuit ad bellum anno 880 a Ludovico juniore contra Ludovicum et Carlomannum, Ludovici Balbi filios, gestum referendam, quam Boehmerus noster ex codice regio Monacensi inter Augustanos n. 151 mbr. sæc. IX in 4° canones et decretales exhibente descripsit. Habetur ibi fol. 74 ultimo :

« Cum essemus juxta fluvium Aisna in villa Ritest (*a*) VIII Kal. Febr. in vigilia sancti Præjecti marthyris post horam diei nonam, subito miræ magnitudinis et splendoris sidus emicuit. Quod denique stellæ modulum supereminens excessit, et solis mensuram non implevit. Unde nobis illud cernentibus visum est interdum flammantibus radiis ultra modum excrescere, interdum nimio pallore deficere; sicque variando incredibili velocitate ad occasum tetendit, ac novissime, prius quam se inter montium ingereret abdita, obstaculumque sui occasus nostris obtutibus auferret, penitus evanuit. Nec etenim ab re hoc stellæ signum hujuscemodi ostensum conjici potest. Cum potestas quorundam tunc fulgida dominabatur, peccatis autem promerentibus perpeti fine (*b*) deficiens ita evanuit, ut nec quidem digne memoriæ retineatur. »

Aliter.

« Cum se Ludovicus prosperari estimaret, et in regno occidentali, quod tunc inordinate occupaverat, in quo ejus invasione sacrilegia, homicidia, stupra, incendia, cæteraque inaudita scelera perpetrata fuerant, et his vanissimis prosperitatibus animo extolleretur, industria principum, qui regnum illud tunc gubernabant, extra fines eorum reductus est, atque in eadem reversione amissa spe invasi regni (880), obvios habuit Nortmannos, cum quibus bello commisso, carum perdidit filium (*c*) tantaque afflictione in redeundo attritus est, ut ipse et sui vix ad propria remearent; ac deinde in regno suo obstacula grassabantur multiplicia, atque inenarrabilibus calamitatibus undique vallatus, Nortmannorumque infestatione inquietatus, febre corripitur, ultimum emittens spiritum (882). »

(*a*) hodie *Rhetel.*
(*b*) e *haud legitur.*
(*c*) Hugonem.

rem dilatabat. Nemo regis provectum [27], nemo regni tutelam quærebat. Aliena adquirere summum cuique erat; nec rem suam provehere videbatur, qui alieni aliquid non addebat. Unde et omnium concordia, in summam discordiam relapsa est. Hinc direptiones, hinc incendia, hinc rerum pervasiones exarsere. Quæ cum immanissime agitarentur, piratæ qui Rhodomensem provintiam incolebant, quæ est Celticæ Galliæ pars, ad rerum immanitatem incitantur. Hæc gens ab insulis oceani septentrionalis remotioribus diu ante exierat. Et per maria errando classe devecta, summam hanc Galliarum partem attigerat. Sæpe quoque eam armis impetivit, sæpe etiam a terræ principibus devicta occubuit. Quod cum multoties inter sese moverent, visum fuit Galliæ primatibus, ut dono regum hæc provincia ei conferretur; ita tamen, ut, idololatria penitus relicta, christianæ religioni se fideliter manciparet, necnon et regibus Galliarum terra marique fideliter militaret. Hujus provinciæ metropolis. Rhodomum esse dinoscitur, sex tantum urbibus, Bajocis videlicet, Abrincanto, Ebrocis, Sagio, Constantiæ, Liscio (53), vim suæ dominationis intendens. Hanc itaque ex antiquo a piratis possessam esse manifestum est. Sed paterna tunc sevitia ducti, in principes dissidentes moliri conantur. Unde et latrociniis ac discursionibus Brittanniam minorem, quæ est Galliæ contigua atque militans, infestare aggrediuntur. Reique occasionem nacti, fidem penitus abrumpunt, ulteriusque procedunt in Galliam. Ac circumquaque palantes, longe lateque diffunduntur; feminarum, puerorum, pecudum, ceterarumque rerum non modicam prædam abducentes. Recipiuntur vero cum his omnibus secus Sequanam loco qui Givoldi fossa (54) nuncupatur. Ac idem sepius aggressi, Galliæ Celticæ partem, quæ Sequanæ Ligerique fluviis interjacet, quæ et Neustria nuncupatur, totam pene insectati sunt. Hisque animo inerat, interiores Galliarum partes irrumpere, earumque gentes aut a finibus pellere, aut gravissimis substituere tributis. Id etiam ante fieri, quam in consensum principes revocarentur, accelerabant. Hujusmodi dissidentia, pecunias Galliarum sese asportaturos, certissime rati. Quorum impetus, Catillo principe ferebatur. Principes tanta barbarorum ignominia confecti, de pace habenda per legatos inter sese admodum quærunt. Nec diu morati, jure obsidum, in unum consulturi conveniunt. In quo conventu, sapientium usi consilio, fidemque pacti, in concordiam maximam rediere; contumelias a barbaris injectas ultum ire parati. Et quia Karolus vix adhuc triennis erat (55), de rege creando deliberant; non ut desertores, sed ut in adversarios indignantes.

5. *Regis genus atque fortuna* [28]. — Anno [29] itaque incarnationis dominicæ [30] 888 (*Febr.*) [xvi Kal. [31]] Mart. (56) quinta feria communi decreto, Odonem virum militarem ac strenuum in basilica sancti..... [32] (57) regem creant. Hic patrem habuit ex equestri ordine Rotbertum; avum vero paternum, Witichinum advenam Germanum. Creatusque rex, strenue atque utiliter omnia gessit, præter quod in militari tumultu, raram componendi lites potestatem habuit [33]. Nam pyratas signis collatis intra Neustriam septies fudit, ac in fugam novies compulit [34]. Atque hoc fere per quinquennium 889 [35]. Quibus repulsis, fames valida subsecuta est, cum triennio terra inculta remanserit. Jam enim mensura frumenti quæ sedecies ducta modium efficit, decem dragmis veniebat. Gallinatius quoque quatuor dragmis. Ovis vero tribus unciis; atque vacca, jabo (58) tollebatur. Vini nulla coemptio erat, cum vinetis ubique succisis, vix ejus aliquid habebatur. Rex interea per loca [36] quæ piratis irruentibus aditum præbebant, munitiones exstruit, ac in eis militum copias ponit. Ipse cum exercitu in Aquitaniæ partes secedens, non ante se rediturum proponens, quam supradicta modii frumentarii mensura, duabus dragmis veniret, gallinatius vero denario, atque ovis duabus itidem dragmis, vacca vero tribus unciis venumdaretur.

6. (890.) *Pyratæ Brittaniam impetunt ac devastant.* — Interea rege apud urbem Anitium (59) rem publicam procurante, pyratæ a finibus Neustriæ pulsi, eum ad interiora Aquitaniæ concessisse [37] dinoscunt. Confluunt itaque ac classem parant, atque Brittanniam repentini irrumpunt. Brittanni repentino barbarorum impetu territi, sævientibus cædunt. Cuique vitam tantum salvare satis fuit. Rerum suarum ereptionem nemo quærebat. De vita solummodo agitabant. Unde et suis fere omnibus derelictis, pyratæ passim rapiuntur. Quæque commoda asportant, ac cum multa rerum præda nullo renitente redeunt. Tam felici ergo successu elati, per exteriores Brittanniæ fines secus Andegavum Aquitaniam irrumpunt, multaque depopulatione terram devastant

VARIÆ LECTIONES.

[27] commoda 1. [28] a *delctum*. [29] *abscisum*. [30] *abscisum*. [31] *abscisa*. [32] *vox omissa est*. [33] h. eo quod milites mediocri interdum subdi contempnerent *deleta*. [34] c. immo et a finibus galliarum penitus eliminavit *deleta*. [35] Ann. Fuldenses. [36] l. maritima *deletum*. [37] secessisse 1.

NOTÆ.

(53) Hodie *Bayeux*, *Avranches*, *Evreux*, *Seez* (prope *Alençon*), *Coutances*, *Lisieux*.

(54) Cf. Prudentii Annales an. 856.

(55) Carolus mense Septembri an. 879 natus erat, et infra cap. 12 anno 893 quindennis dicitur.

(56) Cum hic nonnisi xvi *Kal.* aut ix *Kal.* aut ii *Kal.* aut ii *Id.* aut *Non.* Martii in calculum veniant, ut prius eorum i. e. diem 15 Februarii eligerem, fecit, quod Wido statim post Odonis electionem in Italiam profectus, ibi ante diem 21 Februarii electus est.

(57) Odo secundum Ann. Vedast. in palatio Compendiensi, igitur in capella B. Mariæ V. coronatus est.

(58) Jabus est deunx.

(59) *Le Puy*, prope fontes Ligeris.

Abducunt viros ac mulieres puerosque. Quorum provectiores in utroque sexu obtruncant. Pueros servituti mancipant, feminas vero quæ formosæ videbantur prostituunt.

7. (892.) *Odo rex* [58] *contra pyratas* [58] *exercitum* [58] *parat.* — Sed nonnulli vario eventu elapsi, profugio salvati sunt. A quibus dum exagitarentur, mox Odoni regi relata fuere. Qui rerum magnitudine motus, quotquot ex Aquitania potuit, edicto regio congregari præcepit milites peditesque. Ex Provintia quoque, quæ Rhodano et Alpibus marique ac Gothorum finibus circumquaque ambitur, Arelatenses ac Aurasicanos (60) habuit. Sed et ex Gothia, Tholosanos atque Nemausinos. Quibus collectis, exercitus regius, in decem milibus equitum, peditum vero sex milibus erat. Procedit itaque secus Briddam (61), sancti Juliani martiris castrum, iter agens. Sanctumque regiis donis veneratus, Arvernicum pagum ingreditur. Huc jam hostes advenerant, ac castrum quod Mons Panchei (62) dicitur, vehementi hostilitate premebant. Rex principibus Francorum atque Aquitanorum stipatus, licet ancipiti deliberatione, tamen belli dispositionem apud eos pertractabat, illos ad pugnam hortans, ac eorum magnanimitatem ex natura plurimum attollens. Aliis quoque gentibus eos esse potiores, tam viribus quam audatia et armis, memorabat. Eorum quoque majores, pene totum orbem debellasse, ipsumque caput orbis Romam immaniter attrivisse. Unde et oportere paternam animositatem in filiis renovandam asserebat [59], ut patrum magnanimitas filiorum virtute commendaretur.

8. *Impetus Odonis regis in pyratas, bellique qualitas.* — Quibus dictis cum persuasisset, utpote vir audax ac violentus, cum sexdecim milibus signis illatis barbaros aggreditur. Sed peditum copias præmittit, atque ex eis primum impetum infert. Ipse cum equitatu succedens, peditum fortunam opperiebatur. Nec minus et barbari acies ordinaverant, ac indivisi adversarios excipere cogitabant. At regii pedites hostibus directi, primo certamine sagittas jaculantur; densatique, lanceis obversis, in illos feruntur. Excepti vero a barbaris, plurimi dilabuntur, non tamen præter adversariorum ruinam. Nam et eorum alii præcipitati, alii vero quam plures sauciati sunt. Post pedites vero et regius equitatus succedit; ac acies hostium, copiis peditum divisas, multo nisu irrumpit. Sternitque ut fertur tredecim milia, paucis fuga salvatis. Et cum jam potiretur victoria spoliisque diripiendis instaret, barbarorum quatuor milia, quæ insidiose in abditis latuerant, ex obliquo viarum irruere. Qui cum gradivo incessu propinquarent, armorum luce ab observatoribus cogniti sunt. Factoque signo exercitus in unum redit. Rex multo plures advenire arbitratus, suos hortatur stipatores, ut priores animos resumant, immo et non amittant; decus pro patria mori, egregiumque pro christianorum defensione corpora morti dare, multis sermonibus asserens. Exercitus itaque densatus, licet anterioris belli vulneribus æger, tamen obvenire non distulit.

9. *Ingo ex mediocribus cum* [60] *regis signo* [60] *bellum ingreditur* [60]. — Et cum agitaretur quis regium signum efferret, eo quod in tanta nobilium manu nullus sine vulnere videbatur, idque omnes evitarent, e medio omnium Ingo prosilit, ac militatum sese offerens, imperterritus dixit: « Ego ex mediocribus regis agaso (63), si majorum honori non derogatur, signum regium per hostium acies efferam. Nec fortunam belli ambiguam expavesco, cum semel me moriturum cognosco. » Ad hæc Odo rex: « Nostro inquit dono, ac principum voluntate signifer esto. » Ille signum excipiens, agmine densato circumseptus incedebat. Factusque cunei militaris acumen, hostes vibrabundus ingreditur. Precipitantur barbari, viresque amittunt. At regius exercitus rediens, iterum irrumpit sternitque. Tertioque adortus fere omnes opprimit. Ex quorum tumultu cum aer densatus, multo pulvere pinguesceret, Catillus [61] cum paucis per caliginem fuga sese surripuit, atque in dumetis sese abdidit. Qui cum lateret, a victoribus passim palantibus repertus atque captus est, suisque qui secum latuerant [62] gladio transfixis, post spolia direpta Odoni regi oblatus est.

10. *Tiranni* [62] *baptismus et* [62] *interfectio* [62]. — Utiliter ergo patrata victoria, rex tirannum captum secum Lemovicas ducit. Ibique ei vitæ ac mortis optionem dedit, si baptizaretur, vitam, sin minus, mortem promittens. Tirannus mox absque contradictione baptizari petit. Sed dubium an fidei quicquam habuerit. Quia ergo Pentecostes instabat sollempnitas (*Jun.* 11), ac episcoporum conventus regi aderat, ab episcopis ei triduanum indicitur jejunium. Die vero constituta cum in basilica sancti Marcialis martiris, post episcoporum peracta officia in sacrum fontem ab ipso rege excipiendus descenderet, jamque trina immersione in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus esset, Ingo ante signifer, gladio educto lœtaliter eum transverberat, ac fontem sacratum, vulneris effusione immaniter cruentat. Rex tantum facinus indignans, principibus frementibus homicidam rapi ac trucidari jubet. Ille gladio projecto fugiens, sancti Marcialis aram complexus est; indulgentiam ab rege ac primatibus

VARIÆ LECTIONES.

[58] x, pyra, rcitum *abscisa.* [59] memorabat 1. [60] ibus cum, no, gre *abscisa.* [61] rex barbarorum *corr.* catillus. [62] m, la, t *abscisa.* [62] i, et, o *abscisa.*

NOTÆ.

(60) Incolas pagi cujus caput *Orange.*
(61) *Brioude*, quam Elaver alluit.
(62) *Montpensier*, e sinistra Elaveris prope *Aigueperse*, infra *Clermont.*
(63) Marescalcus.

postulans, atque loquendi locum multis clamoribus petens. Et jussu regio, de commisso facinore responsurus sistitur. Orsusque sic ait :

11. *Oratio Ingonis pro se apud regem et principes suasorie habita.* — « Deum voluntatis meæ conscium testor, nihil mihi fuisse carius vestra salute. Vester amor ad hoc me impulit. Ob vestram salutem in has me miserias præcipitavi. Pro omnium vita, tantum periculum subire non expavi. Grande quidem est gestum negotium, sed major est negotii utilitas. Regiam majestatem me læsisse quidem non abnuo, sed multa commoda in facinore comparata assero. Consideretur auctoris animus, animadvertatur etiam futura facinoris utilitas. Tirannum captum metus causa baptismum petiisse adverti, eumque postquam dimitteretur, pluribus injuriis vicem redditurum, suorumque stragem gravissime ulturum. In quem, quia futuræ cladis causa visus est, ferrum converti. Hæc est mei facinoris causa. Hæc me ad scelus impulit. Hoc ob regis suorumque salutem peregi. Et utinam morte mea, patriæ libertas, rerumque tranquillitas consequantur! Sed si occidor, ob regis primatumque salutem occisus videbor. Cogitet jam quisque, an pro hujusmodi mercede ei militandum sit; et an pro fide servata, tali habendus sit retributione. Ecce capitis et pectoris laterisque recentia vulnera! Patent præcedentium temporum cicatrices, dispersique per reliqua corporis membra livores. Quorum assiduis doloribus confectus, nihil post tot mala, nisi mortem, malorum finem exspecto. » Qua conquestione alios ad benivolentiam traxit, alios vero ad lacrimas impulit. Unde et milites pro eo agentes, regem demulcent, et ad pietatis clementiam suadent; nihil regi prodesse asserentes, si suorum quispiam intereat; immo in tiranni occisione gaudendum, vel quia vitæ datus sit si fidelis decessit, vel quia ejus insidiæ penitus defecerint si in dolo baptismum suseeperit. Quibus rex animum temperans, tumulato barbaro, Ingonem in gratia resumit. Et insuper castrum quod Blesum (64) dicitur ei liberaliter accommodat, eo quod is qui castri custodiam agebat, in bello pyratico occisus esset. Ejus quoque uxorem derelictam, dono regio in matrimonio Ingo sibi accopulat. Regis exinde ac principum gratia admodum usus, prospere ac feliciter omnia gerebat. Verum id in brevi. Nam vulnerum sanies male a cirurgis amputata, cum sub recutita superficie, tumorem intrinsecus operaretur, nimio humoris reumatismo, plus biennio vexatus, in lectum decidit. Unde et intercluso reumate, penitus intumuit. Sicque toto erisipilato corpore, vitam amisit, Gerlonem filium parvum superstitem relinquens. Qui ab rege tutori commissus, patrimonium cum matre possedit.

12. *Promotio* [44] *Karoli in regem* [44]. — Interea rex a Lemovica urbe dimotus, Echolisinam (65) petit, ac ibi quæque gerenda disponit. Nec multo post petens Petragoram, nobilium causas quæ litibus agitabantur ibi æquissime ordinat, plurimum [45] de communibus omnium causis apud optimates pertractans. Quibus cum foret admodum intentus, ibique per aliquot tempora sese moraturum proponeret, Fulco Remorum archiepiscopus, de Karoli promotione in regnum apud Belgas tractabat (893). Videbatur etenim tunc, quod præsens oportunitas huic rei aliquam commoditatem pararet. Idque plurimum persuadebat Neustriorum absentia [46]. Etenim cum rege in partibus Aquitaniæ tunc detinebantur. Suadebant quoque multiplices adolescentis quærimoniæ. Jam enim quindennis, de regi amissione apud amicos et domesticos gravissime conquerebatur; regnumque paternum repetere multo conatu moliebatur. Ei ergo omnes Belgicæ principes, et aliquot Celticæ summopere favebant. Horum quoque consensus, sub Remensi metropolitano, sacramenti jure firmatur. Ac tempore statuto conveniunt, ex Belgica (66) quidem Coloniensis, Trevericus, atque Maguntinus metropolitani, cum suis diœcesaneis episcopis, aut eorum probabilibus legatis. Ex Celtica vero Remorum prædictus metropolitanus, cum aliquot suis diœcesaneis, Laudunensi videlicet, Catalaunico atque Morinensi. Anno [47] autem incarnationis dominicæ [47] 893 5 Kal. [48] Februar., die dominica (*Jan.* 28), collecti Remis in basilica sancti Remigii Karolum quindennem regem creant; ac in urbe purpuratum, more regio edicta dare constituunt. Et ex Celtica quidem, paucissimi ejus partes sequebantur. Ex Belgica vero, ei omnes addicti sunt. Ab illis enim devotissime exceptus, per omnes [49] eorum urbes et oppida [50] humanissime deductus est.

13. *Odonis* [51] *reditus ab Aquitania* [51] *ejusque obitus.* — Quod factum Odo rex comperiens, ab Aquitania redit. Urbemque Turonicam petens, sanctum Martinum donis regalibus honorat. Sicque Parisii receptus, sanctos martires Dionisium, Rusticum et Eleutherium magnifice donat. Tandem fluvio Matrona remenso, Belgicam ingreditur. Ac oppido receptus, quod dicitur Fara, præ nimia anxietate insomnietatem pati cœpit. Quæ cum nimium succresceret, mentis alienationem operabatur. Superantibusque humoribus, anno regni sui decimo, ut quidam ferunt mania, alii frenesi, finem vitæ accepit (898,

VARIÆ LECTIONES.

[44] tio, em *abscisa.* [45] Pl. de privatis, multumque de comm. l., *linea subducta* de p. m. *deleta sunt.* [46] absentia. qui Sequanæ Ligerique fluviis interjacent *deleta.* [47] An, domini *abscisa.* [48] 5. Kal. *jam abscisa.* [49] per o *abscisa.* [50] et opp *abscisa.* [51] Odonis, ta *abscisa.*

NOTÆ.

(64) *Blois.*
(65) *Angoulême.*
(66) Lotharii regnum tunc temporis Arnulfo paruisse constat, igitur hi tres archiepiscopi Carolum minime regem sibi elegerunt.

Jan. 1). Tumulatur [52] vero cum [53] multo suorum lamento, in basilica sancti [54] Dionisii martiris.

14. *Mores Karoli.*—Karolus itaque rex creatus, ad multam benivolentiam intendebat. Corpore prestanti, ingenio bono simplicique [55]. Exercitiis militaribus non adeo assuefactus. At litteris liberalibus admodum eruditus. In dando profusus, minime avarus. Duplici morbo notabilis, libidinis intemperans, ac circa exsequenda juditia paulo neglegentior fuit. Galliarum principes ei animo ac sacramento annexi sunt. Necnon et Rotbertus Odonis regis defuncti frater, vir industrius atque audatia plurimus. sese militaturum regi accommodat [56]. Quem etiam rex Celticæ ducem præficit, ac in ea omnium gerendorum ordinatorem concedit; ejus [58] fere per quadriennium consilio utens, eique admodum consuescens. A quo per Neustriam deductus [59], urbibus atque oppidis ab eo receptus est. Urbemque Turonicam petens, plurima auri atque argenti talenta, sancto Martino liberaliter impertit. A cujus servitoribus pro sese fieri deprecationes postulans, perpetim cotidianas obtinuit. Inde quoque omnibus obtentis rediens, Belgicam repetit, ac sanctum Remigium donis egregiis honorat. Et sic Rotberto Gallia [57] Celtica collata, in Saxoniam [58] (67) secedit; cujus urbes sedesque regias lustrans cum oppidis, nullo renitente obtinuit. Ubi [59] etiam Heinricum regio genere inclitum, ac inde oriundum, ducem omnibus præficit. Sarmatas [60] absque prælio subditos habuit. Anglos [61] quoque ac reliquos transmarinorum populos, mira benivolentia [62] sibi adegit. Vix tamen [63] per decennium [63]. Et forte felicissimus per omnia fuisset, si in uno nimium non errasset.

15. *Nimia Karoli* [64] *dilectio* [64] *erga Haganonem* [65]. —Nam cum multa benignitate principes coleret, præcipua tamen beatitudine Haganonem habebat, quem ex mediocribus potentem effecerat; adeo ut magnatibus quibusque longe absistentibus, ipse regio lateri solus hæreret, pilleum etiam a capite regis sepissime sumptum, palam sibi imponeret. Quod etiam multam regi intulit labem [66]. Et enim primates id ferentes indignum, regem adeunt, ac apud eum satis [66] conqueruntur, hominem obscuris parentibus natum, regiæ dignitati multum derogare, cum acsi indigentia nobilium, ipse tamquam consulturus regi assistat. Et nisi a tanta consuetudine cesset, sese a regis consilio penitus discessuros. Rex dissuasionibus his minime credulus, a dilecto non cessit.

16. (920.) *Indignatio* [67] *Rotberti* [67] *in Haganonem* [67]. — Interea Belgicæ [68] urbibus [69] atque oppidis firmissime optentis [70], in Celticam redit, ac urbe Suessonica recipit sese. Huc ex omni Gallia principes confluunt. Huc etiam minores [71] multo favore convenient [72]. Inter quos cum Rotbertus, in majore gratia apud regem sese haberi putaret, utpote quem ducem in Celtica omnibus præfecerat, cum rex in palatio sedisset, ejus jussu dux dexter, Hagano quoque ei levus pariter resedit. Rotbertus vero dux tacite indignum ferebat personam mediocrem [73] sibi æquari, magnatibusque præponi. At iram mitigans, animum dissimulabat, vix regi panca locutus. Celerius ergo surgit, ac cum suis consilium confert. Quo collato, regi per legatos suggerit, sese perferre non posse sibi Haganonem æquari, primatibusque anteferri. Indignum etiam videri hujusmodi hominem regi hærere, et Gallorum nobilissimos longe absistere; quem nisi in mediocritatem redigat, sese eum crudeli suspendio suffocaturum. Rex dilecti ignominiam non passus, facilius se omnium colloquio, quam hujus familiaritate posse carere respondit. Quod nimium Rotbertus indignatus, cum optimatibus plerisque injussus Neustriam petit, ac Turonis sese recipit. Multam ibi de regis levitate indignationem [74] habens. Plurima etiam ut in se transfundatur rerum summa, apud suos caute pertractans. Quamvis [75] etenim regi [75] faveret, non [75] mediocriter

VARIÆ LECTIONES.

[52] tu, cum m, sē *abscisa.* [53] s. cui etiam in primis adolescentiæ annis. pax atque tranquillitas rei publicæ concordia suorum. commoditas privatorum grata fuere. Id vero in brevi *deleta.* [54] a. Rex ergo principibus stipatus. ac multo suorum obsequio inclitus. more regio leges condit. ac decreta edicit. Rotbertum quoque *deleta.* [55] E. plurimum *deletum.* [56] d. quæ est celticæ pars *deleta.* [57] *Hæc usque* præficit *Ekkehardus Uraug. in hist. Heinrici sed haud accurate exscripsit.* [58] belgicam *corr.* saxoniam. [59] ubi *usque* præficit *corrigentis manu adjecta.* [60] S. quoque *deletum.* [61] Anglorum *deletum.* [62] b. militare *deletum.* [63] en, nium *abscisa.* [64] ia Karoli, io, Haganonem *abscisa.* [65] calamitatem *corr.* labem. [66] s. inde *deletum.* [67] natio, tberti, anonem *abscisa.* [68] *in loco raso sed atramento et manu eisdem.* Galliarum *Ekkehardus qui hæc exscripsit.* [69] fluibus *corr.* urbibus. [70] o. cum paschalis sollemnitas immineret, Aquisgrani palatio sese recepit. Huc *Ekken.* [71] mediocres *Ekken.* [72] conveniunt; assunt et duces, ex Saxonia quidem Heinricus, ex Gallia Ruotpertus. Cottidie secus fores regii cubiculi manent, cottidie egressum regis a penetralibus aulæ prestolantur. Cum vero nullum eis ab rege responsum per dies quatuor daretur, Heinricus molestissime ferens, dixisse fertur, aut Haganonem quandoque cum Karolo regnaturum, aut Karolum cum Haganone ad rerum mediocritatem deventurum; indignansque rege inconsulto discessit. *Ekkehardus Uraug. qui deinde tribus lincis reconciliationem Heinrici per Heriveum, infra capp.* 23, 24. *enarratam, scribit. Superioris fabulæ, licet genio Richeri optime conveniat, nullum in codice vestigium, nec eam a Richero profectam esse, narratio infra capp.* 20 *de causa inimicitiæ Heinrici ostendit. Cf. supra pag.* 566. [73] ignobilem *c.* mediocrem. [74] querimoniam *c.* indignationem. [75] Q, r, non *abscisa.*

NOTÆ.

(67) Hic et in sequentibus lectio prior cum præsenti collata, auctorem, insano quodam gentis studio abductum, Belgis Saxones, Gisleberto Heinricum substituisse docet. Fides talibus ab Ekkehardo Uraugiensi exscriptis omnino neganda, et historicis ad antiquam lectionem infra adnotatam redeundum est.

tamen [76] ei regnum invidebat [76], cum sibi post [76] fratrem hereditandum [76] magis videret. Nonnulla quoque moliebatur in Fulconem Remorum metropolitanum, qui regem a cunabulis educaverat, atque in regnum promoverat (68). Videbatur etenim, quia si is solum deperiret, facilius refundi in sese regnum potuisset. Id etiam apud Balduinum Morinorum principem admodum agitabat. Hic enim ab eo [76*] persuasus, ejus partes jam rege deserto sequebatur.

17. (899.) *Interfectio Fulconis archiepiscopi.* — Quo rex comperto, in Balduinum fertur, ac multa obsidionis vi castrum Atrabatum ab eo aufert, atque cum tota sancti Vedasti abbatia, Fulconi prædicto metropolitano concedit. At post aliquot tempora metropolitanus ob itineris longinquitatem fratrumque [77] incommoditatem [77] Altmarum comitem accersiens [78], abbatiam sancti Medardi quam ipse comes tenebat, ab eo accipit, et pro ea abbatiam sancti Vedasti cum castro Atrabato rationibus utrimque habitis ei impertit. (900.) Unde et ad nimiam pertrahitur Balduinus crudelitatem. Multaque affectus anxietate, ad ultionem penitus sese convertit. Amicitiam ergo circa metropolitanum simulat. Per legatos quoque multam benivolentiam mandat [79], fidemque spondet. Illud tamen multa suorum curiositate observat, utrum privatus an cum copiis regis palatium petere consuescat; privatum multo nisu impetere cupiens. Hæc dum sic haberentur, pro regiis causis contigit episcopos Belgicæ apud regem congregari. Unde et metropolitanus accersitus cum iter accelerare pararet, incautus cum paucis festinabat. Cui mox affuit quidam Winemarus cum cohorte a Balduino missus [80]. Metropolitanus cum esset cum paucis, a cohorte cum suis interceptus est. Nulli fugæ locus patuit. Omnes circumvallantur atque impetuntur. Admodum utrimque dimicant. Utrimque fusi procumbunt. (900, *Jun.* 16.) Winemarus metropolitanum adortus, lancea inermem transfigit [81], atque inter suos septem vulneribus sauciatum præcipitat. Cui cum adhuc ictus intenderet, quidam suorum multo episcopi amore ducti, super eum procumbunt. Qui cum eo mox transfixi atque occisi sunt. Quatuor tantum fuga labuntur [82], qui rei negotium Remis demonstrant. Tunc vero magna militum manus, ab urbe mox cum armis educta, adversarios persequi conatur. Sed eis elapsis, dominum occisum cum suis colligunt, atque multo doloris lamento Remos deportant, cum sacerdotibus sacerdotem plurimo dignitatis obsequio condentes.

18. *Winemari* [83] *interitus* [83]. Interea collectis apud regem episcopis, talia mox referuntur. Quod etiam omnibus nimium animi incussit dolorem. Rex ipse in lacrimas dissolutus, de casu pontificis [84] adeo conquestus est. Episcopi quoque in fratris morte et coepiscopi, multa commiseratione condoluere. Initoque consilio, Winemarum cum suis complicibus, horribili anathemate damnant. Qui in brevi deficiens, insanabili ydropis morbo a Deo percussus est. Ventre itaque turgidus, exterius quidem lento igne, interius vero immani incendio urebatur. Ingens tumor pedum non deerat. Verenda vermibus scaturiebant. Crura tumentia ac lucida. Anelitus fetidus. Viscera etiam paulatim per colum diffluebant. Super hæc omnia sitim intollerabilem sustinebat. Appetitum vero comedendi aliquando habebat, sed cibi illati fastidium inferebant. Insomnietatem jugem patiebatur. Omnibusque factus intolerabilis, omnibus horrori [84*] habitus est. Itaque amici atque domestici ab eo dimoti sunt, multo ejus corporis fetore confecti; in tantum ut nullus medicorum, saltem medendi causa ad eum accedere posset. Quibus omnibus dissolutus, omni christianitatis communione privatus, a vermibus ex parte jam consumptus, flagiciosus ac sacrilegus ab hac vita pulsus est.

19. *Promotio* [85] *Herivei in* [85] *episcopatum* [85]. — Sepulto vero domno Fulcone metropolitano, Heriveus vir spectabilis et palatinus episcoporum consensu, et Remensium conibentia in pontificatu regis donatione succedit. Quorum uterque quanta utilitate, quantaque religione in æcclesia Remensi floruit, si quis ad plenum [86] dinoscere cupit [86], legat librum Flodoardi presbiteri, quem ab urbe (69) condita de ejusdem urbis episcopis uberrime descripsit. Adepto (70) quoque Heriveus pontificatu, multa fide regem sequebatur, desertoribus adeo infestus. Erlebaldum (71) Castricensium comitem, qui res sui episcopii pervaserat, et oppidum quod vocant Macerias obtinebat, more æcclesiastico prius quidem ut resipiscat ammonet, post vero anathemate damnat (920). Qui cum sibi nec damnatus satisfaceret, in eum cum multis militum copiis fertur, oppidumque multa obsidione per quatuor ebdomadas vehementer adurget. Erlebaldus continuam non ferens impugnationem, clam ab oppido cum aliquot suorum dilabitur. Qui vero remanserant victi, portis mox patefactis, metropolitano cedunt. Eisque ejectis, suos ibi deposuit, ac de toto pago Erlebaldum profugum disturbavit.

VARIÆ LECTIONES.

[76] men, vi, po, dit *abscisa*. [76*] a. rotberto deletum. [77] fra, mo abscisa. [78] a. rationibus habitis *deleta*. [79] spondet *c.* mandat. [80] m. omnium quos terra sustinet sceleratissimus *deleta*. [81] tranfigit *codex*. [82] ereptis 1. [83] e. in *abscisa*. [84] amici c. pontificis. [84*] *vox abscisa*. [85] tio, in, tum, *abscisa*. [86] enum, e cupit *abscisa*.

NOTÆ.

(68) Fulconis cædem rebus Haganonis perperam conjungi jam annorum ordo satis demonstrat.

(69) Scil. Remensi.

(70) Cf. Flodoardi Ann. an. 920.

(71) Erlebadum — concesserat ex Flodoardi Ann. an. 920, quos in sequentibus usque ad caput libri III, 21, conferas velim.

20. *Ad Renum*[87] *mutua petitio*[87] *ac comitis*[87] *Erlebaldi*[87] *occisio.* — Rex in pagum Warmacensem, locuturus Heinrico Transrhenensi, concesserat. Huc quoque Erlebaldus comes advenit, apud regem deploraturus a Remensium metropolitano sese immaniter habitum. Heinricus apud regem de[88] rerum dispositionibus fidelissime satagebat. Cui rei cum[89] admodum intenderet, Germanorum Gallorumque juvenes linguarum[90] idiomate[90] offensi, ut eorum mos est cum multa animositate maledictis sese lacessire[91] cœperunt. Consertique gladios exerunt, ac se adorsi, lœtaliter sauciant. In quo tumultu, cum ad litem sedandam Erlebaldus comes accederet, a furentibus occisus est. Rex proditionem ratus, ocius surgit, suisque stipatur. Heinricus vero[92] dolum arbitrans, classem repetit, atque a regiis stipatoribus Rhenum transire cogitur[93]. Existimabant[94] enim hi[92] qui regi assistebant[95], eum in dolo venisse. A quo etiam tempore[96] Karolo infestus ferebatur.

21. (920.) *Desertorum*[97] *dolosa regi*[97] *Karolo persuasio de Haganonis*[97] *abjectione.*—Hinc itaque Heinrico, inde Rotberto duce Karolus urgebatur. Factusque eorum medius, utrimque premebatur. Post hæc ad interiora Belgicæ rediens, urbe Suessonica sese recipit, multam ex hujusmodi infortunio apud suos agitans quærelam. Huc etiam ex Belgica quæ Celticæ conlimitat, atque ex Celtica principes nonnulli confluunt. Sed et Rotbertus dux propinquior factus, Stampis sese recipit, ac ad palatium legatos dirigit, regalia negotia inde experturus. At qui confluxere, Rotberti partes tuebantur, cujus suasu capti, de Haganonis abjectione apud regem pertractant, non ut id fieri velint, sed ut regnandi occasio Rotberto paretur. Abjectionem itaque Haganonis leviter suadent. Ducem etiam a se discessurum si non abjiciat, mediocri assertione demonstrant; quatinus levi objurgatione rex ammonitus, cœptis insistere non formidet. Unde et post contra eum justissimam indignationis causam se habituros arbitrabantur. Quod etiam totum ad vota eorum provenit. Nam rex nulla[98] suasione affectus, numquam a dilecto sese discessurum respondit; idque multis sententiarum sermonibus asserebat. Quod cum[99] Rotbertus dux in ejus animo fixum perciperet, Heinrico Transrhenensi[100] per legatos[100] de regis ejectione[100] suadet[100]. Compererat[100] enim[100] eum a regiis stipatoribus[100] in fugam[100] coactum; unde[100] et de se fidem[100] continuo facit[100]. Cujus consensu tirannus mox lætus[101], in sese regnum[102] transferre[102] diligentissime[102] laborabat[102]. Largitur itaque[102] plurima, atque[102] pollicetur inaudita[102]. Tandemque[104] inductos transfugio jam principes aperte alloquitur; regem inquiens Suessionis sese privatum[105] habere; Belgas præter paucissimos ad sua discessisse. Unde et rei commoditatem adesse memorabat[106], facillime et ex æquo regem posse capi asserens, si ipsi omnes palatium adeant acsi consulturi, in ipso quoque palatii cubiculo inter consulendum regem capiant teneantque. His favent omnes pene ex Celtica, et de patrando facinore, apud tirannum conjurant. Palatium ergo adeunt, regemque utpote consulturi stipant. Intromissum vero cubiculo, ut paucis allocuti sunt, capiunt ac tenent.

22. *Heriveus*[107] *metropolitanus*[107] *Karolum a desertoribus*[107] *captum liberat*[107] *Remosque ducit*[107].— Jamque abducere nitebantur, cum metropolitanus Heriveus cum copiis repentinus urbem Suessonicam ingreditur. Regis enim sollicitus, desertorum fraudem præsenserat. Et ipse quidem prius cum paucis, post vero sui, favente Riculfo ejusdem urbis episcopo, consequenter admittuntur. Armatis itaque circumdatus, concilium desertorum stupentibus cunctis penetrat. Factusque terribilis : *Ubi inquam est dominus meus rex?* Ex tam multis, pauci admodum respondendi vires habuere, sese penitus deceptos rati. Qui tamen cum viribus resumtis dicerent : *Intro cum pauci consultat!* metropolitanus ostio obserato vim infert. Serisque pessumdatis, cum[108] paucis sedentem repperit. Captum enim custodibus adhibitis ergastulo deputaverant. Quo metropolitanus manu apprehenso : *Veni* inquit *rex, tuisque potius utere.* Et sic a metropolitano e desertorum medio eductus est. Tunc etiam equum ascendens, cum 1500 armatorum ab urbe exivit, atque Remos devenit. Post cujus discessum, desertores pudore confusi, illusos sese indignabantur. Confusique[109] ad Rotbertum redeunt, atque rem non satis prospere gestam desertori transfugæ reportant. Karolus vero rex cum metropolitano aliisque paucis qui a se quidem defecerant, sapientium tamen consilio ad se reversi erant, Belgicæ interiora repetit, ac Tungros concedit. Ibique episcopo tunc defuncto Hilduinum eligente clero, ac populo favente, per archiepiscopum Herimannum, præsulem ordinat, virum liberalem ac strenuum, sed factiosum. Nam mox episcopus ordinatus, iis Belgicæ principibus qui[110] Rotberto duci in regis abjectione favebant, mox hæsit et favit, plurimum cum eis contra regem machinans.

VARIÆ LECTIONES.

[87] ad R, p, tis E *abscisa.* [88] de amicicia inter se habenda plurimum s. *deleta.* [89] c uterque *deletum.* [90] ling, ma *abscisa.* [91] impetere *c.* lacessire. [92] v. rerum nescius *deleta.* [93] c. Qua die nihil concordiæ. nihil amiciciarum inter eos habitum est. *deleta.* [94] Exis *abscisum.* [95] hi, bant *abscisa.* [96] t. heinricus *deletum.* [97] Dese, regi, de Haganonis *abscisa.* [98] levissima *c.* nulla. [99] c. principes in e. a. f. perciperent 1. *Post quatuor lineis tota captionis historia absoluta erat, quibus jam erasis, secunda manu omnia usque* Regis enim sollicitus, desertorum fraudem præsenserat *adscripta sunt.* [100] rans, legat, ejec, et, Com, im, stipa, fugam, un, idem, acit, *abscisa.* [101] mo... tus *vel* me... tus *codex; media excisa sunt:* [102] reg, erre, issime, abal, itaque, atque *abscisa.* [103] *mediis abscisis* in *et* ta *plana sunt; igitur* majora *haud recipiendum erat.* [104] emque *abscisum.* [105] um *abscisum.* [106] *primum* a *abscisum.* [107] us, litanus, rto, m liberal, ucit *abscisa.* [108] c. duobus tantum 1. [109] iratique 1. [110] q. cum rotberto duce regem abjecerant 1.

At [111] rex bono suorum usus consilio, per Heriveum metropolitanum ducem Heinricum [113] qui in Saxonia [113] omnibus præerat, accersit. Hic enim ab Rotberto [114] persuasus, cum aliis ab rege discesserat.

23. *Conquestio* [115] *Herivei Remensium* [116] *metropolitani* [118] *apud Heinricum* [118] *pro Karolo rege.* — Penes quem, metropolitanus vice regis sic orsus ait : « Hactenus, vir nobilissime, tua prudentia, tua liberalitate, pax principum, concordia omnium utiliter floruere. At postquam malivolorum invidia animum remisisti, circumcirca discordiæ vis a latibulis emersit. Quæ res, domino nostro regi apud te oratum ire suasit. Ante hac enim non mediocriter ob tua merita dilectissimus fuisti. Tua egregia fides ei recognita, in magnis periculis multum sibi fidutiam parat. Cum totius statu dignitatis rex potiretur, paululum a te oberrasse [116] sese non ignorat. Sed id multa fide corrigere gestit. Nec est hoc inusitatum et singulare. [117] Omnium est interdum desipere, bonorum vero rationibus redire. Sufferendum est itaque atque summa benignitate indulgendum. Tu quoque Germanorum [118] optime, nimium a recto secessisse videris. Neque id mirum. Nam dux Rotbertus [119] omnia sitiens, regique regnum immaniter invidens [120], incautum te suasionibus illexit. Quid enim suasorie digesta non efficit oratio? Nimium inquam ab utrisque oberratum est. Sed jam tandem prior vobis redeat virtus. Summa utriusque ope, uterque nitatur, ut tu habeas regem tibi adprime commodum, et rex habeat te virum sese dignissimum. Nam te idem præstare gestit [121] iis omibus qui Germaniam [122] inhabitare noscuntur. Ob hoc igitur animum ad meliora revoca. Dominum [123] abjectum recipe, ut et tu ab eo extollendus excipiaris. »

24. *Responsio* [124] *Heinrici* [124] *ad* [125] *metropolitanum Heriveum* [124] *de Karolo.* — Ad hæc Heinricus [126] : « Multa, inquit, me ab his dehortantur, nisi tua, pater, egregie virtus, ad idem quodammodo pertrahat. Scio enim quam difficile et arduum sit, ei consilium dare, cum sua inconstantia, tum suorum invidia. Non est incognitum mihi, quantum pro eo domi militiæque pridem certaverim. Illud etiam notissimum constat, quantum circa me fide debita abusus sit. Id fortassis, pater, persuades, quod cum factum erit, fecisse penitebit. Sed quia de futuro nemo satis callidus, nemo satis prudens fit, licet sæpius prava quam bona consilia proveniant, ferar quocumque jubes. Modestiamque meam, post tuam dignitatem demittam, virtutem tuam expertus. Equidem decretum mihi fuerat, ingenio, consilio, armis ab eo recedere. » Persuasus itaque per metropolitanum, Heinricus [126] regi deducitur, multoque ambitionis honore ante admittitur, ac ambo in amicitiam federantur.

25. Quibus gestis Hilduinus Tungrensium episcopus, cum iis qui ab rege defecerant conspirasse in [127] regem insimulatus, regique infensus, ab eo insectabatur [128]. Cujus odii vis eo usque pervenit, ut Richerum Prumiensis monasterii abbatem promoveret, et Hilduinum abdicaret. (921.) At Richerus ab rege donatus, cum ab metropolitano Herimanno urgeretur, eo quod contra fas ab rege episcopatum suscepisset super eum qui tenebat, quique nulla culparum confessione victus, nullo juditio damnatus esset, regis jussu Romam festinat; ac ibi Johanni papæ, et regis sententiam et sui negotii causam demonstrat. Papa in Hilduinum desertorem indignans, ab officio eum suspendit ac anathemate damnat; Richerum vero episcopum ordinat, ac suæ auctoritatis benedictione donat. Hæc dum sic agerentur, Hilduinus prosequitur, incassum apud papam plurimam querimoniam fundens, ac apud eum pro absolutione admodum laborans. Quo conquerente, Richerus redit, ac sedem vacuam jussus ab rege ingreditur.

26. His ita sese habentibus rex ad interiores Belgicæ partes iter retorquet; ibique ob multas rerum quæ emerserant causas, regio decreto et metropolitani jussu, sinodus (72) apud Trosleium habenda indicitur. Cui sinodo domnus Heriveus præsedit, rege quoque ibidem præsidente. Ubi quamplurimis quæ utillima visa sunt determinatis, regis interventu et omnium episcoporum qui sinodo interfuere consensu domnus Heriveus metropolitanus Erlebaldum prædictum Castricensium comitem a vinculo excommunicationis [129] absolvit. Ibi etiam Rodulfo Laudunensium episcopo defuncto, Adelelmum ejusdem urbis thesaurarium multo episcoporum consensu ab rege donatum sollempniter ordinat.

27. His prospere et utiliter gestis, rex superiora Belgicæ repetit, aliqua suorum ibi ordinaturus. In Richuinum comitem fertur, eo quod et ipse desertor, Rotberti partes tuebatur. Ejus ergo oppidis obsidionem adhibet, vehementi expugnatione infestans. At ille equitatum intolerabilem advertens, jure obsidum victus ad regem redit. Rex victum excipiens, animum ab ira mitigat [130] ac eum in gratiam resumit.

28. Dum hæc gerebantur, Rotbertus Celticæ Gal-

VARIÆ LECTIONES.

[111] at remorum metropolitani heriuei consilio usus gislebertum qui in belgica omnibus potior erat per legatos accersit. Hic enim ab Heinrico persuasus cum aliis nonnullis ab rege dicesserat. Et accersitus cum multo honore ante regem admittitur, *ita primo auctor, quibus immutatis multo profusiorem historiam prima manu scripsit.* [113] gislebertum 1. [113] belgica 1. [114] heinrico 1. [115] tio, ensium, ani, um *abscisa.* [116] o. crebro *deletum.* [117] s. at frequentatum et commune *deleta.* [118] belgicorum 1. [119] 2a *additum.* [120] i. sive incauto tibi nescio sive malum cupienti 1. [121] cupit 1. [122] belgicam 1. [123] D. tuum 1. [124] R, ad, He *abscisa.* [125] gisleberti 1. gislebertus 1. [126] *manu* 2. [127] apud 1. [128] impetebatur *corr.* insectabatur. [129] ex *abscisum.* [130] a.. ira mitig.. *codex.*

NOTÆ.

(72) De sqq. cf. Flodoardum a. 921.

liæ dux piratas acriter impetebat. Irruperant enim duce Rollone filio Catilli intra Neustriam repentini. Jamque Ligerim classe transmiserant, ac finibus illius indemnes potiebantur. Ibant passim palantes, atque cum vehementibus manubiis ad classem sese referebant. Dux vero ex tota Neustria copias collegerat; plures quoque ex Aquitania accersiverat. Aderant etiam ab rege missæ quatuor cohortes ex Belgica, quibus et Richuinus prædictus præerat. Aquitanorum vero legiones Dalmatius curabat. Neustrios vero ipse dux Rotbertus disponebat. Sicque totus ducis exercitus in quadraginta milibus equitum consistebat. Dalmatium ergo cum Aquitanis in prima fronte constituit; dein Belgas [131], at Neustrios subsidiis locat. Ipse etiam dux legiones circumiens præcipuos quosque nomine vocans hortatur, ut suæ virtutis ac nobilitatis plurimum meminerint; pro patria, pro vita, pro libertate certandum asserens. De morte non sollicitandum cum ea omnibus incerta sit. Si vero fugiant, eis nihil ab hostibus esse relinquendum. His et aliis quam plurimis, militum animos incendebat. Quibus dictis dux in locum ubi prælium erat gerendum, instructos ordines deducit.

29. Nec minus et hostium exercitus contra hos rem militarem multa audatia ordinabant. Quorum exercitus in quinquaginta milibus armatorum consistens, ordinatim obvenientibus procedit. Rotbertus dux vim belli maximam imminere advertens, cum mille robustis ex Neustria, Dalmatio in prima fronte sese assotiat. Procedit itaque cum Dalmatio et Aquitanis [132]. At piratarum legiones longo sese ordine protenderant [133] ipsumque ordinem ad hostes excipiendos curvaverant scemate lunæ quæ in augmento [134] est, ut dum multo fervore hostes ruerent, exercitus circulatione exciperentur. Sic etiam ab iis qui in cornu utroque persisterent, a tergo appetiti, more pecudum sternerentur.

30. His ergo in utraque parte paratis, uterque exercitus [135] signis collatis congreditur. Rotbertus cum Neustriis, Dalmatius cum Aquitanis legiones piratarum penetrant, statimque ab iis qui in cornibus erant, a tergo impetuntur. Mox quoque et [136] Belgæ inprovisi prosequuntur, atque piratas qui a tergo suos premebant, immani cede sternunt [137]. Neustrii quoque atrocissime instant. In qua commixtione, cum Aquitani piratis circumdati, multo conamine eos quos impellebant in fugam cogerent, ii qui in cornibus perstiterant, a Belgis hinc premebantur, inde vero ab Aquitanis conversis letaliter urgebantur. Superati itaque arma deponunt, ac multis clamoribus pro vita supplicant. Rotbertus itaque tantæ cædi parcere petit, ac instat ut eruantur. Vix quoque ab cæde quievit exercitus, multo prosperioris fortunæ incitatus successu. Sedato vero tumultu, qui inter eos potiores videbantur, a duce capti sunt, reliqui vero sub jure obsidum ad classem redire permittuntur.

31. Patrata ergo victoria, exercituque soluto, Rotbertus captos Parisii deponit. Hos percunctans [138] an christiani [138] essent, nullum eorum [138] quicquam religionis [138] hujusmodi [138] attigisse [138] comperit. Missso itaque ad [138] eos instruendos [138] reverendo presbitero [138] et monacho Martino [138], ad fidem Christi conversi sunt. Qui [138] vero ad classem [138] redierant, alii [138] eorum christiani [138], alii pagani [138] mixtim inventi sunt. Et hi quoque per prædictum virum instructi, receptis a duce opsidibus [139] quos dederant, ad salutaria sacramenta deducti sunt.

32. Et cum de baptisterio ageretur, Wittoni Rhodomensium metropolitano eis [140] prædicandum a duce committitur. Witto vero non se solo contentus, Heriveo Remensi epistolam dirigit, per quam ab eo querit quo ordine, qua ratione, gens ante perfida æcclesiæ sotianda sit. Heriveus vero metropolitanus multa diligentia hæc disponere cupiens, conventum episcoporum fieri jubet, ut multorum rationibus res idonee distribueretur.

33. Et die constituta, sinodus habita est. In qua primum de pace et religione sanctæ Dei æcclesiæ, statuque regni Francorum salubriter ac competenter tractatum est, post vero de piratarum mitigatione atque conversione uberrime agitatum. Decretum quoque de eodem ab ipsa Divinitate rationem quærendam, jejunandum etiam ab omnibus triduo. Domno vero papæ id esse suggerendum, ut invocata per jejunium Divinitate, et domno papa humiliter consulto, efficatius res ordinaretur. Revolutis itaque patrum decretis, reverendus metropolitanus Heriveus 24 capitula in volumine ordinavit, rationabiliter ac utiliter digesta, et qualiter rudes in fide habendi sunt continentia. Quæ omnia venerabili Rodomensi Witoni delegavit. Ille vero excipiens, utiliter [141] sumptum negotium consummavit.

34. Hac (73) etiam tempestate Ragenerus, vir consularibus [142] et nobilis cognomento Collo-longus, cujus etiam obitus multam rei publicæ in Belgica intulit labem, communi corporis valitudine tactus et oppressus, finem vitæ apud Marsnam palatium accepit. Cujus exequiis Karolus rex interfuisse dicitur, ac oculos lacrimis suffusus dixisse: *O* inquiens *ex alto humilem, ex amplo artissimum!* altero personam, altero monumentum significans. Per-

VARIÆ LECTIONES.

[131] b. duce gisleberto ordinat. inde n. 1. [132] a. frontibus maforto signatis. At 1. [133] profenderant *cod.* [134] quæ quinta est 1. [135] e. cum maximo clamore signis infestis 1. [136] et gisle-bertus cum belgis improvisus prosequitur 1. [137] sternit 1. [138] t, n, e, l, h, g, a, d, presbite, M, Christ, Q, sem, a, i, ni *ex conjectura.* [139] hospitibus 1. [140] *vox obscura.* [141] efficacissime atque utiliter 1. [142] u. c. *codex.*

NOTÆ.

(73) Capp. 34-40. Ekkehardus Uraug. in Historia Heinrici excerpsit.

actisque exsequiis, Gisleberto ejus filio, jam facto juveni, paternum honorem, coram principibus qui confluxerant liberalissime accommodat.

35. Hic cum esset clarissimo genere inclitus, et Heinrici Saxoniæ ducis filiæ Gerbergæ conjugio [143] nimium felix, in nimiam præ insolentia temeritatem præceps ferebatur; in disciplina militari ex audatia nimius, adeo ut quodcumque inevincibile, appetere non metueret; corpore mediocri et denso, duroque membrorum robore, cervice inflexibili, oculis infestis atque inquietis, sicque mobilibus ut eorum color nemini ad plenum innotuerit; pedibus omnino inpatientibus; mente levi. Oratio ejus, ambigua ratione consistens, interrogatio fallens, responsio anceps; orationis partes, raro dilucidæ sibi cohærebant; suis adeo profusus, aliena enormiter sitiens; majoribus ac sibi æqualibus coram favens, occulte vero invidens; rerum confusione ac mutua dissidentium insectatione plurimum gaudens.

36. Talis itaque in regem nimia animositate ferebatur. Meditabatur quoque regis abjectionem admodum, ac plurimum id pertractabat apud eos qui in Belgica potiores videbantur, non quidem Rotberto, sed sibi regnum affectans; sua quoque principibus pene omnia distribuens. Et majores quidem prædiis et ædibus egregiis inclite donabat, mediocres autem auri et argenti talentis efficaciter illiciebat. Fit itaque multorum ex Belgica cum eo consensus. Sed hoc satis improvide ac inconsulte. Nam licet ob magna beneficia comparatos sibi attraxisset, non tamen ex jurejurando ad patrandum facinus sibi annexuit. Leviter ergo attracti, leviter post dissociati fuere.

37. Nam cum Karolus hoc audito a Celtica cum exercitu rediret, Belgisque bellum inferre pararet, Belgæ mox non in aperto cum Gisleberto resistere nisi sunt, sed oppidis ac municipiis [144] sese recludunt. Rex vero singulis qui ab se defecerant legatos dirigit, per quos significabat sese regali atque solemni donatione largiturum quicquid eis ab Gisleberto prædiorum et ædium collatum est, sese quoque contra Gislebertum pro eis certaturum, si is eis ex collatis beneficiis quicquam repetere velit. Quo capti, mox jure sacramenti ad regem redeunt, habitisque rationibus quicquid beneficiorum ab Gisleberto eis collatum fuit, regali largitate firmissime unicuique donatur. Unde et a Gisleberto recedentes, regi constantissime resociantur, ac cum eo in Gislebertum feruntur.

38. Gislebertus vero in oppido Harbūre (74), quod hinc Mosa et inde Gullo fluviis vallatur, a fronte vero immani hiatu, multoque horrore veprium defensum est, cum paucis claudebatur. Huc rex cum exercitu properat, locatque obsidionem, hinc et inde navalem, a fronte vero equestrem. In cujus expugnatione cum persisteret, Gislebertus [145] navali fuga dilabitur. Oppidani vero capti, in regis deveniunt jussionem. Gislebertus autem cum duobus clientulis, paterna hereditate privatus, Rhenum exulaturus pertransit. Ibique per annos aliquot apud Heinricum socerum deceptus exulat. Evoluto autem aliquot annorum tempore, Heinricus apud regem suasorie agit, ut Gislebertus revocaretur, ac in regis gratiam resumeretur, ea vero rerum conditione, ut regis sententia ex collatis beneficiis intemerata, Gislebertus ea tantum regali clementia reciperet, quorum possessores per tot sui exilii tempora jam obierant.

39. (922.) Ab exilio itaque revocatus, regis gratiam per Heinricum meretur, ea tamen ut dictum est conditione, ut a beneficiis quæ insolenter diduxerat, quandiu possessores viverent careat; ea vero quorum possessores per annos aliquot obierant, regis miseratione repetat. Recipit itaque quæ a defunctis quidem derelicta vacabant, maximam suarum rerum partem, Trajectum, Juppilam, Harstalium, Marsnam, Littam (75), Capræmontem. Quibus habitis, Karolus rex in Celticam redit, Nortmannis qui extremos Galliarum fines locis maritimis infestabant, copias inferre parans. Heinrico vero trans Rhenum contra Sarmatas profecto, Gislebertus per suos immaniter vexabat et aterebat eos qui ab rege sua data obtinebant. Alios clandestina invasione enecans, alios incessanter ut sua relinquant adurgens, tandem evincit, suisque omnibus potitur, truculentius exinde in regem machinans. Socerum itaque adit, eique ab rege dissuadet, Celticam solam regi posse sufficere asserens, Belgicam vero atque Germaniam rege alio plurimum indigere. Unde et, ut ipse in regnum coronari non abnueret, multis suasionibus permovebat. Heinricus vero cum nefanda eum suadere adverteret, dictis suadentis admodum restitit, et ut quiesceret ab illicitis, multis amplificationibus agitabat.

40. Et Gislebertus quidem cum apud socerum non proficeret, ut [146] regnum sibi [146] parare posset [146], in Celticam secedit ac transit in Neustriam; sicque cum Rotberto duce de eodem negotio consilium confert, suadens ei de regni susceptione, ac Karoli abjectione. Exultat tirannus, et tirrano absque mora favet. Deliberant itaque ambo, et post pro [147] perpetrandis fidem sacramento [148] confirmant [149].

VARIÆ LECTIONES.

[143] matrimonio 1. [144] munitionibus 1. [145] G. clam per murum dilapsus fluvium enatando transmeavit, et cum duobus clientibus Rhenum exulaturus pertransiens, annis aliquot apud socerum suum Heinricum patrimonio privatus exulavit. Oppidani autem absque duce relicti, se subdiderant regi. *Ekkeh. Ur.* [146] u, sib, p *ex conject.* [147] ex 1. [148] sacramentis 1. [149] c. Et post

NOTÆ.

(74) Hodie vicus *Geul* in loco indicato, in dextra Mosæ, ubi *Geul* (Gulia SS. I. 605) eam influit, infra Trajectum, situs est.

(75) Cf. Gerbergæ reginæ donationem pro S. Remigio Remensi a 968. Febr. 12. Bouquet IX, 666.

41. Tempore vero constituto, cum rex Tungros redisset, ibique privatus resideret, urbem Suessonicam Rotbertus ingreditur. Apud quem ex tota Celtica primates collecti, qua ratione regem abjiciant, constantissime consultant. Nec defuit Gislebertus ab Belgica, qui mox absque deliberatione Rotbertum regem creandum perstrepebat. Communi ergo omnium qui aderant decreto, Rotbertus eligitur (*Jun.* 29); ac multo ambitionis elatu Remos deductus in basilica sancti Remigii rex creatur. A cujus coronatione peracto triduo, Heriveus Remorum metropolitanus diutina egritudine vexatus, interiit (*Jun.* 2). Qui si eodem tempore valuisset, tanto facinori oportunitas non patuisset. Cui etiam mox succedit donatus ab Rotberto [180] Seulfus, qui tunc urbis ejusdem officio fungebatur [181] archidiaconatus; vir strenuus [182] multaque rerum scientia inclitus.

42. (923.) Interea Karolus a Gallis præter paucissimos Belgarum [183] desertum sese comperiens, apud præcipuos eorum qui a se non defecerant, plurimam de suo infortunio agitabat querelam. Miseriorem sese inquiens si hac urgeatur calamitate, quam si oculos claudat suprema morte, cum illa dolores augescant, ista demantur [184]. Carius quoque sibi ferro occidi, quam regno a pervasore privari. Post regni enim privationem, solummodo superesse in exilium deportationem. In quo etiam ab iis quos summo semper habuit amore, apud quos diutius conversatus sit, quibus quoque nihil umquam mali molitus fuerit, debere sese suffragia accipere memorabat.

43. Ad hæc sui: « Pernitiosum, est inquiunt, o rex juratis a domino deficere, scelleratissimum vero contra dominum stare. Si de desertore ac transfugis agitur, horumque nominum si advertatur interpretatio, quicquid moliti sunt, præter jus est et equum. Unde et sine dubio si pugnæ necessitas eos adurgeat, divinitatis ultionem non evadent. Id vero certissime noveris, nullo modo regnum a te repetendum, nisi bello ipsum aggrediaris tirannum. Regnum ereptum non irrumpes nisi ferro viam violenter aperias. Et quia jam nunc res pugnam suadet, sacramento fides adhibenda est, ut nobis juratis, res in ambiguo non sit. Dein saltem quinquaginta eligendi sunt, qui certissime tirannum appetant, vimque ei inferant, ut cum belli violentia alios in alios exagitaverit, isti tiranno tantum laborent, inventumque transfigant. Quid enim proderit omnes interfici, et malorum causam reservari? » Et decreto communi in Rotbertum conjurant.

44. Mox quoque et regio jussu accersiuntur ex Belgica, quicumque ab rege non defecisse videbantur. Quorum collectorum numerus, ut fertur, vix in decem [185] milibus putabatur. Et tamen in quantum perspici valuit, nullus militiæ [186] ineptus admissus est. Omnes corpore valentes, et non inertes pugnæ. Omnes quoque in tirannum unanimes. His rex circumseptus, per Condrucium Hasbaniumque procedit in hostem. Ereptumque regnum irrumpens, sedem regiam Atiniacum pridem suam ingreditur. Ibique aliquantisper reparato exercitu, in adversarium fertur [187].

45. Factus vero tiranno proprior, exercitum ad congressum ordinat, sex milia robustorum præmittens. Quibus etiam virum consularem [188] (76) nomine Fulbertum ducem constituit (*Jun.* 15). Se ipsum vero quatuor [189] milibus circumseptum, labentibus primis subventurum deputat. Postquam autem per singulas legiones discurrens, præcipuos quosque [190] multum diuque ad vim belli hortatus est, instructos ordines plurimis suasionibus incitans, ad locum ubi congrediendum erat, deducit. Axonam vero fluvium transmeans, ad urbem Suessonicam tendit. Ibi etenim tirannus copias collegerat. Cujus quoque exercitus in viginti milibus consistebat. Cum ergo Karolus rex bello prudentia intenderet, instinctu episcoporum aliorumque religiosorum virorum qui sibi assistebant actum est, ut ipse rex bellum non ingrederetur, ne forte in rerum confusione regalis stirps eo lapso consumeretur. Id etiam duces et milites coegerunt. Ab omnibus ergo coactus, quatuor [191]

VARIÆ LECTIONES.

hæc Gislebertus in Belgicam redit muncipia militibus copiis sufficientibus implens, in regem omnia ordinans; sicubi rudera aditum faciebant, firmioribus claustris reædificans. Ratus vero milites a sese deficere posse, si jurejurando sibi eos non annecteret, fidem ab omnibus eorum jurejurando sed et obsides quos vult accipit, eosque in oppido Harburc quod pene inexpugnabile videbatur deputatos recludit, in regem omnia palam ordinans. [His rex permotus *delet.*] Nec minus [ea socero *del.*] id optinuit, ut quæcumque ipse in regem machinaretur, ea socero injuriæ non essent, maxime ob id quod Sarmatarum infestatione ipse admodum pressus, alienis negotiis utiliter interesse non posset. His ergo rex in Celtica permotus, Belgicam impetit. At Gislebertus utpote qui fidem abruperat, ad regem non solum venire contempsit, verum pecuniis atque rerum pollicitationibus ab rege quoscumque poterat subtrahebat. Et rex quidem cum patienter hæc ad tempus toleranda non ignoraret, Tungris cum iis qui secum ex Celtica advenerant absque tumultu residebat; lenius fieri asserens quicquid per pacientiam toleratur: ad odium quoque sese esse hostium recognoscens, cum a Rotberto hinc in Celtica, ab Gisleberto vero inde in Belgica urgeretur. Et Rotbertus quidem de regis abjectione suique provectione adeo laborabat, idque apud principes sic obtinuit, ut contra regem cum eo fere omnes crudelissime conjurarent. Et tempore *deleta.* [180] rege 1. [181] ebatur *ex conject.* [182] liberalis ac st. 1. [183] Vix etiam spem aliquam sibi relictam cum a tiranno totum pervasum sit. potestas dominandi et libertas habendi 1. [184] demantur. Belgarum magnates 1. [185] quinque *corr.* VI. *corr.* X. *codex.* [186] pugnæ 1. [187] f. Axonam vero fluvium transmeans in urbem Suessonicam tendit. ibi etenim tirannus exercitum collegerat *postea deleta.* [188] u. c. *codex.* [189] duobus 1. [190] quosque de militia et famæ gloria. priorumque nobilitate. et filiorum utilitate multum d. h. est 1. [191] duobus 1.

NOTÆ.

(76) Id est comitem; v. infra c. 46.

milibus quibus ipse circumseptus incendebat, virum consularem [162] Hagraldum præficit. Hortatur vero plurimum, ut Dei tantum auxilium implorent; nihil eis metuendum, nihil de victoria diffidendum memorans. Regni quoque pervasorem [163] vix uno momento duraturum asserebat : « Cum inquiens Deus hujusmodi abhominetur, et apud eum nullus superbiæ locus sit, quomodo stabit quem ipse non munit? quomodo resurget, quem ipse præcipitat [164]? » Et post hæc cum episcopis virisque religiosis qui aderant, montem loco oppositum conscendit, ubi etiam est basilica beatæ Genovefæ virginis dedicata, eventum belli inde experturus. Interea junctim procedit exercitus et magnanimus gradive in hostem accelerat. Procedit quoque tirannus, animo non impar, at legionibus potior.

46. *Bellum inter Karolum et Rotbertum, ejusque fuga.* — Quibus utrimque visis comminus, cum maximo clamore utrique exercitus signis infestis concurrunt. Congressique innumeri hinc inde corruunt. Et Rotbertus quidem rex cum in certamine ignotus esset, et hinc inde feriendo toto campo fureret, a conjuratis conspectus, an ipse esset interrogatur. At ille intrepidus, mox barbam obvelatam detegit [165], seseque esse monstrat [166], multa vi in Fulbertum comitem ferrum vibrans. Ille vero lœtali ictu accepto [167], ab eo in dextram obliquatur. Et sic per loricæ manicam lancea eum in latere gravissimo ictu sauciat, necnon et per epar atque pulmonem et sinistri lateris ypocundriam ferrum usque in clipeum transigit [168], et circumseptus ab aliis, septem lanceis confossus præcipitatus corruit, diriguitque; multoque Fulbertus mox exhaustus sanguine et intercertans, mortuus cecidit. Interempto vero Rotberto, tanta vi cædis uterque deseviit exercitus, ut in parte ejus [169] undecim milia, in parte vero Karoli septem milia centum duodeviginti a Flodoardo presbitero ferro interiisse descriptum sit (77). Et jam quidem Karoli victoria videbatur, eo quod tiranno occiso, qui illius fuerant in fugam ferebantur; cum ecce Hugo Rotberti filius vix adhuc pubescens in prælium ab Heriberto deducitur, succurritque labentibus. Et licet cum copiis advenerit, tamen utpote qui patre [170], amisso omnes suspectos habebat, nullooue duce fretus erat, a belli violentia quievit. Illud tantum memorabile fuisse refertur [171], quod nullo resistente locum belli occupavit, et aliquantisper in eo stetit, acsi manubias hostium direpturus. Unde et sibi victor videbatur [172]. Karolus vero ob necem tiranni victoria potiri sese putabat. Quapropter et anceps victoria fuit, cum Celtæ [173] desertores regem extinctum amiserint, Karolus vero nihil spoliorum attigerit. Neutrum [174] illorum spolia diripuisse [175] contigit [176]. Cujus rei oportunitas [177] cum Karolo [178] non defuisset, [179] nulla tamen [180] ductus cupiditate [181] rem penitus [182] vitavit. Nam transfugis [183] plurimum diffidens, utpote qui maximam exercitus partem amiserat, mox iter sine spoliis in Belgicam [184] retorsit, post [185] truculentius redire disponens (922). Hac tempestate terræ motus in pago Camaracensi factus est, ex quo domus nonnullæ subversæ sunt. Unde et rerum calamitas adverti potuit, cum regni princeps præter jus captus, et in carcerem usque in diem vitæ suæ supremum detrusus sit. Nam cum rem militarem disponeret, et exercitum copiosiorem Galliis inferre pararet, Gallisque inde timor multus incuteretur, mitiore animo ferebantur. Quod Karolus rex subintelligens, per legatos revocare eos nitebatur, multisque rationibus eis id suadere querebat. Nortmannis quoque usque ad effectum suasit, adeo ut regi fidem spondere, eique ut juberet militare vellent. Qui cum regi militaturi occurrere pararent, a Gallis intercurrentibus inhibiti sunt. Unde et eorum suppetiis rex privatus est.

47. *Rodulfi* [186] *regis promotio* [187] *ac Karoli* [188] *captio.* — Galli a pertinatia nullatenus quiescentes, Rodulfum Richardi Burgundionis filium accitum, apud urbem Suessonicam, eo licet satis reclamante, regem sibi præfecerunt (*Jul.* 13), virum strenuum, ac litteris liberalibus non mediocriter instructum. Quod Heribertus tantorum malorum incentor sese velle dissimulans, Karolum regem per legatos accersit, tantis flagiciis se reniti voluisse mandans, sed conjuratorum a multitudine vehementissime suppressum; tunc nullum consilii locum patuisse, nunc vero remedii partem optimam sese repperisse. Unde et maturius accedat, quo ei ipse obvenire valeat; cum paucis tamen, ne si cum multis adveniant, dissidentium animositate in bellum cogantur. Et pro itineris securitate si sibi placeat, ab ipsis legatis jurisjurandi fidem accipiat. Rex horum credulus, ab legatis jusjurandum pro fide accepit, ac sine suorum deliberatione proditori obvenire non distulit. Et proditor dolos dissimulans, cum paucis æque obvenit. Datisque osculis excepti, familiaribus colloquiis cousi sunt. Et inter loquendum cohortem armatorum ad abditis evocat, regique incauto inducit. Qui multitudini reniti non valens, a cohorte captus est; aliquibus cum eo captis, quibusdam etiam in-

VARIÆ LECTIONES

[162] u. c. *codex.* [163] tirannum 1. [164] non erigit 1. [165] a lorica extraxit 1. [166] monstravit 1. [167] vero clipeo ictum excipens 1. [168] transigit. Irruunt et circumquaque conjurati. A quibus rotbertus circumseptus. septem 1. [169] rotberti 1. [170] rege 1. [171] referuntur cod. *negligentia scriptoris qui pluralem numerum in hac tantum voce et in ultima sententia non correxit.* [172] victores uidebantur *cod.* [173] galli 1. [174] m, uis, it, o, arolo, sset, men, idi *ex conjectura.* [175] ;nitu : *cod.* [176] gallis 1 [177] germaniam 1. [178] r. in Gallias t. 1. [179] i, otio, i *ex conjectura.*

NOTÆ.

(77) Hoc nec in Ann. nec in Hist. Rem. factum est.

teremptis, reliquis quoque fugatis. Ductusque Peronam, carcerali custodiæ deputatur. Germani (78) rege amisso, in diversa feruntur. Quorum alii de reditu domini elaborant, alii vero a spe dejecti, Rodulfo regi favent, nec tamen in ejus fidem penitus concedunt. Quorum priores exspectatione diutina domini libertatem opperientes, Heribertum proditorem de fidei violatione sepe convenerunt, ac inde plurimum apud male conscios conquesti sunt. Quibus persuadere non valentes, de perjurii reatu nihil ruboris incusserunt, cum ira Dei eis immineret.

48. (934.) *Exactio* [180] *pecuniæ* [180] *publicæ* [180] *piratis dandæ.* — Hæc dum agerentur, pyratæ [181] Gallias irruperunt, pecudum armentorumque abductione, multarumque opum exhaustu, cum plurimorum captivitate terram depopulantes. Quorum impetum rex dolens, suorum usus consilio exactionem pecuniæ collatitiæ fieri exactoribus indixit, quæ hostibus in pacis pacto conferretur. Et collata, ad votum commune paciscuntur, atque in sua concedunt. Rex vero licet merens ad alia se contulit. Exercitum itaque in Aquitaniam adversus ejus principem Vilelmum parat, eo quod subdi sibi contempneret. Et tempore oportuno cum exercitu super Ligerim affuit. At Wilelmus militum copiam non patiens, obruenti per legatos occurrit [182], illisque fluvio interfluente, in legatorum suasionibus dies tota consumpta est. Tandem die altera fidem utrimque pacti, a se discesserunt.

49. (925.) *Congressus* [183] *Rodulfi* [183] *regis cum piratis* [183], *eorumque fusio* [183].—Rex inde regressus, febre acuta apud urbem Senonicam corripiturQui cum die cretica convaluisset, vi recidiva rursus opprimitur. Ac de salute desperans, Remos ad sanctum Remigium sese deferri fecit. Cui dona plurima largitus, elapso mense utiliter convaluit, urbemque Suessonicam alia curaturus expetiit. Ubi cum apud principes rem publicam consuleret, legati adsistunt, qui pyratas [184] fide violata interiores Burgundiæ [185] partes irupisse asserunt; congressosque cum Manasse ac Varnero comitibus, Jozselmo atque Ansegiso episcopis, adeo defecisse, ut eorum 960 apud montem Calaum sternerentur, nonnulli capti tenerentur; reliqua vero minorum manus, lapsa profugio sit; Warnerus vero equo occiso, quo vectus ferebatur, decem vulneribus perfossus interierit. His rex motus, diem alteram in partibus deliberationis totam consumpsit. Et die tertia, edicto regio tirones ex citeriori Gallia intra dies quindecim collegit. Collectosque cum aliquot magnatibus super fluvium Sequanam adversariis inducit. At pyratæ [186] renisuri obvenientes, a Gallis in sua castra redire coacti sunt. Galli fugientes insecuti, castris ignem inmittunt, congressique vehementi conamine, victos sternunt. At alii fuga pedestri, alii profugio navali elapsi sunt, alii cum castris succensi, alii ferro ad tria milia interfecti sunt. Quos (79) vero fuga exagitavit, post collecti quodam suo oppido secus mare sito collecti sunt. Cui etiam Augæ nomen erat.

50. *Rollonis pyratæ interitus suorumque ruina.* — Quorum princeps Rollo sufficientibus copiis oppidum implens, bello sese manifeste paravit. Rex inde digressus, exercitum provocanti infert, congredi non differens. Oppidum aggressus est. Et obsidione disposita, vallum quo cingebatur, irrumpit. Atque sic tirones peribolum (80) conscendentes, adversarios pervadunt. Oppidoque potiti [187], mares omnes trucidant. Feminis intactis parcunt. Oppidum diruunt atque comburunt. Cujus incendiis aere densato ac denigrato, in tetra caligine nonnulli evadentes, fluitimam [188] quandam occupant insulam. Quos sine dilatione exercitus aggressus appetit, ac navali pugna victos opprimit. Piratæ vitæ spem amittentes, alii sese fluctibus immergunt ac enecantur, alii enatantes ab observatoribus jugulati sunt, alii nimia formidine tacti telis propriis sese appetunt. Et sic omnibus ademptis prædaque direpta non modica, rex Belvacum rediit, ibique resedit.

51. (926.) *Item piratarum* [189] *interitus* [189]. — Inde audito Atrabatensium regionem a piratis aliis vexari, assumpto exercitu ab his qui loca maritima incolebant, repentinus in eos fertur. Piratæ comminus congredi non ferentes, ab exercitu cedere coacti sunt. Ac coartati, saltu quodam vitam tueri nitebantur. At exercitus circumquaque eos obsidens, adeo urgebat. Illi vero noctu eruptione facta, in castra regis feruntur. Et circumvallante exercitu penitus inclusi, miserabili fortunæ succubuere. Octo namque eorum milia (81), ibi cesa referuntur. Quo tumultu rex inter humeros [190] sauciatus, Hildegaudus vero, clarissimi generis comes, interemptus est; aliique nonnulli nec tamen aliquo nomine clari. Rex victoria potitus, Laudunum rediit.

52. (927.) *Lunæ defectio* [191]. — Tunc etiam luna quartadecima terræ objectu obscurata, visibus intuentium defecit. Acies quoque ignæ Remis in celo visæ sunt. Quibus præsagientibus signis, febrium ac tussicularum morbus e vestigio irrepsit. Unde nonnulli lœtaliter affecti, occubuere. Cum his quoque et

VARIÆ LECTIONES.

[180] E, c. c *ex conject.* [181] nortmanni 1. [182] o. dolose tamen 1. [183] Co, R, r, f *ex conject.* [184] nortmannos 1. [185] galliarum 1. [186] nortmanni 1. [187] p. Rollonem oculis effossis suggillant *hæc jam, linea subducta, deleta sunt.* [188] *vox repetitur fol.* 13. [189] ira, inte *ex conject.* [190] rex a tergo sauciatus 1. [191] de, io, *ex conject.*

NOTÆ.

(78) l. *e.* Belgæ.

(79) Superiora a narratione Flodoardi valde diversa, nec quæ hic narrantur eidem congruere, lector animadvertet.

(80) Murum esse, Flodoardus ostendit.

(81) Mille et centum *Flodoardus.*

litium tumultuatio inter regem ac Heribertum qui Karolum sub custodia detinebat, non modica subsecuta atque exagitata [193] est, eo quod Heribertus ab rege nimia expetebat, rex vero utpote insatiabili, nihil accommodabat.

53. *Karolus* [193] *liberatur* [193] *ab Heriberto* [193]. — Regi ergo minas Heribertus intendens, Karolum regem a carcere eductum in pagum Veromandensem deduxit, non ut regno fidelis eum restitueret, at ut ex ejus eductione aliquam suspectis formidinem inculeret. Nortmannis itaque accersitis atque apud oppidum Augam collectis, eum [194] deducit; ibique filius Rollonis pyratæ, de cujus interfectione jam relatum est, regis manibus sese militaturum committit, fidemque spondet, ac sacramento firmat.

54. (928.) *Sententia* [195] *papæ in* [195] *Rodulfum* [195] *petita ab Heriberto* [195] *rejecta* [195]. — Exinde Heribertus Rodulfo regi invidens, admodum insidiabatur. Unde et cum Karolo Remos devenicns, pro eo Romam legatos dirigit, ac Johanni papæ epistolam mittit, per quam significabat, contra Karolum nec sese conjurasse, nec conjurationis conscium fuisse, conjuratis tantum invitum cessisse. Unde et se velle plurimum, ut Karolus regno restituatur, qui innocens sine causa abjectus sit. Nec solum se in hac esse sententia, at optimorum quosque [196] præter hos qui donis multiplicibus corrupti sint [197]. Quapropter et ipse auctoritate apostolica regno restitui regem abjectum jubeat; quicumque ejus præcepto refragari nisus fuerit, anathemate perpetuæ maledictionis condempnet; ac pro hac re episcopis atque principibus Galliarum et Germaniæ epistolam dirigat, continentem et bonorum benedictionem, et contradictorum maledictionem. Legati ergo Romam properant negotium [198] peracturi, sed consumpto itineris labore, nihil mandatorum peragunt. Namque a præfecto captus papa, eo quod a se plurimum dissideret, ab eo carcerali custodia detinebatur. Unde et sine legationis effectu digressi, in Gallias remearunt. Heribertus vero ad alia sese conferens, apud Hugonem [199] Rotberti filium de fide inter sese habenda adeo satagebat. Quem et suasionibus efficaciter allicuit, ac fide pacti sibi annexuit. Hugonis itaque efficatia persuasus, ad Rodulfum redit, eique reconciliatus aliquandiu hesit. Cujus in multa gratia susceptus, ut se fidelitatis exsecutorem monstraret, Karolum mox Peronæ in carcerem retrusit.

55. *Heribertus* [200] *a rege* [200] *Remense* [200] *episcopium accepit* [200]. — Unde et ab rege donari petens, episcopium Remense sub optentu filii sui adhuc pueri ab eo accepit. Nam et tunc hac vita divæ [201] memoriæ Seulfus metropolitanus decesserat. At quia ætas tenerior puerum sacris officiis prohibebat, Odelrico cuidam, ab Aquensi episcopio pyratarum insectatione pulso, pro eo ministrare concessum est. Cui etiam abbatiam sancti Timothei martiris ad usus proprios attribuit, et insuper canonicorum victum simul impertivit. Rodulfus interea rex quanta foret æquitas suæ vitæ demonstrare cupiens, ad Karolum ubi servabatur accessit. Apud quem multa de ejus miseriis conquestus, sermoni multiplici si offenderat suppliciter veniam postulabat. Et quoniam suscepti regiminis apicem penitus amittere non valebat, quod ratio conferebat ei restitui, sedes videlicet regias hoc est Attiniacum et Pontionem; sicque Suessionum remeavit.

56. *Karoli obitus.* — Karolus post hæc tedio et angore deficiens, in machronosiam decidit. Humoribusque noxiis vexatus, post multum languorem vita privatus est (929, *Oct.* 7). Rodulfus vero rex, pyratas Galliam Aquitanicam irrupisse per legatos comperiens, eamque hostiliter debacchantes infestasse, vim inferre cogitabat.

57. *Regis* [202] *ac pyratarum* [202] *conflictio* [202], *eorumque fusio* [202]. — Edicto ergo regio omnibus qui de militari ordine valebant, accitis ex Gallia Celtica, cum multis Belgarum, duodecim cohortes ordinat. Cum quibus iter arripiens, usque Lemovicas procedit. Ibique legionibus dispositis, cum pyratæ regium æquitatum non sustinentes, profugio eripi niterentur, ab Aquitanorum legione repulsi sunt. Rex vero cum cohortibus prosecutus, gravi cede pene omnes fudit, paucis fuga lapsis. Suorum vero nonnulli sauciati, ex vulnere convaluere; aliqui etiam interfecti. Itaque factum est, ut Aquitani gratias regi reddentes, multa ei benivolentia subdi voluerint, ac jure sacramenti in fidem firmissimam concesserint. Quibus utiliter patratis, rex exercitum reduxit, procinctumque solvit.

58. *Heriberti et* [203] *Hugonis dissensio.* — Dum hæc gererentur, inter Hugonem [203] et Heribertum de prælaturæ dignitate lites agitantur. Efferatique sese prædis et incendiis graviter afficiunt. Rex in Heribertum indignans, eo quod perfidiæ promtum esse cognosceret, Hugonis [203] partibus [203] stabat [203] unde [203] et Heriberti [203] oppidum [206] Donincum nomine, Hugone ascito aggressus expugnat, ac captum diruit. Nec minus et Atrabatum obsidione adhibita cepit, civesque victos, ac juratos sibi annexuit. Rex inde digressus (931), cum quietum sese arbitraretur, Heribertus Germanis qui Rheni litora incolunt eductis, in regem fertur, ac execrabili furore incendia rapinasque exercuit. Insuper et Hugonis oppidum quod secus torrentem Vitulam situm Braina dicitur, occupat, capit, ac diruit.

59. *Heriberti præparatio* [207] *contra* [207] *regem.* —

VARIÆ LECTIONES.

[193] modica exorta est 1. [193] rolus, eratur ab, berto *ex conject.* [194] Karolum 1. [195] nten, papæ in, dulfum, Heriberto reje *ex conject.* [196] nonnullos 1. [197] st *codex.* [198] negiu *deletum.* [199] Il. *codex.* [200] Her, a r, me.se acc *ex conject.* [201] piæ 1. d. 2. [202] R, pyra, flic, que f *ex conject.* [203] Heriberti et *ex conject.* [206] Hem *cod.* [203] Hugonis, pa, stab, un, lle *ex conject.* [206] castrum 1. [207] Heriberti præpa, contra *ex conject.*

Hujus vero contumeliæ causam rex se constituisse intelligens, ejus potentiam minuere quærebat. Remensibus ergo civibus legatos mittit, ac ut pontificem eligant præcipit. Quod etiam ni faciant, alium præter eorum velle, eis sese impositurum mandat. At cives, regiæ legationis mandatum excipientes, quid ipsi inde velint ac sentiant, per suos legatos referunt; sese videlicet regio jussu Heriberti filium licet adhuc puerum suscepisse, atque pontificem elegisse, inde etiam fidem ei jam factam accommodasse; quapropter inpossibile esse, ut fide inviolata, ab eo sic deficere possint. Rex partibus Heriberti cives favere intelligens, collecto exercitu, urbem repentinus aggreditur. Ingredique prohibitus, obsidionem applicat, ac urbanos resistentes fervidus adurget. Qui multa expugnatione vexati, tercia tandem ebdomada portas victi et supplices aperuere.

60. *Oratio Rodulfi regis ad* [208] *cives Remenses* [208] *pro se suasoria* [209]. — Ingressusque urbem rex, post nonnulla disposita, collato cum suis consilio cives accersit [209]. Coramque sic contionatus ait : « Quantum inquiens cædis, quantum etiam rapinarum, res publica [210] factione malorum nuper passa sit, optime ut puto nostis. Non enim fieri potuit, ut tot malis ubique grassantibus, intacti penitusque immunes relinqueremini. Nam cum vestra necessaria sepe direpta, sepe combusta sint, eorum calamitatem tolerastis. Et non solum publica exterius, at hic privata bona intrinsecus a sevissimo exactore Heriberto, cotidie imminuuntur. Unde et vobis consulendum arbitror, ut pastorem vobis commodum conibentia communi eligatis, cum ille tiranni filius adhuc infantulus, vobis idoneus non sit, ac canonica auctoritas vacare æcclesiam pastore tanto tempore non permittat. Nec dedecoris quicquam in vos redundabit, cum militari violentia victos et captos, alia sequi necessitas vos adurgeat. Nec vos fateor tantum, quantum ego in hoc negotio oberravi. Itaque fecisse me penitet. Peniteat et vos vestrarum rerum dispendium peregisse. Reducite in mentem, quanta vos calamitas affecerit. Considerate etiam, quanto secundarum rerum successu provehi possitis, si bono pastore regamini. »

61. *Electio Artoldi* [211]. — Cives ab rege suasi, jussis regiis concedunt. Artoldus itaque monachus rege jubente ex cœnobio sancti Remigii omnium consensu mox assumptus, per impositionem manuum episcoporum tempore constituto regali donatione consecratur episcopus. Qui prudenter ac strenue omnia gerens, satis suis profuit, atque ex bene factis, omnium et maxime suorum benivolentiam habuit.

62. *Captio Bovonis* [212] *Catalaunici* [212] *episcopi Laudunique* [212] *castri* [212]. — Quæ dum gererentur, Bovo Catalaunensium episcopus, fortuita peragratione a regiis stipatoribus captus, eoquod et ipse desertor ab rege defecerat, regi oblatus est. Qui apud regem, prodentibus sui facti consciis, convictus [213], ergastulo mancipatur. Quo peracto, a pernicie Heriberti non desistens, Hugone ascito, cum octo milibus Laudunum appetit. Ubi cum Heribertus multa obsidione urgeretur, egrediendi locum ab rege postulat, eo quod copias militum ciborumque sufficientes non haberet. Quo ab rege obtento, cum suis ab urbe exivit; uxorem in arce quam exstruxerat relinquens, cum copiis sese subventurum in proximo ratus. Rex vacuam urbem ingressus, dolosque penitus advertens, arcem diuturna expugnatione vexat, eamque circumquaque vallat, ac omnem egrediendi aditum obcludit; pugnam diutina congressione adhibens. At tanto certamine vires resistentium impares, armis depositis cedunt, ac pro vita supplicant. Tiranni vero uxor simul victa, pro se petitura, ad regem cum suis properat, arcem reddens, ac egrediendi tantum locum petens. Rex vero feminam retinere dedignans, cum suis digredi permisit, ac arcem exinde cum urbe obtinuit.

63. (932.) *Interfectio* [214] *Adelelmi comitis* [214] *a quodam clerico* [214] *episcopium Noviomense* [214] *expetente* [214] *seducto* [214]. — Ubi postquam urbi tuendæ necessaria ordinavit [213], de episcopio etiam Noviomensi cui esset dandum deliberabat, cum tunc Ayrardus episcopus obisset. Nam Walbertus Corbeiensium abbas ei succedere petebatur, vir strenuus ac liberalis, et cui totius honesti decus admodum placuit. Nec minus et prædictæ urbis quidam clericus, ab rege sese fieri successorem postulabat, vir barbarus, manu atque audatia nimius, et cui solitum erat rerum alienarum surreptionibus lætari. Hic ab rege civibusque abjectus, cor ad dolos convertit. Adelelmum itaque Atrabatensium comitem, cujus casus memorem multis incussit, seducturus petit, ejus auxilium suppliciter petens, ac suum [216] pollicens; sese ab rege contemptum penitus supprimens : « Si inquit per te episcopatus dignitate potiar, per me efficaciter comitatus honorem consequeris. Quod etiam sic fieri valebit, si nocturnus urbis muros conscendas, et me interius procurante, tuos introducas. Ego etiam cum pluribus adero. Collectique in agmine, urbem pervademus. Itaque fiet, ut cives aut capiamus, aut propulsemus. » Horum Adelelmus credulus, dictis suadentis favet. Scelus ergo attemptaturus, urbem nocturnus cum ingentibus copiis petit. Clericus nulli in urbe male credulus, facinus patrandum in loco opperiebatur. Quo Adelelmus accedens, ab eo cum suis exceptus est. Densatique in unum tubis ac clamore, atque armorum strepitu, in noctis caligine urbem exturbant. Unde cives excitati, cum sese dolo pervasos advertissent, fuga ab hostibus erepti sunt. Nullus captus, eo quod hostes

VARIÆ LECTIONES.

[208] d, ses, ria *ex conject.* [209] evocat l. [210] r. p. *cod.* [211] i *absc.* [212] Bo, uni, Lau, castri *ex conject.* [213] c. rationabiliter convictus l. [214] etio, comi, cleri, vio, peten, to *ex conject.* [213] Ubi cum rex urbi tuendæ necessaria ordinaret. ac inprædicti tiranni labem alia apud Hugonem disponeret. ac de episcopio e. N. c. e. d. deliberaret, etc. l. [216] p. illi etiam s. p. l.

in unum juncti, per urbem dispergi formidaverint. Unde et omnibus profugium patuit. Cives itaque abducti, a vicinis arma ac reliquas suppecias accipiunt, et die quinta magnanimes in urbem feruntur. Suburbani etiam feliciter subveniunt. Pugnam ergo promptissime adhibent. Adelelmus vero clericusque cum suis, acerrime renituntur. At vulgus qui in urbe remanserat, eisque fidem sacramento fecerat, fidem abrumpit, ac a tergo duriter eos cedit. Facti autem hostium medii, in æcclesiam fugere coacti sunt. Urbani vero ab interioribus recepti, Adelelmum ac clericum persequi non desistebant. Portisque æcclesiæ concisis, hostes appetunt, ac secus altare utrosque cum pluribus aliis crudeliter trucidaverunt. Urbemque possidentes, sua recepere. Quibus patratis, ac legali repurgio æcclesia emundata, Walbertus Corbeiensis monachus et abbas, ab rege donatus, per metropolitanum Artoldum Noviomensium consecratur episcopus.

64. *Aquitaniæ* [217] *atque Vasconiæ* [217] *principes* [217] *regi Rotberto militaturi* [217] *occurrunt* [217]. — Interea Gothorum principes Ragenmundus et Ermingaudus super Ligerim fluvium regi obvenienti militatum occurrunt, ejusque manibus suas inserunt. Militiam spondent, ac inde fidem prout rex jubet concedunt. Rex inde digressus, in Aquitaniæ exteriora se contulit. Quo etiam et Lupus Acinarius Vasco, qui equum ferebatur habere annorum plus quam centum et adhuc toto corpore validissimum, regi militaturus occurrit, ac provinciæ procuratione reddita, rex liberaliter reddidit, atque a se principari concessit.

65. (934.) *Turma malorum* [218] *prodigia.* — Hac quoque tempestate, igneæ Remis in cælo acies visæ, et flammæ sanguineæ, quasi jacula aut serpentes, discurrere. Mox quoque subiit [219] et pestis, papulis erysipilatis innumeros enecans. Nec multo post et regis defectus subsecutus. Nam cum autumnali tempore melancolia in patientibus redundaret, cacocexia, quod Latini malam corporis habitudinem dicunt, toto autumno detentus est (935). Victusque humoris superfluitate, defecit, hominemque exivit (936, *Jan.* 14 [82]). In basilica sanctæ Columbæ virginis apud Senonas multa amicorum attritione, suorumque obsequio tumulatur. De regni amministratione nihil disposuit; at primatibus eam reliquit, eo quod filios non habuerit, qui regnorum rerum potirentur.

VARIÆ LECTIONES.

[217] Aquitaniæ, co, pe, m, oc *ex conject.* [218] lo *abscis.* [219] subsecutaest 1.

NOTÆ.

(82) Cf. Ann. S. Columbæ. SS. I. 105.

LIBER SECUNDUS.

1. *Gallorum* [220] *deliberatio* [220] *de rege* [220] *creando* [220]. — Post cujus exequias, principes in diversa ducebantur, finemque petebant varium. Galli namque Celtæ cum Aquitanis, Hugonem Rotberti regis filium, Belgæ vero Ludovicum Karoli sequebantur. Quorum neutri commoditas aderat regnandi, cum Hugo patrem ob insolentiam periisse reminiscebatur, et ob hoc regnare formidaret, et Ludovicus in partibus Anglicæ moraretur, eo quod illuc delatus infans ad avunculum Adelstanum regem fuerit, ob Hugonis et Heriberti insectationem, eo quod ipsi patrem ejus comprehendissent, ac carceri trusissent. Galli itaque in regis promotione liberiores videri laborantes, sub Hugone duce deliberaturi de rege creando collecti sunt.

2. *Oratio Hugonis* [221] *ducis* [221] *ad Gallos* [221] *pro Ludovico* [221]. — Quorum medius dux post multam consultationem ad multam benivolentiam animum intendens, sic prælocutus ait : « Karolo rege miserabili fortuna defuncto, sive id eo promerente, sive nostris flagiciis ipsa Divinitate indignante, si quid a patribus et nobis ipsis admissum est, quo Divinitatis majestas læsa sit, multo conatu imprimis id erit abolendum, atque ab oculis amovendum. Discordiarum itaque molimina absint, et communi omnium conibentia de præferendo principe deliberemus. Pater meus vestra quondam omnium voluntate rex creatus, non sine magno regnavit facinore, cum is cui soli jura regnandi debebantur, viveret, et vivens carcere clauderetur. Quod credite Deo non acceptum fuisse. Unde et absit, ut ego patris loco restituar. Nec vero alieni generis quemquam post divæ memoriæ [222] Rodulfum arbitror promovendum, cum ejus tempore visum sit, quid nunc innasci possit, contemptus videlicet regis, ac per hoc principum dissensus. Repetatur ergo interrupta paululum regiæ generationis linea, ac Karoli filium Ludovicum a transmarinis partibus revocantes, regem vobis decenter create. Sicque fiet, ut et antiqua nobilitas regiæ stirpis servetur, et fautores [223] a querimoniis quiescant. Jam quod potius est sequentes, a maritimis horis [224] adolescentem revocemus. » Quibus dictis Gallorum principes mira benivolentia cedunt [224*]. Dux itaque legatos oratores trans mare ad accersiendum

VARIÆ LECTIONES.

[220] orum, rat, ge, do *ex conject.* [221] Hu, cis, os, ovico *ex conj.* [222] d. m. *codex*, *quod* dominum meum *haud esse legendum*, *caput* 3. *monstrat.* [223] multi 1. [224] *i. e.* oris. [224*] c. ac ludovicum accersiendum conclamant. *dele'a.*

Ludovicum dirigit, qui ei a duce Galliarum aliisque principibus reditum suadeant, ac de itineris securitate, fidem sacramenti jure faciant, principum adventum usque ad ipsas litoreas arenas denuntient. Qui mox digressi Morinum [228] (83) devenerunt. Cujus in portu naves ingressi, velis tumentibus prosperis, ventis, raptim ad terram devexi sunt. Adelstanus rex in urbem quæ dicitur Eurvich (84), regnorum negotia cum nepote Ludovico apud suos disponebat. Huc legati devenientes, regem adeunt, ac a duce magnatibusque Gallorum decenter salutantur.

3. *Legatio* [229] *Gallorum* [230] *ad Adelstanum* [231] *regem pro Ludovico* [232]. — Legationem etiam promulgantes : « Ducis, inquiunt, benivolentia, atque omnium qui in Galliis potiores sunt, huc per undas ignoti maris devenimus ; tanta est omnium voluntas, omniumque consensus. Divæ memoriæ [233] Rodulfo orbi subtracto, dux Ludovicum succedere procuravit, cum id multi inviti concederent, eo quod de patris captione filium adeo suspectum haberent. Attamen duci elaboranti, id ab omnibus jocundissime concessum est. Ludovico ergo omnes bene per omnia optant. Nec sibi quicquam majus aut carius est ejus salute. Illum itaque omnes reddi petunt, quem in Galliis utiliter regnare cupiunt. Tempus constitui volunt, quo regnaturo ad ipsa maris litora dux cum principibus occurrat. » Adelstanus rex ac si barbaris (85) non satis credens, ab eis fidem per sacramenta super hoc quærit, et ad votum accipit. Tempus quoque colloquii habendi statuitur. Legati ab rege munerati atque digressi, in Gallias mari remenso redeunt, ab rege gratias duci referentes, ac pro regis creandi advocatione multam ejus amicitiam pollicentes. Dux itaque cum Galliarum principibus domnum regem excepturi, Bononiam veniunt, ac secus ipsas litoreas arenas collecti, tuguriorum incendio presentiam suam [234], iis qui in altero litore erant ostendebant [235]. Ibi enim Adelstanus rex cum regio equitatu nepotem præstolantibus Gallis missurus aderat. Cujus [236] jussu domus aliquot succensæ sese advenisse trans positis demonstrabant.

4. *Hugo* [237] *et reliqui Galliarum* [238] *principes Ludovicum* [239] *ab exilio* [240] *revocant* [241] *ejusque fiunt, eumque* [242] *regem creant.* — Rex ergo Odonem episcopum [243], post (86) Canthorbricensium metropolitanum, Gallis ex adverso positis, legatum dirigit, magnæ æquitatis ac eloquentiæ virum, Ludovicum sese libenter missurum mandans, si tanto illum in Galliis honore proveant, quanto ipse a suis provectus est, cum illi etiam non minus id facere valeant ; id- A que jurejurando se acturos confirment. Quod si nolint, sese ei daturum suorum aliquod regnorum ; quo contentus et suis gaudeat, et alienis non sollicitetur. Dux cum reliquis Galliarum magnatibus id sese facturum asserit, si rex creatus a suis consiliis non absistat. Prosecutusque jurisjurandi sacramentum non abnuit. Legatus itaque rediens, regi præstolanti hæc omnia refert. Unde et secorus nepotem cum iis qui apud se potiores erant, multa insignium ambitione navibus dirigit. Velisque aura commoda turgentibus pelagus ingressi, per quietum spumantibus remis ad terram feruntur. Firmatis vero tergo arenæ navibus Ludovicus egreditur, ac ducem cum reliquis occurrentibus excipiens, jure sacramenti sibi adcopulat. Dux inde accelerans, equum insignibus regiis adornatum adducit. Quem cum ascensui aptare vellet, et ille impatiens in diversa sese tolleret, Ludovicus agili exilitione prosiliens, equo strepenti neglecta stapha repentinus insedit. Quod etiam fuit omnibus gratum, ac multæ gratulationis provocatio. Cujus arma dux suscipiens, armiger præcedebat, donec jussus [244] magnatibus Galliarum contulit. Quibus militantibus cum multa ambitione et obsequio Laudunum deductus est. Ubi etiam et regnandi jura quindennis accipiens, omnibus faventibus per domnum metropolitanum Artoldum cum episcopis 20 rex creatus est (*Jun.* 19). Inde quoque deductus, in vicinis urbibus gratulanter excipitur. Universi ei applaudunt. Omnes letantur. Tanta omnium fuit et eadem mens.

5. *Rex* [245] *cum duce Burgundiam* [246] *petit* [247], *ac urbem Lingonicam* [248] *bello repetit* [249] *capitque* [250]. — Nec minus et Burgundiam petere, ac urbes sedesque regias lustrare a duce monetur. Rex hortanti consentiens, Burgundiam duce comitante ingreditur. Ad quem urbium principes benigniter confluentes, magnifice exceperunt. Ac rogati fidem jure sacramenti dederunt. Hugo tantum Rodulfi regis frater Lingonicam urbem possidens, regi occurrere distulit, qui occurrerunt admodum iratus (87). Rex dum per aliquot ebdomadas sua lustraret, inimici invidiam advertit. Proponens itaque ante discessum nullam præterire urbem, legatos Hugoni dirigit, qui a pertinatia eum revocent, ac ei de fide sibi servanda persuadeant. Qui apud eum perorantes, nihil pacis, nihil regii honoris acceperunt. Unde et digressi, audita regi referunt. Hugo præter jus se egisse dinoscens, urbi copias deputat. Ipse in partes regni exteriores usque ad tempus secedens. Rex vero pertinaci indignans, exercitum urbi applicat, a parte qua planiciem præfert, pugnam acriter ingerens. Altera enim

B C D

VARIÆ LECTIONES.

[228] bononiam 1. [229] io, rum, anum, doulco *ex conj.* [230] D. M. *cod.* [231] s. etiam iis 1. [232] ostendebat *c.* [233] C. etiam i. 1. [234] Hu, Gal, L, ab e, ca, eumque *ex conj.* [235] ergo legatum Odonem abbatem 1. [236] i. heriberto comiti dedit ille quoque tamdiu armigeravit. donec et ipse jussus arnulfo comiti redderet. Sic quoque magnatibus 1. [237] Re, B, pe, Li, repet, ca *ex conj.*

NOTÆ.

(83) *Boulogne.*
(84) Evervich, Eboracum, *York*, archiepiscopus Cantuariæ factus est.
(85) Id est peregrinis, exteris.
(86) Anno 933.
(87) Id est iratus (Hugo) iis qui occurrerunt.

parte, latere montis educto, pene inaccessibilis est. In parte ergo quæ obsidioni aptior est, milites urbi rex cum duce adhibet. Quibus impugnantibus hostes vehementissime resistunt, telisque ac lapidibus aerem densant, atque impetentes atterunt. Non tamen usque ad effectum repulsionis perstare potuerunt. Nam regii equitatus infestationem non ferentes, a parte prærupta, quæ obsidione non premebatur, nocte egressi aufugerunt. Cives vero qui remanserunt, regi mox portas aperuere, eum cum suis absque refragatione in urbe gratulabundi excipientes. Qua rex potitus, ab ejus episcopo aliisque regni proceribus obsides accepit, atque sic cum duce Parisium iter retorsit.

6. (937.) *Rex ducis* [235] *procurationem* [236] *a se amovit* [237]. — Rex felicium rerum successu elatus, præter ducis procurationem res suas ordinari posse cogitabat. Unde et rei militaris administrationem absque eo jam disponebat. Laudunum itaque tendit, ibique matrem suam Ethgivam reginam ad urbis custodiam deputat. Ac exinde quæcumque præter ducem adoriebatur. Quod etiam fuit non minimæ [238] labis seminarium. Dux etenim regem suæ procurationis dispositionem reppulisse advertens, Heribertum comitem sibi asciscit, plurima apud eum in regis contumeliam pertractans. Amicitiam inter se e mutuam conditionibus utrimque confirmant.

7. *Heribertus castrum Teodericium dolo capit, ac proditorem in vincula conjicit.* — Heribertus itaque Walonem regis fidelem qui castro quod Theoderici dicitur præerat, in dolo adiit, ac de transfugio illum alloquitur. Nec diu moratus, decepto [237] persuadet, majora pollicens, ac plura promittens. Ille mox de pollicitis jusjurandum postulat, postulata a sese sic facturum spondens. Tirannus libenter annuit. Nec minus et transfuga juratus, tempus patrando facinori demonstrat. Immo et tiranni manibus sese exinde militaturum committit, ac ex militia fidem accommodat. Quo peracto in sua discedunt. Tempus advenit, Walo simulatis negotiis milites regios qui secum præerant in diversa, ac si regis causam facturos disponit. Ipse castro evacuato solus cum famulis reiinquitur. Nec defuit cum cohorte tirannus. Qui a transfuga susceptus, castrum ingreditur atque occupat. Intuitusque transfugam : « Putasne, inquit, tuæ curæ oppidum hoc reservandum? » captumque mox in vincula conjicit, suisque castri custodiam donat. Et nocte diei succedente, cæli pars prodigiose flammis erumpentibus in septentrione ardere visa est. Qua etiam mox prosequitur et Hungarorum per Gallias repentina persecutio. Qui nimium sævientes [238], municipia aliquot, villasque et agros depopulati sunt; basilicas quoque quamplures combusserunt; ac indempnes redire ob principum dissidentiam permissi sunt, cum magna captivorum multitudine. Rex enim copias non habens, ignominiam pertulit, et utpote a suis desertus, sevientibus cessit.

8. (938.) *Oppidum Montiniacum rex per cohortem expugnat* [239] *ejusque principem* [239] *capit.* — Quibus digressis rex ad oppidum Montiniacum cohortem mittit, quæ illud occupet, captumque diruat, eo quod Serlus quidam latrocinia exercens, illic receptui sese habebat. Cohors ergo oppidum appetens, latrones impugnat. Nec morata vi capit, comburit, ac subruit. Latronem principem comprehensum dimissis minoribus regi deducit. Qui cum jussu regio gladiatori decollandus traderetur, Artoldi Remorum metropolitani interventu gratiam ab rege obtinuit, ac sese ulterius non latrocinaturum juratus, abire permissus est. His ita gestis, rex in partes Belgicæ mari contiguas concessit, oppidum in ipso maris portu exstruere nisus. Cui etiam loco Guiso est nomen. Exceptusque ab Arnulfo regionis illius principe, apud eum de oppidi erectione agebat. Ubi dum in agendo moras faceret, castrum Remensis ecclesiæ nomine Causostem secus fluvium Matronam situm ab Artoldo præsule editum, Heribertus proditione ingreditur ac capit, Castrensesque invadens, eorum potiores abducit. Rura circumquaque depopulatur, ac ingentibus prædis oppidum implet, et eum armis milites ibi deponit, aliorsum ipse secedens.

9. *Rex Lauduni arcem capit.* — Interea regi ab metropolitano per legatos ista suggeruntur. Qui mox cœptum negotium intermittens, suo auxiliatorus regreditur. Milites colligit, ac exercitum parat. Cum quo Laudunum veniens, arcem ab Heriberto nuper ibi exstructam et a suis adhuc detentam obsidet. At qui in arce erant, rebellioni sese parant. Rex ergo circumeirca sagittarios adhibens, missilibus evincere instabat. In quo tumultu hinc inde quam plures sauciati fuere, cum non minus qui in arce erant, sagittis aliisque missilibus uterentur. Rex ergo cum finem oppugnandi viribus non fecisset, ingeniose eos capere cogitabat.

10. *Machinæ compositio* [240]. — Fecit itaque ex vehementissimis lignis compactis, machinam, instar longilateræ domus, duodecim virorum capacem, humani corporis staturæ in alto æqualem, cujus parietes de ingenti lignorum robore, tectum vero de duris ac intextis cratibus exstruxit. Cui etiam intrinsecus rotas quatuor adhibuit, unde machina ab iis qui intrinsecus laterent, usque ad arcem impelleretur. At tectum non æque stratum fuit, verum ab acumine dextra levaque dependebat, ut jactis lapidibus facilius lapsum præberet. Quæ exstructa, tironibus mox impleta est, ac ad arcem rotis mobilibus impulsa. Quam cum a superioribus hostes rupibus opprimere conarentur, a sagittariis undique dispositis, contumeliose repulsi sunt. Ad arcem itaque machina deducta, murus ex parte suffosus atque eversus est. Hostes multitudinem armatorum per hunc hiatum possibile introduci formidantes, arma

VARIÆ LECTIONES.

[235] is, ra, m, it *ex conj.* [236] fuit magnæl. 1. [237] pussilanimo 1. [238] s. ob principum dissidentiam 1. [239] at, em *abscisa.* [240] co *abscisum.*

deponunt, ac regiam clementiam implorant. Rex ergo amplius tumultuari prohibens, intactos pene comprehendit, præter hos qui in militari tumultu sauciati fuere, suosque ad urbis tutelam in arce deposuit.

11. (939.) *Dolus Arnulfi atque* [341], *oppidi Monasterioli* [341] *captio.* — Hæc dum gererentur, Arnulfus prædictus Morinorum princeps, Erluini oppidum secus mare situm Monasteriolum (88) nomine, suæ parti addere cogitans, eo quod ex navium advectationibus inde plures questus proveniant, adipiscendi insidias componebat. Dirigit itaque quosdam suorum callidos in veste abjecta, dolos dissimulans, ad quendam ejusdem oppidi custodem, quem etiam in proditione non diffidebat facillimum. Qui ingressi, eum a domino salutant, ac loquendi opportunitatem petunt. Secedunt ergo. Illi tantum esse negotium propter quod venerant simulantes, ut a quo exordiri possent, penitus ignorarent, aliquantisper herebant. Et tandem suspirantes: « Eia te, inquiunt, Rotberte! eia te Rotberte! — sic enim vocabatur — quantis malis elapsus, quantis periculis exemptus es, et quanti insuper secundarum rerum tibi debentur successus! » Et statim protulerunt duos anulos, alter aureum, alter vero ferreum. « Et vide inquiunt, quid in his perpendi valeat. » Quo quid esset ignorante, illi prosecuntur: « In auro dona egregia, in ferro vincula carceris puta. Instat etenim tempus, quo et oppidum hoc in jus alterius concedat. Tacenda hæc tuæ fidei committimus. Res vobis nesciis disposita est. Nos quoque id ipsum penitus ignoramus. At rei summam scire non negamus. Mortem loquimur aut exilium. Unde et tibi Arnulfus comes consulens, futuræ cladis calamitatem per sua indicia significavit; hortans ut ad sese transeas, et ab eo auri et argenti insignia, terrarumque copiam ac militum multitudinem accipias, cum dono regis. In manus Nortmannorum, qua arte nescimus, in proximo sitis deventuri. Et quid super his tibi visum fuerit, amico per nos respondere ne differas. » Ille cupiditate ductus, proditionem [342] addubitat. Herebat ergo stupens. Proponit sibi tandem proditionis dedecus, ea posse necessitate purgari, quod omnes oppidanos in proximo aut exulaturos aut morituros sibi innotuit. Proditionem ergo spondet, ac juratus fidem dat. Nec minus et illi de pollicitis jurant. Tempus facinori datur, ac sacramento firmatur. Legati digressi, sese persuasisse referunt.

12. *Ingressus* [343] *Arnulfi in Monasteriolum* [343]. — Arnulfus itaque militum electorum copiam colligit, facinus quæsitum patraturus. Iterque carpens cum duabus cohortibus usque [344] oppidum pene devenit. Sol jam occiderat. Proditor per portam quosdam emiserat, acsi aliqua utilia curaturos. Unde et ipse in muro stans, facem ardentissimam prætendebat, veluti famulis emissis lumen ministraturus, quo etiam luminis signo per legatos aditum significaverat. Huc Arnulfus cum equitatu irruens, per portam patentem oppidum ingressus est. Eoque potitus, Erluini uxorem cum filiis capit, ac ejus thesauros diripit. Erluinus vero habitu immutato, e medio hostium elapsus est. Arnulfus quoque omnibus pervasis, oppido suos deputat, Erluini uxorem cum natis Ædelstano regi Anglorum servandos trans mare deportat. Sicque ad sua oppido suis munito rediit.

13. *Conquestio* [345] *Erluini* [345] *apud Wilelmum* [345] *ducem de castri uxorisque* [345] *et natorum* [345] *amissione* [345]. — Erluinus vero vix mortis periculo liber, ad Wilelmum principem Nortmannorum sese contulit, plurimam de suis casibus quærimoniam apud eum agitans, sese inquiens infeliciorem, cum opido et militibus privatus, ac uxore filiisque orbatus, nihil præter corpus possideat. De oppidi amissione non se adeo affici, cum id sine spe aliqua recuperandi non sit, eo quod terra immobilis, ac oppidum intransitivum sit. Uxoris vero ac filiorum privatio, calamitatem interminabilem prætendere videntur, cum illis consumptis ipse doloribus assiduis urgeatur, et non consumptis, at sub aliena dominatione detentis, ipse vana seducatur exspectatione. Quare quoque ad petenda solatia se venisse memorabat, ac gemebundus hæc indesinenter petebat.

14. *Erluinus oppidum expugnat ac capit.* — Princeps his quærimoniis motus, auxilium annuit, ac militum copiam ei committit. Erluinus itaque ad oppidum properat, ac tempestivius cum copiis appetit, circumque vallat terra marique. Instat itaque atque acriter adurget. Tandem vero multa expugnatione attritum, ingreditur, totumque pervadit. Arnulfi milites omnes comprehendit. Quorum alios gladio enecat, alios uxori natisque repetendis conservat.

15. *Congressus* [346] *Erluini cum* [346] *militibus Arnulfi.* — Arnulfus tanta suorum calamitate confectus, milites colligit, eosque in Erluinum mittit, qui ejus terram usque ad oppidum depopulentur. Directique, incendiis circumquaque ac rapinis admodum deseviunt, multaque rerum præda abducta, festinabant, cum legati ab Erluino affuerunt, qui indicarent, quod nisi totam prædam sine mora redderent, sine mora eis esse congrediendum. Hostes legationem spernentes, capta abducere accelerabant. Legati regressi, sese abjectos referunt. Erluinus cum quadringentis armatorum mox processit, ac festinantibus supervenit. Illi vero præda relicta conversi irruentibus obvertuntur. Signisque collatis, acriter

VARIÆ LECTIONES.

[341] a, M, i *abscisa.* [342] p.spondet ac juratus fidem dat 1. [343] sus, na *abscisa.* [344] ad 1. [345] st, ini, il, ux, na, ssi *abscisa.* [346] sus, um *abscisa.*

NOTÆ.

(88) Montreuil.

dimicatum est. Prædones fere omnes gladio occubuere, præter hos quos fuga belli violentiæ exemit. Et tamen ii, cum fuga eos exagitaret, ab Erluino post insectante atrociter fusi sunt. Erluinus prædis receptis cum ingentibus hostium manubiis ad sua feliciter remeavit.

16. *Belgicorum* [347] *querimonia* [347] *ad regem super ejus levitate* [347]. — Quo tempore Belgicorum principes ad regem conveniunt, ac Lauduni apud eum gravissime conqueruntur, eo quod inconsultus omnia appetat. Si eorum quoque consiliis adquiescat, in bonum exitum res suas deventuras memorant. Ad hoc etiam sese convenisse, ut quid [348] velit eis injungat, quod [349] cupit ingerat. Si velit, consilio et armis, terra marique, contra hostes sese congressuros. Rex ab eis fide suscepta, cum multa benivolentia redire permisit, si fortuna quandoque postulet, redire jubens. Nec multo post et ab Ædelstano Anglorum rege classis regi cum copiis missa est. Audierat enim, illum ab iis qui maritima incolebant loca, exagitari; contra quos classis dimicaret, regique nepoti auxilium ferret. Comperto vero contra regem, illorum neminem stare, ipsumque regem in partes Germaniæ prosperum secessisse, mari remenso ad propria remeat.

17. *Rex* [350] *in Belgica* [350] *suos sibi sociat* [350] *et Ottonis fautores* [350] *ultra Rhenum* [350] *fugat*. — Rex [351] in pago Elisatio cum Hugone Cisalpino principe locutus, Belgicos exteriores qui ad se nondum venerant, sibi asciscebat. Et qui partibus Ottonis favebant, ultra Rhenum fugere compulit. Presenserat enim Ottonem velle in suum jus Belgicam transfundere. Unde et equo ei non ferebatur animo. Truculentius ergo contra illum agitans, suos de regno [352] exturbavit. Qui vero sibi consentiebant [353] asciscens, Gislebertum videlicet Belgicorum ducem, Theodericum quoque atque Isaac comites, cum eis consilium confert, ac pro fide habenda jusjurandum ab eis accipit, post hæc Laudunum rediens. Ibique ejusdem urbis episcopum Rodulfum, proditionis evidentissime insimulatum, ab urbe pellit, suosque simul ejicit. Quorum etiam res suis contulit.

18. *Otto Belgicam* [354] *devastat*. — Otto interea Belgicos comperiens regis partes sustentare, et a se penitus defecisse, Rheno transmisso Belgicam ingressus [355], ejus loca plurima incendiis ac ingentibus prædis devastat [356], eo quod ex collatione paterna princeps [357] fieri Belgicis dedignantibus contenderet, cum ejus pater Saxoniæ solum propter Sclavorum improbitatem rex creatus sit, eo quod Karolus cui rerum summa debebatur, adhuc in cunis vagiebat [358]. Multam itaque prædam abducens, Rhenum transmeat.

19. *Impetus* [359] *Gisleberti* [359] *in Germaniam* [359], *ejusque ac* [359] *suorum fusio*. — At Gislebertus dux dedecoris injuriam ultum ire volens [360], omnem Belgicam lustrat, ac tirones lectissimos in unum cogit, senes tantum emeritos patriæ linquens. Factoque exercitu, Rhenum transmeat, ac patriam solotenus incendiis ingentibus vastat. Armentorum etiam pecudumque prædam nimiam exercitus congregat abducitque. Jam vero flumen ingredi parabat, cum [361] Otto exercitum accelerantibus induxit. Belgici [362] renitentes, cum Germanis secus fluvium [363] congressi sunt, atque [364] in parte utraque nimium fusi. Qua die Germanorum victoria ægre sustentata est, et licet innumerabilibus suorum stratis [365] tamen enituit. Nam [366] Gislebertus dux suorum fusione exercitum defecisse advertens, fuga periculum evadere nitebatur. In fluentum itaque cum equo prosilit. Qui cum fluminis pelagus enatare non posset, vi undarum victus periit [367], atque sessorem inmersit. Belgicorum [368] vero alii fluvio enecati, alii ferro cæsi, alii capti, nonnulli vero profugio erepti [369] sunt. Ludovicus rex Gislebertum extinctum comperiens, multam in ejus casu commiserationem habuit. Atque in Belgicam profectus, ejus uxorem Gerbergam Ottonis sororem conjugio duxit, eamque secum reginam in regnum coronavit.

20. (940.) *Wilelmus* [370] *dux piratarum* [370] *regi contra* [370] *omnes fidem jurat* [370]. — Dum hæc Lauduni gererentur, Wilelmus piratarum (89) dux, legatos regi dirigit, qui sese satis ei fidelem indicent : quo rex jubeat, sese occursurum, fidemque contra omnes polliciturum. Quorum legationem rex multa be-

VARIÆ LECTIONES.

[347] B, que, le *abscisa*. [348] id. [349] qd. [350] Re, ca, at, fau, Rbe *ex conj*. [351] Rex namque in 1. *Quæ sequuntur, Ekkehardus satis libere in suum usum convertit; in codice stilo continuo exarata, nec ut magna libri primi pars corrigendo turbata sunt*. [352] a. quicumque illius videbantur a Belgica ext. *Ekk*. [353] c. consilio Giselberti ducis Belgicæ et Theodorici comitis sacramento sibi astringebat. Otto vero Belgas comperiens a se defecisse et ad Ludowicum confluxisse Rheno. *Ekk*. [354] cum *ex conj*. [355] B. cum exercitu ingreditur. *Ekk*. [356] d. Nitebatur enim acsi ex paterna traditione princeps fieri Belgicæ. Id vero contra jus agere calumpniabatur, cum ejus pater propter sclavorum infestationem Saxoniæ tantum, quæ est pars Germaniæ, dux constitutus sit. *Ekk*. [357] rex 1. [358] d. tunc a. in c. vagiret. *Ekk*. [359] Im, be, m, a *ex conj*. [360] ire festinans, collecto exercitu post hostem accelerat transiensque Rhenum terram illam soletenus. *Ekk*. [361] parabant et ecce Otto ex tota Saxonia collectas copias a. i. *Ekk*. [362] Belgæ itaque cum duce suo indubitanter renitentes. *Ekk*. [363] flumen signis infestis. *Ekk*. [364] et ex utraque parte multi funduntur. *Ekk*. [365] est — tratis *desunt apud Ekk*. [366] nam cum duæ terciæ eorum fusæ jacerent et Giselbertus suos defecisse adeo adversarios autem illesos arbitraretur, in tanta confusione rerum fuga. *Ekk*. [367] occubuit 1. [368] at Belgæ interitum ducis ignorantes, totis viribus decertabant, tantoque egerunt robore, donec post execrabilem innumerabilemque interitum eorum qui relicti fuerant alii caperentur alii in fluvium demergerentur. L. autem rex *Ekk*. [369] exempti 1. [370] mus, ta, ntra, jurat *ex conj*.

NOTÆ.

(89) Id est Nortmannorum Rhodomensium.

nivolentia excipiens in pagum Ambianensem sibi occurrendum constituit, eo quod ibi specialiter utilia quædam per illos determinanda [271] forent. Legatis itaque abductis, rex ad locum condictum tempore statuto devenit. Cui etiam dux prædictus obvius venit. Exceptusque a rege decenter, provinciam quam ei pater Karolus rex contulerat, ab eo etiam accepit. Unde et regis factus, tanto ei consensu alligatus est, ut jam jamque aut sese moriturum, aut regi imperii summam restituturum proponeret.

21. *Artoldus archiep. Causostem munitionem expugnat et capit.* — Hujusque rei negotio utiliter peracto, rex in Burgundiam secessit. In cujus absentia Artoldus metropolitanus, ne suæ rei putaretur inopia, absque regiis copiis Causostem munitionem appetit, eique obsidionem circumquaque adhibet. Quam continua oppugnatione [272] exagitans, quinto tandem die ingreditur, capitque. Illos quoque qui sibi surripuerant comprehendit. Sed utpote vir bonus, nulliusque vitæ æmulus, indempnes abire permisit. Oppidum etiam funditus subruit, sicque ad sua rediit.

22. *Heribertus et Hugo Remos obsident et capiunt, præsulemque pellunt.* — Heribertus malorum [273] occasionem nactus, acsi suorum oppidum dirutum dolens, apud Hugonem ducem qualiter Remos invadat, atque episcopum expungat, vehementissime agit. Cui mox Hugo utpote tiranno tirannus consentiens, sese auxiliaturum pollicetur. Collecto itaque agmine ambo in urbem feruntur, multa eam circum obsidione vallantes. Urbani Heriberto faventes, eo quod regio jussu ejus filium ante Artoldum delegissent, bello cedunt, præsulemque relinquunt, atque ad suæ pœnæ cumulum desertores ad tirannos transeunt. Apertis vero portis sexta obsidionis die, tirannos in urbem excipiunt. Artoldus pulsus, ad cœnobium sancti Remigii proficiscitur, suam ibi Deo conspectori omnium querimoniam fundens. Ubi [274] mox episcoporum aliquibus ac quibusdam magnatibus stipatus, rogabatur ut Avenniacensi abbatia sanctique Basoli rebus contentus, episcopii dignitate sese abdicaret. Atque multis minarum terroribus affectus consentit, juratus etiam ut fertur repudiavit [275]; et tandem canibus satisfaciens, ad sanctum Basolum ibi moraturus abscessit.

23. *Hugo ac Heribertus in regis absentia Laudunum inpugnant.* — Hugone ergo diacono, tiranni filio, Remis relicto, jampridem etiam ad episcopatum urbis ipsius evocato, ipse Heribertus atque Hugo, Laudunum cum copiis aggrediuntur, obsidionem undique adhibentes, urbem militibus vacuam rati, eo quod rex in partibus Burgundiæ exterioribus alia curaret. Et qua poterant oppugnantes, ingredi conabantur. At montis eminentia superioribus impares, non semel cedere coacti sunt. Instabant tamen, ac regi ingressum præripere conabantur.

24. *Rege* [276] *adveniente* [276] *obsidio solvitur* [276]. — Jamque ebdomadas septem obpugnaverant, cum rex hujus rei accitus nuntio, in Campania Remensi tempestivus affuit. Et licet cum paucis, fluvium tamen Axonam permeat, et sic in hostes fertur. Quo comperto tiranni [277], regis quoque animum simulque et æquitatem perpendentes, ab obsidione discedunt. Rex vero ingressus, victus necessaria suis paravit, ac quæque commoda ordinavit. Sicque alia dispositurus, Burgundiam repetit. In cujus discessu, Wido Suessorum episcopus a desertoribus suasus, eo quod et ipse eorum partes latenter tueretur, Remos veniens, Heriberti filium Hugonem, presbiterum ordinavit. Unde et eum pater sacerdotali dignitate ampliare cupiens, ut Artoldus pontificatus apice legaliter privaretur, instanter quærebat. Cujus rei rationem cum Hugone duce contulit, ac in effectum redigi admodum petiit.

25. (941.) *Artoldus* [278] *a comprovincialibus* [278] *episcopis* [278] *repudiatur et* [278] *pro eo Hugo eligitur.* — Disposita ergo rationum summa, Remensis dioceseos episcopos convocant, qui inter Artoldum et Hugonem, controversiam determinent, objectorumque finem constituant. Collecti ergo apud urbem Suessonicam, in basilica sanctorum martirum Crispini et Crispiniani, civium Remensium querelam excipiunt, dicentium sese diutissime pastore destitutos; cui subdantur et obsequantur, suppliciter expetere. Artoldum jam se nolle, eo quod sacramento episcopium repudiaverit; at Hugonem, quod omnium unione electus, omnibusque acceptissimus sit. Quorum quærimoniis episcopi annuentes, sacerdotio dignum Hugonem asserunt, eo quod non solum carnis nobilitas, set et animi mores pudici plurimum eum commendarent. Ratum etiam fore, si tanti honoris culmen, personæ nobilitate adornetur. Hugonem itaque pene omnium conibentia attollunt, ac Remos deductum, in cœnobio monachorum sancti Remigii metropolitanum sollempniter consecrant, atque in urbe decenter exceptum, multo obsequio ac reverentia honorant. Rex in partibus Burgundiæ viatorum relatu, patratum negotium advertens, mox Laudunum rediit. Arnoldum quoque ac ejus fratrem Landricum proditionis insimulatos, nec tamen penitus convictos, cum in hac re promptissimi viderentur, ab urbe expulit.

26. *Rex in partibus Burgundiæ exercitum contra tirannos colligit.* — Rex cum rei militaris inopia contra tirannos nihil moliri valeret, Burgundiam repetiit, ut exercitum inde sumeret, Remisque induceret. Admodum etenim id attemptabat, ut Heribertum ab urbe pervasa pelleret. Dum ergo in colligendis militibus moram faceret, tiranni [279] multo equitatu Laudunum appetunt, atque circumdant, spem proditionis in quibusdam habentes. Hæc dum

VARIÆ LECTIONES.

[271] determinandæ *c.* [272] expugnatione 1. [273] mali 1. [274] qui 1. [275] repudivit *cod.* [276] R, ni, s *abscisa.* [277] Heribertus et Hugo 1. [278] A, c, e, et *ex conj.* [279] Hugo ac Heribertus 1.

aguntur, ad regis aures tempestive feruntur. Qui sumptis quos undecumque colligere [280] valuit, in pagum Porcensem devenit. Ubi cum rem militarem ordinaret, ac hostibus bellum inferre pararet, tiranni Lauduni [281] obsidione relicta, in regem vadunt, ac insperatum invadentes ejus exercitum, nonnullos sternunt, reliquos vero in fugam cogunt. Rex a suis eductus, vix cum duobus comitibus, vim mortis evasit, oppido quod Altus mons dicitur sese recipiens. Tiranni spe proditionis frustrati, obsidionem solvunt, atque in sua concedunt.

27. (942.) *Tiranni a papa monentur, ne regem suum persequantur.* — Interea a domno Stephano papa (90) vir clarus nomine Damasus legatus in Gallias directus est, apostolicæ sedis litteras afferens, jussionem apostolicam continentes, ut principes provinciarum [282] regem suum Ludovicum recipere non differrent, nec gladio ultra hostili eum insectarentur. Et ni cessent, anathematis telo omnes esse figendos. Quo episcopi cognito Remorum dioceseos, in unum mox coacti, de anathemate in sese habendo nisi resipiscant vehementer [283] pertractant. Mittendum enim ad Heribertum disponunt, et ab eo suppliciter petendum, quatinus ipse ducem adeat, atque apud eum pro regis receptione agat, ostendentes anathematis periculum, et quanta iis debeatur ruina [284], qui dominorum contemptores ac persecutores esse non formidant. Quæ suasio nullum effectum habuit [285]. A prædicto etiam papa mox alia legatio directa est, per Remensis ecclesiæ legatos, qui a papa eodem sacerdotale pallium Hugoni metropolitano detulere, dicentes apostolicæ jussionis hanc esse sententiam, ut Galliarum principes, regem suum persequi parcant, et insuper illum magnifice attollant. Quod nisi intra præscriptum diem officiant, horribili anathemate hujus factionis auctores ac cooperatores sive fautores gravissime esse multandos. Si vero apostolicæ jussioni gratanter obœdiant, legatos Romam dirigant, qui suam benevolentiam erga regem suum papæ referant. Et nec sic quidem tirannis quicquam persuasum est. A quibus cum regi incessanter quæreretur ruina, in contrarium res eorum tota relapsa est.

28. *Rex per Rotgerum comitem Wilelmum ducem sibi conciliat.* — Etenim rex bonorum usus consilio, Rotgarium virum clarum Wilelmo pyratarum principi pro se locuturum direxit. Qui apud eum pro rege optime functus legatione, ibi rebus humanis excessit. Ante tamen principi usque ad effectum suasit. Nam non multo post suorum legatione regem fideliter accersit, exceptumque Rodomi, ingentibus donis dignissime [286] accumulat. Unde et factum est, ut alii hinc formidantes, ad regem tempestivius sese contulerint. Wilelmus itaque Aquitanorum dux, Brittanorumque Alanus, piratas regiam rem curare comperientes, accessum maturant, regem adeunt, atque fide pacti militiam jurant. His itaque rex collectis, prædictis tirannis [287] secus fluvium Isara locuturus procedit. Tiranni regium equitatum suspectum habentes, prævenerunt, atque pontes præcipitaverunt, naves circumquaque in aliud litus abducentes. Sicque cum suis in adverso fluminis litore consederunt. Duabus tantum naviculis hinc inde cursitantibus, per internuntios controversia inter illos agitata est. Tandem sub pace sequestra obsidum jure a sese discedunt.

29. *Ludovicus et Otto reges in amicitiam conveniunt, ac per Ottonem Hugo.* — Rex principibus in pace dimissis, cum paucis iter in Belgicam retorquet, Ottoni cujus sororem conjugem sibi addixerat, ad loquendum obveniens. Quorum consilio multa concordia firmato, amicitiam mutuo conditionibus statuunt. Ac fine negotii facto, rex Laudunum rediit. Otto vero Hugonem in regis gratiam reducere satagebat. Quem multis verborum stimulis familiariter ac levi furore redarguens, eo quod regi suo contrairet, dominumque insectari non formidaret, ad regem redire effecit. Et tempore oportuno, prudentium legationibus præmissis, regi ducem reducit, sibique conciliat.

30. *Principum apud regem conventus, ac Wilelmi in eorum contione tumultuatio.* — Duce ergo in pristinam gratiam revocato, cum ipse virtute et copiis antecelleret, alii consequenter reducti sunt. Omnibus itaque ad regem reversis, in fisco regio Atiniaco principibus ab rege post dies triginta colloquium habendum indicitur. Et die constituta rex ibi cum provinciarum principibus affuit, Hugone videlicet cognomento Magno, Arnulfo Morinorum, Wilelmo piratarum ducibus, ac Heriberto tiranno. Nec defuit Saxoniæ rex Otto. Ludovicus rex cum in conclavi sese cum Ottone rege [288] ac principibus recepisset, consilio incertum an fortuitu, solus Wilelmus dux admissus non est. Diucius ergo afforis exspectans, cum non vocaretur, rem animo irato ferebat. Tandem in iram versus utpote manu et audatia nimius, foribus clausis vim intulit, ac retrorsum vibrabundus [289] adegit. Ingressusque lectum conspicatur gestatorium [290]. In quo etiam a parte cervicalis Otto editiore, rex vero in parte extrema humilior residebat. In quorum prospectu Hugo et Arnulfus duabus residentes sellis, consilii ordinem exspectabant.

VARIÆ LECTIONES.

[280] collige *cod.* [281] Remorum 1. [282] regnorum 1. [283] utiliter 1. [284] q, labe afficiantur 1. [285] s. cum n. e. haberet 1. [286] humanissime 1. [287] Hugoni et Heriberto *glossa.* [288] cum 1. [289] fervidus 1. [290] g. pulvinaribus ac ceteris necessariis stratum 1.

NOTÆ.

(90) Stephano VIII.

Wilelmus regis injuriam non passus : « An inquit his interesse non debui ? Desertorisne dedecore aliquando sordui ? » Fervidusque propinquans : « Surge inquit paululum rex ! » Quo mox surgente, ipse resedit. Dixitque indecens esse regem inferiorem, alium vero quemlibet superiorem videri. Quapropter oportere Ottonem inde amoliri, regique cedere. Otto pudore affectus surgit, ac regi cedit. Rex itaque superior, at Wilelmus inferior consederunt.

31. *Otto injuriam sub specie fidei habendæ dissimulat, ejusque conquestio.* — Otto penitus injuriam dissimulans, baculo innixus cœpto negotio finem dare stando satagebat. Ac rationibus determinatis, rex cum consultoribus surgens egreditur. Otto injuriam [391] Wilelmi vehementissime dissimulans, apud eum de fidei constantia inter sese servanda plurimum consultat. Unde et conceptum facinus, variis verborum coloribus obvelat. Quibus peractis, rex cum Wilelmo ad sua remeat, Otto vero cum Hugone et Arnulfo consilium conferens, de injuria irrogata apud illos amplius conquerebatur; ultra æquum et jus sese spretum memorans, ac coram amicis a sedibus amotum. Amicos ergo compati oportere, et amici injuriam suam debere arbitrari. Ab eis quoque tantam insolentiam summopere repellendam aiebat, cum ea facilius ad eos pervenire valeat. Nam qui sibi regi non indulsit, minus illis indulturum. Quæ oratio, plurimam invidiam paravit, ac amicos in odium Wilelmi incitavit, cum et ipsi quamvis latenter ei admodum inviderent. Otto rex ad sua rediit.

32. *Deliberatio Hugonis et Arnulfi de morte Wilelmi.* — Hugo et Arnulfus quid facturi Wilelmo essent deliberabant. Si eum gladio occidant, ad omnia sese fieri expeditiores aiebant. Regem etiam ad quodcumque volent facilius inflexuros, si is solum pereat, quo rex fretus ad quæque flecti nequeat. Si autem non occidant, discordias atque lites sine dubio proventuras, ac his occasione emersa, multorum stragem futuram. At horum utrumque perniciosum censebant, cum in occisione homicidii rectus redundaret, et in reservatione tirannis futura appareret. De occisione tandem persuasi, patraturos facinus accersiunt, vim negotii explicantes, atque in Wilelmum conjurare faciunt. Cujus interfectionis series mox apud conjuratos ita disponitur, ut ab Arnulfo legati mitterentur, qui pro colloquio multa necessitate in proximo habendo apud Wilelmum idonee legatione fungerentur. De tempore quærerent, quando sibi obveniendum foret. Locum vero secus fluvium Summam peterent. Quo ipse a terra sua egredi et collocuturis obvenire dignaretur. Qui postquam adveniret, et ab amicis exceptus esset, de amicitia plurimum, multum etiam de fide proponerent. Et quia tunc suis stipatus pervadi non posset, ictus differrentur, donec navim repeteret, si forte navigo eum advenisse contingeret. Cumque jam navigaret per pelagus, per conjuratos multo clamore revocaretur, acsi aliquid præcipuum oblivione prætermissum auditurus. Navicula ergo advectus cum paucis, aliis in pelago expectantibus, conjurati gladiis eductis incautum adorirentur. Si vero equester adveniret, post consilii finem Arnulfo digresso, illoque recedente, conjurati identidem eum repeterent, magnum quiddam sese afferre simulantes, quibusdam etiam scriis accitum detinerent, donec cunctis præeuntibus extremus retrorsum incederet. Quem adorsi gladiis non minus transverberarent. Insurgentium vero piratarum vim evaderent, si equis velocibus rapti, ad dominum cum copiis præstolantem transfugere tempestivius accelerarent. Piratas etiam tunc nihil aliud quam aut fugam acceleraturos, aut domini exsequias procuraturos. Sicque factum esset, ut Arnulfo ignorante eo quod absens esset, tantum facinus patratum videretur.

33. (943.) *Wilelmi ducis interfectio.* — Legati itaque directi, colloquium petunt et obtinent. Tempus post dies 30 datur. Locus quoque in pago Ambianensi secus fluvium Summam, ubi est insula Pinchinea conceditur. Negotioque peracto, legati redeunt. Tempore ergo constituto, Arnulfus terra, Wilelmus aqua in locum destinatum conveniunt. Ac de amicicia multum, plurimum de fide utrimque servanda collocuti sunt, atque post nonnullos sermones a se soluti. Arnulfus reditum simulans, aliquantisper digreditur. Wilelmus vero ad classem rediit. Naviculamque ingressus dum per pelagus navigaret, a conjuratis multo strepitu [392] inclamatus, proram obvertit. Remigansque ad litus, quid vellent sciscitaturus, redit. Illi mox quiddam præcipuum se deferre asserunt, quod a domino suo oblivione suppressum fuit. Dux navicula litori apulsa, illos excipit, a quibus etiam mox gladiis eductis [393] interimitur. Duobus quoque puberibus qui cum eo inermes aderant, et nauta sauciatis, a navicula facinorosi exiliunt, ac post conscium dominum in fugam feruntur. Qui autem jam per pelagus navigabant, conversi litus relictum repetunt, ac dominum interemptum, duosque puberes et nautam sauciatos inveniunt. Sumptumque domini corpus lamentabili obsequio sepulturæ deportant.

34. *Rex filio Wilelmi Richardo terram patris concedit.* — Nec multo post et ejus filium de Brittanna concubina, nomine Richardum, regi deducunt, gesti negotii ordinem pandentes. Rex adolescentis elegantiam advertens, liberaliter excipit, provinciam a patre pridem possessam, ei largiens. Potiores quoque qui cum adolescentulo accesserant, per manus et sacramentum regis fiunt. Multaque regis liberalitate jocundati, recedunt Rodomum [394]. Alii vero Nortmannorum Richardum ad regem transisse indignantes, ad Hugonem ducem concedunt.

VARIÆ LECTIONES.

[391] benivolentiam l. [392] clamore l. [393] strictis l. [394] rodomunt *c.*

35. *Rex a suis Rodomum accersitur, ac cum piratis dimicat.* — Qui autem regis partes tuebantur, per legatos eum accersitum, Rodomi decenter suscipiunt. Ubi cum ei referretur, regem piratarum Setrich cum classe copiosa fluvium Sequanam ingressum, ac ejus ducem Thurmodum consequenter navalibus copiis advenisse, ut absque regis dono omnia pervadant, atque defuncti ducis filium ad idololatriam suadeant, ritumque gentilem inducant, rex copias unde congrediatur colligit. Deumque propitiaturum confisus, alienigenis cum 800 occurrit. Et quia cum paucis erat, ad hostes concludendos acies in diversa disponere nequivit. Suis itaque stipatus, erectis signis ac densato agmine procedit. Gentiles quoque ordine pedestri incedebant. Propinquantesque patrio more in primo tumultu enses jaciunt. Quorum densitate equites territos ac sauciatos rati, cum clipeis et telis prosecuntur. At regius equitatus, ensium nube dilapsa, clipeorum objectione tuti in pedites feruntur. Ac densati [295] acies sternendo atque interimendo indivisi penetrant egrediunturque. Rursusque regressi penetrant, ac disrumpunt. Regem quoque Setrich cum violentia belli in fugam cogeret, in dumeto mox repertus, trilus lanceis a palantibus transfixus est. Thurmodus vero cum adhuc in certamine totis viribus ageretur, ab Ludovico equi impetentis pectore est dejectus. Quem cum rex impetu præteriret, nec eum dinosceret, et ab hostibus impetitus in loco staret, comminusque confligeret, Thurmodus suis stipatus, regem a tergo appetit, factusque ei dexter, per loricæ manicam pene usque ad sinistri lateris ypocundriam, lanceâ sauciat. Rex multa cede ab eo impetu paulisper dimotus, sauciantem respicit. Ictuque in dextram obliquato, provocantis caput cum humero sinistro obtruncat. Tanta quoque cæde gentiles fusi sunt, ut eorum novem milia [296] cesa ibi referrentur. Reliqui vero, paucissimi tamen, navali profugio erepti sunt. Rex a Deo victoria potitus est, suorum tamen paucis fusis, nonnullis vero sauciatis. Post quorum curam redire disponens, Rodomum Erluino commisit. Ipse Compendium rediens.

36. *Artoldus archiepiscopus tirannos dimittit, et ad regem transit.* — Quo eum advenisse dinoscens, Artoldus qui in cœnobio sancti Basoli confessoris ab urbe pulsus morabatur, mox quicquid a tiranno sibi relictum erat abjiciens, ad regem sese contulit, mallens apud eum parvo contentus morari, quam insociabilis tiranni beneficiis detineri. Rex metropolitanum quo ipse rex consecratus fuit injuste præcipitatum dolens, ne diffidat hortatur, summum sacerdotium sese ei redditurum pollicens.

37. *Interitus Heriberti.* — His ita sese habentibus, cum Heribertus quæque pernitiosa pertractaret, ac de quorundam calamitate multa disponeret, cum inter [297], suos in veste præciosa sederet, atque apud illos extensa manu concionaretur, majore apoplexia ob superfluitatem humorum captus, in ipsa rerum ordinatione constrictis manibus nervisque contractis, ore etiam in aurem distorto, cum multo horrore et horripilatione coram suis inconsultus exspiravit. Susceptusque a suis, apud sanctum Quintinum sepultus est. Quo sepulto, ejus filii mox regem adeuntes, ab eo benigne excepti sunt. Patris injuriarum nihil sibi reducens. Excipitur et Hugo episcopus, ea tamen conditione, ut tempore congruo ratiocinari pro se de episcopatus adeptione non differat. Cum quibus quoque rex Ambianum digressus est. Ubi cum non sine suorum potioribus quæque præcipua disponere vellet, Erluinum Rodomi morantem per legatum accersit.

38. *Congressio Arnulfi et Erluini.* — Quod cum malivolorum relatione Arnulfus comperisset, insidias prætendit, obvenientique rege ignorante cohortem inducit. Quod Erluinus mox dinoscens, signis collatis congreditur. Congressus utrimque non modicus. Arnulfus suis fusis, profugiens, vix urgentem evasit. Erluinus victoria potitus, alios enecat, alios capit, alios in fugam cogit. In quo etiam certamine, interfectorem Wilelmi qui cum Arnulfo sibi vim [298] intulerat militari insectatione comprehendit. Cujus manus obtruncans, in ultionem amici Rodomum misit. Ac cesorum ereptis manubiis, ad regem concessit.

39. Quo tempore Hugo dux in magna gratia regi habitus, ejus filiam ex sacro lavacro suscepit. Unde et cum rex [299] omnium Galliarum ducem constituit. Quo duce rex equitatum parans, cum Gerberga regina in Aquitaniam proficiscitur (944). Ac urbem Nivernicam deveniens, Gothorum ducem Ragemundum Aquitanorumque præcipuos illic obvios excepit. Apud quos de provinciarum cura pertractans, ut illorum omnia sui juris viderentur, ab eis provincias recepit. Nec distulit earum administrationem eis credere. Commisit itaque ac suo dono illos principari constituit, regia hilaritate hilares redire permittens; ac cum duce iter ipse in Galliam retorquens, Lauduni sese recepit.

40. *Arnulfus et Erluinus regis suasione [300] in amicitiam redeunt [300].* — Ubi suorum præcipuos præter ducem colligens, apud eos agebat quatinus viri illustres Arnulfus atque Erluinus, factarum injuriarum inmemores fierent, ac in benivolentia unirentur; suis rebus prosperiorem eventum deberi ratus, suorum concordia. Convocatis itaque de amicicia suadet; sese inter eos judicem, penitus æquitatem utrique parti facturum pollicens. Concedunt itaque ac jussis regiis parent. Datisque vadibus, equitatis jura exsecuntur. Rex cum utrisque faveret, quamlibet

VARIÆ LECTIONES.

[295] conglobati 1. [296] IIII. *præposito.* V. *et in margine eadem manu* VIIII. [297] apud 1. [298] copias 1. [299] rex Franciæ ducem 1. [300] asi, de *abscisa.*

utrique liberalitatem conferre meditabatur. Qui cum Arnulfum de recompensatione rerum ereptarum nutare, ac Erluinum instantius amissa repetere adverteret, Arnulfum quoque majora restituturum, eo quod ipse ampliore rerum dispendio Erluinum affecerit, Erluino Ambianum in recompensatione amissorum pro Arnulfo concessit. Sicque factum est, ut Erluino sua restituerentur, et Arnulfo sua non minuerentur. Regis itaque industria in amicitiam revocati, regia negotia exinde curabant.

41. *Prodigiosa demonstratio* [301] *cladis Brittannorum* [301]. — Quo tempore ferebatur Parisii turbo repente exortus, tanta vi discucurrisse, ut parietes multa lapidum mole fundati, in monte Martirum funditus eversi fuerint. Demones quoque equitum specie visos, basilicam quandam non procul sitam, evertisse, ejusque trabes memoratis parietibus tam valide incussisse, ut eos subruerint; evulsisse etiam ejusdem montis vineta, ac sata devastasse. Mox viso prodigio, Brittannorum pernicies subsecuta est. Qui Berengarii atque Alani principum dissidentia discordes, a Nortmannis cum quibus pactum egerant, pervasi, multaque cede attriti sunt. Necnon et civitas Namtarum (91) capta est. Cujus episcopus cum supervenientium hostium metu territus, in æcclesiam fugere cogeretur, suorum densitate oppressus ac suffocatus est. Brittanni in ipso impetu viribus resumptis, hostes ab urbe vehementi conamine reppulerunt. Illosque adorsi gravi cæde fuderunt. At Brittanni prosperiore fortunæ successu confortati, tertia itidem die classem pervadunt, congrediunturque. In parte utraque innumeri fusi. Brittanni vero adversariorum copias non passi, in fugam feruntur. Nortmanni autem victoria potiti, Brittannorum alios gladio occidunt, alios in fluctus cogunt, alios vero a Brittaniæ finibus eliminant, præter hos qui servitutis jugo subdi non recusavere.

42. *Rex* [302] *terram Nortmannorum* [302] *pervadit capitque* [302]. — Quo ad regis aures perlato, Arnulfum ac Erluinum comites, simulque et Burgundiæ episcopos aliquot, rex accersit. Præsenserat etenim eorum nonnullos a fide defecisse, Hugonique cessisse. Ac cum exercitu in eos fertur. Arnulfus cum suis regem præcedens, Nortmannos, qui custodias observabant, utiliter congressus apud Arcas [303] fudit ac regi incessum expedivit. Rex Rhodomum veniens, ab iis qui fidei servatores fuere exceptus est. Desertores vero mare petentes, amoliti sunt. Municipia vero copiis munita reliquere. Rex malorum nimias esse copias considerans, ab Hugone duce suppetias congrediendi per legatos postulat. Et ut ipse cum sufficientibus copiis veniat, Baiocarum urbem ita, si [304] eam cum reliquis expugnet, accommodat. Dux donum regium excipiens, suppetias parat, regique subvenit. Cum suis itaque ac quibusdam Cisalpinorum potentibus trans Sequanam fluvium iter faciens, Baiocas pervenit. Quam aggressus multa obsidione premit. Inter hæc a regiis stipatoribus persuasi Nortmanni, ad regem redeunt. Dux autem Baiocences urgebat. Rex duci obsidionem [305] solvere per legatos jubet. Ille autem utpote ab rege datum, amplius oppugnat. Rex quoque iterum mandat, quod nisi cito discedat, sese in eum cum copiis iturum. Dux regiis jussis contraire non valens, ab obsidione coactus discedit. Rex urbem consequenter ingreditur. Cujus ad se civibus revocatis, Ebrocas petit ac nullo resistente ingreditur. Nec minus et ab Ebrocensibus acceptis obsidibus, reliqua absque contradictione obtinuit (945).

43. *Dux* [306] *suos in* [306] *regis injuriam* [306] *hortatur*. — Dux apud suos hanc injuriam sepissime memorans, de regis pernicie petractabat; fideles et amicos hortans, ut hoc ultum iri accelerent. Quod etiam multis querimoniis amplificans, suos in regem provocat. Bernardus itaque Silletensis (92) atque Teutboldus Turonicus conquerenti satisfacientes, Montiniacum regis oppidum in ipsis Paschæ diebus pervadentes, capiunt diruuntque. Compendium quoque regiæ sedis aulam repentini penetrant, ac quæque regalia insignia diripientes asportant. Nec multo post et idem Bernardus regis venatores canesque capiens, cum equis ac venabulis abduxit.

44. *Rex urbem* [307] *Remorum obsidione* [307] *premit* [307]. — Rex Rhodomi talia comperiens, Nortmannorum exercitum colligit copiosum, ac collecto, redit, pagum Veromandensem ingrediens, penitusque depopulans. Accitis quoque Arnulfo, Erluino, Bernardo alio, Theoderico comitibus, in urbem Remorum fertur. Eamque disposita circumquaque obsidione cingit, eo quod Hugo ejusdem urbis episcopus quia ducis partibus favebat, regi ingressum negabat. Primo ergo impetu, graviter dimicatum est. Nam sagittariis hinc inde dispositis, qui in muro resistebant missilibus sauciantur. Quibus amotis alii intacti succedunt, vices pugnæ ingerentes. Sed et extra telis ac lapidibus jactis, nonnulli afficiuntur, cedunique. Sepe tumultus reparantur, sepe ad portas, sepe ad murum comminus congressi. Animo utrimque feroces, nullo modo cedere parant; numquam sibi usque ad internetionem cessuri, nisi intercedentium supplicationibus obsidio soluta discessisset.

45. *Dux regi* [308] *per legatos, suadet* [308] *ut ab* [308] *obsidione* [308] *discedat*. — Dux namque in ipsa obsidione per legatos petiit, ut Ragenaldus comes sum-

VARIÆ LECTIONES.

[301] de, ti, ta *abscisa*. [302] R, N, r, c *abscisa*. [303] archas *corr.* arcas. [304] ut *corr.* si. [305] ab obsidione l. [306] D, i, i, *abscisa*. [307] bem, obsi, it *abscisa*. [308] egi, su, ab, ne *abscisa*.

NOTÆ.

(91) *Nantes*. Flodoardus Dolensem episcopum fuisse refert.
(92) *Id est*, Silvanectensis.

ptis a sese obsidibus locuturus sibi occurrat. Quod et fieri ab rege concessum est. Directus itaque sub obsidum jure ad ducem venit. Apud quem dux diu deliberans, tandem agit, ut rex ab episcopo et urbanis obsides accipiens, ab urbis oppugnatione discedat, quatinus quocumque et quando rex velit, idem episcopus rationem redditurus accedat. Ragenaldus ducis animum regi perferens, ac consilium approbans, id fieri suadebat. Obsidibusque sumptis idoneis, rex obsidionem decima quinta die solvit, tempusque audiendæ rationis [309] post dies 40 sub ipsa Kalendarum Juliarum die constituit. Aliis ergo interim curatis, dies habendi colloquii advenit. Et dux de superiore negotio locuturus, obvius regi affuit. Declamatis autem eorum causis, vix sibi consentiebant. Rationibusque non satis utiliter procedentibus, nihil paci commodum est, præter quod sub pace sequestra usque ad medium Augusti rationem distulere.

46. *Obitus Theotilonis* [310] *Turonensium* [310] *episcopi.* — Quo tempore cum beatæ memoriæ Theotilo Turonicæ urbis præsul de renovanda inter principes pace vehementissime certaret, atque his admodum occupatus studiis, Lauduno discederet, peripleumonia in ipso itinere corripitur. Quæ cum pulmonibus tumorem ac fervorem incuteret, die quarta nati morbi hac vita migravit. Cumque adhuc in noctis tempesta spiritum efflaret, mox luminis globus per aera ut fertur emicans, vigilantibus visus est. Cujus lumine ad noctis depellendas caligines sufficienter usi, qui ejus corpus exanime deferebant, per 150 miliaria (93) usque urbem Turonicam hujus lucis solamine, corpus beatissimum detulere, in basilica sancti Juliani martiris, quod idem vir sanctus summa instruxerat religione, multa reverentia deponentes.

47. *Captio regis* [311] *a Nortmannis* [311]. — Quo sepulto, cum adhuc inter regem ducemque pax nulla composita esset, atque rex dolos simulaturum nondum perpenderet, Erluino suisque aliis sumptis, Rhodomum rediit; nil veritus cum paucis illic immorari, cum idem consueverit. Dolus apud ducem a transfugis paratus, qui ante latuerat, orta opportunitate ex raritate militum, in apertum erupit. Nam dum tempestivus adveniret, ab Hagroldo qui Bajocensibus præerat, per legationem suasoriam accersitus, Bajocas cum paucis ad accersientem, utpote ad fidelem quem in nullo suspectum habuerat [312], securus accessit. Barbarus vero militum inopiam intuitus, cum multitudine armatorum regem incautum aggreditur. Cujus satellitum alios saucians, alios interimens, regem in fugam cogit. Et forte cepisset, nisi ab ejus armigero resistente ibi mox interfecto, aliquantisper detentus esset. Qua mora rex equi velocitate per devia raptus, Rhodomum solus pervenit. Urbemque ingressus, a civibus, eo quod cum Bajocensibus conspirassent, captus ac tentus est (*Jul.* 13).

48. *Rex* [313] *a Nortmannis* [313] *per obsides* [313] *dimittitur, et iterum* [313] *dolo a* [313] *duce capitur.* — Hugo dux regem Rhodomi captum comperiens, Bajocas devenit; pro regis captione gratias redditurus, ac ut sibi captus commitatur [315] ratiocinarurus. Nortmanni vero [318] justis conditionibus id agendum respondent, ut si dux regem excipiat, ipsi regis filios omnes, sub jure obsidum accipiant, nec sub alia lege regem sese dimissuros. Dux captionem dissimulans, acsi regis causa rem ordinaturus, ad reginam Gerbergam, pro filiis regis legatos mittit. At regina rem necessariam cognoscens, sub sacramento minorem dirigit, majorem mittere evinci non valens. Nam duo tantum erant. Minore ergo obside oblato [316], Nortmannis non satis fuit; majorem admodum petentes [317]. Sed quia iis quibus fidelior mens inerat, visum est regiæ stirpis nobilitatem posse penitus absumi, si desertoribus omnes filii cum patre teneantur, id sese non facturos responderunt; minorem tantum daturos, et pro majore ex se ipsis quemcumque petant dimissuros. Widonem ergo Suessorum episcopum, quem inter omnes potissimum videbant, expetunt, ac pro obside cum regis filio recipiunt. Rex itaque dimissus, cum a duce in sua deduci putaretur, ab eodem detentus est, ac Teutboldo Turonico custodiendus deputatur. Unde et manifestatum fuit, regiæ lineæ decus, in absumptione patris et filiorum penitus abolere tirannum voluisse. Re autem in contrarium ducta, unus tantum [318] regis filius a captione superfuit.

49. (946.) *Otto* [319], *et Edmundus reges* [319], *Germanorum* [319] *et Anglorum* [319], *in ducem pro* [319] *rege moventur.* — Cujus rei ordinem [320] regina mox per legatos oratores Edmundo Anglorum Ottonique Transrhenensium regibus indicat, ac super hoc gravissimam querimoniam litteris habitam mittit. Otto regis ac sororis casum dolens, pro restitutione regis, Hugoni mox legationem delegat, plurima postulans, aliqua etiam intentans. Edmundus quoque rex de sobrini miseriis adeo conquestus, eidem duci multam animi indignationem suorum legatione demonstrat; plurimum si non reddat contra illum sese facturum intendens, insuper et hostes ei terra marique inducturum, ac terram ejus penitus depopulaturum. Quod si quolibet claudatur municipio, obsidionem vehementi conamine adhibiturum; atque amplius duce, se a Gallis accepturum suppetias. Et nisi regem in proximo reddat, eum terra marique in proximo appetendum.

VARIÆ LECTIONES.

[309] ati *deleta.* [310] he, si *abscisa.* [311] re, rt *abscisa.* [312] habebat 1. [313] R, tm, ob, m, it, a d *ex conject.* [315] *sic.* [316] v. duci non satis creduli, *jam delecta.* [316] dato 1. [317] quærentes 1. [318] *ita c.* [319] O, g, n, r, pr *ex conject.* [320] *Quæ sequuntur, passim a Trithemio a.* 946 *exscripta sunt.*

NOTÆ.

(93) Flodoardus ducenta fere millia scribit.

50. *Indignatio* [321] *ducis in Edmundum* [321] *regem* [321]. — Dux gravi legatione confectus, Ottoni pro [322] parte dissentit, pro parte favet. Regis vero Edmundi legatis, id nec in proximo, nec præter rationem agendum respondet. Ob minas Anglorum nil sese facturum. Ipsos si veniant, quid in armis Galli valeant, promtissime experturos. Quod si formidine tacti non veniant, pro arrogantiæ tamen illatione, Gallorum vires quandoque cognituros, et insuper pœnam luituros. Iratus itaque legatos expulit. Consultumque se conferens, apud suos partibus utitur deliberationis. Et post consultum, Ottonem expetit. Qui cum per legatos colloquendi oportunitatem quereret, infensus ei loqui non optinuit. Nimiumque iratus, in sua discessit, ac suorum usus consilio, regem adit, sicque alloquitur:

51. *Proloquutio* [323] *Hugonis ad regem* [323]. — « Parvum te o rex adversariorum insectatio in partes transmarinas olim compulit. Meo vero ingenio et consilio inde [324] revocatus, regnis restitutus es. Post dum meis usus fuisti consiliis, rerum secundarum prosperis floruisti. Numquam nisi tui furoris pertinatia a te defeci. Infimorum ac imprudentium hominum dispositione usus, a sapientium consiliis plurimum oberrasti. Unde et rerum calamitas digne consecuta est [325]. Quomodo enim præter me necessaria tibi ac gloriosa provenire arbitrare? Multum inquam tibi in hoc derogatum est. Jam memineris te virum esse. Consideres quoque, quid tuæ rationi commodum sit. Sicque virtus redeat, ut [326] in benivolentiam nos revocet, te imperantem, et me militantem [327], per me etiam reliquos militatum tibi reducat. Et quia rex a me creatus, nihil mihi largitus es, Laudunum saltem militaturo liberaliter accommoda. Quod etiam causa erit fidei servandæ. » Rex utpote captus, dictis proloquentis cessit. Unde et dimissus, data Lauduno [328], Compendii sese recepit. Adest Gerberga regina multa virtute memorabilis; adsunt quoque aliquot ex Belgica coepiscopi; conflunnt etiam viri illustres nonnulli.

52. *Querimonia regis apud privatos* [329] *de Hugonis* [329] *persecutione* [323]. — Apud quos etiam rex his verbis conquestus est. Et: « Eia tu, inquiens, Hugo! Eia tu Hugo! quantis bonis a te privatus, quantis malis affectus, quanto etiam merore nunc detineor! Urbem Remorum pervasisti. Laudunum surripuisti. His tantum duobus recipiebar, his duobus claudebar. Pater meus captus atque in carcerem trusus, has quæ me premunt ærumnas cum anima simul amisit. Ego vero in eadem præcipitatus, ex regno paterno nihil nisi spectaculum præbeo. Jam nec vivere libet, nec emori licet. Quo me itaque conferam? » Parumque amplius conqueri, ab indignantibus inhibitus est. Deinde animum temperans, consilium cum suis confert.

53. Quo collato, Ottoni regi per legatos ereptionem suam demonstrat. Antea sese captum, nunc autem omnibus bonis privatum memorans. Unde et amico auxilium conferat. Urbes amissas, repetere juvet. Si id faciat, gratiam multam sese inde recompensaturum. Otto benignissime legationem excipiens, cum copiis in regis auxilium se iturum spondet, ac tempus edicit. Legati redeunt, ac mandata referunt. Nec minus et ab rege Genanuorum (94) Conrado, copias petit, et accipit.

54. Interea Otto rex cum Rheno transmisso, exercitum per Belgicam duceret, obviat regi Conrhado, qui tunc ab Alpibus egressus, cum multa expeditione Ludovico succurrere accelerabat. Juncti ergo ambo, cum multo equitatu gradiebantur. Quorum accessum Ludovicus dinoscens, ocius occurrit. Tres itaque reges, in unum collecti, primi certaminis laborem Lauduno inferendum decernunt. Et sine mora, illo exercitum ducunt. Cum ergo ex adverso montis eminentiam viderent, et omni parte urbis situm explorarent, cognito incassum sese ibi certaturos, ab ea urbe discedunt, et Remos adoriuntur. Ubi quia planicies commoditatem exercitibus parabat, obsidio circumquaque disposita est. Et primo certamine comminus pugnatum est. In quo tela ac lapides tam dense ferebantur, quam densa grando quandoque dilabitur. Per integram ergo diem, continuis motibus urbs impugnata est. Post vero comminus septies dimicatum, atque hoc fere per dies sex.

55. Nec tamen cives assiduis tumultibus victi, ullo modo cedebant, cum eorum præsul Hugo, quosdam principum qui sibi quadam cognatione conveniebant, extra urbem [330] allocutus est, quærens ab eis rationem, ut scilicet quid agendum, quid vitandum, sibi dicerent. Si aliquorum intercessione id medendum videretur, si opus foret precibus, si etiam pugnæ instandum esset. Illi mox regum animositatem demonstrantes, fixum in eis, asserunt, nullorum interventibus sese concessuros, at obsidioni usque ad effectum operam daturos. Quod si urbem vi capi contingat, ipsi præsuli oculos effossuros, et hoc ita ordinatum fixumque. Unde et accelerandum ut egrediatur, suosque ab regum indignatione eripiat. His præsul territus, suis hoc monstrat. Et consilio habito, die obsidionis sexta, cum suis egreditur. Portæ [331] regibus panduntur.

56. Reges vero Artoldum resumentes, urbem consequenter introducunt. Duorumque metropolitanorum medius, Friderici Maguntini, ac Rotberti Tre-

VARIÆ LECTIONES.

[321] ti, E, r *abscisa*. [322] pro *abscisum*. [323] utio, regem *abscisa*. [324] regnis f. [325] est. Quomodo enim stare potest, quem socordia precipitat *deleta; desunt etiam apud Trithemium*. [326] quæ f. *Trith*. [327] m. componat *delet*. [328] l. a duce regno *deleta*. [329] pri, ugonis, ne *abscisa*. [330] u. præter suorum conscientiam a. *deleta*. [331] P. quoque *deleta*.

NOTÆ

(94) Burgundiæ.

verensis, ab eis per manus pristinæ sedi restitutus est. Ubi etiam mox Gerbergam reginam cum aliquot illustribus custodiæ deputantes, ipsi tres reges in Hugonem ducem cum exercitu feruntur. Silletum quoque vi irrumpere nitentes, considerato oppidi firmamento, inde amoliuntur, non tamen sine suburbii combustione, et aliquorum nece; sicque ad fluvium Sequanam contendunt.

57. *Quomodo pauci juvenes* [333] *naves a duce* [333] *subductas per* [333] *astutiam* [333] *repetitas* [333] *exercitui adduxerint* [333a].—Dux vero eorum impetum præsentiens, a litore hostibus contiguo per 20 miliaria omnes naves abduci præceperat, ne adversariis transeundi commoditas pararetur. At frustrato ejus consilio, multo aliter provenisse notum est. Nam decem numero juvenes quibus constanti mente fixum erat omne periculum subire, habitum militarem in peregrinum transformantes, reges prevenerant, obsecrationum vota simulantes [333]. Sportulis itaque ab humero dependentibus, ferratis baculis procedunt. Habitumque mentiti peregrinum, urbem Parisium cum Sequana pontibus pertranseunt. Nullus eis molestus extitit. Ac litora exteriora quibus naves tenebantur petunt. Sicque in hospitium farinarii cujusdam (95) divertentes, sese gratia visendi sanctorum loca ex citeriore litore [334] advenisse referunt. Farinarius juvenes formosos in habitu licet abjecto considerans, hospitium gratanter accommodat, et insuper eos mitius curat. Qui fraudem meditati, nummos dant, vinumque mercati hospitem inebriant. Et sic totam diem convivii jocunditate consumunt. Juvenes hospitem vino faciliorem advertentes, quod ei sit officium percunctantur. Ille farinarium sese memorat. At illi prosecuti, si quid amplius possit, interrogant. Ille etiam piscatorum ducis magistrum se asserit, et ex navium accommodatione questum aliquem sibi adesse. Illi vero: « Quoniam, inquiunt, humanissimum nobis te invenimus, ampliora etiam optamus. Unde et si quiddam nobis facias, 10 solidos nos allegaturos pollicemur, ut videlicet trans fluvium nos evehas, eo quod ulterius procedere oratum nequeamus, itineris longitudine fatigati. » At hospite respondente ducis edicto naves ad interiora litora raptas, ne Germanis irrumpentibus pateat accessus, illi tempore nocturno absque calumnia id fieri posse prosecuntur. Ille pecuniæ cupidus, naulum accipit, ac de patrando negotio fidem dat. Nox affuit. Juvenes promissum fieri postulant. Ille mox assumpto puero privigno, cum juvenibus in noctis tempesta ad naves properat. Comitantur et juvenes. Qui solitudinem videntes, puerum raptum in fluentum demergunt. Hospitem vero clamare nitentem, gutture invadunt. Atque mortem ni quod volunt efficiat, interminantur, ut videlicet naves solvat. Pervasus ergo ac territus, naves solvit. Consilioque inito, vinctum navi conjiciunt, ac naves singuli singulas ad litus deducunt. Ejecto vero hospite vincto, navim unam omnes ingressi, alias repetunt, ac novem iterum deducunt. Octiesque fluvium remensi, naves numero 72 abduxerunt.

58. Dum hæc gererentur, regum exercitus in ipsa diei orientis aurora fluvio affuit, navesque paratas cum remis invenit, quas tirones cum armis ingressi, navigant ac exaquantur. Tum circumquaque palantes, nullo prohibente a diversis portibus alias rapiunt, et exercitibus deducunt. Nam qui ruri degebant, irruentium metu omnes auffugerant. Dux vero Aurelianis sese receperat. Unde et qui resisteret aberat. Navibus itaque conexis, ac multo robore compactis, liburnas solidant. Quas ingressus exercitus, fluvium transit. Dein terra recepti, incendiis prædisque vehementibus totam regionem usque Ligerim depopulati sunt. Post hæc feruntur in terram pyratarum ac solotenus devastant. Sicque regis injuriam atrociter ulti, iter ad sua retorquent. Ludovicus vero rex Remos redit.

59. *Qualiter Deroldus a quodam medico deceptus* [335] *sit eumque deceperit* [335]. — Quo tempore Ambianensium episcopus Deroldus ab hac vita decessit, vir spectabilis ac palatinus, et quondam et regi admodum dilectus, in arte medicinæ peritissimus. De quo etiam fertur, quod cum adhuc in palatio regi serviret, a quodam Salernitano medico deceptus sit, eumque deceperit. Etenim cum uterque in arte medicinæ optime posset, et iste regi potior, Salernitanus vero reginæ [336] peritior videretur, commento regis repertum est quis eorum rerum naturas magis dinosceret. Jussit etenim coram se illos consedere convivas, causam rei penitus dissimulans, ac sepe eis questiones proponens. Quisque ut poterat proposita solvebat. Deroldus quidem, utpote litterarum artibus eruditus, probabiliter objecta diffiniebat. Salernitatus vero licet nulla litterarum scientia præditus, tamen ex ingenio naturæ, multam in rebus experientiam habebat. Regio itaque jussu cotidie considebant, ac mensa regia continue una potiuntur. Et die quadam de dinamidiarum differentiis disputatum est; tractatumque uberius quid efficiat farmaceutica, quid vero cirurgica, quid etiam butanica. At Salernitanus, peregrina nomina non advertens, ab eorum interpretatione erubescens quievit. Invidet ergo plurimum, ac in ejus mortem venenum parare meditatur; multam dolose benivolentiam simulans. Parato vero maleficio, cum una in prandio residerent, Salernitanus ungue inpudici toxicato, liquo-

VARIÆ LECTIONES.

[333] juv, a d, per a, tas, ad *abscisa*. [333] s. Quod et fertur Bernardi comitis astutia dispositum *jam deleta*. [334] itore *ex conject*. [335] ceptus, ceperit *abscisa*. [336] r. Frederunæ *deletum*

NOTÆ.

(95) De molendinario, molendinorum Sequanæ custode, cf. Gesta consulum Andegavensium cap. 9, apud Dachery Spicil. X, 444.

rem piperis quo cibum pariter intinguebant, lœtaliter inficit. Quo Deroldus incaute sumpto, mox serpente veneno, deficere cœpit. Eductusque a suis, teriaca vim veneni repellit. Et triduo expleto coram rediens, Salernitano consuescebat. Interrogatus vero quid ei accidisset, fleumatis frigdore se leviter tactum respondit; quicquam fraudis se perpendisse dissimulans. Unde et hostem incautum efficit. Convivæ itaque redditi, Deroldus toxicum inter auricularem ac salutarem occultatum, ejus cibo sumendo respersit. Quod mox venis serpens, vitæ calorem fugabat. Vexatusque a suis eductus est. Qui veneno expellendo operam dans, nihil curæ agebat. Deroldum itaque magnificans, summumque eum in medicina prædicans, ejus curam vehementissime petebat. Qui regis jussu flexus, antidotis datis a toxico per industriam non ex toto purgavit. Nam sumpta teriaca, vis veneni in pedem sinistrum penitus dilapsa est; in tantum ut apud domesticos eo familiariter agente, venenum ut fertur in modum ciceris a pede per venam surgens, ab antidoto obviante in pedem repelleretur. Quibus diutissime sic repugnantibus, pes in cutis superficie foratur. Factoque morbo, post a cirurgis miserabiliter absciditur.

60. (947.) Interea dux Neustriam combustam direptamque dolens, exercitum parat, et in Arnulfum, cum in regem non auderet, truculentus effertur. Oppida quoque illius aliquot impugnat. At cum per dies sex nullum comprehendere posset, voto frustratus sua repetit. Quæ dum a duce gererentur, rex obsidione Mosomum premebat, eo quod ducis nepos Hugo a pontificatu abjectus ibidem moraretur. Hunc itaque infestabat in ducis contumeliam. At ducem ab obsidione discessisse comperiens, ipse quoque Remos repetit. Qua etiam tempestate Bovo Catalaunensium episcopus, hac vita decessit. Cui etiam mox successit [337] ab rege, Gipuinus totius electione cleri, adolescens egregius, atque a domno Artoldo Remorum metropolitano consecratur episcopus.

61. Post [338] hæc vero, rex in Belgicam concessit, ibique ei loqueturus, Otto rex [339] obviam venit. Ac quæque necessaria ordinantes, ambo reges Aquisgrani pascha celebrant, atque multa reverentia sese mutuo honorant, atque hoc ab Ottone amplius; a quo etiam Ludovicus regiis donis liberalissime honoratur.

62. *Dux urbem* [340] *Remensem* [340] *impugnat* [340]. — Dum hæc ita sese haberent, dux de regis injuria apud suos agitabat, oportunitatem in regis absentia asserens, qua urbem Remorum capiat, cum tunc urbs tam episcopo quam militibus vacua esset, rex etiam ipse alias occupatus alia quereret. Unde et possibile asserebat, facili expugnatione urbem capi. Idque attemptare sese plurimum velle. Quibus milites capti in urbem mittendas cohortes censent. Quæ collectæ, cum duce gradiuntur. Urbem appetunt, et circumquaque obsidione premunt. Diffunduntur quoque passim, atque frumentum ex locis contiguis in usum pugnæ convectant. Castra fossis muniunt, cratibusque circumdant. Pugnam ergo in dies aut semel, aut bis inferunt. Nec minus et cives vehementissime resistunt. Jamque id diebus numero novem agitabant, cum regem adeo indignatum regredi ab observatoribus nuntiatur. Et mox obsidione soluta, duodecima die ab urbe discedunt.

63. Nec diu moratus rex urbem succurrendo ingreditur. Apud quem mox principes collecti, de ejus ac communi salute consultant. Et quia rerum utilitas Ottonem consiliis interesse exigebat, diriguntur legati, per quos ei [341] necessitas demonstratur, ac colloquium exeunte mense Augusto sibi habendum secus fluvium Karam denuntiatur.

64. Cum hæc sic sese haberent, dux nepotem ab præsulatu pulsum dolebat. Suadebat itaque ut officio pontificali amplius insisteret, et ne privatus penitus dignitate videretur aliquas ad gradus promoveret personas. Teibaldum ergo Suessonicæ æcclesiæ diaconum accersit, presbiterumque ordinat, ac post duce agente æcclesiæ Ambianensium episcopum sacrat. In qua re favere visus est Wido tantum Suessorum episcopus. Quem quia post penituit, sequentia demonstrabunt. Sed tempus colloquendi regibus advenit, ac secus fluvium Karam sibi occurrunt. Nec defuit dux, qui et ipse apud Duodeciacum vicum castra fixit, ut pro nepote causam apud episcopos ageret.

65. *Dux* [342] *enititur ut* [342] *causa* [342] *pro suo nepote* [342] *apud episcopos* [342] *agatur.* — Regibus itaque rerum negotia agentibus, dux causam nepotis episcopis disponebat, penes quos etiam plurimam habebat indignationem injuste et nullis evidentibus culpis nepotem præcipitatum memorans. Quod cum indicatum regibus esset, Ottone agente decretum est, ut ibi ab episcopis causa Artoldi atque Hugonis discuteretur, ita tamen ut et dux tempore congruo regi satisfaceret. Episcopis itaque rationem excipientibus,

VARIÆ LECTIONES.

[337] s. donatus vox *jam deleta.* [338] *Regis iter Aquisgranense paulo amplioribus verbis Trithemius exposuit* a. 948 et 949.... Remorum civitatem revertitur. Quo jussu regio convenerunt ex Celtica fere omnes episcopi, abbates, comites et nobiles, illis duntaxat exceptis qui partes ducis Hugonis sequebantur. Communi omnium decreto statuitur, ut regiæ dignitatis causa disponeretur apud regem magnum Ottonem, eo quod ipse tunc in Belgica moraretur, et apud alios, quorum prudentiæ res publica videretur commendanda. Et legatis utrinque directis rex Otto indicit colloquium generale in palatio Aquisgrani ad festum dominicæ resurrectionis proxime habendum (*a.* 949). Anno prænotato rex Otto, et Ludovicus Gallorum juxta condictum ad festum dominicæ resurrectionis in Aquisgrani conveniunt; ad quas e Germania et Gallia nonnulli quoque principes, episcopi, abbates et comites confluxerunt, qui omnes cum summa reverentia et honore sanctum pascha in dicto palatio celebrarunt. *Quæ ut sæculi* XVI, *commentarium, nullius auctoritatis esse, patet.* [339] r. belgicæ *del.* [340] urbem, ensem, im, nat *abscisa.* [341] Ottoni *corr.* ei. *Talia omisi.* [342] Du, ut, c, nep, episcopo *abscisa.*

cum inter plurima quæ ibi explicata sunt illud constantissime refutarent, quod Hugo sacerdotio privatus, contra fas Ambianensium episcopum ordinasset, regum sententia in aliam sinodum hujusmodi rationem transferendam constituit. Videbatur etenim quod non æquitatem satis commode hæc altercatio determinari valeret, cum nec sinodus ad hoc convocata fuisset. Et decreto regio 15 Kalend. Decemb. habenda denuntiatur. Interim vero sedes Remensis Artoldo conceditur, Hugoni vero in castro Mosomensi commorari permittitur. Pax quoque sequestra Ottonis interventu regi ac duci ab alterutro datur, et usque ad tempus habendæ sinodi sacramento firmatur.

66. *Sinodus* [343] *Virduni* [344] *habita.* — Tempus advenit, sinodusque episcoporum Virduni collecta est atque habita præsidente Rotberto metropolitano Treverico, cum Artoldo Remensi, considentibus quoque Adalberone Mettensi, Gauslino Tullensi, Hildebordo Mimegardvurdensi, Israhele Brittigena, assistentibus etiam Brunone viro reverendo et abbate, cum aliis abbatibus et monachis venerandis Agenoldo et Odilone. Ad hanc sinodum Hugo vocatus, missis ad eum deducendum Adalberone et Gauslino episcopis, venire noluit. Unde et episcoporum sententia [345] Artoldo tenere concedit episcopium. Sicque nullis rerum determinatis rationibus, sinodus soluta est.

67. (948.) *Sinodus Mosomi* [346] *habita.* — Indicitur vero habenda Idibus Januar. Et evoluto tempore, in basilica sancti Petri [346] apud Mosomense castrum secunda sinodus habita est, præsidente quoque prædicto metropolitano Rotberto Treverico, cum fere omnibus suæ dioceseos episcopis, ac aliquibus Remensis; consedente etiam Artoldo, cujus causa discutienda erat. Ne [347] abfuit Hugo; at sinodum ingredi noluit. Epistolam vero nomine Agapiti papæ signatam per suos [348] sinodo legendam porrexit. Quæ cum soluta et lecta esset, nihil canonicæ auctoritatis habere videbatur, nihil etiam pro ejus causa significare, nisi ut episcopium ei redderetur. Qua perlecta, cum episcopi consulto sese contulissent, cassandam censuerunt, eo quod absque ratione rem quæ in lite erat abdicato reddi jubebat. Et quia paulo ante ab ipso papa Agapito delegata erat epistola per Fredericum Maguntinum episcopum, atque data Rotberto metropolitano Treverico, coram regibus ac Galliæ et Germaniæ episcopis, quæ erat continens auctoritatem apostolicæ jussionis, partemque præceptorum ejus jam exsecuti fuerant, communi mox consensu decretum est, ut quod regulariter cœptum erat, rationabiliter atque canonice pertractaretur. Simulque et mox a metropolitano jussum est, ut recitaretur caput 19 concilii Carthaginensis, quod constat de accusato et accusatore. Et recitato, secundum ipsius capituli sententiam constituere, ut Remensi parrœchia Artoldo restituta qui nullius sinodi rationes audire refugit, Hugo qui adduas jam sinodos accersitus venire contempserat, a Remensis episcopii regimine abstineret, donec in tertiam sinodum [349] purgandus de objectis adveniret. Capitulum vero supra dictum, litteris cartæ mandatum est, et ab episcopis cautum, ac eidem Hugoni directum. In quo, cum episcoporum cautionem subscriptam Hugo vidisset, motus in iram, Rotberto qui sinodo præerat contumeliose remisit, episcoporum judicio nihil sese facturum asserens. Et sic causa penitus indiscussa, sinodus soluta est. Indicitur vero tercia sinodus Kal. Aug. habenda.

68. His ita gestis, Artoldus epistolam ad sedem Romanam dirigit, commodissime continentem, et suarum injuriarum seriem, et regis incommodorum tenorem. Domnus itaque Agapitus papa, ad multam benivolentiam animum intendens, mox accersit venerabilem Ostiensem episcopum Marinum, magnæ æquitatis et prudentiæ virum, vim epistolæ ei explicans, et ad rerum correctionem illum vehementissime hortans. Mittitur ergo venerabilis Marinus, domni papæ vicarius, ad Ottonem regem, ob evocandam atque congregandam universalem sinodum. Diriguntur et epistolæ specialiter aliquot episcopis tam Germaniæ quam Galliæ, ad rerum æquitatem suasoriæ.

69. *Item sinodus* [350] *apud Angleheim* [351] *habita* [352]. *cf. Legg. II.* 24. — Interea statuto tempore, sinodus universalis collecta est ex præcepto Agapiti papæ, sub Marino ejus vicario, in palatio Angleheim, quod interpretatur angelorum domus, secus fluvium Rhenum, in basilica beati Remigii Francorum apostoli. Domno itaque Marino præsidente, episcopi quoque qui ex diversis confluxerant, jure æcclesiastico consederunt, Rotbertus videlicet Trevericus metropolitanus, Artoldus Remensis metropolitanus, Fredericus Maguntinus metropolitanus, Wicfridus Coloniensis metropolitanus, Adaldacchus Hammaburgensis episcopus, Hildeboldus Mimegardvurdensis episcopus, Gauslinus Tullensis episcopus, Adalbero Mettensis episcopus, Berengarius Virdunensis episcopus, Fulbertus Cameracensis episcopus, Rodulfus Laudunensis episcopus, Richoo Warmacensis episcopus, Reimboldus Spirensis episcopus, Boppo Wirzburgensis episcopus, Chounradus Constantiensis episcopus, Odelricus Augustensis episcopus, Thethardus Hildinesheimensis episcopus, Bernardus Alfureestedensis (96) episcopus, Dudo Poderbrunnensis episcopus, Lioptacus Ribunensis episcopus, Michahel

VARIÆ LECTIONES.

[343] nod, ni h *abscisa.* [344] sensentia *c.* [345] Mo *abscisum.* [346] petetri *c.* [347] *ita c.* [348] per quendam clericum suum l. [349] s. quæ Kalendis Aug. habenda indicebatur *del.* [350] odus, gle, bita *abscisa.*

NOTÆ.

(96) *l. e.* Halberstadensis.

Radisponensis episcopus, Farabertus Tungrensis episcopus, Doddo Osnebruggensis episcopus, Evherus [351] Mindensis episcopus, Baldricus Trejectensis episcopus, Heiroldus Salzburgensis episcopus, Adalbertus Pazsoensis episcopus, Starchandus Eistetiensis episcopus, Horath Sleoswicensis episcopus, Wichardus Basiliensis episcopus, Liefdach (97) Ripuensis episcopus.

70. *De dispositione* [352] *gerendorum* [353], *et habenda* [354] *juditii prælatura* [355].— Horum omnium cuique cum liceret ex canonibus vel decretis proferre quæcumque negotio commoda viderentur, disponendi [356] tamen facultas et rationum interpretatio, domno Rotberto Treverico commissa est, eo quod divinarum et humanarum rerum scientia et eloquentiæ efficatia insignissimus haberetur. Judicii vero censura penes domnum Marinum domni papæ vicarium mansit (98). Et considentibus cunctis, post præmissas secundum ordinem celebrandi concilii preces, postque recitata decretorum sacra capitula, serenissimi reges Ludovicus et Otto, in sacram sinodum admissi sunt. Quibus etiam considentibus, domnus ac venerandus Rotbertus sic orsus cepit :

71. *Prælocutio* [357] *Rotberti* [358] *Treverici* [359] *metropolitani* [360] *in sinodo. Legg. II.* 19-21.— « Multa, inquiens, sunt, patres reverendi, quibus hic apud serenissimos reges, in unum coacti residemus. Plurima etiam quæ vestra probitate ordinanda videntur [361]. Totius pene Galliæ rem publicam pravorum temeritate turbatam, magnisque subjacere periculis constat. Unde et leges divinæ atque humanæ indiscrete a malivolis contempnuntur, cum is cui regnorum [362] jura debentur, et imperandi potestas transfusione paterna credita est, suorum insectatione captus, ergastuloque immaniter trusus sit, suorum adhuc gladiis infestetur [363], Remorum quoque metropolim absque pastore fures atrocissime insectentur, cultus divinus vilescat, religio canonica pro nihilo sit. His ergo, patres, vehementissime insistendum arbitror, multaque nobis diligentia enitendum, qui gratia sancti Spiritus hic in unum confluximus [364], quatinus res ante dissolutæ sic in fœdus redeant, ut et domno ac serenissimo regi libera regnandi reddatur potestas, et per eum ecclesiæ Remensi debitus suus restituatur honor. »

72. *Responsio* [365] *Marini* [366] *Romanæ* [367] *sedis* [368] *legati* [369].— Ad hæc domnus Marinus sanctæ Romanæ sedis vicarius : « Optime, inquit, atque utiliter frater ac coepiscopus Rotbertus, rerum seriem tenuit. Etenim cum divinas leges, humanis præponendas ipse pernoscat, considerata tamen rerum fortuna, regiæ dominationis imperium ante dixit restaurandum, ut ejus vigore firmato, ejusque potentia utiliter restituta, ejus post liberalitate, ecclesiarum Dei honor consequenter recrescat, ejus patrocinio agente, virtus bonis quibusque redeat. Quod ut Deo annuente fieri queat, in primis audienda atque strenuissime disponenda videtur causa domni ac serenissimi regis, si id quoque vestri judicii paciatur censura. » Synodus dixit : « Audiatur. »

73. *Conquestio* [370] *Ludovici* [371] *regis* [372] *apud Ottonem regem* [373] *et sinodum* [374] *regni* [375]. — Tunc rex Ludovicus ab Ottonis regis latere surgens, stando conqueri modestissime petebat. At rogatus ab sinodo, hujusmodi residens effudit querelam : « Quanto, inquiens, Hugonis instinctu, quantoque ejus impulsu conqueri cogor, testis est ille, cujus gratia vos hic congregatos paulo ante relatum est. Pater ejus, ut a principio exordiar, patri meo regnum invidens, dum ei domi militiæque servitium deberet, regno illum immaniter privavit et usque ad vitæ ejus suprema [376] ergastulo [377] inclusum [378] esse rogavit. Me vero parvum in fasciculo farraginis a meis dissimulatum, in partes transmarinas et prope in Rifeos fugere compulit. Patre autem extincto [379] et me in exilium deportato, iste cum reminisceretur sui patris, ob insolentiam interfecti, regni curam suscipere formidabat. Nobis itaque invidens, Rodulfum [380] promovit. Sed Divinitas res illius sicut et cetera determinans, ei quando voluit finem regnandi dedit. Dum item regnum vacaret, consilio bonorum me a partibus peregrinis exulantem revocavit, ac omnium conibentia in regnum promovit, nihil mihi præter Laudunum relinquens. Promotusque cum ea quæ regii juris videbantur, repetere niterer, id invidissime ferebat. Factus ergo latenter adversarius, amicos si quos habebam, pecuniis subvertebat, inimicos in odium amplius incitabat. Tandem urgente invidia, apud piratas egit, ut ab eis dolo caperer ; regnum in se posse refundi arbitrans, si id fieri contigisset. Nec defuit insidiis effectus. Captus fui, carcerique [381] mancipatus. Ille vero me eripere simulans, filios meos jure obsidum dandos petebat. At iis qui mihi fide adjuncti erant omnes dari reclamantibus, dimisso uno, a piratis me recepit. Jam libertatem sperans, quo animus impelleret ire volebam. Verum aliter provenisse manifestum est. Nam captum mox in vincula conjecit, ac annuali carceri mancipato. Marinus igitur præsidis, Rotbertus referentis vices susceperunt.

VARIÆ LECTIONES.

[351] Euherus *c.* [352] tio, dor, da, tu *abscisa.* [353] ordinandi *corr.* disponendi. [354] Pr, R, ri, li *abscisa.* [355] cognoscimus *superscripto* videntur. [356] galliarum *superscripto* regnorum [357] appetitur 1. [358] *c.* multo intuitu multo caritatis affectu [considerandum *corr.*] insistendum arbitror ut sic *res*, etc. *deleta.* [359] ponsio, ni, Ro, sedis, ti *abscisa.* [360] estio, ci, regis, gem et, m, i *abscisa.* [361] ma, o inclu, ogavit *absc.* [362] capto 1. [363] alium 1. [364] *c* per annum *del.*

NOTÆ.

(97) Supra jam occurrit, ut etiam in Flodoardo.

(98) Cf. infra concilium ad S. Basolum ann. 991.

pavit. Unde cum a cognatis et amicis meis indignantibus sese impetendum adverteret, libertatem [365] spopondit si Laudunum acciperet. Hoc tantum claudebar, hoc solo cum uxore et natis recipiebar. Quid facerem? Castro vitam præposui: pro castro libertatem merui. Et en omnibus privatus, omnium opem deposco! His si dux contraire audeat, nobis tantum singulariter congrediendum sit.»

74. *Oratio* [366] *Rotberti* [366] *pro Ludovico.* — Quibus palam promulgatis, Rotbertus metropolitanus subinfert: «Quoniam, inquiens, domni atque serenissimi regis satis breviter ac dilucide digestam, optime ut arbitror conquestionem percepimus, consequens videtur, ut ejus causam in quantum fas est determinemus. Dux ergo quia omnia pene regni jura, in sese transfudit, eique viribus reniti non valemus, mitius hoc attemptandum arbitror, ut qui Deum non metuit, et hominem non reveretur, multa ratione multaque rerum consideratione, ad formam Deo juvante reducatur. Igitur juxta patrum decreta, et canonum regulam, inprimis ad satisfactionem fraterne monendus est, verbisque suasoriis ad id modestissime revocandus. Quod si post blandam revocationis ammonitionem resipiscere noluerit [367], omnium anathemate feriatur, hoc habentes præsidio, quod jam a domno papa correctus sit, jussusque a domini sui insectatione quiescere.»

75. *Responsio* [368] *Marini* [368] *legati pro* [368] *eodem* [368]. — Atque his domnus Marinus subjunxit: «Reminiscor, inquiens, domnum papam ante hunc annum anathema in reos misisse qui hunc dominum et regem Francorum insectabantur; epistolam quoque suasoriam ut ab eo non deficiant, bonis quibuslibet delegatam, atque conquestionem de eadem re litteris expressam, iis quibus sanior mens erat delegatam fuisse. Unde et opinor justissime dictum, cum ante a papa vocatus atque correctus sit, nunc quoque caritatis gratia revocandus est, et diligentissima suasione ut a malis quiescat commonendus; et post omnium anathemate dampnandus. Et non solum ille, verum omnes qui ei in malis favere faventque. Sed hanc solum a nobis accipiet opem. Numquid vero ab alio quicquam opis accipiet? Ejus conquestio in sua clausula, opem omnium postulat. Sed si a nobis ei succurritur, a domno Ottone rege quid accipiet? Et decretalia sancta acclamant, postquam tirannis anathema dampnationis ab episcopis injectum est, a bonis quoque potentibus vim inferendam, ut si ecclesiasticis correctionibus ad normam redire nolunt, saltem potentium vehementi violentia ad bonum redire cogantur, ut vel invitis bona præstentur.»

76. *Oratio* [369] *Ottonis* [369] *regis pro eodem.* — Ad hæc rex Otto: «Multa, inquit, sunt patres beneficia, quæ a vobis domno ac serenissimo regi Ludovico utiliter accomodari valebunt. Etenim si ejus insectatores armis divinis adoriamini, consequenter aut facili tumultu devicti labascent, aut si quid impetendum relinquetur, facilius nostris armis infirmabitur. Vos ergo jubente domni papæ legato, vestri ordinis instrumenta exerite, ac tanti regis adversarios, anathematis gladio transverberate. Contra quæ si cervicem postea erigere audeant, et dominicis interdictis resistere non formidant, nostrum exinde erit, quibus commissum est in hac mundi parte sanctam Dei æcclesiam tueri, ut in tales arma sumamus, hujusmodi debellemus. Et si necessitas adurgeat, strictis gladiis usque ad immanissimam cædem perditissimorum hominum deseviamus, habita in illos justissimæ indignationis causa, quod illicita aggrediantur, et pro illicitis ammoniti, non corrigantur. Vos itaque tantum vestris insistite; et post modestiam vestram virtus nostra sequetur.»

77. *Epistola a sinodo* [370] *ad Hugonem delegata* [370]. — Quibus dictis, mox sinodi decreto epistola descripta est palamque recitata, hanc verborum seriem tenens (99): «Sancta sinodus in palatio Angleheim sub domnis atque orthodoxis regibus Ludovico et Ottone utiliter habita, Hugoni duci. Quantis malis, quantaque persecutione vexaveris illam venerabilem Remorum metropolim, quanta quoque crudelitate debacchatus sis in dominum tuum regem, ora omnium locuntur, apud omnes agitatur. Quod quam sceleratum, et quam pernitiosum sit, divinæ atque humanæ leges copiosissime produnt. Unde et tibi compatientes, ab talibus te quiescere monemus. Et ad dominum tuum, multa mansuetudinis humilitate quantotius reverti hortamur. Quod si contempseris, priusquam in diversa referamur, anathemate sine dubio te perstringemus, donec aut satisfacias, aut Romam apud domnum papam ratiocinaturus petas. Cujus litteris jam bis monitus es, et a tanto facinore prohibitus. Unde et nos post illum, tercio jam te ad correctionem revocamus [371].» Quæ totius sinodi auctoritate roborata, duci per legatos mox directa est.

78. *Causa Artoldi.* — Post hæc surgens Artoldus archiepiscopus, rerum ordinem, sed et ipsius litis initium quæ agitabatur inter sese et Hugonem sibi subrogatum episcopum, luculentissime disseruit. Quin et epistolam profert, nuperrime a domno papa sibi directam, per quam episcopatum sibi retinendum significabat. Post cujus interpretationem, Sigeboldus quidam prædicti Hugonis clericus, aliam mox

VARIÆ LECTIONES.

[365] reditum 1. [366] Or, berti *abscisa.* [367] n. tertia hujus sinodi die *del.* [368] Res. Ma, pro, eo *abscisa.* [369] Or, nis *abscisa.* [370] a si, ad Hugonem ata *abscisa.* [371] ammonemus 1.

NOTÆ.

(99) Epistolam vere in hac synodo scriptam esse, licet a Flodoardo mentio ejus nulla facta sit, acta hujus synodi testantur; igitur eam a Richero, acta synodi Laudunensis apud Flodoardum evolvente, fictam esse, minime credo.

epistolam sinodo porrexit, signo domni papæ munitam, et ab Urbe a sese delatam. Quæ etiam in conspectu episcoporum recitata atque diligentissime discussa est. In cujus textu id solum dicebatur, quod Rodulfus Laudunensis episcopus, Wido etiam Suessonicus, necnon et Hildegarius Belvacensis, ceterique Remensis dioceseos episcopi, ad sedem apostolicam pro restitutione Hugonis, et abdicatione Artoldi, epistolam miserint. Unde et domnum papam ad eorum vota, eorumque petitionem, omnia fieri velle. Post cujus recitationem, prædicti mox consurgentes episcopi, epistolæ sententiam penitus confutarunt ac calumniarum injectorem hominem perditissimum adclamarunt. Quibus cum contraire non posset, quibusdam maledictis eos adortus, publice de perfidia criminabatur [373].

79. *Calumniatoris* [374] *episcoporum reprobatio* [375]. — Tunc a domno Manino decernitur, ut recitentur capitula de calumniatoribus prolata. Quibus mox lectis, cum calumniator reniti non posset, episcoporum inditio diaconatus quo fungebatur officio privatur, et a conspectu sinodi contumeliose reprobatus, exire compellitur. Artoldo vero pontificatus dignitatem secundum canonum instituta, patrumque decreta, sinodus habendam decernit, atque corroborat, eo quod nullius concilii rationibus interesse refugerit. Atque hæc prima consessionis die constituta sunt.

80. Secunda vero die, post recitatas sacræ auctoritatis lectiones, et domni Rotberti allocutionem, a venerabili Marino constituitur, ut quoniam juxta sacræ legis sententiam, pontificalis dignitas Artoldo restituta est, in ipsius pervasorem sinodalis proferatur censura. Recitantur itaque decreta canonum, et sanctorum instituta patrum, Innocentii, Alexandri, Simmachi, Sixti, Celestini, Zozimi, Leonis, Benefacii, aliorumque sanctæ Dei ecclesiæ doctorum illustrium. Quorum decretis, unanimiter anathematizant, atque ab totius ecclesiæ communione sequestrant, Hugonem Remensis ecclesiæ pervasorem, donec resipiscentem peniteat, ac pro facinore offensis satisfaciat.

81. Cf. *Legg.* II. 24. 1. 55. — Reliquis autem diebus decretum est de incestis et illicitis presbiterorum conjugiis, de presbiteris quoque eukaristiam indigne tractantibus, de ecclesiis etiam a laicis indebite usurpatis; aliaque nonnulla ibi prolata [376] fuere, quæ diligentissime investigata, atque utiliter diffinita sunt; sicque sinodus soluta est. Indicitur vero post dies 30 iterum habenda Lauduni in basilica sancti Vincentii martiris, ut ibi exeratur anathema in Hugonem tirannum.

82. *Anathema* [377] *episcoporum* [378] *in ducem ejusque* [378] *fautores.*—Quibus diligenter ac canonice peractis, Ludovicus rex ab Ottone rege militum copias duce Chonrado, contra Hugonem tirannum accipit. Quæ dum per dies 40 colligerentur, episcopi supradicti tricesima die post peractam sinodum in basilica sancti Vincentii martiris apud Laudunum sub rege Ludovico collecti sunt (100). Et iterum præsidente prædicto Marino, post sacræ Scripturæ paginas, quæ ibi recitatæ et multa consideratione discussæ sunt, Hugonem tirannum anathemate damnant, et a sancta æcclesia pellunt, nisi resipiscens domino suo satisfaciat, aut Romam pro sui absolutione apud domnum papam ratiocinaturus petat. In qua etiam sinodo, agitur de episcopis qui cum duce evocati fuere, et distulerunt venire, de iis etiam qui consecrationi Hugonis episcopi jam abdicati illicite interfuerunt, vel qui ab ipso pulso, vel post abdicato, contra fas videbantur promoti. Damnantur itaque duo pseudoepiscopi ab Hugone [376] ordinati, Tetbaldus scilicet et Ivo, quorum prior a pulso sacratus est Ambianensium episcopus, alter vero ab abdicato Silletensium. Damnatus et Adelelmus Laudunensis æcclesiæ diaconus, a Rodulfo suo episcopo [377] insimulatus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in æclesiam temerarius introduxerit. Hi enim in anteriore sinodo cum duce jam evocati, satisfacere contempnebant. Vocatur vero Hildegarius Belvacensium episcopus, domni Marini et episcoporum legatione, ut aut ad eos veniat, aut sedem apostolicam pro suo facinore ratiocinaturus petat, eo quod interfuerit ordinationi supra jam dictorum pseudoepiscoporum. Vocatur et Heribertus, Heriberti tiranni filius, ob mala quæ æcclesiis vel episcopis immaniter inferebat. Wido vero Suessionicus episcopus, cum a plurimis laceraretur, eo quod ipse Hugonem episcopum sacrasset, in sinodo reum sese confitens, et multa penitentia reatum deplorans, intercedentibus apud sinodum Artoldo atque Rotberto archiepiscopis, absolvi ab eis obtinuit. Wicfridus quoque Morinensis episcopus, qui criminabatur interfuisse, immunis a crimine reperitur. Affuit vero Transmari Noviomensis episcopi legatus, Silvester presbiter, episcopum suum tanta vi febrium detentum asserens, ut ad sinodum venire nequiverit, quod etiam in conspectu sinodi testibus approbavit. Post hæc episcopi in sua referuntur. Domnus vero Marinus, ab Ottone rege per legatos rogatus, in partes Germaniæ secedit, ibique æcclesiam Vuldensis monasterii dedicat, et hieme exacta, Romam redit. His expletis, Rodulfus Laudunensis episcopus, ultimo corporis dolore confectus, hac vita decedit.

VARIÆ LECTIONES.

[373] *Hucusque atramentum fuscum, reliqua codicis nigriori scripta sunt.* [374] Cal, tor, repro *abscisa.* [375] prolatata *codex.* [376] A, episco, ej *adscisa.* [376] H. pulso vel abdicato *del.* [377] e. apud sinodum *del.*

NOTÆ.

(100) Quæ sequuntur, minine in synodo Laudunensi sed in Trevirensi tractata sunt, ut ex Flodoardo supra pag. 397, 398 patet. Richerus igitur acta synodi Laudunensis et initium Trevirensis prætermisit.

Succedit ei vero frater regis ex concubina Rorico, omni rerum scientia inclitus. A

83. *Rex cohortes Mosomum mittit et capit.* — Interea exercitu ex omni Belgica duce Conrado apud regem collecto, tres cohortes rege jubente Mosomum mittuntur. Compererat etenim Hugonem abdicatum ibidem reclusum, multaque rei militaris inopia eum haberi. Cohortes ergo oppidum in ipso crepusculo aggressæ, repentina oppugnatione circumquaque infestant. Instant quoque magnanimiter capere. Et quia revera milites paucissimos, armaque vix aliqua sciebant, indesinenter vires exerunt, armisque adurgent. At aliis fatigatis, alii intacti succedunt. Sicque sine intermissione paucissimos, numerosi atterunt. Oppidani vero assidua expugnatione attriti, die altera jam sole occiduo omnes cum domino ad deditionem coguntur. In quo tumultu, quo genere fugæ nescitur, Hugo abdicatus evadit. De militibus vero qui potiores videbantur, capiuntur, ac oppido aliis deputatis, regi deducuntur. B

84. *Rex Montem acutum capit.* — Rex vero castrum quod dicitur Mons-acutus, quod etiam est Lauduno contiguum, cum exercitu oppugnabat. Et quia non satis adhuc murorum firmamento claudebatur, nec multitudo militum sufficiens commode ibi cohabitare poterat, urgenti obsidioni diutius resistere oppidani non patiuntur. Victi ergo cedunt, ac resistere quiescunt. Oppido itaque capto, rex suos deputat, et sic exercitum Lauduno inducit; obsidionem per loca commoda disponit, viresque admodum confert [378]. Sæpissime eminus decertatum est. Comminus etiam dimicatum novies. Nullo vero prosperioris fortunæ successu, regius impetus eo tempore enituit. Imminebat etenim hiemis intemperies, unde et bellicæ machinæ in articulo temporis fabricari non poterant, sine quibus tanti montis eminentia expugnari non potest. Regis itaque jussu exercitus redit, hieme transacta rediturus. Rex vero Remis sese privatum recepit. C

85. Hugo autem dux, episcoporum anathema vilipendens, ac regi subdi contempnens, cum multis Nortmannorum copiis regiam urbem Suessonicam aggreditur, multaque obsidione premit. Alios itaque adortus gladio enecat, alios vero nube sagittarum ac balistarum lœtaliter sauciat. Injectisque jaculo ignibus, domum matris æcclesiæ succendit. Claustrumque canonicorum ac partem civitatis majorem, ignibus solo tenus combussit. Quam cum capere non posset, in pagum Remensem ubi rex tunc privatus morabatur, iter truculentus reflectit. Cujus adventum ii qui ruri degebant audientes, in æcclesias sanctorum cum suis rebus confugiunt. At tirannus pauperum turbis inmisericors, eorum plus quam 560 intra æcclesias succendisse traditur. Et sic ad sua refertur. D

86. Rex vero Ludovicus Gerbergam reginam ad Ottonem fratrem suum dirigit, ut sibi copias acceleret [379]. Proficiscitur itaque imminente sollempnitate pascali, et Aquisgrani palatio sanctum pascha cum fratre Ottone celebrat. Conveniunt ex Germania principes nonnulli. Adsunt ex Belgica universi. Nec desunt legati Grecorum, Italorum, Anglorum, atque aliorum plurimæ legationes populorum. Regina ergo cum fratre consilio habito, et accepta ab eo auxilii pollicitatione, secura ad regem Ludovicum redit.

87. Ludovicus vero in tirannum iratus, nimio animi fervore Ottonis auxilium prævenire meditabatur. Arbitrabatur etenim, quoniam in longa exercitus exspectatione, injuria inulta videretur. Confert itaque cum patre meo [380] consilium, eo quod ejus esset miles, consiliis commodus, facundia simul et audatia plurimus. Unde et rex admodum ei consuescebat, et apud eum sepissime consultabat. Dictabat ergo pater meus [380] apud regem et paucos qui intererant, ordinem capiendi Laudunum ita. Primum sese observaturum oportunitatem aiebat, et an loci habitudo id ferret, an etiam cives in observatione urbis cautissimi haberentur, diligentissime exploraturum sese memorabat. Deinde dicebat efficaciter se adeo ordinaturum omnia, et sic ad effectum utiliter reducturum, ut nulli post sese quicquam negotio inperfecto supplendum relinqueretur.

88. Rege ergo per dies aliquot Remis demorante, Rodulfus [381] — sic enim pater meus [382] dicebatur — commoditatem patrandi negotii per suos explorabat. Missisque exploratoribus, comperit agasones civium per dies singulas exire ab urbe tempore vespertino quinquagenos aut sexagenos, et farraginis fasciculos equis in urbem deferre, capitibus ob solis ardorem obvolutis. Idque cotidie, et tempore eodem. Quod cum ab observatoribus patri meo [383] relatum fuisset, simili eos exercitio posse falli advertit. Refert [383] ergo sese ad regem, et sic apud eum præsentibus paucissimis concepta effundit :

89. « Magnum quidem, inquiens, o rex videretur, si hoc negotium solummodo armis viribusque esset attemptandum. Sed quia per astutiam ejus principium utilitas aggredi suadet, prout mihi videtur, cohortes aliquot secus montem in abditis ponendæ sunt. Exspectandum etiam qua tempestate equos educant agasones herbatum potatumque. Qui cum in suo tempore egressi fuerint, et ab observatoribus eorum egressus et numerus nobis referetur, mox ad eorum numerum lectissimi juvenes eodem scemate, eodemque numero capitibus ut ipsi pilleatis [384] farraginem in equis ad portam deferant, unde paulo ante agasones exierant, acsi ipsi agasones redeant. Qui cum altitudine fasciculorum aspectum protegere possint, facili ingressu urbem penetrabunt. Et ne quid impossibile a me dictum suspiceris, eorum du-

VARIÆ LECTIONES.

[378] conferret *corr.* confert. [379] copias mittat, licet ipse exercitum collectum remiser' et [non usque post hiemem *corr.*] et usque post ver non reversurum constituerit. *deleta.* [380] *jam* p. m. [381] *jam* ro : l. [382] *jam* p. m. [383] Contulit f. [384] obvolutis f.

cem me in hoc certamine offero. Animo tantum sint constanti. Successus vero Deo volente prosperabitur. Si ergo tempestivius cives insidias advertant, bellumque nobis paucioribus inferant, fixum nobis animo sit, aut portæ ingressum tantum tueri, donec tubæ clangore excitatæ cohortes nobis subveniant, aut multa constantia in loco quem quisque possidebit, magnanimiter emori. »

90. Hujusmodi rerum dispositio omnibus apta videtur. Observatores itaque directi, agasonum consuetudinem, eorumque habitum, tempus quoque et numerum promtissime referunt. Ad eorum quoque relatum cohortes in abditis secus montem dispositæ sunt. Pro numero etiam agasonum milites cum patre meo jurati ad peragendum rei negotium diriguntur. Agasones itaque numero 60 sumptis armis more solito per montis devexa capitibus pilleatis, ad farraginem descendunt. Et circa carices colligendos [385] occupati, moram regrediendi aliquantisper faciunt. At pater meus et ii qui jurati cum eo erant, vehementi animo succedunt; factoque agmine pilleatis capitibus more agasonum cum fasciculis farraginis tempestivius reditum accelerant, magnitudine fasciculorum vultus penitus abdentes. Quibus advenientibus porta patefacta est. Et indivisi urbem penetrant. Fasciculos itaque abiciunt, et gladios educunt. Tubis personant, magnisque clamoribus urbem conturbant. Urbani ergo insidias comperientes, cum armis in hostes feruntur. Instant omnes, et validissime plurimi paucos adurgent. At regii milites, a leva quidem turri, a dextra vero domibus, a tergo autem muro urbis protegebantur, omnem vim belli ante habentes; unde et tutius congrediebantur. Nec ulterius in hostes audebant progredi, ne adversarii a tergo portam pervasam repeterent, et ne sic facti hostium medii, interirent. Instat itaque quisque in loco quem possidet. Et jam nimium omnes sauciati pene deficiebant, cum regiæ cohortes tubis excitatæ, ab abditis erumpunt, multoque impetu jam prope victis subveniunt, portamque defensam ingrediuntur, atque urbanos immani cæde adoriuntur. Qui mox a cohortibus victi ac comprehensi sunt, præter paucos qui in turris præsidium sese receperunt.

91. Ludovicus ergo rex urbe potitus, cum nulla expugnatione turrim evincere posset, ab urbe eam secludit, obducto intrinsecus muro. Quod factum dux comperiens, cum exercitu accelerat. At nihil virium exerere valens, non sine merore ad sua redit. Illud tantum fecisse fertur, quod arci copias demiserit.

92. Aderat tempus quo rex copias ab Ottone rege præstolabatur. Adest ergo Chonradus dux cum exercitu ex tota Belgica, ab Ottone rege missus. Ludovicus vero rex cum exercitu de Belgica ducis terram ingreditur. Primum vero urbem Silletum adit. Ibi autem primum certamen habere volens, impedimenta quæque ab urbe amovet. Succendit itaque suburbium, circumquaque, ac quidquid extrinsecus exstare videbatur, in planiciem redigit. Obsidionem deputat, urbemque circumdat. Gravi congressu utrimque dimicatum est. Utrimque quam plurimi sauciantur. Belgæ vero quia ab urbanis nimium arcobalistis impetebantur, resistere quiescunt. Nihil enim contra nisi tantum scutorum testudine utebantur. Unde et regio jussu, ab ea urbe discedunt, non solum ob arcobalistarum impetum, verum etiam ob turrium plurimarum firmamentum.

93. Aliorsum itaque iter retorquent, et usque ad fluvium Sequanam, quidquid ducis visum est per 40 miliaria immanissime insectati sunt. Sed cum fluvius equitatum regium ulterius prohiberet, rex gratias exercitui reddit, et secum usque quo a se dividerentur reducit. Dux autem e vestigio exercitum collectum in pagum Suessonicum deducit.

94. Ubi cum in regem conaretur, intervenientibus episcopis Widone Autisiodorense et Ansegiso Trecasino, jurejurando utrimque accepto sub pace sequestra usque in pascha ratio eorum dilata est. Quæ omnia Julio mense [386] gesta sunt.

95. Quo etiam tempore, sinodus Romæ habita est in basilica sancti Petri apostoli, præsidente domno Agapito papa. In qua etiam ipse domnus papa, concilium anteriore anno apud Angleheim habitum, coram episcopis Italiæ roboravit, et ab eis roborari constituit. Hugonem quoque Galliarum ducem, in supradicta sinodo dampnatum, ipse etiam condempnat, donec regi suo satisfaciat, aut Romam veniat inde ratiocinaturus. Moxque anathema descriptum et a sinodo roboratum, episcopis Galliarum destinatur.

96. (950.) Episcopi itaque Galliarum anathemate moti, apud ducem colliguntur, et inde gravissime conqueruntur. Ex decretis patrum, sacrisque canonibus duci demonstrantes, neminem stare pertinaciter adversus dominum suum debere, nec temere in eum quicquam moliri. Illud etiam promptissime monstrant, secundum apostolum regem honorificandum, et non solum regem verum omnem potestatem majorem subjectis dominari debere asserunt. Preter hæc quoque perniciosissimum esse, apostolicum anathema pertinaciter vilipendere, cum id sit gladius qui penetrat corpus usque ad animam, et sic mortificatos a regno beatorum spirituum repellat. Sibi etiam periculo esse memorant, si id quod animabus periculum ingerit, neglegentes non innotescant.

97. Talibus dux persuasus, regi humiliter reconciliari deposcit, eique satisfacturum sese pollicetur Hujus concordiæ et pacis, ordinatores fuere, Chonradus dux et Hugo, cognomento Niger, Adalbero quoque atque Fulbertus episcopi. Et die constituta rex et dux conveniunt. Ac secus fluvium Matronam

VARIÆ LECTIONES.

[385] *loco verborum* : Et c. c. colligendos *in margine scriptum* : Unde etiam. [386] Augusti tempore I.

colocuti, principibus prædictis internuntiis,, in summam concordiam benignissime redierunt. Et quanto vehementius ante in sese grassati fuere, tanto amplius exinde amicitia se coluere. Hugo itaque dux per manus et sacramentum regis efficitur, ac turrim Laudunicam suis evacuatam, regi reddit; multam abinde fidem se servaturum pollicens.

98. (931.) Jussus ergo ab rege, in Aquitaniam exercitum regi parat. Quo in brevi collecto, causis rerum exigentibus ad interiores Burgundiæ partes rex secum exercitum dirigit. Cum ergo in agro Matisconensium castra figeret, occurit ei Karolus Constantinus, Viennæ civitatis princeps, ejusque efficitur, fidem jurejurando pactus. Hic ex regio quidem genere natus erat, sed concubinali stemmate usque ad tritavum sordebat, vir grandevus, et multis bellorum casibus sæpissime attritus, et qui in superioribus piratarum tumultibus felici congressu insignis multoties enituit. Affuit etiam Stephanus Arvernorum præsul, ac regi sese commisit. Necnon et a Wilelmo Aquitanorum principe legati industrii affuere, pro suo principe ex fide habenda sacramenta daturi. Quibus postquam jussa regalia data sunt, rex in urbem Vesontium quæ est metropolis Genaunorum, cui etiam in Alpibus sitæ Aldis Dubis præterfluit, cum duce exercitum deducit. Atque ibi Letoldus ejusdem urbis princeps, ad ejus militiam sacramento transit.

99. Quibus feliciter atque utiliter habitis, cum autumno maturante, elementorum immutatio fieret, rex colerico vexatus, in acutam febrem decidit. Cum ergo ægritudine pressus, militaria curare non posset, dux ab eo jussus exercitum reducit. Letoldus vero princeps, in ipsa regis ægritudine fidelissime atque humanissime regi famulatur. At die cretica post febris initium, impariter veniente, firmiter et inrecidive convaluit. Transactisque diebus 30 [387] post corporis reparationem, cum Letoldo principe in Franciam redit.

100. Et cum jam Burgundiæ extrema attingeret, viatorum relatu comperit, quosdam qui latrociniis et discursionibus provinciam infestabant, Angelbertum scilicet et Gozbertum, munitionem quæ dicebatur Briona exstruxisse, quo etiam post flagitiosa exercitia sese recipiebant. Hanc igitur rex aggressus, obsidione circumdat; pugnaque continua ac fame atterit; et tandem capit, solotenusque diruit. Latrunculos vero petente Letoldo sub sacramento abire permittit.

101. Inter hæc cum rex in partibus Burgundiæ adhuc detineretur, Æthgiva mater ejus regina eo ignorante Heriberto comiti nupsit, et relicta urbe Lauduno ab eo deducta est. Quod rex vehementer indignans [388], redire maturat, et cum Gerberga, regina uxore Laudunum ingreditur. Et a matre auferens prædia et ædes regias, uxori [389] delegat.

102. Interea Gerberga regina, Lauduni geminos enixa est. Quorum alter Karolus, alter Heinricus vocatus est. At Heinricus mox post sacri baptismatis perceptionem, in albis decedit. Karolus autem cum naturali virium robore educatur.

103. Ludovicus vero rex, Remos rediens, cum fluvio Axonæ propinquaret, per campestria lupum præire conspicit. Quem equo emisso insecutus, per devia exagitat. Ad omnes feræ declinationes equum impatiens obvertebat. Nec quiescere paciebatur, donec equestri certamine fugientem evinceret. Equus ergo per invia coactus, crespite offendit atque prolabitur. Rex vero gravissime attritus casu, et a suis exceptus, cum multo omnium merore [390], Remos deportatur. Infestis itaque doloribus toto corpore vexabatur. Et post diutinam valetudinem corruptis interius visceribus ob humorum superfluitatem, elefantiasi peste, toto miserabiliter corpore perfunditur. Qua diutius confectus, anno regni sui 18 a natu autem 36 diem vitæ clausit extremum, sepultusque est in cœnobio monachorum sancti Remigii, quod distat fere miliario uno ab urbe, cum multis omnium lamentis.

VARIÆ LECTIONES.

[387] XX *corr.* XXX. [388] i. cum gerberga *deleta.* [389] u. omnia *deletum.* [390] luctu *corr.* merore.

LIBER TERTIUS.

1. Peractis autem exequiis, Gerberga regina, legatos dirigit fratribus suis, Ottoni regi, ac Brunoni ex præsule duci; necnon et Hugoni Galliarum duci, petens per eos, Lotharium filium suum in regnum patri defuncto succedere. Adveniunt itaque ab Ottone rege omnes ex Belgica duce Brunone principes, sed et ex Germania aliqui. Adest etiam Hugo Galliarum dux. Conveniunt quoque Burgundiæ et Aquitaniæ simulque et Gothiæ principes. Episcopi etiam e diversis regionum urbibus conveniunt. Atque hi omnes in urbem Remorum apud Gerbergam reginam pari voto collecti sunt. Omnium fit consensus; omnibus animo inest, Lotharium patri defuncto succedere.

2. Universorum itaque consensu, a domno Artoldo Remorum metropolitano, favente Brunone ejus avunculo, principibusque diversarum gentium laudantibus, Lotharius duodennis, rex creatur in basilica sancti Remigii, ubi pater suus tumulatus cum aliis regibus sepultis quiescebat. Creatusque

rex, a matre Gerberga simulque et principibus Laudunum [391], ubi ex antiquo regia esse sedes dinoscitur, magna rerum ambitione inclitus deducitur. Dux continue ei individuus assidet; et ad multam regis benivolentiam animum intendens, postquam principes in sua discessere, privatis cum rege colloquiis coutebatur. Et ut suæ fidelitatis virtutem penitus demonstraret, regem ejusque matrem suas urbes et oppida in tota Neustria visere petit, obtinetque.

3. Deducitur ergo a duce rex cum matre regina per Neustriam, ac ab eo decentissime excipitur Parisii, Aurelianis, Carnoti, Turonis, Bleso, aliisque quam plurimis Neustriæ urbibus oppidisque. Inde quoque cum exercitu in Aquitaniam feruntur. Et præmissis legatis, cum Wilelmus princeps occurrere nollet, Pictavim adoriuntur, principem ibi esse rati. Cum ergo exercitus vehementissime urbem attereret, et diutissime pugnam urbanis inferret, a quibusdam regiis castrum sanctæ Radegundis urbi contiguum, clandestina irreptione captum atque succensum est. Comperto vero principem non adesse, tandem post duorum mensium dies, victus indigentia exercitu fatigato, ab obsidione discedittr.

4. Wilelmus vero Arverniæ fines perlustrans quæ est Aquitaniæ pars, ab oppidis milites educebat, ad pugnam exercitum colligens. Collectoque in regem fertur. Quò rex comperto, duce favente exercitum in hostem reducit. Signisque infestis congreditur. Acerrime dimicatum est, nonnullis utrimque fusis. Sed regio equitatu [393] prævalente, Aquitanos fuga exagitat. Regiæ vero acies promtissime insecuntur. In qua fuga nonnulli Aquitanorum interfecti, plurimi autem capti fuerunt. Wilelmus vero devia secutus, cum duobus vix per abrupta profugit.

5. Rex ergo prospero belli successu insignis, acies [393] iterum Pictavis inferri jubet [394]. Arbitrabatur etenim, urbem tunc facillime capi posse, cum exercitus recentis belli animositate adhuc ferveat, et urbani multo detineantur metu, ob principis sui fugam, ejusque militum infelicem eventum. Dux itaque regis magnanimitatem multo favore excipiens, exercitum licet fatigatum, et tamen sua benignitate captum, urbi reducit. Urbani vero belli casu exanimes, vitam deposcunt, et pro urbis illesione [395] supplicant. Cum autem exercitus urbem vi vellet irrumpere, et spolia asportare, dux habita apud eos dissuasione, intactam rege jubente reliquit. Rex autem ab urbanis obsides quot vult capit. Sicque duce interveniente, urbs ab exercitu [396] liberata est, et sub pace sequestra obsidio solvitur. Prosperaque rerum fortuna, rex cum duce et exercitu Laudunum repetit. Dux vero Parisii receptus, in egritudinem decidit, qua nimium affectus, vitæ finem accepit (956). Sepultusque est in basilica sancti Dionisii martiris.

6. Interea Ottone rege Bulizlao Sarmatarum regi bellum inferente, Ragenerus quidam quem Otto rex ob custodiam in Belgica dimiserat, multa quæ illicita erant præsumebat. Inter quæ ædes regias et prædia regalia Gerbergæ reginæ quæ in Belgica erant, tirannica temeritate [397] pervadit. Regina vero apud suos de repetendis prædiis et ædibus regiis privatim consultare non distulit.

7. Inter quos cum pater meus hujus rei dispositioni videretur idoneus, ab eo id summopere ordinandum petebatur. Quod etiam ipse disponendum suscipiens : « Sinite, inquit, per dies aliquot me istud explorare. Et si quidem nostris viribus id par fuerit, procul dubio per hoc temporis intervallum contemplabimur. Ad alia interim vos ipsos conferte. Illud tantum a vobis [398] expediatur, ut si a Deo nobis rei gerendæ oportunitas conferatur, apud vos nulla mora attemptandi opus habeatur. » Sic quoque a sese soluti sunt.

8. Pater meus itaque ad oppidum prædicti Rageneri quod dicitur Mons [399] castratiloci (101), ubi etiam uxor ejus cum duobus filiis parvis morabatur, quosdam suorum quos ipse in militaribus instruxerat dirigit, qui loci habitudinem militumque numerum, rerum etiam fortunam ac famulorum exitum, vigilumque diligentiam, cautissime considerent. Procedunt itaque duo tantum in habitu paupertino, ac usque ad oppidi portam deveniunt. Exstruebantur tunc muri per loca potioribus ædificiis. Unde et lapidum cæmentique portitores, sæpe per portam egrediebantur, regrediebanturque præsente eorum qui operi præsidebat [400]. Adsunt exploratores, et ad comportandum lapides offerunt sese. Deputantur operi. Daturque eis clitellaria sporta. Comportant itaque cæmentum ac lapides, ac nummos [401] singulos, singuli in dies accipiunt. Ante dominam etiam cum latomis et cæmentariis bis cibati sunt, curiose omnia contemplantes. Dominæ etiam cubiculum, ejusque natorum diverticulum, sed et famulorum egressum et regressum, actionumque tempestatem, ubi etiam oppidum insidiis magis pateat, multa consideratione pernotant. Et diebus quatuor consumtis, dies imminebat [402] dominica. Sicque accepta laboris mercede [403], ab opere soluti sunt. Redeunt igitur omnibus exploratis, ac patri meo talia referunt.

9. Ille in multa spe omnia ponens, regina con-

VARIÆ LECTIONES.

[391] laudum *c.* [393] exercitu *corr.* equitatu. [393] exercitum *corr.* acies. [394] infert *corr.* inferri jubet [395] salute *corr.* illesione. [396] prædonibus *corr.* ab exercitu. [397] crudelitate *corr.* temeritate. [398] apud vos *corr.* a vobis. [399] monsl, errore *auctoris qui* castrati *primo omiserat.* [400] custode *corr.* qui operi præsidebat. [401] *primum* d *scriptum erat* (denarios). [402] aderat *corr.* imminebat. [403] operis precio 1.

NOTÆ.

(101) Mons Castriloci, Bergen sive Mons, Hannoniæ caput.

scia, cum duabus cohortibus oppidum adit, ac ducentibus iis quos præmiserat, per locum competentem nocturnus ingreditur. Portas et exitus omnes pervadit, ac custodes, ne quis effugiat, deputat. Ipse ad cubiculum dominæ, ferventissimus tendit. Eumque ingressus, matrem cum duobus natis comprehendit. Alii vero ornamentis asportandis insistebant. Comprehendit et milites, oppidumque succendit. Quo combusto, cum domina et natis, militibusque comprehensis, ad reginam Gerbergam reversus est.

10. Quod Ragenerus comperiens, tanta necessitate ductus, Brunonem fratrem reginæ postulat, ut mature colloquium quo jubeat regina constituatur, ubi ipse uxorem et natos recipiat, et regina ædes et prædia resumat. Quod etiam statuto tempore factum est. Nam habitis utrimque rationibus, regina a tiranno prædia recepit, et ipse uxorem et natos, militesque reduxit [606].

11. (959.) His ita gestis, Rotbertus Trecarum princeps, Heriberti tiranni filius, Hugonis vero abdicati frater, Lothario regi injuriam hac arte molitus est. Castrum regium quod Divion dicitur, secus Oscaram torrentem conditum, multa cupiditate sitiebat, eo quod per eum si id habere posset, optimam Burgundiæ partem ad suum jus transire posse arbitrabatur. Illum itaque qui castro præesse videbatur, de transfugio ad sese per legatos alloquitur, plurima spondens, et majora sub jurejurando pollicens. Apud regem quoque multam rerum inopiam asserens, apud sese vero sufficientes opes, oppida nonnulla, aliaque desiderabilium insignia vehementissime protestans. Tunc juvenis rerum cupidine captus, pro transfugio mercedem quærit. At illi mercedis nomen edicunt. Ille vero ex promissis jusjurandum postulat, capitque. Et tempore congruo, tirannum cum multa militum manu, intra oppidum excipit, ac sese ei commitens, fidem pro militia accommodat. Pervaso autem oppido, regii milites contumeliose pelluntur. Deputantur vero ibi milites tiranni.

12. (960.) Perlata sunt hæc ad regem. Rex vero Brunoni avunculo legatos dirigit, copias ab eo postulans. Nec moratur Bruno, et cum duobus milibus armatorum ex Belgica, terram tiranni occupat, urbemque Trecasinam obsidione circumdat. Rex vero cum matre, erepto castro exercitum inducit. Cum ergo duplici exercitu tirannus urgeretur, cædit, et ab rege indulgentiam petit. Coactusque obsides et sacramenta dat; et insuper oppidi proditorem victus tradit. Qui mox prolata ab rege sententia, ante oppidi portam, coram patre decollatur.

13. (961.) Rex vero oppido potitus, cum matre A Laudunum redit. Huc ex diversis regionibus ad regem principes confluunt. Adsunt quoque ducis defuncti filii duo, Hugo et Otto, qui etiam regi fidelem militiam per jusjurandum coram omnibus spondent. Quorum benignitati rex non imparem liberalitatem demonstrans, Hugonem pro patre ducem facit, et insuper terram Pictavorum ejus principatui adjicit; Ottonem vero Burgundia donat.

14. In qua rerum distributione cum domnus ac reverendus Artoldus metropolitanus admodum in die laborasset, et præ solis [608] fervore toto corpore sudasset, cum vestem abjiceret, per poros calore apertos, frigus autumnale [608] irrepsit. Natoque ex interno frigdore epatis morbo, nimiis doloribus confectus, pridie Kalend. Octobr. a suo præsulatu B annis [607] 20 diem vitæ clausit extremum.

15. (962.) Cujus peractis exsequiis, Hugo nuperrime dux Francorum ab rege factus, regem suppliciter adit, petitque pontificalem dignitatem ei (102) restitui, eo quod ipse ante Artoldum ipsam adeptus fuerit, et non suo facinore sed Rodulfi regis invidia, Artoldum ei superductum memorat. Persistebat itaque ut redderetur. Et statim decreto [608] regio, sinodus episcoporum post dies 40 habenda indicitur.

16. Colligitur ergo consummatis diebus in pago Meldensi secus fluvium Matronam, in vico qui vocatur..., ex Remensi ac Senonensi provinciis, sinodus 13 episcoporum præside Senonense pontifice. Inter quos etiam fautores aliqui pro parte Hugonis videbantur, et maxime illi qui duci consuescebant, C utpote Aurelianensis, et Parisiacus, Silletensis, quoque. Atque hi publice consultabant. Renitentibus autem Roricone Laudunensi, et Gubuino [609] Catalaunico episcopis, et vehementissime asserentibus, quod a multitudine episcoporum excommunicatus, a minore eorum numero absolvi non posset, relinquitur ratio differenda, usque ad interrogationem papæ Romani.

17. Nec multo post, et legatio dirigitur in Gallias a domno Johanne papa, qui jam succedebat Octoviano [610], domni Agapiti successori; asserens prædictum Hugonem abdicatum, tam sinodo Romana, quam Papiæ nuperrime habita, ab episcopis Italiæ anathematizatum, nisi ab iis quæ illicite repetebat quiesceret. Qua legatione omnibus intimata, quæri- D moniæ ratio pessumdata est. Hugo itaque a fratre suo Rotberto receptus, nimia anxietate intra dies paucissimos Meldi defunctus est.

18. Bruno itaque metropolitanus et dux, cuidam ex collegio canonicorum Mettensium nomine Odelrico apud regem præsulatum quærebat. Quod cum obtinuisset, coram adesse facit. Qui vir memorabilis, cum esset divitiis et nobilitate, litterarumque

VARIÆ LECTIONES.

[606] *hic, signo indicante, aliqua deesse videntur.* [608] æstatis *corr.* solis. [608] frigoris *corr.* frigus autumnale. [607] an̄. [608] jussu *corr.* decreto. [609] *sic.* [610] *sic.*

NOTÆ.

(102) Error auctoris; Hugo Heriberti filius archiepiscopatum Remensem invaserat; et recte infra cap. 17 Rotbertus frater ejus vocatur.

scientia adeo clarus, an rege largiente episcopatum suscipere audeat sciscitatur. Etenim tunc expetebatur a quodam illustri, cui a duce auxilium ferebatur. At ille utpote vir magnanimus, si rex largiatur, sese contra omnes et susceпturum et defensurum respondit. Quod etiam multam sibi ducis invidiam comparavit.

19. Ordinatur itaque in basilica sancti Remigii ab episcopis Remensis metropolis diocesaneis, Widone scilicet Suessonico, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunico, Hadulfo Noviomensi [611], atque Wicfrido Virdunensi (963). Factusque præsul, mox tirannos qui suæ æcclesiæ res pervaserant, ut ad satisfaciendum redeant, jure æcclesiastico advocat. Atque inde per tres dierum quadragenas concessit esse consulendum.

20. (964.) Evoluto vero tempore, Tetbaldum Turonicum cum aliis rerum æcclesiasticarum pervasoribus anathemate damnat. Post non multos autem dies penitentia ducti, ad præsulem satisfacturi redeunt, atque res pervasas legaliter reddunt (965). Recipit itaque domnus præsul ab Heriberto quidem Sparnacum vicum populosum ac opulentum, ab Tetbaldo vero castrum Codiciacum, eosque a vinculo anathematis absolvit. Et Tetbaldi quidem filio, qui sese sibi commiserat, militaturum, castrum sub conditione servandæ fidelitatis concedit.

21. Quo etiam tempore Arnulfus Morinorum princeps, hac vita decessit. Cujus terram Lotharius, rex ingressus, filio defuncti liberaliter reddit, eumque cum militibus jure sacramentorum sibi annectit [612] (103).

22. (969.) Huic quoque regalis nobilitatis (104) vir Adalbero, ex Mettensium similiter collegio, strenue ac feliciter successit. Qui quanto suis profuerit, et quanta ab æmulis plus justo passus sit, opere sequenti declarabitur. Hic in initio post sui promotionem, structuris æcclesiæ suæ plurimum studuit. Fornices enim qui ab æcclesiæ introitu per quartam pene totius basilicæ [613] partem, eminenti structura distendebantur [614], penitus diruit. Unde et ampliore receptaculo, et digniore scemate, tota æcclesia decorata est. Corpus quoque sancti Kalisti papæ et martiris, debito honore in ipso æcclesiæ ingressu, loco scilicet editiore [615] collocavit; ibique altare dedicans, oratorium fundendis Deo precibus commodissimum aptavit. Altare præcipuum crucibus aureis insigniens, cancellis utrimque radientibus obvelavit.

23. Preter hæc etiam altare gestatorium non viliori [616] opere effinxit. Super quod sacerdote apud Deum agente, aderant quatuor evangelistarum expressæ auro et argento imagines, singulæ in singulis angulis stantes. Quarum uniuscujusque alæ extensæ, duo latera altaris ad medium obvelabant. Facies vero agno immaculato conversas intendebant. In quo etiam ferculum Salomonis imitari videbatur. Fecit quoque candelabrum septifidum; in quo cum septem ab uno surgerent, illud significare videbatur, quod ab uno Spiritu septem gratiarum dona dividantur. Nec minus et arcam opere eleganti [617] decoravit; in qua virgam et manna id est sanctorum reliquias operuit. Coronas quoque non minima inpensa fabrefactas in æcclesiæ decus suspendit. Quam fenestris diversas continentibus historias dilucidatam, campanis mugientibus acsi tonantem dedit.

24. Canonicos etiam qui in propriis hospiciis degentes, tantum sua curabant, jure communicatis vivere instruxit. Unde et claustrum monasterio addidit, in quo die morantes, cohabitarent, necnon et dormitorium, ubi noctu in silentio quiescerent, refectorium quoque, ubi de communi considentes reficerentur. Legesque ascripsit, ut orationis tempore in ecclesia nihil nisi signo peterent, præter quod necessitatis afferret inpulsio. Cibum una taciturni caperent; post prandium, in gratiarum actione laudes Deo decantarent. Completorio vero expleto, silentium usque laudes matutinas nullatenus violarent. Jam horoscopo pulsante excitati, ad laudes persolvendas sese prævenire contenderent. Ante horam diei primam, libertas egrediendi a claustro, nemini concessa erat, præter hos qui curis eorum insistebant. Et ne quis per ignorantiam quicquam faciendum relinqueret, sancti Augustini instituta, Patrumque decreta cotidie eis recitanda indixit.

25. Monachorum quoque mores, quanta dilectione et industria correxit, atque a seculi habitu distinxit, sat dicere non est. Non solum enim religionis dignitate eos insignes apparere studuit, verum etiam bonis exterioribus augmentatos nullo modo minui prudens adegit. Quos cum multo coleret amore, præcipua tamen beati Remigii Francorum patroni monachos caritate extollebat; unde et eorum res stabiliri in posterum cupiens, Romam concessit (971?). Et utpote vir nobilis et strenuus, et fama celibis vitæ omnibus clarus, a beatæ memoriæ Johanne papa, cum multa reverentia exceptus est. A quo etiam post mutua colloquia jussus, in die natalitia Domini duodecim præcedentibus episcopis missarum sollempnia celebravit. In tanta ejus gratia habitus, ut ab eo rogaretur petere, si quid optaret.

26. *Quod metropolitanus* [618] *Adalbero de* [618] *rebus* [618] *sancti Remigii a papa* [618] *Johanne privilegium* [618]

VARIÆ LECTIONES.

[611] N. aliisque nonnullis *deleta*. [612] *Hæc inde a paginæ initio vocibus scilicet* : Et Tetbaldi quidem filio *in loco raso ab auctore scripta sunt, aliis quatuor lineis erasis jamque vacuis. Tum prosequitur.* [613] oratori *corr.* basilicæ. [614] distendebatur *c.* [615] eminentiore *corr.* editiore. [616] minori *corr.* viliori. [617] e. argento auroque *deleta*. [618] opolitanus, de rebus, pa, egium *abscisa*.

NOTÆ.

(103) Hic Flodoardi Annalibus deficientibus, reliqua auctor proprio Marte conscripsit.

(104) Filius Godefridi Arduennensium comitis.

fieri petiit [518]. — Tunc vir memorabilis sic exorsus: « Quoniam, inquit, pater sanctissime multa caritate filium complexus ad te amplius attraxisti, quod tibi onerosum sit petendum non arbitror. Novi enim, quod diligens pater, interdum filio gravari gaudeat. Sed illud petere me proposui, quod et tanto patri onerosum non fiat, et petenti satis commodi comparet. Est mihi in Galliis monachorum cœnobium, non longe ab urbe Remorum situm. Ubi etiam beati Remigii Francorum patroni corpus sanctissimum decentissime quiescit, cui etiam honor exhibetur [519] debitus. Cujus res in posterum stabiliri firmiter quærens, vestræ auctoritatis privilegio confirmari inpræsentiarum deposco, terras videlicet cultas atque incultas, silvas et pascua, vineas ac pemeria [520], torrentes et stagna; castri quoque illorum munitatem, villarumque liberalem intra et extra potestatem, tandem etiam res omnes mobiles atque inmobiles vestri apostolatus dignitas solidet atque confirmet. Abbatiam quoque sancti Timothei martiris quæ nostri juris esse videtur, sub vestri præsentia, horumque episcoporum testimonio eis concedo, ut inde pauperibus administretur, et memoria nostri servis Dei in cœnobio habeatur. Hæc igitur superioribus addita in jus prædicti sancti transeat, atque illius propria, vestra similiter auctoritate confirmetur. »

27. Ad hæc domnus papa: « Res, inquit, domni ac patroni nostri [521] Remigii, nostri apostolatus sententia stabiliri tutasque in perpetuum fieri, quin etiam de tuo quicquid placet addi, libentissime concedo. Scripto etiam id roborari non solum mea, set et horum qui adsunt episcoporum auctoritate constituo. » Moxque scriptum iri jussit, coramque scriptum legi præcepit.

28. Cujus textus hujusmodi est: *Johannes servus servorum Dei* [522]. . . . . .

29. Quod in auribus omnium qui aderant perlectum, sigilli sui nota insignivit, atque episcopis roborandum porrexit. Quibus gestis, metropolitanus domni papæ atque episcoporum licentia digressus, Galliis sese recepit, directoque itinere sancti prædicti sepulchrum devotus petiit, eique in collegio monachorum privilegium scriptum legavit. Monachi datum excipientes, archivo servandum mandant, gratiasque pro tanta liberalitate decenter impertiunt.

30. *Quod Adalbero privilegium* [523] *in sinodo* [524] *ab episcopis* [525] *confirmari* [526] *fecit* [527]. — His ita habitis, post sex mensium tempus ad montem sanctæ Mariæ (105), qui locus est Remorum diocesaneus, ab eodem metropolitano sinodus episcoporum habita est. A Quibus considentibus, post quædam sinodo utilia, atque sanctæ æcclesiæ commoda, metropolitanus coram sic concionatus ait: « Quoniam patres reverendi gratia sancti Spiritus hic collecti sumus, et quæ de statu sanctæ æcclesiæ visa sunt utilia ordinavimus, restat adhuc res mihi adeo placens, et nonnullis nostræ æcclesiæ filiis nunc et in posterum profutura; quam etiam vestræ dignitati indicandam arbitror, atque roborandam. Ante septem mensium dies, ut vobis quoque notissimum est, in Italiam concessi, Romamque deveni, ac domni et apostolici viri Johannis colloquio simulque et benivolentia familiarissime usus, ab eo petere si quid optarem monitus sum. Ratusque petendum ut res [528] domni ac patroni nostri Remigii, suæ auctoritatis privilegio contra B quoslibet tirannos stabiliret, et abbatiam sancti Timothei martiris, a me datam illis uniret, id absque refragatione obtinui. Scripsit ergo, ac coram episcopis numero duodecim recitari jussit, eisque roborandum porrexit. Quod et domni papæ sigilli nota insignitum, vobis quoque roborandum attuli, ut plurimorum auctoritate subnixum, nullorum machinatione quandoque valeat dissolvi. Unde et a vobis idem roborari volo. » Sinodus dixit: *Roboretur.* Prolatum igitur a metropolitano, in concilio recitatum est eisque porrectum, et ab eorum singulis manu imposita roboratum. Quod etiam a monachis qui ibi aderant exceptum, archivo monasterii relatum est.

31. *Conquestio* [529] *metropolitani* [530] *de monachorum* [531] *religione* [532], *rituumque* [533] *correctione* [534]. — C Inter hec quoque et alia utilia quæ ibi constituta sunt, de monachorum religione a metropolitano motu gravissimo conquestio habita est, eo quod ritus a majoribus constituti, a quibusdam depravati et immutati viderentur. Unde et sub episcoporum præsentia ab eodem decretum est, ut diversorum locorum abbates convenirent, et inde utiliter consulerent. Hujusque habendæ rationis tempus et locus mox constituta sunt, et sic sinodus soluta est.

32. *Quod abbas Rodulfus abbatum primas fuerit.* — Interea tempus advenit. Abbates quoque ex diverso in unum collecti sunt. Quorum præcipuus et primas constitutus est, vir divæ memoriæ Rodulfus, ex cœnobio sancti Remigii abbas. Quo præsidente et prælaturæ dignitatem tenente, alii circum dispositi D sunt. Metropolitanus vero, ex adverso in cliotedro (106) resedit. Qui primatis aliorumque patrum hortatu concionatus, sic prælocutus est:

33. *Prælocutio* [535] *metropolitani* [536] *in sinodo* [537] *abbatum* [538]. — « Magnum est patres sanctissimi

VARIÆ LECTIONES.

[518] Tit *abscisa.* [519] servatur *corr.* exhibetur. [520] *sic.* [521] *sic.* [522] *memorana, cui charta inscripta erat, jam excidit; apographum extare scribit Guil. Marlot in historia metropolis Remensis II, 2. sed ob annum pontificatus, qui scribitur octavus, suspectum.* [523] ivi, sino, scopis, confir, cit *abscisa.* [524] ut omnes r. mobiles videlicet atque immobiles *deleta.* [525] estio, polita, ona, eligi, ritu, etione *abscisa.* [526] cutio, opolitani, odo, um *abscisa.*

NOTÆ.

(105) *Mont Notre-Dame*, in pago Tardanensi (*Tardenois*) ab oriente et meridie Suessionum, prope vicum *Bazoches.*

(106) Sella plectilis, faldistolium (*fauteuil*).

bonos quosque convenire, si fructum virtutis quærere elaborent. Inde enim et bonorum utilitates, et rerum honestas comparatur. Sicut econtra pernitiosum si pravi confluant, ut illicita quærant et exploant. Unde et vos quos in Dei nomine collectos arbitror, optima quærere hortor, atque ex malivolentia nihil moliri moneo. Amor secularis et odium, apud vos locum nullum habeant, quibus enervatur justitia, æquitas suffocatur. Vestri ordinis antiqua religio, ab antiquitatis honestate ut fama est supra modum aberravit. Dissidetis enim inter vos, in ipsa regularis ordinis consuetudine, cum aliter alter, alter aliter velit ac sentiat. Quapropter et sanctitati vestræ hactenus multum derogatum est. Unde et utile duxi, ut vobis hic gratia Dei in unum collectis, suadeam idem velle, idem sentire, idem cooperari, ut eadem voluntate, eodem sensu, eadem cooperatione, et virtus neglecta repetatur, et pravitatis dedecus vehementissime propulsetur. »

34. *Responsio* [527] *primatis* [527] *et in pravos* [527] *indignatio* [526]. — Ad hæc abbatum primas : « Quod hic, inquit, a te promulgatum est pater sanctissime, alta memoria condendum est, eo quod et corporum dignitatem, et animarum salutem affectes. Constat enim ad habitum virtutis neminem pervenisse, nisi quem talis animus munivit, quo et appetenda peteret, et vitanda refelleret. Unde et patet nos aliquid dedecoris contraxisse, quod ab appetendis aliquanto aberravimus. Quod etiam multa objurgatione reprehendendum est, cum nec ignavia nos præcipitaverit, nec inopia ad id impulerit. »

35. *Item* [528] *indignatio* [528] *primatis* [528] *in monachos* [526]. — « Quæ enim vis impulit, ut monachus intra claustra monasterii dominicis servitiis mancipandus, compatrem habeat, et compater dicatur ? Et o quantum nostro ordini dissentiat considerate. Si inquam compater est, ut a verisimili probabile efferam, cum eo qui pater est ipse est pater. Si vero pater est, filium vel filiam habere dubium non est. Unde et scortator potius quam monachus dicendus est. Sed quid de commatre ? Quid in hoc nomine a secularibus perpenditur, nisi turpitudinis consentanea ? Hoc licet verisimile dicens, secularibus non præjudico, sed nostro ordini illicita reprehendo. Quod quia ineptum videtur, vestra interminatione inhibendum est. » His venerandus metropolitanus subjungens : « Si, inquit, placet sinodo interdicetur. » Sinodus dixit : « Interdicatur. » Metropolitani itaque auctoritate, omnium consensu inhibitum est.

36. *Secunda* [529] *primatis objectio* [529]. — Rursusque primas exorsus : « Adhuc, inquit, nostro ordini inimica proferam. In quo quidam dinoscuntur, quibus mos inolevit, ut soli a monasteriis egrediantur [530], soli foris nullo sui operis teste maneant, et quod pessimum est, absque fratrum benedictione et exeant, et sine ea redeant. Unde non dubium est, eos facilius posse falli, quos fratrum orantium benedictio non munit. Inde est quod turpitudo vitæ, morum pravitas, proprietatis peculium, nobis a calumniantibus intenduntur. Unde etiam necesse est, ut his calumniis subdamur, cum repulsioni testes habere non possimus. Hoc quoque vestra censura prohibeat. » Sinodus dixit : « Prohibeatur. » Et memorabilis metropolitanus : « Hoc quoque, inquit, nostra auctoritate prohibemus. »

37. *Tertia* [531] *primatis indignatio*. — His quoque primas alia adjungens : « Quoniam, inquit, de vitiis nostri ordinis dicere cœpi, nihil relinquendum putavi, ut his amotis, religio nostra acsi enubilata relucceat. Sunt enim inquam nostri ordinis quidam, quibus curæ est pillea aurita capiti manifeste imponere, pellesque peregrinas pilleo regulari præponere, pro abjectæ vestis habitu, vestes lautissimas induere [532]. Nam tunicas magni emptas, plurimum cupiunt, quas sic ab utroque latere stringunt, manicisque et giris diffluentibus diffundunt, ut artatis clunibus et protensis natibus potius meretriculis quam monachis a tergo assimilentur. »

38. *De* [533] *superfluo* [533] *vestitum* [533] *colore*. — « Quid vero de colore vestium ? Unde tantum decepti sunt, ut dignitatis merita coloribus comparent. Nam nisi tunica nigro colore deceat, ea indui nullo modo placet. Quod si etiam nigro albus laneficii opere intermixtus sit, hic quoque talis vestem abjectam facit. Fulvus quoque abjicitur. Nec minus niger nativus, non sufficit, nisi etiam corticum inficiatur sucis. Atque hæc de vestibus. »

39. *De* [534] *calciamentorum* [534] *superfluitate* [534]. — « De calciamentorum vero superfluitate quid referam ? Tantum enim in his insaniunt, ut commoditatem sibi plurimam per ea auferant. Ea enim sic arta induunt, ut cippati pene impediantur. In quibus etiam rostra componunt ; aures hinc inde erigunt ; et ne folleant magno opere elaborant. Ut luceant quoque, famulis consciis indicunt. »

40. *De* [535] *linteis et operibus* [535] *superfluis*. — « An lintea operosa atque pellicea operimenta sileam ? Cum inquam a majoribus clementiæ gratia prolenis indui pellibus mediocribus concessum sit, vitium superfluitatis irrepsit. Unde et nunc peregrinis operimentis limbos bipalmos circumducunt, atque pannis Noricis ea desuper duplicant. Linteis vero pro stragulis minime uti concessum est ; sed a quibusdam minus religiosis, cæteris superfluis id additum est. Quorum numerus cum ex locis diversis

VARIÆ LECTIONES.

[527] pons, atis, vos, atio *abscisa*. [528] I, ind, prima, monach *abscisa*. [529] secunda, obj *abscisa*. [530] exeant *corr.* egrediantur. [531] te *abscisum* [532] *post* induere *hæc primitus scripta erant* : cum boni quique capitis quocumque tegmine contenti sint. Hi ergo a religiosis dissidentes non sunt ? cum enim vestium dignitate delectantur vilium. procul dubio abjectionem unde ex parte religio recognoscitur penitus abhorrent. [533] De s, vest *abscisa*. [534] De, ca torum, tate *abscisa*. [535] De l, bu *abscisa*.

plurimus esset, a pluritate malorum bonorum paucitati id persuasum est. »

41. *De* [436] *femoralibus* [436] *iniquis* [436]. — « Sed quid femoralia iniqua referam? Horum etenim tibiales quater sesquipede patent, atque ex staminis subtilitate etiam pudenda intuentibus non protegunt; in quorum compositione id uni non sufficit, quo duo contenti ad plenum esse valerent. Hæc coram hic relata, an prohiberi veliis, indicate. Cætera vero nostris conciliis in privato corrigenda sunt. » Sinodus dixit : « Et prohibeantur. »

42. *Responsio metropolitani ad primatem* [437]. — Ad hæc quoque metropolitanus subjunxit : « Gravitatis quidem vestræ fuit pauca dicendo pluribus parcere; sed quoniam hæc quæ reprehensimus in vestro ordine subjacent, alia nobis, alia vero privatis conciliis corrigenda judicatis, idem sentio, idem laudo. Unde etiam quæ hic inhiberi vestra gravitas petit, nostra auctoritas interdicit. Quæ vobis silendo reservastis, vestris relinquimus inmutanda juditiis. » His quoque dictis, sinodus soluta est. Quo tempore, monachorum religio admodum floruit, cum eorum religionis peritissimus metropolitanus, hujus rei hortator esset et suasor. Et ut nobilitati suæ in omnibus responderet, æcclesiæ suæ filios studiis [438] liberalibus instruere utiliter quærebat.

43. *Adventus Gerberti in Galliam* [439]. — Cui etiam cum apud sese super hoc aliqua deliberaret, ab ipsa Divinitate directus est Gerbertus [440], magni ingenii ac miri eloquii vir, quo postmodum tota Gallia acsi lucerna ardente, vibrabunda refulsit. Qui Aquitanus genere, in cœnobio (107) sancti confessoris Geroldi a puero altus, et grammatica edoctus est. In quo utpote adolescens cum adhuc intentus moraretur, Borrellum citerioris Hispaniæ ducem orandi gratia ad idem cœnobium contigit devenisse. Qui a loci abbate humanissime exceptus, post sermones quotlibet [441], an in artibus perfecti in Hispaniis habeantur, sciscitatur. Quod cum promptissime assereret, ei mox ab abbate persuasum est, ut suorum aliquem susciperet, secumque in artibus docendum duceret. Dux itaque non abnuens, petenti liberaliter favit, ac fratrum consensu Gerbertum assumptum duxit, atque Hattoni episcopo (108) instruendum commisitt Apud quem etiam in mathesi plurimum et efficaciter studuit. Sed cum Divinitatis Galliam jam caligantem magno lumine relucere voluit, prædictis duci et episcopo mentem dedit, ut Romam oraturi peterent. Paratisque necessariis, iter carpunt, ac adolescentem commissum secum deducunt. Inde Urbem ingressi, post præces ante sanctos apostolos effusas, beate recordationis papam (109) . . . . adeunt, ac sese ei indicant, quodque visum est de suo jocundissime impertiunt.

44. *Quod Atto* [443] *ztomæ moratus* [443] *decessit* [443]. — Nec latuit papam adolescentis industria, simulque et discendi voluntas. Et quia musica et astronomia in Italia tunc penitus ignorabantur, mox papa Ottoni regi Germaniæ et Italiæ per legatum indicavit, illuc hujusmodi advenisse juvenem, qui mathesim optime nosset, suosque strenue docere valeret. Mox etiam ab rege papæ suggestum est, ut juvenem retineret, nullumque regrediendi aditum ei ullo modo præbe ret. Sed et duci atque episcopo qui ab Hispaniis convenerant, a papa modestissime indicitur, regem velle sibi juvenem ad tempus retinere, ac non multo post eum sese cum honore remissurum; insuper etiam gratias inde recompensaturum. Itaque duci ac episcopo id persuasum est, ut hoc pacto juvene dimisso, ipsi in Hispanias iter retorquerent. Juvenis igitur apud papam relictus, ab eo regi oblatus est. Qui de arte sua [443] interrogatus, in mathesi se satis posse, logicæ vero scientiam se addiscere velle respondit. Ad quam quia pervenire moliebatur, non adeo in docendo ibi moratus est.

45. *Quod ab* [444] *Ottone rege logico commissus* [444] *sit.* — Quo tempore G. Remensium archidiaconus in logica clarissimus habebatur. Qui etiam a Lotharii Francorum rege eadem tempestate Ottoni regi Italiæ legatus directus est. Cujus adventu juvenis exhilaratus, regem adiit, atque ut G.....o committeretur optinuit. E G.....o per aliquot tempora hæsit, Remosque ab eo deductus est. A quo etiam logicæ scientiam accipiens, in brevi admodum profecit, G.....s vero cum mathesi operam daret, artis difficultate victus, a musica rejectus est. Gerbertus interea studiorum nobilitate prædicto metropolitano commendatus, ejus gratiam præ omnibus præmeruit. Unde et ab eo rogatus, discipulorum turmas artibus instruendas ei adhibuit.

46. *Quem ordinem* [445] *librorum* [445] *in docendo* [445] *servavit* [445]. — Dialecticam ergo ordine librorum percurrens, dilucidis sententiarum verbis enodavit. Inprimis enim Porphyrii ysagogas id est introductiones secundum Victorini rhethoris translationem, inde etiam easdem secundum Manlium explanavit. Cathegoriarum, id est prædicamentorum librum Aristotelis [446] consequenter enucleans. Periermenias vero, id est de interpretatione librum, cujus laboris sit, aptissime monstravit. Inde etiam topica, id est argumentorum sedes, a Tullio de Greco in Latinum translata, et a Manlio consule sex commentariorum libris dilucidata, suis auditoribus intimavit.

47. *Quid provehendis* [447] *rhethoricis* [447] *provide-*

VARIÆ LECTIONES.

[436] De, f, in *abscisa*. [437] rim *abscisum*. [438] studuis. *corr.* studiis. [439] Galliam *abscisum*. [440] gus *codex* [441] mutuos *corr.* quibet. [443] tto. mora, s *abscisa*. [443] *vox absc.* [444] ab, mis *absc.* [445] or, libr, do, ser- *absc.* [446] aristelis *cod.* [447] ve, icis *absc.*

NOTÆ.

(107) *Aurillac*, in præfectura *Cantal*.
(108) Ausonensi.
(109) Johannem XIII qui annis 965 Oct.-972 Sept. 5 sedit.

rit [447]. — Necnon et quatuor de topicis differentiis libros, de sillogismis cathegoricis duos, de ypotheticis tres, diffinitionumque librum unum, divisionum æque unum, utiliter legit et expressit. Post quorum laborem, cum ad rhethoricam suos provehere vellet, id sibi suspectum erat, quod sine locutionum modis, qui in poetis discendi sunt, ad oratoriam artem ante perveniri non queat. Poetas igitur adhibuit, quibus assuescendos arbitrabatur. Legit itaque ac docuit Maronem et Statium Terentiumque poetas, Juvenalem quoque ac Persium Horatiumque satiricos, Lucanum etiam historiographum. Quibus assuefactos, locutionumque modis compositos, ad rhethoricam transduxit.

48. *Cur eis* [448] *sophistam* [449] *adhibuerit* [450]. — Qua instructis sophistam adhibuit; apud quem in controversiis exercerentur, ac sic ex arte agerent, ut præter artem agere viderentur, quod oratoris maximum videtur. Sed hæc de logica. In mathesi vero quantus sudor expensus sit, non incongruum dicere videtur. Arithmeticam enim quæ est matheseos prima, inprimis dispositis accommodavit.

49. *Qui labor* [451] *et in mathematicis* [452] *impensus sit* [453]. — Inde etiam musicam, multo ante Gallis ignotam, notissimam effecit. Cujus genera in monocordo disponens, eorum consonantias sive simphonias in tonis ac semitoniis, ditonis quoque ac diesibus distinguens, tonosque in sonis rationabiliter distribuens, in plenissimam notitiam redegit.

50. *Speræ* [454] *solidæ* [455] *compositio* [456]. — Ratio vero astronomiæ quanto sudore collecta sit, dicere inutile non est, ut et tanti viri sagacitas advertatur, et artis efficacia lector commodissime capiatur. Quæ cum pene intellectibilis sit, tamen non sine admiratione quibusdam instrumentis ad cognitionem adduxit. Inprimis enim mundi speram ex solido ac rotundo ligno argumentatus, minoris similitudine, majorem expressit. Quam cum duobus polis in orizonte obliquaret, signa septemtrionalia polo erectiori dedit, australia vero dejectiori adhibuit. Cujus positionem eo circulo rexit, qui a Græcis orizon, a Latinis limitans sive determinans appellatur, eo quod in eo signa quæ videntur ab his quæ non videntur distinguat ac limitet. Qua in orizonte sic collocata, ut et ortum et occasum signorum utiliter ac probabiliter demonstraret, rerum naturas dispositis insinuavit, instituitque in signorum comprehensione. Nam tempore nocturno ardentibus stellis operam dabat; agebatque ut eas in mundi regionibus diversis obliquatas, tam in ortu quam in occasu notarent.

51. *Intellectilium* [457] *circulorum comprehensio* [458]. — Circuli quoque qui a Græcis paralleli, a Latinis æquistantes dicuntur, quos etiam incorporales esse dubium non est, hac ab eo arte comprehensi noscuntur. Effecit semicirculum recta diametro divisum. Sed hanc diametrum fistulam constituit, in cujus cacuminibus duos polos boreum et austronothum notandos esse instituit. Semicirculum vero a polo ad polum 30 partibus divisit. Quarum sex a polo distinctis, fistulam adhibuit, per quam circularis linea arctici signaretur. Post quas etiam quinque diductis, fistulam quoque adjecit, quæ æstivalem circulationem indicaret. Abinde quoque quatuor divisis, fistulam identidem addidit, unde æquinoctialis rotunditas commendaretur. Reliquum vero spatium usque ad notium polum, eisdem dimensionibus distinxit. Cujus instrumenti ratio in tantum valuit, ut ad polum sua diametro directa, ac semicirculi productione superius versa, circulos visibus inexpertos, scientiæ daret, atque alta memoria reconderet [459].

52. *Speræ compositio planetis cognoscendis* [460] *aptissima* [461]. — Errantiumque siderum circuli cum intra mundum ferantur, et contra contendant, quo tamen artificio viderentur scrutanti non defuit. Inprimis enim speram circularem effecit; hoc est ex solis circulis constantem. In qua circulos duos qui a Græcis coluri, a Latinis incidentes dicuntur, eo quod in sese incidant complicavit; in quorum extremitatibus polos fixit. Alios vero quinque circulos, qui paralleli [462] dicuntur, coluris transposuit, ita ut a polo ad polum 30 partes, speræ medietatem dividerent; idque non vulgo neque confuse. Nam de 30 dimidiæ speræ partibus a polo ad primum circulum, sex constituit; a primo ad secundum quinque; a secundo ad tertium, quatuor; a tertio ad quartum, itidem quatuor; a quarto ad quintum, quinque; a quinto usque ad polum, sex. Per hos quoque circulos eum circulum obliquavit, qui a Græcis loxos, vel zoe, a Latinis obliquus vel vitalis dicitur, eo quod animalium figuras in stellis contineat. Intra hunc obliquum, errantium circulos miro artificio suspendit. Quorum absidas, et altitudines a sese etiam distantias, efficacissime suis demonstravit. Quod quemadmodum fuerit, ob prolixitatem hic ponere commodum non est, ne nimis a proposito discedere videamur.

53. *Aliæ* [463] *speræ compositio* [464] *signis cognoscendis* [465] *idonea*. — Fecit præter hæc speram alteram circularem, intra quam circulos quidem non collocavit, sed desuper ferreis atque æreis filis signorum figuras complicavit. Axisque loco, fistulam trajecit, per quam polus cœlestis notaretur, ut eo perspecto, machina cœlo aptaretur. Unde et factum est, ut singulorum signorum stellæ, singulis hujus speræ signis clauderentur. Illud quoque in hac divinum fuit, quod cum aliquis artem ignoraret, si unum ei signum demonstratum foret, absque magistro cetera per

VARIÆ LECTIONES.

[447] it *absc.* [448] is, am, erit *absc.* [449] bor, emati, it *absc.* [450] s, so, comp. *absc.* [451] In, li, compre *abscisa.* [452] r. Sed hoc ad circulos intellectibiles. Quanto etiam studio errantiumque siderum circulos aperuerit dicere non pigebat. Qui *jam deleta.* [453] no, tis *abscisa.* [454] qui a græcis paralleli, a latinis æquistantes dicuntur *del.* [455] Alia, comp, cogn, ido *abscisa.*

speram cognosceret. Inde etiam suos liberaliter instruxit. Atque hæc actenus de astronomia.

54. *Confectio* [486] *abaci* [487]. — In geometria vero non minor in docendo labor expensus est. Cujus introductioni, abacum id est tabulam dimensionibus aptam opere scutarii effecit. Cujus longitudini, in 27 partibus diductæ, novem numero notas omnem numerum significantes disposuit. Ad quarum etiam similitudinem, mille corneos effecit caracteres, qui per 27 abaci partes mutuati, cujusque numeri multiplicationem sive divisionem designarent; tanto compendio numerorum multitudinem dividentes vel multiplicantes, ut præ nimia numerositate potius intelligi quam verbis valerent ostendi. Quorum scientiam qui ad plenum scire desiderat, legat ejus librum quem scribit ad C. grammaticum (110); ibi enim hæc satis habundanterque tractata inveniet.

55. (969.) *Fama Gerberti per Gallias et Italiam diffusa.* — Fervebat studiis, numerusque discipulorum in dies accrescebat. Nomen etiam tanti doctoris ferebatur non solum per Gallias, sed etiam per Germaniæ populos dilatabatur. Transiitque per Alpes, ac diffunditur in Italiam, usque Thirrenum, et Adriaticum. Quo tempore, Otricus in Saxonia insignis habebatur. Hic cum philosophi famam audisset, adverteretque quod in omni disputatione, rata rerum divisione uteretur, agebat apud suos, ut aliquæ rerum divisarum figuræ, ab scolis philosophi sibi deferrentur, et maxime philosophiæ, eo quod in rata ejus divisione, perpendere ipse facilius posset, an recte is saperet, qui philosophari videbatur, utpote in eo quod divinarum et humanarum scientiam profitetur. Directus itaque est Remos, Saxo quidam, qui ad hæc videbatur idoneus. Is cum scolis interesset, et caute generum divisiones a Gerberto dispositas colligeret, in ea tamen maxime divisione, quæ philosophiam ad plenum dividit, plurimum ordine abusus est.

56. *Figura Gerberti philosophica per malivolos depravata, ab Otrico reprehenditur.* — Etenim cum mathematicæ phisica par atque coæva a Gerberto posita fuisset, ab hoc mathematicæ eadem phisica ut generi species subdita est; incertumque utrum industria an errore id factum sit. Sicque cum multiplici diversarum rerum distributione, Otrico figura delata est. Quam ipse diligentissime revolvens, Gerbertum male divisisse apud suos calumniabatur, eo quod duarum æqualium specierum, alteri alteram substitutam ut generi speciem figura mentiebatur. Ac per hoc nihil eum philosophiæ percepisse audacter astruebat. Illudque eum penitus ignorare dicebat, in quo divina et humana consistunt, sine quibus etiam nulli sit philosophandum. Tulit itaque ad palatium figuram eandem, et coram Ottone augusto iis qui sapientiores videbantur eam explicavit. Augustus vero cum et ipse talium studiosissimus haberetur, an Gerbertus erraverit admirabatur. Viderat etenim illum, et non semel disputantem audierat. Unde et ab eo prædictæ figure solutionem fieri nimium optabat. Nec defuit rei occasio.

57. (970.) Nam venerandus Remorum metropolitanus Adalbero, post eundem annum Romam cum Gerberto petebat, ac Ticini (111) augustum cum Otrico repperit. A quo etiam magnifice exceptus est, ductusque per Padum classe Ravennam. Et tempore oportuno, imperatoris jussu, omnes sapientes qui convenerant, intra palatium collecti sunt. Affuit prædictus reverendus metropolitanus; affuit et Adso abbas Dervensis, qui cum ipso metropolitano advenerat; sed et Otricus præsens erat, qui anno superiore Gerberti reprehensorem sese monstraverat. Numerus quoque scolasticorum non parvus confluxerat, qui [488] imminentem disputationis litem summopere præstolabantur. Hærebant etenim, an Otrico [489], quispiam resistere auderet. Necnon et augustus hujusmodi certamen habendum callide pertractabat. Nitebatur autem Gerbertum incautum Otrico opponere, ut si incautus appeteretur, majorem controversandi animum in contrarium moveret. Otricum vero, multa proponere, nihilve solvere hortabatur. Atque his omnibus ex ordine [490] considentibus, augustus eorum medius, sic e sublimi cœpit :

58. *Allocutio augusti Ottonis in conventu sapientium pro emendatione figuræ.*—« Humanam, inquiens, ut arbitror scientiam, crebra meditatio vel exercitatio reddit meliorem, quotiens rerum materia competenter ordinata, sermonibus exquisitis, per quoslibet sapientes effertur. Nam cum per otium sepissime torpemus, si aliquorum pulsemur questionibus, ad utillimam mox meditationem incitamur. Hinc scientia rerum a doctissimis elicita est. Hinc est quod ab eis prolata, libris tradita sunt, nobisque ad boni exercicii gloriam, derelicta. Afficiamur igitur et nos aliquibus objectis, quibus et animus excellentior ad intelligentiæ certiora ducatur. Et eia inquam, jam nunc revolvamus, figuram illam de philosophiæ partibus, quæ nobis anno superiore monstrata est. Omnes diligentissime eam advertant; dicantque singuli quid in ea, aut contra eam sentiant. Si nullius extrinsecus indiget, vestra omnium roboretur approbatione. Si vero corrigenda videbitur, sapientium sententiis, aut improbetur,

VARIÆ LECTIONES.

[486] confe, ci *abscisa.* [487] vero cui nihil ante Galliæ scriptum habebant, quantus labor expensus sit, sermo impar dicere non sufficit *deleta.* [488] qui id negotium perpenderant. et ob hoc *deleta.* [489] corum doctissimo *corr.* Otrico [490] jussi *corr.* ex ordine.

NOTÆ.

(110) Ad Constantinum, de divisione numerorum.

(111) Otto an. 970 inde a mense Januarii Ticini moratus, Martio inde Ravennam movit, atque d. 22 Ferrariæ, d. 30, ejusdem mensis Ravennæ diplomata edidit.

aut ad normam redigatur. Coramque deferatur jam nunc videnda. » Tunc Otricus eam in aperto proferens, a Gerberto sic ordinatam, et a suis auditoribus exceptam scriptamque respondit; et sic domno augusto legendam porrexit. Quæ perlecta, ad Gerbertum delata est. Qui diligenter eam percurrens, in parte approbat, et in parte vituperat, simulque non sic eam sese ordinasse asseruit.

59. *Divisio theoreticæ* [461] *philosophiæ in species.* — Rogatus autem ab augusto corrigere, ait : « Quoniam, o magne cæsar auguste, te his omnibus potiorem video, tuis ut par est jussis parebo. Nec movebit me malivolorum livor, quorum instinctu id factum est, ut rectissima philosophiæ divisio probabiliter dilucideque a me nuper ordinata, unius speciei suppositione vitiata sit [462]. Dico itaque mathematicam, phisicam, et theologicam, æquævas eidem generi subesse. Earum autem genus, eis æqualiter participare. Nec fieri posse, unam eandemque speciem, una eademque ratione, eidem speciei et parem esse, et ut inferiorem acsi generi speciem subjacere. Et ego quidem de his ita sentio. Cæterum si quis contra hæc contendat, rationem inde affectet, faciatque nos intelligere, quod fortassis naturæ ipsius ratio, nemini adhuc contulisse videtur. »

60. *Philosophiæ divisio.* — Ad hæc Otricus, innuente augusto, sic ait : « Quoniam philosophiæ partes aliquot breviter attigisti, ad plenum oportet ut et dividas, et divisionem enodes. Sicque fieri poterit, ut ex probabili divisione, vitiosæ figuræ suspicio a te removeatur. » Tunc quoque Gerbertus : « Cum hoc inquit magni constet, ut pote divinarum et humanarum rerum comprehensio veritatis, tamen ut nec nos ignaviæ arguamur, et auditorum aliqui proficere possint, secundum Vitruvii atque Boetii divisionem dicere non pigebit. Est enim philosophia genus; cujus species sunt, practice, et theoretice; practices vero species dico, dispensativam, distributivam, civilem. Sub theoretice vero non incongrue intelliguntur phisica naturalis, mathematica intelligibilis, ac theologia intellectibilis. Rursusque mathematicam sub phisica non præter rationem collocamus. »

61. *Reprehensio divisionis ab Otrico inutilis, ac Gerberti responsio.* — Nisusque quod reliquum erat prosequi, Otricus subintulit : « Miror inquiens vehementissime, quod phisicæ mathematicam sic de propinquo subdidisti, cum inter utramque subalternum genus intelligi possit phisiologia. Vitiosum etenim valde videtur, si nimis longe petita pars, ad generis conferatur divisionem. » Ad hæc Gerbertus : « Inde, inquit, vehementius mirandum videtur, quod mathematicam phisicæ, suæ videlicet coævæ, ut speciem subdiderim. Cum enim coævæ sub eodem genere habeantur, majore inquam admiratione dignum videtur, si alteri altera subdatur. Sed dico phisiologiam phisicæ genus non esse quemadmodum proponis, nullamque earum differentiam aliam assero, nisi eam quam inter philosophiam et philologiam cognosco. Alioquin philologia philosophiæ genus conceditur. » Ad hæc scolasticorum multitudo philosophiæ divisionem interruptam indignabatur, eamque repeti apud augustum petebat. Otricus vero post paululum idem repetendum dicebat, prius tamen habita ratione de causa ipsius philosophiæ; intendensque in Gerbertum, quæ esset causa philosophiæ sciscitabatur.

62. *Quæ sit causa conditi mundi.* — Qui cum a Gerberto, ut apertius quid vellet ediceret, rogaretur, utrum videlicet causam qua inventa est, an causam cui inventa debetur, ille mox : « Ipsam, inquit, causam dico, propter quam inventa videtur. » Tunc vero Gerbertus : « Quoniam, inquit, nunc patet quid proponas, ideo inquam inventa est, ut ex ea cognoscamus divina et humana. Et Otricus : Cur inquit unius rei causam, tot dictionibus nominasti? cum ex una fortassis nominari potuit, et philosophorum sit brevitati studere? »

63. *Quod non omnia nomina causarum singulis dictionibus efferuntur.* — Gerbertus quoque : « Non omnes, inquit, causæ, uno valent nomine proferri. Etenim cum a Platone causa creati mundi non una sed tribus dictionibus, bona Dei voluntas declarata sit, constat hanc creati mundi causam, non aliter potuisse proferri. Naursi dixisset voluntatem causam esse mundi, non id esset consequens; quælibet enim voluntas, id esse videretur, quod non procedit. » Atque hic Otricus : « Si, inquit, Dei voluntatem causam condi'i mundi dixisset, brevius quidem et sufficienter dictum foret, cum numquam nisi bona fuerit Dei voluntas. Non enim est qui abnuat bonam esse Dei voluntatem. » Et Gerbertus : « In hoc, inquit, penitus non contradico. Sed vide; quia constat Deum substantia solummodo bonum, quamlibet vero creaturam participatione bonam, ad ejus naturæ qualitatem exprimendam, bona additum est, quod id ejus proprium sit, non etiam cujuslibet creaturæ. Tandem quidquid illud sit, id sine dubio constat, non omnia causarum nomina una dictione proferri posse. Quæ enim tibi umbræ causa videtur? an hæc una dictione indicari valet? »

64. *Quæ* [463] *sit* [463] *causa* [463] *umbræ* [463]. — « Sed dico umbræ causam esse corpus luci objectum. Atque hæc brevius nullo modo dici valet. Si enim corpus umbræ causam dixeris, nimis commune protulisti. Quod si corpus objectum volueris, id quoque tantum non procedit, quantum ab hac parte relinquitur. Sunt enim corpora nonnulla, atque etiam diversis objecta, quæ umbræ causa esse non possunt. Nec abnuo multarum rerum causas, singulis dictioni-

VARIÆ LECTIONES.

[461] æ *abscisa.* [462] sit. Non enim ignoro quemcumque bonum calumniis malivolorum assidue insectari *deleta.* [463] uæ, sit, a, umbr *abscisa.*

bus efferri, veluti sunt genera quæ specierum causas nemo ignorat, velut est substantia, quantitas, qualitas. Alia vero non simpliciter proferuntur, ut rationale, ad mortale. »

65. *Quid continentius* [665] *sit rationale an* [665] *mortale* [665]. — Tunc vehementius Otricus admirans ait : « An mortale rationali supponis? Quis nesciat quod rationale Deum et angelum hominemque concludat, mortale vero utpote majus et continentius omnia mortalia et per hoc infinita colligat? » Ad hæc Gerbertus : « Si, inquit, secundum Porphirium atque Boetium, substantiæ divisionem, usque ad individua idonea partitione perpenderes, rationale continentius quam mortale sine dubio haberes, idque congruis rationibus enucleari, in promptu est. Etenim cum constet substantiam genus generalissimum, per subalterna posse dividi, usque ad individua, videndum est an omnia subalterna singulis dictionibus proferantur. Sed liquido patet alia de singulis, alia de pluribus nomen factum habere. De singulis, ut corpus, de pluribus ut animatum sensibile. Eadem quoque ratione subalternum, quod est animal rationale, prædicatur de subjecto, quod est animal rationale mortale. Nec dico, quod rationale simplex, prædicetur de simplici mortali; id enim non procedit; sed rationale inquam animali conjunctum, prædicatur de mortali, conjuncto animali rationali. » Cumque verbis et sententiis nimium flueret, et adhuc alia [666] dicere pararet [666], augusti nutu disputationi finis injectus est, eo quod et diem pene in his totum consumserant, et audientes prolixa atque continua disputatio jam fatigabat. Ab augusto itaque Gerbertus egregie donatus, cum suo metropolitano in Gallias clarus remeavit.

66. *Sinodus apud sanctam Magram habita.* — Eodem tempore Emma [667] regina et Adalbero Laudunensis episcopus infames stupri criminabantur; id tamen latenter intendebatur, nullius manifesto intentionis teste. Sed quia suppresse dictum, ad omnium aures devenerat, episcopis visum est id esse discutiendum, ne frater et coepiscopus eorum infamiæ tantæ subderetur. A supradicto ergo metropolitano collecta est episcoporum sinodus apud sanctam Magram locum Remorum diocesaneum. Considentesque et quæque utilia pertractantes, postquam metropolitanus [668]. . . . . .

67. *Ottonis promotio in regem* [669] *per* [669] *Germanos* [669] *et Belgas* [669]. — Post obitum domni Ottonis Germanorum regis, ejus filius Otto, a Germanis Belgisque rex creatus [670], rem publicam strenue atque utiliter amministravit; vir magni ingenii, totiusque virtutis, liberalium litterarum scientia clarus, adeo ut in disputando ex arte et proponeret, et probabiliter concluderet. Penes quem regnum Germaniæ cum Galliarum aliqua parte, usque ad diem vitæ ejus supremum, mansit, sed aliquando dubio statu. Nam inter ipsum et Lotharium Gallorum regem, quandoque [671] et odium immane, et anceps victoria fuit. Etenim cum ab Ottone Belgica teneretur, et a Lothario impeteretur, contra se dolos aut vires moliebantur, eo quod uterque et suum patrem eam tenuisse contenderet, et exercituum multitudine, uterque eam se defensurum non diffideret. Nam (112) et Ludovici patris Lotharii fuit, et ejus post dono, hujus Ottonis pater, Otto obtinuit. Horum ergo discordiæ incentivum principium Belgica fuit.

68. *Indignatio* [672] *Lotharii in Ottonem.* — Igitur in Aquensi palatio Ottone commorante cum conjuge Theuphanu gravida, Lotharius illum propius accessisse acerrime motus indignabatur. Ergo Francorum ducem Hugonem, reliquosque regni primates consilium petiturus Laudumi collegit. Dux itaque processit. Reliqui etiam quibus quoque consulendum erat, ante regem consequenter admissi sunt. Quibus residentibus rex duplicem injuriam sibi illatam esse commemorat, cum regni sui pars ab hoste usurpata fuerit, et ipse hostis ad fines suos temerarius accesserit. Nec majori injuriæ esse quod tenuerit, quam quia tenens ad fines suos accedere non formidaverit. Se etiam id multa aviditate ulcisci velle, si consilio suo velint cedere. Nec posse se ab hoc animo temperari, si ad id agendum copia militum non defecerit. Gratias etiam sese quandoque redditurum, si id quod cupit æquo animo adoriantur.

69. *Impetus Gallorum spontaneus* [673] *in Ottonem* [673]. — Mox dux et alii primates sine deliberandi consultatione sententiam regiam attollunt. Sese sponte ituros cum rege, et Ottonem aut comprehensuros, aut interfecturos, aut fugaturos pollicentur. Hujus consilium negotii [674] dissimulatum ad paucorum tunc notitiam pervenire potuit, adeo ut euntes, quorsum nescirent. Tandem collectus exercitus sic densus incedebat, ut erecta hastilia lucum potius quam arma portenderent. Ibat ergo per cuneos simbolo (113) distinctos. Cum vero vada Mosæ transmisissent, centuriones constituti et dispositi per centurias, Ottonem non sufficientem habere exercitum diligenter contemplati sunt [675]. Itaque accedebant,

VARIÆ LECTIONES.

[665] conti, tius, atio an, tale *absc.* [666] nova *corr.* alia. [666] omnes exspectarent *corr.* dicere pararet. [667] E. R. et Ad. L. *codex.* [668] *hic pene una et aliæ plures fortasse lineæ excisæ sunt.* [669] in regem, per, os, as *absc.* [670] elevatus *corr.* creatus. [671] plerumque *corr.* quandoque [672] io, n *absc.* [673] onta, neus, Ottonem *abscisa.* [674] n. tractant atque ordinant galli celtæ. Quod *deleta.* [675] s. Centuriati i. *deleta.*

NOTÆ.

(112) Nugatur Richerus.

(113) Id est vexillo.

multamque inopiam rei militaris apud hostem prædicabant.

70. Quæ dum ad aures Ottonis referuntur, ille utpote erat audaci animo, Lotharium numquam hæc aggressum respondit. Nec vero in suas partes adventare potuisse, cum nec ei copia militum sufficeret, nec de suis satis spei haberet. At cum alii atque alii Lotharium jam adesse dicerent, et in eo perseverarent, Otto dixisse fertur, se ad his credendum nullo modo posse allici, nisi ipse quoque videndo per sese addisceret. Equis ergo inclamatis et adductis, Otto ad videndum [476] processit. Lotharium cum viginti milibus [477] instare advertit. Cogitabat itaque nunc reniti, nunc quoque ad tempus recedere, et post cum exercitu copioso reverti meditabatur. Tandem quia Lotharius urgebat, stare non potuit. Abscessit ergo non sine lacrimis, cum uxore Teuphanu regnique principibus, relicto palatio atque regio apparatu.

71. Lotharius cum exercitu affuit, Ottonem se capturum ratus. Et certe cœpisset, si in itinere sese exercitus angariis non impedisset. Nam si ante ejus discessum pridie advenisset, eum aut capere aut neci dare potuisset. Palatium igitur ab hostibus occupatur. Regiæ mensæ evertuntur. Ciborum apparatus per calones diripitur. Regia quoque insignia a penetralibus erepta, asportantur. Aeream aquilam quæ in vertice palatii a Karolo magno acsi volans fixa erat, in vulturnum converterunt. Nam Germani eam in favonium [478] converterant, subtiliter significantes Gallos suo equitatu quandoque posse devinci. Lotharius frustra impetu facto, sine obside vel pace sequestra exercitum reduxit, postea se rediturum confidens.

72. Otto cui totum calamitatis pondus illatum fuerat, donis multiplicibus multisque favoribus suos sibi asciscebat. Et utpote vincendi cupidus, si quos leserat, revocabat aut reddito quod sustulerat, aut dato quod spoponderat. Pacatis autem omnibus atque sibi revocatis si qui forte [479] abscesserant, regnorum principibus in unum collectis, coram sic locutus est :

73. *Oratio* [480] *Ottonis ad* [480] *suos.* — « Non ab re, viri clari, huc vos convenisse volui. Virtus vestra suggessit a vobis consilium expetere, quos et ingenium decorat, et animi virtus informat. Nec dubitavi me suscepturum a vobis optimi consilii rationem, cum ab animo non excesserit, quanto animo, quanta virtute in fides hactenus perstitistis. Ante hac, viri clarissimi, ingenti virtute pro egregiæ laudis honore et gloria sategistis, cum et consilio clari, et bello invicti enituistis. Nunc quoque eadem virtute nitendum est, ne laudi egregiæ turpis infamia succedat. Enitimini ergo pro viribus, et si quid dedecoris contraxistis, a tanta claritudine amoveatis. Non vos latet, fugæ ignominiam a Lothario nuper nos pertulisse. Quam non solum bello, sed etiam morte repellere, et vestram claritudinem decet, et tempus exposcit, facultas etiam persuadet. Si igitur magis imperare quam servire parati estis, dum ætas viget, animusque valet, hoc facinus ne parvipendatis. Ingenti virtute efficite ut sitis formidini, quibus ignobiles et vulgus fuistis. » Hac sententia, id fieri omnibus persuasum est.

74. *Equitatus* [481] *in Galliam.* — Interea Otto cum triginta milibus [482] equitum in Gallias ire parabat. Nec moratus præmissis centurionibus ibat. Galliam Celticam exercitu implevit. Quam partim combussit, partim depopulatus est. Sic etiam versa vice Lotharium adurgens, eo quod militum copiam non haberet, fluvium Sequanam transire compulit, et gemebundum ad ducem ire coegit. Turbati ergo repentino hostium adventu, rex Stampas (114) adiit, dux vero ad colligendum exercitum Parisii resedit. Dum hæc aguntur, Otto cum exercitu properat, fiscumque regium Atiniacum diripit atque comburit; et per fines urbis Remorum transiens, sancto Remigio multum honorem exhibuit. Urbem quoque Suessorum prætergressus, et sanctum Medardum venerans, palatium Compendiense pene diripuit. Nec minus centuriones prævii eo ignorante sanctæ Baltildis monasterium, apud Chelas penitus subruerunt atque combusserunt. Quod non mediocriter dolens multa in ejus restaurationem delegavit. Tandem ad fluvium Sequanam accessit, ibique exercitus tentoria fixit, Parisium in prospectu habens, totamque pene regionem per triduum depopulatus est.

75. Ibant ergo equites cum lixis palantibus ad victum deferendum, stadiis 160 circumquaque. Et quia Sequana interfluebat, neuter exercitus ad se accedebat. Dux enim in altera fluvii parte milites colligebat; at hoc triduum non sufficiebat ad colligendorum sufficientiam militum, nec fieri potuit copia unde congrederetur [483].

76. *Monomachia duorum.* — Cum ergo uterque exercitus dubio esset statu, et de victoria altrinsecus tota mente quæreretur, Germanus quidam animo simul et viribus fidens, singularis ad dimicandum cum armis processit, seseque ad pontem ubi portæ erant repagulis et clavis ferreis munitæ, congressurum solum cum solo obtulit. Hostem ut veniret singularis sæpenumero inclamavit. Et cum jam in Gallorum contemptum quædam maledicta effunderet, nec aliquis ei responderet, per custodes duci aliisque

VARIÆ LECTIONES.

[476] v. cum principibus *deleta.* [477] XX *cod.* [478] in gallos *deleta.* [479] f. animo *deleta.* [480] O, ad *abscisa.* [481] E *absc.* [482] XXX. [483] *c.* Nec prætermittendus videtur congressus duorum, quorum alter Germanus, alter vero Gallus fuit. Cum uterque *deleta.*

NOTÆ.

(114) *Etampes.*

principibus qui jam pauci advenerant, relatum est, ad portas pontis hujusmodi esse hominem, qui sese ad dimicandum singulariter solum cum solo proponeret, illumque probris et contumeliis verborum principes lacessire, nec illum inde recessurum esse, nisi aut singulariter congrediatur, aut portis incisis totus exercitus intromittatur. Dux cum principibus hanc contumeliam non ferens, tirones [481] hortatur ut furentem [482] repellant, et a tanta ignominia purgati [483] nominis gloriam sibi affectent. Mox quam plures animo ardentes, ad resistendum sese obtulerunt. Ergo de pluribus unus electus, Ivo [484], congressurus procedit. Premium viri fortis propositum est; et, ablatis repagulis, portæ patefactæ sunt. Procedit sibi obviam hostis uterque. Qui objectis clipeis, telisque obnitentes, mente furiata pauca admodum probra sibi objecerunt. Germanus tandem telum jaculatus, Galli clipeum gravi ictu pertundit. Gladioque educto cum urgere instaret, a Gallo mox telo obliquato confixus, atque vita [485] privatus est. Gallus victoria potitus, ab hoste rapta arma asportavit, atque duci obtulit. Vir fortis præmium petiit et accepit.

77. *Ottonis a Gallia* [486] *digressio* [487] *suorumque* [488] *fuga* [489]. — Otto Gallorum exercitum sensim colligi non ignorans, suum etiam tam longo itinere quam hostium incursu posse minui sciens, redire disponit; et datis signis castra amoverunt. Angarias quoque accelerare moliti sunt; amotisque omnibus, ibant non segniter, nec sine metu. Axonæ fluvii vada festinantes alii transmiserant, alii vero ingrediebantur, cum exercitus a rege missus a tergo festinantibus affuit. Qui reperti fuere, mox gladiis hostium fusi sunt, plures quidem, at nullo nomine clari (115). Otto interea cum exercitu digressus, Belgicam petiit, ibique procinctum solvit; tanto favore et benivolentia apud suos usus, ut sicut imminenti periculo, ita quoque et omnibus capita sese objecturos pollicerentur.

78. (980.) Lotharius considerans Ottonem neque dolis falli, neque viribus posse devinci, sepe et multum apud se quærebat, utrum potius foret stare contra hostem an reconciliari hosti. Si staret contra, cogitabat possibile esse, ducem opibus corrumpi, et in amiciciam Ottonis relabi. Si reconciliaretur hosti, id esse accelerandum, ne dux præsentiret, et ne ipse quoque vellet reconciliari. Talibus in dies afficiebatur. Et exinde his duobus ducem suspectum habuit. A consultantibus tamen decretum [490] est, Ottonem in amiciciam regis revocandum, eo quod ipse vir virtutis esset, et per illum non solum dux mansuesci posset, sed et aliarum gentium tiranni subjugari utiliter valerent. Legati igitur a Lothario directi, ab Ottone liberalissime suscepti, de habenda utriusque amicicia duce ignorante elaborant :

79. *Oratio* [491] *Gallorum ad* [491] *Ottonem*. — « Hactenus, inquiunt, discordiæ, invidiæ, cædis amatores floruerunt, cum inter nobilissimos reges tantum locum habuerunt, quibus pro deliciis erat discordia, quia apud reges discordes se multa adquirere posse arbitrabantur. Enimvero de communi labe cogitabant, ut majoris gloriæ et honoris locum, apud conturbatos vindicarent. Sed proderit plurimum rei publicæ, si malignitas pravorum jam dudum reprimatur, et virtus bonorum luce purius enitescat. Redeat ergo virtus et floreat inter gloriosissimos reges, ut et vestra virtute tantorum malorum auctores abinde conquiescant, et res publica vestra virtute potius gubernetur, quam cupidorum invidia dilabatur. Securius enim ambo regnabitis, cum in amicicia conjuncti duos exercitus pro uno habebitis. Quod si ex vobis alter in ultimas suorum regnorum gentes ire disposuerit, alterum acsi fratrem, fidumque suarum rerum tutorem habebit. Placeat ergo serenissimis regibus pax et amicicia, quos conjunxit etiam sanguinis affinitas. Vinciantur amicicia, quorum dissidentia rei publicæ labem infert, et concordia utilitatem accommodat viresque ministrat. »

80. *Responsio* [492] *Ottonis ad Gallos* [492]. — Ad hæc Otto : « Novi, inquit, quantam labem rei publicæ discor-

VARIÆ LECTIONES.

[481] milites *et supra* vel tirones *cod.* [482] ut canem latrantem *corr.* furentem. [483] i. non solum sese. sed et totam gentem suam emundent. ac per infinita tempora *deletu.* [487] *vox littera majucula scripta, linea subducta deleri videtur.* [488] armis *corr.* vita. [489] llia, o, su, ga *abscisa.* [490] deliberatum vel decretum *cod.* [491] o, d *abscisa.* [492] nsio, os *absc.*

NOTÆ.

(113) Hic referre placet veterem inscriptionem in codice regio Parisiensi n. 3839 A. in fol. membr. sæc. XII, pag. 143, 144, servatam : « Hoc scriptum fecit Fulco comes Jerosolimitanus in ecclesia sepulcri de Lochis cum magna sepultus honorificentia de donis factis suis antecessoribus a rege Francie.

« Cum Deus voluit sublimare Robertum filium ducis in regem, Goffridus Grisagonella cum tribus milibus armatorum serviebat domino suo regi Rotberto. Otho siquidem rex Alemannorum cum universis copiis suis Saxonum et Danorum, montem Mortiaci (*a*) obsederat, et urbi Parisius multos assultus ignominiose faciebat. In hac necessitate prelii rex Rotbertus et pater suus ducatum prime cohortis comiti Gofrido Grisagonella tradidit, et ad persequendum exercitum Alemannorum ducem et consiliarium constituit. Persecutus est itaque rex Rotbertus regem Alemannicum præeunte Goffrido Grigonella usque ad flumen Esne (*b*). Comes vero Goffridus gnarus pugnandi et assuetus, tantam stragem hostium super fluvium dederat ante regis Rotberti adventum, quod stannum putares non fluvium. Alemannis itaque fugatis, rex Rotbertus congregato generali concilio, consilio patris sui et episcoporum comitum baronum, dedit Gaufrido comiti, quicquid rex Lotharius in episcopatibus suis, Andegavensi scilicet et Cenomannensi, habuerat. »

(*a*) *Montmartre.* (*b*) *Aisne.*

dia sepenumero intulit, cum regnorum principes contra se aliquando moliti sunt. Nec illud etiam ignoro, quanta salus per amiciciæ virtutem rei publicæ comparata sit. Fateor hactenus me plurimum coluisse pacem et concordiam, invidias atque discordias malignantium odio semper habuisse. Componantur ergo per vos animi dissidentium, nam huic rei vos video aptissimos, qui ante hac mutua lesione rei publicæ plurimum derogavimus. Consilii vestri rationem approbo. Dictis tandem facta consentiant. » Legati persuasione habita redeunt, ambosque reges alterutrius benivolentium ad alterutrum referentes, in amicicia componunt. Constituitur tempus colloquendi. Locus utrique commodus deputatur. Et quia circa fluvium Mosam regna amborum conlimitabant, in locum qui Margolius dicitur, eis sibi occurrere placuit.

81. *Lotharii et* [693] *Ottonis regum conciliatio* [693]. — Convenerunt ergo. Datisque dextris, osculum sibi sine aliqua disceptatione benignissime dederunt; amiciciam altrinsecus sacramento stabilierunt. Belgicæ pars quæ in lite fuerat, in jus Ottonis transiit. Otto, regni sui pace facta, Italiam petiit, Romamque devenit, suos revisurus atque de regni statu quæsiturus; compressurus etiam si qui forte essent tumultus, et tumultuantes in pacem revocaturus si qui principum forte dissiderent. Lotharius vero Laudunum veniens, apud suos quæque congrua sibi pertractabat. Nec jam quicquam spei ex duce habebat, cum propter pacem dolo quæsitam, non mediocriter eum suspectum haberet. (981.) Cum jam hæc omnia vulgo prædicarentur, nonnulli quoque inde indignati pro duce fremerent, dux constanti animo tristitiam dissimulans omnia ferebat, et sicut moris ei erat consulto omnia deliberare, primatibus advocatis declamaturus resedit.

82. *Oratio* [694] *ducis* [695] *apud suos.* — Quibus coram sic orsus cepit: « Non præter fructum utilis et honesti consilium a doctis expetitur. Quibus solis et decenter acceditur, et ab eis fluctuanti rei, consilii ratio aperitur. Vos in consulendo arbitror idoneos [696], cum ab animo non discedat, quanta virtute et ingenio vestri, sæpenumero adversariis prænituerim. Cumque vos mihi manibus et sacramento addictos, fidem quoque inviolabilem servaturos non dubitem, indubitanter a fidelibus consilium peto. Quod si mihi conceditur, vos etiam participabitis. Si non suggeritur, forte non aberit dispendium cui indecores succumbatis. Ergo quia pro vita agitur, consilium utile liberaliter expromite. Non enim vos latet quanta subtilitate doli, Lotharius rex incautum me fefellerit, cum absque me Ottoni reconciliari voluerit fecerituque. Cui a mente penitus excessit, quam liberali animo quantum periculum aggressus sim, cum per me hostem nuper fugaverit, Belgicam quoque insi- A gnibus sublatis hostilibus subarraverit. Quid ergo spei ulterius expectem, cum dolo fidem abruperit? »

83. *Declamatio* [696] *qua* [696] *usi sunt apud ducem* [696] *sui.* — Ad hæc primates: « Non solum novimus, inquiunt, quantis periculis nobiscum pro Lothario rege caput objeceris, verum quoque quanto discrimine claritudo tua adhuc patens sit, si ut fama est duo reges contra te conspiraverint. Nam si contra alterum exercitum pro defensione moliaris, ambos contra te mox stare invenies. Si contra ambos nisus fueris, plurima incommoda incurrere necesse est, equitatum intolerabilem, insidias multiplices, incendia, atque rapinas, et quod pessimum est nefarios infidi vulgi rumores, qui non contra adversarios nos exercere defensionem loquetur, at in rebellione B contra regem temerarios atque perjuros stare calumniabitur. Sic etiam ad quoscumque accedere posse mencietur, ut sine delicto, sine perjurii sacrilegio a dominis recedant, et contra illos arroganter cervices attollant. Hujus periculi extremum et utile consilium nobis videtur, ut cum duo contra nos conjuncti sint, alteri alterum subtrahamus. Quod si alteri alter subtrahi nequit, saltem in amiciciam nobis eorum alterum devinciamus, ut alter nobis addictus, alteri vires non præbeat animumque ministret. Hoc quoque fieri possibile est, si Romæ nunc positum Ottonem legatis præmissis cautus et circumspectus adieris. Non enim sic parvi est ingenii Otto, ut te potiorem Lothario armis et opibus ignoret, cum sepe et id audierit et per sese expertus sit. Unde et C facilius ejus amiciciam adipisceris; proderit etiam sanguinis vestri propinquitas, cum æque ut Lotharius ei in hoc conjungaris. »

84. Quæ sententia prolata favoraliter [697] duci habita est. Legatis igitur directis dux animum hujusmodi Ottoni Rome indicavit. Otto mira benivolentia legatos excepit; de amicicia quoque inter illos habenda se paratissimum non negavit. Quod si ipse dux ad se veniret, ut amplius uterque amiciciæ vim experiretur, eum cum suis se decenter et cum honore excepturum. Legati reversi, duci mandata retulerunt. Dux igitur quosdam magnæ prudentiæ et astutiæ assumens, Arnulfum videlicet Aurelianensium episcopum, atque Burchardum necnon [698]..... reliquos quoque admodum necessarios viros, Romam D progreditur. Sanctos apostolos honorat, atque sic regem petit.

85. *Ottonis cum* [699] *Hugone sessio.* — Otto gloriam sibi parare cupiens, ex industria egit, ut omnibus a cubiculo regio emissis, ejus gladius super sellam plectilem deponeretur, dux etiam solus cum solo episcopo introduceretur, ut rege latiariter loquente, episcopus latinitatis interpres, duci quicquid diceretur judicaret. Introgressi igitur, a rege ingenti

VARIÆ LECTIONES.

[693] et, ia *absc.* [694] O, d *absc.* [695] i. quos et ingenium cogitandi et ratio dicendi reddidit clariores. Quos non dubito de pernitie bonorum dolere, quibus ingenti virtute propositum sit improbis displicere. Et *deleta* [696] De, qu, d *absc.* [697] *ita c.* [698] *locus vacat in c.* [699] is cum, essio *absc.*

favore excepti sunt. Rex injuriarum querelam depo- A nit ; et osculum dans, gratiam sui favoraliter amico impertit. Post multa colloquia de amicicia habenda, cum rex exiret, gladiumque respiciens peteret, dux paululum a se discedens se inclinavit ut gladium tolleret, ac post regem ferret ; hac enim causa super sellam relictus fuit, ut dum dux cunctis [500] videntibus [500] gladium [500] ferret, in posterum [500] etiam portaturum [500] indicaret [500]. Episcopus vero duci consulens, gladium ab ejus manu rapuit, et ipse deferens post regem incessit. Cujus prudentiam simul et astutiam rex admiratus, apud suos postea non sine laude sepius frequentavit. Ducem quoque in plurima amicicia susceptum, cum honore et pace pene usque ad Alpes deduci fecit.

86. *Epistola Lotharii ad Chonradum.* — Lotharius B rex, necnon et Emma regina insidias ubique parabant ; et ut in itinere redeuntem caperent, dolos prætendebant. Igitur Conrado Alemanorum regi epistolam legavit hunc modum habentem : « Lotharius Francorum gratia Dei rex, Conrado [501] Alemannorum regi quicquid sibi. Amiciciam inter nos a multo tempore constitutam inviolabiliter conservare semper mihi gratum fuit. Cujus fructus cum a me multiplex exire valeat, utile duxi quiddam vobis indicare, et ad votum mihi fieri id petere. Hugonem ducem sciatis me hactenus pro amico habuisse. Comperto vero quod latenter hostis mihi esset, ab ejus familiaritate me remotiorem feci. Unde nunc Romam iens, Ottonem adiit, in mei contumeliam, regnique labem C ei plurimum persuasurus. Quapropter summa ope, summo ingenio nitimini ne evadat. Vale [502]. » Exploratores itaque circumquaque dispositi, per prærupta montium et scopulorum, per viarum exitus, ejus adventum opperiebantur.

87. *Item epistola Emmæ* [503] *reginæ ad matrem* [503]. — Nec minus Emma regina matri suæ in hunc modum epistolam direxit : « Adelaidi matri imperatrici semper augustæ, Emma Francorum regina salutem. Licet multo terrarum interstitio semota, tamen a matre auxilii rationem filia peto. Hugo dux insidiis non solum regni nostri principes a nostra fidelitate amovit, sed et fratrem meum Ottonem a nobis conatur avertere ; unde et Romam illum adiit. Ne ergo penitus sui voti compos glorietur, peto supplex filia D matrem, ut in revertendo tantus hostis impediatur. Et si fieri potest, aut captus teneatur, aut impunis non redeat. Sed ne vos suis dolis tergiversator evadat, totius formæ illius inseparabilia accidentia vobis indicari curavi. » Tunc prosecuta oculorum, aurium, labiorum, dentium quoque et nasi, necnon et reliquarum corporis partium accidentia, verborum quoque tenorem, sic ignotum declaravit, ut his signis detegeret atque ignorantibus indicaret.

88. *Hugo inmutato* [504] *habitu* [504] *insidias evadit.* — Dux horum non nescius, reditum accelerat. Dolisque præmetuens, vestem mutat, seseque unum de clientibus simulat. Equos onera ferentes, ipse regit atque exagitat. Onera imponit et deponit, omnibus se serviturum accommodat. Tantaque industria in abjecta veste et inculto habitu se ducem dissimulavit, ut et per insidiarum loca transiret quæ nec vitare poterat, et insidiantes efficaciter falleret. Uno tantum [505] hospitio pene deprehensus fuit. Nam dum eundum esset cubitum, ei lectus cum diligenti apparatu compositus est ; eique circumfusi se omnes ad serviendum obtulerunt. Alii enim genu flexo [506] caligas extrahebant, extractasque alii excipiebant ; alii vero nudatos pedes se lentis, subsidendo confricabant, et giris vestium emundabant. Hæc hospes per ostii rimas contemplatus est. Deprehensusque explorasse, mox ne rem detegeret vocatus est et intromissus. Strictisque mucronibus postquam ei necem minati sunt si vocem emitteret, comprehensum ligatis manibus et pedibus in ergastulum detruserunt. Qui voce suppressa, ibi usque crepusculum convexus [507] jacuit. Post nocte abscedente, in ipso crepusculo surrexerunt. Hospitem assumptum et equo invectum, tandiu asportaverunt, donec loca suspecta transmitterent. Quibus transmissis, depositum dimiserunt, reliquumque itineris celeres confecerunt. Nec minus Conradi regis dolos sepe simulando et dissimulando evasit, cum in dolis componendis insidiatores studio et hic niterentur. Tandem tantorum malorum securus, Gallia receptus est.

89. Cognitis autem utrorumque dolis ab utroque, tanta crudelitate in se non armis sed insidiis latentibus debacchati sunt, ut aliquot annis res publica principibus dissidentibus multum lederetur. Tunc etiam multarum rerum usurpationes, miserorum quoque oppressiones, et circa minus potentes, calamitates nefariæ a quibusdam pravis exercitæ sunt. Cum utriusque sapientiores in unum consulturi convenientes, principes dissidere plurima commiseratione conquesti sunt.

90. *Lotharii et Hugonis reconciliatio.* — Statueruntque ut alterius fautores, ad alterum suasuri de reconciliatione transirent, ut alteruter benivolentia alterutrius captus, facilius condescenderet, eumque pro lesa amicicia utilius peniteret. Quod [508] consultum, non multo post effectum habuit. Nam et eis efficacissime persuasum est, ac plurima dilectione sibi annexi sunt Sic etiam in utrisque vis amiciciæ firmata visa est.

91. *Promotio Ludovici in regnum Francorum.* — Etenim cum rex filium suum Ludovicum in regno sibi succedere vellet, ipsum quoque a nuce ordinandum quæreret, dux hanc ordinationem mox liberali animo se administraturum respondit. Et legatis di-

VARIÆ LECTIONES.

[500] cunc, bus, gla, in post, e por, icaret *ex conject.* [501] conrado *codex.* [502] VAL. [503] mmæ, trem *abscisa.* [504] mu, u *absc.* [505] *sic c.* [506] flexu *corr.* flexo. [507] conquexus *c.* [508] Q. senatus *delet.*

rectis, regnorum principes Compendii collegit; ibique a duce reliquisque principibus Ludovicus rex adclamatus per metropolitanum episcopum Remorum, dignæ videlicet memoriæ Adalberonem, sancta die Pentecostes in regnum Francorum promotus est (116). Duobus ergo regnantibus dux multa affabilitate ac famulatu multiplici, per dies plures sese commendabat; adeo regiam dignitatem per omnia extollens, et sese [809] eis supplicem [810] monstrans; se etiam facturum pollicens, ut ambo gentibus jam domitis potenter imperarent, indomitas quoque efficaciter [811] mansuescerent. Id etiam meditabatur, ut in diversis regnis positi, regiam dominationem exercerent, ne unius regni angustia, duorum regum majestati nimium derogaret.

92. *Item promotio Ludovici in regnum Aquitaniæ ejusque uxoratio.* — Dum hæc multo conatu disponeret, alii quidam nimis callidi hoc comperto, cum hujusmodi gloriam in sese transfundere vellent, Emmam reginam adeuntes, super maxima re se consulturos dixerunt. Qui suscepti a regina, id sibi videri optimum dixerunt, Ludovico regi assciscendam conjugem Adelaidem, Ragemundi nuper defuncti ducis Gothorum olim uxorem. Et non magis potentiam regnandi ex hoc posse augeri, quam sibi nonnulla commoda adquiri. Enimvero possibile fieri, totam Aquitaniam simulque et Gothiam suo imperio asstringi posse, postquam ex jure ductæ uxoris oppida munitissima ad suum jus retorqueret. Magnum etiam quiddam in hac re, et utile comparari, si patre hinc posito, et illinc filio, dux ceterique hostes in medio conclusi, perpetuo urgeantur.

93. Hujus rationis consilium postquam regi suggestum est, apud Gozfredum comitem qui aderat ordinatum valuit. Hæc duce ignorante parabantur. Quæ cum post animadvertisset, ne regibus fieri videretur injurius, contumeliam dissimulans, nihil penitus refragratus est. Interea collectis regni principibus, equitatus regius disponitur, insignia regia invehuntur; cibi multiplices apparati, vehiculis imponuntur. Quibus actis, reges utrique cum multo equitatu in Aquitaniam profecti sunt, castrumque Briddam quod vetus dicitur, devenerunt.

94. *Adelaidis* [812] *a Ludovico* [813] *reginæ in* [814] *Aquitania promotio* [815] *eorumque divortium* [816]. — Quo a præfata Adelaide multo apparatu excepti sunt. Et die constituta rationibus decentissime habitis, et ex jure datis dotalibus, Ludovicus rex eam sibi uxorem copulavit, atque secum coronatam per episcopos in regnum promovit. Non tamen regium nomen sic in eis valuit, ut ullatenus regnandi dominationem in principibus exercere valerent. Amor quoque conjugalis eis pene nullus fuit. Nam cum ille adhuc pubesceret, illa vero anus foret, contrariis moribus dissentiebant. Cubiculum commune sibi non patiebantur. Requieturi quoque diversis hospitiis potiebantur. Si quando colloquendum erat, locum sub divo habebant. Pro sermonibus producendis, paucissima dicere sat erat. Et hoc apud eos fere erat per biennium. Quorum mores usque adeo discordes fuere, ut non multo sequeretur post et divortium.

95. Ludovicus vero quia morum informatorem non habebat, utpote adolescens levium rerum vanitatibus insistebat. Habitum [817] patriæ gentis pro peregrinis penitus deposuerat. Itaque in miserandam fortunam res penitus dilapsa est, ut et moribus degener, et regnandi impotentia inglorius esset; et qui paulo ante rex genere, fama, atque copiis potens, nunc erumnosus et inops, rei familiaris simul et militaris calamitate squaleret. His Lotharius rex per multos cognitis, filium inde revocare cogitabat; non ignorans in pejus eum lapsurum, cum illic nullum dignitatis regiæ haberet honorem. Equitatum itaque parat filium repetiturus. Aquitaniam ingressus Briddam petiit. Filium repetit et reducit. Regina sese viduatam dolens, et verita majoris incommodi injuriam, Wilelmum Arelatensem adiit, eique nupsit. Et sic ex divortio, adulterium publicum operatum est.

96. *Obitus Ottonis.* — Hac tempestate Otto cum barbaris congressus, miserabili fortunæ succubuit. Nam et exercitum fusum amisit, et ipse captus ab hostibus, divina vero gratia reversus fuit. Post cum ex indigestione Romæ laboraret, et intestini squibalas ex melancolico humore pateretur, aloen ad pondus dragmarum quatuor sanitatis avidus sumpsit. Conturbatisque visceribus, diarria jugis prosecuta est. Cujus continuus fluxus, emorroides tumentes procreavit. Quæ etiam sanguinem immoderatum effundentes, mortem post dies non plures operatæ sunt (983, *Dec.* 7).

97. Cui defuncto filius quinquennis Otto superstes erat. Quem patri succedere in regnum, cum aliquot primates voluissent, id ab aliquibus contradictum est (983, *Dec.* 25). Ingenti tamen virtute variaque fortuna ei regnum postea paraverunt (984). Nam Hezilo regis paulo ante defuncti patruelis, qui adhuc in carcere vinctus ab eo tenebatur, eo quod adversus eum regnum appeteret, pravorum dolis in pernitiem rei publicæ elapsus, et quorumdam munitionibus receptus est. Vir æque ut Otto nobilis, corpore

VARIÆ LECTIONES.

[809] s. per omnia *deleta*. [810] supplicem *cod*. [811] efficatiter *cod*. [812] Ad, do, in, ti, vo *abscisa*. [813] Vestes *corr.* habitum *cod*.

NOTÆ.

(116) Quæ cum jam an. 979 accidissent, ordo rerum a nostro inversus esse videtur; nisi anno 981 Hugone assentiente fortasse rex confirmatus sit. Singulare quidem, in chartis Lotharii duabus d. Julii 9 anni 981, iisque solis, formulam legi: *Datum — filio vero ejus domino Ludovico adolescente egregio regnante anno tercio.*

eleganti ac valido honoris cupidus ac factiosus; animo vasto, sed fallaci. Hic regnandi avidus, omnes sacrilegos, aut judiciis convictos, sive etiam pro factis judicium timentes, postremo omnes flagitiosos quos conscius animus exagitabat, sibi proximos ac familiares fecit (Sallustii *Catil.* c. 14). Talium dolis, regis defuncti superstitem filium Ottonem parvum rapuit, ejus loco sese regnaturum ratus. Regnum ergo sic in suum jus refundi arbitrans, sceptrum et coronam sibi paravit. Quod dum a Lothario expetendum cogitaret, eumque concessa Belgica sibi sotium et amicum facere moliretur, legatos præmisit, apud quos, sacramento commune negocium firmaretur. Quo etiam sacramento, utrique reges sibi pollicerentur sese super Rhenum loco constituto sibi occursuros.

98. Quibus per legatos juratis, Lotharius tempore statuto cum exercitu per Belgicam transiens, ne teneretur sacramenti obnoxius, ad locum Rheni condictum devenit. Hezilo sese metuens in suspitionem principum venire si Lothario occurreret, acsi eum in regnum recipere vellet, perjurii reus, occurrere distulit. Lotharius se illusum advertens rediit, non tamen sine difficilis laboris incommodo. Nam Belgæ per quorum medium cum equitatu transierat, indignati transisse, vias transpositis arboribus impediunt, aut fossis inmersis revertentes prohibent· non ut aperto campo comminus dimicent, sed ut his impedimentis cunctantes a tergo urgeant, aut montium jugis securi, per inferiora transeuntes missilibus figant. Et quia aperta fronte stare animo non fuit, sagittarii cum arcubus et balistis per montana dispositi sunt. Dum ergo exercitus subiret, illi a superioribus alios sagittis figebant, alios diversis missilibus sauciabant. At tirones sicubi ascensui pervium locum videbant, in hujusmodi hostes vertebantur; armisque efferati, quosdam vulnerabant, quosdam vero morte afficiebant. Tantum in eis ter debacchati, ut cæsorum cadaveribus aggerata moles, collibus assimilaretur. Alii vero descendentes aut vibratis gladiis frondium oppositarum densitatem metebant aut trudibus adactis transpositam arborum molem amovebant, sibique [814] iter aperiebant. Tandem multo conatu, de medio hostium educti sunt.

99. Hac tempestate Germania [815] nullo regis imperio tenebatur, quippe cum et Ottonem infantem ætatis infirmitas regnare prohiberet, et Heziloni, regnandi cupido, a potioribus regnum contradiceretur. Unde Lotharius occasionem nactus, de Belgicæ pervasione iterum cogitabat, ut videlicet ad suæ dominationis jus eam retorqueret, cum Otto [816] non esset, principes dissiderent, regnique dignitas nullo regis administraretur imperio.

100. Itaque Odonem atque Herbertum viros illustres et potentia claros advocans, eis sui voti secretum aperit. Et quia paulo ante eorum patrui absque liberis defuncti terra optima cum oppidis munitissimis illos liberaliter donaverat, ipsi mox domi militiæque esse paratissimos responderunt. Quibus faventibus cum rex sibi in animo esse diceret, ut Belgicam repeteret, eamque militaribus copiis expugnaret, ipsi hujus rei initium Virduni faciendum dicunt, eo quod ipsa propinquior civitas esset, et sese multa obsidione eam aggressuros, nec umquam ab ea nisi capta recessuros. Qua capta, et sacramento atque obside regi annexa, ulterius processuros. Tandiu etiam moraturos in Belgica, donec aut armis expugnetur, aut victi Belgæ in deditionem omnes transeant. Quorum spontione suscepta, rex cum ipsis exercitum mox Virdunum admovit.

101. *Virduni expugnatio* [817]. — Quæ civitas eo situ posita est, ut a fronte, planitie pervia meantibus accessum præbeat; a tergo [818] inaccessibilis sit. Ibi enim a summo in posteriora, profundo hiatu circumquaque distenditur. Ab inferioribus vero ad summum, rupibus præruptis artatur. Quæ non solum scatens fontibus, puteisque, incolis accommoda, sed et fluvio Mosa eam a prærupta parte abluente, nemorosa. Ubi ergo a fronte planitien præfert, pugnaturi machinas bellicas generis diversi aptavere. Nec minus qui in urbe erant, ad resistendum sese expediebant. Pugnatum est tandem octo ferme continuis diebus. At cives cum viderent nulla a suis extrinsecus suffragia mitti, nec jugis prælii pondus se tolerare posse [819], consilio inito indempnes et intacti hostibus cessere. Urbem aperuerunt, et sese Lothario victi obtulerunt.

102. Quibus peractis, rex ad urbem tuendam, reginam Emmam in ea reliquit. Ipse cum exercitu Laudunum rediit, suos etiam ad sua redire permisit. Tantæ benivolentiæ favore apud eos usus, ut repetito itinere se ulterius ituros si juberet pollicerentur; et neglectis pro tempore domibus et natis, cum hoste comminus dimicaturos. Lotharius interea apud suos deliberabat, utrum potius foret sese ulterius ire, armisque et viribus totam Belgicam sibi subjugare, an residendo Virduni, per legatos habitis suasionibus, mores hostium ad suum animum informare. Si enim eos ferro vinceret, cum id sine multo sanguine fieri non posset, cogitabat in posterum minus eis credendum, eo quod amicorum labem eis intulerit. Si vero per benivolentiam reversuros expectaret, cavendum putabat, ne in tanto otio, hostes insolentiores redderentur.

103. *Virduni* [820] *invasio* [820] *a Belgis.* — Dum hæc multa consultatione ventilaret, Belgicæ dux Teodericus, necnon et vir nobilis ac strenuus Godefridus, Sigefridus quoque vir illustris, Bardo etiam et Gozilo fratres clarissimi et nominatissimi, aliique principes nonnulli, latenter pertemptant Virdunum

VARIÆ LECTIONES.

[814] et venienti exercitui *corr.* sibique. [815] Belgica atque G. *deleta.* [816] o. hostis *delet.* [817] V, e *abscisa.* [818] t. et latere utroque *deleta.* [819] p. paucosque multitudini cedere *deleta.* [820] V, in *abscisa.*

irrompere, eamque a Gallis [821] evacuare. Factisque insidiis, negotiatorum claustrum, muro instar oppidi exstructum, ab urbe quidem Mosa interfluente sejunctum, sed pontibus duobus interstratis ei annexum, cum electis militum copiis ingressi sunt. Annonam omnem circumquaque milites palantes advectare fecerunt. Negotiatorum quoque victus in usum bellicum acceperunt. Lignorum trabes ex Argonna (117) aggregari jusserunt, ut si ab hostibus extra machinæ muris applicarentur, ipsi quoque interius obtinentibus machinis obstare molirentur. Crates quoque viminibus et arborum frondibus validas intexuerunt, machinis erectis, si res exposceret, supersternendos [822]. Sudes ferro acuminatos, et igne subustos, ad hostes transfodiendos quamplures aptaverunt. Missilia varii generis per fabros expediere. Funium millena volumina ad usus diversos convexerunt. Clipeos quoque habendæ testudini ordinandos, instituerant. Preterea centena mortis tormenta non defuere.

104. *Repetito Virduno a Lothario.* — Nuntiantur hæc Lothario. Qui tantum facinus accidisse acerrime indignatus, exercitum dimissum revocavit; et sic cum decem milibus pugnatorum Virdunum petiit, atque adversarios repentinus aggressus est. Primo impetu, sagittarii [823] contra hostes ordinati sunt. Missæque sagittæ et arcobalistæ cum aliis missilibus tam densæ in aere discurrebant, ut a nubibus dilabi, terraque exsurgere viderentur. Horum contra impetum, testudinem ante se et super capita hostes muro aptavere; in quam relisa missilia, ictu frustrato decidebant. Hoc impetu facto Galli circumquaque obsidionem disposuere; fossisque præruptis, obfirmaverunt castra, ne si ad incautos adversarii prosilirent, accessum facilem invenirent.

105. *Compositio* [824] *cujusdam machinæ* [825] *bellicæ.* — Quercus proceras radicitus succisas, ad machinam bellicam extruendam advexerunt. Ex quibus quatuor trabes tricenorum pedum straverunt solo, ita ut duæ in longum projectæ, et decem pedum intervallo distinctæ, duabus aliis per transversum eodem intervallo superjacentibus cohererent. Longitudinis et latitudinis spatium, quod intra commissuras earum tenebatur, decem pedum erat. Quicquid etiam a commissuris extra projectum erat, simili modo decem pedibus distendebatur. In harum trabium commissuris, quatuor sublicas quadragenorum pedum, quadrato quidem scemate, sed procero, æquo spatio a se distantes, adhibitis trocleis erexerunt. Transposueruntque bis per quatuor latera festucas decem pedum, in medio scilicet, et in summo, quæ traductæ, sublicas sibi fortiter annecterent. A capitibus vero trabium, quibus sublicæ nitebantur, quatuor trabes eductæ, et pene usque ad festucas superiores obliquatæ, sublicis jungebantur, ut sic ex eis machina extrinsecus firmata non titubaret. Super festucas quoque quæ in medio et in summo machinam connectebant, tigna straverunt. Quæ etiam cratibus contexerunt, super quas dimicaturi stantes, et eminentiores facti, adversarios deorsum jaculis et lapidibus obruerent. Hanc molem extructam, ad stationem hostium deducere cogitabant. Sed quia sagittarios suspectos habebant, rationem querebant, qua hostibus sine suorum lesione appropinquaret. Tandem ratione subtilius perscrutante, repertum est eam ad hostes optima arte detrudi posse.

106. *Deductio ad* [826] *hostes superioris* [827] *machinæ* [828]. — Dictabant enim quatuor stipites multæ grossitudinis terræ solidæ mandandos; decem pedibus in terra defossis, octo vero a terra ejectis. Qui etiam transpositis per quatuor latera repagulis vehementissimis solidarentur. Repagulis quoque transmissis, funes inserendos. Sed funium capita ab hostibus abducta, superiora quidem machinæ, interiora vero bobus annecterentur. At interiora, longius superioribus protenderentur. Superiora vero, breviore ductu machinam implicitam haberent, ita ut inter hostes et boves machina staret. Unde et fieret ut quanto boves ab hostibus trahendo discederent, tanto machina hostibus attracta propinquaret. Quo commento, chilindris suppositis, quibus facilius motum acciperet, machina hostibus nullo læso appulsa est.

107. *Victoria* [829] *Lotharii* [830]. — Adversarii quoque similem quidem machinam extruunt, sed altitudine et robore inferiorem. Utraque ergo exstructa [831], a parte utraque ascensum est. Conflictumque ab utrisque promtissime, nec tamen ullo modo cedunt. Rex cum propior muris adesset, fundæ jaculo in labro superiore sauciatus est. Cujus injuria, sui accensi, vehementius bello incubuere. Et quia hostes machina et armis fortes, nullatenus cedebant, rex uncinos ferreos adhiberi præcepit. Qui funibus alligati cum hostium machinæ injecti essent, lignisque transversis admorsi, funes alii demittebant, alii demissos excipiebant; quibus adversariorum machina, inclinata atque pene demersa est. Unde alii delabentes per lignorum commissuras descendebant; alii vero saltu sese ad terram demittebant; nonnulli quoque turpi formidine tacti, latibulis vitam sibi defendebant. Hostes mortis periculum urgere videntes, adversariis cedunt, vitamque supplices petunt. Jussi quoque, arma deponunt, et reddunt. Statimque a rege decretum exivit hostes sine aliqua ultionis injuria comprehendendos, ac illesos sibi adducendos.

VARIÆ LECTIONES.

[821] ab hostibus *corr.* a gallis. [822] supersternendas 1. [823] sagitarii 1. [824] Com, m, *abscisa.* [825] ad, ioris, æ *abscisa.* [826] ria, rii *abscisa.* [827] educta *superscripto* exstructa.

NOTÆ.

(117) Silva ab occidente Virduni.

Comprehensi itaque, inermes ac indempnes præter ictus quos in militari tumultu acceperant, ante regem admissi sunt. Qui regis pedibus advoluti, vitam petebant. Nam regiæ majestatis rei atque convicti, de vita diffidebant.

108. Rex victoria potitus, Belgicæ principes captos, suis custodiendos, sed et congruo tempore reddendos mandavit. Reliquam manum redire permisit. Ipse Laudunum cum exercitu rediit, ibique procinctum solvit. Urbem Virdunum usque in diem vitæ ejus supremum, absque ulla refragatione obtinuit. Disponebat præterea quomodo ulterius procedendo, regnum suum dilataret, cum res suæ successum optimum haberent, regnique fortuna per captos primates id persuaderet. Sed Divinitas res mundanas determinans, et Belgis requiem, et huic regnandi finem dedit.

109. (986.) *Obitus Lotharii.* — Nam cum vernalis clementia eodem anno rebus bruma afflictis rediret, pro rerum natura inmutato aere, Lauduni egrotare cœpit. Unde vexatus ea passione quæ colica a phisicis dicitur, in lectum decidit. Cui dolor intolerabilis in parte dextra super verenda erat; ab umbilico quoque usque ad splenem, et inde usque ad inguen sinistrum, et sic ad anum, infestis doloribus pulsabatur. Ilium quoque ac renium injuria nonnulla erat; thenasmus assiduus; egestio sanguinea; vox aliquoties intercludebatur. Interdum frigore febrium rigebat. Rugitus intestinorum[528]. Fastidium juge. Ructus conationes sine effectu, ventris extensio, stomachi ardor, non deerant. Ingenti itaque luctu, tota personat[529] domus. Fit sonitus diversus, clamor varius. Nemini enim eorum qui aderant, inlacrimabilis erat ea calamitas. Decem (118) igitur annis Ottoni superstes, tricesimo et septimo (119) anno, ex quo patre defuncto regno potitus est, quadragesimo vero et octavo quo a patre regnante coronam et sceptrum regnaturus accepit, a natu autem sexagesimo octavo (120), deficiens naturæ concessit (*Mart.* II).

110. Interea magnifice funus regium multo divitiarum regalium ambitu accuratur. Fit ei lectus regalibus insignibus adornatus, corpus bissina[530] veste induitur, ac desuper palla purpurea gemmis ornata auroque intexta operitur. Lectum regnorum primates deferebant. Preibant episcopi et clerus, cum evangeliis et crucibus; penes quos etiam, qui ejus coronam ferebat multo auro gemmisque pretiosis nitentem, cum aliis multis insignibus, ejulando incedebat. Funebre melos, lacrimis impedientibus vix proferebatur. Milites etiam mesto vultu, suo ordine prosequebantur. Reliqua quoque manus, cum lamentis succedebat. Sepultus est Remis in cœnobio monachorum sancti Remigii, cum patre et matre, sicut ante jusserat suis; quod etiam abest 240 stadiis ab eo loco, in quo finem vitæ accepit; multo obsequio universorum parique affectu per tantum spatii deductus.

VARIÆ LECTIONES.

[528] intestinorum *c.* [529] concrepitat *superposito* personat *c.* [530] purpurea *corr.* bissina.

NOTÆ.

(118) 13.
(119) 33ᵉ.
(120) An. 941 natus erat; Richerus errat, a nato Ludowico IV numerans; cf. II, 4, III, 2.

LIBER QUARTUS.

1. Sepulto Lothario, Ludovicus filius a duce aliisque principibus in regnum subrogatur. Circumvallatur ergo ambitu universorum. Promittunt benivolentiam; spondent fidem; stipatores etiam vario cultu [531] facienda dictabant [531]. Alii enim in palatiis [532] ei residendum censebant, ut principes ad se confluentes ejus imperio deservirent, ne regia dignitas vilesceret, si alias utpote inops, alieni suffragii peteret opes. In omni etiam dignitate id esse cavendum, ne in primordio suscepti honoris, segnities et ignavia virtutem habendam superent. Nam si id fit [533], totam etiam rem in contemptum et vilitatem pernitiosissime deventuram. Alii quoque cum duce ei commorandum asserebant, eo quod adolescens tanti principis prudentia simul et virtute informari indigeret. Sibi quoque utillimum fieri, si potentis dispositioni ad tempus cederet, cum sine eo nec regnandi potentiam habere ex integro posset, et per eum strenue atque utiliter omnia administrari valerent. Rex, partibus auditis, sententiam distulit. Collato vero cum duce consilio, ei abinde tota mente addictus favit.

2. *Oratio* [534] *Ludovici* [535] *apud ducem, ceterosque primates, in* [535] *Adalberonem metropolitanum* [535]. — Apud quem aliosque quam paucos, præteritorum non immemor sic conquestus est: « Pater meus in egritudinem qua et periit decidens, mihi præcepit, ut vestro consilio, vestra dispositione, regni procurationem haberem; vos etiam loco affinium, loco amicorum [535] ducerem, nihilque præcipui præter vestram scientiam adorirer. Si vestra fide potirer, sine dubio divitias, exercitus, munimenta regni, assere-

VARIÆ LECTIONES.

[531] cul, dic *ex conject.* [532] p. suarum urbium *deleta.* [533] *ita c.* [534] Or, vi, cet, in, m *ex conj.* [535] cognatorum *corr.* amicorum.

bat me habiturum. Quæ mens in me maxime valet [836]. Placeat itaque consilium profuturum dare, cum a vobis proposui me non discessurum [837]. In vobis enim meum consilium, animum, fortunas, sitos esse volui. Adalbero Remorum metropolitanus episcopus, homo omnium quos terra sustinet sceleratissimus, contempto patris mei imperio, Ottoni Francorum hosti in omnibus favit. Eo cooperante, Otto exercitum nobis induxit. Ejus subtilitate Gallias depopulatus est. Eo itineris duces præstante, indempnis cum exercitu rediit. Qui ut pœnas pro tanto commisso solvat, æquum et utile videtur [838], quatinus pestilente compresso, metus adoriendi talia, quibusque pravis inferatur. »

3. Cujus oratio vim suadendi non habuit, eo quod suggestionibus malorum in summum pontificem eferatus, præter justum aliqua indigna dixisse videretur. Pro parte tamen ei fautum est, pro parte vero suppressum ; ita tamen, ut et regi injuria non fieret, et operi nefario dux non consentiens pareret. Rex tanto animo præceps, in metropolitanum assumpto duce cum exercitu fertur. Ipsam urbem appetit, atque irrumpere contendit. Primatum tamen consilio usus, legatos præmisit, per quos quæreret an episcopus resisteret regi, an ex objectis purgari statuto tempore paratus esset. Si contra staret, sese mox obsidionem urbi adhibiturum dicerent, captamque urbem cum ipso hoste compressurum. Si vero objectis respondere non dubitaret, obsides ab eo sese accepturum ducturumque.

4. Ad hæc metropolitanus : « Cum constet, inquit, bonos quosque pravorum calumniis assidue dilacerari, non miror huic injuriæ locum accidisse. Multo amplius vero miror egregios principes tam facile posse illici, ut certissime esse credant quod nec sub judice sit discussum, et si in discutiendo conferatur, nullis rationibus probabile fiat. Quod si credita discutere placuit, cur armis et exercitu id exigitur ? Nonne ergo alia pro aliis nos cogitare faciunt ? Si de præteritis agitur, regum salutem hactenus optavi. Eorum genus colui. Principum quoque commoda, pro ratione amavi. Si de præsentibus, regis jussa exequi non moror ; obsides quos vult, trado ; rationem contra objecta intendere non differo. » Factis ergo utrimque rationibus, obsides dedit, Ragenerum virum militarem, nobilitate et divitiis clarum, pluresque alios dum regi sufficeret.

5. *Obitus Ludovici.* — Rex itaque exercitum amovit, Silvanectimque devenit. Ubi dum æstivam venationem exerceret, pedestri lapsu decidens, multo epatis dolore vexatus est. Nam quia in epate sanguinis sedem phisici perhibent, ea sede concussa, sanguis in emathoicam redundavit (987, *Mai* 22). Cui sanguis copiosus per nares et gulam diffluebat. Mamillæ doloribus assiduis pulsabantur. Fervor totius corporis intolerabilis non deerat. Unde uno tantum anno patri superstes, 11 Kal. Junii defitiens, naturæ debitum solvit. Cujus discessus eo tempore accidit quo et metropolitani purgatio de objectis habenda erat. Aderat igitur purgandus, et regiæ majestati satisfacturus. Sed regii funeris calamitate, hac lite suppressa, nec controversia partes habuit, nec ex ea juditium promulgatum fuit. Plurima vero commiseratione ipse episcopus de morte regis conquestus est. Postquam autem regium funus curassent, principum decreto, Compendii tumulatus est, cum ipse vivens secus patrem tumulari petierit. Id autem consulto factum est, ne dum itineris longitudinem eorum quamplures vitarent, et a se divisi discederent, rei publicæ utillimum differretur consultum. Placuit itaque ante discessum convenire, et ex regni commodis consulere.

6. *Purgatio Adalberonis de objectis a Ludovico.* — Quibus dispositis, dux sic orsus cœpit : « Huc ex locis diversis regio jussu vocati, ad discutiendum ea quæ summo pontifici Adalberoni objecta sunt, multa fide ut puto convenistis. Sed divæ memoriæ [839] rex qui intendebat, quoniam hac vita privatus est, controversiæ statum nobis discutiendum reliquit. Si ergo præter eum est qui intendere audeat, eoque animo valet, ut exsequendæ litis partem arripiat, adsit coram, quid sentiat edicat, nihil metuens criminato intendat. Si vera proferat, ejus verborum approbatores nos sine dubio habebit. Quod si calumniator falsa confinxit, vocem supprimat, ne tanti facinoris argutus, pœnas solvat. » Ter acclamatum est, ut delator procederet ; ter ab omnibus negatum est.

7. Dux itaque iterum locutus ait : « Si lis jam decidit, quia qui intendat non est, metropolitano utpote viro nobili et multa sapientia inclito cedendum est. Ab hac ergo suspitione penitus discedite, summumque præsulem multo honore excolite. Reveremini hunc talem virum, et quantæ virtutis, sapientiæ, nobilitatis sit, hactenus prædicate. Quid enim prodest suspitionem habere, cui in juditio non fuere vires quicquam dicere ? » Ergo [840] summo pontifici, dux reliquorum primatum consensu, exsequendæ rationis honorem de utilitate regni attribuit, eo quod ipse divinarum et humanarum rerum scientia excelleret atque facundiæ efficacitate plurimum valeret.

8. Factus itaque cum duce omnium medius, ait : « Rege nostro piissimo inter intellectibilia translato, magni ducis ceterorumque principum benivolentia ab objectis purgatus, rei publicæ consulturus consedi. Nec sedet animo, ut quicquam nisi ad profectum rei publicæ edicam. Commune consilium quæro, quia omnibus prodesse cupio. Cum videam non omnes principes adesse, quorum quoque prudentia et diligentia res regni administrari valeant, ratio querendi regis ut mihi videtur ad tempus diffe-

VARIÆ LECTIONES.

[836] v. semperque dum in vita fuero potissimum vigebit *deleta.* [837] d. fore *deletum.* [838] v. Æquum namque ut pravus justo supplitio dampnetur, utile vero ut *deleta.* [839] D. M. *codex.* [840] purgato e. *deletum.*

renda est, ut statuto tempore et omnes in unum confluant, et uniuscujusque ratio elimata et in medium prolata, suam utilitatem accommodet. Unde et vobis qui hic consulturi adestis placeat, vos mecum magno duci sacramento alligari, et coram spondere de principe statuendo vos nihil quesituros, nihil molituros, donec in unum redeamus, et sic de habendo principe agitemus. Plurimum enim valet, deliberationi dari spatium temporis ; in quo quamcumque rem quisque discutiat, et discussam multa diligentia poliat. » Hæc sententia ab omnibus suscepta laudatur. Sacramento itaque duci alligantur. Tempus redeundi et conveniendi constituitur. Sic quoque a se soluti sunt.

9. *Conquestio Karoli apud metropolitanum de regno.* — Interea Karolus qui fuerat Lotharii frater, Ludovici patruus, Remis metropolitanum adiit, atque sic de regno eum convenit : « Omnibus notum est, pater venerande, jure hereditario debere fratri et nepoti me succedere. Licet enim a fratre de regno pulsus sim, tamen natura nihil humanitatis mihi derogavit; cum omnibus membris natus sum, sine quibus quivis ad dignitatem quamlibet promoveri non potuit. His etiam non careo, quæ in regnaturis quibuslibet, plurimum queri solent, genere, et ut audeam virtute. Cur ergo a finibus ejectus sum, quos a majoribus meis possessos nemo dubitat, cum frater non sit, neposque obierit, prolemque nullam reliquerint? Pater nos duos fratres superstites reliquit. Frater regnorum dominium totum possedit, nihilque mihi concessit. Ego fratri subditus, fideliter non minus aliis militavi. A quo tempore fateor, nihil mihi carius fuisse salute fratris. Abjectus ergo et infelix quo me potius vertam, cum etiam omnia generis mei præsidia extincta sint? Quos præter vos omnium honestarum rerum egens appellem ? Per quos nisi per vos paternis honoribus restituar? Utinam mihi fortunisque meis honestus exitus accidisset. Quid enim abjectus spectantibus nisi spectaculum esse potero? Tangat vos aliqua humanitatis miseratio. Compatimini tantis injuriis fatigato. »

10. Postquam Karolus finem querimoniæ fecit, metropolitanus animo immobili [841] persistens, pauca admodum ei respondit : « Cum, inquiens, perjuris et sacrilegis, aliisque nefariis hominibus ipse semper deditus fueris, nec ab eis adhuc discedere velis, quomodo per tales et cum talibus ad principatum venire moliris? » Ad hæc Karolo respondente, non oportere sese suos deserere, sed potius alios adquirere, episcopus intra se recogitabat : « Cum, inquiens, omnium dignitatum nunc egens, pravis quibusque annexus est quorum sotietate nullo modo carere vult, in quantam pernitiem bonorum esset, si electus procederet in faces. » Tandem sine principum consensu se super hoc nihil facturum respondens, ab eo dimotus est.

11. *Oratio [842] metropolitani [843] pro duce.* — Karolus spe regni decidens, animo turbato, in Belgicam iter dimovit. Preterea tempore constituto, Galliarum principes jurati. Silvanecti collecti sunt. Quibus in curia residentibus, duce annuente metropolitanus sic locutus est : « Divæ memoriæ [844] Ludovico sine liberis orbi [845] subtracto, querendum multa deliberatione fuit, qui ejus vices in regno suppleret, ne res publica absque gubernatore neglecta labefactaretur. Unde et hujusmodi negotium nuper diferri utile duximus, ut unusquisque quod singularis a Deo datum haberet, hic coram consulens post effunderet; ut collectis singulorum sententiis, summa totius consilii ex multitudinis massa deformaretur. Reductis ergo jam nunc nobis in unum, multa prudentia, multa fide, videndum est. ne aut odium rationem dissipet, aut amor veritatem enervet. Non ignoramus Karolum fautores suos habere, qui eum dignum regno ex parentum collatione contendant. Sed si de hoc agitur, nec regnum jure hereditario adquiritur, nec in regnum promovendus est, nisi quem non solum corporis nobilitas, sed et animi sapientia illustrat fides munit, magnanimitas firmat. Legimus in annalibus clarissimi generis imperatoribus ignavia ab dignitate præcipitatis, alios modo pares, modo impares successisse. Sed quid dignum Karolo conferri potest, quem fides non regit, torpor enervat, postremo qui tanta capitis imminutione hebuit, ut externo regi servire non horruerit, et uxorem de militari ordine sibi imparem duxerit? Quomodo ergo magnus dux patietur de suis militibus feminam sumptam reginam fieri, sibique dominari? Quomodo capiti suo præponet, cujus pares et etiam majores sibi genua flectunt, pedibusque manus supponunt? Considerate rem diligenter, et Karolum sua magis culpa præcipitatum quam aliena videte. Rei publicæ beatitudinem magis quam calamitatem optate. Si eam infelicem fieri vultis, Karolum promovete. Si fortunatam, egregium ducem Hugonem in regnum coronate. Ne ergo Karoli amor quemque illiciat, nec odium ducis ab utilitate communi quemlibet amoveat. Nam si bonum vituperetis, quomodo malum laudabitis? Si malum laudetis, quomodo bonum contempnetis ? Sed talibus quid interminatur ipsa Divinitas? *Væ*, inquit, *qui dicitis malum bonum, bonum malum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isai.* v, 20). Promovete igitur vobis ducem, actu, nobilitate, copiis clarissimum, quem non solum rei publicæ, sed et privatarum rerum tutorem invenietis. Ipsa ejus benivolentia favente, eum pro patre habebitis. Quis enim ad eum confugit, et patrocinium non invenit? Quis suorum auxiliis destitutus, per eum suis non restitutus fuit? »

12. (987, *Jun.* 1.) *Promotio Hugonis in regnum.* — Hac sententia promulgata et ab omnibus laudata, dux omnium consensu in regnum promovetur, et per metropolitanum aliosque episcopos Noviomi co-

VARIÆ LECTIONES.

[841] obstinato *supra posito* vel immobili *cod.* ... [842] O... [843] D. M. [844] ab hac vita *corr.* orbi.

ronatus, Gallis, Brittannis, Dahis (121), Aquitanis, Gothis, Hispanis, Wasconibus, rex [845] Kalendis Jun. prærogatur. Stipatus itaque regnorum principibus, more regio decreta fecit, legesque condidit. Felici successu omnia ordinans, atque distribuens. Et ut beatitudini suæ responderet, multo successu rerum secundarum levatus, ad multam pietatem intendit. Utque post sui discessum a vita, heredem certum in regno relinqueret, sese consultum cum principibus contulit. Et collato cum eis consilio, Remorum metropolitanum Aurelianis de promotione filii sui Rotberti in regnum prius per legatos, post per sese convenit. Cui cum metropolitanus non recte posse creari [846] duos reges in eodem anno responderet, ille mox epistolam a duce citerioris Hispaniæ Borrello missam protulit, quæ ducem petentem suffragia contra barbaros indicabat. Jam etiam Hispaniæ partem hostibus pene expugnatam asserebat, et nisi intra menses decem copias a Gallis accipiat, barbaris totam in deditionem transituram. Petebat itaque alterum regem creari, ut si bellico tumultu [847] duorum alter decideret, de principe non diffideret exercitus. Fieri quoque asserebat posse, rege interempto, et patria desolata, primatum discordiam, pravorum contra bonos tirannidem, et inde totius gentis captivitatem.

13. (988.) *Promotio Rotberti in regnum.* — Metropolitanus sic posse fieri intelligens, dictis regiis cessit. Et quia tunc in nativitate Domini regnorum principes convenerant ad celebrandum regiæ coronationis honorem, in basilica sanctæ Crucis ejus filium Rotbertum Francis laudantibus accepta purpura sollempniter coronavit, et a Mosa fluvio usque Oceanum occidentalibus regem præfecit et ordinavit. Tanta industria atque sollertia clarum, ut et in rebus militaribus præcelleret, et divinis ac canonicis institutis clarissimus haberetur; liberalibus studiis incomberet [848], episcoporum etiam sinodis interesset, et cum eis causas æcclesiasticas discuteret ac determinaret.

14. *Conquestio Karoli apud amicos de regno.* — Interea Karolus apud amicos et cognatos motu gravissimo movebat querelam, atque in sui suffragium querimoniis excitabat. Qui lacrimis suffusus: « Video, inquit, ætatem meam procedere, et me ipsum in dies, patrimonii rebus exui. Unde nec sine lacrimis parvulos meos aspicere valeo, infelicis germina patris. Quibus potius auctor sum futuri doloris, quam honoris. Satis infelix pater fui, qui natis adesse vix aliquando potui. Sed saltem, vos amici, consulite dolenti patri, subvenite destituto parenti. Adestote natis in ætate tenerrima erumnas jam scientibus. Providete abjectis in casus, an irrevocabiles nescio, exiturus. Suadeat vobis saltem sanguinis communis affinitas [849]. Suadeat et nobilitas non neglegenda. Suadeat et recompensatio, quæ sit non sine multiplici fructu reditura. »

15. Mox omnes commoti [850], auxilium spondent, et sese ad auxiliandum promptissime parant. Quorum consilio usus, exploratores Karolus mittere cepit, qui sagaciter perpenderent, si qua oportunitas pateret, qua Laudunum ingredi valeret. Directi investigaverunt deprehenderuntque nullum aditum patere. Cum quibusdam tamen civibus secretum contulere, qui [851] effectum negotio quererent. Quo tempore Adalbero ejusdem urbis episcopus, suis civibus plus justo injurias de lege agraria irrogabat. Unde quidam ab eo latenter animo discedentes, benivolentiamque simulantes, exploratoribus Karolum sese in urbem recepturos promittunt.

16. *Qualiter Karolus Laudunum ingressus sit.* — Mox etiam urbis proditionem si Karolus veniat pollicentur, et si eis [852] sua dimittat, et insuper augeat. Exploratores pacto sacramentis firmato, hæc Karolo reportant. Ille mox suis quos superiore conquestione excitaverat, hoc mandatum aperuit. Qui unanimes oportuno tempore collecti, ei sese obtulere. Ille, copiis assumptis, Laudunum dum sol occideret tempestivus advenit, misitque exploratores ad transfugas, ut quid esset agendum referrent. Latebant itaque inter vinearum dumeta et sepes; parati urbem ingredi si fortuna admitteret, et armis obniti, si eventus id afferret. Qui missi fuerant ad insidias, per loca constituta et nota, proditoribus occurrunt, et Karolum cum multo equitatu advenisse nuntiant. Proditores gavisi, exploratores remittunt, et Karolo cito adesse mandant. Quibus cognitis, Karolus cum suis per montis devexa urbis portam aggressus est. Sed vigiles cum ex fremitu equorum, et aliqua collisione armorum aliquos adesse persentirent, et quinam essent a muro inclamarent, lapidibusque jactis urgerent, proditores mox aliquos esse de civibus responderunt. Quo commento corruptis vigilibus, introrsum portam aperuerunt, atque exercitum ipso crepusculo exceperunt. Mox exercitus urbem implevit. Portæ etiam ne quis aufugeret, custodibus adhibitis pervasæ sunt. Alii itaque personabant bucinis, alii vocibus fremebant, alii armorum sonitu tumultuabantur. Unde cives territi, utpote qui ignorabant quid esset, et de domibus ebullientes, profugio se eripere conabantur. Quorum alii æcclesiarum secretis se occultabant, alii diversis latibulis se claudebant; alii vero saltu se de muris præcipitabant. Quorum unus episcopus, cum per declivia montis jam elapsus, et in vineis ab observatoribus repertus

VARIÆ LECTIONES,

[845] r. ab omnibus *delet.* [846] ordinari *corr.* creari. [847] si in bello hispanico *deleta.* [848] *sic.* [849] a. aliquam misericordiam ostendere *deleta.* [850] Qua o. c. conquestione *deleta.* [851] q. et celare possent et *deleta* [852] e. bona s. *delctum.*

NOTÆ.

(121) Danis? i. e. Nortmannis.

esset, Karolo deductus est, et ab eo carcere detrusus. Emmam quoque reginam, cujus instinctu sese repulsum a fratre arbitrabatur, ibi comprehendit, eique custodes adhibuit. Reliquam etiam urbis nobilitatem pene totam pervasit.

17. Postquam sedatis tumultibus civitas tranquilla reddita est, Karolus de urbis munitione, et militum victu, deliberare atque ordinare cœpit. Deputavit ergo vigiles quingentenos, qui noctibus singulis armati excubias per urbem et mœnia exercerent. Annonam etiam ex toto pago Veromandensi advehi jussit. Et sic urbem ad resistendum munivit. Nam turrim quæ adhuc muris humilibus perstabat, pinnis eminentibus exstruxit, fossisque patentibus circumquaque vallavit. Machinas etiam hostibus effecit. Necnon et ligna [353] advectantur, machinis educendis idonea. Valli quoque exacuuntur, cratesque contexuntur. Nec minus fabri accersiuntur, qui missilia fabricent, ac quæque necessaria ferro instaurent. Nec defuere qui tanta subtilitatis arte balistas emittant, ut apothecam in recta diametro duplici foramine patentem, certo jactu trajiciant, aves quoque in aere volantes, indubitato ictu impeterent, transfixasque de sublimi præcipitarent.

18. *Impetus* [354] *Hugonis in* [354] *Karolum.* — Quæ dum aguntur regum auribus delata sunt. Qui vehementissime moti, non tamen præcipiti impetu, sed ut in omnibus solebant, super hoc diligentissime consultaverunt; utcumque etiam cordis dolorem dissimulabant. Legatos quaquaversum dirigunt. Gallos quos hinc Matrona, inde abluit Garunna, contra tirannum invitant. Quibus in unum coactis cum exercitum collegissent, deliberabant an urbem aggressi expugnarent antequam ab hostibus amplioribus copiis muniretur, et expugnata tirannum confoderent, eo quod si is solummodo captus aut occisus foret, mox sese regnum quiete habituros, an cum benivolentia susciperent supplicem, si forte is se supplicem conferret, et dono regum se posse tenere res pervasas exposceret. At qui acrioris animi et constantioris fuere, censebant fore obsidioni incombendum; hostes urgendos; regionem etiam quam pervaserant, igne penitus consumendam. Collectis itaque sex milibus equitum, in hostem vadunt. Tempore statuto urbem appetunt; obsidionem disponunt; castrisque loca metati, fossis et aggeribus vallant.

19. Ubi cum diebus multis resederint, nihil virium, nihil damnationis in hostes exerere valuerunt; tanta eminentia et laterum objectione urbs inexpugnabilis erat. Dies etiam autumnales breviore circulo ducti, his exercitiis non sufficiebant. Noctes quoque prolixæ, multo sui tempore vigiles afficiebant. Unde cum primatibus consilio habito, redeunt, post vernali tempore redituri. Quibus abductis, Karolus urbem circumquaque perambulat. Sicubi etiam hostibus facilis locus patet, explorat. Obstruit itaque portas, hostium ingressui faciles. Obturat postica post domos latentia. Restaurat muros vetustate lapsos. Turrim quoque potioribus edificiis intra et extra dilatat ac firmat.

20. *Profugium episcopi.* — In quam episcopus detrusus, cum in conclavi teneretur, funibus per fenestram demissus, tempore nocturno equo vectus aufugit. Et ut se Karolo non favisse monstraret, ad reges sese contulit, et a tanta suspitione purgavit. Arbitrabatur enim quasdam conjecturas posse a calumniatoribus confingi, acsi ipse capiendi oportunitatem parasset. Qui susceptus a rege, utpote fidelitatis exsecutor, non minore gratia habitus est.

21. (989.) Interea rigore hiemali elapso, cum aere mitiori ver rebus arrideret, et prata atque campos virescere faceret, reges exercitu collecto urbem prædictam cum octo milibus aggressi sunt. Castra inprimis aggere et fossa muniunt. Inde exstruitur aries, muris frangendis obnisurus.

22. *Compositio arietis.* — Cujus machinam ex quatuor miræ grossitudinis et longitudinis trabibus longilatero scemate erexerunt, in cacumine, et basi, per quatuor latera repagulis transverse annexis; in medio vero solummodo levum latus et dextrum ligna transmissa habuere. At super trabium erectarum superiores commissuras, longurios duos straverunt, immotosque effecerunt, partem tertiam superioris spatii trabium in medio obtinentes. A quibus longuriis funes implicitos deposuerunt. Funibus quoque trabem cum ferrato capite multæ grossitudinis suspenderunt. Cui etiam trabi in medio et extremo funes alligatos adhibuerunt; qui a multitudine tracti et remissi, ferratæ moli motum darent. Unde et hujusmodi machina quia more arietis retro tracta, ante cum impetu ruit, aries appellatur; cujuscumque soliditatis muris frangendis aptissimus. Quam etiam machinam super tres rotas triangulo scemate positam aptaverunt, quo facilius obliquata, quocumque oporteret verti valeret. At quia urbis situs accedere prohibuit, eo quod ipsa urbs in eminenti montis cacumine eminet, aries fabricatus cessit.

23. *Digressio Hugonis cum exercitu a Lauduno.* — Post hæc cum per dies plurimos in obsidione urbis vigiliis et curis, pugnisque frequentibus laboravissent, die quadam custodibus castrorum vino somnoque aggravatis, urbani vino exhilarati cum armis ad castra pedestres venerunt (*Aug.*). Equites vero consequenter armati subsecuti sunt, rei eventum præstolantes, ut si pugnæ locus adesset, prosperaque fortuna felicem annueret [355] eventum, cum hoste comminus confligerent. Cum ergo pedites jam castris propinquassent, custodesque consopitos intellexissent, faces castris immisere. Quorum incendii fumo aer densatus, non solum intuentium visibus tetra nigredine obstabat, at gravi vapore narium et faucium meatus intercludebat. Pedites mox vociferari, clangere milites cepere. Rex et qui cum eo erant elementorum confusione multoque virorum clamore

VARIÆ LECTIONES.

[353] millenæ trabes *corr.* ligna. [354] I, in *abscisa.* [355] sponderet *supra posito* annueret *cod.*

et tubarum clangore turbati, ab urbe sedes mutavere. Nam castra cum cibis et rebus omnibus absumpta videbat. Unde exercitum ad tempus reducere disposuit, ut reditum amplioribus copiis post appararet. Quæ omnia Augusti tempore patrata sunt.

24. *Obitus Adalberonis* [856] *metropolitani* [856]. — His ita gestis non multo post metropolitanus in egritudinem decidens, quæ a Grecis causon a Latinis incendium dicitur, per legatos regi tunc Parisii commoranti indicavit, sese in gravem valitudinem decidisse; unde et ei maturandum, ne Karolus qui cetera Remos etiam pervaderet. Rex, accitis qui aderant, mox ire disposuit. Quo in itinere aliquantisper tardante, cum metropolitanus insomnietate simulque et mentis alienatione nimium vexaretur, nullaque crisi omnes dies creticos huic egritudini commodos præteriret, dissolutis elementis debitum humanitatis x Kal. Febr. exsolvit (990, *Jan.* 23). Qua die rex tempestivus adventans, urbe receptus est. In exsequiis etiam pontificis, plurima commiseratione condoluit. Nec vero sine lacrimis aliquot de eo querimonias habuit; corpus quoque multo honore sepulturæ dedit. Cives domino destitutos, mira benivolentia solatus est. Qui de fidelitate regi servanda et urbe tuenda interrogati, fidem jurant, urbis tuitionem pollicentur. Quibus sacramento astrictis, eisque libertate eligendi domini quem vellent ab rege concessa, rex ab eis dimotus Parisium devenit.

25. *Quomodo Arnulfus* [857] *archiepiscopatum* [857] *petiit.* — Ubi cum de liberalitate et fide civium Remensium lætus moraretur, Arnulfus Lotharii filius per quosdam [858] regis stipatores ab rege episcopatum expetebat, Karolum quoque patruum sese desertu-rum mandat, fidem spondet; regisque injuriam ulturum; contra hostes etiam regis plurima nisurum: urbem Laudunum ab hostibus pervasam, in brevi redditurum. Regii stipatores lætati, episcopatum petenti quam cito dari suadent, regi nil perditurum asserentes, si sibi militaturo et fidem servaturo quod petit largiatur. Multo etiam sibi profuturum, si id faciat, quod cum factum sit, omnium salutem affectet. Rex eorum suasionibus adquiescens, Remos devenit, civibus hanc petitionem ostensurus, ne malefidæ sponsionis teneretur obnoxius.

26. *Oratio regis* [859] *ad cives Remenses.* — Et omnibus accersitis, sic locutus ait: « Quoniam fidei exsecutores vos probavi, nec me a fide alienum experiemini. Cum enim sit fides, cum quod dicitur fit, quia vos id fecisse perspitio, et me penitus observasse idem fateor. Arnulfus divæ memoriæ [860] Lotharii ex concubina filius, hujus sedis dignitatem per aliquos qui mihi assistunt expetiit; quicquid nobis nuper derogatum est se restituturum pollicitus; necnon et contra hostes multa moliturum. Cujus promissiones et fidem, ad vestrum contuli examinanda juditium, ut aut vestro approbetur examine, aut improbetur. Ille petitionibus instat. Potestatis vestræ sit, utrum quod petit accipiat. Nec vero in quoquam ei a me fautum est. Nihil etiam deliberatum. Quicquid id foret, utile duxi ad vestram deferri debere censuram, ut si honestum fiat, vobis utilitatem et mihi gloriam comparet. Si autem pernitiosum, ego quidem nullius perfidiæ, nullius doli, nullius fallatiæ penitus arguar. Vos vero aut suffecti doli falsam opinionem cum doloso subibitis, aut si non, in desertorem manus assidue exseretis. »

27. *Responsio* [861] *civium ad regem* [861]. — Ad hæc cives: « Cum, inquiunt, vestræ majestatis dono, eligendi domini optio nobis data sit, multa fide, multo ingenio enitendum est [862], ut et regiæ dignitatis derogatio nulla fiat, et nos falsæ criminationis notam, cusamque futuri incommodi vitemus. Arnulfus quem paulo ante memoratum audivimus, a nobis nuper idem expoposcit; plurima fide si hoc fiat regis commoda sese exsecuturum pollicens; erga cives non modicam benivolentiam habiturum. Sed quia ejus utpote adolescentis mores affectusque incertos habemus, nostras solummodo rationes non sufficere ad hæc arbitramur. Adsint ergo qui vobis id suadent. Conferamus utrimque rationes. Dicat quid quisque potius cogitet; quid potissimum, ne abscondat; ut et ex honesto gloria sit communis, et ex pernitiæ incommodum æque patiamur. »

28. *Promotio Arnulfi* [863]. — Rex civium sententiam adprobat, ut coram deliberent jubet. Rationes coram dispositæ sunt. Arnulfum itaque si quod spondet faciat, dignum summo sacerdotio asserunt. Itaque vocatus, et ante regem admissus est. Qui de fide habenda erga regem sciscitatus, ad omnium vota modestissime respondit. Ad cœnobium ergo monachorum sancti Remigii quod ab urbe uno miliario situm est, ubi ordinatio episcoporum ex antiquo habenda est, a rege et primatibus deductus est. Ubi rex cum suorum medius resideret, post consilia apud suos secessim habita, liberali eloquio sic affatus est: « Divæ memoriæ [864] Ludovico Lotharii filio orbi subtracto, si proles superfuisset, eam sibi successisse dignum foret. Quia vero regiæ generationi successio nulla est, idque omnibus ita fore patet, vestri cæterorumque principum, eorum etiam qui in militari ordine potiores erant optione assumptus, præmineo. Nunc vero quoniam ex linea regali hic unde sermo est solus superfuit, ne tanti patris nomen adhuc oblivione fuscetur, hunc superstitem alicujus dignitatis honore expoposcistis donari. Si ergo fidei servandæ jus pollicetur, urbis tuitionem spondeat, hostibus etiam in nullo sese communicaturum, immo illos impeliturum promittat, vestri juditii censura concedere ei episcopatum non pigebit; ita tamen ut secundum pru-

VARIÆ LECTIONES.

[856] albe, opo *abscisa.* [857] Arnulfus, archi, m *abscisa.* [858] per burch *deletum.* [859] regis *abscisum.* [860] D. M. [861] io, em *abscisa.* [862] videtur *supra pos* st. [863] Ar *abscis.* [864] D. M.

dentium ordinationem, sacramenti auctoritate mihi conexus sit. »

29. *Cirographi* [868] *scriptum.* — « Et ut penitus mentis conceptum aperiam, post jurationis sacramentum, cirographum ab eo scribendum puto. In quo maledictionis anathema habeatur hujusmodi, quod ei imprecetur pro felicibus contumeliosa, pro salutaribus pernitiosa, pro honestis turpia, pro diuturnitate punctum, pro honore contemptum, et, ut totum concludatur, pro omnibus bonis omnia mala. Quod etiam bipertitum fieri placet. Alterum mihi sibi alterum concedatur. Quandoque etiam hoc illi calumnias ingeret, si turpiter a fide declinet. » Hac promulgata sententia, id ita faciendum ab omnibus laudatum est. Procedit itaque Arnulfus coram. Si id inventum laudet, consulitur. An sic suscipiat quod petit, sciscitatur. Ille honoris cupidus, inventum laudat. Sese sic posse suscipere asseverat. Jussus itaque cirographum bipertitum notavit. Regi alterum, alterum sibi servavit.

30. *Eukaristia* [866] *causa perditionis data.* — Quod cum regi penitus sufficeret, episcopis tamen, ut fertur, non satis id visum est, nisi illud etiam adderetur, ut in missarum celebratione eukaristiam a sacerdote sumeret, eamque perditionis causam sibi imprecando coram optaret, si fidem violando unquam desertor fieret. Quod et factum fuit. Nam sacerdos inter celebrandum, eukaristiam optulit, et ille consequenter sumpsit, atque ad juditium sibi fieri optavit, si ullo modo fidei violator existeret. Quod tandem regi et primatibus fidem fecit.

31. *Reprehensio* [867] *de eodem.* — Nonnullis tamen quorum mens purgatior erat nefarium et contra fidei jus id creditum est. Ejus modi enim naturæ hominem esse aiebant, ut facile per sese corrumpatur in se, amplius vero impulsionibus ad flagitium extrinsecus posse pertrahi. Asserebant quoque ex decretis patrum, et [868] canonum scriptis, neque invitum ad eucaristiam impellendum, neque eucaristiam perditionis causa cuiquam offerendam, cum redemptionis gratia et petentibus offerendam, et invitis negandam credendum sit. Indignum etiam videri panem angelorum et hominum temere indignis dari, cum ipsa Divinitas et immundos abhorreat, et puros mira parcitate foveat, juxta quod scriptum est : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate* (*Sap.* I, 5). Ab episcopis ergo Remorum dioceseos ordinatus Arnulfus et sacerdotalibus infulis decenter insignitus est. Nec multo post, a papa Romano missum apostolicæ auctoritatis pallium sumpsit.

32. *Quod amplius justo Karolum Arnulfus dilexerit.* — Qui cum ex tanta dignitate procederet insignis, illud tamen infortunii genus arbitrabatur, quod ipse superstes de patrio genere nullum præter Karolum habebat. Miserrimum quoque sibi videri, si is honore frustraretur, in quo solo spes restituendi genus paternum sita foret. Patruo itaque miserescebat; illum cogitabat, illum colebat, illum pro parentibus carissimum habebat. Apud quem collato consilio, querebat quonam modo in culmen honoris illum provehere posset, sic tamen ut ipse regis desertor non appareret.

33. *Remorum captio.* — Cujus rei rationem sic fieri arbitrabatur, ut statueretur [869] tempus, quo primates quot posset, in urbe acsi aliquid magnum ordinaturus ipse colligeret. Tunc etiam Karolus per noctis silentia cum exercitu ad portas urbis adveniret. Nec tunc deesset qui exercitui irruenti portas panderet, juratus secreti fidem [870]. Exercitus intromissus urbem invaderet, atque sese cum primatibus collectis comprehenderet, vim inferret, ac ergastulo [871] detruderet. Itaque factum foret, ut et regia potestas infirmaretur, et patruo virtus dominandi augesceret, nec ipse desertor videretur. Quod et effectum habuit.

34. G. et V. comites, atque alios viros consulares [872] invitat. Quiddam magnum sese ordinaturum mandat; unde et multum eis maturandum. Illi sine dilatione advenerunt, in obsequio domini paratissimos se demonstrantes. Arnulfus alia pro aliis dans, quod vere molitur penitus dissimulat. Ad quid potius intendat, omnes ignorant. Uni tantum de cujus taciturnitate et fide non diffidebat, id totum credulus commisit. Qua nocte Karolus [873] intromittendus [874] esset aperuit; et ut tunc portarum claves a suo cervicali tolleret, urbemque armatis aperiret, jussit. Nec multo post, nox cui hoc debebatur flagitium, affuit. Karolus cum exercitu tempore deputato ad portas urbis nocturnus affuit. Algerus presbyter — sic enim vocabatur — introrsum cum clavibus se præsentem habuit. A quo mox portæ patefactæ sunt, exercitusque intromissus. Urbs quoque a prædonibus direpta et spoliata.

35. *Arnulfi* [875] *suorumque captio* [876]. — Unde cum clamor per urbem fieret, tumultusque discurrentium cives incautos excitaret, Arnulfus æque turbatum clamore sese simulat. Et fingens metum, turrim petiit atque conscendit. Quem comites [876] secuti, post se ostia observavere. Karolus Arnulfum perquirens nec reperiens, ubinam lateret scrutabatur. Cui cum proderetur in turris cacumine latere, ostio mox custodes adhibuit. Et quoniam nec cibum nec arma ante congesserant, Karolo cedunt, atque a turri egressi sunt.

36. Comprehensique et Laudunum ducti, custodibus deputati sunt. Karolo redeunte et fidem ab eis

VARIÆ LECTIONES.

[868] Cir *abscis.* [866] E *abscis.* [867] R *abscis.* [868] et et *cod.* [869] statuertur *codex.* [870] secretum hoc nunquam proditurum *dele a.* [871] custodie *supra posito* ergastulo *codex.* [872] .uc. [873] exercitus *supra posito* K. *codex.* [874] *ita cod.* [875] i, p *abscisa.* [876] commites *cod.*

querente, unanimiter refragantur. Odium ergo utrimque simulant; pium affectum nullo modo produnt. Ab utroque querimonia nonnulla simulabatur, eo quod alter desertor, alter invasor alterius ab utroque enuntiaretur [877]. Tandem Arnulfus [878] sacramento fidem faciens, libertate potitus est et ad sua reversus. Karolo exinde in omnibus favit. Jus quoque fidei, regi servandum, penitus abrupit. G. et V. per dies aliquot carcere detrusi, non multo post sacramento astricti, redire permissi sunt. Karolus ergo, felici successu insignis, Remorum metropolim cum Lauduno, ac Suessionis, earumque oppidis optinuit.

37. *Impetus* [879] *Hugonis* [879]. — Nec defuit qui id ad regis [880] aures perferrent. Qua rex contumelia perstrictus quid inde agendum foret sciscitabatur. Comperitque non precibus, non donis, sed viribus et armis invocata Divinitate hoc esse labefactandum. Sex milia itaque militum collegit in tirannum ire disponens; obsidionem ei adhibere cupiens, si copiæ sibi sufficiant; et si ei felix adsit fortuna, tandiu id committere volens, donec aut armis aut inedia hostem præcipitet. Proficiscitur ergo magnanimis. Et per terram unde annonam hostes asportabant, exercitum duxit. Quam etiam penitus depopulatus combussit; sic efferatus, ut nec tugurium saltem deliranti anui relinqueret. Post animo præcipiti exercitum in hostem retorquens, obsidionem adhibere nitebatur. Karolus cum ante sibi copias parasset, venienti resistere viriliter conabatur. Quatuor milia etenim pugnatorum Lauduni collegerat animoque firmaverat, ut si non impeteretur, quiesceret; et resisteret, si urgeretur.

38. *Exercitus* [881] *tripertito* [881] *ordinatur* [881]. — Rex interea exercitum inducens, Karoli legionem ordinatam pugnatum videt. Exercitum ergo tripertito dividit, ne multus exercitus, mole sui gravatus, propriis viribus frustraretur. Tres itaque acies constituit, primam belli primos impetus [882] inituram; secundam quæ labenti succurreret, viresque referret; tertiam vero spoliis eripiendis ordinavit. Quibus sic divisis et ordinatis, prima acies signis erectis congressura cum rege incedebat; reliquæ duæ locis constitutis paratæ succurrere opperiebantur.

39. Karolus cum quatuor milibus obvius procedit, summam Divinitatem invocans ut ab innumeris paucos protegat; multitudini non fidendum, et paucitati non diffidendum demonstret. Quem incedentem Arnulfus comitabatur suos adhortans, ut animo forti starent. Ordinati et indivisi procederent. De victoria a Deo nullo modo diffiderent. Si viriliter invocato Deo starent, cum multa gloria et fama victoriam in brevi adepturos. Processit exercitus uterque, donec alter alterum in prospectu haberet; et sic uterque fixus herebat. Utrimque non mediocriter dubitatum est, cum Karolus rei militaris inopiam haberet, regem vero animus sui facinoris conscius contra jus agere [883] argueret, cum Karolum paterno honore spoliaverit, atque regni jura in sese transfuderit. His uterque herens persistebat. Tandem ratione congrua a primatibus regi suggestum est aliquantisper cum exercitu standum. Si hostis adventaret, comminus congrediendum; si nullus lacessiret, cum exercitu redeundum. Nec minus a Karolo idem deliberatum fuit. Unde quia uterque constitit, uterque sibi cessit. Rex exercitum reduxit; Karolus vero Lauduni sese recepit.

40. (991) O. interea Drocarum (122) cupidus, de Lauduni captione sese plurimum diffidere apud regem simulate querebatur, cum aries cesserit, militesque viribus diffiderent, immo etiam urbs ipsa inaccessibili situ obnitentes contempnat. Rex merore confectus, ab O. subsidia petit; sese vicem recompensaturum, si copias suppeditet, et ad integrum urbem expugnet. Quod si inpræsentiarum aliquid quod largiendum sit petat, sine dubio sese liberaliter exhibiturum. O. Lauduni inpugnationem simulque et captionem in proximo pollicetur, si tantum a rege Drocas accipiat. Rex vincendi gloriam cupiens, petenti castrum commodat. Palam omnibus cedit, promissionum de Lauduno credulus. O. quoque urbem amissam in brevi sese redditurum palam omnibus spondet. Castrum ergo a rege concessum absque mora petit, castrenses sibi sacramenti jure annectens, eisque alios aliquot quorum fidei vigorem sciebat assotians. Regia negotia exinde utiliter satagens. Cujus tamen voluntatis effectus nullus fuit, eo quod tempestiva [884] urbis proditio vetaret, et casus repentini aliter fieri arguerent.

41. *Subtilis* [885] *machinatio* [885] *in Karolum et Arnulfum*. — Ab hoc tempore Adalbero Laudunensium episcopus, qui ante a Karolo captus aufugerat, omni ingenio oportunitatem quærebat, qua versa vice et Laudunum caperet, et Karolum comprehenderet. Legatos itaque hujusmodi negotii officiosissimos, Arnulfo dirigens, amicitiam, fidem, suppetiarum subsidia mandat. Ei quoque utpote suo metropolitano sese velle reconciliari. Sibi etiam injuriæ esse quod transfuga et desertor diceretur, eo quod Karolo post fidem factam non obsecutus sit. Et si vacuum sibi esset, a se id dedecoris velle abjicere. Ad ejus celsitudinem redire velle, et Karoli amicitiam utpote domini sese optare. Unde et sibi quocumque libitum foret occurrendum mandaret. Arnulfus simulatam

VARIÆ LECTIONES.

[877] prædicaretur *supra posito*, enuntiaretur *cod.* [878] episcopus *supra posito* Ar. *cod.* [879] tus, nis *abscisa.* [880] regum *supra posito* is *codex.* [881] tus, o, tur *abscisa.* [882] tumultus *corr.* impetus. [883] fecisse *supra posito* agere *codex.* [884] intempestiva *corr.* tempestiva. [885] Sub, ma *abscisa.*

NOTÆ.

(122) Dreux.

fidem nesciens, legatos fallentes excipit; et utpote boni alicujus nuntios humanissime honorat. Per hos itaque locum quo occursuri et sibi collocuturi forent, letabundus designat. Illi se decepisse letati, hæc domino referunt. Qui fallatiæ seminarium utiliter positum considerans, alcioris machinamenti dolos prodire posse advertit. Post hæc in locum statutum sibi occurrunt; amplexibus pluribus atque osculis sibi congratulantes; tantos ibi demonstrantes affectus animi, ut nulla simulatio, nullus dolus videretur.

42. *Adalberonis* [886] *dolosa machinatio* [887].—At postquam satis amplexationum, osculorum satis factum est, Adalbero penes quem simulationis color, et doli onus erat, incautum sic prior alloquitur: « Idem casus, eademque fortuna, ambos nos male perstringit; unde et idem consilium eademque ratio nobis captanda videtur. Nuper enim ambo lapsi, vos ab gratia regis, ego a Karoli amicitia decidi. Unde et nunc vos Karolo, ego regi faveo. Ille vobis, iste mihi promptissime credit. Si itaque per vos Karoli amor mihi restituatur, regis gratia vobis non aberit. Quod et facto difficile non erit. Karolum igitur convenite, et pro me si forte concesserit orate. De fide erga eum habenda, multa dicere non inutile erit. De quibus si quid ei dubium visum fuerit, post dicite probandum sacramentis. Si his episcopatus reddiderit sedem adsint sanctorum reliquiæ, paratus sum fidem facere. Si hoc satis erit et reddiderit, de regis gratia plurimum confidite. In hac lingua et manu, pax sita est et dissidentia. Regem adibo. Commodum quoddam spondebo, quod non solum sibi sed et posteris sit profuturum. Dolos Karoli proferam. Incauto nimis metropolitano, præjuditium factum asseram; et quod penitus hoc metropolitanum peniteat, nonnullis amplificationibus asseverabo. Rex suapte mihi credulus, hoc gratissimum accipiet. Et quia hæc ratio utrimque agitabitur, duo commoda gignentur. Ex quibus duobus tertium elucebit. Nam cum et vobis gratia regum, et mihi Karoli reddetur, per nos consequenter aliorum utilitas comparabitur. Sed hic jam verborum finis; jam nunc dicta factis probentur. » Datisque strictim osculis, promissa polliciti ab se digressi sunt [887].

43. *Arnulfus* [888] *per ignorantiam* [888] *Karolum patruum* [888] *seducit.*—Arnulfus Karolum petens Adalberonem magnificat deceptorem nesciens, valde etiam profuturum asserit, fidemque servaturum testatur. Tandem in eo nil dubitandum seductus persuadet. Karolus, nepoti favens, sese id facturum spondet, episcopatum sic redditurum non abnuit. Dum hæc apud Karolum fideliter ordinabantur, Adalbero apud regem de Karolo et Arnulfo urbisque captione quærebat. Et cum tecnas (123) supperiores effunderet [889], gratulatio inde spesque urbis repetendæ non modica erat. Nec multo post Arnulfus Adalberoni legatos dirigit, Karoli gratiam sibi indultam liberaliter indicat, atque cum multa ambitione excipiendum in urbem. Honorem quoque absque mora recepturum. Unde nec moras faceret, sed quantotius adveniret, largitatem pollicitam experturus.

44. *Adalbero* [890] *Karolum et Arnulfum sacramento* [890] *decipit* [890]. Adalbero sine dilatione in loco constituto Karolo et Arnulfo accitus occurrit. A quibus benigniter exceptus, non mediocrem letitiam repperit. Si quid discordiæ præcessit, levi et raro sermone tactum præteriere. Jus amicitiæ inter sese exinde amplius colendum, diversis rationibus extulere. Quanta etiam commoditas sit profutura si amicitia bene usi sint, sepenumero retulere. Quanta quoque gloria, quantus honor, quantum præsidium. Necnon et illud libatum est, in brevi fieri posse, et suæ partis provectionem, et hostium præcipitationem. Nihilque his [891] obstare posse, si sola Divinitas non impediat. Si vota sua effectus consequatur, quandoque futurum, ut per sese res publica multo honore, multa gloria, cumuletur et floreat. His dictis sacramento sibi annexi sunt, atque a se digressi. Adalbero regi se contulit, quæ egerat explicans. Quibus rex auditis, negotium approbat, Arnulfum sese recepturum si veniat pollicetur, ejus purgationem de objectis se sponte auditurum. Et si recte purgetur, non minori gratia quam ante habendum. Adalbero hæc Arnulfo refert. Regem benivolum, clementem, sibi asserit. Eum etiam ejus purgationem sponte audire velle, suique gratiam sine mora reddere. Unde et ei esse maturandum, et quantotius id petendum. Otius ergo regem adeundum, ne aliquorum dolus consilium abrumpat. Ad regem itaque ambo profecti sunt.

45. *Arnulfus ad regem* [892] *se contulit* [892] *gratiam ab* [892] *eo* [892] *accepturus* [892]. — Arnulfus admissus regi, ab eo osculum accepit. Et cum de objectis aliquam purgationi operam dare vellet, rex sibi sufficere dixit, ut a præteritis quiesceret, et exinde sibi fidem inviolabiliter servaret. Sese penitus non ignorare Karolum ei vim intulisse, et summa id necessitudine factum, ut ad tempus a se discederet, et Karolo etiam nolens faveret. Sed quia id factum erat, quod labefactari non poterat, multa ratione ei esse videndum, ut amissæ urbis dampnum aliquo modo suppleret. Si urbem habere ut ante non posset, saltem Karolum ad se transire faceret, ut, se consentiente, quod pervaserat teneret. Hæc et ampliora Arnulfus sese facturum pollicetur, tantum

VARIÆ LECTIONES.

[886] Adelberonis, machin *abscisa.* [887] abscesserunt *supra posito* ab se digressi sunt *codex.* [888] Arnulfus, ran, pa *abscisa.* [889] aperiret *supra posito* effunderet *codex.* [890] A, sa, d, *abscisa.* [891] eis *supra posito* his *codex.* [892] regem, it, b eo, turus *abscisa.*

NOTÆ.

(123) Τεχνὰς, artes.

ut regis gratia sibi reddatur, et ipse apud eum ut metropolitanus honoretur. Rex gratiam indulsit, et ut plurimum coram se honorem haberet concessit. Unde et factum est, ut in prandio die eadem regi dexter, Adalbero reginæ levus resideret. His ita sese habentibus, Arnulfus ab rege dimotus est. Miram regis benivolentiam Karolo indicavit. Quanto quoque honore apud eum habitus sit explicans, de ejus gratia plurimum gloriabatur. A quo tempore regis et Karoli reconciliationem atque favorem quærebat.

46. *Exceptio* [893] *Adalberonis a Karolo* [893] — Quæ dum sic sese haberent, Adalbero a rege digressus est, Karolumque petens, Lauduni multa ambitione exceptus est. Ad se sui redeunt, qui ante ab urbe exulaverant. Rem familiarem ut ante disponunt, in nullo dubitantes, et pacem postmodum sperantes. Clerum quem amiserat, revisit, eique compatitur, benivolentiam spondet, ut a se non deficiant hortatur. Postquam satis colloquii cum suis habuit, de securitate fidei et urbis, a Karolo convenitur. Qui (124) sic orsus cœpit : « Quoniam Divinitas, in omnibus misericors etiam dum punit, misericorditer operatur, justo ejus juditio me et abjectum et receptum cognosco. Ejus æquitate hac urbe me exceptum arbitror, ejus benignitate, quod superest præstolor. Ipsum etiam, vos et hanc urbem mihi reddidisse opinor. A Deo itaque redditum, mihi adjungi quæro. Adsunt sancta, superponite dexteram, fidem contra omnes spondete. Exceptio nulla erit, si vultis mihi comes fieri. » Ille sui voti avidus, quicquid expetitur spondet. Super sancta dextram extendit, non veritus jurare quodcumque propositum fuit. Unde et cunctis credulus, nulli suspectus fuit. In nullo negotio a quoque vitatur. De urbe munienda, ipse querit et deliberat. Omnium causam sciscitatur. Pro omnibus consultat. Quare ignotus cunctos latuit.

47. *Comprehensio* [894] *Karoli ab Adalberone.* — Interea cum Karoli suorumque habitum penitus pervidisset, sese etiam nulli esse suspectum, dolos multifariam prætendebat, ut et urbem sibi redderet, et Karolum regi captum traderet. Karoli itaque colloquio utitur sæpius, benivolentiam profert amplius. Sese quoque si oporteat sacramentis magis stringendum offert; tanta cautela calliditatis usus, ut omnino dolum simulationis colore obvelaret. Unde cum nocte quadam inter cenandum hilaris resideret (*Mart.* 29), Karolus craterem aureum in quo panem infregerat vinoque temperaverat tenens, post multum cogitatum ei obtulit : « Quoniam inquiens ex patrum decretis palmas et frondes hodie sanctificastis, atque plebem [895] sacris benedictionibus consecrastis, nobisque eukaristiam porrexistis, aliquorum susurronum calumnias qui vobis fidendum negant vilipendens, cum instet dies passionis Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, hoc vasculum vestræ dignitati aptum, cum vino et pane infracto vobis porrigo. Hoc poculum in signo habendæ et servandæ fidei ebibite. Si vero fidem servare animo non stat, poculo parcite, ne horrendam Judæ proditoris speciem referatis. Quo respondente : Craterem recipiam, et potum libere ebibam! » Karolus mox prosecutus, addendum dixit : *et fidem faciam.* Ille ebibens prosecutus est : *et fidem faciam; alioquin cum Juda inteream!* Et multa his similia anathematis verba cenantibus dedit. Nox futuri luctus et proditionis conscia instabat. Quietum ire constitutum est, dormitumque in mane. Adalbero sui doli conscius, dormientibus Karolo et Arnulfo, gladios et arma a capitibus eorum amovit, latibulisque mandavit (*Mart.* 30). Hostiarium hujus doli ignarum accersiens, cursum accelerare, et quendam suorum accersire jubet; ostium sese servaturum interim pollicens. Quo digresso, Adalbero in ipso ostio sese medium fixit, gladium sub veste tenens. Cui mox sui assistentes, utpote hujus facinoris conscii, ab Adalberone omnes intromissi sunt. Karolus et Arnulfus matutino somno oppressi quiescebant. Coram quibus cum hostes facto agmine adessent, et illi expergefacti adversarios advertissent, a lectis prosilientes, et arma capessere nitentes, nec reperientes, querunt quidnam matutinus eorum afferat eventus. Adalbero vero : « Quoniam inquit arcem hanc mihi nuper surripuistis, et ab ea exulem abire coegistis, et vos hinc dissimili tamen fortuna pellemini. Ego enim proprii juris remansi. Vos alieno subibitis. » Ad hec Karolus : « An inquit, o episcope, hesternæ cenæ memor sis nimium miror. Non ergo ipsa Divinitatis reverentia inhibebit? Nihilne jus sacramenti? Nihil hesternæ cenæ imprecatio? » Et hec dicens, præceps in hostem fertur. Quem furentem, armati circumdant, atque in lectum repulsum comprimunt. Nec minus Arnulfum pervadunt. Quos comprehensos, in eadem turri includunt. Turrim quoque clavibus et seris repagulisque custodibus adhibitis muniunt. Unde cum clamor feminarum, puerorumque simul et famulorum ululatus in cœlum ferretur, cives per urbem turbati et expergefacti sunt. Quicumque Karoli partibus favebant, mox profugio sese liberaverunt. Quod etiam vix factum fuit. Nam cum pene adhuc fugerent, statim tota civitas obfirmari ab Adalberone jussa est, ut omnes quos sibi adversos putabat comprehenderet. Quæsiti fuere, nec reperti. Subductus est et Karoli filius biennis, patris vocabulum habens, et a captivitate liberatus.

VARIÆ LECTIONES.

[893] ptio, Karolo *abscisa.* [894] hensio *abscisum.* [895] populum *superposito* plebem.

NOTÆ.

(124) Scil. Karolus.

Adalbero regi Silvanectim legatos otius mittit; quondam amissam urbem jam receptam, Karolum cum uxore et natis captum, atque Arnulfum inter hostes inventum et comprehensum mandat. Unde et sine mora cum quotcumque possit veniat. Exercitui colligendo moram nullam intendat. Vicinis quibuscumque confidit, ut post se veniant, legatos mittat. Moxque etsi cum paucis veniat.

48. *Rex* [596] *captis Karolo* [596] *et* [596] *Arnulfo Laudunum* [596] *ingreditur* [596]. — Rex quotcumque potest assumit, et sine dilatione Laudunum petit. Nactusque urbem, et regia dignitate exceptus, de salute fidelium, urbisque ereptione et hostium comprehensione quesivit, et addidicit. Die altera civibus accitis, de fide sibi habenda pertractat. Illi acsi qui capti erant, et qui jam in jus alterius cesserant, fidem faciunt et regi sacramento asciscuntur. Urbisque securitate facta, rex Silvanectim post cum captis hostibus rediit. Suos deinde sciscitans, deliberandi rationem querebat.

49. *Deliberatio* [597] *quorumdam* [597] *apud regem super* [597] *Karolo* [597]. — Qua de re aliorum sententia erat, a Karolo viro claro [598], et regio genere inclito ejus natos omnes cum natabus obsides accipiendos; petendum etiam ab eo sacramentum, quo regi fidem faciat regnum Franciæ numquam sese repetiturum, contra natos quoque testamentum inde facturum. Quo facto Karolum dimittendum censebant. Aliorum vero sententia hujusmodi erat. Tam clarum et antiqui generis virum non mox reddendum, sed apud regem tam diu habendum, donec qui ejus captionem indignaturi sint [599] appareant. Si eo numero et nomine atque duce præmineant, ut indigni non sint qui hostes regis Francorum dicantur, sive inferiores sint, attendendum. Si ergo pauci et inferiores indignentur, tenendum censebant; si vero majores et quam plures, reddendum superiori ratione suadebant. Karolum ergo cum uxore Adelaide et filio Ludovico, et filiabus duabus, quarum altera Gerberga, altera Adelaidis dicebatur, necnon et Arnulfo nepote carceri dedit.

50. *De difficultate* [600] *sui itineris* [600] *ab* [600] *urbe* [600] *Remorum Carnotum* [600]. — Ante horum captionem, diebus ferme 14, cum aviditate discendi logicam Yppocratis [601] Choi, de studiis liberalibus sæpe et multum cogitarem, quadam die equitem Carnotinum in urbe Remorum positus offendi. Qui a me interrogatus quis et cujus esset, cur et unde venisset, Heribrandi clerici Carnotensis legatum sese, et Richero sancti Remigii monacho se velle loqui respondit. Ego mox amici nomen et legationis causam advertens, me quem querebat [602], indicavi, datoque osculo semotim [603] secessimus [603]. Ille mox epistolam protulit, hortatoriam ad aphorismorum lectionem. Unde et ego admodum lætatus, assumpto quodam puero cum Carnotino equite, iter Carnotum arripere disposui. Digressus autem, ab abbate [603] meo (125) unius tantum parvaredi solatium accepi. Nummis etiam, mutatoriis, ceterisque [604] necessariis vacuus, Orbatium (126) perveni, locum multa caritate inclitum. Ibique domni abbatis D. colloquio recreatus, simulque et munificentia sustentatus, in crastino iter usque Meldim peragendum arripui. Ingressus vero cum duobus comitibus lucorum anfractus, non defuere infortunii casus. Nam fallentibus biviis, sex leugarum superfluitate exorbitavimus, Transmisso vero Teodorici castello, parvaredus ante visus bucephalus, fieri cœpit asello tardiusculus. Jam sol a mesembrino discesserat, totoque aere in pluvias dissoluto, in occasum vergebat, cum fortis ille bucefalus supremo labore victus, inter femora insidentis pueri deficiens corruit, et velut fulgure trajectus, sexto [605] miliario ab urbe exspiravit. Quanta tunc fuit perturbatio, quanta anxietas, illi perpendere valent qui casus similes aliquando perpessi sunt, et ex similibus similia colligant. Puer inexpertus tanti itineris difficultatem, fessus toto corpore, equo amisso, jacebat. Impedimenta sine vectore aderant. Imbres nimia infusione ruebant. Cœlum nubila prætendebat. Sol jam in occasu minabatur tenebras. Inter hæc omnia, dubitanti consilium a Deo non defuit. Puerum namque cum impedimentis ibi reliqui; dictatoque ei quid interrogatus a transeuntibus responderet, et ut sommo imminenti resisteret, solo equite Carnotino comitatus, Meldim perveni. Pontem quoque vix de luce videns, ingredior. Et dum diligentius contemplarer, novis iterum infortuniis angebar. Tantis enim et tot hiatibus patebat, ut vix civium necessarii die eadem per eum transierint. Carnotinus inpiger, et in peragendo itinere satis providus, naviculam circumquaque inquirens et nullam inveniens, ad pontis pericula rediit, et ut equi incolumes transmitterentur e cœlo emeruit. Nam in locis hiantibus equorum pedibus aliquando clipeum subdens, aliquando tabulas abjectas adjugens, modo incurvatus, modo erectus, modo accedens, modo recurrens, efficaciter cum equis me comitante pertransiit. Nox inhorruerat mundumque tetra caligine obduxerat, cum basilicam sancti Pharonis introii, fratribus adhuc parantibus potum caritatis. Qua die sollempniter pranserant, recitato capitulo [606] de cellarario monasterii, quod fuit causa tam seræ potationis. A quibus ut frater exceptus, dulcibus alloquiis, cibisque sufficientibus recreatus sum. Carnotinum equitem cum equis vi-

VARIÆ LECTIONES.

[596] Re, Karolo et, num i *absc.* [597] Deli, quo, apu, super *absc.* [598] cloro *cod.* [599] st. [600] ultate, is ab ur, notum *absc.* [601] yppacratis *cod.* [602] rebat, datoque, motim, us *abscisa.* [603] a. m. *cod.* [604] ceteriisque *c.* [605] tertio *corr.* VI^to. [606] cap.

NOTÆ.

(125) Arbodo.

(126) *Orbais*, prope viam magnam quæ Catalaunis Meldos ducit; Matronam igitur primo die Sparnaci, altero ad Castellum Theodorici transiisse videtur.

tata pontis pericula iterum attemptaturum, puero relicto remisi. Arte præmissa pertransiit; et ad puerum secunda noctis vigilia errabundus pervenit. Vixque cum sæpius inclamatum repperit. Quo assumpto cum ad urbem devenisset, suspectus pontis pericula, quæ pernitioso experimento didicerat, cum puero et equis in cujusdam tugurium declinavit; ibique per totam diem incibati, nocte illa ad quiescendum non ad cenandum collecti sunt. Quam noctem ut insomnem duxerim, et quanto in ea cruciatu tortus [607] sim, perpendere possunt qui cura carorum aliquando vigilasse coacti sunt. Post vero optata luce reddita, nimia esurie confecti, maturius affuerunt. Eis etiam cibi illati; annona quoque cum paleis equis anteposita est. Dimittensque abbati Augustino [608] puerum peditem, solo Carnotino comitatus Carnotum raptim deveni. Unde mox equis remissis, ab urbe Meldensi puerum revocavi. Quo reducto et omni sollicitudine amota, in aphorismis [609] Ypocratis vigilanter studui [610] apud domnum Herbrandum magnæ liberalitatis atque scientiæ virum. In quibus cum tantum prognostica morborum accepissem, et simplex egritudinum cognitio cupienti non sufficeret, petii etiam ab eo lectionem ejus libri, qui inscribitur de concordia Ypocratis, Galieni [610], et Surani. Quod et obtinui; cum eum in arte peritissimum, dinamidia farmaceutica, butanica, atque cirurgica non laterent.

51. *Quod ex querela* [611] *reprehendentium* [611] *captionem* [611] *Arnulfi, regio* [611] *jussu* [611] *sinodus* [611] *habita* [611] *est* [611]. — Sed ut jam superioris negotii seriem repetamus, cum de episcopi captione aliqui amicorum [612] indignarentur, nonnulli etiam scolasticorum in ejus defensionem alia scriberent, alia scripta de canonibus proferrent, idque ad, aures regum relatum esset, edicto [613] regio decretum est, ut episcopi Galliæ omnes qui valent et maxime qui comprovinciales sunt, in unum conveniant. Qui autem adesse non possent, suam absentiam per legatos idoneos a suspitione purgarent. Ibique certis ac firmis decretorum rationibus aut convictum dampnarent, aut pristinæ sedis dignitati purgatum restituerent. Collecti sunt ergo in cœnobio monachorum sancti Basoli confessoris (*Jun.* 17), Remorum diocesanei, Remensis quidem metropolitani comprovinciales, Guido Suesorum episcopus, Adalbero Laudunensis episcopus, Herivevus Belvacensis episcopus, Godesmannus Ambianensis episcopus, Rathodus Noviomensis episcopus, Odo Silvanectensis episcopus, Daibertus Bituricensium metropolitanus; Lugdunensis metropolitani comprovinciales, Gualterus Augustudunensis episcopus, Bruno Lingonensis episcopus, Milo Matisconensis episcopus, Siguinus Senonensium metropolitanus, cum suis Arnulfo Aurelianensi episcopo, Herberto Autisiodorensi episcopo. Qui in unum considentes, A diversorum locorum abbates qui aderant, post solitariam sui disputationem, secum consedere jusserunt.

52. *Deliberatio* [614] *de dignitate* [614] *habendi* [614] *judicii et prælaturæ* [614]. — De habenda igitur sinodo, ratione facta, ordinandum putabant, cui potestas judicandi de singulis conferretur; quem etiam habendarum rationum custodem atque interpretem accommodarent. Judicandi itaque dignitas, Siguino Senonensium metropolitano commissa est, eo quod ætatis reverentia et vitæ merito plurimum commendaretur. Ordinandi vero facultas ac magisterium interpretandi, Arnulfo Aurelianensi episcopo credita est, eo quod ipse inter Galliarum episcopos, eloquii virtute et efficatia dicendi florebat. His ergo sic habitis, B post cleri ingressum, sententiis ad negotium facientibus recitatis, Arnulfus sic præfatus ait:

53. *Elocutio* [615] *Arnulfi* [615] *in* [615] *sinodo*. — « Quoniam, patres reverendi, serenissimorum regum jussu, necnon et sacræ religionis causa huc convenimus, multa fide, multo etiam studio cavendum videtur, ne nos qui gratia sancti Spiritus hic collecti sumus aut odium alicujus, aut amor, a rectitudinis norma exorbitare faciat. Et quia hic in nomine Domini collecti sumus, ante conspectum summæ Divinitatis veridicis sententiis debemus omnia agitare; nulli loquendi locum surripere; veritati operam dare; pro veritate vivaciter stare; contra objecta, simplicibus ac puris sententiis et intendere et respondere. Unicuique debitus honor servetur; dicendi potestas omC nibus sit. Intendendi etiam et refellendi libertas omnibus concessa sit. Nunc deinde quoniam me ante omnes fari voluistis, causam hujus sinodi [616] coram edicendam arbitror, quatinus bene digesta, omnibus ut est videatur. Clarissima illa Remorum metropolis, proditione nuper pervasa ab hostibus fuit. Sancta sanctorum hostium impetu contaminata sunt; sanctuarium Dei, nefariis quibusque violatum; cives quoque a prædonibus direpti. Quorum malorum ille auctor esse criminatur, qui ab hostibus tutari debuit, Arnulfus ejusdem urbis episcopus. Hoc ei intenditur. Ad hoc discutiendum, regalis dignitas hic nos collegit. Elaborate igitur, patres reverendi, ne unius perfidia, dignitas sacerdotalis vilescat. »

D 54. *Sermocinatio* [617] *Daiberti* [617] *pro* [617] *judition-do*. — Contra haec cum quidam residentium responderent, hujusmodi hominem quantotius convincendum, et sic justo juditio puniendum, Siguinus episcopus non id sese permissurum respondit, ut is qui majestatis reus accusatur, sub discutiendi censura ponatur, nisi ante ex jurejurando promissionem indulgentiæ ab regibus et episcopis accipiat. Idque faciendum asserebat ex concilii Toletani capite 31. Quod quia brevitati studemus, omisimus ponere.

VARIÆ LECTIONES.

[607] uexatus *superposito* tortus *cod.* [608] Aug. c. *uti et in necrologio S. Faronis Meldensis occurrere videtur: v. Galliam Christianam.* [609] mis, dui *abscisa.* [610] *ita c.* [611] uere, endentionem, gio jus. us ha, t *ex conj.* [612] scolasticorum *corr.* amicorum. [613] decreto *corr.* edicto. [614] ra, digni, ndi, præla *abscisa.* [615] El, Arnulfi in *abscisa.* [616] sinoni c. [617] Sermo, berti pro *abscisa.*

54. Daibertus Biturícensium archiepiscopus dixit: « Cum constet factum, et de nomine facti dubitatio nulla sit, quantum quoque facinus perpendatur, quomodo ex necessitate reo sit indulgendum, penitus non adverto. Hic enim incurrere necessitas videtur, cum judítium promulgandum non sit, nisi prius supplicii indulgentia convincendo concessa fuerit. At si ad secularia jura respiciatur, quodcumque scelus quisque commiserit, secundum sceleris modum, pœnitentiæ severitati subjacebit. »

55. Herivevus Belvacensis episcopus dixit: « Cavendum summopere est, ne leges divinas forensibus comparemus. Plurimum enim a se differunt, cum divinarum sit de æcclesiasticis negotiis tractare et secularium secularibus adhiberi. Quarum primæ tanto secundas superant, quanto secundæ primis inferiores sunt. Unde et divinis per omnia suus honor servandus est. Si ergo frater et coepiscopus noster Arnulfus majestatis reus convictus fuerit, pro sacerdotali reverentia, et sanguinis affinitate, a serenissimis regibus indulgendum aliquatenus non abnuo. Judítii tamen sententiam omnino non effugiet, si sua confessione indignus sacerdotali dignitate manifestabitur. »

56. *Indignatio* [618] *Brunonis* [618] *in Arnulfum* [619]. — Bruno Lingonensis episcopus dixit: « Hunc unde hic sermo habetur, in has miserias præcipitasse video, cum contra multorum bonorum vota, ad honoris culmen provexi. Et hoc non solum propter carnis affinitatem effeci, sed etiam ut ad melioris vitæ statum illum attraherem, cum non ignorarem ipsum Laudunensis urbis pervasorem, atque nefariæ factionis temerarium principem, sub jure cirographi, regibus fidem spopondisse pro nullo præterito aut futuro sacramento, fidem promissam sese umquam violaturum; regum hostes pro ingenio et viribus impetiturum; illisque in nullo communicaturum. Sed quia Karolus avunculus meus, regum adversarius patet, cum ei is de quo loquimur communicavit, fidemque sacramento dedit, jus fidei promissæ penitus abrupit. An Manasse [619] et Rotgerus regum adversarii dicendi non sunt, qui cum Karolo urbis Remorum pervasores fuere, et sanctæ Dei genitricis Mariæ basilicam cum armata manu ingressi sunt, sanctuariumque nefario ingressu violaverunt? Hos etiam iste sui consilii custodes, et amicorum præcipuos habebat Quod quia evidentissimum est, dicat nunc ipse, cujus impulsione aut suasione istud aggressus sit. Aut certe alii intendet, aut convictus estimoniis labascet. Nullus consanguinitatis amor, nulla habitæ familiaritatis gratia, a recti judicii forma me aliquo modo seducent. »

57. *Laus* [620] *Godesmanni* [620] *de magnanimitate* [620] *Brunonis et* [620] *ut* [620] *ab eo juditium constituatur* [620] *postulatio.* — Godesmannus Ambianensis episcopus dixit: « Novimus venerabilis Brunonis magnanimitatem, quem nullus affinitatis amor, nulla familiaritas a veritate sequestrat, at rigor animi, et morum probitas veridicum et cui credendum sit promptissime indicant. Ergo quia de examinatione reatus fratris et coepiscopi nostri Arnulfi mentio superius facta est, ab eo quærendum videtur, quale ex hac re habendum sit juditium, eo quod ipsum oporteat juditii temperare censuram, cum ipse sic inter utrumque sit constitutus, ut et regi fidem, et Arnulfo ex consanguinitate dilectionem debeat. Unde et nullius doli suspitione tenendus erit, quem fidelitas domini ad juditium incitabit, et caritas proximi a malivolentia prohibebit. »

58. *Responsio Brunonis.* — Ad hæc Bruno episcopus : « Mentem, inquit, vestram satis plane intelligo. Hic qui reus majestatis accusatur, carnis affinitate mihi conjungitur, utpote avunculi mei Lotharii regis filius. Unde et vestra benignitas mihi fieri injuriam metuit [621], si dignum de eo a vobis proferatur juditium. Sed absit ut amorem consanguinitatis Christi amore præciosiorem habeam. Rem unde agitur, sanctitas vestra subtili indagine mecum discutiat. De condemnatione convicto inferenda nihil metuentes, cum æque justum sit et reum majestatis damnari, et innocentem laxari. »

59. *Demonstratio Ratbodi* [622], *quod libellum* [622] *infidelitatis episcopi* [622] *Lotharíensium* [622] *perperam* [622] *calumnientur.* — Ratbodus Noviomensis episcopus dixit : « Si placet, patres reverendi, libellum fidelitatis, ab Arnulfo quondam regibus de habenda fide porrectum, a vobis nunc discutiendum puto. Videtur enim, quod solus in ejus dampnatione sufficiat, eo quod fidem jurejurando promissam, et manus scripto roboratam sacrilegio perjurii penitus violaverit. Sed est quiddam quod remordet, quod scilicet a Lotharíensium episcopis ut fertur contra illum disputatur. Calumniantur enim contra leges divinas scriptum, lectum, reconditum. Unde et si placet, jam a vobis discutiendus in medium proferatur. » Sinodus dixit : « Proferatur. »

60. *Textus libelli* [622] *fidelitatis* [622] *Arnulfi.* — Prolatus est itaque hanc textus seriem habens : « Ego Arnulfus, gratia Dei præveniente Remorum archiepiscopus, promitto regibus Francorum Hugoni et Rotberto me fidem purissimam servaturum, consilium et auxilium eis secundum meum scire et posse in omnibus negotiis præbiturum; inimicis [623] eorum nec consilio nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adjuturum. Hæc in conspectu divinæ majestatis, et beatorum spirituum et totius æcclesiæ assistens promitto, pro bene servatis laturus præmia æternæ beatitudinis. Si vero, quod nolo et quod absit, ab his deviavero, omnis benedictio mea convertatur in maledictionem, et fiant dies

VARIÆ LECTIONES

[618] Ind, Bru, Arnulfum *absc.* [619] Manas *cod.* [620] Laus, man, nani, et ut a, constitu *abscisa.* [621] metu *cod.* [622] Ratbo, bellum, episcopi L, perperam *abscisa.* [622] elli fide *abscisa.* [623] *ita cod.*

mei pauci, et episcopatum meum accipiat alter. Recedant a me amici mei, sintque perpetuo inimici. Huic ego cirographo a me edito, in testimonium benedictionis vel maledictionis meæ subscribo, fratresque et filios meos ut subscribant rogo. Ego Arnulfus archiepiscopus subscripsi. »

61. *Arnulfus* [625] *libellum* [626] *ex parte probat* [627], *et ex parte vituperat* [628]. — Quo recitato, a sinodo investigatur an alicujus reprehensionis aut defensionis vim habere videatur. Tunc venerabilis episcopus Arnulfus, eo quod officium interpretandi ei commissum erat : « Et pro se, inquit, ex parte defensionem continet, et vires ex parte reprehensoribus accommodat. Causa namque ut scriberetur, ejus auctor Arnulfus fuit. Qui cum detestandæ cupiditatis morbo nimium laboraret, egit quod reprehendi potest, cum juratus fidem non servavit. Hoc enim reprehensioni succumbit. Et quod sapientes et boni id effecerunt, quod dolis et astutiæ perditissimi hominis contrairet, contra querulos defensioni firmitatem affectat, viresque ministrat. Et quicquid illud sit, testimonio tamen roborandum est. Procedat Adalgerus presbyter. Adest namque qui rerum seriem proditionis conscius optime novit. Ille inquam adsit, et vestræ claritudini inauditum scelus edicat, ut et ubi sit vituperatio habenda cognoscatis, et ubi laus concedenda videatis. »

62. *Admovetur* [629] *Adalgerus* [630] *accusationi* [631]. *Hic rar.. accusatio* [632]. —Adalgerus itaque accersitus adest. Super hac re interrogatus et nil moratus respondet : « Utinam, patres sancti, in hac vocatione concedatur mihi aliqua remissionis indulgentia. Sed quia ad id deveni, ut si quid quod pro me faciat inveniri possit, id contra me stare videatur, verbis brevioribus quod quæritis edicam. Dudo, Karoli miles, hortatus est, ut hanc unde hic quæritis proditionem aggrederer, sic domino meo placere juratus. Unde cum ei non crederem, dominum meum per me interrogavi. Sese id fieri velle respondit. Ut autem hoc dedecus specie honesti velaretur, Karolo manus dedi ; ejusque factus, proditionem per sacramentum spopondi. Et feci quidem, sed non injussus. Quod si vobis falsum videatur, paratus sum omnia judiciorum genera subire. »

63. *Brevis et* [633] *dilucida* [634] *demonstratio* [635] *criminis* [636] *a Guidone episcopo* [637]. — Guido Suessionensis episcopus dixit : « Ut hic ex ratione hujus intelligitur, unius reatus forte ambo tenentur. Nam cum hic sese effecisse asserat, non est immunis ejus dominus, qui facinus perpetrandum suasit, eo quod sceleris causam se ipsum præbuerit. Quoniam ergo utriusque negotium inditiis evidentibus constat, cum alter facinus suaserit, alter effecerit, juditii censura, vestram paternitatem non latet. Est etiam quod juditio habendo vires præbeat, quod cum ipse episcopus proditionis auctor extiterit, ut suum flagitium melioris zeli fervore tegeret, multæ excommunicationis et maledictionis anathemate, a corpore et sanguine Domini separavit, atque ab ecclesia fidelium suspendit, Remensium prædonum auctores, factores, cooperatores, fautores, et a propriis dominis rerum sub emptionis nomine abalienatores. Sed cum tanti mali episcopus auctor existat, anathemate involutus manifestissime patet. Quod etiam ad ejus condempnationem non minimum valet. »

64. *Indignatio Gualteri in Arnulfum.* — Gualterus Augustudunensis episcopus dixit : « An male sanæ mentis hic episcopus non est qui pro se defensiones nititur, cum regibus et tot patribus ejus iniquitas dilucide pateat, et insuper presbyteri malorum conscii testimonio convincatur ? An ipse mali inventor, periculum anathematis evadere potuit, cum ipse mali inventor et fautor, inventores et factores, fautoresque maledictionis telo perfodit ? An ipsam Divinitatem hec perpendere non animadvertit, cum scriptum sit, *quod oculi Domini in omni loco contemplantur bonos et malos* (*Prov.* xv, 3) ? Et certe arbitror, quia *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* LII, 1). Animadvertite ergo, patres, quam corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis factor et fautor. »

65. *Odonis episcopi admonitio* [638] *de juditio* [639] *accelerando* [640]. — Odo Silvanectensis episcopus dixit : « Quoniam religionis causa, et jussu serenissimorum regum, hic collecti sumus, non est differendum habendi juditii examen. Id enim reges præstolantur. Clerus et plebs idem expectant. Nec est in diversissimis sententiarum rationibus diutius immorandum, cum res sit evidens, et juditii ratio in promptu sit. De quibus non solum patrum statuta legitis, verum etiam per consequentias rerum equitatis censuram proferre non ignoratis. »

66. *Arnulfi persuasio* [641] *ad defensores* [642] *ut libere* [643] *disputent.*—Arnulfus Aurelianensis episcopus dixit : « Licet, patres venerandi, hec certissime se sic habeant, ut de Arnulfo prædicantur, plurimisque sententiis patrum, justo juditio damnari valeat, tamen ne videamur de fratris ruina letantes, et in ejus damnatione absque justo ardentes, statuendum communi decreto arbitror, ut quicumque in ejus defensione aliquid dicere nititur, locum defensandi habeat, revolvat volumina, proferat quot vult sententias, atque omnia quæ ad defensionem paravit, hic coram nil metuens effundat. Atque hoc constituendum reor, ut ultra eis defensandi locus non pateat. Hic tantum nunc cogitata edicant. » Tunc Siguinus episcopus Arnulfi statutum approbat, ac decretalibus interdictis [644], violari in-

VARIÆ LECTIONES.

[625] bellum, probat, vitu *abscisa*. [626] ovetur, rus, ac, ni, io *abscisa*. [627] et di, mon, minis, piscopo *abscisa*. [628] admo, juditio, udo *abscisa*. [629] per, defen, ere *abscisa*. [630] inter interdictis *cod.* (*in duabus lineis*).

hibet. Si quispiam ergo quid dicere habet, ut edicat ammoneat.

67. *Defensio* [631] *scolasticorum* [631] *pro Arnulfo.* — Et cum plures ibi assisterent, qui in defensione niterentur, maximi tamen defensores fuere abbates, Abbo Floriacensis, et Ramnulfus Senonensis, atque Johannes scolasticus Autisiodorensis. Hi enim scientia simul et eloquentia inter suos insignes habebantur Et indicto silentio, librorum multa volumina aperta sunt, multa quoque ex patrum decretis prolata, nonnulla etiam ad defensionem objecta. Inter quæ quatuor principaliter objiciebant. Aiebant enim, inprimis eum suæ sedi restituendum. Deinde legitimam ei vocationem adhibendam. Tum quoque Romano pontifici id innotescendum. Et postremo, pontificis Romani auctoritate, in generali sinodo totum facinus discutiendum. Hoc etiam secundum divinas et humanas leges, approbandum asserebant.

68. *Infirmatio* [632] *defensionis* [631]. — Ab altera vero parte responsum est, eum sedi pristinæ non restituendum, eo quod culpis evidentissimis a probabili accusatore convictus, ad flagicia magis præceps, quam ad religionis honorem et dominorum fidem commodus videretur. Nec jam ultra esse vocandum, cum post prodi.tionis nefas, per sex continuos menses vocatus fuerit, et ad rationem venire contempserit. Romano vero pontifici notificari non posse, eo quod itineris difficultas, atque inimicorum minæ id plurimum prohiberent. Id vero sceleris jam non esse discutiendum, cum totum constaret, accusator crimen intenderet, ac firmamentum multiplex afferret; reus vero convictus nil contra valeret. His episcoporum sententiis multa ratione prolatis, defensores cedunt.

69. Quibus a defensione cessantibus, episcopi nihil aliud superesse, nisi Arnulfum in medium statuendum censebant, ut pro se quæ vellet responderet. Vocatus itaque in ordine episcoporum consedit. Cui postquam ab episcopis multa illata fuere, quibus conclusus cessavit, et ille ut potuit alia intendit, alia reppulit, victus tamen, argumentorum rationibus succubuit, et sese reum ac sacerdotio indignum coram confessus est.

70. *Regum* [633] *ingressus* [633] *in sinodum.* — Quod cum regibus suggestum est, ipsi cum primatibus sacro episcoporum conventui sese inferunt; gratias episcopis reddentes, eo quod pro se et salute principum diu deliberassent. Petunt quoque gestorum seriem sibi evolvi, et in quo constiterint rationum fine. Tunc etiam omnium gestorum series regibus exposita est. Post auditum narrationis ordinem, jam tempus adesse judicii habenti asseverant. Tunc episcopi Arnulfum ut regum genibus provolvatur commonent, reatum quoque suum confiteatur, atque pro sui vita, et membrorum integritate supplicet. Ille mox dominorum pedibus prostratus, crimen confessus est; et sacerdotio se indignum asserens, pro vita et membris suffusus lacrimis postulabat. Unde et universam sinodum in lacrimas coegit. Reges multa pietate flexi, vitam et membrorum integritatem indulgent. Sub custodia sui, absque ferro et vinculis habendum decernunt.

71. *Decretale* [633]. — Et a terra erectus, interrogatur an abdicationem sui canonum auctoritate solempniter velit celebrari. Quod cum episcoporum ordinationi totum committeret, mox decretum est, ut quia se indignum sacerdotio confitebatur, scelusque non tegebat, sicut gradibus provectus fuit, ita gradibus deponeretur. Suasus ergo, regibus quæ ab eis acceperat reddidit, sacerdotales vero insulas episcopis sine mora laxavit. Interrogatus etiam an abdicationis et repudii libellum faceret, ad votum episcoporum omnia sese facturum respondit. Et libellum mox scriptum et oblatum, coram regibus in concilio legit, atque subscripsit.

72. *Textus libelli repudii* [634] *Arnulfi.* — Textus autem libelli hujusmodi erat: « Ego Arnulfus gratia Dei Remorum quondam episcopus, regnoscens fragilitatem meam, et pondera peccatorum meorum, testes confessores meos Siguinum archiepiscopum, Daibertum archiepiscopum, Arnulfum episcopum, Godesmannum episcopum, Heriveum episcopum, Ratbodum episcopum, Walterum episcopum, Brunonem episcopum, Milonem episcopum, Adalberonem episcopum, Odonem episcopum, Widonem episcopum, Heribertum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum, et puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium penitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens pro reatibus meis in quibus peccasse secreto ipsis [633] confessus sum, et de quibus publice arguebar, eo scilicet modo ut ipsi sint testes, et potestatem habeant substituendi et consecrandi alium in loco meo, qui digne præesse et prodesse possit æcclesiæ cui actenus indignus præfui. Et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem, auctoritate canonica facere valeam, manu mea propria subscribens firmavi. Quo ita perlecto, ita subscripsi. Ego Arnulfus quondam Remorum archiepiscopus subscripsi. » Necnon et adstantes episcopi ab eo rogati ut subscriberent, subscripserunt, atque sic ei responderent: « Secundum professionem et subscriptionem tuam cessa ab officio. » Post hec sacramenti jure hos qui sui fuerant absolvit, atque libertatem transeundi in jus alterius victus concessit.

73. *Depositio* [635] *Adalgeri presbiteri a* [636] *gradibus* [636]. — Dum hec multa consideratione gererentur, Adalgerus presbiter eo quod communione privatus esset regum pedibus provolutus, multa conquestione querebatur, communioni petens restitui, parcius sibi

VARIÆ LECTIONES.

[631] defensi, ticorum *abscisa.* [632] nfir, defensio *abscisa.* [633] Regum ing, Decret *abscisa.* [634] repu *abse.* [635] ipsi *c.* [636] Dep, a gra *abscisa.*

inferendam censuram ratus, eo quod jussus domino obtemperavisset. Quem Arnulfus Aurelianensis episcopus adorsus : « Numquidnam » inquit « juditii expertem te tua conficta hodie facient? Numquid tu es qui Karolo portas aperuisti, et hostiliter cum illo sancta sanctorum ingressus es? Numquid tu es qui adolescentem cum tui similibus perdidisti? Confitere, infandissime! » Quo respondente : « Negare non possum, » ille mox prosecutus : « An ideo » inquit « communioni restituendus es, ut domino tuo lugente, tu, nefandissime, rideas? » Tandem decretum est, duorum incommodorum utrumlibet ab eo eligi, aut a gradibus deponi, aut perpetuo anathemate teneri. Qui apud se plurima pertractans tandem maluit gradibus privari, quam anathemate perpetuo teneri. Et mox episcoporum jussu, indumentis sacerdotalibus vestitur. Quæ singula absque ulla miseratione detrahentes, ei singuli dicebant : *Cessa ab officio tuo.* Laicorum ergo tantum communionem ei reddentes, illum penitentiæ subdunt, atque sic a sinodo soluti sunt. Si quis autem plenius scire voluerit, quid quisque eorum de canonibus et patrum decretis in concilio protulerit, quid quoque ab eis ibi sancitum sit, quid etiam a regibus et episcopis Romano pontifici directum, quibus quoque causarum rationibus Arnulfi abdicatio roborata est, legat librum domni et incomparabilis viri Gerberti, hujus Arnulfi in episcopatu successoris, qui omnia hæc digesta continens, mira eloquentiæ suavitate Tulliano eloquio comparatur. Objectionibus namque et responsionibus, conquestionibus atque orationibus, invectivis, conjecturisque et diffinitionibus repletus, luculentissime ac rationabiliter proponit, assumit, atque concludit. Qui non solum sinodalibus causis, sed status rethoricæ cognoscentibus utillimus habetur.

74. *Conquestio* [637] *Odonis* [637] *apud* [637] *suos de* [637] *Miliduni* [637] *ereptione* [637]. — Interea Odo rerum suarum augmentum querebat. Unde et apud suos quorum fidem indubitatam sciebat, castrum Meledunum in suum jus transfundi parabat; sibi inquiens miserrimum fore, quod in Sequana fluvio transmittendis exercitibus nullus sibi transitus pateret; unde et id animo sibi incidisse, quatinus Milidunum, quod est circumfluente Sequana tutissimum, et duplici portu pervium, ad suam partem retorqueret, cum etiam in Ligeri plures sibi portus paterent. Nec de perjurii facinore formidandum, cum illud jam ab avo possessum sit, et nunc non regis sed alterius habeatur. Unde et omnibus qui fidem spondebant, accelerandum suadebat, ut quacumque ratione valerent, ad sui dominium transferrent.

75. *Inductio* [638] *ab* [638] *legato Odonis in* [638] *præsidem Miliduni* [638]. — Tunc suorum unus, castri præsidem petens, firmissimam amicitiam simulat, fidemque A multam pollicetur. Quod et utrimque sacramento mox firmatum fuit. Presidemque affatus, cujus ante hac castrum fuerit, quærit. Ille cujus fuerit non abnuit. Iste quoque : « Quo » inquit « ordine ad regium jus accessit? Ille quoque idem prosequitur. » Et iste : « Cur » inquit « Odoni præjuditium fit, cum sepenumero reddi sibi petierit, et se inferior eo nunc potiatur? » — « Quoniam » inquit « id regi sic visum est. » Et iste : « Putasne » inquit, « ipsam Divinitatem non offendi, cum mortuo patre pupillus absque re patrimonio frustratur? » Et ille : « Ita » inquit. « Et non solum id, sed et bonorum desperatio fit. Quis enim inter primates Odone potentior? Quis omni honore dignior? » Atque ad hæc iste : « Si » inquit « ad Odonem transverti velles, numquidnam B ampliori potentia tene sublimandum arbitrare? Si ejus esses, ejus sine dubio gratiam, consilium, suppetias haberes. Pro uno castro plurima possideres. Unde et tui nominis gloria eo ulterius iret, quo amplius honoris culmen adipiscereris. » Ille vero : « Quomodo » inquit « absque peccato et dedecore hec fieri posse confidis? » Et iste inquit : « Si te cum castro Odoni confers, quicquid sceleris nasci putas, meum fiat, meum dicatur. Pœnas inde luam, et summæ Divinitati rationem reddam. Consule nobilitati tuæ. Fac tuarum rerum augmentum. Instat tempus. Oportunitas id suadet, cum inpotentia regnandi rex sit inglorius, et Odonem prosperior semper sequatur successus. » Ille rerum promissarum cupidus, sacramentum petit. Iste facit, et pro agendo C negotio obsides querit. Ille multum honorem sese habiturum arbitrans, obsides dare non distulit. Quos iste receptos domum duxit, et Odoni omnia hæc retulit.

76. *Pervasio* [639] *Miliduni* [639] *ab Odone* [639]. — Odoni itaque ut cœptis instet suadet. Interea ab Odone copiæ clam parantur, ut castrum ingrediatur et optineat. Paratis autem tempore statuto aggressus appetit et ingreditur. Proditorem simulato furore invadit, et carceri mancipat. Qui non multo post carcere emissus, sacramento coram fidem facit, et exinde ad resistendum cum Odone sese parat. Quæ omnia ad regum aures mox delata feruntur. Reges de castri amissione commoti, in hostes milites parant; proponentes ab obsidione non sese discessuros, donec aut expugnatum recipiant, aut si res exD poscat cum hoste comminus vires et arma conferant.

77. *Accessus* [640] *regum ad Milidunum* [640]. — Paratis itaque copiis, expugnatum accedunt. Et quia castrum circumfluente Sequana ambiebatur, ipsi in litore primo castra disponunt; in ulteriore, accitas [641] piratarum acies, ordinant. Et ne quo intercideretur obsidio, classes armatas in fluvio circumquaque adhibent. Itaque factum fuit, ut fluviali superficie vecti, castrum navali pugna acriter urgerent. Castrenses non impares, inpugnantibus obnituntur.

VARIÆ LECTIONES.

[637] Con, Odonis a, de, ere *abscisa.* [638] In, ab, in, li *abscisa.* [639] vasio, ni, *abscisa.* [640] sus, ad Mili *abscisa.* [641] accitæ *corr.* accita *codex, quod corrigendum erat.*

Pro viribus certant. Adversariis nullo modo cedunt. Cumque diutius resistentes, comminus pugnarent, nec cederent, postico quod inferius latebat viribus cædentium eruto, piratæ admissi sunt. Et a tergo in muro pugnantibus supervenientes, multa cæde in eis debaccati sunt. Sic quoque factum est, ut et reliquus exercitus [643] in litore adhuc persistens, classibus pedester intromitteretur, castrumque repentinus pervaderet.

78. *Castrenses* [644] *capti libertati* [645] *dantur* [646]. — A quibus castrenses capti, et victi, mox regi oblati sunt. Pro quibus coram rege ab amicis oratione habita, facta regi fide dimissi sunt, cum non tantum rei majestatis regiæ, quantum sui domini fideles dicendi essent; ad id etiam non perfidiæ vitio, sed multa virtute adductos asserebant. His ergo obsidum jure dimissis, et castro domino priori reddito, proditor cujus dolo hujusmodi infortunium accessit, mox comprehensus, suspendio secus castri portam defecit. Nec minus ejus uxor, inusitato ludibrii genere pedibus suspensa, exuviis circumquaque defluentibus nudata, atroci fine juxta virum interiit. Cum hæc agebantur, Odo cum exercitu haud procul rei eventum opperiebatur; ratus castrum a suis posse contra hostes defendi, insidias piratarum aliquantisper suspectas habens. Dum ergo herens de eventu nutaret, affuere nuntii, qui castrum captum, suosque comprehensos et inermes factos assererent. Quo audito, exercitum non æquo animo ad sua dimovit. Cui cum a querulis quibusdam intenderetur, propter eum virum consularem [647] suspendio interisse, Odo respondisse fertur, sese amplius lesum suorum comprehensione, quam proditoris suspendio.

79. *Rixa* [648] *Odonis et Fulconis* [649] *de Britannia* [650]. — Nec multo post bella civilia reparata sunt. Etenim Fulco qui regum partibus favebat, exercitum in Odonem parabat, quæsiturus ab eo Brittanniæ partem, quam non multo ante ei abstulerat. Collegit itaque quatuor milia, qui non comminus confligerent, eo quod eorum vires Odonis potentiæ non sufficerent, sed ejus terram incendiis et rapinis afficerent. Et tandiu id faciendum arbitrabatur, donec Odo aut tedio victus redderet, aut pro ea aliam non inparem conferret [651]. Preceps itaque fertur, terramque prædis, manubiis, combustionibusque affecit [652]. Et cum apud Blesum [653] loca suburbana succenderet, incendiis aura flante circumquaque erumpentibus, in cœnobium monachorum sancti confessoris Laudomari ignis plurimus evolavit. Quod mox combustum dirutum fuit. Cibi quoque consumpti. Unde nec monachorum migratio defuit. His exemptis, in loca alia exercitum retorquet, et vastat. Post cujus digressum, Odo [654] in ejus terram versa vice exercitum induxit, sic in ea efferatus, ut nec tugurium vel gallum relinqueret, hostem provocans, et ut dimicaturus veniat invitans. Ille autem copias non sufficere sibi cognoscens, provocanti cessit, atque ad sua rediit. Atque hæc fere per biennium.

80. *Oratio legatorum Odonis apud regem* [655] *de Miliduni pervasione* [656]. — Odo interea, castro amisso frustratus, etiam in hoc sese cautissimum habebat. Arbitrabatur etenim duplici calamitate se posse torqueri, cum de castri amissione plurimum doleret, et a rege irato non mediocriter valeret urgeri. Unde et regi legatos direxit, per quos sese optime ratiocinari posse de objectis quibuscumque suggereret. Sese in nullo regiam majestatem lesisse ostensurum. Si de Miliduno agatur, contra regem nil mali molitum, cum non regi sed suo commilitoni illud abstulisset. Regi nihil derogatum fuisse, cum ipse regis æque sit, ut ille cui abstulit. Nihilque interesse quantum ad regiam dignitatem, quicumque teneat. Sese etiam [657] justis causis id effecisse, cum illud a suis præcessoribus olim possessum, approbari possit. Unde etiam videri posse, a se dignius teneri debere, quam ab alio quocumque. Tandem si quid piaculi factum est, in sese pœnam dedecoris redundasse, tantumque scelus pari ignominia abstersum. Unde et facilius sibi indulgendum, atque in tanta injuria amplius parcendum. Rex orationis vim advertens, legatis satisfacit, benivolentiamque petenti mandat. Hæc legati Odoni referunt. Odo itaque regem adiit. Coram quo oratione utiliter usus, ejus gratia potitus est; tanta affabilitate insignis, ut amicitiam pristinam renovarent, et in nullo suspectus regi haberetur.

81. *Bellum inter Odonem et* [658] *Fulconem* [659] *de Britannia*. — Hac tempestate itidem civilia bella reparata sunt. Nam Fulco Brittanniæ parte frustratus, insidias adhuc parare contendebat. Collectoque exercitu, in Brittanniam præceps fertur, Namtasque (127) appetit. Cujus custodes alios auro corrupit, alios quibusdam pollicitationibus illexit. Eis quoque usque ad effectum suasit, quo sibi satisfacerent, ut scilicet urbis introitum panderent. Qui suasi, sacramento tempus constituunt. Nec multo post et in urbem admittunt. Ingressusque pervadit, et a civibus jure sacramenti obsides accepit. Arcem solam expugnare non valuit, eo quod milites magnanimos haberet. Unde et cessit, sese recedere deliberans, ut copiis amplioribus congressurus rediret, arcemque expugnaret.

82. Conanus in exterioribus Brittanniæ partibus qui locus Bruerech dicitur, de rebus bellicis apud suos pertractabat, cum ad ejus aures hæc delata

VARIÆ LECTIONES.

[643] in primo *deletum*. [644] enses, i l'bertati, ntur *abscisa*. [645] VC *cod*. [646] a, Fulconis, tan *abscisa*. [647] redderet *corr*. conferret. [648] percutit *corr*. affecit. [649] b. castrum *deletum*. [650] O. *c*. [651] regem, one *abscisa*. [652] etiam id justis c. id e. *codex*. [653] et Fulconem *abscisa*.

NOTÆ.

(127) Nantes.

sunt. Magisque cœpto negotio insistens, exercitum congregat [683], bellumque fieri parat. Et quoniam obsidioni instandum tempus suadebat, collectum exercitum urbi inducit, eique ad [684] unum latus obsidionem per terram ordinat. Ad alterum vero per Ligerim classes piratarum adhibet [685]. Undique ergo obsidione disposita, a piratis per fluvium, a Brittannis per terram urbani vehementer urgentur. Nec minus qui in arce remanserant, a superioribus jaculorum diversa genera præcipitabant. Parique inpugnatione superiorum atque inferiorum qui medii erant vexabantur. Nam qui in arce et in obsidione certabant, Conani partes tuebantur. Urbani vero pro Fulconis victoria operam dabant. Nec minus Fulco copias parabat, et exercitum tam de suis quam conducticiis congregabat. Audito [686] vero Conanum urbi [687] obsidionem adhibuisse [688], mox legionem Britanniæ infert.

83. *Dolus* [689] *Fulconi* [690] *paratus.* — Erat campus non valde procul, longitudine sui et latitudine vastus, filicetum in se maximum habens. Hic Conanus locum gerendi belli constituens, insidiarum dolos infodit. Nam fossas quam plures ibi inmergens, virgis et viminibus stipulisque earum hiatus desuper operuit, intus surculis defixis, qui superiora continerent [691] et soliditatem superficiei simularent. Et ut simulata superficies penitus lateret, filicem collectam desuper respersit, insidiasque dissimulavit.

84. *Dolus* [692] *Conani* [693] *contra hostes* [694]. — Post insidias ipse acies ordinans, sic fraude usus est, ut diceret se ibi mansurum, nec ulterius hostes quæsiturum. Si hostes urgerent, ibi tantum vitam defensurum. Nec ob metum id facturum, at ut hostes si sese querant et impetant, contra jus id faciant. Sic enim eorum ruina facilius provenire possit, cum sua temeritate quietos et innoxios aggrediantur. Ibi itaque acies ordinavit, insidias in prospectu habens. Herebat ergo, hostesque excepturus opperiebatur. Fulco Conanum herentem videns, nec ab eo loco exiturum [695], cum insidias nesciret, suos multo hortatu suadebat, quatinus vehementi conamine impetum facerent, hostesque aggredi non dubitarent. De victoria non diffiderent, cum virium spes optima non desit, si Divinitas aversa non sit. Dato itaque signo irruunt. Arbitrati quoque solidum iter, fossis indubitate propinquant.

85. *Præcipitatio* [696] *hostium a* [697] *Conano* [698]. — Cumque Brittannos metu herentes arbitrarentur, telis obnitentes ad fossas irruunt ; precipitatique cum equis inmerguntur, ac cæca ruina confusi, ad viginti milia [699] inmersi atque compressi sunt. At posterior exercitus, priori precipitato, terga dedit. Unde et Fulco vitæ tantum consulens, profugio eripi conabatur.

86. *Interfectio* [700] *Conani* [701]. — Quem cum fuga exagitaret, Conanus interim in dumetum cum tribus sese recepit, armisque depositis, corporis fervorem ad auram mitigabat. Quem quidam adversariorum intuitus, facto impetu illum adorsus, gladio transfixit, Fulconisque victoriam extulit. Fulco, animo resumpto, Namtas repetit, atque ingreditur, qui in arce erant acriter vexans. Qui principe destituti pene exanimes, inpugnanti cedunt, fidemque postulati faciunt.

87. *Repudium* [702] *reginæ* [703] *Susannæ a* [704] *rege* [705] *Rotberto* [706]. — His ita sese habentibus, Rotbertus rex cum in undecimo ætatis anno, juventutis flore vernaret, Susannam uxorem genere Italicam, eo quod anus esset, facto divortio repudiavit. Quæ repudiata, cum ea quæ ex dote acceperat, repetere vellet, nec ei rex adquiesceret, aliorsum animum transvertit. A qua etiam die, sua quærens, regi insidias moliebatur. Nam Monasteriolum castrum quod in dote acceperat, ad suum jus refundere cupiens, cum id efficere non posset, secus eum aliud nomine [707]..... extruxit ; rege interim occupato, circa Odonis et Fulconis facinora. Ex cujus munitione arbitrabatur posse omnem navium convectationem prohiberi, cum sibi advenientes sese prius offerrent, unde et eis transitum ulterius inhibere valeret.

88. *Reprehensio* [708] *repudii* [709]. — Hujus repudii scelus, a [710] nonnullis qui intelligentiæ purioris fuere, satis laceratum eo tempore fuit, clam tamen, nec patenti refragatione culpatum.

89. *Sinodus Chelæ habita.* — Hujus temporis diebus cum a papa Romano B. (128) abdicatio Arnulfi et promotio Gerberti plurimis epistolarum scriptis calumniarentur, episcopi quoque rei hujusmodi auctores simulque et alii cooperatores diversis reprehensionibus redarguerentur, placuit episcopis Galliæ in unum convenire, et super hac reprehensione consulere. Quibus Chelæ collectis, sinodus habita est. Cui rex Rotbertus præsedit, considentibus metropolitanis. Gerberto Remensi cui tota sinodalium causarum ratio discutienda commissa fuit, Siguino quoque Senonensi, Erchembaldo Turonico, Daiberto Bituricensi, aliisque horum comprovintialibus nonnullis. In qua postquam ex patrum decretis rationes de statu sanctæ æeclesiæ promulgarunt, in ter nonnulla utilia, constitui et roborari placuit, ut ab ea die, idem sentirent, idem vellent, idem coope-

VARIÆ LECTIONES.

[683] parat *corr.* congregat. [684] per *supra posito* ad c. [685] adhibuit *corr* adhibet. [686] audito, urb, adh *abscisa.* [687] Dol, ni *abscisa.* [688] supe, cont *abscisa.* [689] Dol, na, ho *abscisa.* [690] e. advertens *delet.* [691] præ, ti, a C *abscisa.* [692] XX *codex.* [693] In, Co *abscisa.* [694] Re, re, a r, berto *abscisa.* [695] *locus vacuus.* [696] Re, re *abscisa.* [697] an *codex.*

NOTÆ.

(128) Joanne XVI, nam Benedictus VII anno 983 obierat.

rarentur, secundum id quod scriptum est: *Erat eis cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32). Decerni et illud voluere, ut si in qualibet æcclesia, quæcumque tirannis emergeret, quæ telo anathematis ferienda [668] videretur, id inprimis ab omnibus consulendum, et sic communi decreto agitandum. Et qui anathemate relaxandi forent, decreto communi similiter relaxandos, juxta quod scriptum est: *Consilium a sapiente perquire* (*Tob.* IV, 19). Placuit quoque sanciri, si quid a papa Romano contra patrum decreta suggereretur, cassum et irritum fieri, juxta quod Apostolus ait: *Hereticum hominem et ab ecclesia dissentientem, penitus devita* (*Tit.* III, 10). Nec minus abdicationem Arnulfi et promotionem Gerberti, prout ab eis ordinatæ et peractæ essent, perpetuo placuit sanciri, juxta quod in canonibus scriptum habetur: *Sinodo provinciali statutum, a nullo temere labefactandum.*

90. *Impetus* [669] *Odonis et Fulconis* [669] *inter se* [669]. — Hac tempestate bella civilia reparata sunt. Cum enim tirannorum insidiis Odonis et Fulconis de Brittanniæ principatu rixa resurgeret, illis dissidentibus reliqui etiam regnorum principes moti dissensere. Rex Fulconis partes tutabat, Odo suorum nec non et piratarum qui rege deserto ad se transierant, Aquitanorumque copiis fretus incedebat. Unde Fulco in Odonem præceps, ejus terram depopulatur, et post in ea non procul ab urbe Turonica oppidum [670] exstruit atque munit; copias ponit; militibus implet; et quia ad hoc diruendum Odonem adventurum sperabat, regem petiit, auxilia imploraturus. Cui cum rex auxilium polliceretur, obstinatiore animo ferebatur. Itaque copias contra hostem congressurus parat; exercitum colligit; bellumque Odonis indicit. Odo, pudore tactus, a Gallis Belgis subsidia petit. Si adsint, gratiam sese recompensaturum spondet. Illi liberaliter annuunt, fidemque faciunt. Nec minus Flandrenses [671] accersit, ab eisqua tutelam petiit, vicem pollicens, si quod petit non abnuant. Illi quoque animo liberali quesita accommodant. Piratis etiam legatos dirigens, copias sibi non negari deposcit. Tempus et locus omnibus constituitur, quo collecti sese conferant. Odo interim suos placat, colligit et incitat. Ratusque Belgas et piratas tempestivos, cum suorum paucis tanta celeritate in Fulconem fertur, ut in certamine plus quatuor milibus pugnatorum non haberet. Castro tamen obsidionem adhibet, armiferosque disponit. Castrenses multo conatu adurget.

91. *Fulconis supplicatio* [672] *Odoni per legatos* [672]. — Fulco regem morantem non auxiliaturum, et Odonis exercitum intolerabilem ratus, remissiori animo habitus est. Itaque per legatos Odonis amicitiam expetit; pro Conani interitu centum pondo [673] argenti sese impensurum mandat; loco militis interfecti, filium suum pro eo militaturum offert; castrum extructum in ejus honore sese eversurum, atque a suis evacuaturum; sese quoque ei sponte militaturum, si id regi injuriosum non foret. Quod quia absque regis injuria fieri non poterat, ejus filio manus per sacramentum daret; itaque fieret, ut ipse cum nato militaret, cum filium suum Odoni pro Conano daret, et sese Odonis filio militaturos committeret. Daturum se etiam fidem sacramento contra omnium causam, præter regis, et horum quibus speciali consanguinitate carius addictus est, utpote nati, fratris ac nepotum. His Odo perceptis, suorum usus consilio, hæc sese exceptu-rum optime mandat, si Namtas Brittanniæ urbem dolo captam reddat, et a suis evacuet. Injuriosum enim id videri, si ablata prius non repetat, et non redditis, cum hoste pacem faciat.

92. *Abjectio* [674] *supplicationis* [674] *ab Fulcone* [674]. — Hæc dum exagitarentur, et Odo exercitum suum paulatim augeri arbitraretur, priusquam copias congrediendi haberet, rex cum duodecim milibus affuit, cum Fulconem sex milia suorum stiparent. Quibus mixtis, exercitus armatorum densatus est. Unde et Fulco insolentior factus, quæ ante supplex obtulerat spernit. Ut bellum fiat, fervidus instat; et ut vada Ligeris qui eis interfluebat pertranseant, hostemque impetant, hortatur atque suadet. Odo suos ut sponderant non venisse advertens, eo quod exercitibus colligendis hujus temporis brevitas non sufficeret, animo nimis turbato ferebatur. Attamen cum quatuor milibus refragratus, vada Ligeris prohibebat.

93. Rex vadi incessu prohibitus, ad Ambatiam (129) castrum retorquet exercitum, quod non procul in eodem litore fluminis inter rupes eminebat, ut ibi transiens et post obliquatus, hostibus a tergo inprovisus adsistat, eosque adurgeat. Odo regis exercitum non sustinens, legatos ei dirigit: hostem suum, non regem sese impetiisse mandans; nec contra regem quicquam moliturum, at contra inimicum. Si rex jubeat, se mox ulterius iturum et sibi de omnibus satisfacturum. Rex rationis consequentiam advertens, tantum virum absque causa a se læsum, suspectum habebat. Unde et ne penitus a se deficeret, ab eo obsides sub pace sequestra accepit; de omnibus quæ ei intenderet, post rationem ab eo auditurus. Unde et exercitum reducens, Parisium devenit. Odo quoque nihil amittens, indempnis Meldim cum suis devenit. Inde etiam post dies non multos, castrum quod Dunum (130) dicitur, sua dispositurus petiit.

VARIÆ LECTIONES.

[668] juguianda *corr.* ferienda. [669] petus, in, se *abscisa.* [670] castrum *supra posito* oppidum *codex.* [671] frandrenses *corr.* flandrenses *cod.* [672] suppli, egatos *abscisa.* [673] c p *codex.* [674] ectio, lica, is, Fulcone *abscisa.*

NOTÆ.

(129) Amboise.

(130) Dun?

94. *Obitus* [678] *Odonis* [679]. Unde cum de suis quos sub pace sequestra regi delegaverat, plurima consultatione deliberaret, humorum [676] superfluitate pro temporis immutatione vexatus, in egritudinem quæ a phisicis synantica dicitur decidit. Quæ cum intra gulæ interiora sedem habeat, ex fleumatis reumatismo progressa, tamen aliquando ad maxillas et genas, aliquando ad toracem et pulmones tumorem cum dolore gravi immittit. Quibus tumentibus atque ferventibus excepta initii die, post diatritum, patientem perimit. In hanc igitur Odo lapsus, infestis gulæ doloribus circumquaque pulsabatur ; arteriarum quoque fervor, sermonis intercisionem operabatur. Nec petiit hujusmodi dolor capitis superiora, at præcordia pertemptans, pulmonem et epar peracuto dolore stimulabat. Fuit itaque militum luctus, famulorum clamor, feminarum frequens exclamatio, eo quod dominum inconsultum amittebant, et natis dominandi spes nulla relinqueretur, cum reges patri adhuc animo irato perstarent, et Fulco insolentiæ spiritu, pacem multifariam turbaret. Et tamen in brevi victurus, regibus legatos celeres misit, qui pro se supplices suasorie rogarent, et pro injuriis illatis justissimam [677] recompensationem sponderent. Rex veteranus malorum correctionem ab legatis excipere volens, a filio indignante inhibitus est. Unde et legatorum allegationem penitus sprevit, atque illos immunes redire coegit. Quibus in itinere moram agentibus, antequam redissent die quarta natæ synanticæ facta, Odo monachus factus defecit, atque sic vitæ finem habuit ; ad sanctum Martinum delatus, et in loco quod Majus monasterium(131) dicitur, cum multo suorum obsequio sepultus.

95. *Johannes* [678] *papa Leonem* [678] *abbatem in* [678] *Gallias* [678] *mittit* [678] *ut* [678] *Arnulfi abdicationem* [678] *dissolvat.* — Per idem tempus cum a Germanorum episcopis domno Johanni papæ per epistolas sæpenumero suggestum foret, ut Gerberti Remorum metropolitani promotionem abdicaret, et Arnulfi abdicationem præter jus factam indignaretur, a papa in Germaniam tunc directus est Leo monachus et abbas, qui vicibus papæ potitus, cum episcopis Germaniæ atque Galliarum hujus negotii et indaginem faceret, et juditium diligens inde proferret. Qui humanissime ab episcopis [679] exceptus, de habenda sinodo super hoc negotio cum eis tractabat. A quibus Gallorum regibus, Hugoni videlicet ejusque filio Rotberto, legati directi sunt, qui papæ mandatum, necnon et episcoporum voluntatem super hoc aperiant, eisque ut cum suis episcopis conveniant, rationabiliter suadeant ; locum etiam tempusque quo et quando conveniendum esset a regibus discerent, eorumque animum ex hoc sibi referrent.

96. *Quod* [680] *regibus nuntiatum* [680] *sit, episcopos Germaniæ* [680] *in synodum* [680] *convenire.* — Legati igitur directi sunt. Legatio quoque prolata. Quam etiam reges serenissima mente excipientes, papæ et episcoporum mandatis in nullo tunc refragati sunt ; sese consilium super hoc quæsituros respondentes, atque æquitatem de omnibus facturos. Legatis itaque abductis, per quosdam regibus indicatum est, Adalberonem Laudunensem episcopum, hæc dolo ordinasse ; omnino etiam apud Odonem illud pridem pertractasse. Eorum utrumque in voto habuisse, ut Ottonem regem Galliis inducerent, et reges ingenio et viribus foras expungerent. Episcopos quoque Germaniæ, ideo convenire, ut dolum quæsitum expleant. Reges itaque, fraude percepta, episcopis jam ad locum designatum [681] convenientibus per legatos indicavere, sese illuc non ituros, eo quod suorum præcipuos penes se non haberent, sine quorum consilio nihil agendum vel omittendum videbatur. Indignum etiam sibi videri, si correctioni episcoporum Germaniæ suos subdat, cum isti non minus nobiles, non minus potentes, æque etiam aut amplius sapientes sint. Ipsi ergo si indigent, in Gallias properent, unde volunt edicant. Aliòquin, redeant, et sua ut libet curent. Horum ergo res in contrarium relapsa est. Adalbero enim qui horum ministrum sese præbuerat, cum delationis [682] nescius reges moneret, ut occurrentibus obveniret, rex veteranus fraudium non ignarus, Ludovicum Karoli filium ab eo reposcit, quem in captione Lauduni captum, et custodiendum commiserat. Repoposcit etiam ejusdem urbis arcem, quam similiter commiserat.

97. *Adalbero* [682] *totius fraudis* [682] *causa reprehenditur* [683]. — Quo credita reddere reniso, regii stipatores animo indignante subinferunt : « Cum tu, o episcope, in perniciem regum et principum, apud Ottonem regem et Odonem tirannum plurima quæsieris, quomodo hic ante dominos tuos reges tam magnifica confingere non vereris? Quid Ludovicum et arcem reddere metuis, si fidem regibus te servasse non dubitas? Quid ergo est credita nolle reddere, nisi contra reges infausta moliri? Evidentissime fidem abrupisti, cum apud Ottonem de regum interitu tractasti, eorumque honorem subruere temptasti. Unde et perjurii reatu detineris. Legationem etiam tamquam ab eis missam Ottoni regi pertulisti, ac apud eum dolose ordinasti, ut ipse cum paucis [684] adveniret, et militum multitudinem non longe expeditam haberet. Regibus quoque nostris adversario cum paucis occurrere suasisti, atque nihil mali ex hoc proventurum spopondisti. Hanc etiam

VARIÆ LECTIONES.

[678] ubi, Odo *abscisa.* [676] homorum *codex.* [677] æquissimam *supra posito* justissimam *cod.* [678] Johannes, Leon, in Gal, tit u, dicati, solva *abscisa.* [679] e. germaniæ *deletum.* [680] quod, nuntiat, gern, sinodum *abscisa.* [681] quem reges designaverant 1. [682] proditionis 1. [683] Adalbero, fraudis, repreh *abscisa.* [684] p. ad locum quod Mosomum appellatur *deleta.*

NOTÆ.

(131) Marmoutier-les-Tours.

collocutionem, utrimque utillimam fieri dicebas, cum hos et illum de communibus et privatis familiariter collocuturos simulabas. Verum aliter tibi visum erat, cum hoc ideo prætendebas [685], ut ab Ottone rege dominos tuos reges comprehendi faceres, regnumque Francorum in jus illius transfunderes, ut tu videlicet Remorum metropolitanus, Odo vero Francorum dux haberetur. Idque tunc nobis omnino patuit, sed ad tempus suppressum fuit. Et o summæ Divinitatis miserationem inestimabilem, quantis miseriis erepti, quanto ludibrio subtracti sumus! Instat tempus quo paratæ insidiæ effectum promittant. Episcopi etenim sub specie religionis ac si de promotione et abdicatione Gerberti atque Arnulfi episcoporum quæsituri, præmissis legatis adveniunt. Otto quoque rex Metti adest; a quo non longe exercitus collectus prædicatur. Si ergo imus, aut pugnabimus, aut capiemur. Si vero non imus, perjurii arguemur. Sed ire reges non expedit, eo quod militum copia sufficiens eis non sit. Perjurii vero reatus in te redundabit, cum tu solus regibus nesciis juratus sis. »

98. Ad hæc episcopus erubescens, obmutuit. Quem cum unus suorum his exterritum vidit, contra hæc responsurus surrexit, et sic oblocutorem adorsus est: « Horum omnium objector mihi loquatur. Adsum qui pro criminato rationem reddo. Unus tantum hæc proferat. Caput quoque suum meo objiciat. Arma quoque armis comparet. Necnon et vires viribus conferat. » Hunc pro domino suo insanientem et fervidum, Landricus comes sic alloquitur: « O optime miles, harum ut video fraudium penitus es ignarus. Quæ licet te ignorante, tamen ut prædicantur quæsitæ sunt. Unde et tempera animum, mitiga fervorem. Belli necessitatem non tibi imponas. Non te impellas, unde ingressus redire non poteris. Sed nunc meo usus consilio, paululum hinc secede, dominumque tuum de his an vera sint, interroga. Si te ad pugnam hortatur, congredere. Si dicit cessandum, furori parce. » Secessit ergo, dominumque vocatum an sic res habeatur interrogat. Episcopus utpote a conscio convictus, rem ita esse quærenti confessus est. Unde et pugnam inhibuit. Sedato itaque tanto fervore militis, res penitus innotuit. Detentus ergo regum jussu, utpote desertor custodibus datur. Cujus milites mox regibus sacramento alligati sunt.

99. *Synodus quæ pro Arnulfo Mosomi habita est.* — Dum hæc agerentur [686], cum Galliarum episcopi ab regibus prohibiti essent, ut ad sinodum statutam non venissent, episcopi tamen Germaniæ ne doli arguerentur si non accederent, statuto tempore Mosomum conveniunt, domni papæ legatum secum habentes. Collecti ergo in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ ordinatim more ecclesiastico consedere, scilicet Sugerus Mimagadvurdensis, Leodulfus Treverensis, Nocherus Leodicensis, et Haimo Virdunensis. Horum medius abbas Leo resedit, vicesque domni papæ obtinuit. Contra quos etiam Gerbertus Remorum metropolitanus, qui solus ex Galliarum episcopis regibus etiam interdicentibus advenerat, pro se responsurus ex adverso resedit. Consederunt quoque diversorum locorum abbates, ac clerici nonnulli. Laici etiam Godefridus comes cum duobus filiis suis, atque Ragenerus Remensium vicedominus.

100. *Prælocutio* [687] *Haimonis Virdunensis* [687] *episcopi de causa* [687] *sinodi* [687]. — Quibus circumquaque silentibus, episcopus Virdunensis eo quod linguam Gallicam norat, causam sinodi prolaturus surrexit: « Quoniam inquiens ad aures domni papæ sæpissime perlatum est, Remorum metropolim pervasam, et præter jus et æquum proprio pastore frustratam, non semel et bis litteris suggessit, quatinus nobis in unum collectis, tantum facinus justa lance utrimque pensaremus, et sua auctoritate per nos correctum ad normam reduceremus. Sed quoniam impediente rerum diversitate id facere distulimus, nunc post tot ammonitiones domnum hunc abbatem Leonem et monachum mittere voluit, qui vices suas teneat, et rem memoratam nobis obœdientibus discuciat. Per quem etiam scriptum suæ voluntatis allegavit, ut si quid oblivio derogaret, scripto commendatum haberetur. Quod et impræsentiarum audire utile est. » Et statim protulit scriptum, atque in aures considentium recitavit, quod quia brevitati studemus, et nobis minus fuit accommodum, nostris scriptis inserere vitavimus.

101. *Oratio Gerberti* [688] *pro se in consilio* [688] *recitata.* — Post cujus recitationem, Gerbertus surrexit, atque orationem pro se scriptam in concilio mox recitavit. Satisque apud illos luculenter peroravit. Sed hanc addere hic placuit, quod plena rationibus plurimam lectori utilitatem comparat. Cujus textus hujusmodi est [689]:

102. *Exordium.* — « Semper quidem, reverentissimi patres, hanc diem præ oculis habui, spe ac voto ad eam intendi, ex quo a fratribus meis admonitus, onus hoc sacerdotii non sine periculo capitis mei subii. Tanti erat apud me pereuntis populi salus, tanti vestra auctoritas, qua me tutum fore existimabam. Recordabar præteritorum beneficiorum, dulcis atque affabilis benivolentiæ vestræ, qua sæpenumero cum multa laude prestantium usus fueram. Cum ecce subitus [690] rumor vos offensos insinuat, vitioque dare laborat, quod magna paratum virtute inter alios constabat. Horrui, fateor; et quos ante formidabam gladios, præ indignatione

VARIÆ LECTIONES.

[685] prætendebas *c.* [686] age *abscisum.* [687] tio, du, e, di *abscisa.* [688] Gerberti, io *abscisa.* [689] *folium assutum, cui oratio inscripta erat, periit; at insero eam ex codice Lugdunensi inter codd. Vossianos N.* 54. *ubi multo emendatior, quam apud Centuriatores legebatur extat.* [690] subito contrarius *ed.*

vestra posthabui. Nunc quia propitia Divinitas coram contulit, quibus salutem meam semper commisi, pauca super innocentiam meam referam, et quonam consilio urbi Remorum prælatus sim edisseram. Ego quippe post obitum divi Otthonis augusti, cum statuissem non discedere a clientela patris mei beati Adalberonis, ab eodem ignorans, ad sacerdotium prælectus sum; atque in ejus discessu ad Dominum, coram illustribus viris futurus ecclesiæ pastor designatus. Sed Simoniaca hæresis, in Petri soliditate me stantem inveniens, reppulit, Arnulfum prætulit. Cui tamen plus quam oportuerit, fidum obsequium præbui, donec eum per multos et per me apostatare palam intelligens, dato repudii libello, cum omnibus suis apostaticis dereliqui; non spe, nec pactione capessendi ejus honoris, ut nei æmuli dicunt, sed monstruosis operibus territus[691], in effigie hominis latitantis. Non inquam ideo illum dereliqui, sed ne illud propheticum incurrerem : « Impio præbes auxi- « lium, et iis qui oderunt me amicitia jungeris, et id- « circo iram quidem Domini merebaris (*II Paral.* XIX, « 2). » Deinde sanctionibus ecclesiasticis, per longa temporum spatia peractis, legeque perhemptoria consummata, cum nihil aliud restaret, nisi ut judiciaria principis potestate coherceretur, et tanquam seditiosus ac rebellis a principali cathedra removeretur, lege Africani concilii, iterum a fratribus meis et regni primatibus conventus et commonitus sum, ut excluso apostata curam discissi et dilaniati susciperem populi. Quod quidem et diu distuli, et postea non satis sponte acquievi, quoniam quæ tormentorum genera me comitarentur, omnimodis intellexi. Hæc est viarum mearum simplicitas, hæc innocentiæ puritas, et coram Domino et vobis sacerdotibus in his omnibus munda conscientia. »

105. *Particio.* — « Sed ecce, ex adverso occurrit calumpniator; vocum novitatibus, ut major fiat invidia, delectatus obloquitur : *Dominum tuum tradidisti, carceri mancipasti, sponsam ejus rapuisti, sedem pervasisti!* »

104. *Confirmatio et reprehensio alternatim digestæ.* — « Itane ego dominum, cujus numquam servus fuerim, cui etiam nullum sacramenti genus unquam prestiterim? Etsi enim ad tempus famulatus sum, fecit hoc imperium patris mei Adalberonis, qui me in Remensi ecclesia commorari præcepit, quoadusque pontificis in ea sacrati mores actusque dinoscerem. Quod dum operior, hostium præda factus sum, et quæ vestra munificentia magnorumque ducum largitas clara et præcipua contulerat, violenta prædonum manus abstulit, neque pene nudum gladiis suis ereptum doluit. Denique postquam illum apostatam dereliqui, vias et itinera ejus non observavi, nec quolibet modo ei communicavi. Quomodo ergo eum tradidi, qui, ubi tunc temporis fuerit, nescivi? Sed neque eum carceri mancipavi, qui nunc nuper sub præsentia fidelium testium seniorem meum conveni, ut propter me nec ad momentum[692] ulla detineretur custodia. Si enim auctoritas vestra pro me staret, in tantum Arnulfus vilesceret, ut mihi minimum valeret obesse. Quod si contraria mihi, quod absit, sententia vestra decerneret, quid mea interesset, utrum Arnulfus, an alius Remorum constitueretur episcopus? Jam de sponsa rapta sedeque pervasa quod dicitur, ridiculosum est. Dico enim primum, numquam illius fuisse sponsam, quam pro legitima donatione spiritualis dotis collatis ante beneficiis expoliavit, proscidit, ac dilaniavit. Necdum sacerdotali anulo insignitus erat, et jam omnia quæ denominatæ sponsæ fuisse videbantur, satellites Symonis vastaverant. Dico etiam, si concederetur quolibet modo illius sponsa fuisse, utique esse desiit, postquam eam pollutam et violatam, et, ut ita dicam, adulteratam suis predonibus prostravit. Num igitur eam, aut quam non habuit aut quam suo scelere perdidit, illius sponsam rapui? Sedem autem populorum multitudine refertam advena et peregrinus, nullis fretus opibus, pervadere qui potui? Sed forte apostolica sedes nobis opponitur, tamquam ea inconsulta summum hoc negocium discussum sit, vel ignorantia, vel contumacia. Certe nihil actum vel agendum fuit, quod apostolicæ sedi relatum non fuerit, ejusque per decem et octo menses expectata sententia. Sed dum ab hominibus consilium non capitur, ad filii Dei supereminens eloquium recurritur : « *Si oculus* inquit *tuus scandalizat te* » et reliqua[693] (*Matth.* v, 29). Et fratrem peccantem, coram testibus coramque ecclesia commonitum, et non obaudientem, decernit habendum tamquam ethnicum[694] et publicanum. Conventus ergo Arnulfus, et commonitus litteris et legatis episcoporum Galliæ, ut a cœpto furore desisteret, et, si valeret, quoquo modo se a perditionis scelere purgaret, dum monita salubria contemnit, habitus est tamquam ethnicus et publicanus. Nec tamen idcirco dijudicatus ut ethnicus, ob reverentiam sedis apostolicæ sacerdotiique sacri privilegia, sed a se ipso in se ipsum damnationis sententia prolata, hoc solum eum in omni vita sua preclare egisse dijudicatum est; quia nimirum, si eum se, ipso damnante, episcopi absolverent, pœnam sceleris ejus incurrerent. « Si, « inquit magnus Leo papa, omnes sacerdotes et mun- « dus assentiat damnandis, damnatio consentientes « involvit, non prævaricationem consensus absolvit. « Hoc enim Deus omnium indicavit, qui peccantem « mundum generali diluvio interemit. » Et papa Gelasius : « Error qui semel est cum suo auctore « damnatus, in participe quolibet pravæ communio- « nis effecto execrationem sui gestat et pœnam. » Excluso itaque illo a Remensi ecclesia, mihi reluctanti, multumque ea quæ passus sum et adhuc patior formidanti, a fratribus meis Galliarum episcopis hoc honus sacerdotii sub divini nominis ob-

VARIÆ LECTIONES.

[691] o. diaboli virtutia in *ed.* [692] ad monitum *ed.* [693] te erue eum, et projice illum abs te *ed.* [694] hetnicum *c. constanter.*

testatione impositum est. Quod si forte a sacris legibus quippiam deviatum est, non id malicia, sed temporis importavit necessitas. Alioquin tempore hostili omne jus, omneque licitum cavere, quid est aliud quam patriam perdere et necem inferre? Silent equidem leges inter arma; quibus ille feralis bestia O[695] (152) ita[696] abusus est, ut reverendissimos sacerdotes Dei, quasi vilia mancipia caperet, nec ab ipsis sacrosanctis altaribus temperaret, commeatus publicos intercluderet.

105. *Epilogus.* — « Redeo ad me, reverentissimi patres, cui specialiter ob salutem pereuntis populi totiusque rei publicæ curam mors furibunda cum omnibus suis incubuit copiis. Hinc dira egestas, horreas et apothecas armata manu sibi vindicat, illinc foris gladius et intus pavor, dies ac noctes rediderunt insomnes[697]. Sola vestra auctoritas, ut tantorum malorum levamen fieret, expectata est; quæ tantam vim habere creditur, ut non solum Remensi, sed etiam omni ecclesiæ Gallorum desolatæ, et pene ad nihilum redactæ, subsidio esse valeat; quod Divinitate propitia expectamus, et ut fiat, omnes in commune oramus. »

106. Quam perlectam, legato papæ mox legendum porrexit. Tunc episcopi omnes cum Godefrido comite qui eis intererat simul surgentes, orsumque seducti, quid agendum inde esset deliberabant. Et post paululum ipsum Gerbertum invitant. Cui cum post aliquot sermones a domno papa corpus et sanguinem Domini, ac sacerdotale officium sub præsentia legati prohibere vellent, ille mox ex canonibus et decretis confidenter astruxit, nulli hoc imponendum, nisi aut ex crimine convicto, aut post vocationem venire ad concilium vel rationem contempnenti. Huic penæ non sese esse obnoxium, cum ipse etiam prohibitus accesserit, et cum nullo adhuc crimine convictus sit. Simulque hoc ex Africano et Toletano conciliis asserebat. Sed ne domno papæ omnino reniti videretur, a missarum celebratione sese cessaturum usque in alteram[698] sinodum spopondit. Et statim his dictis sessum reversi sunt.

107. Quibus considentibus Virdunensis episcopus iterum surgens eo quod sinodi interpres habebatur, ad alios qui episcoporum consilio non interfuere, sic concionatus ait : « Quoniam inquiens hoc unde hic agitur, diffiniri nunc non potest, eo quod controversiæ pars altera deficit, placet his domnis episcopis ut vobis demonstretur, presentis rationis causam, in aliud tempus transferendam, ut ibi qui intendat, et qui refellat ante judicem consistant, ut singulorum partibus discussis, recti judicii proferatur censura. » Ab omnibus conceditur et laudatur. Destinatur ergo locus Remis apud cœnobium monachorum sancti Remigii; tempus quoque die 8 post natale sancti Johannis Baptistæ. Quibus constitutis et dictis, sinodus soluta est.

Post Historiæ finem in codice ms. notitiæ aliquot manu Richeri scriptæ leguntur, quæ pro fundamento operis exigendi habendæ esse videntur ; sunt autem hæ :

(995) Tempore statuto Silvanecti sinodus episcoporum collecta est, ubi etiam inter Gerbertum et Arnulfum præsentaliter ratio discussa est sub præsentia Leonis abbatis et monachi legati aliorumque quamplurium. Berta Odonis[699] uxor suarum rerum defensorem atque advocatum Rotbertum regem accepit. Richardus pyratarum dux apoplexia minore periit. Hilduinus quoque vinolentia.

Sinodus quinque episcoporum in monte sanctæ Mariæ habita est. [Heinricus (133) quoque dux obiit[700]]. Alia item sinodus apud Engleheim indicta est sanctæ Agathes festivitate habenda, quæ et suo tempore habita est (996, *Febr.* 5)[701].

Berta Rotberto nubere volens Gerbertum consulit, ac ab eo confutatur.

Gerbertus Romam ratiocinaturus vadit, ac ibi ratione papæ data cum nullus accusaret, alia sinodus indicitur[702].

Hugo rex papulis toto corpore confectus, in oppido Hugonis Judeis (134) extinctus est.

Rotbertus rex patri succedens, suorum consilio Bertam duxit uxorem (*Oct.* 23) ea usus ratione, quod melius sit parvum aggredi malum, ut maximum evitetur.

(997) Rotbertus rex ducta Berta uxore, in Fulconem qui Odonis adversarius fuerat fertur, et ab eo urbem Turonicam et alia quæ pervaserat vim recipit.

Rotbertus rex in Aquitania ob nepotem suum Wilelmum obsidione Hildebertum premit.

Gerbertus iterum Romam adit, ibique cum moram faceret, Arnulfus a Rotberto rege dimittitur.

Gerbertus cum Rotberti regis perfidiam dinosceret, Ottonem regem frequentat, et patefacta sui ingenii peritia, episcopatum Ravennatem ab eo accipit (998).

Gregorius papa (135) tandiu permittit Arnulfo officium sacerdotale, donec in temporibus racionabiliter aut legibus adquirat aut legibus amittat[703]

VARIÆ LECTIONES.

[695] Otto *ed.* [696] ita hoc tempore a. *ed.* [697] illinc f. g. et i. p. d. ac n. r. insomnes *desunt in c.* [698] alteram *c.* [699] O *codex.* [700] *iterum deleta.* [701] *vox obtecta.* [702] *Hucusque atramento fusco quo folia codicis* 1 — 28 *exarata sunt ; reliqua atramentum nigrum foliorum* 28-55 *præferunt.* [703] *Hic notitiarum finis. Reliqua pagina vacua remansit, excepta probatione pennæ, et hac sententia inferius Richeri manu adjecta* : Libellum quem hoc anno præstitistis. de medicina. et de speciebus metallorum. quando in armario simul fuimus. mihi transmittite.

NOTÆ.

(152) Odo, Meldensis et Trecensis comes.

(133) Heinricus Bajoar. dux a. 995, d. Aug 27 obiit.

(134) Id est a Judæis, medicis fortasse, ut de Karolo Calvo Hincmarus scribit.

(135) Obiit an. 999, die Febr. 18, et die April. 2 Gerbertus pontificatum Romanum adeptus est.

APPENDIX AD SÆCULUM X.

SÆCULI X

AUCTORES ANNI INCERTI.

GERARDUS

SANCTI MEDARDI SUESSIONENSIS DECANUS.

GERARDI PROLOGUS IN VITAM S. ROMANI EPISCOPI

AD HUGONEM ROTHOMAGENSEM EPISCOPUM.

(Apud Mabill., *Analect.* nov. edit., pag. 429.)

Gerardus, gratia Dei, venerabilis Pater cœnobitarum, domno Hugoni Rothomagensis urbis archiepiscopo, et omni collegio ibi Deo militanti, prosperum vitæ præsentis successum atque indelebilis felicitatis bravium.

Noverit benivolentiæ vestræ sagacitas de Vita sancti Romani vestri patroni, pro qua humillima memet exorastis prece, quoniam pactum quod pepigi vobiscum, nullo modo attendere quivi, ob adversitatum videlicet incommoditates, quas undique præsenti anno in nostris partibus perpessi sumus. Modo autem dirigo vobis vitam veteranam heroico carmine editam, ut omnino cunctis notum sit quod nulla inventionum vobis dirigo mendacia. Illam autem quæ historiali stylo est depicta, pro nimia vetustate penes nos retinens, hanc digestam stylo illius ad instar vobis transmitto. Ordinem quoque rei, qualiter hanc merui adipisci, vobis indicabo brevi sermone. In Braina ergo, potestatis vestræ loco, eadem Vita negligentiæ causa fuit perdita, aliique quamplurimi libri. Quidam autem clericus Suessionis civitatis ab inventore mercatam nostræ contribuit nepti obtinendam in monasterio Dei genitricis Mariæ Deo sacratæ; illaque post hæc interjecto exigui temporis articulo eamdem Vitam mihi muneris gratia impertivit, multorum annorum peractis jam curriculis. Præterea flexo cordis poplite oramus munificentiæ vestræ modestiam ut nobis vicem reimpendatis charitatis, scilicet transmittendo nobis per gerulum nostrum ex eodem patrono vestro beatissimo Romano sacrorumque pignorum munera, utpote spopondistis, ut et nos condigne celebrare queamus ejus memoriam. De cætero humili efflagito prece, quo cuncto illius loci contubernio fratrum pro me jubeatis ad Dominum fundere preces, similique modo in monasterio sancti Audoeni fieri, et in omnibus locis vestræ potestatis jubete: quoniam tanto pondere imbecillitatis premor, ut ultima semper exitus hora mihi præsens videatur adesse.

Gratia vos Domini servet sine limite quovis;
Atque suave jugum miti cervice ferentes,
Angelicas læti possitis adire cohortes.

ITEM PROLOGUS.

Sanctorum Patrum vitas, Fratres charissimi, totius anni per spatia revolutas, a nobis unius amoris devotione celebrari oportet, etc.

INCIPIT VITA.

Tempora igitur mundani regni per sæcula caducæ vitæ, etc.

ADNOTATIONES.

Gerardus iste præfuit Suessionensi sancti Medardi monasterio, ubi a sæculo nono celebris est memoria sancti Romani episcopi Rothomagensis; at quo tempore vixerit, operosum est definire. Multos quippe legimus Gerardos in catalogo abbatum ejusdem monasterii; multos item Hugones Rothomagensis Ecclesiæ archiepiscopos, sed nullus ex his Gerardis tempore convenit cum ullo Hugone. Quapropter existimo Gerardum prædictæ Vitæ scriptorem non fuisse abbatem, sed decanum ejusdem cœnobii sub abbate sæculari; et Hugonem, cui opus suum Gerardus nuncupavit, esse Hugonem eo nomine secundum, qui ex monacho Dionysiano Rothomagensem Ecclesiam rexit ab anno 942 in annos octo et viginti. Certe eo tempore castrum Braina erat in potestate Ecclesiæ Rothomagensis; et Heribertus comes agrum Suessionensem, atque etiam Brainam multis cladibus infestabat, ut postea dicam. Ergo Gerardus iste decanus successit Ingranno, qui ad episcopatum Laudunensem assumptus est anno 932, testante Frodoardo in Chronico.

Gerardus venerabilis Pater cœnob. Hugoni. Superbum videri possit, et quod Gerardus sese *Venera*

bilem Patrem vocet, et quod nomen suum Hugoni archiepiscopo anteponat. Verum familiare est illius ævi hominibus, ut sese *illustres* viros appellent : et Warinus comes in chartario Brivatensi litteris viri nobilis Hildegarii anno III Ludovici Aquitanorum regis ita subscribit : *Signum Warini gratia Dei bonæ indolis comiti, rectori* (*legendum comitis rectoris*) *ipsius ecclesiæ, qui hoc consensit.* Alia ejusdem generis exempla exstant in eodem Chartario : et in Vita sancti Bonifacii martyris, archiepiscopi Moguntini, Willibaldus se, uti et Lullum, *bonæ industriæ* virum appellat. Ad secundum quod attinet, aureis Latinorum temporibus qui epistolam alteri scribebat, nomen suum semper præponebat alteri, quantumvis esset dignitate inferior. Imo inclinante felici illo litterarum statu Ausonius Burdigalensis, cum metri necessitate Paulino scribens nomen suum postponere cogeretur, factum excusat his versibus :

Paulino Ausonius. Metrum sic suasit ut esses
Tu prior et nomen prægrederere meum.

Quanquam idem auctor Theodosio Augusto scribens nomen suum posteriori loco ponit. Sic hodie plerique factitamus : quibus etiam religio est *te tuumque* dicere, summates compellando.

Pater. Hoc nomine etiam afficiebantur decani monachorum, dicti nonnunquam *proabbates* apud Ekkehardum in Historia sancti Gallensi, illi scilicet qui abbatibus sæcularibus suberant.

(*a*) Hanc ex Martenio subjicimus. EDIT. PATROL.

Præsenti anno. Id contigisse reor anno 950 quo *homines Ragenoldi comitis quamdam munitionem Rodomensis Ecclesiæ, super fluvium Vidulam sitam, quam vocat Brainam, furtivo capiunt ingressu. Unde iratus Hugo princeps, ad regem mittit, et rex illo profectus eosdem invasores expellit,* ut scribit Frodoardus in Chronico. Isti enim aliique bellici motus, qui eo anno acciderunt, agro Suessionensi incommoda multa ascivere.

Vitam veteranam. Hanc Vitam heroicis metris conditam excidisse putas (*a*) ; illa vero quæ *historiali* seu oratorio stylo descripta est, esse videtur ea ipsa quam Nicolaus Rigaltius luce donavit, a Gerardo aliis verbis adornata.

Potestatis vestræ. Ergo hæc Vita scripta est eo tempore quo castrum Braina dominio Ecclesiæ Rothomagensis subjectum erat. Atqui sub Hugone tertio jam translatum erat ad comites Brainacenses. Ad superiorem proinde Hugonem hæc referri necesse est, cujus tempore Heribertus Viromandensis comes castrum istud Rothomagensi Ecclesiæ subtraxit, testante Frodoardo in Chronico ad annum 931 his verbis. *Interim quidam fidelium Heriberti Remensi ex urbe profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam, nomine Brainam, quod ipse Hugo ab episcopo Rothomagensi tulerat, capiunt atq e subvertunt ;* quam subversionem Gerardus hoc loco præ oculis habuisse videtur.

ADMONITIO IN SEQUENTEM S. ROMANI VITAM.

(Marten., *Thesaurus Anecd.* tom. III.)

Gerardus, Suessionensis S. Medardi monasterii post medium sæculum x decanus, in præfatione ad scriptam a se S. Romani Rothomagensis archiepiscopi vitam, quam Hugoni archiepiscopo hujus nominis secundo nuncupat, duplicis S. Romani Vitæ meminit, quarum una carmine heroico, altera historico stylo, hoc est soluta oratione, conscripta erat. Sic enim ait : *Modo dirigimus vobis Vitam veteranam heroico carmine editam, ut omnino cunctis notum sit quod nulla inventionum vobis dirigo mendacia. Illam autem quæ historiali stylo depicta est, pro nimia vetustate penes nos retinens, hanc digestam stylo illius ad instar vobis transmitto.* Et eam quidem quam præ nimia vetustate apud se Gerardus retinebat, Mabillonius ipsam esse putat quam Nicolaus Rigaltius luce donavit a Gerardo aliis verbis adornatam. Verum edita a Rigaltio Vita longe recentiorem agnoscit parentem, Fulbertum Rothomagensis Ecclesiæ archidiaconum, qui postea circa annum 1130 monasticam in celebri S. Audoeni monasterio vitam professus est. Id quod intelleximus ex ipsius prologo a Rigaltio prætermisso, quem reperimus in manuscripto codice ecclesiæ Ebroicensis, ipsius ætate exarato. Veteranam autem Vitam heroico carmine editam, quam excidisse dolebant viri eruditi, ex pervetusto codice Rothomagensis abbatiæ S. Audoeni descriptam, et sua antiquitate merito venerandam, utpote sæculo jam decimo veteranam, nec æquioribus lectoribus, uti speramus, ingratam hic exhibemus.

VITA SANCTI ROMANI

ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS.

Primi Lotharii Francorum tempore regis,
Inter magnificos proceres patresque serenos
Nobilis unus erat, vitaque decentior heros,
Divino nutu Benedictus nomine dictus,
Pro fidei meritis felici pignore dignus ;
Nam licet augusto rerum sublimis honore,
Regis sive ducum summo polleret amore,
Mente tamen prona servans pia jussa Tonantis,
Illecebras mundi sprevit male ludificantis.
Quin etiam conjux tali condigna marito
Nomine Felicitas satagebat vivere Christo.
His erat affectus miseris effundere census,
Quatenus æternum caperent post funera regnum.
Non spem divitiis apponere mox perituris,
Sed quia nullus erat fructus sibi posteritatis,
Poscebant ambo munus summæ Deitatis.
Votis instantes respexit ab æthere Christus,
Et sibi devotis dedit exoptabile pignus.

Namque senatori sopito tempore leni
Angelus apparens facie præfulgidus, inquit:
Pax tibi de cœlis sit, vir Benedicte fidelis,
Gaudia magna tibi spondet Regnator olympi,
Per me legatum dat munus habere beatum.
Felicitas felix puerum tibi pignus honestum,
Nomine Romanum virtutis culmine magnum,
Qui præsul populi, qui pastor fiet ovilis,
Signifer Ecclesiæ, præclara lucerna sophiæ,
Pro meritis summa Deitatis in æde columna.
Hic erit et multis æternæ forma salutis,
Ac commissarum doctor solers animarum.
His ita prolatis, se reddidit angelus astris.
Excitus somno quæ viderat inclytus heros
Uxori retulit: fit gaudens munere Christi.
Nec mora concepit; partus feliciter exit,
Nomine Romanum, quem protulit unda renatum;
Qui tonet æterni divino flumine Verbi;
Qui tuba cœlestis pellens incommoda pestis
Crimina permundet, rivis pietatis abundet.
Plaudit uterque parens divino munere gaudens.
Felix auspicium pueri sibi prætulit ortus,
Cui pateat dulcis tranquilla per æquora portus
Et paradisiacus per plurima semina campus;
Cui detur rutilis ardens diadema berillis
Post stadii cursum, post vitæ præpetis usum.
Nunc puerile decus reliquos ac præsulis actus
Percurrat calamus divino flamine tactus.
Exterius vernans sed et intus pusio talis
Nobilium primo nutritur in æde parentum,
Ut Jacob simplex efflorens indole morum.
Traditur hinc scholis, sapientibus ac pædagogis,
Ut tripertitæ caperet documenta sophiæ.
Spiritus hunc sanctus ditavit munere tali,
Ut per magna brevi saperet mysteria Christi
Quæ rudis ac veteris concludit pagina legis.
Inde palatinam de more vocatur ad aulam;
Vestiturque toga magis ardens cælibe vita
Intra castra Dei devotus miles haberi.
Mirantur valde primates totius aulæ
Ingenium, mores, sensum labiique nitorem
Per quæ majorem regis percepit amorem.
Interea præsul migravit Rothomagensis,
Et grex pastoris viduatus morte remansit.
Unde sibi quærens qui tanto præsit ovili,
Qui reget Ecclesiam digne, velut assecla Christi,
Audit Romanum fama vulgante beatum,
Præ cunctis sanctum, summis virtutibus auctum,
Optat et exposcit tanto pastore levari,
Hoc rectore regi, tali gemma decorari.
Rex ubi Francorum persensit amabile votum,
Totius occiduæ gentis procerumque suorum
Consilio favit. Quod plebs expostulat audit
Erga magnificum summi rectoris amicum.
Ergo renitentem quamvis pondusque paventem,
Electum Domini Romanum destinat urbi.
O Christi pietas, qui rerum tractat habenas,
Ordinat et servat quæ condidit atque gubernat!
Namque viro Domini, jam portas ingredienti,

A Ut Salvatori dudum Solymam venienti,
Obvia processit pia plebs cum laudibus omnis.
Utque magis stupeas, Domino præconia reddas,
Qui vix effari poterant, divinitus acti
Voce simul clara pueri modulantur, Hosanna,
Qui benedicte venis clamantes nomine Christi.
Dulce canunt carmen, quod par cantaverat agmen,
Cum tibi nata Sion humilis rex atque modestus
Non Pharaonis equis graditur, nec curribus altis,
Sed veniens asino, cui servit cœlicus ordo,
Cum pecus exiguum, petulans, ignobile brutum,
Quo spirat mundus gestaret nobile pondus.
Hæc regem pacis decuit processio talis,
Ut sibi cum palmis, non cum crudelibus armis
Plebs exiret ovans, flores ramalia portans,
B Quæ vitæ sertum signant regale tropæum,
Quo moriens mortem victor pessum dedit hostem.
Sic insons vita Romanus ab indole prima.
Cœlitus eligitur, divina laude potitur,
Quem Deus assumens tanquam sub tegmine lumen,
Cogit ad exemplum cunctis lucere per eum [*i. e.* ævum]
Ardeat ut vera Christi fulgore lucerna;
Nec consummetur, defectum vel patiatur,
Irradietque domum non exstinguenda per eum.
Ergo Dei servo sicut sacer expetit ordo
Invito quamvis datur infula pontificalis;
Digne sacratur, pastoris sede locatur.
Tripudiant omnes præsertim Rothomagenses,
Grex ovium Christi plaudit sub præsule tali,
Qui Domino cœli se tota mente subegit.
C Terrea contemnens, nil præter commoda quærens:
Cætera distribuens, sibi frugi, largus egenis;
Hostis avaritiæ, quæ pessima regnat ubique,
Quæ gravat hunc mundum cœlos ne possit adire.
Non exstinguibilis rogus ardens, tristis herinis,
Omnibus hoc vitium vibrat lethale venenum:
Prælatos stimulat, subjectos denique pulsat;
Ecclesiam vastat, populares undique mactat:
Immutat mores, indignis præstat honores:
Nobilis et clarus subito vocitatur avarus,
Vertigo pridem, quem fecerat una Quiritem,
Sed furiosorum non vis pepulit dominorum,
Subjectus vitiis, vinclis oppressus iniquis,
Et quamvis subito sit judex tristis agaso,
Sit pollens rebus, tamen exit crimine servus.
D Humanas leges regina pecunia tractat,
Et quod lugendum gravius multumque dolendum,
Ipsa potestates corrumpens spirituales,
Crebro sacricolis infert discrimina mortis.
Præcipue multos, quos dicunt simonianos,
Invadit penitus flammante cupidinis æstu.
Ordinat hos nummus, non vitæ nobilis actus;
Servat ovile lupus, captat divina malignus,
Dæmonis ex nido quem protulit atra cupido,
Evolat, alta petit. Facit hoc absentia Petri.
Nam credo rueret, si Cephas proximus esset.
Contra Romanus subit arcem pontificatus,
Quem pia plebs omnis decreta tenens pietatis,
Jejunans, vigilans, votis enixius instans

Cœlitus obtinuit, sicut prædixerat olim,
Ejus mellifluum præconans angelus ortum.
Historiam cujus satyra repetamus omissa.
Ne quod amor scribit livori deputet hostis,
Cum sit peccatum non fraudes hypocritarum
Pro dono linguæ saltem mucrone ferire,
Et nimium fœdam Cayphæ reprobare cathedram.
Taliter electum divinitus atque sacratum
Pontificem sanctum, digno cultu venerandum,
Rothomagi cives adeunt consulta petentes,
Suppliciterque rogant, sua sic discrimina narrant :
Sancte Pater, nobis instat sævissimus hostis,
Plurima damna ferens, penes urbis mœnia degens.
Est ibi nam castrum, murali robore firmum,
In quo fœdarum domus atra latet meretricum,
Fornicibus variis cæcis obstrusa latebris.
Illic obsceni rivales seu parasiti,
Vel quos impuri juvat ingluvies Epicuri.
Sorde lupanari semper sitiunt maculari.
In medio castri patet arca more theatri,
Quo fanum Veneris titulus spurcæ mulieris
Falso frequentatur, scorti species veneratur.
Subter hians antrum penitus tendens in abyssum,
Faucibus angustum tanquam Stygiale profundum
Non valet attingi, nullo visu penetrari :
Claustra vel hos aditus potuit perfringere nullus;
Tanta malignorum vis est ibi dæmoniorum.
Altera, Sancte, tuis par est irruptio mortis.
Nam Sequanæ vastum patimur discrimen aquarum,
Dum contra morem metam superando priorem
Alveus exundat, late confinia vastat,
Ædes subvertit, parvos et ad ubera perdit,
Exitium multis infert et damna salutis.
Inde dolor, planctus, mœror non cessat amarus,
Casibus in tantis quos impetus ingerit amnis,
Talibus ærumnis affligimur atque periclis.
De cœlo nobis nisi stillet fons pietatis,
Quæ relevet miseros urbem lutulenda libido
Ad similes Sodomæ pœnas trahet usque Gomorrhæ.
Sed tua, Sancte, manus, solidat quæ debilis artus.
Monstra cruenta fugat, diva virtute coruscat,
Expuat hanc labem, Babylonis subruat arcem.
Talibus auditis, Romanus præsul herilis,
Exorat Christum, totius egentis asylum,
Parcat ut afflictis veluti quondam Ninivitis;
Avertat et mortem, bonitatis conterat hostem.
Ergo dux fidei mores ad loca perniciei.
Et contra fortes proprias ad bella cohortes,
Psalmicines ex more greges, reliquosque fideles,
Cum crucibus sacris, cum pignoribus pretiosis.
Sic castrum subiens, divinaque spicula figens,
Fanum destruxit, labyrinthi claustra revulsit,
Idola contrivit, funesta sacella removit,
Spurcitiisque locum purgavit dæmoniorum.
Territus exsanguis vis illico perdidit anguis
Ad Christi labarum quo deposuit dominatum.
Ut quondam Josue Jericho bellator in urbe
Officiis laudum magno clangore tubarum
Mœnia subvertit, munumina quæque subegit :

A Sic Israelis noster dux ille fidelis,
Cinctus utrisque choris divina laude canoris,
Delubra fudit humi, quibus exitium fuit humi.
Inde potens meritis antistes flumen adivit,
Stipatus nitidis reliqua cum plebe ministris,
Armatusque fide calcantis in æquore Petri :
Per nomen Triadis, per virtutem Trinitatis,
Perque crucis signum, quod submovet omne nocivum,
Imperat ut staret, nec ad ulteriora mearet,
Quem tenuit primum repetens ab origine cursum.
Paret huic fidei natura fluens elementi,
Atque sinum repetit, nec ripas fluminis exit.
Hoc siquidem facto renitet sanctissimus archos,
Non impar Josue, cujus memoravimus ante,
B Qui Domino cœli devotus mente fideli
Debellans hostem jussit subsistere solem,
Donec inexhaustis acies consumeret armis.
Par virtus radiat quamvis distent elementa.
Nam si jussisset ratio vel causa fuisset,
Sicut et unda fluens, sol ipse per ardua currens
Redderet obsequium, nec abesset præclue signum.
Urbs ita salvatur, tantisque malis spoliatur,
Fertilis et pleno ridet sibi copia cornu,
Mors fugit, hostis abest, aqua stat, devotio gaudet;
Præsul in Ecclesia plaudit præconia digna.
Christus adoratur, quo vis inimica fugatur,
Virgo laudatur per quam Cytheræa crematur,
Prostibuli cœnum decus hoc abolevit amœnum.
C O felix nimium meruit quæ gignere Christum,
Munda ferens mundum, sed mundificata per ipsum;
Virga gerens florem, capiens sed flore virorem!
Virgo mater ave, tanta redolens pietate,
Quanta laude micas, et sanctis altior exstas,
Inclyta præ cunctis carnali stemmate functis,
Per te gaudentem pia protege cœlitus urbem.
Ne judex feriat, gladium suspende minantis.
Ne damnet miseros, iram compesce Tonantis.
Prima Deo præsens mediatrix esto tuorum,
Spem veniæ referens, ne labe ruant vitiorum.
Stella maris, portus, pigmentis consitus hortis,
Fluctibus e mundi trahe nos ad littora pacis.
His ita digestis, ad cætera progrediamur
Ejus ut in sancto laudare Deum mereamur
D Ut vir apostolicus, cœlestis regis amicus,
Reddidit immunem paganis ritibus urbem,
Fecit et incolumem cives sperare salutem,
Inde movens gressus, it per loca pontificatus,
Plebibus æterni dispergens semina verbi.
Proponit cunctis simul et pigmenta salutis,
De spe cœlesti, nec non absinthia legis
Sontibus æternæ minitantis amara gehennæ.
Doctus et ingenio pallentes radere mores,
Ut rationis erat, baculum clavamque ferebat,
Hunc civibus præbens, hac in prædonibus utens.
Ergo festinans diœcesis et abdita lustrans,
Repperit erroris monimenta nefanda prioris,
Et cariosorum quædam simulacra deorum,
Quæ Jovis incesti, vel Apollinis, atque Dianæ,

Vulgus adhuc stolidum vano censebat honore,
Orgia rite colens, et vota nefaria solvens.
Tunc sacer infremuit, lucos et delubra fregit.
Idola combussit, priscæ vestigia fraudis
Funditus abjecit, fudit, contrivit, abegit,
Sordibus abrasis, Christi nova templa locavit,
In quibus ante locis erat ara superstitionis.
Prædicat esse Deum sincera mente colendum
Omnia qui fecit, non quæ manus idola finxit.
Qui nos formavit, non quod faber effigiavit,
Marmore, vel gypso, cupro radiante, vel auro.
Disserit agresti populo mysteria Christi,
Qualiter Omnipotens divino numine pollens,
Compatiens servis licet ad sua jura protervis,
Quos tenuit torquens ferus hostis, acerbus et hor-
[rens,
Venerit in mundum tenebris et morte profundum;
Et sine labe caro factus de Virginis alvo.
Pertulerit mortem patiens, ut vinceret hostem,
Fregerit infernum, faciens penetrabile cœlum,
Terrigenis cunctis si servent dogmata lucis,
Atque fidem teneant, nec ad idola colla reflectant,
Hæc et plura docens, et quæque salubria promens,
Abstulit errorem, deitatis et auxit honorem.
Interea doctor præclarus et archipolites,
Moribus ut sanctis decus ornet pontificale,
Ad ritus Aaron typico cultu decoratur,
Offerat ut digne summo libamina Patri.
Namque virum poderis contexit linea vestis,
Assidue proprii moderantem corporis artus.
Sub Sarai virga ne forte superbiat Agar.
Hanc bene, castigat dure, premit atque fatigat,
Esurie frangit, multis sudoribus angit,
Ut cognoscat heram, timeat lasciva severam,
Pareat instanti, collum subigat dominanti.
Qua virtute bona pollens in agone corona
Tripudiat victor, mœret per tartara lictor,
Et jacet enervis quæ non valet esse rebellis,
Pectoris e solido penitus depulsa libido.
Hinc rationali decoratur judiciali,
Pontificis sacro vittis in pectore nexo,
Quo bissenorum sunt scripta vocabula patrum.
Mentis splendorem decus hoc notat atque pudorem.
Quo Domino cœli studio conjuncta fideli,
Huc sibi præsentem retractat cuncta videntem,
Illius ad vultum qui nil dimittit inultum,
Continet omnimodis ratione volumina cordis,
Castigans trutina, si quid subrepserit infra.
Sedulo sanctorum rimatur facta priorum,
Ad specimen quorum pulchra nitet indole morum,
Israel ut quondam flevit Babylonis ad undam,
Nempe Sion memorans, quam sit jucunda recordans
Optima gemmarum rivos ducit lacrymarum :
Ad bona cœlorum fingens acies oculorum,
Noctes atque dies hos pectoris elicit imbres.
Sæpe Redemptoris meminit multique doloris,
Quod gemit et plorat, sitit, esurit atque laborat.
Pro servis Dominus patiens indigna benignus,
Traditur, arctatur, colaphos subit, exalapatur,

A Perpetiens lethum, prælibat fel et acetum,
Morti vita datur, qua mors devicta fugatur.
Hæc in mente gerens, istis cruciatibus hærens,
Fit sibi jucundum cordis lacerare profundum.
Proferat ut fluctus oculis, suspiria, luctus;
Abluit his mundis maculam de gressibus undis,
Pulcher adhuc habitus tegit hunc, humeralis amictus
Prætendens specie reverendi præsulis actus.
Cuditur hic aurum, sit mens ut pontificalis
In cunctis sapiens, sit consilio specialis,
Cauta, pudica, gravis, solers, moderata, suavis,
Ut sit revera Domini symmista sacerdos,
Sæpius interno perstringens lumine cœlos,
Sit lux, eximiæ thesaurus et arca sophiæ,
Qua rudis ac veteris tractet mysteria legis.
B Purpura regalis tanti decus auget honoris,
Obtinet a Christo, quoniam diadema decoris,
Cui sceptrum baculus, rector vigilans animarum
Quas trahit ad regnum, satrapas spolians tenebrarum.
Libertas fidei datur his a præsule Christi,
Atque jugum Satanæ tactu putrescit olivi.
Hinc notat aerii hyacinthina forma coloris,
Suspirans Christum quo præsul dirigit arcum,
Quo fugit mentem cœlestia prorsus aventem :
Quo pia vota precum libamina sacra diatim
Pontifici defert, qui solus crimina delet.
Addit bis tinctum super his lex pristina coccum,
Qui plane gemini pignus designat amoris,
Bis qui rite datus sit alumnis Spiritus almus.
Sed pius in terris, ut sit dilectio fratris
C Casta, serena, decens, divino nectare fervens,
Consolans miseros, visens in carcere tentos,
Compatiens ægris, tribuens solamen egenis.
Inde docendo fidem de cœlo mittitur idem,
Diligat ut summum pia mens super omnia Patrem
Quo seraphim more flagrans deitatis amore,
Ut sitiens cervus fontem vehementer anhelus
Concupit, exoptat, desiderat, ardet et orat.
Ut mulier lymphas, fidei quæ reperit undam,
A se projecta vitiorum sponte lagena,
Ornatus summa byssus nitet inde retorta,
Pontificis mentem designans labe carentem;
Quam decorans ambit toga candida virginitatis
Ut lux solaris cum mane refunditur arvis,
Aurea regalis virtus micat integritatis,
D Ut rosa flagrescens, ut thus et aroma liquescens
Pullulat et redolet, fecundo germine pollet,
Factus nostra caro Deus exit Virginis alvo,
Ut placeat nobis hæc dictatura pudoris,
Qua quis vestitur, decus imperiale meretur,
Colla terens hostis, captat diadema decoris.
Lamina fronte micat lapidum fulgore corusca,
Pileus et nitidos stringit de more capillos.
Nam pia mens, animæ summa quæ præminet arce.
Constans et stabilis, non fluxa, vagans, et inanis,
Virtutum gemmis ut opus resplenduit auri.
Iiis vestimentis typica ratione politis
Ornatus sacram stabat Romanus ad aram
Sacrificans Agnum qui mundi crimina tollit.

Ante diem sacrum quo plebs nova Christicolarum
Dulce colit Pascha, quo gaudens transit ad astra :
Hic athleta Dei, quamvis sibi sedulo parcus,
Tunc magis urgebat confecti corporis artus,
Excubiis instans, precibus, rivis lacrymarum,
Hostis et insidiis curas adhibens animarum.
Jamque dies pacis populique reconciliandi
Venerat, et sacram turbis impleverat aulam,
Tunc pius antistes fletus dabat uberiores,
Inter lugentes, inter sua crimina flentes,
Atque piis precibus veniam poscendo reatus,
Plebes absolvit, oleum chrismate sacravit.
Clerus at incaute minus illud providus omne
Dividit ecclesiis, vix una superfuit illis
Ad lavacri morem retinens ampulla liquorem.
Tertia cumque dies venerabilis emicuisset,
Gaudia magna ferens, imis cœlestia jungens
Phœbus et accelerans jam, (1) nonam clauderet ho-
[ram,
Præsul ad officium sanctus processit agendum
Hinc inter sacræ dum per solemnia missæ
Fontibus astaret lavacrum quo sanctificaret,
Vas jubet afferri sacrum chrismale ferentis.
Forte sed impræceps turba stipante minister,
Dum pede festinat, ne pontifici mora fiat,
Labitur e manibus, fractum vas evacuatur,
Pene vorax omnem quin hausit arena liquorem.
Fontibus astanti res est ut cognita patri,
Nil ex hoc trepidus, fidei sed robore firmus,
Fragmina parva legens, ad Christum brachia ten-
[dens,
Membra solo sternit, devota precamina fundit;
Exorans illum qui fractum cardine mundum
Mirifice reparat, proprium fundendo cruorem,
Ut reddat mœstis quod diruit æmula pestis.
Quid morer in verbis? ad nutum Cunctipotentis
Ecce reformatur, resolutum consolidatur
Vas illud vitreum velut ante liquore refertum.
Sancte Pater, famulos peccati labe solutos
Consolida, repara, subeant ut fortiter astra.
Qui te pontificem magnum statuens et herilem
Cœlitus ornavit virtutibus et solidavit,
Dirigat hanc trepidam quæ nunc tenet alta carinam,
Ut bene curramus, nec in his scopulos subeamus.
Hic pater apprime Christi succensus amore,
Sæpe theoricam cuperet cum ducere vitam,
Ut grave sensit onus, curas et pondera rerum,
Ad requiem pacis properans in fine dierum,
Nempe Sion recolens, Solymæ speciosa revolvens,
Exsilium flebat, patriæ jucunda petebat.
Quadam namque die præsul sanctissimus iste,
Annua dum sacræ celebrat solemnia missæ,
Hostia viva Dei, templum venerabile pacis;
Dumque polis inhiat veluti suspensus ad alta,
Ima supergreditur, seraphin ardore crematur.
His intendenti, libamina sacra ferenti
Apparet Domini super aram dextera Christi,

A Dextera virtutis, pacis veræque salutis
Ad speciem solis resplendens luce decoris,
Quæ paradisiacam vocat hunc clementer ad aulam.
Dextera namque piam signat super æthera vitam,
Pacificam, pulchram, nitido fulgore coruscam.
Hanc amplexantur qui læva non spatiantur,
Qui subigunt istam fragilem simul ac fugitivam.
Postquam vir Domini mysteria sacra peregit,
Agmen justorum jubet accersire virorum,
Cœlica visa refert, ac leniter inde subinfert.
Discite, filioli, patris ultima; jamque valete,
Excessumque meum prece sacra protegitote;
Quem jam cœlestis vocat ad se gratia regis,
Ut tandem proprii ditet mercede laboris.
Vos tamen admoneo nunc, fratres, ista silete,
B Hujus et oromatis, quæso, secreta tenete;
Donec vas luteum, seu corporis hoc tegumentum
Matrici terræ cogat natura referre,
Extemplo gelidus totos pavor occupat artus,
Auribus ut sonuit tanti sors extima patris,
Quorum mœrorem compescuit atque dolorem;
Sal, favus, eloquiis prudens, et ad omnia mitis.
Ad patriam sanctus Domino miserante vocatus,
Instanter vigilat, corpus sudore fatigat,
Præstolatur herum velut a thalamis rediturum,
Ut cito pulsanti reseret sua limina patri,
A mundi strepitu semotior atque tumultu,
Arctius in cella ditatur cœlibe vita.
Lividus hæc hostis cernens dolet omnibus horis.
Calcibus attritus reverendis hic basiliscus
C Ingemit iratus, furiisque novis stomachatus,
Sibilat exsanguis, fano spoliatus et aris,
Insidias, fraudes alias molitur, et artes,
Exerit ingenium, tenditque libidinis arcum,
Quo jam Samsonem, quo perculerat Salomonem,
Pectora debilitans, mulieris amore sagittans.
Ergo dolore fremens cujus sacer obruit arcem
In Veneris specie vafra se colligit arte,
Mendicam simulans, et præsulis atria lustrans,
Errando clausæ sero petit abdita cellæ,
Limine stat plorans, sic illum flebilis orans :
O pater, o pater, o sanctæ pietatis amator,
Urbis præsidium, totius egentis asylum,
Hospitium miseræ præstans, inopi miserere.
D Pande fores tecti, vicinam subripe morti,
Quæ vaga, quæ nuda, quæ languida sum peritura.
Huc agor infelix immani frigore, nimbis,
Bruma terit membra, glacies secat aspera plantas
Vis angit Boreæ, tetra premor anxia nocte.
Si saltem trita, si cum perone lacerna
Texeris hanc nudam, gelido jam rore solutam
Igne parum foveas, intra tua limina pascas.
Quæ dabitur justis, tu non mercede carebis.
At pater hæc surda capit aure susurria multa,
Et contectalis refugit consortia talis.
Pestis ad hæc dirum rumpens a pectore luctum
Altius ingemuit; planctus, ululamina fudit.

(1) Sabbato sancto ante horam nonam, quæ nostræ tertiæ pomeridianæ respondebat, ad officium non conveniebant, nec antequam stella appareret in cœlo, missam incipiebant.

O pater, o custos, ubi nunc tua sollicitudo,
Quam debes ovibus quas commisit tibi Christus?
De grege quem servas perit ecce doloribus una,
Ni modo subvenias, morior tua, pastor, ovilla.
Si morior, qualem pro me reddes rationem
Ante Dei vultum cum nil laxabit inultum?
Hos pater ad fletus pietatis viscere motus,
Excepit tandem truculentum nescius hostem.
Pestis ut intravit prunis calefacta resedit,
Dilatans crimen flavum mentita colorem,
Denudat pectus, si possit flectere sensus.
Candidior renitet, gestus et ludicra miscet,
Tela sacerdoti verbis jacit illecebrosis.
Omnia molitur, nec cor regale feritur;
Stat vehemens adamas nulla penetrabilis arte,
Nec petra mollescit quæ Christo prorsus adhæsit.
Angelicis armis siquidem munitus ab astris,
Signa crucis vibrat, quo pilo fortiter acta
Diffugiendo vagas evanuit umbra per auras;
Fetida per totam linquens vestigia cellam.
Ille Dei natus, quem Virginis edidit alvus,
Semper Romanum tanta fecit indole clarum.
Ut nequeat labi nulloque modo violari.
Cursus horarum Phœbo peragente suarum
Venerat ad metas jam sancti præsulis ætas,
Christi splendifera quas noverat indice dextra,
Ut mercede bona gauderet vesperis hora,
Mystica cultorem habuit quem vinea fortem,
Non torpore pigrum, nec ab æstu desidiosum,
Quem pudor angelicus decor extulit integritatis
Ut vas munditiæ templum fieret deitatis.
Hac etenim virtute refulsit ab indole prima
Qua domuit carnem quæ luxu vergit ad ima,
Ut manibus puris et mundo corde beatum
Semper adorandum libaret dulciter Agnum.
Unde polo gaudens, et tali cyclade plaudens,
Cantat dulcisonus pro virginitate melodus.
Peste philargyriæ caruit rivus pietatis,
Gressus debilium, manus aurea, cultor egentum,
Quidquid erat census inopum dispersit ad usus,
Liber ut exiret sine labe beatus obiret.
Cumque suprema dies sibi jam vicinior esset,
Et fragiles artus febris diuturna teneret,
Plebibus accitis, et in unum rite coactis,
Ecclesiæ famulis profert monitoria pacis:
En, ait, a Christo, cui supplex corde benigno
Hactenus obsequium, pro posse dedi famulatum,
Invitatus eo, communi sorte resolvor.
Quocirca moneo quos nunc ex parte relinquo.
Ut maneat vobis pax et concordia morum,
Quæ fidei signum, fons est et origo bonorum.
Juncta sibi teneat dilectio corda dualis,
Qua veluti geminis ad cœlum tenditur alis.
His paribus lignis contexitur aurea vestis,
Integra quæ durat nulla resolubilis arte.

A E regione sudes dextra lævaque locantur.
Ut tibi quod fieri cupias, quod jure rependi,
Hoc aliis facias: quod nolis quodque recusas,
Nec facias alii. Sic mentes gratia jungit,
Sic Domini sacram digne venietis ad aram,
Dulcis et angelicæ sumentes fercula vitæ.
Hæc et plura monens, verborum nectare promens,
Obsecrat, hortatur, regaliter ut gradiantur
Per fidei normam, nec ab æquo calle recedant,
Justos emeritæ qui ducat ad atria vitæ.
His prælibatis, cunctis dans oscula pacis,
Summo pastori commisit ovile regendum,
A se collectum, proprioque cruore redemptum,
Ut sibi conservet quos condidit, atque gubernet,
Hostis ab insidiis præmuniat atque sagittis
B Hinc ubi vivificum corpus sanctumque cruorem
Digne percepit, qualem de fonte recepit,
Inter vota precum, suspiria longa clientum
Reddidit æthereis animam cum pace catervis,
Quam speciosa phalanx assumens cœlicolarum
Detulit ad cœlos cum laudibus harmoniarum.
Aurea Jerusalem valvas sibi pandit et arcem,
Qui penitus sprevit Babylonis ab indole fascem.
Intrat apostolicum felix collega senatum
Cum quo judicii scandit sedile beatum,
Fortis in adversis cum cœtu martyriali
Jure coronari palma meruit decorari.
Emicat in castris ut phœbus virginitatis,
Centuplicem fructum quia protulit integritatis.
Excessu patris simul omnes mœstificati,
C Exsequias solvunt, tumulo pia membra recondunt.
Præsulis ob meritum Rothomagus gaudet in ævum
Assidue cujus pretiosos excolit artus.
Huic Audoenus successit pontificatus.
Non minus insignis, sol ardens, fulgur, et iris,
Thus redolens, cedrus, nux, myrtus, oliva, cypressus,
Pacis consilium, patriæ totius asylum;
Francia quo viguit, quo tota Neustria fulsit,
Sanctorum castris tanquam fulgentibus astris.
Hujus et extremos perlustrat fama Britannos;
Hoc Græcus resonat, promulgat et aurea Roma,
In qua dux fidei dum totus in ardua cœli
Psalleret intentus decachordo carmina plectro,
Angelicæ vocis responsum cœlitus hausit.
Sed quia magnifici patet hujus vita patroni
D Alterius studio prosa metroque polito,
Hic breviter tectum concludam fine libellum.
Non tamen hoc sancto carmen sine fenore scribo,
Sed precor, imploro, totis et nisibus oro
Ut mihi Romanus sit ductor ad æthera sanctus.
Lintre licet parva sulcantes æquora magna
Remigio sancti, non ulla pericula passi,
Scillæosque canes illæsi prætereuntes,
Venimus ad portum. Sit laus Domino dominorum,
Sit sine fine decus, qui regnat trinus et unus.

ALBUINUS EREMITA.

Apud Sanderum (*Biblioth. mss.*, part 1, p. 113) fit mentio Albuini cujusdam reclusi, qui librum Heriberto, circa annum 999 archiepiscopo Coloniensi renuntiato, inscripserat. Prodiit tantum epistola nuncupatoria operi præfixa, liber nondum vidit lucem. Exstat ms. in bibliotheca Canonicorum regularium Tongrensium.

ALBUINI EPISTOLA AD HERIBERTUM

COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Apud Marten., *Ampl. Collect.* tom. I, ex ms. codice Canonicorum regularium Tongrensium.)

Domino Heriberto Coloniensi episcopo Albuinus eremita indignus gloriam et pacem sempiternam.

Ex quo, mi Pater, misericordiæ vestræ gratiam promerui, exoro Domini nostri pietatem die noctuque ut secum vos post hanc vitam regnare sinat sine fine, et incensus divinis mandatis possitis adimplere bona quæ desideratis. Igitur quia pium studium sacras Scripturas habetis audire, sicut mihi indigno præcepistis, desideravi scribere pietati vestræ aliqua exempla quæ in libris divinis legendo hæc omnia scripta invenio. Si tamen, Deo omnipotente adjuvante, aliquid proficere posset, omnia quæ in hoc libello scripta habeo, non proprio sensu fingo, vel excogito quod dico, sed de sanctis Patribus coadunata retineo. Sine dubio qui ea fecerit videbit lumen æternum, et in tali admonitione nemo me despiciat; quia etsi indignus sum talia ministrare, vera tamen sunt quæ dico, et dum otiosus nemo stare debet, per ista de virtute in virtutem ascendit ad illum qui vivit in sæcula sæculorum. Amen. Si tamen placet, Pater sancte, et si bonum tibi videtur, sæpius fac rescribi, [ne] me pœniteat tantum laborasse, et ne me peccatorem spernatis in oratione vestra, ut vos non spernat qui cum Patre et sancto Spiritu regnat in se. Amen. Pro certo scitote omnes quod nullus libellus citius vos deducet ad cœlestes thesauros quam iste, si sæpius cum curetis recitare. Scio non multum esse beatum, qui se solummodo salvat, Domino adjuvante, sed felicior est qui desiderat alios trahere secum ad regnum cœleste. Quapropter, o homo, moneo tuam charitatem quicunque legeris hanc scripturam, ut compleas ore perfecto, et aliis bonum exemplum monstres, ut de tuo et aliorum labore merearis percipere a Deo remunerationem. Mente curiosa semper cogita, ne hæc facias, ut Creatori displiceas, quia si in bono perseveraveris, donabit tibi quod oculus non vidit, nec auris audivit, ubi multi sanctorum requiescunt.

Cum igitur de plurimis virtutibus te desiderem admonere, in primis cupio ut virtutem charitatis Cante omnia studeas habere, etc.

TERALDUS.

EPISTOLA TERALDI AD GUIDONEM.

Cur in festivitatibus SS. Pauli et Laurentii versiculi antiphonis innectantur.

(Apud Marten. *ubi supra*, ex ms. Floriacensi.)

(1) Teraldus Guidoni fratri salutem.

Quæstionem ex officio solemnitatis Pauli apostoli atque Laurentii martyris quare scilicet cum antiphonis versiculi necterentur, quam mihi a te memini ante annum propositam, jam nunc, prout auctor sensus dederit Dominus, charitati tuæ persolvens reddam. Sciendum itaque quod omnes sancti qui omnipotenti Deo devoti exstiterunt, aut cum sola fide,

(1) Quis sit Teraldus qui epistolam sequentem scripsit, quis præterea Guido cui inscripta est, incertum. Ambo forte monachi monasterii Floriacensis, ex cujus bibliotheca curis D. Martenii prodiit epistola seu opusculum sequens.

aut certe fide simul et operibus coluerunt. Verum plures fide tantummodo, non habentes locum vel tempus operandi, ei placuerunt, ac professionem nominis ejus passi sunt. Ex operibus autem absque fide nemo ei unquam aut placere potuit aut poterit, et ut aptius enuntiem quod dico, hæc est illa geminæ conversationis discretio, quam contemplativam et activam nuncupant vitam. Ad hanc quoque distinctionem pertinent duo quæ in Psalterio crebro commemorantur, canticum videlicet et psalmus. Nam canticum, quod ex intelligentia sola vocis humanæ profertur emissione, ad interioris hominis scientiam et fidei pertinet veritatem; psalmus vero, qui adhibito materiali organo consonanter peragitur, ad exteriora et corporalia refertur opera: in quibus nimirum justitiæ operibus, maximæ justitiæ opus, quod Græco vocabulo *eleemosynam* appellant, eminet: et vas electionis Paulus apostolus et magister gentium cum fide esset firmissimus, doctrinaque perfusus, atque divino amore toto flagraret animo, quod omnibus commune est sanctis; et jam misericordiæ operibus incomparabiliter sedulus insudabat; quod textus Epistolarum edocet, ubi discipulos sive auditores suos sæpius ad eleemosynam exhortatur, collectamque pecuniarum quam Jerosolymam deferat, jubet facere, asserens se pauperibus et egenis ibidem consistentibus ministrandi officium suscepisse. Nec non et Laurentius Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, cum ob ipse esset fide stabilis, scientia providus, eleemosynarum largitati hilariter instans, thesauros ejusdem Ecclesiæ sibi commissos, ut gesta passionis ejus loquuntur, fiducialiter erogavit pauperibus: unde et solemnitate ipsius lectio legitur apostolica quæ tota in exhortatione sive laude eleemosynæ facientis conscripta est, atque ad eamdem pertinentia causam alia nonnulla huic officio inseruntur. Hæc igitur duo quæ dixi, canticum videlicet ac psalmus, pariterque figuras eorum quas præfati sumus, sancti Patres divinorum officiorum ordinatores significare volentes, in hujus utriusque sancti festivitate cum antiphonis decantandis statuerunt versiculo recitanda: quatenus per hæc et sinceritas fidei eorum in Deo et misericordiæ opera in proximis monstrarentur, ut antiphona loco cantici, per quod, ut dictum est, devotio mentis exprimitur, resonaret; versiculi vero tanquam psalmi recitarentur, quo æque exterior actio, ac misericordiæ opera, quæ studiosissime hi duo sancti præ cæteris exercuerant, insinuarentur. Vale in Domino, charissime.

AMBLARDUS

ABBAS SOLLEMNIACENSIS.

AMBLARDI EPISTOLA AD HERVEUM

Canonicum Turonensem.

Mittit ad eum librum de Vita sancti Eligii episcopi.

(Apud *Mabill.*, *Annal. Bened.* tom. IV, pag. 155.)

Præcellentissimo, Deoque amabili, ac bonorum operum insigniter adornato domino meo Arveo, humillimus omnium Amblardus abbas cunctaque congregatio mihi subjecta Sollemniacensis monasterii, perpetuam in Christo salutem.

Mentio sacra vestri sic nostro semper adhæret pectori, ut nulla perturbatione sæculi nequaquam possit elabi. Quamvis enim inter turbines sæculi simus positi, tamen in orationibus nostris, Deo largiente, in quantum possumus, memores sumus vestri. Novimus enim, ab ipsis pene cunabulis vos nihil aliud amasse, præter Deo vivere. Vestri autem sub ditionem positus agnovi, diligentius vos quotidie miris augeri virtutibus; pro quo petimus ut memores nostri in orationibus vestris. Vitam beatissimi Eligii confessoris atque episcopi, quam dudum a nobis poposcistis, expressimus ut potuimus, ac, Deo volente, vestræ præsentiæ destinavimus. Precamur itaque vos, reverentissime Pater, ut cum avide eam sumpseritis, ac bene eam memoria commendatam habueritis, etiam Rotberto regi ostendatis, ut ex ea cognoscat quanta familiaritate ac benignitate Deirca locum nostrum sollicitudinem habere debeat. Cum enim ego apud vos habitarem, ac cum illo frequenter locutus fuissem, ipse mihi rogavit ut ego ei eam habere facerem.

SÆCULI X

OPERA ΑΔΕΣΠΟΤΙΚΑ.

DE FUNDATIONE MONASTERII SANCTI ARNULPHI METENSIS.

(Apud D. Calmet, *Histoire de Lorraine*, Preuves, p. 545.)

Quoniam quidem eorum memoriam summatim attingere cupimus, quorum patrimonio ecclesia sancti Arnulphi, quæ antiquis temporibus ecclesia sanctorum apostolorum nominabatur, usque modo refloruit, congruum videtur paucis referre cujus industria sanctitatis primum hic aram posuerit. Antiquorum denique relatio sibi succedentium tradidit posteritati, quod beatus Patiens præsul Metensium quartus, beati Joannis apostoli et evangelistæ fuerit discipulus : qui beatus apostolus condiscipulis suis jam cœlo regnantibus, prolixius vitæ spatium adeptus, messi Dominicæ suorum complures alumnorum per loca direxit plurima regionum. Inter quos beato Patienti meritorum luce fulgenti, dum divina revelatione opus consimile injungitur, ille nimirum magistri diligens præsentiam, negat se hoc adimplere, nisi reliquiarum pignore corporis ejus aliquo modo potiretur. Cujus fidem devotionis beatus Joannes apostolus amplectens, Dominum hoc fieri poposcit, cujus nutu omnis natura vim propriæ legis convertit. Oratione igitur facta, evocatoque fideli discipulo, dentem sine dolore sibi detrahens ab ore : *Habeto*, inquit, *hoc tibi pignus amoris mei.* Tibi etiam auctor pietatis pariter concedit, ut dum civitati Metensi propinquus eris, cui doctor destinaris, incolarum lingua pleniter eloquaris : fertur enim lingua Græcus fuisse. Sicut et beatus Nicolaus divina revelatione ad summum sacerdotii provectus est gradum, sic iste sanctus Patiens eadem gratia per Joannem apostolum ad Metensem civitatem regendam, beato Felice episcopo Metense prædecessore suo adhuc in corpore vivente, est destinatus.

De prima consecratione ecclesiæ.

Beatus igitur Patiens, consecratione, benedictione, insignique reliquiarum munere dilecti Joannis donatus, iter aggreditur, supernaque ordinante clementia, Metensibus pastor herilis efficitur, qui animum divinæ intendens contemplationi et orationi, basilicam Deo et præceptori suo Joanni apostolo extra ejusdem muros urbis ad meridiem construxit et consecravit, ipsiusque dente, et duodecim particulis de apostolorum vestimentis, cum aliis sanctorum pignoribus, eam honestavit, et qui inibi Deo servirent instituit, cursuque laborum finito, in pace ibidem quievit, temporibus Antonii pii et Adriani imperatorum, in diebus Hygini papæ.

De tempore sancti Patientis, usque ad tempus sancti Arnulphi.

A temporibus hujus sancti, usque ad beatum Arnulphum defluxerunt quingenti anni et amplius, viginti quatuor episcopis medio tempore sibi succedentibus, licet ecclesia multis annis vacaverit, a B. Arnulpho usque ad Deodericum episcopum Metensem, qui ecclesiam beati Vincentii fundavit, trecenti anni et amplius defluxerunt, decem et septem episcopis sibi succedentibus, quorum ultimus fuit dictus Deodericus. Hic ecclesiæ prædictæ, scilicet sanctorum apostolorum et beati Arnulphi, Gorgiæque (*l'abbaye de Gorze*) et sanctæ Glodesindi, beatoque Stephano subripuit, quibus ipsam ecclesiam sancti Vincentii instauravit, et ab Gorgiæ sanctique Arnulphi cœnobiis quosdam monachos extraxit, qui inibi monasticam ducerent vitam, et jugiter divino famulatui insisterent.

(Hic legitur catalogus episcoporum Metensium, a sancto Clemente primo episcopo, ad Adalberonem qui fuit quadragesimus quintus ejusdem sedis episcopus, sub cujus regimine in ecclesiam beati Arnulfi ordo monasticus est introductus. Subjungit auctor): Usque hodie annis singulis convenientibus inibi conventualibus Ecclesiis, et canonicis, et clero et populo, palmarum a præsule sedis fit consecratio, et omnes presbyteri totius civitatis tenentur venire in eadem ecclesia ad consecrationem palmarum, antequam canonici veniant, et debent mittere palmas suas ad consecrandum.

In omnibus beatus Patiens Joanni apostolo adhæsit.

Sanctus igitur Patiens fundator ecclesiæ sanctorum apostolorum, sicut a prioribus vicaria relatione cognovimus, ex inclyta Græcorum prosapia exortus; sicut nobilitate mundana, sic et opum gloria in minoris Asiæ regione clarus effulsit. Hanc Asiæ regionem dilectus Domini evangelista Joannes in sorte prædicationis divina dispensatione suscepit, fideique jugo subjugavit. Nam dum fulgore virtutum confirmaret suorum claritatem verborum, quamplures ad vitam destinati, potentes et divites ac mediocres compuncti gratia ejus doctrinæ obediebant. Itaque inter alios insignes, et beatus Patiens obedientiæ fidei se subdidit, pompam mundi reliquit, sancto apostolo intime adhæsit. Joannes, dum suis in nuptiis Christus aquam in vinum mutasset, secutus

eum, carnale connubium reliquit; Patiens audiens ab ipso Joanne verbum Dei, abrenuntiat oblectamentis mundi. Joannes sociabiliter adhæsit Christo in resuscitatione archisynagogi filiæ in cubiculo; Patiens Joanni præsens fuit dum resuscitat filium viduæ fidelis. Joannes transfigurationi factæ in monte Christo adfuit; Patiens Joanni astabat, dum duos proceres post conversionem dimissarum pœnitentes divitiarum ab æterna damnatione per auri miram in frondibus reciprocationem reducebat. Joannes cruci astitit Christi; Patiens eidem Joanni misso in oleo ferventi. Christus morte devicta discipulis mellis favo veræ deitatis ac suæ humanitatis unionem commendavit; Joannes, Patienti cum suis condiscipulis post libertatem exsilii, inseparabilem patris ac verbi substantiam scripto elucidavit.

De Vita sancti Amalarii, et de ejus glorioso sepulcro, et de ejus miraculis sanctis.

Subnectimus etiam huic paginæ memoriam piissimi sacerdotis Amalarii Trevirensis archiepiscopi, ut dicitur, qui cancellarius dicitur exstitisse Caroli Magni, cujus monumentum in medio cryptæ monasterio subjectæ conspicitur venerabile. Ejus quidem sepultura, dum causa fundandi augustius oratorium, ossa reliquorum effractis monumentis exponerentur, divinitus minime potuit immutari. Tandem Deo favente operi perfectio imponitur; et ecce frater quidam custos ecclesiæ, Gregorius nomine, scrupulo forte tangitur, et raptis quibusdam ossiculis de ipsius sepulcro, meritum viri cognoscere aggreditur; quæ dum prunis ardentibus inferret, vidisses illas, visu mirabile, resilisse, et quasi motibus reclamasse ossa viri Dei non esse ausas attingere, quia dum advixit, in se cœlesti rore vitiorum flammam prudens exstinxit. Quo signo perterritus, sepulcro reponit ossa festinus. Insecuta igitur nocte dum quietis dono frueretur, adest vir Dei cum quodam pedum sonitu, a lævo cryptæ aditu. Illac quidam erat pernominati fratris stratus, et verberi cum tremore subjectum, increpavit acrius quod se inquietare fuerit ausus. Molestia ergo corporis monachus pervaditur, sed satisfactione digna levigatur.

Non post multum tempus domno Adalberoni episcopo Metensi loci nostri amico fideli, fuit desiderium ut in cryptâ eadem sibi collocaret mausoleum. Quod ibi fuisset adimpletum, dum præsuli vitæ finis immineret. Vir idem Dei Amalarius fratri nominato superius apparens, talia sciscitatur: Cui juxta me paratur sepultura? At ille inquit: Piæ memoriæ Adalberoni episcopo Metensi. Ad hæc vir Dei Amalarius: Publica hoc, inquit, in populo, quia divinitate propitia donec istic humo tectus ero, nullus mecum participabitur sepulcro: nam quamvis ille minus quid notificaverit, exitus tamen rei comprobavit: nam præsul adhuc vivens dum se istuc deferri jussisset, quorumdam consilio id fuit impeditum, et in basilica sancti Salvatoris ab eodem augustabiliter constructa sortitus est tumulum. Quanti vero apud Dei majestatem hic Amalarius habeatur, plurimorum liberatione febricitantium comprobatur, quod ad præsens dicere omittimus; quia si fides adsit, quotidie agitur. Item mulieres debent habere pacem cum maritis suis, cum ad ipsum veniunt deprecaturæ, et etiam homines per orationes et per missas sæpe credunt subveniri.

Quando mutatus fuit ordo, id est canonici regulares in ordinem monasticum, tunc factus est Arbertus primus abbas in ecclesia sancti Arnulphi.

Ego Arbertus monachus Gorziensis, notum vobis facio, quod Ottho divina providentia imperator, et Adelbero Metensis episcopus, expulsis canonicis regularibus, me in abbatem sancti Arnulfi constituerunt. Quapropter furoris stimulo accensi veluti de paternis redditibus pulsi, quidam eorum adierunt regem seniorem nostrum, videlicet Otthonem, vanam super hoc garrientes declamationem, quod injuste proprium abstulissem, et veluti hæreditarium locum. Cumque ut egeram præfato seniori totum indicassem, illorum floccipendens rationem, ut sapiens et justus rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantes molestarentur invidorum, tunc et ipse quod feceram confirmavit testamento regiæ auctoritatis, præcipiens ut pari consensu ad corroborationis auctoritatem identidem nostra sentiret ecclesia. Quod juxta desiderii ardorem exsequens, ut dehinc sicut statuimus maneret cum consensu ducis nostri, Othonis videlicet, totiusque ecclesiæ nostræ, hoc præceptum confirmationis scriptum manibus propriis roboravimus, et roborandum tam prædicto duci quamque coepiscopis nostris fidelibusque dedimus, in Dominum et propter Dominum, omnes successores nostros humiliter postulans, ut sicut definivimus, ut qui volunt sua quod definierunt rata habere, et consentiant nostra. Propterea ego Arbertus talem suscipio curam propter Dominum, et pro his qui me deprecati sunt scilicet curam pastoralem, quatenus mihi et monachis proficiat in æternum. Iste non tenuit nisi duobus annis ecclesiam pastoralem.

Post hunc suscepit officium domnus Ansteus.

Nec dignum est præterire silentio domnum Ansteum monachum et abbatem gloriosissimum monasterii sancti Arnulfi. Hic in habitu sæculari prædicto patri socius, et sanguinis catena conjunctus, prius relictis facultatibus, ejus etiam secutus vestigia, ex archidiacono in pauperem Christi vere commutatus est, factus monachus. Iste sapientia et eloquentia in tantum effloruit, ut ab eo, velut ab optimo rhetore continuo cum esset necesse, sermonum mella discurrerent. In architecturæ quoque peritia non modicum valuit. Hic primo in monasterio Gorzienzi decanus effectus, opere et exemplo monstravit quantum sanctitate et rerum administratione floruerit. Meritis itaque exigentibus, abbas efficitur in monasterio sancti Arnulfi, post Arbertum virum egregium, qui primus eidem loco a domino Adelberone pontifice, clericis inde submotis, regu-

lari monachorum ordini præfectus est. Ansteus iste monasterium, quod multa laborabat inopia, copiosis ampliavit facultatibus. Cuncta fratrum habitacula infra quadriennium explevit. Abbatiam operam domino Adelberone pontifice præbente, per menses quatuor, quod est mirabile dictu, nisi regni impedisset dissensio, quæ erat inter Otthonem tunc regem, post Cæsarem, et filium suum Luitulfum, et generum Conradum. Proxima tamen æstate Christo juvante opus incœptum perfecit, nec propter curas exteriores pastorali minuebatur solertia. Omnibus Dominicis et præcipuis festis, missas publice cantabat, et in unaquaque quarta feria privatim cum summa devotione, et lacrymis multis, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in humilitate, in cura infirmorum fratrum, in hospitalitate et cæteris operibus misericordiæ clarissimus exstitit. Cursum igitur consumans, in fine sanctæ perseverantiæ laboribus exactis per annos 16, pridie nativitatis Dei Genitricis, devotorum virorum frequentia, domino et venerabili Adelberone pontifice munus exsequiarum explente, ex parte Aquilonari basilicæ depositus est in tumulo, anno Domini 960.

Post abbatem Ansteum secundum, elegerunt monachi sancti Arnulfi Joannem abbatem tertium.

Post Ansteum suscepit Joannes officium pastorale sancti Arnulfi. Hujus temporibus, primi Otthonis magnifici famosissimique imperatoris genitoris secundi ejusdem nominis, qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ contra Saracenos in Apulia prælium totis sæculis memorandum commisit, erat comes palatii nomine Teubertus, opibus florens, vir in divinis atque humanis rebus strenuissimus, omnique bonitate conspicuus. Hic ex Ermentrude conjuge feminei sexus prolem susceperat; sed quia masculini deerat, creber in orationibus persistens, a Deo sibi filium dari poscebat. His intentus, accidit ut quadam die monasterium sancti Arnulfi ea de causa adiret, diuque humi stratus ante sacrosanctum altare orationem protelaret. Joannes autem abbas ejusdem loci ante valvas basilicæ stabat immotus, donec comes Palatinus exiret, qui ab ecclesia digredienti post salutationem oscula prælibans : « Lætare, inquit, virorum nobilissime, tuasque orationes a Domino exauditas cognosce. » Cumque ille rei novitate horrore perfusus venerabundus astaret, rogans unde id sciret, ille ait : « Cui mentium secreta patent revelante didici te masculinam prolem jam diu a Deo precatu quæsitam promeruisse. Namque brevi stirps virilis ex casto tibi matrimonio erit, vocabulo Benedictus, ab eo qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt per omnia benedicendus. Cave ei nomen immutes, quod qui cuncta ex nihilo creavit, dedit; natumque domino sanctoque Arnulfo nutriendum sub regulari præposito trade, cujus quandoque propagator enitescet longe lateque. » Credulus ille viri Dei affatibus, domum pro responso accepto reversus est lætus. Interea non multis elapsis diebus, mater, quem auspice Christo conceperat, prospere filium enixa est. Genitor vero clam matre sumptum puerum una cum nutrice ad monasterium superius dictum abbati Joanni differt, postulans ut ab ipso catechumenus efficiatur. Non renuit vir sanctus, quin quod comes rogarat, actu tum implevit, nomenque imposuit.

Expletis his, comes puerum pallio purpureo involutum ecclesiæ infert, atque altari superponens, domino sanctoque obtulit Arnulfo, abbate fratribusque astantibus. Sublatus inde ab abbate, nutrici ad nutriendum redditur, sicque domi refertur. Matrona denique post incommodum convalescente, ubi congruum vidit, viro suo ait : « Christi sacramentis nostram, si vestræ placet celsitudini, sobolem tempus instat ut jubeatis initiari, et ab linea proavorum titulum sumere nominis. Nuperrime hoc actum est, » comes inquit. Illa quo vel a quo sciscitante : « Apud cœnobium beati Arnulfi, inquit, a Joanne loci ipsius abbate, qui et eum Benedictum nominari jussit. » Contristata matrona : « Hoc, ait, vocabulum solis sæculo renuntiantibus monachis est congruum, a sancto Benedicto ad eos derivatum.—Hoc, inquit comes, et ipse in processu temporis erit. » Quo audito illa : « Tantam infamiam, inquit, Dominus nostro non sinat generi illatam iri, ut ex me natum puerum videam unquam professionis hujus ferentem habitum. » Quam comes blande corripiens, simulque viri Dei prophetiam denuntians, non solum ab intentione revocavit, sed etiam gratulabundam ex dono sibi a Deo concesso reddidit. Iste Joannes, qui pastor est ecclesiæ hujus sancti Arnulfi, multis fulsit miraculis. Subjectionem utique et obedientiam abbati suo, cum esset Gorziensis, sine mora obediebat. Abbas tamen subditus erat spiritualibus. Joannes abbas sancti Arnulfi cuncta exteriora provide, cum esset claustralis, procurabat consilio domini abbatis Gorziensis. Sæpe ista dicebat abbas : Manifestis operibus indicat nobis frater Joannes quantæ religionis floreat studio; priorque ejus humilitatem, jejuniorum observantiam, sapientiam, atque constantiam, ad probandam ejus patientiam diversa sibi injunxi officia, nunc ista, nunc illa : ipse nunquam contradicens, omni studio singula perficit; contumelias et opprobria plurima injuste illata a quibusdam fratribus nostris patientissime tolerat. Vere amicus Christi est, et discipulus nostri patris Benedicti... Sic abbas ejus Joannem absentem frequenter commendabat.

Beatus itaque Joannes fervens studio religionis, laternas fratrum sæpe mundabat, mira humilitas. Cum erat hebdomadarius coquinæ, ipse collo suo asportabat aquam, et infundebat caldariis, et cibum coquebat. Sæpe solus, puerulo aquam infundente, farinam trium modiorum commiscuit, fermentavit, et inde panes confecit. In cibis, vestibus, lecto, in balneis et medicinis spernendis, in cura fratrum, in studio lectionum vere sanctus comperiebatur. Imitabatur pro posse Ambrosium sanctissimum in constantia, beatum Martinum in humilitate, Joannem

Alexandrinum in eleemosynarum largitionibus, in exercenda justitia, cum pro causa monasterii ageretur, maxime strenuus. In molendinis, fluminibus, vinariis, armentis, gregibus, avibus ad usum fratrum sollicitus et optimus acquisitor. Magistris diversarum artium conductis fortissimo muro monasterium circumdedit. Officinas quæ ruinam nimia vetustate minabantur, refecit; pallia vero et cortinas albas, infulas, tabulas aureas, in singulis altaribus calices, cruces ampullas, coronas et pulpitum, ubi Evangelium legitur, et cætera aurea, et lampades diversas distinctas ordinibus, et cætera beneficia non possum verbis evincere.

Contigit autem eo in tempore quam episcopus Adelbero subtraxit beneficium solitum fratribus Gorziensibus; sed divina inspirante gratia Gorziam venit Joanne insinuante, et villam quæ quondam ad jus pertinebat monasterii, ipsis reddidit, quæ vocatur Warigis villa (*Varengeville*). Joannes autem ivit ad tyrannum Bosonem, filium Richardi principis Burgundionum, ut restitueret fratribus Gorziensibus prædia quæ injuste eis abstulerat; qui sibi primitus satis superbe respondit, et minas necis sibi imposuit: at ipse Joannes non pertimescens, sed viriliter contradicens, sibi multis discrimina latronum, nihil sibi tamen nocere queuntium, ad claustra rediit, statimque tyrannus arreptus gravi morbo, Gorziam misit nuntios, et cuncta ablata restituit. Fecit et petitiones multas beatus Joannes ab episcopo Adalberone, qui cum prius acquiescere nollet, postmodum visionibus sancti Petri territus, cuncta perficiebat. Post hoc sciendum, quoniam Adelberamum rex Saracenus Hispaniarum misit suos legatos ad Otthonem serenissimum imperatorem, amicitiam petens, sed contra fidem multa describens; ad quod missus est beatus Joannes abbas noster, ad prædicandum baptisma, et errorem commutandum. Iste enim fuit prudens in factis; bene arguit subditos, et monuit ut omnibus vitæ eorum temporibus semper regulam custodirent.

Joannes junior successit post Joannem, in regimine quartus.

Joannes a fratribus sancti Arnulfi postulatus ut eorum pastor fieret, benignissime consensit. Statim eorum loci famam jam ubique celebrem, studio litterarum adeo nobilitavit, ut non solum ex proximis civitatibus, verum ex Saxoniæ atque Bajoariæ partibus undecunque ad ejus magisterium quamplurimi confluerent, ex quibus nonnullos et vitæ merito, et sapientiæ excellentia post ad episcopatus aspicem, vel ad regenda monasteria electos fuisse cognovimus. Inter coævos suos, et morum elegantia, et ingenio capax laudabilis eminebat. Hic denique piæ memoriæ Joannes inter perplura quæ intra gymnasium Sophiæ peregit exercitia, responsoria beatæ virginis et martyris Luciæ authentica modulatione composuit, necnon et beatæ Glodesindis vitam cum officio nocturnali. Vitam vero antecessoris sui domni abbatis Joannis scribere aggressus, imperfectam immatura morte præreptus reliquit.

Epitaphium Lodovici regis et imperatoris, filii Caroli Magni, qui in isto loco jacet.

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus a sæculo, conditur hoc tumulo,
Rex Lodovicus, pietatis tantus amicus,
Quod Pius a populo dicitur, et titulo;
Hildegart soboles Caroli Magni pia proles,
In pacis metas, colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, quidquidque refertur ad illam,
Arnulfo sancto contulit, huicque loco.
Stirps a quo procerum regumque vel imperatorum,
Quorum muneribus sistitur iste locus.

Epitaphium Drogonis archiepiscopi Metensis, filii Caroli Magni, qui in isto loco jacet.

Conditur hoc busto præsul Drogo, marmore sculpto,
Spiritus in requie lætus ovat Abrahæ.
Filius hic Magni Caroli fuit imperatoris:
Vir pius et prudens, vir probitate cluens.
Aulæ regalis moderator, pastor ovilis,
Metis et Ecclesiæ vere pater patriæ.
Hic præsul, præses, dominus, primasque cis Alpes,
Ejus judicio paca fuit regio.
Iste Glodesindis solemniter ossa levavit,
Condigneque loco condidit eximio.

SERMO DE S. CLODOALDO CONFESSORE.

(Apud Mabill., *Acta*, Sæc. I, p. 134.)

Dies lætitiæ et gaudii adest præcipue vestræ urbi summa devotione celebranda, qua venerandus Christi confessor Clodoaldus [*S. Cloud*], vinculis corporeæ fragilitatis exutus, adire meruit gaudium æternæ beatitudinis, angelicis spiritibus sociatus, ut quorum munditiam tempore suæ mortalitatis studuit habere in terris, eorum consortio sine fine frueretur in cœlis. Cui præstante gratia Salvatoris hodie factus est de morte natalis; cui initium vivendi dedit finis vitæ; cui, ut Paulus, vivere Christus fuit (*Philip.* 1, 21); cui sine Christo vita non fuit. Merito ergo satiatur in bonis desiderium ejus, quia, dum in hac carne viveret, mundatum est ab omni iniquitate et malitia cor ejus. Digne jam versatur ejus vita mirabilis in memoria hominum, qui merito sanctitatis transiit ad gaudium angelorum. Merito et laudem sanctorum

virorum mandat nobis habere Scriptura divinitus inspirata dicens : Laudemus viros gloriosos qui vicerunt regna mundi ; qui vicerunt non qui victi fuerunt. Non est enim contraria sibi Scriptura quæ dicit alio loco : *Non laudes hominem in vita sua* (*Eccli.* XI, 30). Quæ autem ante mortem propter incertos casus caducæ vitæ prohibet, post mortem jubet laudare. Modo securi laudibus extollamus ejus excellentiam sanctitatis, quando nec adulatio notat laudantem, nec elatio tentat laudatum. Laudemus post emensum periculum jam securum ; laudemus victorem, sed postquam venit ad triumphum. Operum ejus merita jam in tuto posita securi magnificemus ; qui galea spei et scuto fidei et gladio verbi Dei tandiu infatigabiliter contra antiquum hostem armatus incessit, quousque eo devicto ejusque pedibus prostrato meruisset accipere palmam æternæ remunerationis.

2. Illius ergo, quantum possumus, omni instantia vestigiis insistamus, quibus per arctam viam ad cœli latitudinem festinans qua eum sequeremur ostendit. Hodie optatam vocem laudabilibus operibus acquisitam audire meruit Salvatoris ore prolatam : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 23). Acceptum enim talentum retulit geminatum. Jam per fidem gratia salvatur, gloriam Domini speculatur transformatus in eamdem imaginem. Jam enim hiems pressurarum transiit, et imber tribulationum recessit ; jam indissociabiliter æterno fonti inhærens, inebriatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis suæ potat eum Dominus et bibit perennem jucunditatem juxta sui capacitatem. Nec nostrarum oblivisciturmiseriarum, cum semper claro intueatur lumine omnia videntem, et æquo jure disponentem ac moderantem. A summo usque ad imum statum creaturarum atque ex alta arce respiciens ima terrarum, reges tremendos, quos innumeri populi metuunt, cernit velut exsules tyrannos. Miseratusque errores humanos clamat compatientis affectu miserantis : O infelices et miseri cives, qua itis ? non est hæc via quæ ducit ad patriam, sed quæ ducit ad impia tartara. Redite, prævaricatores, ad cor, relinquite vias erroris, et vivetis. Quid extra quæritis obtusi cæcitate mentis, intra vos positam perpetuitatem beatitudinis ? si bene quærere vultis, intra vos quærite, ibi invenietis, ubi invenit qui dixit : *Hæc recordatus sum et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei in voce exsultationis et confessionis* (*Psal.* XLI, 5), ubi est vera lux luminis, quam non possunt fuscare tenebræ erroris. Hanc quicunque videre meruerit, candidos solis radios negabit. Ibi invenietis et audietis Christum dicentem : Ego sum lux, ego sum via. Sed si aurem cordis apposueritis, prophetam longe ante novæ gratiæ tempora præconantem, et post tergum monentem : *Hæc via, ambulate in ea, neque ad sinistram declinantes* (*Isai.* XXX, 11). Hæc via, de qua procul aberrasti et factus es tibi ipsi regio egestatis, quando dissipasti patrimonium quod dederat dulcis Pater ; porcos pavisti, et de Hierusalem descendens in latrones incidisti, qui etiam despoliaverunt te, et plagis impositis abierunt semivivum te relinquentes. Sed non reliquit miseriam tuam misericordia Samaritani illius qui factus est nobis sapientia a Deo, et justificatio et redemptio, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Qui dicit nobis : Currite, et ego perducam. In qua justitia viventes, positi sumus in via ad patriam redeuntes, et ad Hierusalem cœlestem quæ ædificatur ut civitas remeantes, cujus participatio est in idipsum. Quam denuntiat Apostolus liberam et matrem omnium nostrum, cujus civitatis conditor et artifex Deus. Quæ, ut in Apocalypsi legitur, *non eget lumine solis, sed Dominus Deus illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus* (*Apoc.* XXI, 23). Cui suspiramus nolentes exspoliari, sed supervestiri ut absorbeatur quod mortale est a vita.

3. Sed in hac justitiæ via, quæ imus, plurimæ insidiæ et laquei ingeruntur nobis a desertoribus ejusdem sacræ militiæ angelis Satanæ, quibus Deus peccantibus non pepercit, ut ait Petrus, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, in judicio magni Dei cruciandos reservavit. Quare sicut leo rugiens circumeunt, quærentes quem devorent, ut a via veritatis abstrahant. Contra quos bellum inexorabile nobis est agendum, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Ne ergo deficiamus in eorum conflictu, et capiamur eorum laqueis, paratur nobis mensa in via ejus nostræ peregrinationis, variarum opum referta deliciis, omne habens delectamentum et suavitatem omnis saporis. Sed præfinita et prascripta est lex omnibus accumbentibus. Ad mensam magnam, inquit, sedisti (*Eccli.* XXXI, 12), considera quæ apponuntur tibi, sciens quoniam talia te oportet præparare. Ecce autem e latere hinc inde palam, hinc inde plurimæ latenter insurgunt vanitates et mortiferæ suavitates et delectationes. Sed quid dicit Psalmus ? *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non sicut lex Dei* (*Psal.* CXVIII, 25), quæ dicit : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, quia omne quod in mundo est concupiscentia oculorum et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 15, 16). Continete ergo vos ab immani feritate superbiæ et ab inerti voluptate luxuriæ et a curiositate falsi nominis scientiæ. Videte ne decipiamini nec fallamini. Optimum est enim gratia stabiliri cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Nolite vobis inaniter promittere diuturnitatem vitæ. Quæ est enim gloria vestra ? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.

4. In hac via ambulantes tenete justitiam ; quam cum nobis proposuisset Salvator servandam, tria tantummodo in exsecutione ejus prosecutus est, orationem scilicet, eleemosynam et jejunium ; in oratione monstrans omnes regulas sancti desiderii. Tota enim

vita veri Christiani sanctum est desiderium; in eleemosyna omnem benignitatem et beneficientiam ostendens in dandis beneficiis et ignoscendis in se delictis ab aliis commissis, quamprimum a semetipso debet omnis accipere. Scriptum est enim : *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (*Eccli.* xxx, 24). In jejunio vero insinuans omnem corporis castigationem, quæ fit maxime in cunctis passionibus animæ comprimendis. Attendite quasi in præsenti posito patronum vestrum monentem vos, et ad percipienda exhortantem perpetua præmia : Estote sicut et ego; Nolite causari de fortitudine, unde ego potui, et vos, si vultis, potestis. Neque enim a me ego quidquam potui; posse vero meum ab illo fuit qui dixit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Si qui ergo estis qui ad perfectionem tenditis, perseverantiam B in bonis operibus a Patre luminum quotidianis precibus poscite, atque hoc agendo confidite non vos esse alienos ab electione electorum, quos elegit ante mundi constitutionem, ut essent sancti et immaculati in conspectu ejus. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quia spem vestram in illo habere jubemini et non in vobis. Maledictus enim omnis qui confidit in homine et a Domino recedit cor ejus. Benedictus autem vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, quia bonum est confidere in Domino. Quid vero adhuc in peccatorum damnabilium remoramini delectatione? apprehendite saluberrimam salutem et disciplinam, et servite Domino in timore, et exsultate ei in tremore. Et nolite præsumere de vobis, nec velitis gloriari quasi de C operibus vestris; sed qui gloriatur, non in se glorietur, sed in Domino qui dedit vobis et velle et posse. Cui dicimus cum propheta : *Omnia opera nostra operatus est in nobis* (*Isai.* xxvi, 12). Et ideo in nullo est gloriandum quando nostrum nihil est, quia non est in potestate nostra cor nostrum et nostræ congregationis, sed a Domino gressus nostri diriguntur, ut viam ejus velimus. Hoc crediderunt, hoc egerunt quicunque ab initio Deo placuerunt.

5. Hoc et iste sanctus Pater noster indubitabili mente credidit, et verbis docuit, et usque ad finem suis operibus servavit. Neque enim aliter posset esse sanctus, cujus prosapiam generis, quamvis bene nota sit omnibus, vobis huic paginæ duxi inserere D et ab ipsa ejus pueritia insignem pietatem et morum probitatem narrare. Traxit autem genus ab alto sanguine regum. Cujus avus Clodoveus regnum Francorum nobiliter regens, pulchre disponens et ordinans, cum Parisius cursu vitæ suæ expleto finem vivendi fecisset, reliquit in regno conjugem vocabulo Clotildem, cum tribus filiis Clothario videlicet, Childeberto, atque Clodomero, quibus dispositis portionibus divisit monarchiam sui principatus. Sed Clodomerus genitor hujus sancti confessoris Clodoaldi, cui sorte cesserat Burgundia, non multo post defunctus, et ipse tres reliquit filios. Quorum unus vocabatur Theodaldus, alter Gontarius, tertius vero isdem Clodoaldus. Quos regio more et A cultu nutriebat et instituebat eorum avia jam dicta regina, cupiens eos loco filii in fastigium sublimare regni. Sed spe sua frustrata est fraude filiorum de innocentium cæde tractantium. Denique cum Childebertus resideret Parisiis, suasu antiqui serpentis instigatus, ut regnum fratris defuncti invaderet et injuste possideret, cum germano factionis et sceleris sui participe, mittens clam accersivit fratrem Clotharium, qui tunc temporis Suessionis urbe morabatur; flagitans quatenus Parisius venire celeriter non differret, ut una positi commodis et utilitatibus sibi congruentibus insisterent, et regnum germani qui tunc vita excesserat, inter se dividerent; filii vero illius velut imbellis manus infantilis ætatis, aut gladio necati, aut certe plebeio tegmine obscurati atque obumbrati manerent. His ille auditis ruptis horarum modulis celerrime advolavit. Sparserat autem subdole præfatus Childebertus falsos rumores in aures populares, ob hoc solummodo mutuum colloquium habere voluisse duos fratres, quatenus filios fratris suos nepotes facerent regnare pro patre. Unde et celerem nuntium dirigunt ad matrem, quæ Parisius erat ea tempestate, rogantes eam ut pueros mitteret sine dilatione, ut ab eis mitterentur, vel sublimarentur in regnum patris. Regina vero hilaritate perfusa, ignara doli et simulationis, confestim misit pueros plurimis obsequiis fultos, et caterva puerorum illis famulantium stipatos, prorumpens in hæc verba : Non me reputo amisisse filium, si istos parvulos videam in regno ejus constitutos. Mox vero ut ad patruos venerunt, a sibi obsequentibus et nutritoribus separati sunt; atque ex industria procuratur truculentissimus nuntius, nomine Archadius, qui pergens ad matrem ferret evaginatum gladium et forcipem. Mox vero ut venit, juxta præceptum dominorum, ostendit reginæ signa terroris et perculit eam terrore gravis nuntii, dicens : O gloriosa regina, filii tui domini nostri magnopere scire volunt quid de pueris censeas agendum, et volunt sibi ocius nuntiari, utrum tonso capite velis eos vivere, an gladio vitam præsentem terminare. Hæc illa audiens intolerabili animi dolore sauciata, velut in exstasi rapta, ignorans nimia tristitia quid diceret, ait: « Satius duco, et melius mihi videtur eos vitam hanc morte finire, quam incisis crinibus viventes degeneres et ingloriosos videre. » Sed ille perversi animi homo qui tam exsecrabile ac durum detulerat mandatum, non pertulit tandiu subsistere, donec regina sedata mente poscenti congruum daret responsum; sed rediit celeriter, nuntians matrem decernere quod ipsi de pueris instituerant agere.

6. Mox ergo unum apprehensum Clotharius puerum elisit in terra, defixoque in latere ejus cultro crudeliter interfecit. Quo vociferante frater ejus pedibus Childeberti prosternitur, apprehensisque ejus genibus, cum lacrymis aiebat : Succurre, piissime pater, ne ego peream sicut periit frater meus. Flexus vero ad misericordiam Childebertus, et respersa lacry-

mis facie, ait. Peto, frater charissime, ut concedas mihi hujus vitam tua benignitate, ut non differam quæ jusseris pro ejus vita dare. Ille vero conviciis eum adorsus, ait commotus amaritudinis felle : Nisi istum cito a te repuleris, pro eo morieris. Qui statim ejecit a se puerum madidum lacrymis, non ferens animositatem fratris. Sed ille, ut immanior immanissimo, non gerens pœnitentiam jam a se patrati sceleris, hunc quoque sicut priorem vita privavit, immemor futuri judicii et æterni ignis. Tertius autem ad simile exitium quærebatur Clodoaldus, sed non potuit reperiri, nutu Dei omnipotentis protectus, et auxilio virorum fortium de manibus crudelium liberatus. Quorum etiam ope adjutus, hæres patris solus est institutus a patruo, exstinctis duobus fratribus, qui male blandientis sæculi inanem felicitatem velut immane naufragium magis vitare studuit, et ad æterni Regis misericordiam pertingere misericordiæ operibus insistendo, quam sub regio nomine terrenæ prosperitatis deviare a patria æterni Patris. Repente itaque regalem pompam despicit, sordent illi fulgurantia auri argentique metalla, contemnitur pulchritudo gemmarum, vestes auro textæ et holosericæ respuuntur. Interea cor ejus instituebatur et formabatur divinis institutionibus, ut vilescerent illi omnia quæcunque videntur temporalia, et quæcunque nonnulli homines pro ingenti deputant lucro, jam sorduerant viro sancto, et maximo deputantur detrimento.

A

B

7. Sacrorum frequenter fruebatur lectione librorum, quorum sensus mysticos animi acumine et alacritate intuens atque intellectu discernens, pascebatur sacri verbi edulio et lambebat dulcia mella. Quam dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua, super mel et favum! (*Psal.* CXVIII, 3.) In divina laude choris psallentium magis volebat interesse, quam illecebrosa verba virorum illicite audita percipere. Patrimonium namque suum quod illi jure hæreditario obvenerat a patre ditissimo, laudabili liberalitate indigentibus curabat distribuere, non surdus auditor neque segnis exsecutor Dominicorum præceptorum. Ubi cum quidam dives quæsisset consilium a Domino æternæ vitæ percipiendæ, et ille proposuisset mandata veteris servanda legis, atque ille respondisset omnia illa se custodisse, dixit : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Sed non iste sicut ille tristis recessit. Nunc vero illic scriptum quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Propterea corpusculum quod regio cultu in bysso et purpura enutritum fuerat, vilis indumenti asperitate domabat; et qui dudum dormire in pluma præ nimia teneritudine nesciebat, super nudam humum tectus cilicio dulcem somnum capiebat, castigans juxta Apostolum, seipsum, et servituti subjiciens (*I Cor.* IX, 27) in fame et siti, in frigore et nuditate. Omnesque terrenarum rerum delectationes a corpore et animo gratia Dei se præveniente et subsequente resecans, satagebat, juxta eumdem Apostolum, dives fieri in operibus bonis, ac thesaurisare sibi fundamentum bonum in futurum, et vivere in hoc sæculo juste et pie, ut apprehenderet veram fidem (*I Tim.* VI, 18). Quæ retro sunt oblitus quidem, in ea vero quæ ante sunt extentus currebat ad palmam supernæ remunerationis, cupiens comprehendere Christum, a quo jam ejus misericordia erat comprehensus. Sed et variarum contemnens delicias escarum, in agone isto theatrali vilioris et grossioris cibi esu sustentabatur potius quam reficiebatur.

C

D

8. Et ut peritus et doctus negotiator mercimonium suum studens ampliare, parvipendebat vilem et abjectam rem dare et pretiosam emere. Qui reperiens bonam margaritam et thesaurum absconditum in agro divinarum Scripturarum dedit omnia quæ habere poterat, nihil sibi reservans et comparavit. Præ amore dulcedinis et claritatis illius repente vilueruntquæ prius dulcia et jocunda videbantur, et æstimata sunt ut stercora. Contemnitur mundus fallacia et deceptione plenus, desiderantur habita, congregata sparguntur in necessitatibus indigentium, ut justitia ejus maneret in sæculum, cornu ejus exaltaretur in gloria. Deinde ex integro certans exspoliare veterem hominem cum actibus suis et induere novum, enm qui renovatur interius secundum imaginem ejus qui creavit eum, abiit ad beatum Severinum (1), qui in cella reclusus contemplationi divinæ pro viribus severe plurimorum vociferabatur, poscens ab eo sibi habitum sacræ religionis imponi, in vultu quoque, manu ejus immutari per tonsionem capillorum (2). Cujus devotam petitionem præfatus desideranter curavit implere, intuens eum divino amore plurimum fervere. Sumpto itaque sanctitatis cingulo et sacro militiæ indumento, velut propugnator fortis intra castra æterni Regis, non trepidat divina potentia adjutrice cum callido hoste singulare certamen inire. Cujus validas vires ideo fortiter fregit, quia ex toto operibus et pompis ejus renuntiavit, eligens squalore et inedia pro adipiscendis supernæ felicitatis gaudiis momento temporis affligi, quam pro momentaneis illecebrosisque delectationibus perpetuis tormentorum incendiis concremari.

9. Igitur postquam thesaurorum copiam, invisibili modo præceptum secutus Salvatoris, in cœlesti thesauro reposuit, postquam agrorum et vinearum possessiones suis cultoribus monasteriis atque ecclesiis Christi perpetuo profuturas testamento firmavit, terram se computans et cinerem, et vilem se statuens

(1) Non confundendus cum Severino abbate Agaunensi, qui ante Clodoveum obiisse videtur.

(2) De eo ita Gregorius Turon. in lib. III, cap. 18 : « Clodoaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est. Postposito regnum terrenum, ad Dominum transiit, et sibi manu propria capillos incidens clericus factus est, bonisque operibus insistens, presbyter ab hoc mundo migravit. »

in oculis suis, ut esset pretiosus in Dei oculis, deliberavit apud se plausus hominum sibi faventium, et opus præclarum tantummodo divino amore patratum vanis et humanis laudibus extollentium devitare et declinare, et regionem longe positam quæ Provincia (*la Provence*) nuncupatur adire, ut ibi quasi ignotus in cœpto proposito posset Deo servire. Sed quia non potest lucerna latere, nec possunt eam tenebræ obscurare, cum eas suo corusco lumine noverit pellere et fugare, positus in eadem regione magno emicuit virtutum fulgore. Deinde precibus fugabat dæmones de obsessis corporibus, aperiebat ora mutorum, reddebat cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, et cunctis ex fide poscentibus Dei clementia impetrabat opem sanitatis.

10. Sed nec illud duco tegi silentio quod claruit ejus dono. Cum in parte præfatæ regionis construeret domum orationis, pauper quidam venit, et eleemosynam ab eo sibi dari poposcit. Vir autem Dei, cum in præsenti non haberet quod indigenti daret, cucullam qua induebatur dedit. Qua pauper accepta recessit, et in domum cujusdam fidelis hospitandi gratia venit. Qui cum se post cibum et potum sopori dedisset, magna jam transacta parte noctis, paterfamilias de nocte surrexit, ac domum suam claro lumine splendere vidit : qui illico suæ conjugi excitatæ a somno narrare curavit. Illa autem rem inusitatam intuens dicit : Aliquid muneris divini peregrinus hic, qui a nobis susceptus est, secum detulit. Qui mane ab eis requisitus, retulit qualiter cucullam loco muneris a sancto viro acceperit. Quod factum in illo loco in laude omnipotentis Dei vulgi ore circumquaque est diffamatum, et celebri sermone vulgatum.

11. Talibus charismatum donis a sancto Spiritu honoratus revertitur Parisius. Cui urbi jam continuo gaudium fit Deo gratias agentium pro ejus reditu, quorum olim corda nimium fuerant de ejus abscessu mœsta. Excipitur itaque mira exsultatione populorum et dignus sacerdotio acclamatur voce cunctorum. Quem Eusebius (3) ejusdem urbis episcopus ordinavit presbyterum, annuens voci clericorum et precibus Parisius morantium, dignum judicans ut qui jam semetipsum exhibuerat hostiam vivam, placentem Deo per contritionem et devotionem mentis, constitueretur minister salutaris et vivifici sacramenti ; ut quos verbo et operibus abstrahere conabatur a Satanæ faucibus, ab eodem truculento hoste ereptos reficeret divinis dapibus. Condidit præterea monasterium in loco cujus olim vocabulum fuit Novigentum (4), nunc ob insigne ejus meritum sanctitatis vocatur monasterium sancti Clodoaldi ; cujus et nomine pollet et merito, quod et sufficientibus ditavit terrenis opibus, et congrua habitacula sibi et servis Dei secum morantibus, sed in reliquum ævum successu generationum pro salute animarum suarum Deo militaturis ædificavit, atque matri ecclesiæ ejusdem civitatis, videlicet sanctæ Mariæ perpetuo habendum testamento delegavit. Ubi etiam ipse statuens præstolari terminum vitæ suæ cum plurimis quos metus gehennæ terruerat et cœlestis patriæ amor animaverat, ascensiones in corde suo disponens in hac lacrymum valle, cupiebat de virtute in virtutem ascendere, insistens orationibus, jejuniis, eleemosynis, vigiliis, divinis lectionibus, ut mereretur Deum deorum videre in Sion. His igitur exercitiis divina gratia præditus, ex revelatione divina scire meruit vitæ suæ transitum ; cujus ultimam horam lætus præstolabatur cupiens dissolvi et esse cum Christo. Migravit ergo a corpore septimo Idus Sepembris, recipiens coronam meritorum, quam et reddidit illi Dominus pro laboribus justus judex. Cujus corpus in eadem cella summo honore humatum est, ubi suffragantibus ejus meritis completur votum ex fide petentis, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui potestas, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(3) Eusebius Saffaraco successit anno circiter 551 prævitique S. Germano, ut docte probat Carolus le Cointe ad illum annum num. 1, constatque ex Vita S. Droctovei abbatis num. VI.

(4) Novigentum, *Nogent*, duobus milliaribus infra Lutetiam Parisiorum ad Sequanam fluvium vicitur, nunc S. Clodoaldi Oppidum vocitatum, vulgo *S. Cloud*, in cujus ecclesia collegiata, destructo jampridem monasterio, ipsius sancti corpus asservatur.

LIBELLUS

DE SUCCESSORIBUS S. HIDULPHI IN VOSAGO

(Apud D. Calmet, *Histoire de Lorraine*, Preuves, p. XLIX.)

CAPUT PRIMUM.

Penultimo interea jam memorati domni abbatis Leutbaldi anno, ab incarnatione vero Domini nostri Jesu Christi septingentesimo tertio, venerabile corpus sancti Bonifacii martyris ablatum Trevirorum populo, divinitatis ope illatum est Mediano cœnobio. Sicut enim Victor et Ursus cum aliquot castrum Solodorum (1), beatus Gereon cum suis etiam trecentis decem et octo, Mauri quoque quingenti Agrippinensem coloniam : sic et hic pretiosus

(1) Alias *Salodurum*, oppidum Helvetiæ, Gallice *Soleure*.

Christi martyr cum aliis suis trecentis pervenit Trevirim; corpore non corde ab eadem qua et prædicti martyres, Thebea legione subtrahens se interim, cum apud Agaunum darentur victimæ sub Herculio Maximiano Cæsare. Omnino tamen credendum est constantissimos testes Christi postmodum factos, citæ mortis sententiam non tam voluisse vitare, ubi juxta veritatis jussum, in ista civitate persecuti, in aliam cuperent fugere, quam passim per barbariem Galliarum sparsos divinitatis mira dispositione, ne unius loci clauderet angustia tot et tam præclara sanctorum martyrum millia. Ubi tandem Treviris, scilicet agonis sui cursu feliciter emenso, capitali cum sociis suis multatus sententia, propter pontem fluminis qui adjacet oppido, desiderabili commercio nanciscitur æternitatis compendium ob temporalitatis dispendium. Qui vilibus mandati bustis a Christianorum populis rabiem pertimescentibus gentilitatis, post plurimorum curricula annorum honeste reconditi, jacent in quadam basilicæ sancti Maximi cryptella. Et hoc peractum beati patroni nostri Hildulphi vigilantia. Delatas ergo præfati martyris reliquias ad Medianum monasterium multis temporum curriculis servavit quoddam vetus sancti Martini oratoriolum a dextris templi locatum, donec funditus memoriæ fuisset subtractus mortalium; cujus inventio quia minime prætermittenda est silentio, enucleatius subscribetur suo loco.

CAPUT II.

Domnus igitur Regimbertus fraterno voto successor sancti effectus, annis non minus quinquaginta dispositione utriusque stipendii vitæ cœnobitalis laudabiliter est functus, quemadmodum approbatur chirographis cautis regum temporibus. Hujus denique diebus Theudelinda illustris matrona, respectu tremendi examinis compuncta, consensu comparis sui, vinculi conjugalis resolvit pacta, atque melioris mariti uxor effecta, sub sanctimoniæ velamine Christo est dicata; quæ benevolentia protinus annuente Ruperti [*alias*, Ricperti] relicti conjugis, nostro loco honorabile prædium *Hahenaim* vocatum contradidit. Tunc etiam quidam spectabilis vir, nomine Gumbertus, filius Trupperti, in alio prædio *Hundinisheim* agnominato, portionem sui juris contulit. In quibus præfatus abbas duas basilicas construxit, priorem in honorem sancti Maximini Trevirorum præsulis; alteram in honorem sancti Petri apostolorum principis, atque vitæ suæ curriculo emenso, quinto Kalendas Februarii lucis istius usu caruit.

CAPUT III.

Successit eidem non impar studio et moribus Sundrabertus; et huic post viginti et eo amplius annos strenue decedenti successit germanus ejus Maldawinus, qui mundanis dudum involucris expeditus, monasticæ tranquillitatis expetiverat littus, quique laudabili studio præeminuit præfatis duobus. Arcam denique super beatos patroni nostri Hildulphi artus fabricari instituit, quam etiam honorifice auri argentique metallis adornavit. Pari modo condecoravit sanctarum reliquiarum feretrum, cum scriniolis, cum thuribulis, cum candelabris. Fecit et calicem maximum nomine suo insignitum, nostræ pauperiei adhuc reservatum. Hic decori ararum beatæ Dei Genitricis sanctique Petri aptans tabulas, pretiosis metallis insignivit ambas, multaque hujusmodi reliquit loco suæ industriæ credito monimenta. Ipse quoque suapte prædium *Petri scamnum* nuncupatum, juri nostri cœnobii contradidit, cujus collatione illud ampliavit. Defungitur itaque tertio idus Martii, cum regiminis ejus anni octuta argumentatione vestigati vix reperiantur duodecim.

CAPUT IV.

Extemplo in electione successoris multitudini fratrum subrepsit discordiæ bilis; sed prævalentibus beati viri hujus meritis, insperato divinæ clementiæ jubar ob oriente destinatur illis. Nam cum bifariam scinderentur mutuæ dissensionis pertinacia ducti, ambarum partium priores pariter ad principem pervenere Carolum. Ubi pacificus princeps sedatu difficile monachorum persensit litigium, concordiæ providere gestiebat quam plurimum. Mira autem dispositione divinitatis repertus est ibi Fortunatus patriarcha venerabilis, qui gratia salutandi famosum principem, visendique loca sanctorum, quos fama excurrente didicerat, ab Jerosolymis peregre digressus erat. Is denique ante aliquot annorum curricula animadvertens apud Aaron regem Persarum pluris haberi amorem Caroli, quam quorumcunque principum, quod etiam patefecerat dirigendo ei solum quem habebat elephantem, per diaconem reliquias ligni passionis, seu inter homines non nullius conversationis Domini nostri Jesu Christi transmiserat illi, multaque prece contestatus exegit ut prædicto Aaron legationem per suos inferret hujusmodi: Omnimodis tuam clementiam precor pro loco Resurrectionis Domini Dei mei sancta Sion, ne tuo laxamento a gentibus passim calcetur, neque religionis Christianæ pontifici debitum cultum ibidem exsequenti contradicatur. Ejus itaque ditioni tunc non tantum beata civitas verum insuper omnis pene Asia præter Indiam parebat. Qui chari sibi principis amicabili suggestione adeo delibutus est, quatenus dispositioni ejus ascribi reverendum locum juberet, a suoque potentatu Veredariis cum Orientalium munerum ambitione directis, eidem cessionem illam firmaret. Hac pro causa diaconem suum ad Carolum iterato cum munusculis destinavit patriarcha. Tertio autem per semet veniens ipse, mutua visione satisfacere communi affectui, suo videlicet principisque religiosi, offendit apud eum prædictam procellam cœnobitalis dissensionis; cui sedandæ rex æstuans consultum iri, ad hunc quasi ob id divinitus destinatum, repente tota convertitur

tractatio (2) regalis consilii, si modo ille præsul maximus posset ad hoc flecti. Regis itaque ac optimatum ejus importunis tentatus precibus vix potuit ad hoc persuaderi, quatenus sanctorum qui tunc forte aderant sacerdotum cedens auctoritati, susciperet curam istius monasterii; cujus sanctitatis excellentia priorisque apicis reverentia stirpitus est sopita claustralis discordia, et sub eo de more effecti sunt monachi cor unum et anima una. Fuisse equidem dicitur Recalvaster hic Domini famulus, corpore exilis et exiguus, facie et conversatione angelicus, barba sublonga canisque respersa decoratus. Prædia in augmentum loci in diebus ejus collata sunt numerosa, chartarum monimento hucusque notissima. Ipsius vero collatione, ex cunctis pene instrumentis humanæ conversationi atque passioni Domini aptatis amplexabilia pignora locus hic meruit percipere, pariterque protiosorum martyrum Stephani, Lazari quatriduani sepulti, Georgii atque Pancratii, cum plurimis; quod nunc longum videtur posequi.

CAPUT V.

Per hæc tempora ab Orientis partibus eidem cœnobio divino ductu destinata sunt duo præclarissima lumina, quidam videlicet inter suos rex nomine *Lazarus* cum filia *Aza*, quæ etiam exstiterat in finibus illis regina. Hi piæ devotionis studio deferentes propria, expetivere peregrina, quatenus in urbe Romulea mererentur attingere apostolorum limina, et insuper adirent memorias sanctorum quos trifida venerabatur Gallia. Cumque plurima peragrando loca sanctorum satisfacerent religiosæ curiositati, tandem subeunt habitationem Mediani monasterii, famæ susurrio jam dudum sibi cogniti: ubi reperientes Fortunatum patriarcham venerabilem monachorum cœlestia suspirantum choro prælatum, quem olim habuerant non ignotum, compuncti sancta conversatione et admonitione eorum, susceptæ peregrinationis fixerunt circuitum. Denique instantes nimiis precibus ut recludi permitterentur, vix aliquando obtinere quiverunt. Reclusi sunt ergo rex in cella sibi præparata penes oratorium beati apostoli Petri, regina ultra alveum Rhodonis, juxta basilicam beati confessoris Apri, in quibus usque hodie fenestellæ ipsorum possunt videri, per quas suscipiebant necessaria humanæ imbecillitati. Ibidem cum aliquot vixissent annis, solummodo cœlestibus vacantes conditionibus, exuti membris corruptilibus migrarunt ad palatia incircumscripti spiritus; ob id verius reges dicendi, quod minime regnarat peccatum in eorum corpore mortali. Sepulti sunt autem in propriis cellulis; sed postea sacri artus venerandæ reginæ a prioris tumbæ loco relati, sociati sunt artubus venerandi regis, ut qui sanguine, mente et corpore juncti fuerant, unius sepulcri participes forent. Beatus ergo patriarcha Fortunatus meritis tandem et ætate consummatus, huic temporalitati IV Kalend. Martii est subtractus, atque ad perpetem stantium dierum infinitatem perductus. Hujus veneranda gleba post bases altaris B. papæ Gregorii decenti sepulturæ est tradita. Anni vero regiminis ejus Mediani monasterii reperiuntur viginti.

CAPUT VI.

Successorum tam idonei Patris nomina raptim perstringere libet, quia cum studio brevitatis, tum etiam quod ex eorum actis vix tenue quiddam scriptura seu relatio certa nobis transmittere quivit, immorari piget. Primus post eum rexit idem monasterium Waldo (3) ex sorore Maldawini progenitus. Secundus Isimundus quondam episcopus, cujus tempore cessit nostro loco apud domnum Juvinum fundus. Tertius exstitit Theodericus, quartus Reginardus, quintus Humbertus (4). Sextus vero Pippinus vix præfuit pauculis cœnobitis aliquot annis, nimium *a principibus* (5) pressus. Porro sex horum Patrum ætas habuit principes reipublicæ, prædictum Ludovicum, Lotharium, item Lotharium, Ludovicum, nec non Arnulfum, quorum temporibus ipsa abbatia plurimum attenuata, exigente jam sæculi nequitia, per Lotharium qui factus est anathema maranatha, pene exstitit desolata, quæ usque ad ipsum pollebat religione, rerumque copia. Hic tergiversator callidus damnabiliterque levis ac lubricus, patruorum patientiam sedulis *irritabat* (6) machinationibus; adversus quos cum etiam crebram aciem produceret, neque congressus illius lætos exitus haberet; præfatus abbas nimis continua ex acie (7) militum in expeditione regali compulsus, et maxime parricidalem dissensionem perosus, alam loricatorum quam solebat, id est triginta milites cum consueto clypeatæ manus numero, in exercitum destinare noluit, orare se dicens regem ne istiusmodi angariam imponeret militantibus Deo monachis; ipse potius ex facultate abbatiæ utilitatibus consuleret propriis. Hac causa tyrannus stimulatus jam sæpe dictum monasterium duci provinciæ jure contradidit, ea videlicet conditione, quatenus res loci pro libitu dispensaret, militumque turbam procinctui regio procuraret. Tunc domus Dei pene est annullata, monachis sunt subtracta victualia, et ob id paulatim sparsi per diversa, egestate coacti deseruere cellas circumcirca. Tantum aliquot sunt permissi in ipso principali loco remorari, quibus ad necessarios sumptus delegata fuit adjacens cum agellulis suis villa, cum curtibus pauculis. Mille vero ac quin-

(2) In manuscript. codicibus legitur : *Retractio*, cujus loco Martenius posuit *Oratio* in Thes. Anecdot. tom. III, p. 1115. Joan. a Bayono habet *Retractatio*.

(3) Waldo abbas an. 825, quem secuti sunt Isimundus, Theodoricus, Reginardus, Humbertus et Pippinus usque ad an. 896.

(4) In manuscrip. Eptern. legitur : *Humbertus*.

(5) Ita Joan. a Bayono.

(6) In utroque manuscript. deest hoc verbum, quod ex Joan. a Bayono suppletum est.

(7) Joan. a Bayono legebat *exactione*.

gentos et insuper *undecim* (8) mansos cum suppositis (9) ecclesiis ex ipsa abbatia usurpavit sibi ambitio ducis.

Cum autem ab incarnato Domino instaret octingentesimus nonagesimus sextus annus, Arnulfus Romæ Cæsar efficitur : e vestigio inaudita lue mortalitatis subsequente, atque famis homines homine vesci cogentis. Zuendeboldus quoque tyrannus ipsius Arnulfi filius, Lotharingam provinciam disponere permissus, indebilis flagitii nota dedecoravit primitias sui principatus ; prætitulato siquidem anno illam tantulam delegationem præbendæ monachorum illic adhuc sub Pippino abbate excubantum, jure beneficii concessit Hillino (10) comiti, in cujus clientela vix aliquot canonici permissi sunt immorari ; stirpitus hinc avulso ordine monachali, videlicet quia esset clericis indifferens victus, et quia magis peculiaris quam communis rei inniterentur sumptibus. Huic successit Riquinus secundus, tertius Otto, quo superstite civitas Basilea ab Hunnis expugnata atque æquata est solo. In Mediano autem cœnobio et tribus eidem conterminalibus (11) monasteriis vix singuli clerici feruntur resedisse nonnullis mensibus, in eisdem observantes excubias vulgaris parochiæ. Tandem in culmine regni Henrico (*Aucupe*) stabilito, et Barbari vetatur irruptio, atque paulatim convalescente patria, illuc reintegratur imminutus canonicorum numerus et ordo. Huic jam comiti Ottoni quartus Boso successit in administrationem rerum ipsius monasterii, et huic deinde quintus Amardus postremus provisor exterioris suppellectilis ; sed primus institutor monasticæ religionis in illo loco exstitit Gislibertus (12), quia jam venerat tempus miserendi ejus. *Attamen exactis sexaginta et sex annis, velut usque ad imperium Conradi (Salici) invicti principis, Deo miserante, aliquantulum convaluit illic, quamvis non ut prius, exercitium religionis, instantia domni Brunonis reverendi Leuchorum antistitis.*

CAPUT VII.

Gorziense cœnobium sub industria *Amaldi* [*rectius* Ainaldi] nimium reverendæ vitæ abbatis longe lateque vibrabat radios monasticæ religionis, ubi tunc degebat in monachi habitu quidam Adalbertus sanguine primatum regni sublimis, qui suorum et principue præfati comitis Gisliberti fretus adminiculo, sistitur duci Friderico, cui inerat Mediani monasterii per id tempus dispositio. A quo loci gubernatione donatus, monasticum ordinem ibidem restituere est jussus. Tunc etiam religiosus dux sub confirmatione chirographi restituit huic loco ecclesias quas olim possedisse dignoscitur, et quidquid canonici tenuisse comprobantur. Adalbertus igitur prædicti abbatis sui suffultus subsidio, monasticæ professionis viros aggregavit in præfato cœnobio, inter quos Blidulfum olim Metensium primicerium, et Gundelobum nobilissimum Dei famulum. Ambo nempe isti Deo digni viri vita et specie monachi, per omnia *parentes* (13) paternæ voluntati, ab abbate Amaldo commendati fuerant huic abbati.

CAPUT VIII.

Post hæc oratorium gloriosæ virginis et matris Domini Mariæ crebro fragore ruinam sui minitans, idem abbas cupiebat diruere, alterumque illo augustius restaurare ; sed quia conatibus ejus plurimum obviabat quod venerabile S. præsulis Hidulfi corpus usque ad illud tempus ibidem arca saxea servabat, coacto abbatum ac vicinorum clericorum religiosorumque concilio, illud decrevit levare tumulo, ac apparato locare in scrinio. Quod cum omnibus placuisset, ac tantæ rei perficiendæ instarent, consilii fuit ut si sacros artus, seu velle habebant, recondere quissent, monasterio devotionis gratia circumferrent. At quoniam minaci nubilo pendente, solis ac siderum facies denegabatur terris, menstrui [*In manuscript. legitur* mensurni] imbris vehementia resolutis, nec valebant cum ecclesiasticis ornamentis secedere jectis, annuit abbas ut solis circumferrentur claustris. Ubi tamen ad tumbam sancti cum cereis ac thimiamateriis [*forte*, thymiateriis] ventum est, ac operculum illi subductum est, pariter quoque gravida madidi aeris palla discinditur, ridente sereno, et terrigenis lux diu suspirata redditur continuo, quatenus cunctis liqueret quanta meritorum claritate in vivorum regione fulgeret anima, cujus exuviis arridebant in terris aera. Nefas enim erat elemento non parcere mortalibus, quorum devotio opponebat Trinitatis habitaculum ejus terroribus. Cujus rei evidentia confricatus animus præsentium, incalescebat ad invisibilis regni desiderium : in quo ille cujus in præsentiarum cernebant corpus, evidentibus indiciis ostendebat se jam recepisse stolam unam, in die quoque suprema suscepturum aliam. Quantum lacrymarum gemituumque dulciter ex intimi animi medullis prorumpentium ibi fusum sit digne proloqui carnis lingula nequit. Tandem sacras reliquias nitido involventes pallio, ligneo recondidere scrinio, quod imponentes scapulis intulere oratorio beati Apri confessoris Christi : indeque mox efferentes, altera regressi via invexere monasterii claustris VII (14). Idus Novembris, tanto funeri insperatum obsequium aere præbente, et post ejus collocationem nonnullis diebus idem conservante. Qua de re communi cunctorum voto hunc diem celebrem favet.

(8) Ita manuscript. Epternac. Richerius et Joan. a Bayono.

(9) In Epternac. manuscript. hic fit divisio hujus capitis, quod in duo scinditur.

(10) *Hasuma* vocatur a Richerio lib. II, cap. 7.

(11) Senoniensi, Styvagiensi et Sandeodatensi.

(12) Gislibertus abbas comes monasticæ religioni

(13) Ita legitur in Epternac. manuscript.

(14) Legendum est VI, quo die festum hujus translationis annuatim celebratur in Mediano cœnobio, et in antiquo illius Martyrologio manuscripto annotatur.

lebrem habere placuit recursu annuo; qui usque in præsens celebrior solet suscipi, etiam depositione ipsius, quam repræsentat mensis Julius; sive propter illud occupatissimum tempus, seu quia minus abundat victualibus. Tunc quoque beata sanctorum germanorum Joannis et Benigni corpora, quemadmodum ex uno sublata sunt mausoleo, in uno reponunt scrinio, quorum advectio a prioris sepulturæ loco sexto Idus Maii exstitit, et ut erat solemnis remansit; quia singulare festum persolvere huic sancto præsuli quotannis devotio priorum voluit.

CAPUT IX.

Hic ordo gestorum exposcit ut memor promissi, retexam inventionem sancti Bonifacii martyris. Diruto equidem templo beatæ Dei genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ, simulque ædicula beati Martini eidem cohærente, in qua jam dictum est martyrem tumulatum fuisse : necessario loca dudum orationis occupaverant parietinæ hominibus ac bestiis perviæ. Quam suarum reliquiarum negligentiam non ferens spiritus martyris, qui mirabiliter honorabatur in cœlis : quadam nocte per visum in habitu militari, sicut est vultus dignitate venerabilis, cuidam juvenculo monacho Tietfrido nuncupato astitit, et indigenarum quidem mediocri sanguine procreato, sed, ut putabatur, bonæ actionis futuro, eumque suo taliter dignatus est alloquio : Admodum ægre fero, quod parietinis premor, pedibus et sordibus hominum pecorumque atteror, conculcor ac inficior; quamobrem quantocius surgens maturato dicere abbati, ut si propriæ vult consulere saluti, provideat quietem corpori meo. Quem frater ille hoc modo percunctatus est : Domine mi, quem te dicam, et ubi habere vis sepulturam? Martyr ad hæc sic intulit : Scias me Bonifacium nominari, gloriosæ legioni Thebæorum martyrum numero et merito sociari; siquidem divina concedente gratia non impar gloriæ collegæ mei Mauritii in cœlis servatur et mihi gloria, quos per omnia fecit pares labor et militia, exhortatio sociis tituhantibus impensa, et in fide usque ad mortem perseverantia. Post nonnullos vero annos a corporibus commilitonum meorum furtim disgregatus, a quibusdam devotis Deo viris ad hunc locum sum delatus atque in oratorio (15) beati Martini terræ commendatus, ubi usque in præsens latuerunt omnes artus mei, excepto capite, quod inter collegarum meorum corpora prior retinuit locus. En tibi cunctarum reliquiarum mearum causam explicui. Tu nunc absque recrastinatione pergens explica hoc ipsum abbati. Nec mora, cum verbis subducitur monacho species martyris, qui ubi expergefactus est, quia maluit revelationem istam phantasmati ascribere, quam ei aliquatenus fidem accommodare, et super hoc divinitatis misericordiam implorare, distulit sibi imperata perficere; sive pertimescens hypocrisi atque mendacio notari, seu invidiam contrahere suæ parvitati. Quapropter iterato adventantis acerrima increpatione percellitur martyris. Cur, inquit, commotionis meæ acrimoniam minime perhorrescis? quid denuo ad te venire compellis? scias te igitur luiturum pœnas contemptus et inobedientiæ, priusquam corruptibili careas luce. Hujusmodi vero minis postquam fratrem illum perterruit, omnem superioris visionis ordinem retexuit, et abbati intimare jussit; sed eo seu primitus dissimulante, tertio gloriosus martyr eum dignatus est adire, ejusque vecordiam nimia verborum acerbitate increpare, ac recapitulato primæ et secundæ revelationis oraculo, adjecit continuo : Animadverto duritiam tuæ infidelitatis non posse ad obedientiam flecti, nisi molliatur fomentis alicujus signi. Quocirca surrecturus ad nocturnales hymnos, adi tum altare situm ad caput sancti Hildulphi, supra quod mox inventurus cruciculam cum cambuca ipsius pontificis beati, totius ambiguitatis callum remove a latebris animi. Attamen quoniam tolerabilius tibi erit temporali supplicio subjacere, quam irrevocabiliter perpetuæ mancipari gehennæ, hujus neglectus ultionem noveris te subiturum in hac luce; satis enim satis superque pœnarum restat tuæ nimium carnali vitæ, quanto plus si adjiciatur facinus tantum inobedientiæ? Hac perterrefactus juvenis comminatione, expergiscitur, et fidem jussionis exploraturus, facto signo nocturnarum vigiliarum ecclesiam ingreditur, ubi cum prædicti signi evidentiam cum corporeo hausisset oculo, omni dubietate postposita, abbatem et fratres illuc advocavit adhuc in crespusculo matutino : quibus postquam ostendit præsens signum, cæteræ quoque revelationis patefecit textum. Inde una cum illis ad locum tumbæ martyris properavit, et sicut per revelationem (16) acceperat, eis designavit. Ubi fodientes mausoleum invenerunt decens, quod dum aperuere, fragrantiam suavissimi odoris pares præsentium persensere. In quo tandem juxta visionis fidem reperientes martyris exuvias, in sindone munda involverunt eas, sicque recondentes in scrinio, Begonis cellæ invexere festinato; quia recondendi aptus locus minime suppetebat eis in diruto monasterio. (*Sed incuria successorum faciente, præfata cella sanctos artus permissa est retinere usque ad domnum abbatem Lambertum, qui anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo tertio, in sexta feria quæ ii Nonas Novembris habebatur, revexit*). Frater vero qui toties commonitus tam claræ visioni assensum dare distulit, post aliquot annos præ domo infirmorum stans, repentino accessu paralysis adeo extabuit, ut se invito retrogradum iter ageret, donec per ipsius domus ostium intro corrueret, atque fractis cervicibus exspiraret.

CAPUT X.

Interea dux Fridericus, suæ utilitatis insudans negotiis, castrum cognominatum Barrum construxit in prædio Ecclesiæ Tullensis. Qua de causa Gerardus vir totius sanctitatis præconio efferendus, imperatorem Ottonem majorem adiit, et ei injuriam illa-

(15) Manuscript. Epternac. habet *oratoriolo*.

(16) Manuscript. Epternac. habet *visionem*.

tam suæ urbi intimavit. A quo dux satisfacere jussus pro pervasione prædii, mutuæ vicissitudinis conditione, duas abbatias Medianum monasterium et Galileam, cum aliquot villis patrimonii sui contradidit ei, ut posset ipse pacifice possidere quod præsumpserat sibi. Cumque tali pacto denominata loca Tullensi diœcesi cessissent, memoratusque præsul officiales eorum sacramento sibi astrinxisset, ob monumentum ipsiusmodi cessionis secum tulit cambucas (*Id est*, baculos postorales) beatorum antistitum Hildulphi atque Deodati, specie quidem vilissimas, nec ut hac nostra ætate passim cernitur artificiose cameratas ac politas; sed tamen ad ostensionem sanctæ mortificationis meritique eorum efficacissimas, quibus nihil pompæ adjecerat artium industria, natura sufficiente ad omnia. Has ergo antistes ille devotus postquam metallis pretiosis pariterque reliquiis sanctorum insignivit, in gazophylacio sanctuarii servari præcepit, quod et factenus fit. Tulit etiam signum nostri cœnobii majus et melius, multis sibi quantitate metalli paribus, soni qualitate præstantius; quod acquisiverat abbas Adalbertus. Illud tamen duodecim vix paria boum quiverunt ad oppidum convehere, cum post decessum ipsius pontificis quatuor tantum facillime quiverint revehere. Etenim quandiu Leuchæ fuit, consueti soni dulcedine caruit: at postquam Deo volente locum recepit suum, pariter et sonum solitum.

CAPUT XI.

Adalbertus qui tunc temporis fungebatur abbatis nomine, cum per aliquot annos strenue, quantum ad hominum pertinet æstimationem, impendisset sollicitudinem sibi commissæ abbatiæ, incommodo aliquantulæ infirmitatis cœpit laborare; qui vehementer percussus paralysi, postquam nonnullos pœnaliter transegit menses in grabato, sæculo huic aufertur cum luctu magno. Successor ejus in loci regimine exstitit Almannus, ex familia sancti Petri martyris (*In manuscript. Epternac. vox* martyris *legitur*) excellentiore oriundus, corpore elegantissimus, statura procerus, moribus et actu modestus, in eruditione litterarum minus perfectus, in restructione abbatiæ vigilantissimus, juxta mediocritatem sui ingenii in revocando subjectos ad instituta regulæ fervidus. Hic denique eruditionem suorum credens suam, mercede conduxit eis doctorem grammaticæ; quin et volumina artis ejusdem plurima studuit loco conquirere. Hic monasterii fabricam cum omnibus officinis a decessore suo inchoatam, sed maxima ex parte imperfectam, perduxit ad manum supremam. Verum donec fabrica eadem reparatur, corpora reliquiasque sanctorum servavit aula pontificis, juncta tunc claustri officinis : in qua divinitus innumera præstita sunt infirmis beneficia, quæ censui prætereunda brevitatis gratia. Unum tamen non pigeat me referre, quod inter alia ibidem contigit. Energumenus quidam possessoris sui impulsu scelesta faciens, scelestiora dicens, propinquorum obsequio illuc advectus est. Qui cum aliquandiu invitus ante aram sanctorum teneretur, repente corruens, rotatu horrifico per pavimentum agitur. Sed hic rotatus et tormentum captivi liquido astantibus prodebant flagra et torturam latronis maligni, quibus compellebatur egredi. Denique post nimiam rotationem ipso aditu quo fuerat intromissus, exire coactus, cum obscenitate vomitus instar vermis bipedalis ab intimis visceribus miseri est projectus. Qui mox ut paululum somni diu negati arripuit, gratias Creatori omnium ac fidelibus ipsius agens, propria incolumis repetiit.

CAPUT XII.

Interea domno pontifice Gerardo ex hujus vitæ ærumnis sublato, ad Tullensis diœcesis pontificatum subrogatus est Stephanus ex Mediomatricæ urbis clero, qui..... oratorium sanctæ Mariæ sua consecravit industria : qua etiam die restituit signum loco olim ablatum a prædecessore suo. Hic vix duobus annis ecclesiam rexit; sed licet apud Bodonis monasterium hominem exuerit, hic tamen sepeliri voluit, quod et contigit. Sepultus autem exstat a dextris altaris semper virginis et matris Domini Mariæ, in mausoleo ex quo dudum levatæ fuerant sanctorum germanorum Joannis et Benigni reliquiæ, pectori ejus crucicula superposita, disticon abbatis Sicconis inscriptum habens ita :

Hic fuit antistes Leucorum Stephanus olim.
Idibus et terna Martis discessit ab arvis.

Super tumulum ejus dum postmodum duo fratres consisterent, et odas missæ decantarent, repente nimius fragor sub pedibus eorum insonuit, qui eos a statu suo super pavimentum conquiniscere coegit. Verum an hoc contigerit causa sanctorum mausolei, seu pro reverentia sepulti episcopi, non plane cognitum est mihi. Successor vero ejus in pontificatu exstitit Bertoldus natione Suevus, honestati sæculi præcipue intentus, in constructione novarum atque eminentium fabricarum nulli secundus, insolitis legibus oppressor vulgi et monasteriorum versutus : qui Mediano cœnobio irrecuperabilem calamitatem intulisse dignoscitur. Nam præfatus abbas tempore Henrici principis ratus sibi divinitus offerri occasionem reposcendi prædii *Bercheim* ab iniquis diu possessi, suasu supradicti Bertoldi enorme servitium exhibuit imperatori, in cujus impensa coactus est cunctam pene supellectilem et pecuaria abbatiæ abstrahere; quin etiam omne ornamentum tam a crucibus et candelabris, quam etiam a lecto sancti Hildulphi ac gestatorio sanctarum reliquiarum diripere. Siquidem vir ille bonus et simplex nihili pendebat censum ecclesiæ bonum prodiga manu in tali negotio dispergere, quem sperabat ex redditibus fundi illius multiplicius restitutum iri. Igitur postquam duo pondo auri appendit archariis Gazæ imperatoris, præter præfati impensas serviminis, solemni traditione recepit ab eo prædium cum appenditiis suis. Quod cum uno anno pacifice possedisset, Bertoldus episcopus, qui debuerat res ipsius cœnobii ab improborum retibus sua auctoritate subducere, pellacia malignitatis suæ non timuit subintroductæ chartæ

atque vafræ machinationis conspiratione vindicare : immemor divini judicii, neglector etiam indicibilis damni quo domus Dei pene annullata fuerat, ob receptionem illius fundi. Hujus tam immanissime crudelitatis cuspide perfossum cor abbatis, aut nullam aut raram diem in hac luce post hæc sine mœrore transegit. Hic post innumera industriæ suæ exercitia, quibus loco sibi credito prodesse curavit, ætate et infirmitate confectus naturæ cessit, ac in basilicæ beatæ Mariæ sepulturam meruit.

CAPUT XIII.

Successor autem ejus Nardulfus (17) exstiterat quem præfatus abbas a sacri baptismatis fonte susceperat, quemque per diversa loca causa discendi cœnobitalem vitam transmiserat. Hunc cum ipse defungeretur, sermone quo valuit Bertoldo episcopo commendavit, atque ut sibi succederet impetravit. Tempore vero prælationis ejus, plurima in loco præfato divinitus ostensa sunt miracula, quibus pravorum retunderetur insolentia, et rectorum confirmaretur benevolentia. Ex his libuit aliqua subnectere quæ interim occurrunt memoriæ. Depositionis festum sancti Patris nostri Hildulphi instabat, et cœmentarii restruendæ maceriei dormitorii operam dabant. Qui cum vellent ob solemnitatis reverentiam opus illud intermittere, obstitit Encibolus præpositus, talia eis inculcando creberrime : Servitium est sancti, quod propter festum ipsius non debet intermitti, sed magis studiose peragi. (18) His monitis machiones [*maçons* cæmentarii] accensi plus solito instabant cœpto operi : at hora refectionis incumbente, cum pariter mensam petentes cibum sumerent, quidquid operis per hebdomadam integram fecerant, repentina ruina terram petiit, et quia sanctus obedientiam quam sacrificium mallet, casus parietis innotuit. Itaque nullus præsumpsit illa die fabricam illam aggredi, in cujus eversione intelligebant quid eis potuisset contingere adversi, si non pepercisset illis misericordia Domini. Sequentis miraculi textus docebit quam pia aure sanctus hic se in veritate invocantibus adsit. Translationis ejus solemnium quod illic populoso frequentatur accessu aderat, et tam fratrum quam etiam supervenientium usibus apparatio piscium omnino decrat. Dumque præpositus monasterii Marbodus dictus pisces hinc inde præstolando cassa spe delusum se doleret, et missæ solemnia concio monachorum et canonicorum summo studio perageret, publica necessitate cogente, palam omnibus lectum sancti in crypta cum lacrymis infusus adiit, et tacitam precem cum contritione nimia ante venerabile corpus prostratus aliquandiu fudit. Ubi ab oratione surrexit, adfuere extemplo quidam qui dicerent nonnullos Allabroces (19) inesse contiguo flumini : quo sub omni agilitate piscatores transcurrentes, mira captura tot et tantos retibus suis continuo cinxere, quod plene possent non solum die festo, verum etiam per totam septimanam fratribus sufficere.

CAPUT XIV.

Sacratissima depositio ejus cum annuo recursu mortalibus innovaretur, et fratres ante matutinorum synaxim sopore detinerentur, coquinæ ædificium ignis repentinus arripuit : qui quantocius rectorum fastigia petens, ac ex torridis imbricibus nimia incrementa concipiens, per circumposita ædificia totas laxabat habenas. Cumque tanto terrori nemo obviaret, cunctis alto somno depressis, Hermanno custodi ecclesiæ, sicut ipse solitus erat fateri, per visum sanctus astitit, vehementique severitate, quia sic nequam actio illius merebatur, capillos ejus concussit, eique dixit : Ocius surge, nam omnis structura hujus loci nimio devoratur igne. Hoc ille pavore expergefactus surrexit, incendium sicut somno didicerat perspexit, cæteros nimiis clamoribus incitavit, et ut igni ædificia tenenti obviare niterentur suggessit : quibus statim id facere conantibus, strepitu eorum excitata accurrit cum hydriis rustica manus. Cumque continuata superfusione lymbarum variisque argumentis (*id est* artificiis) alii male victricem flammam certarent evincere, adeo erumpebat ex ædificiorum culmine, ut crederetur ex contrario hactenus elemento nutriri magis quam sopiri posse. Summa tandem desperatione circa oppressionem flammarum pariter fracti, nimiis et confusis ejulatibus ad sepulcrum confugere sancti, cui cum inter alia et hoc ei lacrymosa vociferatione crebro ingererent : propter quidem ipsorum flagitia locum eumdem justis traditum flammis, sed dignaretur ei parcere ob lætitiam suæ solemnitatis et sanctitatem sui nominis, ac si eis omnipotens pater per merita dilecti sui Hidulfi juxta vocem Ezechielis prophetæ responderet : Non propter vos ego facio, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus, ut sciant quia ego Dominus (*Ezech.* xxxvi, 22). Nec mora, omnis vis illa incendii in semetipsam recidit, ac celerrimo torpore languescens, cuncta quæ vastabat deseruit, et male victricis (20) ignis periculum, quod non valebat reprimere adversa natura aquarum, meritis sancti repressit imber lacrymarum.

CAPUT XV.

Cum incolæ depositionis ejusdem festum sacerdotali auctoritate suscepissent celebrandum, sicut in hujusmodi traditionibus contingit, religiosi et honesti assensere solemniter ducendum : bruta et vecors rusticorum multitudo obstinatione solita negligendum, ex quorum numero exstitit apud Cicoma-

(17) In manuscript. Epternac. legitur : *Hardulfus*. Item apud Joan. a Bayono : unde hic mendum irrepsisse opinamur.

(18) Hic et in sequentibus varia narrantur miracula tempore Hardulphi abbatis patrata.

(19) Legendum putamus *Allobroges*, quo nomine indicare voluit auctor pisces *Umbras* dictos, qui simillimi sunt quibusdam piscibus lacuum Allobrogorum propriis. Vide Aldrovand. *De piscib.* lib. v, cap. 51. Forte etiam *Lucios*, vulgo *brochets*.

(20) In Epternac. manuscript. legitur : *Urentis*.

cum (21) quidam sensu et censu pauper, nomine Uvalpertus, qui sacerdotalis mandati contemptor effectus, calceamenta sua ipsa die sarciebat attentius. Sed quia si nulla pravos coercerent flagella supernæ animadversionis, putaretur Omnipotens non intendere rebus humanis, subita contractione ita manus colligatæ sunt illius hominis, intra volam inextricabiliter defixis et extra deformiter retortis digitis, ut reatum contemptus et inobedientiæ persolverit. Dum hic vixit, exemplo suæ pœnæ alios terruit a præsumptione prohibiti operis.

CAPUT XVI.

Eadem rursus die quidam Belzo vix duobus stadiis disparatus a monasterio, commanebat in domo quæ illi cesserat jure paterno. Qui ut assolet inter commercia veterum et novarum frugum, defectu compulsus panis, aliquot manipulos novellæ messis desecavit. Verum quia ignem qui posset his supponi in villulæ suæ tugurils minime invenit, alteram villam (22) haud longe positam haud impigre causa foci petiit. Ex qua torrem sumens rediit, sed omne domus suæ ædificium cum ipso siccatorio ultricibus traditum flammis invenit. Quibus celerrime in cinerem cuncta resolventibus, miserabilis et stolidus homo damno suo coactus, vel sero dicit ecclesiasticis parendum jussionibus.

CAPUT XVII.

Intera apud Oblisiacum quod situm est intra confinium parochiæ Acervallensis (23) consensu Bertoldi antistitis constructa est basilica; quia intolerabile erat ruricolis adire matrem ecclesiam ob singula Christianæ plebis obsequia. Hæc cum ex nomine vel reliquiis beati pontificis Hildulphi fuisset Christo consecrata, accurit illuc quædam mulier sera viæ longinquitate fessa, animi fide robusta, mediocritatis suæ munere devota; sed quibusdam revisentibus sua, quibusdam vero reficientibus corpus, ibidem post solemnia neminem reperit, atque obserata ecclesiæ ostia. Mansionarium ergo accitura, locavit ante januam candelam; sed cum illo ocius repedans perspexit, divinitus accensam vidit. Super hoc aliquandiu admirati pariter intulerunt oratoriolo, ac præfixerunt altari reverenter. Mulier tamen interno delibata gaudio, quibus poterat gratiarum actiones acclamabat Deo, pro fideli verna suo Hildulpho, perfusa genas dulciter prorumpentium lacrymarum rore largo: quem non solum ipsa, sed et tota vicinia per visibile lumen experiebatur Christi confessorem esse lucis invisibilis filium, ac meritis ipsius sibi maximam patere fiduciam in necessitatibus deprecandi Dominum. Quam spem non incassum concepit animus eorum; nam adeo numerosis locellus idem deinceps diffamatus est miraculis, adeo nunc usque variarum ægritudinum medetur causis, ut si singulatim possent scriptis mandari, non modicum distenderent quantitatem voluminis. Quapropter his prætermissis, insistamus aliis (24). Decurrente autem ab Incarnatione Domini millesimo decimo quarto anno, multimoda atque veracissima docuit revelatio animæ sanctorum *Lazari et Azæ* quanto in cœlestibus relucerent merito, quorum exanimes artus neglecti monstrantur in terræ gremio. Cum enim per successionem temporum tam nomina quam sepulcra eorum fuissent prorsus subducta memoriæ superstitum, divinitus reducuntur cognitioni concordatissimis visionibus monachorum, clericorum et utriusque sexus fidelium, non solum vicinorum, verum etiam remotissimorum. Quin etiam vespertino incumbente crepusculo frequenter audiebatur quasi duorum psalmodia, ubi prius sepulta fuerat Aza, in beati Apri scilicet basilica: extra quam in caprifico quæ fenestellæ ejus erat adversa, noctu recubabat lux tanta, ut diceretur illic plura accensa esse luminaria. In basilica etiam omnium apostolorum fuerat arcus in angulo cohærente cancellis versus Boream fundatus, soli receptui venerandorum corporum ex industria præparatus: cujus sinus quia (ob Pannonicam gentem Galliis hostiliter incubantem) parebat instar solidi parietis super sarcofagos obstructus, locus tanti thesauri per annos nonaginta quinque paulatim memoriæ cunctorum est elapsus, ut nihil minus quam alicujus corpus inibi delitescere putaretur. Superposita tamen materia attendebatur plurimum rimosa ac pene collapsa, utpote consurgentis monumenti jugi impulsu concussa. Hanc tandem ut subruerunt, secundum fidem revelationis, in duabus conjunctissimis thecis maximaque diligentia ad id quondam præparatis, reposita sanctorum corpora repererunt. Quorum gratia ubi hymnum *Te Deum laudamus* decantaverunt, ibidem sicut invenerant reliquerunt. Ea autem novitate febres et emigranium diversarumque accessiones infirmitatum multoties sedarunt, donec meriti sui notitiam circumcirca ubertim diffuderunt. Recentis enim memoriæ sancti suæ reverentiæ cultum taliter inserunt hominum menti.

CAPUT XVIII.

Moris erat quarumdam provinciarum parricidas pœnitentiali ferro constrictos brachia vel cervices, non ingressum ire fines suorum; sed quaquaversum expetere juvamina sanctorum, donec divinitus resolutum visibile ferrum, indicia dederit invisibile paricidii vinculum resolutum. Quidam itaque talium devenit monasterium, olim ferreis circulis constrictus utrumque brachium: quorum alter in Palona [*haud dubie* Polonia] deciderat apud reverendum beati martyris Adalberti sepulcrum, istic autem alter per sanctorum quos veneramur meritum. Siquidem illuc adveniens vespere cujusdam Sabbati, devotus interfuit synaxi. Dominica vero die Senonum

(21) Hodie apud sanctum Præjectum vulgo *S. Preyé*. Vide Joan. a Bayono lib XI, cap. 5.

(22) In manuscript. Epternac. legitur *Villulam*.

(23) In manuscript. Epternac. legitur *Acera valensis*, vulgo *Azeraille*.

(24) In Epternac. manuscript. præsens caput hic dividitur.

ire voluit, sed repente mutata voluntate, a medio jam itinere acceleravit istuc redire. Reperiens autem fratres jam adorsos solemnia majoris missæ, in introitu chori delegit stare : supplici vultu atque indeflexo obtutu attendens præfixam imaginem crucifixi Salvatoris, sic quondam effigiatam docta manu sculptoris, ut hactenus possit quamvis duras hominum mentes mucrone quodam transpungere compassionis, ac si præ oculis haberent nimium piam mortem adhuc pendentis Redemptoris. Huic ergo peregrinus ille cum gemebundus assisteret, sancto jam recitato Evangelio, circulus ferreus subito crepans, carne concissa ex continuato impactu ferri excreta, tanto impetu dissiliit ab ejus brachio, ut eminus oppositum parietem feriret, validoque tinnitu adstantes permoveret. Protinus sive novo dolore inveteratæ jam cicatricis, sive subito stupore tanti facti homo pene exanimis factus corruit, atque humi protensus super oram chlamydis lacero tunc brachio substratam, plurimum cruoris dimisit. Perstrepunt monachi ad allevationem prostrati, quem sic affectum admirati, circumspectabant exitum rei. Et ecce post aliquantulum sanguine redeunte a præcordiis, summa genarum rubeis inficiuntur notulis. Hinc collapsos artus paulatim subrigens, plene restituitur in gradu suo : Deo gratias pro meritis sanctorum agens, non tantum ex resolutione visibilis vinculi atque diuturni exsilii, quantum pro adepta remissione exsecrabilis parricidii, quam indubitanter se adeptum gaudebat præsentis protestatione facti. Verbo ergo atque evidenti signo postquam abunde adhortatus est accolas revereri et amplecti suorum sanctitatem patronorum, lætus excessit fines eorum. Porro circulus præfatus in testimonium facti sub pedibus crucifixi fuit appensus. Deo gratias.

DE GESTIS EPISCOPORUM ANTISSIODORENSIUM.

PARS PRIMA.

(Apud Labb. *Bibliotheca manuscriptorum.*)

Cap. I. — *De S. Peregrino.*

Sanctum Peregrinum, beati Sixti apostolicæ sedis primatis intercessionibus simul et meritis consecratum episcopum textus passionis ipsius scire cupientibus fideliter edocet. Siquidem Christianitatis religio, quæ, a tempore beati Clementis papæ, per fidelissimos verbi Dei ministros Savinianum videlicet Senonensem pontificem, Dionysium Parisiacensem, Ursicinum Biturícensem, Martialem Lemovicensem, Saturninum Tolosanum, Memmium Catalaunensem, cæterosve per Gallicanas provincias sese diffuderat, paulatim a status sui rectitudine obsolescere cœperat. Quippe quæ tam validis, tamque tyrannicis oppugnabatur incursibus.

Imperator namque Aurelianus erga Dominum cœli profanus cupiens placere diis suis, in tantam rabiem persecutionis circa Christianos exarserat, ut post multorum martyrum agones, quos apud urbem Romam crudeli morte damnaverat, etiam in Gallias ad delendum Christianitatis nomen per semetipsum emerserat. Veniens itaque apud civitatem Senonicensem, quoscunque ibi reperit Christianos simul et beatam Columbam virginem gladio animadverti præcepit. Deinde vero ferocitatis suæ comites ad investigandos Christianos per omnem Galliam misit. Egressi igitur funesti satellites a conspectu imperatoris circumibant urbes, et castella, nec non et latebrosa silvarum. Et ut suorum criminum singuli potirentur effectu, pagos quosque sibi indagandi solli.itudine diviserunt. Tum demum pagus Autissiodorensis in sortem impiissimi Alexandri sacri lateris protectoris obvenit. Vocabatur eo tempore sacri lateris protector cujus erat officium custodiendi imperatorem, ne ab aliquo quoquomodo vulnerari subito potuisset. Fiurimi etenim Christianorum ex diversis civitatibus præceptum Domini sequentes, ubi ait : *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, relinquentes proprias sedes, ad pagum Autissiodorensem se contulerunt, eo quod esset eo tempore ex maxima sui parte nimia silvarum opacus densitate. Quod minime latuit Alexandrum sacri lateris protectorem. Cumque pervenisset ad locum, qui Totiacus vocatur, reperit Priscum virum Christianissimum maxima nobilitate pollentem, multisque et ibidem cohortibus præminentem : qui cum pluribus a Vesuntionensi civitate advenerat, quorum agmina Alexander ferocissimo cursu irrumpens, ait : Quæ vos seditio in hoc loco glomeratim consistere compulit ; aut cujus religionis estis vos? Cui sanctissima multitudo respondit : Nos non seditio, sed reverendissima ad hunc devexit religio locum : Christo enim nostrarum libamina precum deferimus congregati, qui dispersionem nostram sanguinis sui effusione redimendo conjunxit. Videns itaque insuperabiles in fide Christi athletas, omnes gladio perimi jussit. Simili modo et sanctos Dei martyres Benignum presbyterum, Andochium, atque Tyrsum, quos ab Ephesina urbe sanctus Polycarpus discipulus beatissimi Joannis apostoli et evangelistæ in Gallias di-

rexerat, plurimis affectos suppliciis, isdem crudelissimus imperator ad cœleste regnum transmisit. Nec minus sanctum Symphorianum eum aliis quampluribus, quos ipsi jam Christo lucrati fuerant, tormentis variis affectos necari præcepit. Hac igitur persecutione ubique debacchante, paucissimi viri reperiebantur qui se Christianos esse faterentur.

Evoluto autem aliquanto temporis spatio, a fidelissimis Christianis latenter auribus Sixti papæ urbis Romæ nuntiatur, qui poscebant ut talem virum dirigeret, qui jam fidei exstinctam lucernam suis deberet illuminare eloquiis, et barbarorum infidelitatem opitulante divino auxilio compesceret. Tunc memoratus papa prædictum virum Dei Peregrinum presbyterum et Corcodomum archidiaconum levitico gradui mancipavit, Jovianum subdiaconum esse constituit, Jovinianum vero lectorem, cum esset vir per omnia eloquens, atque in divinis Scripturis apprime eruditus eis comitem collocavit: hos etenim summi Dei cultores beatissimus Sixtus papa urbis Romæ, cum omni fiducia ad portum Marinum usque perducens, verbum Domini specialius præcipiebat usque ad mortem fiducialiter prædicare. Athletæ quippe Domini navali tramite Massiliam petentes Lugdunum usque perducti, celare se nullatenus potuerunt, exinde ad Autricum pervenientes, coperunt publica voce Christi gloriam prædicare, ubi nobilium ingens tunc recederat turba, deorum vanas observare culturas : sciscitantibus vero paganis, Christianos se esse testati sunt, et ob prædicationem verbi Domini sese inibi advenisse. Tunc denique beatissimis sacerdotibus prædicatione fulgentibus pro virtutum assiduitate quas per ipsos divina exercebat potentia quotquot ipsius loci primorum fuit ad Christianitatis gratiam convolarunt; moxque sanctus Peregrinus episcopus novum populis dogma impertiens parvo ambitu ecclesiam construxit, Christique nomini consecravit. Cumque restincta inibi fuisset omnis deorum cultura, fratres, quos secum ab urbe deduxerat, ibidem relinquens, ut cœptum prædicationis expleret officium, Interranum expetit, ubi tunc præcipua paganorum multitudo ad festa Jovis celebranda summopere concurrebat. Quid ibi egerit, vel quos agones pro Christi nomine contulerit, historia passionis ejus evidentissime declarat. Istic beatissimus pontifex nimia jam persecutione sæviente, ab urbe quidem est egressus, sed martyrium suum capitis abscissione complevit, sub die decimo sexto Kalendarum Juniarum, imperatoribus Galieno et Valeriano, Æmiliano et Basso consulibus.

Cap. II. — *De S. Marcelliano.*

Marcellianus, natione Gallus, sedit annos 33. Hic in prædicationis officio fideliter elaborans, felici cursu migravit ad Christum III Idus Maii, et sepultus est in monte Autrico. Fuit autem temporibus Alexandri et Maximi imperatorum, Aureliano et Marcellino consulibus, præsulantibus apud urbem Romam Felice atque Eutychiano.

Cap. III. — *De S. Valerio.*

Valerius sedit annos 17. Fuit autem temporibus Diocletiani et Maximiani, Caro et Carino consulibus, administrantibus apud urbem Romam dignitatem sacerdotii Gaio, Marcellino, et Marcello præsulibus, qui etiam ab iisdem tyrannis martyrizati sunt; qui beatus vir fideliter cursum vitæ peragens, II Non. Maii migravit ad Christum, et sepultus est apud montem Autricum secus prædecessorem suum sanctum Marcellianum episcopum.....

Cap. IV. — *De S. Valeriano.*

Valerianus, natione Gallus, sedit annos 30. Fuit autem vir maximæ sanctitatis, atque simplicitatis; sed hic beatus cum a progenitoribus sancti Amatoris ad ejus nuptias veniret rogatus, videlicet ut utrosque sua benedictione sanctificaret, Dei nutu arrepto sacramentorum libello pro benedictione conjugali leviticam eis imposuit. Hic etiam cum cæteris coepiscopis, Severino scilicet Senonensi, Solemni Carnotensi, Camilliano Tricassinensi, Pronicio Meldensi, Marcello Parisiacensi, sanctum Evuertium Aurelianorum ordinavit episcopum : fuit enim temporibus Melciadis papæ, sanctique Silvestri sub Constantino imperatore, Constantio et Volusiano consulibus; qui plenus sanctitatis obiit pridie Non. Maii, et sepultus est juxta prædecessores suos in monte Autrico.

Cap. V. — *De Eladio.*

Eladius sedit annos 23; fuit autem temporibus Constantii et Constantini filiorum Constantini sub Marco, Julio atque Liberio Romanis pontificibus. Hic beatissimus pontifex dum verbo et exemplo multos ad Christum converteret, ad eum sanctus Amator simul et Martha jam ejus sponsa spiritalis effecta concurrunt, ac procedentes coram eo votorum suorum desideria pandunt, sicque ille se clericum fieri deposcebat. Tunc antistes considerans atque contemplans Dei eos amore frui, et propter ejusce dilectionem velle sæcularem habitum commutare, utrisque impiger paruit, illum crinibus exonerans, illam castimoniajium cœtui devotissime jungens ac socians, et hic plenus sanctitate, et virtutibus, ut in gestis ejusdem sancti Amatoris legimus, corpus terræ, animum cœlo transmisit, sub die VIII Iduum Maiarum, et sepultus est secus prædecessores suos in monte Autrico.

Cap. VI. — *De S. Amatore.*

Amator, natione Autissiodorensis, ex patre Proclidio, matre Isiciala, sedit annos 30, mensem unum, dies 5; fuit enim temporibus Constantii et Juliani Apostatæ atque Joviniani imperatorum, sub pontificibus Romanis, Felice, Damaso, Syricio atque Anastasio. Hic beatissimus pontifex in juvenili ætate positus cum esset genere nobilissimus, coactus est a parentibus desponsare puellam simili nobilitate pollentem nomine Martham, sed cum jam tempus co-

pulationis urgeret, et (ut superius mentionem fecimus) beatus Valerianus ad eorum nuptias invitatus divino instinctu pro benedictione, levitico eos mancipasset officio, talibus aggreditur associatam sibi virginem verbis : Dic, quæso, immortali sponso dedita virgo, putasne intellexisse benedictionem in nobis effusam episcopi ? Cui virgo : Intellexi, dilectissime juvenis, et nimio sum prostrata terrore formidinis. Cui rursus adolescens : Ne, quæso, paveas, nec hoc imperitiæ deputes, sed potius Dei potentiæ ascribe. Illis ergo alternatim se præceptis Dominicis foventibus, aspicit beatus Amator angelum Dei duas coronas habentem in manibus, qui dixit eis : Suscipite, juvenes, munus vobis Domini pietate concessum, et vestrum in omnibus incontaminatæ mentis custodite propositum. Has voces ex ore angeli prolatas pervigiles juvenes audientes, votorum effecti compotes in sua virginitate permanserunt. Nihilominus et puellæ, quæ præsentes in obsequio dominorum aderant, talia cernentes et ipsæ virginitatis titulum professæ sunt, qui postmodum ab Eladio episcopo tonsus, ac post ejus excessum ab omni populo pontifex electus, talem ac tantum se in divinis præbuit rebus, ut et cæcorum oculos illumineret, paralyticos curaret, dæmones de obsessis corporibus pelleret, et mortuos suscitaret, ut liber de vita illius editus manifeste declarat.

Hic etiam sanctissimus præsul prædicationibus insistens, multos ab idolorum cultura ad fidei veritatem convertit, ut quia adhuc novitas erat Christianorum ab idolis ad Dominum convertentium, parva adhuc ibidem erat basilica, ad portam, quæ Balnearis (nunc templi) a priscis auctoribus nuncupatur. Quæ per prædicationem beatissimi Amatoris ita cœpit pullulare, et Christianos palmites propagare, ut præ multitudine, eos intra angustias brevitatis nullo modo caperet ecclesia. Igitur nobilissimus quidam tunc temporis Ruptilius civis Autissiodorensis habebat infra claustrum ipsius civitatis amplum atque excelsum domicilium paterno sibi testamento demissum. Quod cernens beatus Amator ecclesiæ Dei conveniens fore, sic Ruptilium allocutus est : Noviмus te Deo auctore sacri lavacri laticibus regeneratum, et debes ei, qui te de erroribus idolorum eripuit, et suæ veritati adscivit, in omnibus obedire. Nosti, clarissime vir, quod domus Dei parva sit, et non sufficiat populo Christiano, et quoniam injustum esse arbitror te famulum melius quam Dominum habitaculum possidere, consenti nobis, ut hæc tua domus Christo Domino in ecclesiam consecretur. Ille vero admonitionem sancti viri aspere suscipiens, primum quidem affirmavit se ei nullatenus consentire, sed postea validissima correptus infirmitate, sancto viro quod desiderabat tradidit. Tunc famulus Domini compos effectus voti sui, eamdem domum Christo Domino sub die v Nonarum Octobrium consecravit, ac populis colendam tradidit : hæc est basilica in honorem protomartyris Stephani Christianis populis frequentata.

Siquidem in hac eadem basilica Germanum virum nobilissimum omni strenuitate pollentem, qui eo tempore culmen ducatus apud Gallias a Romanis principibus obtinuerat, angelo docente ubi arripuit, cæsariemque capitis totondit, ac demum Domino sibi revelante successorem elegit : hic denique febre correptus sub die Kalendarum majorum pontificalem thronum ascendens inter manus obsequentium clericorum, necnon et catervas flentium populorum, hora diei tertia emisit spiritum. Continuo itaque chorus sanctorum (quod est dictu mirabile) advenit, spiritumque ejus cum hymnis et laudibus in specie columbæ devexit ad cœlum, qui sepultus est comitantibus miraculis per manus beatissimi Germani jam tunc presbyteri juxta prædecessores suos in monte Autrico, et cessavit episcopatus dies 30.

Cap. VII. — *De S. Germano.*

Germanus, natione Autissiodorensis, ex patre Rustico, matre Germanilla, sedit annos 25, dies 30. Militavit autem sub Valentiniano majore atque Gratiano, dignitate vero sacerdotii functus est sub Theodosio, Arcadio et Honorio, usque ad Valentinianum Juniorem, Constantii et Placidiæ filium, præsulantibus apud urbem Romam Innocentio et Zozimo, Bonifacio atque Cœlestino. Nam ut in Gestis pontificalibus legimus, cum Bonifacio sub contentione Eulalius simul ordinatus est eodem die apud urbem Romam apostolicæ sedis episcopus : quod audiens Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum sederent Ravennæ, retulit Honorio Augusto Mediolâno sedenti ; eodem tempore ambo Augusti missa auctoritate hoc præceperunt, ut ambo ab urbe exirent donec examinarentur. Hæc ideo præmisimus, ut quo tempore beatus Germanus floruit certius demonstraremus : fuit enim nobilissimus genere et ab ipsis infantiæ rudimentis studiis liberalibus institutus, atque ut in eum perfectio litterarum plena conflueret, post auditoria Gallicana intra urbem Romam juris scientiam plenitudini perfectionis adjecit; tantumque apud Romanos dignitatis, potestatis et gloriæ adeptus est munus, ut etiam togam mereretur. In quo actu dum multiplici laudis luce resplenderet, sublimem genere, divitiis, moribus, Eustachiam nomine, sortitur uxorem, sicque eum respublica transmisit ad Gallias, ut illic culmen ducatus, totiusque potestatis obtineret dignitatem. Cumque hujusmodi fungeretur officio, sanctus Amator, qui tunc temporis Autissiodorensem regebat Ecclesiam, Eduam profectus est, divina pulsatus revelatione, ubi Julius præfectus ac reipublicæ rector præsidebat. Quem aggressus sanctus Amator sic alloquitur : Finem meum, Domino mihi innotescente, cognovi, et quia non est alter qui regimen sanctæ Ecclesiæ suscipiat, nisi illustrissimus Germanus (sicut mihi Dominus Deus meus revelare dignatus est), posco celsitudinem tuam, ut licentiam tribuas mihi roganti eumdem Germanum tonsorari. Cui præfectus : Licet necessarius sit atque utilissimus reipublicæ nostræ,

tamen quia Deus sibi illum elegit (sicut tua beatitudo testatur) contra Dei præceptum venire non possum. Hac itaque accepta licentia, vir beatissimus regressus est ad propria. Accidit autem quadam die, ut Germanus stipatus congerie suorum ecclesiam sancti Stephani ingredi voluisset, quod comperiens beatus Amator, ei obviam factus est, sicque eos allocutus est dicens : Exonerate, filii charissimi, jaculis manus, et arma ex humeris vestris rejicite, et sic domum Dei ingredimini, quoniam hæc domus est orationis, non Martis statio petulantis ; illi vero hæc audientes viro Dei citius obediunt. Tunc sanctus Amator videns Germanum illustrissimum nihil oneris truculenti portantem, præcepit ostiariis fores ecclesiæ repagulis arctare, ipse vero glomerata secum turba clericorum atque nobilium virorum, manus injiciens Germanum apprehendit, et invocato nomine Domini cæsariem ejus capitis detraxit, talibus eum exhortans verbis atque confirmans : Satagere te oportet, venerabilis frater, quo incontaminatum atque immaculatum custodias honorem a Domino tibi commissum : scito namque quia me decedente omnipotens Deus tibi pastorale commisit officium. Quod et factum est. Paucis itaque diebus interpositis, sanctus Amator a Christo vocatus ultimum spiritum exhalavit : cum subito universi populi Germanum uno ore proclamant antistitem. Quorum votis non valens resistere, suscepit sacerdotium, tricesima die post obitum sancti Amatoris invitus, coactus, addictus ; sed repente mutatur ex omnibus, deseritur mundi militia, cœlestis assumitur, sæculi pompa calcatur, humilitas conversationis erigitur, uxor in sororem mutatur ex conjuge, substantia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur. O virum cui summa semper debentur, qui amore vitæ æternæ voluntariam amplexus est pauperiem, totum Christo dedit, sibi nihil retinuit ! Jam vero enarrari non potest qua hostilitate vim sibi ipse conciverit, quas cruces quæve supplicia corporis sui persecutor induerit ; nam qualem quantumque se exhibuerit, ideo lingua mortalis expedire non sufficit, quia supra hominem fuit omne quod gessit. Quibus itaque miraculis claruerit prætermittimus, quia exstant libri ad multorum utilitatem exinde compositi. Ecclesiam, cui præfuit, non spiritalibus solummodo, verum et temporalibus copiosissime extulit incrementis, cujus in possesionibus facultas ante ipsum quam fuerit perexilis facile colligi potest, si qualibus eam copiis auctam reliquit et queis rationibus inspectetur. Nam quantum ad natales, nobilissimus fuit nobilium ; quantum ad fortunam, in possessionibus et prædiis ditissimorum ditissimus : omnium quæ ei ex jure paterno cesserunt, in vita sua hæredem fecit Ecclesiam, quam ex parte maxima patrimoniis constare hodie cognoscimus. Sunt autem prædia hæc numero perplura, quantitate maxima, finibus spatiosa, sibique contermina, situs qualitate jucundissima, redditum ubertate præclara : horum in uno (cui Epponiacus ex vetusto nomen est) venerabilis genitor ejus Rusticus superius nominatus cum genetrice Germanilla, in ecclesia beati Joannis nomine dedicata, decenter conditi requiescunt. Hic beatissimus pontifex basilicæ sancti Stephani protomartyris agrum nobilissimum, cui Varciacus nomen est, cum universo apparatu et appendiciis suis contulit. Similiter Vercisum mirabile in se continentem palatium cum appendiciis suis, Poliacum quoque, seu Marciniacum, sed et Tociacum cum suis similiter appendiciis, fundum quoque Patriniacum et Cutiacum æque cum appendiciis suis ; multa denique et alia, quæ nobis modernis incognita, Deo vero sunt omnia nota. Fecit et monasterium in honorem sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, ubi et monachos esse constituit, eorumque stipendiis hæc prædia delegavit, id est villam (cui Monticellus nomen est) ad vinum colligendum, Fontanetum vero ad frumenta serenda, agrum autem, cui Miciglis vocabulum est, ad bucularum cæterarumque pecudum nutrimenta servanda, ubi postmodum sanctus Marianus a fratribus ejusdem monasterii missus est ad eadem pecora custodienda. Monstratur hodieque in eodem monasterio oratorium ejusdem S. Germani nomine consecratum, ubi incunctanter novimus fuisse cellulam afflictionum ejus et cruciatuum consciam, cui nescio ostiolum an fenestram dixerim tanta erat humilitate perexiguum, ut nemo quamvis quantelli corporis nisi pronus perinde repere potuerit. Fecit et basilicam in honore SS. martyrum Agaunensium, Mauricii sociorumque ejus, ubi et hæc dona obtulit, Vuarchiacum in pago Senonico cum universis appendiciis suis, in pago quoque Autissiodorensi Corvallem cum appendiciis suis, nec non et molinis similiter cum appendiciis suis. In quo etiam oratorio sanctum Saturninum vitæ probatissimum suumque discipulum ordinavit presbyterum, ut sub professione sacerdotalis tituli martyrum inibi memoriis deserviret. Fecit et basilicam sancti Albani martyris infra muros ipsius urbis, quam in honore ejusdem martyris dedicavit, reliquiasque ipsius quas secum a Britanniis detulerat, ibidem honorifice composuit. Quot sane venerabilium martyrum busta pontificatus ejus tempore ab eodem beatissimo pontifice comperta claruerunt ? Quis jure excipiendum judicat ? Sanctæ igitur illius multitudinis, quam cum beato Prisco apud locum Quotiacum Aurelianæ persecutionis trucidavit immanitas, sacratissima corpora propter sævientem rabiem clam subducta in cisterna quadam vetustissima a Christianis (qui tunc existebant rarissimi) passim congesta sunt. Horum memoria longo labentium temporum obscurata defluxu, ad tempus usque Germani sanctissimi cunctis ignota delituit. Quo præsule Deus in cujus conspectu suorum semper est mors pretiosa sanctorum, disponens illorum patrocinio populis subvenire, venerenda eorum corpora declaravit, ubi ecclesiam ædificavit ac monasterium monachorum esse constituit. Hoc vero monasterium permansit

usque ad tempora quibus Hunni omnem pene Galliam devastarunt. Quorum persecutione idem cœnobium destructum, et ad solitudinem iterum redactum est. Caput quoque præscripti beatissimi Prisci martyris, miris modis eidem sancto pontifici revelavit omnipotens Deus, cui recondendo quatuor ab urbe millibus basilicam construens consecravit, sicque populis colendam tradidit.

Eodem tempore ex Britannlis directa legatio Gallicanis episcopis nuntiavit Pelagianam perversitatem in locis suis late populos occupasse, et quamprimum fidei catholicæ debere succurri : ob quam causam synodus numerosa collecta est, omniumque judicio duo præclara religionis lumina universorum precibus ambiuntur. Germanus ac Lupus Trecensis apostolici sacerdotes, terram corporibus, cœlum meritis possidentes, et quanto laboriosior necessitas apparebat, tanto eam promptius heroes devotissimi susceperunt, celeritatem negotii fidei stimulis maturantes. Hi itaque Oceanum mare, Christo duce, conscendentes in Britanniam pervenerunt, quam insulam beati pontifices suis prædicationibus atque virtutibus impleverunt : tandem peracto conflictu cum Pelagianis, confirmant antistites fidem verbo veritatis simul et miraculorum signis ; sed et bellum Saxonum Pictorumque adversus Britones eo tempore junctis viribus susceptum, divina virtute retundunt, cum Germanus ipse dux belli factus, non tubæ clangore, sed clamore alleluia, totius exercitus voce ad sidera levata, hostes in fugam vertit immanes. Compressa itaque perversitate damnabili, ejusque auctoribus confutatis, animisque omnium fidei puritate compositis, beatissimi sacerdotes ea qua venerant prosperitate redierunt. Igitur non multo interjecto tempore iterum et Britanniis nuntiatur Pelagianam perversitatem iterato paucis auctoribus dilatari. Qui assumpto secum Severo Treverorum archiepiscopo totius sanctitatis viro, iterum ad supradictam Pelagianam hæresim destruendam Britannias petiit; prædicatio deinde ad plebem ei prævaricationis emendatione convertitur, omniumque judicio pravitatis auctores capiuntur, sicque sacerdotibus traduntur ad Mediterranea deducendi, quod in tantum salubriter factum] est, ut in illis locis nunc fides intemerata perduret. Itaque omnibus rite compositis, beatissimi sacerdotes cum triumpho ad propria sunt reversi. Testantur hodieque quamplurimi didicisse prædictos hæreticos a Germano sanctissimo, Cœlestino papæ fuisse transmissos. Hic itaque divinissimus pontifex, orbique in tenebris agenti lumen inexstinguibile datus Dominus Germanus episcopus, post mirabilem in sæculo vitam, post Gallias Britanniasque, ipsam denique Italiam doctrina et miraculis respersas, a Christo vocatus, salutiferoque confortatus viatico, apud Ravennam Italiæ civitatem Spiritu sancto plenus obiit, Valentiniano juniore Constantii filio cum matre Placidia orbis terrarum obtinente monarchiam, a quibus ibidem pro admiratione sanctitatis atque assiduitate miraculorum, ut liber Gestorum ejus latius explicat, honorifice susceptus, Domino Christo sibi apparente obitus sui prænoscens diem, multa licet cum difficultate obtinuit, ut gleba sui corporis propriæ redderetur civitati. Tum in apparatu defuncti sua certatim studia omnes contulerunt. Acolius regalis præpositus cubiculi (cujus dudum puerum ab atrocissimi dæmonis peste curaverat) venerabile corpus multiformi aromatum compositione confecit. Augusta ut vivo obsecuta fuerat, mortuo quoque ex animo deservire desiderans, sacri glebam cadaveris operosis ac valde subtilibus tumulavit indumentis, ad id devehendum conservandumque ex cypresso mundissima loculo coaptato. Quibus ita compositis, ne quid deesset sanctis officiis anxie præcavit imperator, iter instruxit, evectiones necessarias præbuit, ministros comitesque deducendo funeri destinavit, quod expensarum et totius humanitatis impendiis copiose prosecutus est ; episcopis ea fuit cura permaxima, ne sacris exsequiis vel ad horam deessent officia religionis, quæ ipsi et in præsenti instruunt, et ne processu itineris deficiant, ordinatione præmittunt. Ita funus satis ambitiose instructum magno prosequentium agmine promovetur ad Gallias. Saturnus erat beatissimi Germani presbyter et discipulus, cujus superius mentionem fecimus, vitæ sanctitate præclarus. Is eo protecto in Italiam, jussu ac vice illius in urbe remanserat. Qua ergo nocte gloriosus Domini confessor apud Ravennam felici migravit excessu, iste Autissiodori positus sacrum ejus transitum angelo nuntiante cognovit, ac divina instructus revelatione populis denuntiavit, quorum ingenti secum coacta multitudine ad Alpium juga properat, ubi excipiunt Galliæ patronum proprium tanto ejus funeri propensius serviturræ, quanto potiorem famulatum reverentiæ mistus amoris extorquebat affectus. Ex pridie igitur Kalendarum Augustarum die, qua confessor eximius sarcina levatus carnis, cœlestibus est insinuatus sacrariis, tertius et quinquagesimus volvebatur dies, cum sacri thesaurus corporis propriæ refusus urbi solemni obsequio populorum excipitur, atque intra principalis, cui sederat, ecclesiæ ambitum collocatur ; ibi per decem continuos dies ingentibus officiorum impensis excolitur, donec omnibus quæ ad jus sepulcri pertinent officiosissime apparatis ut virum decebat apostolicum, sepulturæ traderetur. Rite omnibus præparatis, cum et confluentium nulla esset requies, et qui convenerant vix jam regionis amplitudine caperentur, die Kalendarum Octobrium intra sepulcri abdita thesaurus cœlestis deponitur, tanto orbis terrarum officio, tanta humani generis pietate, ut luce clarius constaret omnibus, summi in cœlo esse meriti, cujus in terris tanta providebantur honori. Fuit autem civitas sine episcopo annis quatuor.

CAP. VIII. — *De Alodio.*

Alodius sedit annos 30, mensem 1, dies 22. Hic Alodius cujus meriti vel dignitatis exstiterit, hinc colligi valet, quod beato Germano adhuc superstiti

monasterio illius archimandrita præfuit. Ipso quoque post ad cœlestia regna sublimato, in pontificatus sortem ei succedere meruit. Is imitator et hæres magistri, multis verbo et et exemplo profuit, hujus præsulatus tempore sanctus Marianus a partibus Biturícensium adveniens, monasterio sancti Germani se sociari postulabat, quia idem monasterium antiquæ beatitudinis retinens statum odore suavissimo redolebat, qui beatus vir quam excellentissimæ memoriæ, quantæque sanctitatis exstiterit, libellus de vita ipsius editus plenius manifestat. Sanctus itaque Alodius optimorum locuples stipendiis meritorum in pace decessit IV Kalendarum Octobrium, atque in beati Germani basilica decenter sepultus est. Post cujus descessum mansit civitas absque episcopo annis 10, ob sævitiam scilicet vastantium Gallias barbarorum. Fuit autem temporibus Leonis magni atque Hilarii Romanorum pontificum, imperantibus Leone atque Zenone.

CAP. IX. — *De Fraterno.*

Fraternus sedit die 1. Is qua die a fidelibus episcopus est ordinatus, a barbaris est martyrio coronatus die 3 Kalendarum Octobrium, et sepultus est in ecclesia beatissimi Germani. Fuit autem civitas sine episcopo dies 6.

CAP. X. — *De Censurio.*

Censurius sedit annos 38, menses 3, die 6. Hic est cujus tempore Constantius orator obtentu sancti Patientis Lugdunensis episcopi vitam beati Germani mirabili stylo edidit omnique diligentia elaboratam eidem postmodum episcopo censurio habendam direxit. Ipse vero pontifex beatus, imitator prædecessorum fideliter existens, 28 ætatis suæ anno vita defunctus, IV Idus Junii obiit sanctitatis plenus bonisque omnibus copiosus; sepultus est autem in ecclesia sancti Germani episcopi. Fuit autem temporibus Felicis, Gelasii, Anastasii, Symmachi, atque Hormisdæ Romanorum pontificum, imperantibus Anastasio et Justino seniore. Fuit civitas sine episcopo anno 1, mensibus 2.

CAP. XI. — *De Urso.*

Ursus sedit annos 6, menses 4. Ex hoc viro sanctissimo fideli relatione vulgatur, quod juxta sancti Amatoris basilicam reclusus anachoreticam duxerit vitam, ubi oratorium usque hodie est ejus nominis memoriæ sacrum. Contigit eo tempore urbem repentino afflatam incendio conflagrasse, sed ad virum Dei cum sublatus in altum clamor populi pervenisset, succurrendum periculo ratus, familiarem illuc baculum destinavit. Ipse precibus obnixius atque instanter incubuit, eo inter minaces flammas, et quæ adhuc supererant, constituto, dicto citius incendium omne deflagravit. Hac occasione sancti viri merito declarato urbis decedente pontifice VI extractum præsulatui suffecere; cella ejus in ecclesiam cessit; exegit vitæ suæ tempus annis 81, moribus et meritis pretiosus fragilitatis molem III Kal. Augustas excessit, atque in basilica sancti Germani, juxta prædecessores suos honestam meruit sepulturam. Fuit enim temporibus Joannis papæ atque Felicis. Hic est Joannes, quem Theodoricus rex hæreticus Ravennæ in custodia affligendo interfecit, imperante Justino, Lampadio et Oreste consulibus. Fuit autem civitas sine episcopo anno uno, menses 6.

CAP. XII. — *De Theodosio.*

Theodosius sedit annos 8, dies 23; XVI Kalend. Augustarum diem excepit ultimum peracto vitæ suæ tempore 75 annis, proque suæ merito sanctitatis nobilem in ecclesia beati Germani sortitus est sepulturam. Fuit autem temporibus Bonifacii et Mercurii, qui et Joannes vocatus est, usque ad Agapitum, imperante Justiniano Augusto, Lampadio consule. Invenimus et hunc sanctum virum interfuisse concilio episcoporum, quod actum est ex jussu gloriosissimi Clodovei magni Francorum regis apud Aurelianensem Galliæ civitatem. Fuit civitas sine episcopo anno uno.

CAP. XIII. — *De Gregorio.*

Gregorius sedit annos 12, menses 6, exactoque suæ vicis officio XIV Kal. Jun. humana deponens in ecclesia beati Germani supremum promeruit munus, omne vitæ suæ tempus 84 annis exegit. Fuit autem temporibus Silverii et Vigilii Roman. pontificum, imperante adhuc prædicto Justiniano Augusto. Fuit autem civitas sine episcopo menses 7, regnante adhuc Clodoveo gloriosissimo rege.

CAP. XIV. — *De Optato.*

Optatus sedit annum 1, menses 8, dies 5. Hic construxit basilicam in honore sancti Christophori martyris juxta basilicam sancti Germani ab Orientali parte, cooperantibus duobus presbyteris suis Sanctino atque Memorio. Hic sanctissimus pontifex, excurso vitæ suæ tempore, pridie Kal. Septembrium, cum eisdem sanctis presbyteris suis vitam finivit temporalem, et adeptus est sempiternam, cum quibus pariter et sepultus est in eadem quam construxerat basilica. Post modum vero labentibus annis, consilio nobilium ac sapientum translata sunt eorum sacra corpora in ecclesiam beati Germani, tam officiose, tam solemniter, ut in omnibus Martyrologiis, et maxime vetustis dies translationis eorum insertus habeatur VI Non. mensis Maii. Transitus autem vel depositio eorum pridie Kal. Sept. ut prædiximus adnotatur: uno eodemque sane sarchophago omnes pariter requiescunt. Fuit civitas sine episcopo anno 1. Exstitit autem temporibus supradicti Vigilii papæ, imp. adhuc, Justiniano Augusto; regn. vero Clodo. Fr. rege.

CAP. XV. — *De Droctaldo.*

Droctaldus episcopus obiit VI Idus Novemb. Nihil aliud ex eo memorabile reperire potuimus, quod præsenti Operi inserere quivissemus.

CAP. XVI. — *De Eleutherio.*

Eleutherius sedit annos 28, menses 8, dies 9. Fuit autem temporibus Pelagii primi usque ad Joannem, imperante Justino minori (*Errat hic auctor hoc loco ut in aliis quibusdam*). Hujus præsulatus tempore rex Clodoveus defecit, et filii ejus Childebertus et Clotarius in regnum succedunt; is vero sanctus vir

simul cum beato Leone archiepiscopo suo, Senonensi videlicet pontifice, ex evocatione domini Childeberti regis secundo concilio Aurelianensi de utilitate Ecclesiarum Dei in regno suo consistentium ac diversorum negotiorum tractaturus interfuit. Obiit autem plenus dierum in sanctitate permanens XVI Kal. Septemb. et conjunctus est sepultura sanctis prædecessoribus suis in basilica sancti Germani episcopi. Fuit civitas sine episcopo anno uno, mensibus 2, diebus 10.

CAP. XVII. — *De Romano.*

Romanus sedit annos 3, dies 4. Hic bonis operibus gloriosus, ut fertur, decisione capitis martyrium consummavit, pridie Nonarum Octob. et sepultus est juxta prædecessores suos in basilica sancti Germani episcopi; fuit autem temporibus supradicti Joannis papæ usque ad Benedictum, imperante Justino minore. Fuit civitas sine episcopo mensibus sex, diebus sex.

CAP. XVIII. — *De Ætherio.*

Ætherius sedit annos novem, menses 6; obiit VI Kal. Augustas, et sepultus est in basilica beati Germani. Fuit enim temporibus Benedicti papæ, imperante Tiberio Constantino. Fuit civitas sine episc. dies 4.

CAP. XIX. — *De Aunario.*

Aunarius, natione Aurelianensis, ex patre Pastore, matre Ragnoara, sedit annos 43, menses 10, dies 20. Imperante Mauricio hic beatissimus pontifex cum moraretur adolescens in palatio domini Gontranni regis, erat enim genere nobilissimus, Spiritus sancti gratia afflatus reliquit regnum terrenum, ut in regno cœlesti cum æterno rege maneret: tunc nescientibus parentibus suis Turonicam civitatem adiit duobus secum pueris comitantibus, ibique ad sepulcrum sancti Martini ductus amore Dei comam capitis deposuit: exinde sanctum Syagrium Augustodunensem episcopum petiit, qui tunc in Dei rebus præcipuus habebatur, quem ipse nimio cum amore suscipiens tanta eum eruditione et disciplina instruxit ut virum decebat apostolicum. Divina igitur gratia favente, crescentibus meritis, Spiritu sancto repletus Ecclesiæ Antissiodorensi constituitur pontifex; ibique ipsa die festivitatis beatissimi Germani pridie Kal. Augustarum in eadem basilica episcopatus suscipiens officium, merito cum sanctitate florebat. Hic habuit fratrem germanum Austrenum nomine Aurelianorum pontificem, nepotem quoque ex sorore Agia Lupum virum sanctissimum Senonum archiepiscopum miraculis coruscantem. Hic itaque sanctus vir Aunarius jam factus episcopus cœpit virtutibus florere, et miraculis coruscare. Et quid dicam de illius doctrina, qualis amor in civibus, quæ diligentia in clericis, in pauperibus quam fidelis dispensator, quam magna cura fuerit illi in sanctis, non potest mortalis lingua percurrere; erat enim in facie illius angelica visio, in sermone erudita expositio, in dispensatione largissima humanitatis gratia, reficiebat eloquiis mellifluis omnes, sale vero prædicationis divinæ fidelium corda condiebat, miraque aviditate populus erga cultum Dei ardebat, Deo per ipsum faciente miracula, quem tantis ac talibus ditaverat et illustraverat virtutibus. Quibus igitur miraculis claruerit, cujusque gloriæ in Christo fuerit, libellus de vita ipsius editus scire cupientibus plenius manifestat. Legimus namque in antiquis canonibus hunc beatissimum præsulem interfuisse Matiscensi synodo, quæ habita est anno 24 regni domini Guntranni gloriosissimi regis, residentibus in eodem concilio venerabilibus archiepiscopis, Prisco Lugdunensi, Evantio Viennensi, Prætextato Rotomagensi, Bertechranno Burdegalensi, Artemio Senonicensi, Sulpitio Bituricensi, Syagrio Augustodunensi, cum aliis quampluribus: in qua synodo, multa quæ utilitati sanctæ matris Ecclesiæ conveniunt, utpote tantos ac tales decebat viros pertractantes præcipua quæque viginti capitulis perstrinxerunt. Similiter invenimus interfuisse eumdem sanctum virum alteri synodo, quæ apud eamdem urbem celebrata est ex evocatione ejusdem principis, ab iisdem venerabilibus episcopis, ubi etiam honesta quæque atque utilissima sanctæ Dei Ecclesiæ pertractantes, maxima vero in octodecim capitulis diviserunt. Exstant quoque epistolæ Pelagii papæ ad eumdem beatissimum pontificem, quarum unam nimia vetustate fuscatam, ab authenticis librorum nequaquam pleniter extrahere valuimus, alteram vero huic operi inserendam dignum duximus.

Exemplar litterarum Pelagii papæ urbis Romæ ad Aunarium Antissiodorensem episcopum.

« Dilectissimo fratri Aunario Pelagius. Quantum Deo placitos sedis apostolicæ veneratione vos redditis, tanto commodatior illi, cujus sedes est, fit vestra fiducia charitatis, nec aliter unam solamque Dei confitemur Ecclesiam, nisi omnes ad petram super quam fundata est fides catholica construamur: propter quod dilectionis tuæ desideriis successit effectus, et celer, et facilis, quia eorum sanctuaria quæruntur, a quibus principibus sumpsit prædicatio veritatis exordium. Quod vero in vestris regionibus abundare indicatis Ecclesias novas, gratulanter suscipimus, tamen si scienter expetere studium propheticæ vocis amplecteris, quærite faciem ejus semper. Quantum namque humanis intellectibus Incarnationis Domini nostri veritas aperitur, tanto amplius et honoratur et colitur. Sicut autem vos cupitis Deo nostris orationibus commendari, vos etiam nostris necessitatibus et angustiis, quibus incessabiliter oneramur, intercessionis continuum ferte solatium orantes, et quibuscunque valetis viribus id agentes, quatenus sicut prædicationi sedis apostolicæ consonatis, ita ejus paci vestra impetratio congaudeat et quieti. Deus te incolumen custodiat, frater charissime. Datum pridie Kalend. Novembrium, imper. dom. Mauritio Tiberio, imp. Augusto anno 3, indictione quinta. »

Cæterum idem beatissimus pontifex plurima constituit in Ecclesia Antissiodorensi, sicut in antiquis

canonibus reperitur, quæ ut præcipuo observarentur vigore, consilio et auctoritate Christianissimi Guntranni regis summopere roboravit. Nam ad tutelam gregis sibi a Domino commissi, præcepit, ut tam in civitate Antissiodorensi, quam per parochias ipsius pagi hæc debeat institutio custodiri.

Prima die Kal. Januar. civitas cum clero et populo rogationes faciat.

2 die, Epponiacus et Vendosa.
3 die, Gaugiacus et Nautriacus.
4 die, Corevicus cum clero et populo.
5 die, Bacerna et Accolacus.
6 die, Matriacus cum suis.
7 die, Curcedomus cum suis.
8 die, Drogia cum suis.
9 die, Varciacus cum suis.
10 die, Columbariacus cum suis.
11 die, Campus Lametii cum suis.
12 die, Bargiacus cum suis.
13 die, Domiciacus cum suis.
14 die, Soliacus cum suis.
15 die, Massua cum suis.
16 die, Condida cum Draptiaco.
17 die, Eliniacus cum suis.
18 die, Novus Vicus cum suis.
19 die, Brioderus cum suis.
20 die, Giemus cum suis.
21 die, Blanoilus cum suis.
22 die, Cassiniacus Nantiniacus cum cella Salvii et Mauri.
23 die, Laoderus cum suis.
24 die, Vitriacus et Arcucius.
25 die, Balgiacus cum suis.
26 die, Interranis cum suis.
27 die, Tauriacus cum suis.
28 die, Liccadiacus cum suis.
29 die, Pulverenus cum suis.
30 die, Odona cum suis.

Item constituit ut per duodecim mensium capita ita eædem celebrentur litaniæ :

Kalendis Januarii, basilica domini Germani;
Kalendis Februarii, basilica domini Amatoris;
Kalendis Martii, monasterium domini Mariani;
Kalendis Aprilis, basilica sancti Petri apostoli;
Kalendis Maii, basilica domini Valeriani et monasterium Vulfini;
Kalendis Junii, basilica domini Martini;
Kalendis Julii, basilica domini Juliani;
Kalendis Augusti, monasterinm Decimiacense ad sanctum Ciricum;
Kalendis Septembris, monasterium Fontanetense;
Kalendis Octobris monasterium Coacense ad Sanctos;
Kalendis Novembris, monasterium Saffiacense;
Kalendis Decembris, monasterium Manuacense.

Cæteris vero diebus mensium ut supra ; pari vero conditione instituit, ut omnibus Dominicis diebus ab universis archipresbyteris vel abbatibus taliter vigiliæ in propriis locis fiant.

A *Hoc est a die sancto Paschæ usque ad Kalendas Octobris, a primo sero usque ad illucescentem diem, a Kalendis vero Octobris usque ad Natalem Domini a gallorum cantu; et a Natale Domini usque in Pascha a media nocte. Item constituit a quibus vigiliæ in basilica sancti Stephani in civitate cum abbatibus celebrentur.*

Dominica nocte, basilica domini Germani ad monasterium Decimiacense.

Secunda feria, basilica domini Amatoris et monasterium Fontanense.

Tertia feria, monasterium quod dominus Germanus construxit, ubi sanctus Marianus requiescit, simulque Sessiacus.

B *Quarta feria, basilica sancti Petri et monasterium Manuacense.*

Quinta feria, basilica domini Martini et monasterium Vulfini.

Sexta feria, basilica domini Valeriani et monasterium quod dicitur Varrenas.

Denique congregavit venerabilem synodum in urbe Antissiodorensi, ubi plurima pertractans de salute populi sibi commissi, necessaria quæque et valde utilia in quadraginta et quatuor capitulis perstrinxit, hæc sunt nomina eorum qui eadem capitula confirmantes subscripserunt, quia eadem capitula non duximus inserenda.

Aunarius, *in Dei nomine episcopus, constitutionem hanc confirmavi et subscripsi. Winebaudus abba subscripsi. Desideratus abba. Frannulfus abba. Gregorius abba. Amandus abba. Cæsarius abba. Baudoueus abba. Tegridus abba, Audoueus presbyter. Ananias presbyter. Aliique quamplurimi, qui præsentes adfuerunt, subscripserunt.*

C Qui etiam sanctus pontifex in cunctis utilitatibus quam fuerit studiosus, demonstrat exemplar epistolæ ad Stephanum Africanum presbyterum ab eo directa, ut vitam sancti Germani metrice, sanctique Amatoris nobili stylo describeret prosaice, hunc habens modum.

« Dilectissimo, atque amantissimo et internæ mihi vinculo charitatis connexo fratri Stephano presbytero, Aunarius, gratia Dei episcopus, in Domino æternam salutem. Tuæ nobis doctrinæ multis jam experimentis comprobata prudentia compulit D nos quamdam tuis humeris imperiosam superponere sarcinulam, sed eam quæ tibi non sit oneris, sed honoris, nec quæ deorsum iniquo pondere premat, sed quæ potius cœlum usque sustollat. Cognitum tibi est, charissime frater, et quæ sit humanarum mentium diversitas, et quemadmodum in studia contraria non solum inane vulgus, verum etiam universa scindatur nobilitas, et quidam quidem prosaico oblectantur stylo, quidam autem numeris se rhythmisve ac cantibus versuum delectari fatentur; ergo ut omnium votis occurrerem et nullus suo desiderio fraudaretur, placuit mihi ut vitas beatissimorum confessorum quasdam pede libero describerem, quasdam vero lege metrica impeditius digerere, ob

quam rem obsecro unitam mihi tuæ dilectionis amicitiam, ut beatissimi Germani episcopi vitam in versuum qualitatem commutare non desistas; sancti vero Amatoris prosaica modulatione describas ut sectatores apostolicæ prædicationis effecti, omnibus omnia efficiamur, et nulli quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus; individuam mihi charitatem vestram divina custodiat pietas, venerabilis frater. »

Rescriptum antefati presbyteri.

« Domino beatissimo et apostolicis infulis decorato, Patri spirituali Aunario episcopo Stephanus, omnium servorum Christi famulus. Decursis litteris apostolatus vestri, quo sancti desiderii ardor summa alacritate prætendat luce clarius approbavi; est ergo devotionis vestræ propositum virorum opinatissimorum Germani et Amatoris, floridæ vitæ nobiles, actus describere, sed ad eos lepidissimi callis vestri dirigatur intentio, qui possunt virtutum lumina æquiparis afflatibus inspicere. Verum ego, cujus iners ingenium gemino rigore torpescit, et lingua balbutiens faucium inter rancidulos cursus, squalido sitis impedita rigore non loquitur, sed potius stridet, quomodo potero divinitus inspirata virorum sanctissimorum munera polito expedire sermone, qui nec privata possum humano casu congesta negotia explicare; ridiculo, ni fallor, inexplicabili, ac ludibrio semet impendit, quisquis ultra virium suarum possibilitatem onus assumit. Nonne ferarum sectatores, si minus captiosa industria formaverit, audax temeritas pessundabit? Nunquam tiro victoriæ monimenta parma quæ est picta gestavit, si eum docta veterani exempli manus non instruxit. Nunquam etiam aeris sibi concessum patulum iter ales tutius resecavit, cui prævia dux penniger mater non fuerit; jacebit profecto fluctuum elisione truncatus quisquis suæ procacitatis fisus autoramento indocilem ratis dexteram ingerit clavo, sic unusquisque in diversum imperitiæ hamo inscinditur, si doctorum favoribus minime adjuvetur. Ergo, beatissime vir, quæso ut illa mihi culmen apicis tui imponat, quæ facile me posse perficere non dubitat, si tamen et in hoc opere quidquid illepide aut infacete rustica garrulitas digesserit, æquanimiter feras, aggrediar, et faciam quæ paterna infert ac jubet auctoritas? Vale in longum tempus, domine papa. »

Is quoque vir angelicus beatus Aunarius, cum esset genere nobilissimo maxima dona prædiorum suorum Deo omnipotenti obtulit, quibus et hæredem sanctam fecit Ecclesiam. Dedit itaque basilicæ sancti Stephani agros villasque, quæ ei paterno jure cesserant, hoc est Brioderum cum Venolio, et cæteris appendiciis suis Noluetum quoque et Galonnum, simulque Oscellum cum appendiciis eorum, in pago denique Aurelianensi sive Blesensi, Meldunum, et Brigium cum appendiciis suis, Roccam quoque, e Manoisum et Villarem cum appendiciis eorum, atque villam Deve cum appendiciis suis. Similiter dedit et basilicæ domini Germani (ubi corpus suum sepulturæ mandari decreverat) agrum quemdam nobilissimum in pago Wastanensi, qui Corbilias dicitur, cum omnibus appendiciis suis, ut in pago Avalensi Decimiacum cum Vidiliaco et Calminiaco, cæterisque appendiciis eorum, necnon et in pago Senonico Baldiliacum cum appendiciis suis; sicque sanctus vir omnibus rite dispositis, plenus dierum, sanctitate quoque et miraculorum gloria clarissimus, die VII Kalend. Octobrium migravit ad Christum, cœlo gaudente, terra plorante, sepultus est itaque juxta prædecessores suos in basilica sancti Germani, et cessavit episcopatus diebus 7.

Cap. XX. — *De Desiderio.*

Desiderius, natione Aquitanus ex matre Necteria, sedit annos 18, dies 25, vir nobilissimus atque mitissimus, amator cleri atque totius sanctæ religionis. Fuit autem temporibus Clotarii gloriosi regis, sub Romanis pontificibus Gregorio, Sabiniano, Bonifacio, itemque Bonifacio, imperantibus Phoca atque Heraclio. Cujus sæcularis dignitas tanta exstitit, ut ei nemo suo tempore quamvis potentissimus ex æquo se conferre potuerit. Fuit enim propinquus Brunechildi reginæ, et filiis ejus tam Francorum quam Burgundorum regibus. Quorum munificentia principali ingentem prædiorum amplitudinem consecutus est; hujus genitrix, jam dicta Necteria, in monasterio sancti Amantii, quod est situm in pago Cadurcino, sepulta requiescit. Quod idem postea in matris memoriam, et venerationem reliquiarum sanctorum prædecessorum suorum Germani atque Amatoris, quas ipse ibidem deportaverat, honestis donariis, et maxima fundorum dote perornavit, ut sequens lectio declarabit: nam et pallium pontificale a beato Gregorio expetiit, a quo talem pro hac petitione accepit epistolam.

« Gregorius Desiderio episcopo Antissiodorensi, fraternitatis vestræ desiderium Joannis regionarii relatione cognovimus, quod quidem libenter parati sumus implere, si diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem a vestra sibi relatum dilectione quod ecclesiæ vestræ quædam olim privilegia ab apostolica sede concessa sint, atque usum pallii ejus sacerdotes antiquitus habuisse; quod quia vobis magnopere poscitis reformari, in ecclesiæ nostræ scrinio requiri fecimus, et invenire nil potuimus: sed quam quanto studiosius ita cupitis adipisci, tanto vos arbitramur sollicitos esse in inquirendis chartis ecclesiæ vestræ monemus vigilantem curam impendere, et si qua exinde scripta inveniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ sit vestræ transmittere. Nam qui nova non concedimus, vetera libentissime reparamus. »

Itaque sanctus episcopus adeo fundorum dives exstitit, ut nulla vel Medianæ Burgundiæ, vel Aquitanicæ provinciæ principalis ecclesia inveniatur, quam non rebus auxerit peropimis. Basilicam sane beati Stephani, cui sedit, miro decore ampliavit, ingenti tesselatione a parte Orientis appli ita, auroque ac musivo splendidissime decorata, instar ejus quam

Syagrius episcopus Augustoduni fecisse cognoscitur. Altare quoque antiquum eo transponens sub die XIII Kalend. Maiarum solemniter dedicavit; ubi et hæc dona obtulit : missorium anacteum deauratum, pensantem libras L, habentem in se septem personas hominum cum tauro et litteris Græcis. Dedit et alium missorium, similiter anacteum gravellatum, pensantem libras XL et dimidium, qui habet in medio rotam cum Stephadio, et in gyro homines et feras. Item missorium tertium anacteum, pensantem libras XXXV ; susum habet in se historiam salis cum arbore et serpentibus. Item missorium quartum anacteum, pensantem libras XXX; habet in se Æthiopem et alias imagines hominum. Item bacchonicam auratam, pensantem libras XII, uncias II, habet in se piscatorem cum fuscina, et centaurum cum opere maritimo. Item bacchonicam aliam anacteam, circulatam et nigellatam, pensantem libras XIV et uncias IX. Item aliam bacchonicam similiter anacteam, pensantem libras XIII; habet in se lusores. Item aliam bacchonicam anacteam, pensantem libras X, et habet in se hominem cornutum et arborem, et duos homunciones, infantes in manibus tenentes; caucos anacteos 4, pensantes libras XI et uncias II; habent in se homunciones et feras : unus ex ipsis deauratus. Dedit scutellas anacteas, ex quibus una nigellata pensat lib. IV; habet in se ursum caballum tenentem. Item aliam scutellam anacteam, pensantem lib. III; habet in se leonem taurum tenentem. Item aliam, pensantem libras II et uncias IX ; habet in se leonem capram tenentem. Item aliam scutellam similiter anacteam, pensantem lib. II; habet in se hircum cum cornibus. Item aliam pensantem lib. I et uncias VII; habet in se cervum pascentem. Item aliam pensantem lib. I et uncias IX; habet in se leopardum tenentem capram. Dedit item salariolas 4 anacteas, quæ pensant lib. IV; dedit et gabatas VI, quæ pensant lib. XVI. Item gabatam unam medianam anacteam, pensantem lib. III; et habet in fundo sigillos 4, et in gyro prunellas, cancellos decoratos cum capitellis pensantes lib. VI et semissem. Dedit et hicinarios 2 anacteos, pensantes lib. IV et uncias III. Item hicinarios 3, anacteos, pensantes lib. V. Item dedit cochleares 9 pensantes lib. II et S. Item cochlearem unam, pensantem lib. I et uncias X; habet in medio rotellam nigellatam, et in gyro listram. Dedit et anafum unum, pensantem lib. II; habet leonem et taurum deauratos. Item fuscinam unam præscriptam ; habet caput leonis, pensat lib. III. Dedit et urceum anacteum, qui pensat lib. IV et S. et agemanilis pensat libras III et S. Item cannas 2 pariles deauratas, pensantes lib. V, huic in gyro effigies et ferusculas dedit. Item missorium planum, pensantem lib. VIII et S. ; habet in medio rotam, et in rota monogramma. Item alium missorium, pensantem lib. VIII; habet in medio crucem cum duobus hominibus. Item bacconicam anacteam, pensant lib. X; habet in se homunciones cum duabus ferusculis pennatis. Item aliam bacconicam anacteam, pensantem lib. VIII et S.; habet in medio hominem caballicantem, et ad pedes suos viperam. Item aliam bacconicam anacteam circulatam, pensant. lib. VII et S.; habet in se tres homines grandes, et in gyro homunciones et feras. Dedit item gabatas anacteas deauratas, pensant. lib. XVIII, habet in se homunciones cum pisciculis, gabatam mediatam, anacteam, deauratam, pens. lib. VIII; habet in medio homines et pisculos marifimos. Item gabatas liliatas 5, pariles pensantes lib. IX et S. Item gabatam medianam, anacteam, pens. lib. III; habet in medio caput hominis cum barba. Item gabatam medianam puram, pens. lib. 12 et unc. III; habet in medio gallum. Item gabatam, anacteam, colinellatam, pens. lib. III; habet in gyro homines et feras. Item scutellam anacteam, pensantem lib. II; habet in medio homuncionem et campolum cum arbore. Item scutellam anacteam, pens. lib. II ; habet in medio duos homunciones cum lanceis. Item scutellam parvam pens. lib. I; habet in medio rotelliunculam in gyro nigellatam. Item salariolam anacteam, pensantem lib. I; habet in medio hominem cum cane. Item conchain anacteam, pensant. lib. IX; habet in medio hominem et mulierem, et ad pedes eorum crocodillum. Item salariolam parvam cruciculam habentem, pens. uncias IX. Item suppostorium anacteum, pensantem lib. I et S., cochleares 12, pens. lib. III et unc. II. Item cochleares 12, pens. lib. II et uncias IX. Item cochleares 12, pens. lib. III; habent caudas scriptas. Item ichinarios columellatos 3; pensat unusquisque lib. I. Item ichinarium unum pens. lib. I et unc. I. Item cancellum pens. lib. I et unc. I. Item urceum anacteum, pens. lib. III; et habet ansam prunellatam, et in medio caput hominis. Agmanilia pens. lib. II et unc. X; habet in medio rotam liliatam, et in cauda caput hominis. Item recentarium deauratum, pens. lib. II et S.; habet deforis cavaturas. Item alium recentarium, pens. lib. I et unc. IX; habet in medio listellam et feras. Item schinonem, pens. lib. I; habet caudam nigellatam. Item colatorium, pens. unc. II. Sunt in in summa lib. CCCCXX, unc. VII.

Item quoque sanctus episcopus qualiter suorum hæredem bonorum Christum, et ecclesiam sibi a Deo commissam instituerit, sequens pandit auctoritas ; dedit namque basilicæ sancti Stephani agrum Magniacum situm in pago Antissiodorensi, quem cum domina Brunechilde commutavit, cum domibus et adjacentiis vel omnibus instructis ad se pertinentibus. Agrum quoque Matriacum in honore sancti Memmii construxit cum agello vel cum cæteris appendiciis suis, cum mancipiis, vineis, silvis, pascuis et cum omni jure et termino suo, greges quoque boum, equorum, ovium, armentorum et porcorum eidem basilicæ solemniter delegavit. Similiter agrum Ganniacum situm in pago Tornodorense cum ædificiis, mancipiis et universis appendiciis suis. Domum etiam vel areas infra muros civitatis Cabillonensis sitas, quas cum Wadelino episcopo commutavit, similiter cum vineis quæ sunt sitæ in montanis in

eodem pago in agro Miliacensi cum vinitoribus et reliquis mancipiis, silvis, terris et universis appendiciis eorum. Dedit et agrum Puniacum situm in pago Avalense, juxta castrum Censurium, quem cum illustri viro Macone commutavit, cum omnibus ædificiis, mancipiis, vineis, silvis et cæteris appendiciis suis; agrum quoque Genusiacum vel Talnisiacum cum nucleatorio sitos in territorio Senonico, cum ædificiis, mancipiis, terris, silvis ac universis appendiciis eorum. Domos quoque vel areas infra muros ipsius civitatis Senonum sitas, simulque oleas in suburbano positas. Similiter dedit in pago Sanctonico, villam Siviriacum quam cum domina Brunechilde regina commutavit, cum ædificiis, mancipiis et omnibus appendiciis suis; villam quoque Flacciacam sitam in pago Forojuliensi, quam ei dominus Theodericus rex concessit, et suo præcepto confirmavit, cum ædificiis, mancipiis, olivetis ac universis rebus ad se jure pertinentibus. Item in territorio Sanctonico agros nobilissimos, quos cum viro apostolico Mammone Ecclesiæ Cadurcinæ episcopo vel clero ipsius ecclesiæ commutavit, hoc est Melredante et Lopiacum, Noiogalum et Vriliacum cum universo apparatu et appendiciis eorum. Item in pago Avalense agellum qui appellatur Piciacus cum universis ad se jure pertinentibus. Similiter in pago Augustodunensi villam Dementiriacensem, cum colonica, tilio et cæteris appendiciis suis, dedit etiam jam dictæ matri ecclesiæ agrum Palliacum situm in pago Avalensi cum universo apparatu et appendiciis suis. In pago quoque Senonico Patriciacum quem cum domino Aetio episcopo commutavit, similiter cum ædificiis, mancipiis et cæteris appendiciis suis. Villam quoque super fluvium Choræ positam, Campaniam nomine, et colonicas ad se pertinentes, Riviacum et Crarium, simulque Novamvillam sitam tam in pago Avalense quam in Antissiodorense, cum ædificiis, mancipiis terris et universis appendiciis eorum.

Hujus præsulatus tempore præscripta Brunechildis regina per manus ipsius pontificis obtulit Deo et sancto Stephano calicem miræ pulchritudinis ex lapide onychino, auro purissimo decoratum. Præterea basilicæ domini Germani, ubi corpus suum sepeliri decreverat, hæc dona obtulit, missorium argenteum, qui Thorsomodi nomen scriptum habet. Pensat lib. XXXVII; habet in se historiam Æneæ cum libris Græcis. Item alium missorium planum, pens. lib. XXX. Item bacconicam anacteam pensant. lib. XV. Habet in medio leonem cum urso et in circuitu homunciones et feras. Item aliam bacconicam pens. lib. IX et s.; habet hominem et mulierem, et ad pedes eorum ferusculas. Item scutellam anacteam pens. lib. V, et unc. VI; habet in se hominem caballicantem, serpentem in manu tenentem. Item scutellam anacteam, pens. lib. III; habet in medio rotelliunculam nigellatam cum fera. Dedit et gabatas 2, ab intus liliatas pariles, pens. lib. VIII et unc. II. Urceum anacteum pens. lib. IV; habet assam nigellatam et in medio caput leonis; agmanilia pens. lib. III et unc. IX; habet in medio Neptunum cum tridente.

In die vero sepulturæ suæ præcepit idem præcipuus pontifex cum corpore suo deferri basilicæ domini Germani centum solidos auri purissimi ad suam sepulturam exornandam. Sunt in summa lib. CXIX et unc. V. Cæterum idem sanctus contulit eidem basilicæ domini Germani prædia sui juris, hoc est Bringam in pago Senonico cum ædificiis, mancipiis, vineis, terris, ac omnibus appendiciis suis. Item Roboretum in eodem pago cum appendiciis suis. Agrum Sessiacum situm in territorio Antissiodorensi, quem ipso suggerente, domina Ingundis regina basilicæ domini Germani delegavit, atque suo præcepto habendum confirmavit. Ipse sanctus episcopus usufructuarium vitæ suæ tempore, eadem regina jubente, po sedit, et post obitum suum ut absque ullius consignatione vel judicio jam dicta basilica domini Germani reciperet, præcepit: Item agellum Feriolas situm in pago Antissiodorensi super fluviolum Lupæ cum ædificiis, pratis, silvis cum grege armenti, et grege porcorum, eidem basilicæ ad xenodochium pauperum delegavit. Item dedit in pago Sanctonico villas Saturiacum et Ursionem cum ædificiis, mancipiis, silvis ac universo apparatu eorum, necnon et areas cum domibus suprapositis tam in Metullo quam in urbe Senonica, quas de Vigilegunde matrona dato pretio comparavit. Dedit item per manus Palladii tunc presbyteri et basilicæ domini Germani abbatis, postmodum vero sui in episcopatu successoris eidem basilicæ Orgiacum et Marciacum, cum omni integritate ad se pertinente, simulque Nantillam et Pociacum cum omnibus ædificiis, mancipiis, vineis, plantis novis et universis appendiciis eorum. Nam et dominus Clotharius rex simulque ejus nobilissima conjux domina Ingundis regina per manus ejusdem domini Desiderii episcopi, eamdem basilicam magnis et optimis ornaverunt donariis; fredam vero, quæ sacratissimo corpori est superposita, rex auro argentoque mirifice decoravit, regina nihilominus calice simulque patena ex auro purissimo gemmis pretiosissimis exornato devotissime honoravit.

Cæterum basilicæ domini Amatoris dedit villam nominis Talonensem sitam in pago Antissiodorense, cum ædificiis, mancipiis, terris, cum pecoribus et gregibus equarum et porcorum, et omnibus appendiciis suis. Basilicæ sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quæ est in suburbano civitatis Antissiodorensis, agellum, qui nuncupatur Brittoilus, situm in pago Antissiodorensi, cum ædificiis, mancipiis, silvis, terris, cum gregibus porcorum et equarum et omnibus appendiciis suis. Monasterio, quod dominus Germanus pontifex super ripam fluminis Ichaunæ construxit, ubi bonæ recordationis dominus Marianus confessor corpore requiescit, Villarem qui appellatur Capelinarius, situm in pago Antissiodorense, ad integrum cum pecoribus et

gregibus porcorum basilicæ domini Juliani martyris, A ubi Niginaldus Alba præerat; villam in pago Watinense, quæ appellatur Mansiones Teudbaldi, sui villaris Auroli, cum ædificiis, mancipiis, pratis, cum pecoribus et gregibus porcorum et cæteris appendiciis suis. Monasterio Puellarum, quod in honore domini Martini ultra fluvium Ichaunæ est constructum, agellum, qui appellatur Necariola, quem de Eperia sanctimoniali femina dato pretio comparavit, cum ædificiis, mancipiis, terris, pratis, silvis et cæteris appendiciis suis. De basilica quoque sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, ita in testamento suo posuit : Basilicæ dominorum sanctorum martyrum Nazarii, Gervasii, Protasii et Celsi pueri, quam Marinus diaconus noster pro nostro solatio ædificare videtur, ubi etiam et reliquias eorumdem B martyrum condidimus, agellum, cujus vocabulum est Briennico, juxta agrum Nanturiacensem, quem nos cum bonæ recordationis domino Evodio quondam episcopo commutavimus; simulque Accolatum supra fluvium Choræ positum, sicut a nobis præsenti tempore possidentur, ad jam dictam basilicam pro animæ nostræ remedio decrevimus esse donatos ad ipsam basilicam, vel ibidem deservientibus perpetualiter possidendos. Nam his suprascriptis monasteriis unicuique basilicæ sanctæ Columbæ et sancti Leonis, quæ sunt constructæ juxta Senonicam urbem, agellum, qui vocatur Viscla, situm in eodem pago, cum ædificiis, terris, silvis et universis appendiciis suis, ea ratione ut rectores harum basilicarum eamdem villam æqua sorte inter se dividerent. Basilicæ quoque domini Ursicini Bicicrinsensis, beati Germani quondam discipuli, agellum de villa materni boni, situm in territorio Antissiodorensi, cum ædificiis et mancipiis ac terris ad integrum. Item dedit basilicæ sancti Amantii quæ est exstructa in pago Cadurcino ad stipendium monachorum ibidem Deo deservientium, ubi et genitrix ipsius, sicut jam supra meminimus, corpore requiescit, villas vel prædia, quorum hæc sunt vocabula Marciriacum et alterum Marciriacum cum appendiciis eorum, Lintiniacum, Conclusam, Ultraridam, Siniriacum, Augiriacum, Teponniacum, Vetrarias, Quintiacum, et Cremonem, quæ sunt sitæ in pago Cadurcino, cum ædificiis, mancipiis et omnibus appendiciis eorum. Item villam Crispiniacum sitam in eodem pago ea ratione distribuit, ut duas partes basilica sancti Amantii acciperet, tertiam vero basilica quæ ad sanctos Brittones dicitur, ubi episcopi corpore requiescunt, vindicaret. Item agrum, qui appellatur Cassinatus, in eodem Cadurcino territorio consistentem, cum omnibus appendiciis suis. Item portionem de atro Macrinio et Reclinis, situm in territorio Albiensi, cum ædificiis, vineis, mancipiis et cæteris appendiciis suis. Item in pago Rotonensi vallem Catemariam, Versellas, Grossumniagum, Siacum et Atratum cum ædificiis, mancipiis et omnibus appendiciis eorum. Item Vitaliacum situm in pago Cadurcino cum omni integritate. Præterea dedit et basilicæ sancti Saturnini martyris, quæ est sita in suburbano Tolosanæ civitatis villam, quæ vocatur Silviniacus, sitam in eodem pago cum omni integritate et appendiciis suis. Similiter et agrum Melgiacum situm in eodem territorio, cum ædificiis, mancipiis, terris et cæteris appendiciis suis. Dedit item seniori ecclesiæ Cadurcinæ villam quam Betto tenuit, et ipse ex regum munificentia accepit, sitam in territorio Burdigalensi cum ædificiis, mancipiis et universis appendiciis suis. Multa quidem et alia possedit, sicut testamenti ipsius pagina manifestat, quæ tam nepotibus, quam cæteris suis propinquis largitus est, sed et mancipia non minus duo millia permisit esse ingenua, quibus et ea quæ ad præsens possidere videbantur, ad proprium habere permisit. Qui vere felix, feliciter vitæ peracto tempore, plenus virtutibus migravit ad Christum sub die VI Kalend. Novemb., et sepultus est juxta S. Aunarium in basilica beati Germani.

Cap. XXI. — *De Palladio.*

Palladius sedit annos 26, menses 3; fuit enim temporibus Dagoberti regis, præsulantibus apud urbem Romam Deusdedit, Bonifacio, Honorio, Severino, Joanne atque Theodoro. Hic fuit vir strenuus, atque temporibus domini Desiderii prædecessoris sui, abbas monasterii sancti Germani. Post cujus excessum, eo quod esset vir sapiens, largus atque misericors, ab omni populo in episcopatum eligitur; accepto vero sacerdotio totum se ecclesiasticis tradidit disciplinis, nam basilicam sancti Stephani plurimis et maximis ditavit donariis; fecit enim duas cruces ex auro purissimo, quas et obtulit; sed et plurima vasa anactea, argentea, quæ ad nostram usque ætatem in thesauris ejusdem ecclesiæ servata permanserunt, hæc nos ipsius nomine vidimus insignita; fecit et monasterium sancti Juliani martyris, ubi ædificavit basilicam alteram, quam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicavit, quod monasterium virginum esse constituit, quod ante ipsum infra muros civitatis parvo ambitu constructum, virorum fuisse certissimum est. Nam et id monasterium maximis ædificiis extulit, ac muro undique circumcinxit, et quia omnes ecclesiæ Antissiodorenses suæ ditioni erant subjectæ, tam ex D sancti Stephani quam ex sancti Germani villis copiose ditavit. Fecit et basilicam prope muros civitatis in honore sancti Eusebii Vercellensis pontificis et martyris, cujus testudinem a parte orientali ex musivo simul et auro compsit ac dedicavit, variisque muneribus ampliavit; quod etiam monachorum esse constituit ac muro undique circumcinxit. Fecit et basilicam sancti Germani in pago Antissiodorensi, in loco qui dicitur Vercisus, quam et nobili testudine ex musivo et auro decoravit. Hic etiam constituit ut per singulos annos festivitate sancti Germani, quæ celebratur die Kalend. Octobrium, expleta missarum celebritate, ob amorem et reverentiam tanti præsulis a manu episcopi centum solidos

accipiant canonici basilicæ sancti Stephani, quatenus alacrioribus animis delectet eos per succidiva tempora ejusdem festivitatis celebrare gaudia. Obiit autem IV Idus Aprilis, et sepultus est in basilica S. Eusebii, quam ipse, ut prædiximus, suo opere construxerat, et cessavit episcopatus dies 10.

CAP. XXII. — *De Vigilio.*

Vigilius sedit annos 25, menses quinque. Fuit enim temporibus Martini papæ et Eugenii atque Vitaliani, regnante apud Francos sive Burgundiones Clothario Juniore. Nam et genere nobilis exstitit, et sanctitate præclarus. Inter cætera namque virtutum insignia etiam monasterium in suburbio civitatis Antissiodorensis exstruxit, quod pluribus ditatum muneribus, ut testamenti ipsius series demonstrat, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicavit; quod etiam muro circumcingens monachorum esse constituit, simulque xenodochium pauperum ibidem esse præcepit. Fertur enim de eodem sancto viro veridica relatione quod, jubente Waratone principe palatii, qui Ebroino in eodem principatu successerat, in Cotia Silva martyrium sit perpessus. Imitatus videlicet est eumdem antecessorem suum Ebroinum, qui olim sanctum Leodegarium Augustodunensem episcopum gladio animadverti præceperat. Martyrizatus est autem sanctus Vigilius sub die V Iduum Martiarum. Cum autem sacrum corpus ejus ad propriam veheretur urbem, contigit ejus transitum per urbem fuisse Senonicam, eumque pertransiret quamdam domum, qua rei vinculi catenis tenebantur, subito omnia vincula dirupta sunt, sicque miserorum turba ergastuli illius noctes evadens, sacri cœpit corporis exsequiis deservire; exstant hodieque in testimonium tanti miraculi eædem catenæ sacro ejus inhærentes sepulcro. Sepultus est autem in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ipse construxerat, fuitque civitas sine episcopo dies 5.

CAP. XXIII. — *De Scopilione.*

Scopilio sedit annos 8; fuit enim temporibus Adeodati, Doni, Agathonis Romanorum pontificum sub Theoderico rege, de quo nihil aliud dignum scripturæ reperimus, nisi quod quædam vascula argentea in thesauris ecclesiæ, cui præfuit, conspeximus ejus nomine insignita. Sepultus est autem in basilica sancti Eusebii martyris.

CAP. XXIV. — *De Tetrico.*

Tretricus, seu Tetricus, sedit annos 15, menses 3. Hic fuit temporibus Rom. præsulum Leonis, Benedicti, Joannis, Cononis, Sergii, sub Childeberto Juniore Francorum rege, qui appellatus est justus, vir mitissimus et omni bonitate ornatus; nam et ante episcopatum exstitit abbas monasterii sancti Germani, in quo officio positus talem tantumque se exhibuit, ut merito ab omnibus summo frequentaretur studio; erat enim largus, pius, castus, atque misericors. Deo igitur favente, omnis populus a minimo usque ad maximum, divina inspiratione permoti, cum in pontificum ordinem elegerunt, sicque a basilica sancti Germani extractus, Deo dignus pontifex est electus et ordinatus sacerdos. Cœpit enim mox accepto sacerdotio, prædicationibus insistere, Ecclesiam sibique a Deo commissam spiritaliter erudire. Hic beatus vir, primo anno ordinationis suæ habito concilio, constituit qualiter abbates, vel archipresbyteri in ecclesia sancti Stephani divinum persolverunt officium. Taliter vero ordinavit, ut deserviret,

Kalend. Januarii, 1 hebdomada, basilica sancti Germani.

2 hebdomada, basilica sancti Amatoris.

3 hebdomada, basilica sancti Petri.

4 hebdomada, basilica monasterii sancti Juliani.

Kalend. Februar., 1 hebdomada, basilica sancti Mariani.

2 hebdomada, basilica sancti Eusebii.

3 hebdomada, basilica sancti Martini.

4 hebdomada, basilica sanctæ Mariæ.

Kalend. Martii, prima hebdomada, basilica S. Nazarii.

2 hebdomada, monasterium Longoretense.

3 hebdomada, monasterium Sessiacense.

4 hebdomada, Scolius Vicus.

Kalend. Aprilis, prima hebdomada, Bacernæ Vicus.

2 hebdomada, Vendosa et Gaugiacus.

3 hebdomada, Nauteriacus et Licaiacus.

4 hebdomada, Tauriacus.

Kalendis Maii, prima hebdomada, Choræ vicus.

2 hebdomada, Corcedomus et oratorium sancti Memmii.

3 hebdomada, Troia et Cornacus et Auciacus.

4 hebdomada, Varciacus.

Kalend. Junii, prima hebdomada, Burgiacus et Nantoniacus.

2 hebdomada, Massua.

3 hebdomada, Condida.

4 hebdomada, Dactriacus et Soliacus.

Kalend. Julii, prima hebdomada, Novus Vicus.

2 hebdomada, Brioderus.

3 hebdomada, Giemus et Laoderus.

4 hebdomada, Blanoilus.

Kalend. Augusti, prima hebdomada, clerici Dominici.

2 hebdomada, Eliniacus.

3 hebdomada, Baugiacus.

4 hebdomada, Tauriacus.

Kalend. Octobris, prima hebdomada, clerici Dominici.

2 hebdomada, basilica sancti Germani.

3 hebdomada, basilica sancti Amatoris.

4 hebdomada, basilica sancti Petri.

Kalendis Novemb., prima hebdomada, Domiciacus.

2 hebdomada, monasterium sancti Juliani.

3 hebdomada, basilica S. Mariani.

4 hebdomada, basilica sancti Eusebii.

Kalend. Decembris, prima hebdomada, basilica sanctæ Mariæ.

2 hebdomada, basilica sancti Martini.

3 *hebdomada, basilica sanctorum Gervasii et Protasii.*

4 *hebdomada, monasterium Longoreti et Sesciaci.*

Hac itaque constitutione roborata, constituit ut abbates, presbyteri cum clero, ad suprascriptum officium peragendum convenientes, ex Dominico cellario ab œconomo ecclesiæ stipendium sufficiens accipiant ; si vero tardi occurrerint, aut negligenter apparuerint, 40 dies a vino abstineant. Vicedominus autem, aut cellarius, si quod jure ministrare debent in aliquo subtraxerint, retrusi in monasterium per annum dimidium pane et aqua contenti debitam pœnitentiam persolvant. Is itaque beatus episcopus villam, quæ ei ex successione parentum advenerat, Maximiacum nomine, sitam in pago Senonico, cum ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, et universis appendiciis suis, basilicæ sancti Stephani, cui Deo auctore præfuit, habendam delegavit. De cætero, consummato feliciter vitæ suæ cursu, a quodam, instigante diabolo, ut fertur, archidiacono suo, nomine Regenfredo, dum scamno sopore resolutus quiesceret, gladio verberatus martyrio vitam finivit XV Kalend. Aprilis, et sepultus est cum summa devotione fidelium in basilica sancti Eusebii martyris. Nam de eodem Ragenfredo, antiqua relatione vulgatur quod mox ut a domo, in qua suum interfecerat pontificem, est egressus, subito turbine raptus nusquam comparuit. Fuit autem civitas sine episcopo annis 3. Nam de scamno, super quod interfectus est, plures ex dolore dentium, ob meritum sancti viri, obtinuere remedium. Sed et in eodem loco ob memoriam et reverentiam martyris, a successoribus ipsius, ejus est nomine constructum oratorium, quod hactenus fidelium devotione veneratur et colitur. Exstant hodieque tabulæ ejusdem scamni, ejus martyrium designantes.

Cap. XXV. — *De Flocoaldo.*

Flocoaldus sedit annos 5, menses quatuor, dies 10. Obiit XVIII Kalend. Aprilis, et sepultus est in basilica sancti Eusebii. Fuit autem civitas sine episcopo dies 7.

Cap. XXVI. — *De Savarico.*

Savaricus sedit annos 5, menses 4. Hic, ut fama confirmat, eo quod esset genere nobilissimus, cœpit a status sui ordine paululum declinare, et sæcularibus curis, plus quam oportet pontificem, inhiantem insistere, in tantum ut tam pagum Aurelianensem quam Nivernensem, Tornodorensem quoque atque Avalensem, necnon et Tricassinum militari manu invaderet suisque ditionibus subjungeret. Nam eo tempore Franci inter se dissidentes, cum plurima civilia bella commoverent, in silva Cotia in invicem irruentes, maxima cæde sese mactaverunt; tunc idem episcopus postponens pontificalem dignitatem, undecunque collecta plurima multitudine, cum Lugdunum pergeret, ut eam sibi ferro subjugaret, divino fulmine perculsus, cita morte interiit, sicque ad propriam civitatem reportatus, atque in basilica sancti Germani juxta prædecessores suos est sepultus. Fuit enim temporibus Dagoberti junioris regis atque Danielis (qui mutato nomine vocatus est Chilpericus, atque ex clerico rex est effectus), Pipino cum Plectrude majore domus principante regente.

Cap. XXVII. — *De Hainmaro.*

Hainmarus vocatus episcopus tenuit principatum annos 15. Fuit enim vir strenuus atque nobilitate generis non mediocriter decoratus, simul quoque fundorum dignitate ditissimus. Nam in tantum ejus potestas sæculariter excrevit, ut usque ad ducatum pene totius Burgundiæ perveniret. Contigit autem eo tempore Pipinum, filium prioris Caroli, Aquitaniam ex evocatione Eudonis, Aquitanorum ducis, adversus Aimonem, Cæsaraugustæ regem perrexisse, qui Lampagiam ipsius Eudonis filiam in conjugium sumpserat, et fœdera conjugii ruperat. Convenientes autem in locum, qui Iberra dicitur, dum inter se pugnare cœpissent, hic Hainmarus cum suis in Saracenorum multitudinem irruens, maxima eos cæde prostravit, devicit, atque simul cum rege suo, Christo propitiante, victor exstitit. Sicque Pipinus cum triumpho Franciæ partes repetiit, sed non multum post prædictus Eudo pactum, quod pepigerat cum Pipino, fallaci mutatione deseruit. Unde factum est ut isdem Hainmarus, præcipiente jam dicto Pipino, iterum Aquitaniæ partes collecta suorum multitudine repeteret, atque Eudonem ad bellum provocaret, quibus in unum congressis, tanta subito cæde Aquitani corruerunt, ut vix ipse dux eorum Eudo per fugam dilapsus evaderet. Sed quorumdam insidiante invidia, quæ prosperis rebus semper adesse solet, suggestum est regi, quod ipse Eudo non aliter nisi ex consensu Hainmari evasisset. Qua de clausa, evocatione ab eodem rege apud Bastoneam villam, quæ est sita in saltu Arduennæ, custodiæ carcerali est mancipatus. Interjectis itaque paucis diebus, cujusdam nepotis sui ingenio extractus, arrepto equo fugam iniit, cujus post tergum cum summa velocitate adversarii insequentes in loco, qui Lufaus dicitur in pago Tullensi, eum consecuti sunt. Qui videns se eorum insidias evadere non posse, totum se ad divinum contulit auxilium ; nam, dum extensis brachiis in modum crucis oculis ad cœlum elevatis, supernam gratiam exoraret, lanceis persequentium confossus, simul cum prædicto nepote suo occubuit. Ibique dicitur fuisse sepultus. Servatur hactenus Antissiodori in altare matris ecclesiæ crux aurea ligni Dominici, ostentans in se signa martyrii ejus. Sed et quasdam res proprietatis suæ ecclesiis Dei fideliter distribuit, consilium et ordinationem nactus domini Theodranni, jam tunc ex sua voluntate ordinati pontificis. Dedit itaque basilicæ sancti Stephani, ad stipendium clericorum ibidem Deo deservientium, villam, quæ dicitur Matriacus, sitam in pago Senonico, cum ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, et universis appendiciis suis. Item in pago Antissiodorensi ad xenodochium prædictæ matris ecclesiæ villam, quæ dicitur Miliacus, et alteram quæ vocatur Viriliacus, cum universis

appendiciis eorum. Cæterum basilicæ sancti Germani ad stipendium monachorum villam Abundiacum nomine sitam in pago Antissiodorensi cum ædificiis, mancipiis, silvis et omnibus appendiciis suis. Item in pago Vastinensi villam, quæ dicitur pons Maxentii, similiter cum appendiciis suis. Dedit idem ad xenodochium ejusdem basilicæ domini Germani villas sitas in pago Antissiodorensi, hoc est Nigrontum cum appendiciis suis. Linerolas quoque similiter cum appendiciis suis, simulque Lagunas. Nam Boniacus atque Vitriacus, tempore interfectionis suæ in fiscum cesserunt Dominicum.

CAP. XXVIII. — *De Theodranno.*

Theodrannus adhuc superstite Hainmaro ex ejus consensu est ordinatus episcopus. Obiit autem III Non. Decemb., et sepultus est in basilica S. Eusebii.

CAP. XXIX. — *De Quintiliano.*

Quintilianus episcopus fuit nobilis genere, cujus pater Quintilianus monasterium Miteretense construxit, ac rebus propriis ditavit, xenodochiumque Brittonum Romam pergentium ibidem esse constituit. Hic beatus episcopus ante episcopatum abbas fuit monasterii sancti Germani; sed, ob vitæ meritum ac generis nobilitatem, a monasterio populi electione vocatus, pastor est Ecclesiæ subrogatus; sepultus est itaque juxta prædecessores suos in basilica S. Germani.

CAP. XXX. — *De Cilliano.*

Cillianus episcopus sedit annos sex, menses duos; obiit autem pridie Nonas Augustas, et sepultus est in basilica sancti Germani.

CAP. XXXI. — *De Clemente.*

Clemens episcopus sedit annos 5, mensem 1, dies 10. Hic cæcitatem corpoream passus juxta basilicam apostolorum Petri et Pauli diversorium habuit. Obiit XIII Kalend. Aprilis, et sepultus est in basilica sancti Amatoris.

CAP. XXXII. — *De Aidulfo.*

Aidulfus, ex cantore episcopus, sedit annos 15; fuit temporibus Caroli majoris, et perduravit usque ad Pipinum, in divinis officiis strenuus et episcopali largitate famosus; ejus tempore, res ecclesiasticæ ab episcoporum potestate per eumdem principem abstractæ in dominatum sæcularium cesserunt, siquidem centum tantummodo mansis episcopo derelictis, quidquid villarum superfuit, in sex principes Bajoarios distributum est; abbatiæ vero singulis abbatibus dilargitæ, quam ecclesiæ humiliationem idem religiosus pontifex pene exitialiter doluit, adeo ut paralysis morbo correptus, universis sui corporis officiis privaretur. Eodem itaque diversorio cum Clemente prædicto adhuc superstite clausus stipe ecclesiastica usque ad diem sui obitus alebatur, Maurino ex voluntate ejusdem pontificis subministrante publicas functiones, hic contulit basilicæ sancti Stephani res proprietatis suæ in pago Tornodorensi in villa, quæ Montiniacus dicitur, ea ratione ut stipendiis pauperum perpetuo deservirent; obiit autem Idibus Nov. et sepultus est in basilica S. Germani.

CAP. XXXIII. — *De Maurino.*

Maurinus episcopus sedit annos 28, fuit circa exordium regni Caroli Magni, vir strenuus et facunda urbanitate eloquentissimus, atque sanctitatis titulis admodum decoratus. Fertur namque prophetico spiritu nonnulla prædixisse, quæ mox rei probavit eventus, et quanquam potestate sæculari impar, multis tamen etiam potentissimis dignitate se parem exhibuit; de hoc certissime constat, quod ingenio et prudentia singulari res, ut dudum prædiximus, ecclesiæ suæ substractas, annuente Magno Carolo, tunc rege, postea imperatore, recuperaverit. Acceptum namque aurum, ut fertur, in eadem civitate in turre Brunechildis inventum, atque, ut dicitur, libratim distributum orarii, quo utebatur, nodis hinc inde coercuit, atque collo suspensum, ante prænominati regis præsentiam novo ordine detulit, pariterque commissæ sibi ecclesiæ paupertatem ac suæ tenorem petitionis regiis auribus intimavit, id se prægocitasse asserens, ut singulos palatii principes singulis auri libris in sui adjutorium conciliaret, sed postea mutasse sententiam, atque ut ipse solus cuncta acciperet, rectius judicasse.

Annuit benignitas principis, et ut, decedentibus singulis qui tunc res ecclesiasticas obtinebant, paulatim cuncta reciperet præcepto regio edixit. Sicque annuente Deo res prospere cessit, ut fere intra biennium nullus pene eorum restiterit, quibus prædia ecclesiastica contra licitum deserviebant: ea tempestate abbatia sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, necnon et sancti Martini, sancti quoque Eusebii in usus S. Stephani redierunt. Maxima quoque villarum pars, quæ fuerant eatenus abdicatæ. Hoc præsule, primus comes pagi Antissiodorensis, Ermenoldus nomine, in suo ipsius prædio monasterium in Salvatoris honore construxit, quod idem episcopus solemniter dedicavit, atque ex rebus sancti Stephani villam, cui Cocciacus nomen est, in augmentum dedit, nihilominus præfatus comes obtentu episcopi idem monasterium sancto Stephano postea delegavit. Super altare quoque matris ecclesiæ, hic ipse pontifex pallium, pretiosissimum auro et margaritis obtulit decentissime exornatum. Crucem etiam ex auro purissimo et gemmis pretiosis composuit, nomine inscribens suo. Sed, et imitator existens bonæ memoriæ prædecessoris sui, contulit res proprietatis suæ sancto Stephano, ut pauperum indigentiis subministrarent. Sunt autem eædem positæ in pago Tornodorensi in villa, quæ dicitur Fontanetus; nihilominus et stipendiis canonicorum agellum proprietatis suæ contulit, cujus vocabulum est Villare, non longe a Varciaco, quod ipse a quadam matrona obtinuerat, nomine Rocla. Decessit VIII Idus Augusti, atque in ecclesia sancti Gervasii tumulatus est, quam et ipse quoque renovaverat.

CAP. XXXIV. — *De Aarone.*

Aaron episcopus sedit annos 13. De hoc constat quod proficiscente Romam Carolo Magno sub Leone

papa ad decus imperii roborandum, cum ipso pariter profectus est, atque in ipsa expeditione abbatiam sancti Mariani a præfato imperatore obtinuit. Hic idem pontifex ciborium super altare sancti Stephani auro argentoque mirifice composuit. Obiit Idibus Februarii, et sepultus est in basilica sancti Gervasii.

Cap. XXXV. — *De Angelelmo.*

Angelelmus episcopus, natione Bajoarius, ex patre Obtelmo et matre Hogarde, sedit annos 17. Hic, cum esset vir summæ simplicitatis et charitatis, presbyter ordinatus, et basilicæ sanctorum Gervasii et Protasii abbas præstitutus est. Sane decedente Aaron pontifice, Jeremias Senonensis archiepiscopus, jussu Caroli imperatoris Antissiodorum veniens, in ecclesia S. Germani cleri et populi collegit cœtum; ibi generali consensu accedente, hic idem Angelelmus ab omnibus electus est episcopus et ordinatus. Suscepto igitur pontificali ministerio totum se in divinum transfudit servitium, in orationibus assiduus, in lacrymis frequens, in eleemosynis præcipuus, ac pene suo tempore singularis; fertur enim interdum amore largitatis ægritudinem simulasse, ut absque ullius contradictione, quæ habere poterat, in usus pauperum erogaret. Ecclesiam sancti Stephani non simplici largitate ditavit, altare senioris ecclesiæ, tabulis argenteis ubique compegit, altare quoque sanctæ Mariæ nihilominus tabula argentea decoravit. Sancti quoque Baptistæ Joannis altare simili ornamento decoravit, ante altare S. Stephani tres coronas argenteas præcipui ponderis præparavit; in circuitu altaris decem candelabra maxima et argentea constituit, calicem argenteum optimum cum patena condonavit, ac suo nomine præsignavit. Sed et crucem permaximam inibi collocavit, quam auro argentoque vultu Salvatoris decentissime decoravit, altare argentea tabula ornatum ante eam statuens. Eamdem ecclesiam signis quatuor maximis et sonoris decoravit, fecit et capsam præcipui operis auro argentoque elegantissime comptam, ubi capsam beatissimi Amatoris, cum multis sanctorum pignoribus condidit. Tapetia etiam optima ad sedilia basilicæ exornandæ plurima contulit.

Hujus tempore Ludovicus imperator, facto generali conventu, canonicis regularem vitam imposuit, atque ob tutelam religionis claustri custodiam instituit, ac diversas competentesque officinas eorum usibus ordinavit, qua auctoritate idem pontifex delectatus villam, cui Pulverenus nomen est, fratrum canonicorum scilicet stipendiis deputavit. Et, quia quædam beneficiata erant quæ protinus auferri non poterant, decretum est, ut illis decedentibus, continuo canonici in suos usus reflecterent. Res etiam, quæ ex jure proprio ei cesserant, tam in Biliaco, quam in Amau, eorumdem usibus delegavit. Qui etiam vasa argentea plurima et præcipua in thesauris ejusdem ecclesiæ collocavit, sancto Germano calicem argenteum, cum patena dedit ejusdem schematis, cujus et superiorem fecerat, hujusmodi largitatem sui nominis inscriptione designans. Sancto quoque Amatori calicem argenteum cum patena tribuit ejusdem operis quanquam ponderis minoris sancto Petro similiter. Altare sancti Eusebii tabula argentea exornavit, calicem argenteum cum patena dedit, Evangelium quoque argenteum cum candelabris argenteis, ac thuribulo nihilominus argenteo præparavit, cortinas etiam altaris, ac nonnulla pallia condonavit. In cœnobio sancti Salvatoris, tabulam argenteam cum signo sonorissimo dedit. Per totam denique suæ potestatis diœcesim ecclesiis quidem vicanis ad præparandum calicem et patenam tres libras argenti distribuit. Minoribus vero capellis suis duntaxat ad opus simile solidos 15 destinavit, in vicis quoque præfatis congruam argenti quantitatem largitus est, ad cruces in ecclesiis exornandas. His et hujusmodi bonorum operum frugibus plenus decessit, sub die Non. Juliar., atque in basilica sancti Germani honeste tumulatus est.

Cap. XXXVI. — *De Heribaldo.*

Heribaldus episcopus, ex patre Antelmo Bajoario, matre Frotilde Vastinensi, sedit annos 33. Hunc ab ineunte ætate in palatio educatum post decessum avunculi sui Angelelmi clerus et populus solemni electione facta pontificatui suffecerunt, Aldrico Senonum archiepiscopo cum coepiscopis ex præcepto Ludovici imperatoris hujus negotium procurante. Constat autem eum in ecclesia beati Germani et electione designatum et ordinatione promotum. Fuit autem vir admodum nobilis, forma elegans, eloquio nitidus, singulari prudentia circumspectus. Quamobrem et apud reges plurimum valuit, ita ut in palatio archicapellanus effectus, sæculari quoque dignitate potentissimus ea tempestate exstiterit; atque ut se habent humana, quandiu quidem hujusmodi potestatis apice floruit, sæcularibus negotiis sese mediocriter dedit. Divino autem respectu tandem inspiratus, atque, quod a sæculi appetitu plurimum solet compescere, infirmitatis corporeæ mole gravatus, et mores, et studia in diversa transtulit, seque totum divinis servitiis et ecclesiasticis utilitatibus ex animo mancipavit, in orationibus continens, in lacrymis profusus, in servorum Dei subsidiis largus, in ecclesiarum reparatione ferventissimus, in pauperum recreatione singulariter mirabilis, mirabiliter singularis. Ecclesiam sancti Stephani, et parietibus et laquearibus renovavit, vitreis quoque ac picturis optimis decoravit, coronas argenteas quatuor instituit, circa altare sancti Stephani tabulas argenteas, et sculptura et operis elegantia renovavit, capsam etiam auro argentoque mirifice decoravit, ubi vestimenta sacratissimi Germani reposuit; basilicam sancti Joannis Baptistæ post defectum veteris ab imis exstruens fundamentis in sublime fastigium extulit, ac x Kalend. Januarii solemniter dedicavit. Postmodum vero sanctorum martyrum Alexandri et Chrysanthi pignora, quæ ab urbe Roma detulerat, in eadem ecclesia decenter condidit, fredamque cum cancellis benigno studio exornavit,

atque ad luminaria eorumdem sanctorum patrociniis jugiter observanda, agellum quemdam quinque mansorum vocabulo Bunuorum ex agro Matriacensi, et ex præcepto apostolico benigno amore contulit; basilicam sanctæ Mariæ laquearibus, picturis et vitreis renovavit. Congregationem canonicorum, tam litterarum eruditione quam ecclesiasticæ industriæ studiis illustravit, adhibitis undecunque præceptoribus, qui rem divinam et studio proveherent et instantia amplificarent; sed et in stipendiis eorumdem quam largus exstiterit non licet ambigere, quam qui ex prædictis eorumdem rebus quidpiam detinebant, protinus ut discesserunt absque ulla intercessionis relaxatione, eorumdem usibus reservavit: nam ipsorum vestiario villam, cui Condida nomen est, restituit, cellamque sancti Remigii cum suis appendiciis duasque vineas Corticanum, et Plautas eidem usui deputavit. Cumque regi Carolo post patris Ludovici excessum, et charus esset et intimus, ejus munificentia villas quasdam obtinuit, quæ olim juri ecclesiastico fuerant abdicatæ, quarum hæc sunt vocabula Gajacus cum appendiciis suis, Garsiliacus similiter, Camplemesii similiter, Maximiacus similiter, quam ex æquo dividens, mediam partem luminaribus ecclesiæ distribuit, reliquam medietatem canonicorum stipendiis servire præcepit, regio præcepto hoc corrobante: atque ut in præfati regis memoria ex eadem villa bis per annum refectio præpararetur, una per præpositum, altera per ejusdem ecclesiæ archiclavum immutabiliter sanciente. Hic idem pontifex secundo anno belli civilis, qui est annus Dei hominis facti octingentesimus quadragesimus et unus, corpus beatissimi Germani præcepto regum Caroli et Ludovici ex loco, in quo primum tumulatum fuerat, venerabiliter Kalendis Septembris transmutavit, quod ita et soliditate integrum, et vestibus reperit incorruptum, ut quondam fuerat a venerabili Augusta Placidia decentissime compositum. Ita optimarum virtutum fruge fecundus, plenus ætatis et probitatis, appositus est ad patres suos sub die VII Kal. Maias, atque ut ipse petierat in basilica sancti Germani in crypta sancti Stephani nobilem sepulturam accepit; cujus etiam altare vivens adhuc tabula argentea decoraverat, calicemque itidem argenteum cum patena condonavit.

CAP. XXXVII. — *De Abbone.*

Abbo ex monacho episcopus supradicti Heribaldi pontificis germanus, sedit annos 2, menses 10; vir strenuus, omnimoda eloquentia præclarus, atque tam in divinis Scripturis, quam in sæcularibus principaliter eruditus. Fuit autem abbas cœnobii sancti Germani, post fratris autem decessum jussu Caroli regis electus pontificatui substitutus est. Quis sane vir fuerit, quantumque optima præditus voluntate, temporis brevitas atque mors immature proveniens ostendere non permisit. Is sancto Stephano crucem auream cum gemmis pretiosis contulit, palliumque peroptimum largitus est, cochleam a parte occidentali, a fundamentis inchoavit, altare sancti Stephani auro puro gemmisque exornare decreverat, sed morte intercedente præpeditus, non modicas auri expensas ad id peragendum reliquit. Tali affectu bonæ voluntatis plenus morte præventus est sub die III Non. Dec., atque in ecclesia sancti Germani honorifice tumulatus.

CAP. XXXVIII. — *De Christiano.*

Christianus episcopus, natione Alemannus, ex patre Arcamberto, et matre Emelinde, sedit annos 13. Fuit autem vir simplex, et tanquam naturali quadam animi vultusque hilaritate perfusus, humilitate præcipuus, et familiæ ecclesiasticæ amator ardentissimus. Hic cochleam ab occidentali parte a prædecessore suo inchoatam ad perfectum usque perduxit. Hic ipse pontifex beatissimi Amatoris corporis membra a primæ sepulturæ loco una cum archiepiscopo Burdegalensi, Frotario nomine, festive in cryptam ipsius domus transvexit. Huius etiam studium fuit, ut quæ canonicis ex rebus stipendio debitis deerant, celeri largitatis clementia restauraret. Dedit siquidem eisdem canonicis Albaris villam, quatenus ex ejus redditibus illius memoriale omnibus agatur annis. Decessit X Kal. Decemb. atque juxta prædecessores suos sepultus est in ecclesia sancti Germani.

CAP. XXXIX. — *De Wala.*

Wala episcopus, genere Francus, patre Ardrado, matre Witelai, fratre optimæ recordationis Ansegiso Senonum archiepiscopo, sedit annos 7, dies 28. Hic primo tempore suæ ordinationis ad lectionem sapientium mundi se contulit, dehinc onus vassallorum, quos secum adduxerat ex comitatu Carlemanni, decenter atque prudenter, quia gravabant Ecclesiam, a se removit. Hujus siquidem patris, de quo loquimur, studium fuit magistros litterarum charitative amplecti, eorumque alloquiis et consiliis uti, suoque convivio participari. Quocirca duo luminaria collegii nostri Rainogala et Alagus, collaborante Herrico theosopho simul et monacho, Gesta præsulum istius sedis compendiose atque commatice elucubratis paginis indiderunt. Fuit vero huic viro sincera et convisceralis affectio, cum servis Dei, quos ita sibi unanimes bonis suis reddiderat, ut etiam in extremis pensum diei pro illo gratanter persolverent. Suo etiam tempore præcipui Patres, dominus Trutbertus scilicet atque Hictarius senior, decesserunt. Horum primus prophetico spiritu plenus ægritudinis suæ tempore mansit, et a sacro Domini natalitio, quo cœpit ægrotare, quosdam, qui deerant a collegio fratrum quasi præsens agnoscebat; sequens vero cujus esset meriti dies sepulturæ innuit; ad quam cum adesset frequentia cleri corum et populi, et obsequium sepeliendi rependerent, ictu uno mallei corpusculum, quod vix labore unius diei parari poterat, sectum est. Talia dixisse me nemo floccipendat, sed quibus amicitiis fruebatur, agnoscat: nocturno non modo ipse minime deerat officio, sed et absentes nominatim requirebat, fratres pueros que: librorum copiam, si usquam nosset,

ardenter desiderabat huc advehere, ecclesiæ thesaurum ac si sacrilegium vitabat contingere, donaria argentea vel aurea palliaque peroptima sancto contulit Stephano. Ecclesiarum restaurationes instantissime peregit, ac suo tempore pene feliciter consummavit, et cum nonnulli diœcesanos suos exspolient, propinquosque ditent, iste a consanguineis maxima percipiens Ecclesiæ suæ filiis impertiebatur : neque enim alienis, sed propriis transigebat donis; in omni convictu atque secreto præsentia suorum usus clericorum, non patiens quidquam sinistrum de illis audire vel loqui; utens vulgari proverbio, nesciant laici quid faciunt clerici, et pares paribus socientur. Mors autem immatura eum subripuit, sed Christus super astra sustulit cujus corporis membra Saxiaci monasterii tegit urna, diem VII Idus Mart. clausit extremum, superstitem relinquens fratrem, qui sibi feliciter vixit, et illa quoque pro ejus memoria facienda largitus est in Rivo duos mansos cum regali et episcopali corsensu canonicis sancti Stephani, et in administratione luminis divini altaris sancti Stephani in Piscaliolo villa mansum unum.

Cap. XL. — *De Uribaldo.*

Uribaldus, natione Francigena, Cameracensis civitatis indigena, a Ludovico gloriosissimo ac semper Augusto huic civitati futurus directus est episcopus, parentibus nobilissimis genitus, patre scilicet Leutfrido, genitrice Doda, legale invicem caste servantibus conjugium. Hic a primo ætatis tirocinio spiritualibus imbuitur disciplinis, liberalium artium studiis apprime instructus, Joannis Scoti qui ea tempestate per Gallias sapientiæ diffundebat radios, factus pedissequus, cujus discipulatui longo inhærens tempore, divina simul et humana prospicere, prospera æque et sinistra æquali lance didicit ponderare. Dehinc juventutis solidum robur adeptus ad aulam introductus est regiam, ubi regio militans servitio Christo sibi favente hujus sedis Wala decedente episcopo, meruit suscipere thronum, prælibato rege Ludovico digne famulatum illius remunerante, hujusque Ecclesiæ et cleri et plebis conniventia in unum, ut pontifex ordinaretur applaudente, sicque opitulante Deo, cum summa totius populi exsultatione die Non. April. ab Ansegiso venerabili archiepiscopo ordinatus est episcopus : ubi quam floride vixerit, quanto studio domum sibi creditam sublimare voluerit, quam mitis erga gregem Dominicum, largusque dispensator exstiterit, multi adhuc supersunt, qui oculis se vidisse testantur. Nullum solis æstum, nullum denique hiemis horrebat algorem, quin beati protomartyris Stephani Ecclesiæ decori pervigil insudaret, unde multa munerum regiæ munificentiæ xenia obtulit, ut beati Juliani abbatiam, sancti Stephani servitio applicaret, quod multa cum difficultate peregit, sed regale præceptum, quod ex eo adeptus fuerat, mors immatura possidere prohibuit : mors, inquam, quæ raro tristibus, sæpissime tamen lætis sese immergit. Hic ab occidentali parte ecclesiæ sancti Stephani duo construxit altaria : superius in honore sanctæ Crucis, per quam omni mundo salus effulsit; inferius vero beati Gregorii pro nostris calamitatibus intercessoris, eximiique Pauli apostoli, Amatoris etiam, atque Germani, ac Martini, et Benedicti honore honestissime dedicavit, suæ salutis non immemor, qui per beatum Gregorium animam in imis erebi faucibus alligatam nondum baptismi lavacro renatam, cum salubre tamen ac generale baptismi præceptum supernis sedibus noverat esse illatum, absque dubio confidens ejus precibus, se posse etiam in morte salvari. Congregationi denique sibi commissæ medietatem Chicbirei villæ, regio confirmans præcepto attribuit, ut die suæ ordinationis, suique obitus atque senioris sui regis Ludovici, et sacrorum altarium, hoc est cryptarum, dedicationis die refectio congrua pararetur, quo saltem muneris collatione et per singulos annos venerationis ejus apud posteros revivisceret memoria. Canonicis quoque sancti Eusebii in Molendinis villa, mansos contulit octo per præceptum regium perpetualiter eorum destinans usui, ut eorum interventu fragilitatis illius fieret dilectio. Postremo dum talia aguntur, subitus vitæ irrepsit occasus omniumque quæ videntur et transeunt oblitus, sola mortis cœpit trepidatione urgeri, reum se clamitans, sceleratissimum confitens, veniam a cunctis, ut necesse fuerat, flebiliter deposcens, spes ad cœlum erigitur, mens et consilium ad Christum non sero convertitur, atque post beati Stephani, cujus sedi præfuerat, interventum, sancti Clementis se suffragiis committit, atque in limine domus extra ecclesiam corporis sui glebam sepeliri efflagitat, sicque totus conversus in melius, felici ad Christum transitu migravit. Quem non extra, sed intra ecclesiam beati Clementis affectus cleri recondit, per quem vivens adhuc apud clementiam summi judicis, obnixe se credidit adjuvari. Rexit ecclesiam annis 7, mense 1, et diebus 8, obiitque IV Idus Maii. Mansit Ecclesia absque pontifice menses 3, dies 17.

Cap. XLI. — *De Herifrido.*

Herifridus, natione Carnotensis, vixit gloriose in episcopatu 22 ann., mensem 1, dies 16. Hic vir nobilissimus qualiter hanc suscepit dignitatem, qualis in pontificatu, qualis et ante fuerit non allegare litteris indecentissimum est, eo siquidem tempore Carolus nulli virtute secundus totius orbis gubernabat imperium, quo hospite, felices exstitere res mundi, quia et rex philosophabatur, et philosophus regni moderabatur habenas : nam licet in diversa, utpote regum omnium potentissimus, extenderetur animus, liberalium artium ferulas a palatio nunquam videret deesse, sed regiæ dignitatis aulam totius sapientiæ gymnasium mirareris existere. Ad hunc locum quique nobiles, et regni optimates discendi gratia humani, et ecclesiastici habitus

soboles destinabant, certi utriusque disciplinæ dogma oppido refulgere. Inter alios denique superbi sanguinis juvenes, inibi exsultantibus animos confluentes, aderat præfatus vir ex nobilissima Armoricani tractus prosapia derivatus, Herifridus nomine, morum sanctitate probatissimus, vultu et conversatione angelicus, ardens in humanis tenebris divinæ contemplationis radius. Hujus pater Herifridus nominatus est, mater vero Hisemberga est nuncupata. Nobiles genere, nobiliores sanctitate. Qui licet forent conjugati sæculo, erat tamen in cœlestibus illorum conversatio: qui præfatam prolem tenere diligentes, Omnipotentis et beatæ Mariæ servitio tradiderunt.

In Carnotensi urbe, unde et ipsi oriundi erant, ingenti gratulatione eum tonsorantes: ibi aliquantisper liberalibus institutus studiis, ut in eum litteralis scientia concurreret, domino Gauterio sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ episcopo id procurante, ex cujus processerat progenie, ad supradicti imperatoris famulatum serviturus dirigitur. Illic plene Scripturarum perscrutans paginas, senioris hic inhæsit servitio, ut nunquam ab ejus vellet præsentia discedere, nunquam ab ecclesiasticis negotiis separari. Interea urbis Antissiodorensis in unum collocata cleri et plebis congerie, de eligendo pastore consilium quæritur, atque ad regiæ magnificentiæ aures nuntius percito dirigitur: nec mora rex audito antistitis obitu, omni cupiditatis ardore deposito, divina perordinante clementia consilio aulæ regiæ procerum, acclamantibus cunctis, domino Herifredo cum summa reverentia nominando pastoralem confert baculum, atque ad Senonensem urbem dirigit ordinandum. Quem divinissimus archipontifex Gauterius cum summo honore excipiens consensu cleri et plebis illuc hujus rei gratia confluentis, festivitate sancti Joannis, qua capite præciso cœlestibus est insinuatus sacrariis, in Nigello cœnobio ordinavit, et cum summa exsultatione in hanc sedem inthronizavit. Ubi qualiter vixerit, et quam nobilem se normamque virtutum omnibus præbuerit, plus supersunt, qui hæc luce clarius norunt: et quoniam hostis humani generis adversus justos amplius fraudis suæ pervigil tendit muscipulas, diversa huic viro apostolico ingessit tentamina, ut a veritatis tramite exorbitantem ad sua male suadens verteret consilia. Nam civitas improvise flammis exusta, penitus versa est in cineres tantum et rudera.

His ita gestis, charus domini Herifridus hoc animo induxit suo, nunquam sibi aliquod facturum in urbe habitaculum, donec ædes Dei ecclesia, scilicet beatæ semper virginis Mariæ ac sancti Joannis, simulque primi martyris Stephani in pristinum redigerentur statum. Quas parvo contentus tuguriolo mox reædificare cœpit, et funditus eas opere mirifico exornavit. In hujusmodi studio usque ad vitæ terminum permansit, sicque ecclesiis nobiliter restructis, antecessorum suorum domos condere mors infelix prohibuit. Multa denique præfatæ sedi subtracta erant beneficia, quæ solerti cura summaque vigilantia regalibus præceptis ac apostolicis privilegiis sancita suo loco restituit, ex quibus Malliaci cum suis adjacentiis medietatem altari ad concinnanda luminaria contulit, alteram canonicis ad refectionem die obitus sui præparandam concessit. Crevennum etiam villam et Narciacum ac Novicum, cum suis appendiciis sibi suisque successoribus perpetuo servitura diu multumque laborans impetravit. Artadum denique et in Capilliaco mansum unum in Lindriaco alium, et farinarium, quod est secus murum urbis, ad parandum in die ordinationis suæ edulium fratribus concessit. Oratorium sane beatissimi Clementis, quod est in eadem urbe, flammis exustum restauravit, eique per deprecationem Herimberti, qui his jure beneficiario utebatur, Chimiliacum villam cum ecclesia sancti Andreæ, quæ est in Gurgiaco, attribuit, præcepto confirmans regio. Eodem pacto, ut idem Herimbertus Ecclesiæ sibi commissæ fidelissimus filius, qui omnium ecclesiarum restaurationi post prælibatum pontificem insudavit, eisdem rebus adhuc vivens frueretur, unusque post illum, quem eligeret, propinquus, sicque necessaria præfato subministrarent oratorio, et die festivitatis sancti Clementis martyri congruum canonicis impertirent pastum, quatenus ipsius apud Deum omnipotentem interventu, cui angelicis etiam manibus in mari præparata est domus, criminum fluctibus exoneratam ad æternæ quietis portum suæ virtutis anchora introduceret, et clementiæ suæ sinu jugiter confoveret. Idque domini Gauterii archimandritæ, suæque diœceseos pontificum auctoritate in perpetuum durabile sanxit. In Arbrico quoque mansa quatuor, altari ecclesiæ S. Stephani, in archiclavi dominio condonavit, in Senonico etiam pago et comitatu apud Noerolium villam supra fluvium Ichaunæ mansa videlicet XXXVI, et tertiam partem mansi, quod quondam fuit beneficium Agauonis, cum alodio in Pomerio villa supra fluvium Orosæ, quod Wulfagius sancto Stephano dedit ad restaurandam ecclesiæ ipsius martyris fabricam in ministerio archiclavi contulit, eo tamen tenore, ut et villam et alodium jam dictus Wulfagius ac filius ejus Anseisus teneant, et in censu XV, solidos archiclavo persolvant. Illis vero mortuis, eædem res in ministerium redeant archiclavi. Innumera quippe sunt sanctitatis ejus insignia, quæ penitus narrari carnalis lingua minime sufficiet. Nunc siquidem beatum virum de Christo jugiter ruminantem ægritudo podagricæ passionis subito invasit, chiragræ etiam ac omnium in corpore artuum languor ingens, qua diu multumque gravatus est molestia: sed tamen animus a divina meditatione nunquam vacabat beatæ semper virginis Mariæ ac sancti Joannis Dominicæ Incarnationis prævii, necnon etiam domini Stephani suffragiis

jugiter se efflagitans relevari. Quadam autem die validissimus tumor pedibus ejus sese ingessit, adeo ut sapiendi ac mandendi facultatem ei penitus velaret : tum subito corvus ales cadaverum amica oblita propriæ naturæ partem stanni, qua fuerat cochleare coopertum, ore patulo arripuit, et ante episcopi fenestram juxta quam cubitabat, projecit : quæ stanni particula ante præsulem allata est, quam pontifex arripiens, invocato Domini nomine, fidensque se meritis sancti Stephani posse sanari stannum pedibus superposuit, moxque dolor abscessit, nec mirum, si hæc avis Domini imperio malagma pedibus sancti viri contulit, quæ etiam Eliæ famem carnis edulio refecit. Aliquandiu præterea desiderans uti colloquio domini Rithueri Augustætricorum episcopi, villarem supra fluvium Ichaunæ adiit, quo prælatus pontifex alacriter obvius processit, ubi mutuis sese confoventes amplexibus, longam de religione protulere sententiam. Erat autem ibi fons delicabiles ebulliens aquas, quas vir magnificus Herifridus episcopus intuens lagenam fictilem eadem lympha plenam deferri jussit, equoque insidens, et facto desuper crucis signo vas accepit. Ast equus ferocissimus lagenam insolitam super se sentiens exsilivit, sicque vas ut plenum fuerat solo tenus projecit : mira res : vas enim ut plenum fuerat, ac si manibus leniter deponeretur, super tellurem resedit, et aquas in sese, ne vergerentur, retinuit. Mirati sunt omnes qui aderant. Idem quoque lympham ad se demum reportari jussit, et nomen Domini benedicens sufficientissime hausit, suoque coepiscopo et reliquis hoc admirantibus bibendam dedit. Hoc meritum fuisse pontificis Herifridi, et domini Rithuei nemo sanum sapiens dubitet. Cæterum post longa inter se affamina et dulcia inter sanctos oscula, quique redierunt in suą.

Cumque ad civitatis mœnia dominus Herifridus redire disponeret, deprecatus est ejus magnificentiam Hermembertus illi fidelissimus, quo in ecclesiam sancti Andreæ quæ est in Gurgiaco ea nocte moraturus secederet, cui id quod petebat concessit. Ubi ea die moratus est ; cumque ea quæ pontificem decebant, præfatus Hermembertus præpararet, repente febrium vapore sic accensus est, ut nihil nisi fervorem sentiret. Quod Herifridus gloriosus aspiciens, invocato nomine Domini, ne amplius hanc sentiret molestiam, per eumdem Dominum interdixit, moxque dolor omnis in eo conquievit : deinde cibo sumpto nox ruit, et præscriptus præsul cubitum perrexit. Igitur omnipotens Deus sicut secretorum scrutator est incircumscriptus, ita etiam servos suos diversis occulte examinavit generibus : namque ut se habet humana fragilitas, propter tantum sibi collatum munus ne se præsul extolleret, æstus, quos sua obtestatione et merito ab alterius corpore submovit, ad proprias vires justa Dei sententia retorsit, quippe qui lætus et incolumis toro membra intempestæ noctis silentio locaverat, a somno excitatus ingentem febrium dolorem in toto corpore sensit, qua ægritudine percussus ad sancti Andreæ ecclesiam pernici gressu confugit, ibique quod residuum noctis fuerat, Domino supplicans peregit, dehinc illucescente die sacra missarum solemnia celebraturus accingitur. Quo haustō a divino fonte consilio, corp. et sang. Dom. libamen sumeret, ut ejus virtute cuncta infirmitatis infestatio conquiesceret. Quod divina virtus petenti non denegans. Illico enim ut redemptionis nostræ donum inæstimabile ore sumpsit, febrium calor ac si nunquam in eo fuisset, exstinctus est. Illud præterea non omittendum, quod et in sede pontificali, et in locis circumpositis, divulgatum novimus ; asserunt enim hi, qui illius tempore scholaribus studiis insistebant, quod si mane ejus benedictione, aut saltem præsentia frui mererentur, omnem, ne eo die virgis aut baculo cæderentur, exclusam esse formidinem : omnibus quippe omnia factus est ; senes enim ad potiora suo invitabat exemplo, juvenes placido, ne desiperent, corrigebat eloquio, adolescentes pietatis summæ sustentabat gremio, divites ut sua domino largirentur, seque divitiarum dispensatores non dominos constitutos esse reminiscerentur, jugi studio informabat ; pauperibus etiam velut hilaris dator sua minime negabat : nam clericos stipe et vestibus indigentes, quandiu aderat, secum ut filios reficiebat, cunctaque necessaria subministrabat. Alicubi quoque proficiscens nominatim singulos, quos necessitas urgebat, propter canonicum victum jugiter diario, donec rediret, ministris alere præcipiebat. Hujus erat studii, hujus sollicitudinis ut de ovili Dominico nullam ovem lupi jugiter insidiantis morsus laceraret, sed ut bonus pastor gregem sibi creditum jejunando, pernoctando, orando jugiter defendebat.

Dum talia aguntur, omnipotentissima dispositrix et moderatrix æquissima Dei virtus Deique sapientia famuli sui meritum probare non distulit : nam prolixus languor compagem corporis graviter dissolvere cœpit, ita ut nullum membrum suo valeret jungi officio. Nec tamen sic a Dei sui cessabat obsequio : lingua enim tantum incolumis laudes Domini personabat, ejusque mentem divinarum Scriptorarum meditatio confovebat, utque in futuro salutari hostia, quæ Christus est, non indigeret, ipse in præsenti hostia viva fiebat, usus egregii prædicatoris Pauli exemplo dicentis : Ego jam immolor et tempus meæ resolutionis instat : fidenter dici potest, quia ad suum omnipotens Deus invitabat collegium, cujus in terris positus sectabatur exemplum : tristabatur clerus lugubri mœroris pallio obsitus, ac pastoris benedictione indigens, eumque diutino languore fatigari suspirans, lamentabatur. Præsul autem ut vicinum sensit appropinquare exitum, sciens non posse quod deliberaverat proficere, summam denariorum, quam ad hoc collegerat, dispertivit, triginta scilicet libras ad faciendam ante altare sancti Stephani tabulam ; viginti quoque ad ornanda beatæ Mariæ beatique Joannis altaria : reminiscens

ecclesiam sancti Eusebii penitus esse destructam, dedit ei in Loconiaco villa mansa duo et dimidium, in Ceriaco similiter, in aqua Niolo tertiam partem mansi, medietatem altari conferens, alteram canonicis ejusdem loci largiens, idque longe ante mortem coepiscoporum suorum manibus perpetuo duraturum firmavit, reliqua omnia canonicis suisque erogavit fidelibus. Nudus, inquiens, more sancti Job, egressus sum ex utero matris meæ, nudus et revertar illuc; omnibus enim membris emortuis sola in ore lingua palpitans Domino confitebatur. Quid plura? Tandem ægritudo per artus diffusa ad vitalia rediit. Convenit illic copiosa civitatis multitudo. Occurrunt omnes benedictionis munera implorantes, aderat clerus ejulans, et pro exitu animæ psalmos decantans, moxque præparatis cineribus, et superjecto cilicio ut virum decet Christicolam se desuper extendi jussit, sicque cum aliis grates Domino persolvens et sanctæ crucis signo se cunctosque, qui aderant, muniens, felici transitu migravit ad Dominum, sepultusque est honorifice ante altare semper virginis Mariæ intra urbis mœnia, cui vivens perpetuo se devoverat serviturum.

Cap. XLII. *De Geranno.*

Gerannus episcopus, natione Francus, Suessionis oppidi indigena, patre Otardo genitus, matre Wia editus, rexit episcopatus cathedram 4 annos, menses 6, dies 11. Sic ab ortu nativitatis suæ lacteis infantiæ fomentis educatus, ubi primævum puerilis ævi exorsus est ingredi vestibulum, exemplo provido parentum animos sollicitante cura rudibus scholæ committitur studiis, quibus adhuc tenerrimum stupidumque balbutientis infantiæ sensum mos est eruditi, modo mulcendo, modo blanda severitate terrendo. Denique postquam Davidicis est eruditus melodiis, summi auctoris favente providentia, clericatus est normam adeptus, atque gloriosi martyris Gervasii concioni allectus, ubi regulariter institutus, et venerabilium loci illius Patrum moriger factus historicos librorum campos faceto linguæ plectro transcurrere, atque canoros musicæ artis modos in aula Christi mellitæ vocis boatu resonare didicit. Crescebat quotidie in eo specialis sapientia, vita casta, mores probi, et cum his omnibus locuples rerum abundantia. Hujus horrea atque cellaria, frumento et vino redundantia, tenax non possedit philargyria, sed ea omnibus fecit communia munifica eum inhabitans charitas, ostium domus ejus viatoribus patuit, beneficia consolationis præbuit; gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus, detecta miserorum terga vestimentis contexit, atque purulenta pupillorum capita lympha cum lomento emaculari fecit. His atque hujuscemodi bonorum operum exhibitionibus exornatus, ita omnibus cœpit complacere illius ecclesiæ Patribus, fratribusque, quo non jam ut filius, sed velut pater susciperetur a cunctis. Quid dicam? Siquidem ab imis ministeriorum gradibus gradatim conscendens, ad præposituræ promotus est officium, simulque cum eo archidiaconatus promeruit apicem. In qua honorum dignitate sublimatus, ita se modificare vigilanter studuit quatenus nec fastus typho supra se erigeretur, nec adulantium favoribus a statu conceptæ religionis moveretur; excubias gregis Christi post vigilem pastoris curam instantissime agens, a se et ab aliis vitiorum monstra abegit, atque competentia corporeæ necessitudinis alimenta ac indumenta fideliter ministravit. Talibus, ut dictum est, præconiis, et aliis multimodis usque ad poli sidera evectus, ita mundo opinatissimus enituit, ut et regiæ majestati gratantissimus, præsulibus charus, proceribus acceptus, clericis omnibus venerandus, militibus dilectus, supremis, humilibusque personis atque utrique sexui foret amabilissimus. Factum est ergo, post transitum domini piique pastoris Herifridi Antissiodorensis, Ecclesiam variis ærumnarum excessibus lacessiri, maximeque pro electione pastorali, ad quam nonnulli, non zelo spiritali, sed anxia honoris ambitione exanhelabant. Erat autem ea tempestate vir quidam potens, Ragenardus nomine, ejusdem civitatis vicecomes, fundorum ædificiorumque possessionibus locupletissimus, auri argentive thesauris ditissimus, ac rerum omnium abundantia copiosissimus, parentum nobilitate clarissimus, militum cuneis stipatus, et, ut ita dixerim, in aula Richardi, magni et florentissimi principis, nulli secundus, excepto Manasse ejus germano. Qui, cum talis ac tantus esset, avaritiæ vaporibus æstuans, omnibus se præferebat, singularis singulariter apparere cupiens, et, ut potens potentior, dives ditior efficeretur, virulento meditabatur animo quatenus talem Ecclesiæ præficeret præsulem, quem suæ subdere ditioni quiret, propriæque voluntatis consiliis acquiescere urgeret, quique, si sibi libita domus Dei beneficia invadere tentaret, penitus tyrannica ejus minitante potentia obmutesceret. Nefaria igitur arrepta machinatione ducem Richardum adiit, oblatisque muneribus, ut sibi illius electio Ecclesiæ daretur expetiit; denique compos voti sui effectus canonicorum venerabilem chorum adscivit una cum militari ordine, sciscitans ab eis, quem in voluntate haberent eligendum, ordinandumque episcopum. Cunctis vero silentibus, nihilque aliud respondentibus, nisi quem Deus elegerit: Ego, inquit ille, omnium vestrum dilectionis flamma ardeo, omniumque voluntati et postulationi favere satagens peculiariter venerari ut Patres, honorare ut fidos amicos cunctos vos præ cæteris usquequaque Deo obsequentibus volo, si tantumlibet a vobis promereri valeo, quod vobis suggerere ad generalem honorificentiam gestio. Illis quoque quædam sibi placentia respondentibus ad hæc, subintulit: Est quidam Francigena mihi familiarissimus, Deo ut hominibus acceptus, vocabulo Gerannus, morum honestate præclarus, fide præcipuus, mentis stabilitate vegetus, qui, Deo propitio, cum sit suis civibus bonus, vobis poterit fore melior, si vestra affectione exstiterit pastor; at illi animadvertentes

roboris ejus potentiam et declinare volentes quos inferre poterat calliditatis ejus injurias, pollicentur se ejus parere consilio. Qui protinus negotium accelerat sitiens, prælibati principis nactus licentiam, propinquorum amicorumque fultus juvamine, tandem cleri populique fretus electione, archipræsulis domini Gauterii subnixus auctoritate serenissimum atque piissimum regem adiit Carolum, atque divino suffragante adminiculo, ut vir ille strenuissimus pontifex eligeretur et ordinaretur, promeruit. Qui sanctissimum ac laboriosissimum benedictionis munus adeptus, ab omnibus gratulanter excipitur, et cum ingenti clericorum diligentia innumerabilique populorum frequentia, præeuntibus atque subsequentibus psallentium choris, defertur humeris religiosorum ad aulam primicerii martyrum Christi Stephani, ibique stola pontificali infulatus, in sede sacerdotali honorifice collocatus resedit; ubi procedente brevi temporis curriculo, quam pie vixerit, quantasque a præfato Ragenardo atque a barbarica Normannorum gente pro suo suorumque munimine persecutiones passus sit, saltem succincte expedire licebit, siquidem extemplo post potitam episcopatus sedem, isdem Ragenardus malitiæ virus, quod rapido delitescebat in pectore, non erubuit in omnium obtutibus evomere; accepta namque occasione quasi ex voto sponsionis ejus, Gaiacum villam tribus ab urbe millibus discretam cum omnibus appendiciis suis ditioni ejus ademit, suæque impudenter aptavit, atque, ut in facultates ejusdem ecclesiæ minuendas dementior existeret, ipsius suggestione machinante, Manasses frater ejus potentissimus omnibus hunc Gallicanis divitibus ditior, cunctorumque consiliorum sæcularium arcanissimus perscrutator, unde et regibus et optimatibus cunctis usque ad extremos orbis cardines famosissimus, Nareiacum villam in suos usus redigere non exhorruit. Ille quoque infestissimus hostis ejus, ut prælibatum est, Ragenardus, suis cum præceptionibus adeo concludere nitebatur, ut extra consultum et voluntatem ejus nihil agere tentaret, clericorum illius nullus, militum nemo ei refragari audebat, sed sicut suis, ita illis omnibus imperabat. Interea, dum talibus mens ejus infortuniis auxiaretur, irrumpebant et aliæ calamitates miseriarum, quibus maxime turbaretur, seque totum ad divinum conferre auxilium compelleretur. Normannorum quippe passim bacchabatur sævitia, atque incessabilibus plagis omnem regionem diebus ac noctibus palam et clam depopulabatur, cædibus, et prædiis igniumque deflagrationibus omnem terram exterminans. Quod cum vir heroicus pastorque eximius cerneret, intolerabili cordis mœrore concussus est, pro sibi commisso grege occurrere paratus, Dominici sermonis non immemor, quo dicitur: Quia bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis (*Joan.* x, 11), suos evocat, verbis hortatur, benedictione corroborat, utque bellicis accincti armis secum proficiscantur exorat, mandat Ragenardo verbis postulatoriis ut secum ad pugnam exeat, et minime impetrat. At ille, cum suis tantum urbe egressus, speculatores præmittit, hostesque invenit, initur bellum, potitur victoria, et opitulante divina gratia, profligatis adversariis tria illorum revehuntur labara; duo illic hostium nobiles capti sunt; quorum unus, de muro civitatis præcipitatus, periit; alter eidem Ragenardo datus exstitit. Deinde posthæc, supremi numinis virtute roboratus, quoties hostiles erumpebant phalanges ad exercendas prædas, ipse illorum congressibus se ultroneum ingerebat, modo incautos, modo perspectos occupans, atque non minima strage prosperabatur.

Hujus victrix dextra una cum Richardo et Roberto, duobus maximis proceribus, prælio quod apud Carnotum urbem gestum est, interfuit, ubi, interventu Dei genitricis Mariæ, maxima paganorum cædes acta est, in tantum ut, innumerabili multitudine palante, inventa sint jugulatorum cadavera plusquam sex millia quingenta, exceptis his quos vorago fluminis Auduræ absorbuit, longusque fugæ tractus silvarumque vastitas vulneratos et exanimes obtinuit; alia quoque tempestate succedente, cum Normannicæ potestatis furor pagum Nivernensem diriperet et immensitatem prædæ etiam cum onustis plaustris ageret, invictissimo illis occurrente Richardo, isdem Gerannus episcopus in prima cum paucis acie positus illos imperterritus aggressus est, moxque in fugam versis, ita vis hostilis superata est atque devicta, ut, si qui remanerent, amissa nobilium bellatorum confidentia, nulla ulterius conferre prælia, nullas deinceps depopulari terras auderent, sed se Francorum imperio ultroneos dederent, atque jugo Christi colla submittentes, dæmonicis ludificationibus spretis, lavacrum baptismatis libenter appeterent, et demum dono regis et principum inhabitandam regni partem, eorum antea abliguriendi vesania desolatam sibi dispertitam incolerent; at Ragenardis ejus pertinax calumniator, talibus cum pollere successibus, lividis intuens aspectibus, morbo tabescebat invidiæ, animadvertens illum secundis omnia, quæ moliebatur proficere auspiciis, suosque quos meditabatur conatus, quotidianis deficere detrimentis. Hic itaque gloriosus pastor, cum pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ atque ovilis Christi tuitione ut inexpugnabilis athleta bellico instare non trepidaret agoni, provido sollicitudinis oculo saluti ovium suarum, quemadmodum sagacissimus opilio invigilabat, et a vipereo invisibilis inimici astu per se perque suos eas indesinenter eripere anhelabat. Cujus circa eas amoris magnitudo, in affamine, in convictu, in recepiu quanta exstiterit neget mortalis explicare lingua, sed tamen quanta fuerit ipsa donorum ejus dapsilitas evidenter declarat. Atqui ad solemne suæ electionis memoriale celebrandum dilargitus est usibus canonicorum Logniacum villam et Solium, ut ex eis ad luminaria ecclesiarum sanctæ Mariæ et sancti Joannis, sanctique Stephani modius olei unius persolvatur, et Nancradus et Lupinus stipendiis fratrum cedant. In die

quoque suæ ordinationis eisdem fratribus delegavit in comitatu Gagiacum, cum omnibus appendiciis suis, et vineam, quæ est in suburbio civitatis, et vocatur Circeredus, quam qui habuerit per chartam pro ejus amore Dei, eisdem fratribus canonicorum vini modium unum ad minorem mensuram, et in comitatu Antissiodorensi Tauriacum cum adjacentiis suis, et villarem Quoopertorium, et in villa Prisciaco mansum unum et in comitatu Senonico super fluvium Ormentionem in Germaniaco mansum unum, et super Belcam fluviolum Cervernum, quem ipse emit de Bocardo fratre Gauterii archipræsulis, cum servientibus et omnibus appendiciis suis. In die vero obitus sui eorumdem stipendiis accumulare aliqua satagebat, sed in itinere positus, præventu mortis interceptus, ultimum exhalavit flatum; proficiscebatur siquidem in Franciam, quatenus regiæ majestatis aures interpelleret pro supradictis villis sibi, sicut præscriptum est, ablatis, si forte imperiosa regis jussione, et optimatum postulatione atque Richardi clementissimi ducis absentatione eas posset recuperare. Sed cum pervenisset ad urbem Suessionem, antequam enim attingeret, jam paululum infirmari cœperat, gravari exorsus est languoris incommodo. Ubi honorifice exceptus, cum se letho appropinquare cerneret, luctuosus a corde erumpebat gemitus, profusos lacrymarum imbres effundens, clamans se, quanquam esset in patria velut profugum et peregrinum, absque præsentia dilecti gregis obiturum, ac sine eorum exsequiis, quibus se committere ardentissime satagebat, terræ gremio insinuandum; exhinc ingruente funeris articulo, acceptoque Dominici corporis et sanguinis sacramento, commendans se sibique populum commissum Deo Salvatori omnium, emisit spiritum. Migravit autem ad Dominum v Kalend. Aug. Ibique juxta avunculi sui Rodohini ipsius loci quondam præsulis sepulcrum ab Abbone, ejusdem civitatis venerando pontifice, aliisque duobus episcopis, ad officium sepulturæ illius occurrentibus, aggregatis diversarum collegiis ecclesiarum, hymnidicis laudibus decenter tumulatus, patriam sortitus est urnam. Fuit Ecclesia sine episcopo a XII Kalend. Januar. usque ad VI Kalend. Martii.

CAP. XLIII. — *De Bettone.*

Betto episcopus, natione hujus nostræ Burgundiæ, Burgundio, Senonicæ urbis indigena, patre Alberico atque Burgundione editus, matre vero vocabulo Angela Francigena felici est procreatus auspicio, qui a puero monachus, monasticis institutis eruditus et liberalibus non mediocriter imbutus artibus, tempore Ewrardi, cujus erat consanguineus, abbas extitit cœnobii S. Heraclii confessoris Christi egregii, postea vero loci sui, id est monasterii sanctæ Columbæ, cujus mancipatus fuerat obsequio, voluntati fratrum prælatus efficitur. Qua diutius prælatione honestissime fungens, hæc præcipue illi studii exstitit industria, ut operosis cœnobium illud excoleret ædificiis, ecclesiæque Dei fabricam auri argentique decoraret ornamentis. Turrim siquidem in medio templi præminentem, quæ, ob sui amplitudinem ea tempestate qua prælatum admisit, tegumento carebat, et quamdam brevitatis infirmitatem intuentibus designabat, in sublime extulit, eamque, artificiali argumento pulchro constructam opere, testudine texit, et ob roboris firmitatem subtus arcus priores alios fieri jussit, marmoris columnis subnixos, exedras quoque beati Lupi confessoris Christi, et sanctæ Columbæ Virginis et martyris bracteis aureis atque argenteis fabrili artificio sculptis ambivit; nonnulla etiam vestimentorum peregrina ornamenta in diebus solemnibus induenda monachis supplevit, et tandem, hujus nostri periculosi temporis plenumque timoris instabilem intuens cursum, et provido sollicitudinis oculo prospiciens inter hostiles paganorum acies in suæ integritatis statu monasterii fabricam non posse præstare inviolabilem, fiscus de largissima Omnipotentis clementia, et accepta Richardi, magni principis et ejusdem loci abbatis licentia, operosum aggressus est opus, magna laboris instantia pene usque ad perfectum perduxit: nam in gyro monasterii mœnia cum turribus fundavit, et usque ad propugnacula erexit, quod castrum infatigabili studio peregisset, nisi eum futurum episcopum Dei dignatio ascire decrevisset. Geranno quippe, Autricæ sedis episcopo, ab hujus nostræ communione vitæ corruptibilis per mortis debitum sublato, prædictus vir moribus et vita laudabilis, et pontificatum Antissiodorensis Ecclesiæ dum arriperet, ab omni clero et populo attentius acclamatur; sed is ad hoc se indignum fore clamans, et totis nisibus obtestans tandem opitulanti prælibato principe episcopalem indeptus est cathedram, ubi secundum quam cœlitus didicerat sapientiæ regulam, ita perfecte studuit vivere, ut immensitatem opinionis ejus et famæ, nullius valeat doctoris vel linguæ disertitudo perorare, vel doctrix manus stylo exarare. Nos tamen summatim perstringentes vitæ illius qualitatem, hoc verissime asserimus, quia sapientiæ documentis egregius, sanctimoniæ candore præclarus, prudentia perspicuus, gravitatis suavitate vernans, frugalitatis vigore coopertus, dapsilitatis benignitate exstitit perornatus. Huic mos inerat tempore convivii post sessionem ad mensam, primam ciborum appositionem duodecim egenis in suo conspectu residentibus, aliisque alicubi positis pene omnem dirigere, continuo æque alia non minima subsequente, in qua refectione post finem divinæ lectionis, nemo aliquid indecens aut scurrile audebat loqui, sed, quicunque ex ore proprio quiddam nitebatur proferre, observabat ut ejus verbum, aut divinum aliquid aut humanum bene condecens sonaret. Talibus itaque vitæ lampadibus nitens, et Deo et omnibus hominibus complacebat. Nam, a tempore Geranni præsulis, Ragenardus vicecomes Caiacum et Juliacum villas, non longe multum ab urbe sitas in suo detinebat dominio; sed tamen hic vir egregius, cum nequiret eas, nec speciali commonitione, nec precum importunitate ab ejus jure extorquere, sa-

libri reperto consilio, exhibitis pecuniæ donariis, illas suæ restituit potestati, et ut præcessorum suorum imitator fors et in die obitus sui memoriale illius gaudentes canonici recolerent, contulit eis Vendosam ecclesiam et Rontonicum villam, et in Carboiaco mansum unum; cumque meditaretur, ut ædes episcopales, quæ post civitatis deflagrationem a nemine fuerant vel mediocriter reparatæ, exædificaret, et in aula Christi quæcunque posset honori congrua studenter exerceret, pleuritico languore graviter astrictus, diuque detentus, cum a fidelium catervis custodiretur, et circa eum divinæ laudes ac lectiones celebrarentur, felicem Deo cum confessione catholicæ fidei spiritum reddidit ipsa die VI Kalend. Mart., sepultusque est in crypta ecclesiæ sancti Germani; sedit annos X, menses 11, dies 14. Fuit Ecclesia absque pontifice a VI Kalend. Mart. usque ad V Kal. Aprilis, hoc est diebus 33.

A

B

Cap. XLIV. — *De Gualdrico.*

Gualdricus episcopus Antissiodorensis pagi, indigena, alta prosapiæ ortum stirpe trahens, Gualdricum habuit patrem et Hemmenam genitricem. Hunc mox in ipso primordio nativitatis, utrique parentes Deo sanctoque Germano monachum futurum flagranti devoverunt animo, atque paternis nutritum laribus congruenti tempore cœnobitis Patribus educandum tradiderunt. Quorum intra contubernium litterarum satis est institutus scientia, atque divina illum protegente et augmentante gradatim providentia strenue postea factus est loci illius archimandrita: in cujus apice regiminis, ita se omnibus æquitatis trutina librare studuit, quatenus in his, quæ agere illum oporteret, nec nimis facilem nec nimis difficilem se exhiberet; erat enim sagax ingenio, prudens eloquio, in administratione cautus, in consilio perspicax, intus forisque idoneus; cunctis denique post obitum domini Bettonis episcopi, quia talibus aliisque quampluribus inter affines splendescebat bonæ opinionis insigniis, voluntate atque licentia præcellentissimi domini Richardi principis, ab universo clero et populo futurus appetitur et acclamatur episcopus; electus a monasterio progreditur, ac sacra delibutus unctione consecratur et ordinatur episcopus. In cujus dignitatis cathedra quam laudabiliter Ecclesiæ Dei præfuerit, et quæ in ea gesserit non est tegendum silentio, sed ex multis pauca excerpere mandandum est calamo, nempe in egressu suo, in qua maneret, episcopalem non invenit ædem, sed in quamdam monachorum infra civitatem sitam se divertens mansionem, inibi interim degit, donec sua jussione major cœnaculi domus ab Herifrido præcessore suo inchoata episcopo, sed non perfecta, et a Bettone postmodum episcopo aliquantulum suppleta perficeretur, adjecto postmodum alio ligneo cœnaculo æstatis tempore sub solis caumate ad refrigeranda convivantium et cœnantium corpora præparato, fecit etiam sursum juxta cochleam ipsius domus Dei duas lapideas mansiones, unam a meridie et alteram ab aquilone, quarum una convictui et sopori, altera recondendis rebus domesticis aptissima foret, capella in medio locata, et in honore sanctæ Crucis dedicata; patefecit quoque mediam cryptam ipsius cochleæ ad introitum commeantium ab occidentali regione, et ante eam statuit porticum funditus a se constructam; et valvas operosa ferri fabrica quibusdam ex se picturis distinctas coriisque, undique glutine contectas et fuco rubicundo coloratas ad custodiam templi inter cryptam et porticum posuit, aliisque portis incultis oppositis e regione plateæ civitatis. Denique infra ecclesiam in sublimi erexit tabulatum modicum cum gradibus ligneis, ut per hos essent ascensus sursum et descensus deorsum, et plerumque si a domo suprema egredi vellet, eumque ad inferiora tæderet descendere, illinc clarius supra gregem posset intendere. Infra quoque ecclesiæ ambitum ad decus solemne unam argenteam fabricari fecit coronam, atque in honore sancti Stephani unam manum auream gemmis politam, et alteram in honore S. Germani absque gemmarum ornatura positis in ambabus ipsorum pignoribus sanctorum simul cum augmento aliarum reliquiarum; contulit etiam ibidem Deo et sancto Stephano duas cruces parvas ex auro optimo; quarum una cum electro fabricata relucet, in qua intus posuit reliquias ex osse sancti Laurentii, deforis in ipsius electri nobili sculptura expressa passione supra craticulam ipsius martyris almi Laurentii.

Quoniam autem in eadem aula Dei erat pretiosissimum pallium cum Leonum imaginibus, in quo erat scriptum inter leones Græcis litteris, ΧΡΙΣΤΟΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ, non destitit priusquam aliud ejusdem similitudinis pallium invenit, emptumque ibidem dilargitus est, quatenus unum inde, quasi sibi respondere viderentur alterum pallium diaprasii coloris et nominis cum hirundinibus, in quo Phrygium opus ab Herifrido prius factum ex auro supra aram altari resplendet diebus festis. Dedit quoque unum vexillum auro comptum ad efferendum cum aliis tempore publicæ processionis; denique quando Romam profectus est studio saluberrimæ orationis a Domino apostolico Joanne maximis precibus impetrare meruit reliquias supra memorati Laurentii martyris ac sanctæ Eugeniæ, quas postquam secum devexit, atque in templo primi martyris comitantibus clericorum populorumque non modicis catervis, cum magno gaudio et honore collocavit, immensas omnipotenti Deo gratias laudesque retulit, cujus larga munificentia talia et tanta in longinqua regione sanctorum pignora obtinere, et huc usque deferre immeritus quivit. De quibus partem monachis sancti Germani, qui ei obviam processerant, dedit; aliam vero sibi retentam ita distinxit, ut ibidem pars minor retenta servaretur, major vero secum ad Varciacum deportaretur, quam in ipsius beatæ virginis et martyris postea recondidit aula: nam suorum temporibus prædecessorum beato Germano viro apostolico nobilis ibi relucebat basilica, maximi populorum instantissima devotione collectis freque

C

D

tata. Ast idem vir ferventissimus divini honoris amator factus est postmodum, ut pater omnibus, ipsius ecclesiæ propagator, et intus deforisque strenuissimus cultor, siquidem ab ipsis eam fundamentis undique disposuit, tectura, vitreis fenestris, laquearibus pictis ornavit et excoluit, altaribusque nonnullis cum sanctorum pignoribus propriis titulis dicatis sacratissimam præstitit. Posthæc ibidem quæ divino erant obsequio competentia accumulavit, hoc est libros, vestes, pallas, signa et vasa sacrificio Dei necessaria; secus vero templum instruit sibi suisque habitacula successoribus pulchro opere facta, et ad degendum tam religioni, quam etiam corporeæ necessitudini congruentia, nec non etiam in eadem villa Varciaco duas ecclesias vetustate dirutas, unam in memoriam sancti Petri, alteram S. Saturnini ex toto reparare sategit, et in cœnobio Sanxiacensi aulam S. Baudelii furibunda Normannorum rabie crematam et postea lapsam, sacro divini amoris æstuans igne propriis impensis ad integritatem pristini status reformare, non parva munerum oblatione nobilitavit, largitus quippe ibidem et unam capsam argenteis tectam laminis ac deauratam, et unam crucem magnam similiter argenteam, instar crucis ecclesiæ S. Stephani fabricatam et sculptam. Duo quoque super altare Dei obtulit pallia optima, et tria facitergia cum calice et patena ex argento fabrefacta et unam Albam polymitam, et casulam prasinam, cum superhumerali et cingulo, utraque auro compta; nam et monachis ipsius loci, quia paupertatis inedia soliti erant angi, multa conferebat ex suo alimenta, ac, ne deficerent a servitute Dei, ad exercendos corporum et animarum labores piis eos alloquiis animabat.

Interea ad restaurationem ecclesiæ sancti Eusebii in suburbio civitatis sitæ deputavit solidos centum; similiter fecit et ecclesiæ sancti Gervasii, quæ est citra fluvium Ichaunæ, et hoc jam circa vitæ exitum. Verum si vita ei aliquandin prolatata nutu Dei exstitisset, ambas illas ecclesias propriis redintegrasset impensionibus. In ecclesia sancti Germani multa crebro est dilargitus exenia, inter quæ rutilat argentea tabula in introitu ecclesiæ ante altare sancti Joannis, ejusque tumulum posita, et argentea corona, quæ dependi solet ante prospectum altaris sancti et confessoris gloriosi Christi Germani; et cum delatus est exanimis ad sepulcrum, isdem locus unum pretiosum ab ejus capitulo suscepit pallium. Præterea hanc in sua instituit ecclesia saluberrimam consuetudinem, ut omnes sui episcopatus diœcesani sacerdotes cum suis parochianis per dies Pentecostes festivos, cum crucibus atque vexillis, ad principalem sancti Stephani conveniant aulam, lustratis in gyro cunctis albatiis, ibique ab archidiacono spiritualis verbi reficiantur epulis; et dehinc si episcopus exstiterit, percepto benedictionis munere alacres redeant ad propria, cum gratiarum actione. His igitur operum ejus insigniis depalatis, quibus coruscaverit animo virtutibus sequentia pandunt. Fuit siquidem divinorum non segnis officiorum amator, atque in solemnitatibus Dei vel sanctorum musicæ jubilationis severissimus concrepator, lætus animo, vultu alacris, processu jucundus, convivio dapsilis, haustu placabilis, patientia lenis, alloquio sobrius, et omni honestate compositus, amator clericorum, sed potius monachorum, quorum studiis et conversatione a primordiis fuerat institutus, diligebat militum contubernia, sed major illi inerat erga propinquos affectio, et largitas profusior, vacabat opportuno tempore orationibus, et interdum suorum fidelium instabat collocutionibus, sibi suisque congruentibus : Quotidie post missarum expletionem multis collectis pauperibus cum psalmorum modulatione panis et vini ipse administrator aderat, dans singulis pro qualitate aut quantitate personæ, aut integrum, aut dimidium panem, cum optimo calice vini; et cum hoc faceret omni tempore, in Quadragesima tamen, pluribus plurima erogabat, aliquibus denarios distribuens excepto mandato in die cœnæ Domini, cum vestimenta dabantur, et luculentior cibus et potus apponebatur. De multis pauca diximus, quibus in vita mundo floruit famosissimus. Tribuit autem Dominus Deus quo ista aliaque eminentiora de suis scribantur successoribus. Itaque piis honestatus felicis vitæ laboribus, langnore correptus Creatori reddidit animam, suisque corporis in ecclesia sancti Germani nobilem sortitus est sepulturam. Sedit in episcopali cathedra annis 15, diebus 24, et transiit ad Christum XI Kalend. Maii. Fuit autem Ecclesia sine episcopo ab ipsius obitus die usque ad XIV Kal. Junii, hoc est diebus viginti septem.

A beato Palladio usque ad 12 annum et 2 menses episcopatus Domini Guidonis III, scilicet Kalend. August., quo videlicet die idem episcopus corpora sanctorum pontificum Palladii et Tretici in ecclesia sancti Eusebii diu humata, ut a populis venerarentur, et ipsi alacrius subvenirent, cum hymnis et laudibus a bustis propriis erexit, et super altare posuit. Sunt anni 325, menses 3, dies VI præter numerum annorum præsulum duorum, Theoderanni scilicet et Quintiliani, qui hoc catalogo inscripti in prætitulatione habentur.

CAP. XLV. — *De Guidone.*

Guido, sola Dei clementia operante, Antissiodorensis episcopus, Senonico pago ortus est, patre Bosone, matre Abigail. Hic vir primævæ ætatis crepundiis ecclesiæ S. Stephani Antissiodorensis sub regimine Domini Herifridi præsulis traditus ac tonsuratus est, ubi litteris tam divinis, quam humanis pro posse eruditus est, quousque ibi degens ad perfectam pervenit ætatem, dehinc rebus omnibus Deo se protegente postpositis Rodulphi regis et uxoris ejus Emmæ servitio se mancipavit, ibique diversas decedente Waldrico episcopo, ad episcopalem mox invitatur honorem, et electione cleri et plebis, rex reginæ precibus ei attribuit cathedram. Sicque XV Kal. Januar. Senonis ordinatus tandem ascensionis

Dominicæ die, a monasterio S. Germani in Antissiodorensem, ut moris est, S. Stephani inthronizatus est ecclesiam, cujus possessio, quamvis esset exilis, quantum potuit, ut cresceret ecclesia, cui præfuit, et decoraretur vigilantissime sategit; sed quod ibi operatus est, ne forte oblivioni tradatur et cupiditate successorum et ministrorum ab ecclesiæ dominio subtrahatur, huic opusculo ratum duximus inserendum, scientes quia facientis non deerit præmium.

Primum namque villam Crevennum sancto Stephano sublatam cum suis appendiciis per præceptum regale regis conniventia loco restituit pristino, tradens medietatem ipsius villæ canonicis, et pro absolutione animæ ipsius pontificis; alteram vero medietatem prædictis canonicis in die obitus præfatæ reginæ, et pro recordatione animæ supradicti pontificis. Piscatores tamen in servitio maneant episcopi per jussionem præpositi canonicorum. Ambonem ibi vilem aspiciens cryptis honeste compositis desuper, honorifice constructum locavit, et juxta illum altare in honore sancti Joannis evangelistæ et sancti Laurentii martyris, ac omnium Sanctorum honore, ut ab episcopo, si a Tfuerit, et a clero ecclesiæ missa celebretur, quo eorum interventu viventis et morientis necessitatibus subveniret devotissime sacravit; instituens his tribus diebus quo canonici quotannis pro animæ suæ remedio reficiantur, impetraxs ab archiepiscopo et episcopis sibi subjectis decimas trium ecclesiarum, quarum in Aggliviaco, scilicet una consecrata est in honore sancti Stephani in Matriaco alia in honore sancti Felicis, alia in domini Martini honore structa, instituens ut de his tribus Ecclesiis tres fiant fratribus refectiones, una, in festivitate sancti Joannis evangelistæ, ii Nonas Maii, quando in ferventis olei dolium missus fuit; alia, Octavis sancti Laurentii, tertia festivitate sancti Matthæi apostoli et evangelistæ, et quod superfuerit ex decimis ecclesiarum ad stipendia sit canonicorum, pro animæ suæ acquirenda absolutione. Præpositus denique canonicorum S. Stephani Antissiodorensis presbyteros in eisdem ecclesiæ consensu fratrum eligat, qui et fideliter decimas ecclesiarum ad suum et canonicorum opus recipiant, et archiepiscopo Senonensi synodale servitium reddant, sicut circumjectæ ecclesiæ, et nihil aliud requiratur ab archiepiscopo vel a suis ministris. Et ut hoc firmum et stabile in perpetuum permaneat, ipse Archembaudus, Senonensis archiepiscopus, scriptum propria manu firmavit, et coepiscoporum suorum manibus corroborari poposcit, ac archidiaconorum suorum, Prodagii, Bernardi et Theoderici, cæterorumque canonicorum nominibus corroborari præcepit, tabulis argenteis bases discoopertas optime decoravit, lampades quoque ibi septem optimas ex argento composuit, habentes in se cum fuste lib. xv, candelabra duo argento compta, fustes duos deargentatos, quibus feruntur cruces aureæ, coronas duas ex argento habentes lib. x; cliotedrum optimum auro argentoque constructum.

Introitum, quod Waldricus ædificare cœperat, in altum extulit, camera exornans et in parietibus paradisi turmas ac erebi tormenta depingens gratum intuentibus præbuit ingressum; illic suam infodiens sepulturam, quam postea ante vultum Salvatoris et altare S. Laurentii, quod post ustionem civitatis et templi suæ desudatione honorifice adornavit et dedicavit, removere jussit. Supra quam capellam ædificavit in honore sanctorum quorum memoria infra civitatem vel extra vix aut raro celebrabatur, quorum hæc sunt nomina Matthæus, Thomas, Philippus, Matthias, Dionysius, Mauricius, Ignatius, Demetrius, Desiderius, Hieronymus, Sylvester, Augustinus, Vigilius, Eugenia, Anastasia, Margarita, Luciæ, Agatha, Genovefa, Columba, quo eorum earumque interventu civitas extra salvetur et intra, dans ei alodium in Cavannis villa, quam Hildebertus S. Stephani servus acquisierat, ad luminaria illic pro animæ suæ remedio nocte dieque præparanda: sitque idem alodium in manu presbyteri, qui supra vel infra missarum celebraverit, solemnia prædordinans etiam ut is qui tenebit vineam, quam plantavit in loco, qui dicitur Plantas, in festivitate uniuscujusque sanctorum prænominatorum canonicis vigiliam et missam celebrantibus sex sextarios vini ad exhibendam charitatem pro eo persolvat, post duos quoque parentes, vel fideles suos quibus prædictam plantam reliquerit, canonici in sua recipiant, et ipsi quod instituit pro se expleant; quod si non fecerint, merces ab eo non tollatur et Deus ab illis requirat. Denique abbatias sancti Juliani, scilicet sancti Amatoris ac sanctæ Mariæ ab episcoporum potestate longo jam tempore subtractas per supplementum domini Hugonis Franciæ ducis, per præceptum regale regis Ludovici manu firmatum, ecclesiæ quas amiserat, multo studio multoque labore restituit; altare sancti Stephani medium purpura imaginibus aureis penitus cooperta honestissime ambivit, videns etiam et ecclesiæ ambitum non adeo esse magnum, arcum inter duo ostia novum condidit prope altare, apertis maceriis duo ibi in modum crucis oratoria ut ibi plures Deo servire possent construens. Quod cum ageret, invidia, ut arbitror, diaboli maceria vetusta cum nova ab arcu usque ad arcum fundo tenus corruit; quam mox renovari absque mora non piguit; sicut enim prædicta sancti Stephani ecclesia post incendium funditus est eruta; ita post modum ab eo ab ipsis est elevata fundamentis et ampliori decore quam fuerat antea, vitreis magnis et camera exornata; oratoria quoque duo dextra et sinistra ad instar, quod prius fuerat ædificavit, superadjiciens cryptas ipsis oratoriis, in quibus etiam et altaria instituit, ut populi advenientes invenirent, quo possent lacrymosis immorari suspiriis deprecando et obtinendo Dei et sanctorum, in quorum honore ipsa sunt altaria misericordiam. His ergo comptissime dilatatis, hæc eadem basilica in superioribus sui partibus speciem prætendit sanctæ crucis, in medio vero ecclesiæ podia constituit, et vultum Salvatoris cruci affixum collocavit inibi; altare quoque deco-

ravit tabula argentea elevata imaginibus et aliis picturis, consecrans illud sub die v Idus August. in honore sanctæ crucis et sancti Matthæi apostoli et evangelistæ, et sancti Romani militis et martyris. Fuit igitur prædictus Guido episcopus simplicitati innitens, moderatæ prudentiæ, atque in quantum valuit non magis præesse quam prodesse voluit universis; nam inter cætera honestatis opera dictata propriæ manus edidit responsoria cum antiphonis canenda in solemnitate sancti martyris Juliani, instar tamen harmoniæ habentia melodiam Germani gloriosi ob hoc præcipue, quod eidem pontifex sanctissimus sicut in gestis ipsius invenitur, prædicti martyris solemnis natalitii diem universis incognitum Domino sibi revelanti ostendit celebrandum : sicque cum esset religiosorum ac bonorum amator pravorumque severus redargutor, egit quandiu exstitit. Sedit autem in episcopatu annis 29 et obiit in pace VIII Idus Januar., et sepultus est in ecclesia S. Stephani majore, quam ipse reædificaverat. Fuitque civitas sine episcopo, menses 3 et dies 8.

CAP. XLVI. — *De Richardo.*

Richardus, natione Antissiodorensis, ex patre Joanne, et matre Maria, qui beati Germani a pueritia exstitit monachus, atque ut e pluribus superioribus fieri contigit, ex ejusdem præsulis monasterio rogatus tam a clero quam a plebe constitutus est episcopus; erat enim nimiæ simplicitatis et minoris industriæ, et idcirco prædecessoris sui valde impar incrementis sibi commissæ Ecclesiæ. Fuit autem temporibus regum Lotharii Junioris, ac Ludovici filii ejus qui finem regnandi suo generi imposuerunt. Sedit quoque in episcopatu annos 9, mensem 1, dies 2, et obiit XVII Kalend. Junii., sepultusque est in ecclesia beati Germani, fuitque civitas sine episcopo, menses 7 et dies 24.

CAP. XLVII. — *De Heriberto.*

Heribertus, Francigena, filius Hugonis ducis, cognomento Magni, ex concubina, Raingarda nomine, nobilitatem paternam, materna disparitate obliquavit; ex patre enim supradicto Hugone frater Hugonis postmodum regis ac duorum ducum Burgundiæ, Ottonis scilicet atque Henrici, editus exstitit, qui quanto persona carneæ molis elegantior, tanto pronior sæcularibus desideriis ac voluptatibus apparuit. Religiosis tamen quibusque clericis, et præcipue monachis reverentiam summi impendebat honoris : hujus ergo pontificatus tempore dux Henricus ejus frater, ut erat totius religiositatis amator, monasterium beati Germani domino Majolo commisit abbati, qualiter videlicet regularis normæ tramitem inibi constitueret, sicuti per multa loca, tam in Italia quam in Gallia dignoscebatur fecisse monachorum. Longo enim jam transacto tempore, locus ibidem absque abbate a præpositis regebatur, qui gratanter illum suscipiens regulari districtione quæque reperat devia, ad unguem correxit. Postmodum vero vir sanctus ac venerabilis Maiolus præfecit ibidem virum honorabilem, Heldricum, abbatem, qui et ipse prædictum locum ad regularis beati Benedicti tramitis informavit callem, quem prædictus episcopus, nec non et frater ejus dux Henricus nimio cum suis dilexerunt amore; sed, ut prædiximus sæculari pompæ oppido innitens, larga militibus plus justo exhibebat donativa, in tantum scilicet, ut Odo Carnotensis, et Heribertus, Trecorum comites gratia beneficiorum ejus ditioni parerent, in propria denique diœcesi nulla compellente terroris indigentia, quin potius venandi lascivia duo stabiliens castra munivit, unum in Rivo Lanuto apud Ferredi villam, aliud a civitate x milliario Tuciacum vocabulo, quæ videlicet castra dicebat, non minus ecclesiæ sibi commissæ, quam ad munimen totius pagi valde in longum profutura; sed nequidquam : ab initio enim seminium altitudinis carnis humanæ corruptionem messuit, quia Deus alta a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVII, 6). Multum enim aliter quam æstimare potuit mortalium quisquam postmodum contigit. Denique tyrannica rapacitate fuerunt postmodum ad exterminium ejusdem provinciæ, et facti sunt habitatores illorum rebelles episcopis et pervasores ecclesiasticorum, ad ornamenta tamen ecclesiæ, quæ tunc perplura erant, tam in libris multorum auctorum, quam in reliquis utensilibus minus manum extendit, ut ea exstirpando dispergeret, et hoc ex parte fuit approbabile, quoniam si ea studio suo non auxit, nequaquam tamen supra modum minuit. Ecclesiasticas ac monasteriales institutiones prædecessorum suorum juxta morem antiquum, alacri animo a clericis servari consensit. Fuit enim temporibus regum Hugonis fratris sui ac filii ejus Roberti; pontificum quoque Romanorum Marini, cognomento Petri, Sergii atque Brunonis, cognomento Bonifacii; imperatorum autem Ottonis secundi et tertii, archipræsulum Senonum, vero Anastasii viri optimi, et Sewini. Sedit autem in episcopatu annos 25, menses 7 et dies 16. Obiitque apud castrum Tociacum, quod, ut superius diximus, ipse construxerat, x Kal. Septemb.; quod etiam valde displicuit quibusque religiosis, quod dum cœpit infirmari, non se protinus propriæ sedi deferri mandavit. Sepultusque est in ecclesia sanctæ Mariæ infra muros civitatis. Fuit autem civitas sine episcopo menses 7 et dies 15.

CAP. XLVIII. — *De Joanne.*

Joannes, natione Antissiodorensis, patre Ansaldo, matre Raingarda, parentibus quidem mediocribus editus, sed secundum proprii nominis sui insigne præsagium, divina sibi gratia largiente, mentis nobilitate, quæ carnis pretiosior est, excellenter viguit, litterarum studiis a primævæ ætatis indole operam dans, quibus luculentissime institutus claruit, ac postmodum inter scholasticos illius Gerberti viri, utcunque doctissimi, tunc Remorum archipræsulis, dehinc Ravennæ, ad ultimum Romanæ sedis cathedram indeptus, petalum pontificale meruit. Culmen scientiæ artium liberalium Joannes perorando roboravit; dehinc efficacissimus puerorum didascalus primitus, post hæc pædagogus clarus refulsit, et ad

honorem perlectus est archidiaconatus, decedente namque ab hac luce supradicto præsule Heriberto, nonnulli clericorum quos altitudo sæculi ad hoc illiciens impulit qualiter in episcopalem cathedram, tam fastu parentelæ quam promulgatione pecuniæ inveherentur. Cumque regi Roberto de quibusdam, ac præcipue de quodam Guidone nimium sæcularissimo per Henricum ducem suasum fuisset, ut consecraretur episcopus, et rex quemadmodum eum hortabatur, assensum præberet, ac jam metropolitanus Senonum pontifex, videlicet Sewinus vocatus esset, ut de more perficeret, cessari contigit. Conquerebatur ergo super hoc tota unanimis concio canonicorum fratrum, ac reliqui totius plebis sanum sapientes abusive fieri testabantur, idcirco maxime quod clericorum electione, ut antiquus mos habet, deberet institui pastor Ecclesiæ. Quod comperiens archiepiscopus ad propria rediit, dicens nolle se loco pastoris ovili Christi leonem seu lupum constituere. Interea mittitur ad regem, aperitur ei querela simul et commune decretum utriusque conditionis hominum sexus et ordinis, nempe Joannem ex voto illorum omnium idoneum fore pontificem. Quod rex ut audivit libentissime annuens, qui eum pro sua scientia et religiositate affatim diligebat, nec revera contra jus fasque absque cleri electione vel plebis episcopum volebat constituere; mox vero ut comperta est regis voluntas, a civibus rursus denique revocatur archipræsul, ac sic ex more sacratus Joannes in se de pontificali, gaudentibus universis, constituitur. Factus vero antistes non mutavit in illo sublimitas pontificalis cultum anterioris humilitatis, sed potius omni diligentia elaborare studens, ut humilior, quam antea fuerat, cunctis appareret, in doctrina scilicet, in confabulatione, in habitu vestium, in parcimonia ciborum, in conventu fratrum communium horarum ita se conformabat humillimum, ut vix dignoscere poterat, nisi cum ageret principale officium, fuisse eum qui vidisset episcopum. Erat enim psalmodiæ non tam frequens, quam assiduus, et in orationum excubiis pervigil et strenuus: transigebat enim plerasque noctium commanens solus in ecclesia metanœas agendo juxta altare beati Stephani, usque dum generales fratrum significarentur matutini. Dedit igitur in victu fratrum canonicorum altaria 5 cum suis redditibus, id est Pulvereni, Partiaci, Gargiaci, Monasterioli, Campiniaci, et sub anathemate interdixit ut nullus successorum suorum præsulum vel aliorum quisquam hominum præsumeret aliquod suæ largitionis donum irritum facere, ne forte videlicet propter inopiam indigentiæ, non valeret clerus ecclesiæ officia Deo digna persolvere, dum licet in ipsa sede potissimum fore ac cæteris elegantius officiale ministerium clericorum olim dignoscitur viguisse, sed Scriptura testatur, unde bonus proficit, inde impius contabescit. Proh dolor! illudebatur ab impiis civibus, quod careret mundanæ superbiæ fastu, vel consanguinitate illorum episcopus, et ejusdem genus, nec non et alia de eodem convica cavillando cachinnabantur. Verumtamen Deus, qui potius mentem eligit quam gentem, prævidit sibi de talibus ultionem in posterum futuram. Nam eosdem viri humillimi derogatores, postmodum superbia sæcularis pompæ cum sua stirpe detrivit ad solum usque; privilegia enim quæ antecessores illius beato Germano tam Heribertus quam cæteri de altaribus in sua diœcesi constitutis perpetualiter facta contulerant, sua auctoritate roboravit, eique vineas ac volumina librorum egregia tradidit; apud quem etiam humili prece obtinuit, ut sepeliri mereretur. Mense quoque Januario dolore tactus corporis cœpit infirmari, qui deductus usque ad ultimum pene exhalationis spiritum raptus in exstasi satis decoram visionem vidit, qui protinus evocans virum clarissimum sibique amicissimum Achardum tunc monasterii beati Germani præpositum, abbatem vero postmodum, ei hujusmodi visionem retulit dicens: Modo, inquit, mihi apparuit Dominus meus Jesus Christus, simulque cum eo Germanus beatissimus, aliique quamplures splendidissimi viri, quorum præsentia permaximum contulit mihi, et mei doloris levamen et animi sospitatem, qui etiam mihi sponderunt Domino miserante, mox ut evocatus a corpore fuero, protinus in illorum adunari consortium. His dictis orando summis labiis nomina sanctorum depromens, crebrisque suspiriis ac lacrymosis oculis ad cœlum respiciens, excessit a corpore, XII Kal. Febr., sepultusque est apud B. Germanum, non infra ecclesiam, sed deforis juxta parietem, ut ipse rogaverat, decernens humilitatis gratia. Postmodum vero a monachis dum amplificaretur ecclesia intra ambitum ipsius ante altare, videlicet beati Petri decenter est locatus. Sedit autem in episcopatu anno uno, mensibus 7 et diebus 10; et fuit civitas sine episcopo anno uno, et mense uno et diebus sexdecim.

Cap. XLIX.—*De Hugone.*

Hugo Cabillonensis, ex patre Lamberto comitum venerabilissimo, et matre Adelaide generosissima, cujus pater, videlicet Lambertus comes jam dictus construxit monasterium Paredi cœnobiorum luculentissimum, illudque largissimis facultatibus ditavit, ibidemque honorabiliter requiescit. Hic igitur post patris obitum, dum ad regis curiam pergeret, habuit transire per civitatem Antissiodorum, qui divertens orandi gratia, dum intraret ecclesiam B. protomartyris Stephani. Erat tunc prima hora ipsius diei cum orationi incumbens audiret chorum psallentium hymnum ejusdem horæ dulciter resonare, ut erat pii cordis ac lacrymarum effusione facilis gratior effectus referebat idem postmodum se dixisse: O Domine, rex cœli et terræ, creator omnium bonorum, et distributor honorum, si ad hoc tua præscientia me esse voluit, ut aliquando mihi episcopalis dignitas te largiente conferatur, in hac obsecro de me fiat voluntas tua; quod etiam postmodum, ut peterat, ita fieri contigit: optabatur nempe a pueritia ad plerasque sedes civitatum pertingere ob sui

nobilitatem a multis; decedente vero ab hac luce Joanne præsule, cum de restaurando pontifice conquereretur, favente Henrico duce, atque annuente Roberto rege, electus est ex more prædictus Hugo ac consecratus in ecclesia beati Germani, indeque principali sedi Antissiodori datus episcopus. Huic non par erat affinitate germanus frater, qui videlicet hæreditario jure res paternas regere potuisset, idcirco multimodis perturbationibus irretitus, dum utriusque honoris occuparetur curis, minus prodesse poterat singulis; contigit etiam tunc temporis post mortem scilicet Henrici ducis, qui ejus germanam uxorem duxerat, ut Burgundionum permaximi regi Roberto rebelles existerent, ita ut illius ditioni nollent omnimodis esse subditi, nec ejus parere imperiis; præripuere insuper sibimet usurpantes sedes et castra præfati ducis, avunculi scilicet ejusdem regis. Hic tandem cum suis omnibus irrefragabilem suo regi servans fidem, ac perinde cæterorum inimicitias forti animo diu multumque sustinuit, ac multoties a sede propria prohibitus paterna contentus possessione suorum, qui illum valde diligebant, fultus auxilio mansit. Quoties vero contigit illi cum hostibus illis prædictis nugacibus dimicare, semper omnimodis victor exstitit, et non immerito, nempe juxta præceptum apostoli : *Dominum timete, regem honorificate* (*I Petr.* II, 17) ; et item : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* XIII, 1). Ac licet Scriptura dicat semper : Pax cum bonis, et bellum cum vitiis; atque utilius sit oriri scandalum quam relinquere veritatem, si aliter nequit fieri, tamen ob timorem hujus rei pergens ad papam Romanum acriter se pœnitere clamavit, indignum se vociferans ac reum curæ pastoralis ac pontificalis dignitatis ; qui dehinc tale scriptum ab eodem suscepit : « Joannes, gratia Dei Romanæ sedis episcopus, universis in orbe terrarum Ecclesiæ filiis. Nullum in catholica Ecclesia majus potest esse nefas, quam existimare alicujus nævum criminis præcipue pœnitentis, quod non queat dissolvere concessa Petro a Domino clavis. Debemus enim ante oculos mentis revocare lapsum ipsius primi pastoris, qui, dum Magistrum negavit, protinus ut pœnituit, non solum gradum vel dignitatem apostolici culminis non amisit, sed potius sui ovilis custodiam Christus illi postmodum evidentius assignavit : quod nil aliud, ut credimus, quam lapsorum medicina fuit. Proinde fratri nostro Hugoni, Antissiodorensi præsuli, Deo et nobis sua peccata confitenti, seseque culpabilem reddenti, plenariam a Deo pollicente promittimus consequi indulgentiæ veniam, secundum sponsionem ejusdem, qua dixit : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* IX, 13). Ideoque nobis debet effici charissimus, quia Dei timore correptus apparet humillimus, et quia in talibus requiescit Deus. »

Præterea rex Robertus, collecto in unum exercitu valido tam de gente Francorum quam Normannorum, habens secum Richardum, potentissimum ducem ipsorum, occupans devastavit permaximam Burgundiæ partem. Cumque primitus ad civitatem Antissiodorensem devenisset, volens eam capere, quod fertur urbi illi nunquam contigisse, cives ejusdem urbis fortiter ei restiterunt. Dehinc, cum ad beati Germani castrum expugnandum tota regis phalanx, idemque rex loricatus intenderet, nutu divino territus, cum multa cæde suorum inde rediens, penetravit Ararim usque superiora Burgundiæ, prædicto Hugone cum eo gradiente; revertens quoque rex Franciam, nec tunc quidquam egit præter cladem regionis. Post aliquot vero annos dierum, jam dicti primores Burgundiæ in dilectionem regis pacifice devenerunt; per Hugonis tamen consilium, quidquid idem rex facere decreverat, disposuit; eique, quod accipere placuit, libentissimus condonavit. Constituit ergo pro redintegranda seu firmanda pace concilium episcoporum ac multorum tam nobilium quam plebeiorum innumeræ multitudinis in comitatu, quem gubernabat, Cabillonense, in loco, qui Viridunus dicitur, ubi etiam sanctorum reliquiæ diversis regionibus delatæ diversas sanitates ægrotis contulerunt. Itemque aliud concilium pro eadem re in pago Antissiodorense, apud Airiacum villam beati Germani, in quo rex Robertus cum episcopis ac abbatibus adfuit, simul et innumerabilia sanctorum pignora totius pene provinciæ. ubi dum quidam peterent ut gloriosi Germani corpus illuc deferretur, respondit Hugo episcopus : Absit ut ossa incomparabilis viri pro quacunque re aliquando commoveantur ; quod cæteri audientes gratanter consenserunt. Similiter et per universa loca, ut in pagis Divionense et Belnense, atque Lugdunense concilia sæpius celebrari fecit. Hujus in tempore civitas Antissiodorum exitialiter igne cremata est, et res humanæ in favillas redactæ præter ecclesiam beati Albani martyris, a beato Germano constructam; tunc principalis ecclesia protomartyris Stephani funditus corruit, quem protinus idem præsul cœpit majore ambitu ac cryptarum curvaturis quadris lapidibus certatim reædificare; nam prius delicatiore materia constiterat, minimisque lapillis ; jam vero altius opere ecclesiæ edito, rursus civitas reincensa est, sed novum opus ecclesiæ mansit incolume. Anno igitur circa nongentesimum sextum a passione Dominica cœnobium Milarense, jubente Heldrico, monasterii sancti Germani abbate, per dominum Tealdum monachum, qui eidem tertius in regimen successit, honorifice amplificatum atque sublimatum est, tamque ædificiis quam possessionibus, ac supellectili auri argentique oppido decoratum, atque ab eodem pontifice solemniter, ut decebat, constat esse sacratum, in qua etiam consecratione interdixit sub anathemate, ut nullus mortalium præsumere deinceps auderet vim, seu calumniam, nec aliquam tortitudinem inferre pro quavis occasione rebus ejusdem ecclesiæ.

Contigit vero posthæc, ut beati Desiderii egregii

pontificis Antissiodorensis corpus, quod in ecclesia beati Germani sepultum habebatur, illuc deferri a fidelibus rogaretur, præcipue tamen a prædicto fratre Tealdo, qui eumdem sublimaverat locum. Sed ut in talibus fieri assolet, inter partium velle seu nolle aliquod temporis spatium evolutum est; tandem procurante episcopo concessum est a monachis seu a cætero clero et totius pagi populo, ut exoratum fuerat, deferri; repositum namque est supradicti pontificis venerabile corpus in argentea theca centum appendente libras, sicque cum exsultatione totius plebis deportatum est honorifice ad monasterium Melerense, cognomento vallis Pentane, ibidemque in ecclesia genitricis Dei Mariæ constat esse locatum; quo in loco eodem exorante, plurima præstantur poscentibus beneficia. Illud etiam memoriæ tradendum quod primitus a Quintiliano viro nobilissimo, binæ ecclesiæ inibi constructæ fuere; una siquidem in honore sanctæ matris Domini Mariæ; altera quoque in egregii præsulis Germani veneratione, quæ videlicet nunc uno ambitu spatiosiore collecta tredecim altariorum aris cum suis absidibus examussim dispertita est; claret enim locus ille ab initio virtutum miraculis atque infirmantium sanitatibus. Contigit enim plerumque, ut ipsi vidimus, dum fideles devoti ad eumdem locum de longe venientes candelas absque lumine in manibus gestarent plus minusve stadio antequam ad monasterium pervenirent, ut ex eisdem candelis ignis flammivorus eructaret, si quislibet vero ex rebus ad eumdem locum pertinentibus, vi seu furto fraudem fecerit, continuo evidentissime rector justorum ultor existit, ac quidquid ibidem fideliter petitur affatim impetratur.

Præterea tricesimo septimo suæ ordinationis anno, perrexit prædictus Hugo Jerusalem, satis honorifice ad sepulcrum Domini oraturus, ac inde rediens alacriter, propriæ sedi innitens mansuetior degit. Ecclesiæ matris sedem, quam antea ædificiis sublimaverat, accuratius studuit postea adornare, et donis Dei aptis servitio studiosius curavit insignire, unde et duo miræ artificiositatis mirique operis et pretii vestimenta episcopalis dignitatis convenientia officio, eidem cooperante sibi Dei gratia meruit impertiri; horum unum, quod quasi minoris pretii videbatur, totum auro Phrygio mirifico circa collum amictus, et cervicem usque ad ima, stola, manipulis, in loco suo decentissimus operiebatur. Casula quoque purpurea grandes aquilas coloris coccinei intextas circumquaque monstrabat, cujus superficies auri Phrygii circumductionibus stellantibus resplendebat; alterum siquidem qualis fuerit imperialis Ottonis munificentia, cujus illud ei datum est manu, testificatur, nempe velut in capite sancti Aaron dicitur, in amictu lamina aurea margaritis et lapidibus pretiosis intertexta, quasi regali diademate summi sacerdotis caput illustrabat, palla vero carbasea aureo circa pectus effulgens rationali a genibus ad talos usque holoserica limbo deaurato mirifice pontificalia vestigia complectebatur. De stola quoque et manuali ad purum aliquid dicere fabulam sonat, cum siquidem utraque de auro purissimo cum malis punicis condita inexplicabili artificio opus ostendebant elegantissimum; casula autem coloris ætherii Phrygio palmum habente, superhumeralis et rationalis effigiem ad modum pallii archiepiscopalis honorabiliter prætendebat; omnia præterea quæcunque illis intererant vestimentis jure et decenter excellentia intra Sancta sanctorum portabat episcopus. Honoravit iterum sancti Stephani ecclesiam aliis ecclesiæ necessariis ornamentis, inter quæ etiam missale dedit aureis litteris annotatum, pontificum servitio et officio satis aptum: dedit et calicem unum cum patena eximium, quem quantitatis et ponderis magnificatum de argento opus insignibat deauratum: fecit præterea et in eadem ecclesia fieri duo signa quantitatis magnæ, quæ secundum quantitatem digna Deo sonorum convenientia et dulci coaptata sunt modulatione, inde inter cætera nulla dignum duximus oblivione, quia apud castrum Varziacum suæ et antecessorum suorum proprium ditione sanctæ Eugeniæ ecclesiam a beatæ recordationis antistite Gualdrico constitutam, qui et reliquias ipsius sanctæ virginis a Joanne apostolico impetratas devexerat, quæ per temporum longævitatem subrepente Patrum quorumdam incuria, nullius pene servitii Dominici frequentabatur instantia, ad tantam donante Deo restauravit gloriam, ut et intus et foris ejus usque in hodiernum diem in ea labor appareat. Nam parietes dealbari faciens, vitreis et laquearibus honestavit, et paliis, libros, et ornamenta diversi generis inibi donavit, simul etiam de redditibus proprietatis suæ canonicalis ordinis personas probatas eligens, decem ad divinum servitium præbendarios in æternum deputavit. In Conada similiter castello suæ matris sedis, sancti martyris Laurentii ecclesiam construens, divinitatis cultum ampliari, et Dei fidelium curam et servitia honorifice haberi in manu sacerdotum, de suis largiens imperavit; deditque ad victum canonicorum fratrum paredas omnium ecclesiarum eorumdem quæ habentur in episcopatu Antissiodorensi, similiter et debitum horreorum, id est grangaticum, quod ad se pertinebat, illis habere permisit, præcepitque ut in silvis sancti Stephani de porcis illorum nunquam acciperetur pastinaticum. Tunc etiam constituit ut annis singulis ab eisdem canonicis sublimi solemnitate sancti martyris Vincentii festivitas usque in octavum diem celebraretur. Dedit etiam ad victum canonicorum fratrum partem Crevennii vici, quam redemerat ab Arduino archidiacono, cum autem cœpisset infirmari, sentiens se diutius non victurum, jussit ex rebus propriis honorifice reædificari a fundamentis ecclesiam beatæ Mariæ, quæ primatum dicitur tenere intra muros civitatis: quod tamen opus imperfectum reliquit. Cernens quoque suum propinquare obitum, contulit se devote ad beati Germani monasterium, ibidemque

monachalem induit habitum, sicque post diem quartum, scilicet pridie Non. Novemb. consecutus est præsentis vitæ terminum, sedit autem in episcopatu annos 40, mens. 8 et dies 4, et fuit civitas sine episcopo dies 36.

CAP. L. — *De Heriberto II.*

Heribertus secundus, qui est in catalogo episcoporum 50, natione Antissiodorensis, ex patre Vauterio, et matre Hemma fuit, quem antecessor ejus Hugo in pontificatum elegit, cui postmodum rex Henricus cum maximo exercitu veniens in Burgundiam, episcopatum ex more dedit. Hic in die ordinationis suæ, cum secundum ecclesiasticam consuetudinem cathedræ innixus episcopali ad sancti Protodiaconi Matrem sedem nobilium humeris deportatus esset, dedit Ecclesiæ pallium ingens optimum, quod vulgo dorsale dicitur, quod etiam usque in hodiernum diem inter cætera Ecclesiæ ipsius ornamenta videri manifestum est. In temporibus itaque hujus dominus Leo papa in Gallias veniens Remis metropoli concilium celebravit et quosdam episcoporum de hæresi simoniaca in faciem Ecclesiæ redarguens notabiliter dedit : inter quos Senonensem archiepiscopum Gelduinum, et Lingonensem Hugonem multarum iniquitatum vitiis infamatos, et a suis multoties reverenter, ut decebat, Patres admonitos, et correctos, voluptabro suæ pravitatis male inhærentes, etiam pene apostatas de sedium suarum potestate deposuit, et in reprobæ vitæ diutina pœnitu ine ad examinandum interdiu dimissos, divino respectui reservavit, quem in redeundo pater iste secutus usque ad civitatem Tullum, in qua beatus ille ante papatum sederat episcopus, colloquiis illius recreatus, sacris persuasionibus informatus, benedictionibus jucundatus, ad sedem suam repedavit in pace, satis hilaris et lætus, sed non longo post tempore eum a duce Burgundiæ Roberto, qui in tempore adhuc suo Antissiodoro civitati imperitabat, quique sua et fraterna regis Henrici potestate elatus, multas sibi et ob clericos suos molestias inferebat, aliquandiu infestatus esset, impatientia quadam et angore animi abrenuntians sæcularibus, æternis inhiando, postquam jam per tredecim annos episcopatui præfuerat, apud sanctum Salvatorem in pago Senonico, monachus effectus est, ubi in Dei servitio multis postea regulariter vivens annis, substituto sibi jam successore Goffrido, et cathedram illius feliciter obtinente, migravit ad Christum VII Kal. Feb., et sepultus est in eodem cœnobio.

CAP. LI. — *De Goffrido.*

Goffridus beata dignus memoria episcopus, filius Hugonis Nivernensis vicecomitis fuit, de Castello, cui vocabulum est, Campus Alemannus, mater vero ejus de consularibus viris orta Ermengardis nuncupata est. Hunc in palatio suo clericum habens honestum Philippi pater rex Henricus, operante quidem divina clementia, tota quoque nostra collaudante Ecclesia, indulsit nobis præsulem necessarium sane, utilemque per omnia. Nam ut toto, quantus erit eo die utar ad hujus rei testimonium clero, quando ipse intravit Ecclesiam, sic nudum vestimentis presbyterium, sic ecclesiæ corpus ornamentis exutum, sic chorum cappis exspoliatum reperit, ut in 5 tantum pannielerosis, et sexta quæ bona erat, chorus psallendo triumpharet, nullaque præter unum dorsalium parietes operirent, nisi quædam lanea, et cum his pauca palliola quæ ex sua utilitate essent Ecclesiæ residua, nulla denique pontificalia, in quibus ipse missam decenter celebraret, haberentur indumenta : incultam itaque recepit, sed ut suus dissimilem successor acciperet, laboravit. Nam et chorum honestis 13 cappis lætificavit, regiisque dorsalibus quinque parietes decoravit, ordinem quoque ingredientium ad altare in festis atque profestis diebus congruis cultibus adornavit. Nam casulas contulit 4 purpureas et dalmaticam insignem, et tunicas luculentissimas, stolas albas, cum manutergiis multiplices ac pretiosas, altare argenteum dedit, nec non omnia, quæ subnotantur, argentea : calicem, thuribulum, cum acerra, candelabra duo, ampullas 2, urceum ad aquam benedictam, et urceum ad manus sacerdotum abluendas, manile etiam, et labrum ad aquas de manibus abluentium suscipiendas, sed et hoc volumen (*De Gestis pontificum*) renovavit.

Quod si cætera, quæ his digne addenda sunt illius beneficia omnia ex toto adhuc scribenda sunt, magnam oportuerit esse pellem, quæ pro numero et quantitate receperit universa : nam cum dilectio sit in mandatis Dominicis omnibus diffusior, nec in isto circa clerum suum modica fuisse non solum in affabilitate jucundissima probaretur, sed et in ipsa mensæ communione, ipsius facillime dilectio eadem, vel ab incautis cognosceretur. Cum ultra regularium epularum delicias, non paucos quotidie convocatos clericos nobilis illius reficeret lætitia. Quid latius hac dilectione ? de eo scribendum exsequi debemus, tamen ut non adulando veritatem palpare dicar a quibusdam non rectis quippe judicibus, in hoc quasi reus arguebatur, sed sicut frequentissime audiebamus illum conscientiam inde suam sub obtestatione reserantem, credimus, et esse credendum asserimus, nec utique propter illius excusationem magis credimus, quam propter ipsam rei apparentem certitudinem : scilicet, quod nulli eorum in corde suo inimicus, nulli infectus odii zelo fuit, sed qui conscii aut iram illius sese promeruisse, sic imponebant illi, cum nec ipse malefactis eorum consentire, nec illi correptioni ipsius paterentur acquiescere. Nam ut in Deo sanctorumque fide loquar, testibus e iam cunctis, quibus erat in veritate cognita voluntas illius, ea mens, is animus semper illi fuit, ut nemo bonus, qui non ei perfecte charissimus esset, nemo malus, si vel corrigere nequibat, vel adversari, quin ei saltem displiceret : imo nisi clerum suum dilexit, quomodo terras illas optimas, quæ sunt apud sanctum Priscum, aut quomodo villam amœnam et frugiferam Arlacum, quam Hugo miles

ei clarissimus reliquit moriens, quoniam de feudo suo ab episcopo illam tenebat, quomodo nisi clerum suum multum dilexit, hæc illis tanta in generali dedit. Conscriptum est autem, a fructibus eorum cognoscetis eos, sed his non aliter, quam dictum est, constantibus. Nunc animadvertant successores episcopi sui ipsorum memores, quanti debeant et ipsi facere memoriam illius; acquisivit enim cum labore, quibus illi frui possint in quiete : nam consuetudines castelli Conadæ, episcopalesque redditus, quos sive præ negligentia, sive incuria sua dives potentia præcedentium præsulum fastidiens illuc ire, jam usque ad oblivionem repetere intermiserat, atque ideo raptorum quorumdam interim concupiscentia violenter pervadens illos redditus ad sese tanquam debitos retorserat, multa astutia, multo conamine et sudore, cum in alienum jus jam transissent, viriliter reduxit. Eodem quoque modo abbatias duas in suburbio civitatis sitas, id est, Ecatæ Mariæ Domini nostri genitricis sanctique Amatoris episcoporum ditioni antiquitus traditas et delegatas, cum eas tyrannus quidam a quodam episcopo in beneficio susceptas, longo tempore possedisset, suoque cuidam filio, episcopo videlicet Eduensi, lege hæreditaria post se donasset, vir probus inde multoties, sicut vidimus, probatis personis, tam clericorum, quam laicorum convocatis, sanctorum quoque canonum revolutis collatisque sententiis, rato et constanti judicio ad justum et debitum ab illicito dominio revocavit. Licet etiam hic subjungere quod talem habuerit ipse in sæcularibus causis industriam, tantaque semper usus est libere loquendi audacia, ut nec ipsi principes mentiri præsumerent, eo audiente. Tertia vero quæ est, sancti Eusebii abbatiam in ordine canonico ab exordio constitutam, sed delapsam usque ad suum tempus, et tunc demum annihilatam restitutis canonicis et ablate, sicut in privilegio ejusdem restitutionis habetur, reparavit. Varziacum etiam, quia sinus est episcoporum, et locus amabilis, ab inimicis primitus purgatum, deinde feliciter ædificatum, tandem interius exteriusque murorum protectione munivit, quæ quandiu proderint futuris pontificibus, tandiu optamus illum circumdari omnium benedictionibus, qui denique si voluerint bene gesta illius imitari, piam ejus humilitatem, qua diebus singulis per omnes Quadragesimas pauperibus tredecim lavare pedes manibus propriis, et jejunus ministrare, sed et eosdem in Pascha vestire consuevit, ne tradant, obsecramus, unquam oblivioni : ad horum siquidem florentes in æternum usus capellam sancti Peregrini in ripa fluminis urbi prope contiguam cum appendiciis suis longa pervasorum injuria supradictorum modo subreptam victorioso certamine strenuus expugnavit; sed dum hic solos delectent, quæ sua sunt, episcopos, iterum providere debemus, ne longius differendo, quæ omnibus fere præsunt, plures incurramus inimicos. Ergo ut de quamplurimis ipsius benefactis adhuc aliqua proferamus, illud quantum fuit, quod hanc ecclesiam tantam biennio prope antequam pater idem charissimus moreretur, incendio consumptam, in subito tempore, id est infra brevem sphærulam unius anni, trabibus et tegulis ipsemet assidua sollicitudine vel cura carpentarios aut famulos suos, seu cæteros collaborantes satagens restauravit, quinque vero fenestras quæ sunt in supremi cancelli fornice quinque de domo sua clientibus, ut quisque suam vitrearet, distribuit : sextam quoque majorem, cunctarumque præcipuam altare sancti Alexandri clarificantem, ut suus capellanus faceret, exaravit. Neque de corona muri claudentis altare sanctorumque præsulum pietas habentis effigies silere justum est, quem canentium oculis sacerdotum non solum ideo opposuit, ut ab eis visus inanes et illicitos excluderet, verum et idcirco, ut si quis vanitate vel tædio gravatus extra se duceretur sicut sæpe contingere ex nostræ fragilitatis vitio solet, illa præsenti visione, et aperta tot bonorum per picturam memoria mentem et omnium quasi vivo revocatus consilio ad fortitudinem pietatis relevaret.

His et hujusmodi alias vir providus et benignus excogitans ecclesiæ suæ quascunque poterat temporales, et æternas utilitates, elegit etiam cum laude et cum gratiarum capituli sui actione, quosdam quos gratis canonicos ad præfinitam obedientiam constituit, presbyterum scilicet dignum et idoneum qui quotidie pro defunctis canonicis nostris, proprie offerret, aurifabrum mirabilem, pictorem doctum, vitrearium sagacem, alios nec non, qui singuli, prout cuique erat facultas, in officio suo deservirent; plenus itaque omni benevolentia erga ecclesiam suam ea sola contentus attentione, cœpit crescente ciborum fastidio paulatim ægrotare, unde convocatis ad se decano suo, quibusdamque fratribus aliis, ipsisque præsentibus eleemosyna sua prudenter disposita, multisque dimissis, prout poscebat instanter ipsa necessitas, cum osculo pacis et signaculo benedictionis recedens, erat enim hic apud nos pater piissimus, cum ubertate lacrymarum deferri se Varziacum fecit, ut inde ad monasterium charitatis super Ligerim facilius portaretur ibi sepeliendus. Locus ille sanctus cum aliis quibusdam religiosis locis in Antissiodorensi pago suo tempore incœptus est, consilio quidem, imo auxilio suo nunquam vix destitutus, quapropter si ibi tumulatus esse voluit, nulli iniquum videatur, quasi pateat eum vel huic loco illum prætulisse, vel amplius dilexisse, sed cogitet econtra, sicut est, quod quia hunc totis visceribus dilexit, ideo illum qui ad perpetuum honorem istius et adjutorium cito et magnifice Jesu Christi clementia visitante ædificatus est, plurimum amavit, unum hoc certissime sperans, ut quotquot habeat ibi Christus servitores, tot habebit apud Dominum Antissiodorensis Ecclesia fidos in sempiternis orationibus adjutores. Itaque spei tantæ consultus remedio, cum jam proximum sentiret lapsum ad vitæ novissima, Hugonem Nivernensem episcopum, quem ipse ad sacerdotium promoverat, nepotem suum, hujus-

que Ecclesiæ nostræ tunc temporis præpositum, virum quippe sanctæ conversationis suæque crucis bajulatorem post Christum, nec non Girardum priorem jam dicti loci, et ædificatorem atque habitatorem in habitu religionis primum, ut inter sanctas illorum manus facta confessione delictorum redemptori Christo spiritum redderet, convocavit. Quibus consequenter expletis delatus est illuc, et sepultus est in pace XVII Kal. Octob.; inthronizatus autem V Kal. Januar.; rexit episcopium annos 24, menses 7, dies 21.

MONITUM.

Antissiodorensis Ecclesiæ non ignobilis consuetudo est, quam cito de sæclo migrat ejus episcopus, illico terminum vitæ, sedis introitum, ac præcipue bene gesta ipsius conscribere. Contigit autem non sine magno patriæ detrimento clarissimum ejusdem Ecclesiæ patronum obiisse Robertum episcopum, ut nihil horum quæ diximus toto triennio scriptum fuisset : tantus dolor de morte ipsius, tanta dissensio de futuri subrogatione pontificis intercessit. Tandem vero post triennium temperato jam dolore, nec non Ecclesia tranquillata de pastoris consolatione, frater quidam modicum eruditus, et pene illitteratus, a conventu capituli rogatus, et ab episcopo monitus, obedientiam quoque vitare non ausus, quæ sibi de illo visa sunt minime tacenda, licet tanto indigne, quanto minus ornate minusque facunde, tamen ut potuit, ita stylo prosecutus est.

Cap. LII. — *De Roberto.*

Robertus de patre Guillelmo, nepote regis Henrici Philippi patris, consule Nivernensium, de matre autem comitissa Tornodorensi Hermengarde nuncupata natus est. Ex cujus ingenua progenie, quotquot periti viri, formosi bonique fuerint, sic eos omnes scientia, vetustate, moribus hic superavit, ut flos ex qua nascitur, arborem, fructus florem : unde prius quam ætate visus est honori congruens, virtutum dignitate. Ergo beatæ memoriæ defuncto Goffrido mense Septembri mox in episcopum electus est, dilata tamen usque ad Augustum consecratione prope aram beati protomartyris feliciter sublimatus est, fortis deinceps protector Ecclesiæ, rectorque moderatus : nam ex omnibus quæ in ecclesia tam exterius quam interius reperit, nemo mortalium quidquam demere vel subripere illo superstite ausus est, addidit autem donando aliqua ac laborando nonnulla, quorum discretione si tanti est : qui apud illum legerit, potest modo cognoscere.

Igitur contra dolos Senonenses hujus hostes Ecclesiæ et urbis perpetuos Apogniacum, quam cito factus est episcopus in oppidum erigens, firmiter munivit, solebant enim nos antea per hanc villam ad muros usque civitatis irruentes furtivis conatibus frequenter et impune prædari, ipsum quoque Apogniacum omnimodis aggravantes doloribus in tantum eo tempore afflixerant, ut ibi pauci, qui fugere nequibant, mendicitate et miseria repleti, sic et sic illorum servituti quantum jubebant addicti solas animas vix tuerentur : at ex quo castellum illud affixum est et oppidani illi quasi de morte suscitati revixerunt, et nostri cives soluti formidine vagantur nunc quocunque volunt. Item cum Pulverenum meliorem hujus Ecclesiæ terram violentia quorumdam tyrannorum iniquam duplicis salvamenti consuetudinem singulis annis rapiendo, prope desertam ruricolis, et aliis bonis effecisset, fortitudo præsulis istius subveniens ita sycophantas illos solo belli metu simulati exterruit, ut qui primitus canonicorum preces, imo pecunias, vel suscipere ad redemptionem injustæ portionis dedignabantur, idem ipsi tandem quasi ultronei et non inviti, tamen inviti, non ultronei, liberam penitus ab illa pervasione terram totam acclamarent, valeat fortitudo cum justitia, quæ conterendo sontes servavit innocentes, habuit quoque conflictum pro rebus Ecclesiæ contra Tociacensium frangendam rebellionem, quos tamen cum cito subegerit, patris coactioni Partiaci faciens castrum, terram nostram admodum læsit, unde et culpam prostratus in capitulo flevit, et damnum emendavit. Promisit enim nobis se daturum si a quibus deberet sapientibus sibi consultum foret restitutionem quam optabamus, scilicet præfecturam, qui personatus a diebus multis jam Ecclesiæ communitati magis ac magis optabatur; sed quoniam superstes erat adhuc persona eo tempore, dedit nobis pro investitura præfecturæ abbatiam beatæ Mariæ, nolens ut infructuosa interim exspectatio faceret nos adversum se murmurantes; dedit et præbendas duas, quas darent, quibus vellent : inde vero quanta puritate charitatis nos in tota vita dilexerit testimonium præbet illud egregium, et supra cætera memorabile donum, in quo nobis se tam misericordissimum exhibuit, ut dum animas nostras amaverimus, illius oblivisci nullatenus debeamus. Nam cum sancti antecessores ejus statuissent episcopi, ut solis diebus Quadragesimæ ex proprio præbendæ beneficio fratris cujuscunque memoria, cum obiisset, celebraretur, iste tanto clementior illis factus in hac bonitate, quanto in cæteris videbatur inferior, addidit et stabilivit, ut nullus jam ab obitu suo canonicus usque ad annum integritate præbendæ privetur, sed totos inde redditus presbyter, non noster tamen canonicus, pro defuncto suscipiat, qui missam quotidie celebret, horarum victimas solvat, jugiter oret, ex quo de Dei confidimus pietate, nunquam suorum carebit remissione peccatorum, qui tam benignus fuit in impetratione remissionis sibi subditorum, adhuc autem et aliud : cum suo tempore miles quidam, Atto dictus, partem molendinorum, quæ sunt sub muro, et ita vocantur, manu firmata ab episcopis tenens canonicis, quorum erat altera pars, placitum egisset, ipse laudavit, excepto quod anniversarium suum promisimus ideo quotannis faciendum. Sunt alia piæ sollicitudinis ejus, quæ circa ecclesiam hanc habuit indicia, quæ cum ornent ipsum Ecclesiæ corpus, aut instituant, maluimus illa tamen nuda

veritate breviter annotare, quam verborum floribus luculentis ad lectoris fastidium colorare. Ecce in introitu suo dorsale coloris sanguinei obtulit, pulpitum alio tempore quadringentis solidis ex proprio datis fieri fecit, postmodum excepto capite parietes chori ecclesiæ vitreavit, deinde cryptas antea nimium tenebrosas geminis ingressibus illustravit; demum signorum turres ab imis ecclesiæ regulis sursum ædificans, consummavit.

Cætera jam illius bona desinimus hic, non quia nulla sint, memorare; sed quoniam unum habuit, scilicet animi temperamentum, de quo si differimus ulterius loqui, scelus est impiissimum, nedum si velimus omnino reticere. Nam vir summæ nobilitatis et immensæ potentiæ, quem gloria mundi sequebatur, et omnis felicitas temporalis adorabat, tanta semper animum vigilantia custodivit, ut nec semel fœdæ voluptatis actio notaret illum, nec ipsius oris locutio vel irati quemquam sibi lucraretur inimicum; imo vidimus: nec inimicus illius (si quis est) contradicere valet, quod cum ab indigno quolibet sibi videnti vel audienti detraheretur, aut aliquod contumeliæ verbum inferretur; sic mitis et mansuetus esse continuit, ut sæpe is qui maledictis illum provocaret, patientiam ejus intuitus, et ex ea in seipso pavore correptus, tanto confestim pœnitudinis dolore, pugnis pectus et labia tundens seipsum afficeret, quatenus quivis intuitus hoc judicaret multum ei parci, si meritos pœnarum cruciatus potius ad vindictam susciperet. Brevius dicam, nulla fuit unquam asperitas malignitatis, quam non posset lenire ejus pulchritudo blandi sermonis: sed et de voluptuosis tentationibus, hoc est lascivis motibus carnis ipsius quid dicemus? quos refrenare atque comprimere tam studiosus fuit, ut vix aliquandò vinum biberet. Cumque sæpius a medicis moneretur, ut non, nisi cito mori vellet, sic vinum ex toto vitaret, non quia ipse mori volebat, sed causam mortis et fomitem libidinis natura et ætate fervidus metuebat, nullis monitis, nullis exhortationibus passus est prius acquiescere, quam abstinentia illa sic infirmatus est nobis videntibus, ut juxta medicorum sententiam juvenis adhuc omnium necessitatum novissima atque maxima, morte videlicet, ante tempus raperetur, quæ et si poterat medela parumper differri, nequibat tamen omnino quin veniret diutius retineri. Ergo Nivernis tota ægritudine captus, induto, ut aiunt, habitu sancti Benedicti, amarisque lacrymis deflens mala quæ fecerat, et in confessione defunctus catholica, et ibidem in beati protomartyris feliciter sepultus est basilica II Idus Febr. Illic honorem magnificum præstant ejus membra, hic nobis diebus cunctis fructum ferunt, quæ largitus est, beneficia, quapropter memoria illius scripto præsenti vivens, nec a nostris recedet cordibus, nec nostris carebit orationibus.

Pontificum Gestis aliorum gesta duorum
Clericus amborum vitas descripsit eorum,
Adnectens Frodo, Goffridi prius inde Roberti
Fidus eas egit, quia non nisi cognita dixit:
Non potuit munus Dominis pauper dare majus
Quam quod ei certum servat nunquam moriturum,
Unde Deo mentis des laudes utique tristis,
Poscit, et in verbis Deus ut sibi parcat et illis.

Epitaphium Roberti præsulis et conquestio.

Consul et antistes, geminato dignus honore,
Ut minimus quivis migras morture Roberte,
Quantalibet bona sint, morituris ut quid habenda,
Accideint melius victuris, quippe minora,
Sic utinam fieret, pauca cum prosperitate
Quatenus affluerent longæ dispendia vitæ.
Cum modica vita, potius quam gaudia multa,
Sed Deus hanc talem con'ert per posteritatem,
Ut per transversum contingat optima rerum,
Et cui spondetur mors, illi vita paretur,
Quique potet vita fore fretus sit sibi contra.
Ecce videte modo, quid sit de præsule nostro,
Nobilis et sapiens, juvenis, formosus, amandus,
Præteriit tanquam si nec genitus foret unquam.

Cap. LIII. — *De Humbando.*

Humbandus bonæ memoriæ ex decano episcopus, natione Antissiodorensis, ex patre Humbaldo, matre Adela, nobili videlicet prosapia ortus, sedit annos 22, menses 4, dies 17. Fuit autem idem episcopus temporibus Romanorum pontificum Urbani papæ II, Paschalis secundi, regnantibus apud Francos viris illustrissimis Philippo glorioso Francorum rege, atque Ludovico filio ejus feliciter. Hic ab infantia studiis litterarum traditus ab Heriberto prædecessore suo clericus atque canonicus factus, simplicitate, et prudentia, castitate ac temperantia, cæterisque virtutum floribus pollens in ecclesia beati protomartyris Stephani per omnia ordinem militans officia, honeste, decenterque ac religiose ibidem Deo servire studuit; decedente autem a sæculo præcellentissimo pontificum pontifice, Roberto, moribus et generatione nobilium nobilissimo; prudentia ac corporis specie speciosiorum speciosissimo, Humbaldus a clero et populo civitatis in pontificem eligitur, electus quidem apud Mediolanum Italiæ civitatem, a clericis prædicto papæ Urbano videlicet qui pro quibusdam a sana doctrina declinantibus in Lombardiam descenderat, consecrandus præsentatur, et ab eodem ibidem consecratus ad propriam civitatem reducitur, atque in sede pontificali cum gloria et hymnidicis cantibus juxta Ecclesiæ morem a clero et populo devote susceptus est. Quidam interea ecclesiæ casati in Ecclesiam insurgentes episcopalia bona usurpaverunt, et ut propria sibi retinere voluerunt: verum Humbaldus simplex ac prudens episcopus, utili consilio fretus atque de Dei potentia confisus, Gaufridum Dunziacensem Varziaci castrum occupantem, terram hominesque ultra modum depopulantem, ecclesiastica justitia sagaciter removit, sibique ac successoribus suis obtinendum censuit. Conadam quoque ab Hugonis tyrannica pervasione liberavit, qui epi-

scopales ejusdem loci redditus perversa audacia usurpaverat, et in posterum sibi retinere sitiebat. Tociacenses similiter ecclesiastica disciplina coercuit, et quæ ab episcopali jure subripuerant, eos reddere coegit.

Hic igitur quam pie erga Ecclesiam sibi susceptam, quam benigne ac prudenter erga subditos sese habuit, præclara ejus facta demonstrant : etenim ecclesiam multis beneficiis intus et exterius decoravit, ædificiis multiplicavit, honoribus nobilitavit ; multis etiam bonis, plura ecclesiæ contulisset, nisi qui bonis semper invidet diabolus per prædictos, et quosdam alios tyrannos ei rerum suarum atque honoris damna intulisset. Ecclesiæ namque tecta vetustate consumpta atque dilapsa, novis assiculis renovavit, turrem ecclesiæ super altare sancti Alexandri positam mirabili, et alta lignea coopertuta sublimavit. Aliam quoque turrim super chorum positam quadratis lapidibus cooperiri fecit, ne ejus signa festina ignis exustione, si forte contingeret consumerentur, neve pluviis grandinibus, quandoque consumpta frangerentur. Fenestras etiam quatuor, seniori altari lumen præstantes, mirabili opere vitreari fecit, atque in anteriori parte ecclesiæ 22, juxta chorum quoque duas vitreavit ; candelabra siquidem 5 miræ altitudinis ante altare apposuit, quibus cerei appositi ecclesiam nocturnis horis clarificarent, ac introeuntibus clericis sive laicis lucem lucidius ministrarent. Item dedit lineam cortinam, alterum parietem ecclesiæ festivis diebus decorantem, regum et imperatorum imaginibus depictam, supra quam posuit tria pretiosissima pallia mille solidorum pretii constantia ; quorum unum viridis coloris leonibus multicoloribus circumrotatis fulget ; secundum imaginibus regum similiter circumrotatis regali modo equitantium pollet ; tertium quoque leonibus auricoloribus circumrotatis aspicientibus arridet. Item ad decorem ecclesiæ memor Psalmistæ dicentis : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* XXV, 8), duo magna dedit dorsalia lanea, leonibus multicolotibus operose insignita, atque super chori sedilia duo optima posuit tapetia. Item ad ornamentum ecclesiæ, insinuando etiam nobis quia postpositis vitiis intus et exterius palleati virtutibus esse debemus, dedit cappas de pallio bonas 4, dalmaticas 3, albas 7, optimas casulas, stolas, et manutergia plura pluresque libros episcopali officio convenientes. Caput quoque ecclesiæ super altare sancti Stephani mirabili et pretiosa pictura decoravit ; in crypta similiter altæ Trinitatis superius et inferius picturis adornavit, et in alia crypta altare sancti Nicolai imagine Salvatoris, sanctæque Mariæ et sancti Joannis evangelistæ depicta honestavit : ecclesiam sanctæ Matris Domini Mariæ infra muros positam ruentem ac pene dilapsam renovavit, ac renovatam ipse dedicavit ; caput ecclesiæ sanctæ Mariæ extra muros novis assiculis cooperiri fecit. Ad stipendia denique canonicorum dedit ecclesiam Accolaci, cum decimis quam a Guiberto milite castri Censurii acquisierat, et paredam eidem canonicis condonavit. Ecclesiam Crevenni similiter dedit fratribus cum decimis et paredam condonavit ; præbendas tamen duas eo pacto clericis duobus capituli precibus attribuit. Item dedit ecclesiam Columni cum decimis prædictis canonicis, quam a Morundo milite conquisivit, eo pacto ut canonici ecclesiam destructam reficerent, et paredam condonavit. Ecclesiam quoque Ausiaci ab Hugone Mansello quasi jure hæreditario possessam cum presbyterio et decimis eorumdem fratrum stipendiis se daturum promiserat, et si canonici interim ab illo extorquere aliquo modo possent, episcopali donatione concesserat, quam in perpetuum habendam nobis oeliberasset, nisi morte maturius intercedente præoccupatus fuisset.

Nec prætereundum silentio dignum duximus quod villam, quæ Laurea vocatur, inter Carcedonum Andraiamque sitam, episcopis valde congruentem, cum silvis, terris cultis et incultis, a Gaufrido Bolsario et ab hæredibus suis, pretio XXX librarum et amplius eis dato, dimidiam conquisivit, sibique ac successoribus suis in perpetuum habendam censuit. Apud Antissiodorum quidem clausos vinearum episcopales vetustate consumptos, et pene emortuos, in viriditatem pristinam et fecunditatem bonam reduxit ; consuetudinem quoque pravam, omnia videlicet episcopalis domus utensilia, quæ comites moriente episcopo rapere suis usibus atque usurpare solebant, a juniore Willelmo comite sibi ac successoribus suis in perpetuum habendum obtinuit, et ut memoriæ commendaretur scripto hoc confirmari præcepit : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, veritatem diligentibus animarumque suarum salutem quærentibus, quia ego Willelmus, Nivernensis consul, ad remissionem peccatorum meorum, et patris mei, et matris meæ et antecessorum suorum, laudante uxore mea Adelaya comitissa, dimitto ecclesiæ beatæ Mariæ genitricis Domini nostri Jesu Christi, et beati Stephani protomartyris, et Humbaldo episcopo Antissiodorensi, et canonicis ejusdem ecclesiæ et successoribus eorum, quamdam pravam consuetudinem, quam antecessores mei solebant capere, scilicet de domo episcopali et de rebus episcopi, quas post mortem episcoporum quasi proprias possidebant, vastabant et diripiebant : hanc autem dimissionem talis consuetudinis facio, ne deinceps aliquis hæres meus inde quidquam capere præsumat, aut si quidquam inde capere præsumpserit, totum honorem meum perdat. Facta autem est hæc dimissio prius super altare sancti Stephani ; postmodum in eadem ecclesia publice Dominica die pridie Kalend. Septemb. »

Apogniaci etiam clausum episcopalem destructum et male dissipatum in fertilitatem suam reduxit, et furnum ab episcopali jure sublatum ad molendinum in Icauna flumine positum, et campos, qui vulgo

Catalaunicæ obnixe flagitans, ut quia locus ille, ubi hoc sacrum corpus sub dio jacebat, fundatus erat destructus, daret ei licentiam illud transferendi, ubi devotius et venerabilius servari valuisset. Qui dum diu persistens in precibus tandem suæ petitionis obtinuisset effectum vocato nauta fertur ei naulum dedisse, eo tenore, ut noctu ante galli cantum ad oram fluminis ejus præstolaretur adventum. Cumque statuto noctis tempore viri tres cum quodam sacerdote adessent fluvii ripæ, missi ab hoc comite, nauta defuit, nave ulteriori defixa fluminis oræ. His quoque viris adventum navigeri diu præstolantibus, et vicissim clamantibus cum nemo eis responderet, dolore perculsi corruunt in terram proni, devote precantes ut si Deo placitum foret corpus illius sancti de loco eodem transferri, aliquibus id eis dignaretur ostendere signis. Moxque navis soluta divina virtute, nexu quo tenebatur affixa, ripæ qua exspectabatur mirabiliter accedit appulsa. Quod admirando perspicientes, et maximas Deo gratias referentes, ascendunt navem, de voluntate Dei securiores effecti. Accedentesque ad locum sepulcri, et aperto saxeo in quo sacra membra jacebant sarcophago, reverenter elevant, transponentes hæc in præparato ad id opus noviter scriniolo : sicque cum ingenti gaudio remeantes ad navem, transeunt celeriter flumen, hoc pignus cum laudibus deferentes ad vicum Balbiacum (*Balby*), ubi per triennium constat venerabiliter conservatum. Post hæc ad ecclesiam beati Remigii honorifice est delatum, et custodi ecclesiæ devote commissum, juxtaque sepulcrum hujus sanctissimi patris honorifice collocatum. Post biennium præfatus comes cum uxore sua Herisinde domnum Fulconem præsulem humiliter expetiit, postulans ut ei locum sepulturæ concederet in dextera hujus ecclesiæ parte, juxta ostium cryptæ. Quo impetrato, et altaristatuto, atque argenteo decore cooperto, illic decenter hæc venerabilia deponuntur membra. Denique postquam a præfato sepulturæ suæ sublata sunt loco, quædam mulier cæca. Erentrudis nomine, illo candelam deferens accessit, impetrandæ causa medelæ. At comperto sacrum corpus inde sublatum penitus esse, nimio angore affecta cœpit flendo conqueri cur sanctus hic Domini abinde se permisisset auferri ? cur deseruisset vicinos, quibus beneficia solitus erat præbere divina ? Subveniri ergo sibi gemitibus exposcens, visum sibi est proficisci debere ad vicum Matusgum (*Marœug*), ubi frater ejus sanctus quiescebat Vetanus. Ad cujus sepulcrum candelam ponens, seseque in oratione prosternens, cœpit flendo utrumque invocare fratrem. Dumque sancti nomen crebro repetit Gibriani, cœpit caligo albuginis ab oculis ejus abrumpi : sicque divina propitiante pietate, prisco redonatur lumine. Præfatus denique præsul honorabilis Fulco, sollicitus circa Dei cultum et ordinem ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, duas scholas Remis, canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, jam pene delapsas restituit, et evocato Remigio Autissiodorense magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed et Hucbaldum sancti Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum accersivit, et Ecclesiam Remensem præclaris illustravit doctrinis.

CAPUT X.

De interemptione Fulconis archiepiscopi.

Accidit autem ut abbatiam sancti Vedasti, quam Balduinus comes tenebat cum Atrabatensi castro, rex Karolus pro infidelitate Balduini ab eo auferret, atque huic præsuli eam concederet, Altmaro quodam comite abbatiam sancti Medardi tenente : quam sibi visum est, opportunitatis gratia, cum eodem comite commutare debere, quod et egit. Accepit itaque ab eodem Altmaro abbatiam sancti Medardi, et dedit illi abbatiam sancti Vedasti, recepto per vim obsidionis a Balduino Attrabatensi castro. Cujus anxietatis dolore succensus tam Balduinus, quam omnis ejus comitatus, dum quærunt qualiter ulcisci se possint, amicitiam cum eodem præsule se fingunt resarcire, quærentes ultionis locum, explorantesque quomodo a metatu suo ad regis colloquium stipatoribus vallatus proficisci soleret : quadam die, dum paucis admodum comitatus, regis peteret alloquium, eum in via, duce quodam Winemaro aggredientes intercipiunt. Et quidem primum quasi de amicitia et recuperatione Balduini affantur ; demum vero improvisum lanceis impetunt, prosternunt ac perimunt. Quidam vero suorum sese ob nimium ejus amorem super ipsum prosternentes, pariter cum eo transfixi et interempti sunt. Cæteri qui superfuere, his qui ad hospitalia remanserant, hæc maximi sui doloris nuntia portant. Qui rei novitate perculsi, armisque muniti, percussores episcopi conantur ultione adoriri. Quibus minime repertis, corpus exanime, immensis ejulantes plangoribus, levant, et cum ingenti suorum omnium luctu Remensem ad urbem deferunt. Ibi tandem lotum, et dignis exsequiis honoratum, decenti est sepulturæ mandatum. Cujus antistitis hoc habetur epitaphium :

Hoc tumulo magni Fulconis membra tegontur,
Remorum sedis præsulis egregii.
Germine nobilium quem Francia protulit ortum.
Aulaque de scholis sumpsit, et excoluit.
Hinc Deus assumptum statuit virtute probatum,
Ecclesiæ speculum, pontificemque pium,
Septenos denosque simul cui præfuit annos,
Tres menses, denos insuper atque dies.
Auxit episcopium superaddens plurima rerum,
Urbs et istius mœnia restituit.
Orbis honor, patriæ tutor, pietatis amator.
Pro studio pacis confoditur jaculis.
Septenum denumque diem jam mensis agebat
Junius, ut dira morte peremptus abit (Apud Baron., [obit.)
Cui Matris Domini, pariter quoque præsulis almi
Remigii pietas obtineat requiem. Amen.

Denique Winemarus ejus interemptor ab episcopis regni Francorum cum suis complicibus excommunicatus et anathematizatus, insuper insanabili a Deo percussus est vulnere [*Baron.*, ulcere], ita ut computrescentibus carnibus, et exundante sanie, vivus devoraretur a vermibus : et dum pro-

dam presbytero, missas pro canonico mortuo celebranti, dari per annum statuerat. Canonicis etiam de abbatia regularibus, quam antecessor ejus gloriosus decusque pontificum Robertus in abbatiam extulit, dedit ecclesias plures, illam de Warchi, de Tratiaco, sancti Martini de Trunceto, de sancto Quintino, quas a laicali manu subtraxit, eisque in perpetuum habendas apostolica et episcopali auctoritate concessit; monasterio Charitatis similiter ecclesias multas concessit, quas a laicis eas possidentibus conquisivit, ipse idem divinorum officiorum ecclesiasticique ordinis amator baptisteria et sepulturas cæterasque ecclesiarum oblationes a laicis per multa tempora usurpatas, et jam ex longo usu quasi pro consuetudine possessas, consuetudines quoque pravas, convivia scilicet, quæ presbyteri parochiales dominis laicis per singulos annos persolvebant, strenue ac rationabiliter a laici possessione removit; neve deinceps sacerdotes Dei laicis in talibus obedirent in synodo episcopali auctoritate interdixit, prædicens illud Stephani papæ et martyris decretum; laicis, quamvis religiosi sint, nulli tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid possidendi legitur unquam attributa potestas.

Hic itaque amicus pacis ac benignitatis episcopus, his atque hujuscemodi bonorum operum exhibitionibus adornatus, ita se amabilem omnibus bonis viris ac charum exhibebat, ut omnium bonorum laude dignus fieri mereretur; erat enim sagacis ingenii, prudens eloquio, providus in consilio, patientia lenis, vultu alacris, incessu et habitu jucundus, erga omnes benigne affabilis, intus et foris cunctis idoneus; vacabat opportuno tempore orationibus, et interdum familiarium fruebatur collocutionibus, disponendo de suis suorumque utilitatibus diligebat militum atque nobilium contubernia, sed major illi inerat erga clericos affectio, et in mensa et in vestium cultu largitatis gratia eis apparebat esse copiosior. De illicitis siquidem motibus carnis silendum non est; quos ab eo ciborum parcimonia et potus comprimere studiosus fuit, ut, ex quo episcopus factus est, a carnibus sese abstineret, leguminis ei comestio sufficeret, nec vinum, nisi parum, biberet. In convivio denique hospitalitatem in invicem et in omnes sectando dapsilis fuit, nec unquam in prandio Christi pauperibus caruit, vitans illud quod scriptum est: Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est. In Quadragesima vero quotidie pauperes duodecim reficiebat, quibus in Cœna Domini denarios tribuebat, et in Pascha plerosque vestiebat. Cum autem, ut plerumque fieri solet, in subditorum etiam baronum animos furor iracundiæ et discordiæ diabolico instinctu irrepsisset, mira ejus patientia atque humilitatis gratia discordantes animos concordabat, et ut pax fieret firmior et quies, inquietanti dando de suo sæpenumero propinabat. Si vero aliquando aliqua laicalis persona in clericum aut calumniæ causam, aut injuriam a clerico sibi illatam haberet, eique conquerendo reclamaret, ipse simplicitate columbæ ac prudentia serpentis instructus, et culpam, ne dedecus fieret Ecclesiæ, sub silentio teneri faciebat, et negligentiam, si aliter fieri non posset, interdum dato pretio a reclamantibus redimebat. Hic itaque operante Jesu Christi clementia, qui fidelium suorum et aspirando prævenit et adjuvando prosequitur actiones, inter fratres pace prius reformata, episcopatus sui anno 22, pro Salvatoris amore et peccatorum suorum remissione Hierosolymitanum iter prosecutus est. Unde sacris locis ex more visitatis, et cum imbre lacrymarum facta oratione ubique pro peccatis, dum rediret et ecclesiæ suæ ornamenta plurima deferret, inter sævientes maris fluctus, Salvatoris nostri Jesu Christi misericordiam implorans, reumque se vociferans, psalmos Deo et hymnos personando, navi dissoluta Creatori suo spiritum reddidit.

Cap. LIV. — *De Hugone ep. et abbate S. Germani.*

Hugo sedit annos 21. Hic siquidem in Cluniacensi territorio de castro Monteacuto ortus, a nobilibus processit parentibus, et pater ejus Dalmaticus dictus, matris vero nomen..... Hunc cum patres satis tenere diligerent, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter, nutu Dei, quo omnia disponuntur, Ecclesiæ destinatus litteris traditur, et adhuc in puerili innocentia manens in Cluniacensi monasterio monasticum habitum suscepit, ubi sub sancto Hugone avunculo suo ejusdem monasterii tunc abbate pluribus annis vixit, et regulam beati Benedicti in claustro ejusdem monasterii sapienter didicit, quoniam sicut perhibetur de ipso semper sine querela, humilis et obediens suis majoribus, sicut decet monachum, permansit. Porro, Dominus omnipotens, qui *humilia respicit in cælo et in terra* (*Psal.* CXII, 6), humilitatem hujus respiciens multis profuturam, eum in claustro diu manere non permisit. Post decessum namque domini Guiberti, abbatis sancti Germani Antissiodorensis, in eadem ecclesia electus et benedictus abbas, non propter nomen abbatis elatior factus, sed tanquam unus ex cæteris humilis monachus fuit, et sicut bonum magistrum decet, *cœpit facere et docere* (*Act.* I, 1), demonstrans exemplo quod docebat verbo. Cognito autem quod dominus Humbaldus venerabilis Antissiodorensis episcopus in via Hierosolymitana de hac vita migrasset, clerus ejusdem Ecclesiæ ex majori parte, facto satis brevi intervallo, hunc jam dictum abbatem in pontificem elegerunt. Præpositus vero ejusdem Ecclesiæ, Hulgerius nomine, et quidam canonici cum eo, qui eumdem præpositum nominaverant in electione, electioni sancti viri restiterunt, qui etiam regem Ludovicum filium regis Philippi tunc regnantem suæ contradictionis adjutorem habuerunt, ita ut omnia regalia ad episcopatum pertinentia omnino concedere ei denegaret. Tunc ipse compulsus et tractus ab electoribus suis, et sui adversarii ad limina apostolorum adierunt, ut ibi a summo pontifice judicaretur de electione. Sed be-

nignissimus Dominus, omnium bonorum distributor, adversus quem non est sapientia vel consilium, tantam dedit reverendo abbati gratiam in oculis summi pontificis, qui tunc Paschalis nomine sedebat, ut ab ipso gratiam episcopalis consecrationis mereretur accipere, et cum pace adversariorum ad propriam sedem reversus est cum multa alacritate occurrente sibi clero et etiam populo.

Comitem quoque terræ, qui eodem tempore captus tenebatur a Mansello, qui postea in Carthusia religionis habitum assumpsit, de confirmatione suæ electionis lætum invenit; regem etiam Francorum, qui prius ei adversabatur, in adventu suo quam cito visitavit pacatum. Denique in quanta animi puritate, et quam humilis in episcopatu suo vixerit, licet non per omnia, subsequens littera declarabit, cujus sanctæ conversationis quasi quoddam præsagium fuit prognosticum ei divinitus destinatum, quod tale fuit : *Ave, Maria, gratia plena*, etc. Nec mirum, si Filius Virginis, sine cujus nutu nec folium cadit in terram, in prognostico servi Matris suæ, quem virginem cognoverat permansurum, illam singularem et admirabilis gratiæ salutationem voluit inveniri, ut qualis vitæ futurus esset daret intelligi. Ordinem Cisterciensem, qui tunc temporis adhuc recens erat, læta et voluntaria paupertate circumseptus, dulcissima visitatione frequentabat, et juxta facultatem suam ei in multis necessaria ministrabat; suo etiam tempore ejusdem ordinis abbatiæ, Regniacum, Rupes, Bonusradius, initium fundationis habuerunt, et per manus ejus, tum ministrando necessitatibus eorum, tum acquirendo possessiones, non modicum incrementum. Nam ante tempora suæ consecrationis Pontiniacense monasterium fundatum fuerat; infirmos etiam ejusdem ordinis non obliviscens dulci alloquio refovebat, et in expensis suis sæpius refectionem ministrabat. Civitatem et frequentias populorum congruo tempore libenter vitabat, claustrum monachorum læta animi simplicitate frequentans, inter ipsos non desiderans episcopus vocari vel videri, sed monachus, non oblitus illius evangelici præcepti : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator* (*Luc.* XXII, 26) : Illud etiam beati Hieronymi, qui et monachus fuit, et doctor monachorum, semper in mente volvens : « Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est; si cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus ? »

In claustro monachorum de Charitate, qui juxta ordinem Cluniacensem vivebant, frequenter manebat, et de castris suis Varziaco, et de Cona annonam et vinum, ne Ecclesiam gravaret, ad suum usum et refectionem infirmorum ibidem sæpius præcipiens deportari. Creditur quoque de ipso, quod spiritum habuerit prophetiæ, in quo quoddam signum veritatis reliquit clericis suæ ecclesiæ; fuit namque tempore suo clericus quidam, nomine Stephanus, in acquirendo et providendo cautissimus, qui multum dilectus et familiaris fuerat abbatiæ, cui præfuerat, et præcipue abbati Gervasio successori suo, utpote de familia ejusdem ecclesiæ : pro ipso igitur cum monachi ipsius ecclesiæ et præsertim abbas frequenter episcopum interpellarent, ut eum canonicum faceret in ecclesia sancti Stephani, ipse vero nollet eos in hoc audire; cum ipsi eum quotidie assiduis precibus non cessarent pulsare, fertur hoc illis responsum dedisse : Incassum pro ipso preces funditis, meo namque tempore meus nunquam canonicus erit. Hoc enim credo de ipso, quod quam cito canonicabitur in ecclesia sancti Stephani, proprii commodi circa bona ecclesiæ nimius erit exactor. Et quid multa ? verbum sancti viri veritas subsecuta est : post mortem namque ejus, successor suus prædictum clericum in ecclesia beati Stephani canonicum fecit, et familiarissimum habuit, et quod de ipso vir sanctus prædixit, hoc in eodem clerico effectus, probavit. Archidiaconatum qui suo tempore venit in manus ejus diebus sui præsulatus in manu sua retinuit, non propter avaritiam, sed ne sacerdotes gravarentur, sciens archidiaconatus redditus paucissimos esse, nec ad expensas, quas nomen hujus honoris requirit, posse sufficere. Contigit autem semel eum pro quadam necessitate velle Romanum pontificem visitare : unde et consilio assistentium sibi pro expensis itineris tanti compulsus est a sacerdotibus suæ diœcesis auxilium postulare; dederunt sacerdotes, juxta proprium arbitrium, unusquisque, nec amplius quæsitum est ab aliquo quam de ejus procederet libera voluntate. Paratis igitur omnibus, quæ necessaria erant sibi aggressus est iter propositum, transiens montem Cinisium, ad Clusas venit, et ibidem intellexit viam securam non esse. Consilio itaque inito ad propriam sedem rediit, et non oblitus quod a sacerdotibus suis pro itinere incepto pecuniam sumpserit, viso scripto, quantum unusquisque sacerdotum dederat, tantum unicuique est resignatum.

Fuit quoque quidam ejus familiaris, cui ecclesiasticum beneficium contulit. Ille vero non immemor accepti beneficii, transacto aliquanto spatio temporis, cum quadam summa nummorum venit ad monachum quemdam, qui loculos episcopi portabat et totius domus suæ procurator erat, obtulit ei eosdem nummos, ita dicens : Dominus episcopus multa expendit et indiget multis, hoc munus accipite, et in expensis sibi necessariis reservate. Monachus cum gratia munus accepit, et acceptum reservavit, nec multo interjecto temporis spatio in memoriam reducens nummos acceptos, et ignorans si aliquis scrupulus lateret in munere, qui conscientiam episcopi posset offendere, cujus puritatem non ignorabat, sicut providus et sapiens dispensator, quale munus a quali viro sibi datum fuisset, episcopo revelavit. Quo audito, cum episcopus cogitaret, unde donum processisset tale et tantum, statim venit ei

in mentem, quod in ecclesiastico beneficio benefecerit illi, iratus sic dispensatori suo fertur dixisse : Frater, non est nostri propositi hoc tenere, quod a gentili dictum est : « Non cures unde habeas, sed oportet habere. » Ita ex integro, sicut munus tibi dedit, datori remitte, ne conscientia mea polluatur in ecclesiastici beneficii collatione. Monachus statim obedit, et sicut et injunctum fuerat, munus datori remisit. Accidit etiam ut ex defectu vinearum sub quoddam anno vinum aliquantulum magis solito venderetur; ipse vero considerans loca regulariter viventium in episcopatu suo, præcipue inter alias necessitates, ad usum potus nihil omnino vini aut nimis parum habere, constituit monachis de Rupibus, et illis de Bonoradio, et illis de Charitate a Varziaco et Cona vinum ministrari, juxta quantitatem vini quam habebat ibi, et prout cuique ecclesiæ congruum erat. Conventui autem Pontiniacensi, Regniacensi, et virginibus Christi de Crisinon in hunc modum distribuit. Quadam die accito cellerario Antissiodorensi, cellarium proprium intravit, et cognito quod dolia essent plena vino, fertur ita dixisse suo cellerario : Hoc vas sit conventus Pontiniacensis; istud Regniacensis; istud pauperum virginum Christi, unumquodque designans virgula, quam habebat in manu sua. Porro cellerarius sciens vinum esse de megrana, quod destinaverat virginibus Christi, dolium quoque 40 modiorum magni pretii fore, quasi ex consilio animum episcopi avertere voluit a tanto dono, dicens : Domine, istud vinum est de megrana, et vas 40 modiorum magni pretii putationi vinearum, et aliis necessitatibus reservatum, placeat vobis vinum minoris pretii dare, quia aliud habetis præ manibus, quod ex magna animi accipient charitate. Cui episcopus : Non sapis ea quæ Dei sunt; quod dixi, dixi; nescis quod verbum Dei nunquam debet esse otiosum. Quid multa? dixit et facta sunt. Sed adhuc audiamus quid dominus adjecerit huic viro ad augmentum hujus charitatis. Vocatus est dispensator monialium, injunctum est ei, ut deferat vinum datum usui virginum. Sed ille cum intelligeret vinum tam bonum et tanti pretii esse, obtulit venale, ut de pretio vini vilius emeret, et residuum pretii necessitatibus aliis reservaret. Episcopus hoc audiens monachum dispensatorem jubet vocari, quare velit vendere vinum inquirit. Monachus causam exponit; quod episcopus intelligens, inquit : Ego vinum, quod dedi sub eodem pretio quod alii daretur, volo quod in meam redeat potestatem. Obsequitur monachus voluntati episcopi; datum est pretium monacho non minus quam potuit habere ab alieno. Quo facto, episcopus ad monachum : Modo pretium vini habes; ecce hoc vinum sicut prius iterum sponsis Christi dono, utque illud habeant et bibant præcipio.

Creditur quoque de ipso, quod semel, et secundo, et tertio corporis infirmitatem sentiens, ita universa quæ habebat pro amore Dei destribuit, ut nihil mobile præter vestimentum, quod vix posset sibi sufficere, retineret. In quadam autem infirmitate, cum omnia dari præcepisset, allata est ei quædam pyxis cum electuario et parvo cochleari argenteo. Ipse autem cochlear statim præcepit dari, ut nihil sibi retineret, quod conscientiæ suæ puritatem offendere posset. Accidit quoque, ut quodam tempore apud Claramvallem esset, ubi sæpe en magna animi voluntate morabatur pro consilio animæ suæ, quia tunc temporis dominus Bernardus venerabilis, magni nominis et meriti abbas, cujus vita et doctrina in universali Ecclesia celebriter divulgata multos secum traxit ad Christum, ibique die quadam cum abbas et conventus monachorum, quorum consuetudo est proprie manibus metere unde vivant ipsi et necessitatem patienti tribuant, in campum quemdam ad metendum irent, episcopus cum falce conventui se interposuit, magnum fructum exspectans, quoties inter eos contingeret ipsum socium esse laboris, ventum est ad campum ubi seges erat; secant omnes; colligitur seges in manipulos; et ecce nubes tenebrosa et multis imbribus plena obnubilans cœlum et circumvolvens campum ubi erant. Quod cum videret dominus Bernardus venerabilis abbas imperterritus, et fidem Christi semper habens in pectore suo, de qua scriptum est : *Omnia sunt possibilia credenti* (*Matth.* IX, 22), conversus ad episcopum ait : Pater, dic ut imminens pluviarum inundatio transeat. Ille, ad humilitatem semper respiciens, sic respondit : Non sum hujus meriti; tu, ora, et confido quod Dominus dabit tibi. Econtra abbas, et, tu Pater, ora et ego tecum. His dictis, oravit uterque, et statim aures Domini in preces eorum, recessit caligo nubium : subsecuta est serenitas aeris; et cum siccitate colligunt messem suam sancti messores.

Quodam quoque tempore ex quadam insolita nimietate ventorum quædam turris lignea ecclesiæ sancti Stephani funditus corruit super domum episcopalem sub silentio noctis dejecta, episcopo dormiente, trabes et ligna transtegumenta domus penetrando circa lectum episcopi cecidere hinc inde, etiam ex transverso, omni læsione submota a sancto viro. Quid ad hæc dicemus? patet quod ille solus et unus dormientem custodivit episcopum, qui non dormitat, neque dormit, et custodit Israel (*Psal.* CXX, 4) : semper enim custodivit omnes diligentes se, de quo solo vere scriptum est quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Cum autem de consuetudinibus ecclesiæ suæ inter præpositum et canonicos discordia tempore longo durasset, sub juramento testium, tam canonicorum quam laicorum consuetudinibus ex majori parte scriptis et juratis pacem inter præpositum et fratres posuit, et scriptum suo sigillo confirmavit, et auctoritate summi pontificis communiri fecit in pace ecclesiæ suæ, illum fructum attendens quem legerat in beati Martini opere, qui ante obitum suum sibi imminentem in Condatensi ecclesia studuit pacem reformare, quem fructum pacis per Psalmi-

tam Auctor pacis promisit, *sunt*, inquiens, *reliquiæ homini pacifico* (*Psal.* xxxvi, 37). Et cum inter omnes prælatos Ecclesiæ cujuscunque fuerint ordinis vix unus possit inveniri, qui parentes suos, etiam si non sint digni, non sublimet honoribus et beneficiis ecclesiarum, iste singularis inter infinitos cuidam suo nepoti nunquam in vita sua præbendam voluit dare; et licet non multum assiduus esset in ecclesia sua ob quietem spiritus, quem inveniebat inter claustrales, multam tamen sollicitudinem circa suam ecclesiam exhibebat; ad servitium igitur ecclesiæ suæ augmentandum, considerans nihil tam utile in ecclesia ad commune bonum fratrum, quam si præpositum ecclesiæ cederet eis in communem usum, quadam die consilio accepto non ab homine, sed a Deo, per manum sancti Stephani super altare ipsius, præposituram obtulit, et in perpetuum habendam communitatem fratrum, et præcipue ad refectionem ipsorum concessit et donavit; ipsumque donum, ne ab aliquo posset infringi, auctoritate Innocentii papæ fecit confirmari. Verumtamen quod super hac donatione factum fuerit, tempore successoris sui observatum non fuit.

Dedit etiam ecclesiæ beati Stephani ecclesiam Deoysi et ecclesiæ sancti Germani ecclesiam sancti Ferreoli. Domum episcopalem de novo ædificavit lapideam, amplam, et tegulis texit; et in illa parte ejusdem domus quæ respicit ad orientem stationem quamdam construxit, quæ vulgari lingua *logis* appellatur, plurimum in aspectu delectabilem, cum pulcherrimis columnis exornatam super murum civitatis, unde et fluvius subtus potest videri, et vineæ et agri. Appropinquante igitur termino vitæ suæ apud illum præfinito, qui tunc dat dilectis suis somnum (*Psal.* cxxvi, 2), quo vult eis hæreditatem suam dare, universa membra ejus calor occupat innaturalis; ipse vero carne laborante spiritum in psalmis et orationibus Creatori suo compellebat servire. Cumque supervenisset dies extremus, fratres circumstantes, quali potuit diligentia, circa horam nonam diei, his admonuit verbis: Horas diei quæ supersunt, quas debemus, Domino persolvamus, quoniam finitis horis statim requiescam. Cantaverunt igitur Domino, et hora completorii completa, completus est terminus vitæ ejus; sicque verbum, quod prædixerat, subsequitur effectus veritatis. Quibus finitis horis requievit in Domino, quod tunc non prius intellexerunt circumstantes. Putaverant enim verbum ejus fuisse de quiete corporis. Est autem obitus ejus quarto Idus Aug., et a sede episcopali, ubi spiritum reddidit Domino, ad ecclesiam S. Germani, sicut de ejus voluntate dum adhuc viveret, processerat, corpus ejus delatum est cum debita reverentia, et ibidem in capitulo ejusdem ecclesiæ, ubi fratres disciplinantur, Domino providente habuit sepulturam, nec vacavit episcopatus ab electione successoris sui per septimanam.

Cap. LV. *De Hugone.*

Hugo de Cluniacensi territorio ortus fuit, sicut et prædecessor suus, cujus et nomen habuit, de ordine Cisterciensi primus abbas Pontiniacensis ecclesiæ, qui indicto jejunio tam clericis quam populo Autissiodorensis oppidi, facta invocatione sancti Spiritus electus est in pontificem. Pater hujus..... mater vero..... Qui cum in Senonensi Ecclesia propter suspensionem domini Henrici metropolitani locum consecrationis non haberet, apud Ferrarias a domino Gaufrido Carnotensi episcopo circa festum B. Vincentii consecratus est, et Dominica qua cantatur: *Circumdederunt me*, ad suam sedem episcopalem honorifice introitum habuit et in ecclesia sibi commissa divinum officium solemniter celebravit. Iste siquidem cum de genere magnorum virorum processisset, ipse quantum ad animi magnanimitatem plus suo contulit generi, quam genus suum ipsi. In loquendo parcissimus erat, in faciendo efficax, et promptissimus, et quamvis miræ esset patientiæ juxta propositum ordinis sui, ut manus sævientium in ecclesiam et in res ecclesiæ reprimeret, rigorem admiscuit patientiæ; et quos non poterat per patientiam et humilitatem superare, conculcabat rigore justitiæ, qui judicio sapientis multum necessarius semper est in Ecclesia Dei. Quotidie enim crescit malitia et multiplicantur mala super Ecclesiam, quemadmodum pauci inveniuntur prælati in Ecclesia Dei, qui animam pro grege sibi commisso contra malignantes opponant, et rigorem justitiæ in laude bonorum ponant, et vindictam malorum exerceant. Iste vero intelligens tam humilem quam potentem unum habere Dominum, licet humilibus aliquando parceret in justitia, semper in potentiores ad vindicandum veniebat in virga, illud Augustini ad manum habens: « Aliter servit episcopus, aliter sibi subjectus: subjectus fideliter vivendo; episcopus justa præcipiendo, et peccatores convenienti rigore corripiendo. » In exemplum quoque beati Ambrosii factum sibi assumens, qui, Theodosio imperatori venienti ad civitatem Mediolanensem, in faciem restitit ei, et propter multa homicidia, quæ jussu suo facta fuerant, suum scelus sibi annuntiare et introitum ecclesiæ, donec Deo satisfaceret, interdicere non trepidavit. Nec mirum, si animus ejus erat ad justitiam paratissimus, qui pro vindicta exhibita, Domino placato populum Judæorum a pestilentia mortalitatis liberatum intellexit per manum solius Phinees, *qui stetit et placavit, et cessavit quassatio* (*Psal.* cv, 30). Talibus eruditus exemplis sicut putabat ex officio pietatis humilibus condonandum ipse, ita etiam judicabat crudele et impium superbis et de consuetudine in res ecclesiæ sævientibus facile condonare. Illud sapientis non obliviscens: ex solito peccantibus de facili indulgere nihil aliud est quam eisdem peccandi materiam ministrare. Illud etiam beati Hieronymi, quod ad instructionem eorum qui præsunt Ecclesiæ Dei in epistola de doctrina divini studii ad Paulinum sacerdotem scripsit: Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest; et quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum

nocet, si destruentibus non resistat. Comitem Willelmum, qui postea in Carthusia religionis habitum suscepit, vocando in causam, ad hoc canonico judicio coegit, ut multa ecclesiæ suæ restitueret, quæ de jure canonicorum ecclesiæ suæ fuerant; multa etiam ad jus episcopale pertinentia, quæ idem comes propter defectum justitiæ prædecessoris sui in suam redegerat potestatem.

Illo itaque tempore usus nemoris, quod Monsbarri dicitur, canonicis beati Stephani est redditus, ob quem usum pars quædam nemoris est canonicis assignata a filio ejusdem comitis, cum in eodem nemore villa nova ædificaretur. Venationem etiam, quam comes per nemora sua ad episcopale jus pertinere negabat, recuperavit, et ut de hoc jure ecclesia remaneret investita, ipse tempore suo et venatores et canes habuit, frequentissime præcipiens venari, et sub oculis comitis per mediam civitatem cum canibus et debito clangore venationem ad sedem episcopalem deferri. Quid multa? ad hoc prudentia et rigor justitiæ suæ omnes episcopatus sui potentes compulerat, ut præsentiam suam honorarent, absentiam timerent, et injicere manus in res ecclesiæ, rigorem ejus sub oculis habentes, præsumere non auderent. Cumque multoties castellani et potentiores ad suam præsentiam venientes, pro indulgentia alicujus commissi requirenda et genuflexo preces funderent, non statim illis responsum dabat, imo etiam aliquando oculos suos ab eis videbatur avertere, non propter superbiam, vel indignationem, sed ne nimia humilitas, quæ talibus placere non potest, in gladio Petri timoris minueret reverentiam.

Cum igitur inter cæteras virtutes, quas gratia sibi contulerat, hospitalitatem primum a Domino in Evangelio, postea per Apostolum, intelligeret plurimum commendatam, ipse non oblitus illius verbi, quod in sua promiserat consecratione (hospitalis volo esse) domum suam hospitalem esse voluit. Unde et quemdam conversum de Pontiniaco præesse constituit domui suæ, qui tam præsente quam absente episcopo semper hospites paratus esset recipere, et præcipue universos ordinis sui, qui ad suam domum declinarent causa hospitandi. Studium etiam hujus erat loca religiosa semper tueri et manu tenere, et solo habitu religionem prætendentes ad religionis veritatem, ubi facultas dabatur, reformare. Unde et in quadam ecclesia Antissiodorensi, quæ in honorem Genitricis Dei a sancto Vigilio prædecessore suo extra muros civitatis fundata erat, religionem de Præmonstrato sua auctoritate cum auxilio comitis pia devotione constituit, illis canonicis ab ecclesia remotis, quorum conversatio minus erat honesta. Denique cum inter universos Gallicanæ Ecclesiæ coepiscopos præcipue honestatis et magni consilii pro certo sapientum judicio teneretur, cumque ad commune bonum Ecclesiæ suæ multum sollicitus exstitisset, cuidam tamen nepoti suo præposituram ejusdem Ecclesiæ donavit, quam benignis imo charitatis affectu venerabilis bonæ memoriæ Hugo prædecessor suus ad bonum commune fratrum super mensam sancti Stephani per manum ejusdem protomartyris dederat, quod et auctoritate summi pontificis et sua confirmatum fuit. Redditus episcopales in multis emendo, invadiando, tempore suo ampliavit, domum quoque cujusdam militis, quæ subtus murum erat et nimis propinqua domui episcopali, quam de media nocte in jocis garcionum et ancillarum suæ domus quietem nimium solebat infestare; de laica manu emptam in jus episcopale transegit, domum quoque ante januam suam, utpote multum domui episcopali necessariam comparavit, dedit ecclesiæ sancti Stephani vadium cujusdam nemoris in XXII libris, et ecclesiam de Landriaco in memoriam obitus sui. Est autem dies obitus ejus V Idus Octob. et in domo Pontiniacensi, quæ primum habuit fundationem de ordine Cisterciensi in episcopatu Antissiodorensi, in qua et ipse primus exstiterat abbas, a sæculo migravit, et in ecclesia Pontiniacensi sepulturæ locum invenit. Sedit autem circa annos 14, et vacavit episcopatus per annum, et a festo B. Dionysii usque ad adventum Domini.

CAP. LVI. — *De Alano.*

Alanus abbas de Ripato, natione Flandrensis, vir religiosus, rexit episcopatum 14 annis, et redditus episcopales in multis augmentavit. Apud Varziacum in turre et in aliis locis, multa in Vadimonio accepit. In valle capellæ sancti Andreæ domum petrinam ædificavit: apud Gagiacum grangiam petrinam et tegulis tectam, et domos ad manendum cum capella ædificari et vineas plantari fecit. Capitulo dedit XXX solidos censuales in ecclesia de Escoliva nihilominus, et dedit ecclesiam de Lindriaco cum præsentatione capellani: ad ornamentum vero ecclesiæ beati Stephani dedit pallia duo optima et ad servitium ejusdem librum quadraginta homiliarum beati Gregorii satis eleganter scriptum et ornatum; aliis etiam ecclesiis Antissiodorensibus, tam in redditibus quam in aliis beneficiis, multa misericorditer contulit; quamplura etiam digna memoria et scripto in epicopatu operatus est, quæ non culpa, sed ignorantia scriptoris litteris adnotata non fuerunt. Hic cum in episcopatu Deo et hominibus placens laudabiliter 14 annis vixisset, sollicitudinibus et curis mundanis, quibus prius abrenuntiaverat, se omnino exuere volens, episcopatum resignavit, et relicta activa vita contemplativæ se prorsus tradens, Clarevallem adiit, ibique inter athletas Christi martyrium sui temporis aggressus jejuniis, orationibus, lectionibus, atque aliis charitatis operibus solummodo vacans, fine ut credimus beato in Domino quievit. Obiit autem V Idus Octobris et sepultus est Clarevallis: pro cujus anniversario solemniter celebrando magister Abbo ejus clericus emit in molendinis de Crevenno XL solidos, et plus de redditu et canonicis B. Stephani dedit annuatim in eodem anniversario dividendos, ita quod in alios usus nullo modo alicui liceret prædictos redditus transferre. Episcopavit

autem tempore piissimi regis Ludovici, Willelmo comite Nivernensi, qui sepultus est apud sanctum Germanum qui non minimum ei in vita sua adversatus est, et pervenit usque ad tempus Willelmi filii ejus, qui Hierosolymis mortuus est, Romæ autem præsulibus Adriano et Alexandro papa tertio.

Cap. LVII. — *De Guillelmo.*

Guillelmus Tuciacensis fuit, non tantum illustris, sed et honesta origine procreatus, pater enim ejus exstitit Girardus de Narbonia vir nobilis, mater vero Agnes non genere viro suo inferior; qui clari cum essent rerum copia et sanguinis generositate, nobiliores tamen moribus et feliciores fuerunt natorum propagatione. Non enim hunc tantum præsulem nutu Dei genuerunt, sed Hugonem Senonum venerabilem archiepiscopum, qui primogenitus eorum fuit, vir videlicet modestus, liberalis, et omni morum honestate præditus. Prædictus Willelmus in juventute sua primum archidiaconatum et postea præposituram Ecclesiæ Senonensis administravit, in qua administratione ita floruit, quod nulli clericorum in Galliis largitate, hospitalitatis gratia, expensæ et familiæ numerositate secundus exstiterit: hujus consilio et prudentia universali Ecclesia fere fluctuante et schismate sæviente, prænominatus frater ejus archiepiscopus, imo ipse recepit, et Senonis addixit beatæ recordationis Alexandrum papam tertium, nondum plene confirmatum : quod etiam reges et principes facere formidabant, in qua receptione, et quandiu apud eos morata est curia, quam laudabiliter se utrinque habuit, non est facile dictu. Ad episcopatum divina bonitate accersitus, famam sæcularem et laudis humanæ lenocinia prorsus postponens, consuetæ tamen nequaquam oblitus est hospitalitatis, imo eam quousque vixit, pie et liberaliter exercuit. Omnibus se affabilem, oppressis misericordem, et egenis benignum incomparabili exhibebat simplicitate; vigiliis et orationibus insistens, vix aliquando obdormiebat vel evigilabat, quin psalmodia in ejus ore resonaret. Missam quotidie celebrabat, nisi forte aliqua grandis superveniret necessitas. Equitans raro cum familia sua loquebatur, nisi forte de negotiis suis, sed aut solus tacite psallebat, aut uno de sociis advocato psalmos et litanias vel totum psalterium aut partem illius juxta viæ quantitatem decantabat. Gratiam et amorem principum, prælatorum Ecclesiæ et populi totius, ei divina contulit benignitas : tempore suo crebra fuit comitum Nivernensium mutatio ; unde majori Ecclesiæ suæ et aliis quamplures emersere tribulationes et angustiæ, quas Deo juvante vir pius et humilis ita sedare studuit, quod nec sua, nec aliæ sibi subditæ Ecclesiæ de juris sui integritate aliquod detrimenti omnino senserint : nec tantum Ecclesiarum, imo et populi atque civitatis, in qua sedebat, se patronum et tutorem spiritualiter et temporaliter exhibuit. Siquidem cum Guido comitatum adeptus esset consilio seductus perverso non tantum Ecclesiarum, sed et totius civitatis antiquis consuetudinibus obviare conatus est; in primis enim torcularia in jus suum redigere tentavit, ita quod in tota urbe nulli liceret torcular habere nisi sub tributo comiti annuatim reddendo : cui præsumptioni præsul prædictus ita viriliter restitit, quod nec clerus, nec populus antiquam libertatem amiserit, nec in aliquo gravatus fuerit. Idem comes alias decimas vinearum assensu etiam Ecclesiarum, ad quas pertinebant, violenter occupavit, ita quod in singulis portis custodes constituti ab omni transeunte decimam partem vindemiæ, aut plus etiam per vim accipiebant. Quo audito præsul comitem convenit, et cum ab incœpta violentia ejus admonitione cessare non vellet, in ipsum excommunicationis et in terram suam interdicti sententiam generaliter promulgavit, nec hoc etiam contentus, dominum papam per nuntios suos super hoc consuluit, a quo privilegia et confirmationem tam decimarum, quam aliarum rerum Ecclesiæ obtinuit; nuntios autem ejus prævenit misericordia Domini, quæ et comitis amicitiam et decimarum restitutionem cum humili satisfactione ei contulit, ita quod quidquid clericis aut hominibus Ecclesiarum ablatum fuerat, unicuique ad probationem suam vel ad nutum suum restitueretur. Item idem comes de assensu regio communiam Antissiodori de novo instituere voluit, cui item præsumptioni præsul insignis se confidenter opponens, super hoc in regia curia causam ventilandam suscepit, non tamen absque periculo et expensarum nimietate, fere enim malevolentiam illius piissimi Ludovici regis incurrit, qui ei improperabat quod Antissiodorensem civitatem ipsi et hæredibus suis auferre conabatur, reputans civitates omnes suas esse, in quibus communiæ essent; tandem vero cum inde diu altercatum fuisset privilegiis et chartis Antissiodorensis Ecclesiæ diligenter inspectis, et cognitis, et non minima pecuniæ summa tam rege quam suis mitigatis, causam obtinuit, et regia privilegia continentia, quod absque assensu et licentia Antissiodorensis episcopi nullo modo liceret comiti et aliis Antissiodori communiam instituere.

Tantas autem persecutiones et gravissimas insultationes prædicti comitis et suorum, quando et quomodo voluit divina pacificavit clementia, siquidem cum comes fere continua corporis gravaretur molestia, graviori tamen cœpit apud Clamiciacum incommodo detineri, et quasi in ultimis vexari; ad quem visitandum, non tantum proceres, sed etiam vicini convenerant episcopi; erat autem tunc temporis excommunicatus. Cum autem de vita ejus dubitarent, cœperunt omnes episcopi qui aderant supplicare super absolutione ; Eduensis vero et Nivernensis precibus eorum nullo modo voluerunt vel ausi sunt acquiescere, præsul vero Willelmus ea qua erat pietate et confidentia motus, ait baronibus : Absit hoc dedecus et opprobrium sempiternum a nobis, qui hic præsentes sumus, quod tantus vir et comes noster inter manus nostras excommunicatus

moriatur : ego me primo interpono responsalem Virziliacæ Ecclesiæ et aliis pro quibus in eo lata est sententia ; quo audito barones gavisi, imo magis admirantes, et magnificantes consilium et liberalitatem præsulis, omnes similiter responsales se constituerunt, et ita absolvit eum ; super qua absolutionis benignitate non tantum procerum aut populi, sed et tantam comitis adeptus est amicitiæ gratiam, quod non eum domnum aut episcopum, sed et patronum suum, cum de illo ante ipsum sermo fieret, frequentius nominare solitus erat. Unde ei postea dedit et Ecclesiæ suæ in perpetuum possidendos omnes homines, quos in valle capellæ sancti Andreæ habebat ; nihilominus etiam concessit in fine suo Tornodori donum, quod mater sua pro anima ipsius et suorum fecit eidem episcopo de hominibus quos Varziaci habebat, quorum ibi triginta aut plures erant familiæ, quos post mortem comitis idem pontifex per manum et per privilegium pii regis Ludovici obtinuit, non tamen absque magno labore et maximis expensis. Acquisivit autem apud Varziacum quidquid Matthæus Caliga laxa in eodem castro et Castellania habebat, quæ possessiones magni erant pretii et redditus : nunc in parte earum sita est domus episcopalis et Fosseta. Multa alia acquisivit ibidem in vineis, pratis, domibus et diversis possessionibus, quæ propter prolixitatem noluimus numerare ; apud Corruel acquisivit plures homines, apud Giacum domos et furnum ædificavit, et in magna parte muro circumdedit, vineas plantari fecit ; et homines et multa alia ibidem cum prato decani acquisivit ; apud Charbuiacum emit mille solidos quidquid Girardus Poteret miles ibi habebat ; ibidem etiam prata et multa alia comparavit, et forestas instituit ; apud Apoiniacum emit prata, vineas et terras arabiles ; acquisivit etiam ibi feodum Iterii Raandi, et feodum Willelmi militis, et terras et prata quæ Hugo miles de Burgi et mater sua et fratres habebant inter Icaunam fluvium et Chaumeis ; partem etiam illam, quam in eodem nemore reclamabant, et omnia alia, quæ circa idem castrum, tam in feodis, quam in proprietate possidebant, quæ multa comparavit pecunia.

Item ante tempus suum Stephanus de Petra Pertusa vir nobilis et potens terras arabiles, quæ juris episcopalis esse debebant, tam sibi quam suis hominibus possidendas occupaverat, et diu injuste detinuerat. Quo rescito, quamvis sibi junctus esset prima sanguinis linea, tamen vir Dei justitiæ postponens generis propinquitatem, non cessavit, donec omnes terras prædictas per justitiam ecclesiasticam et judicio Senonensis curiæ in proprietatem episcopalem redegit ; et ne in posterum aliqua super hoc emergeret querela, inter terras prædicti Stephani et terras episcopales loco metæ crucem magnam affigi fecit, et terras illas postea, quandiu vixit, propriis carrucis excoli fecit. Item cum magna aquarum inundantia, quæ tempore suo contigit, molinum de Verno prorsus absolutum fuisset, partem quam Joselinus et hæredes sui in eo habebant, emit, et multo melius quam ante fuerat molinum reædificavit. Apud Tociacum ædificavit domum episcopalem et cellarium, emitque ibidem terras, prata et multa alia ; dedit etiam in ædificatione turris xx libras ea conditione, quod Dominus Hargodus ei juravit quod quoties ipse vel successores sui turrim illam habere vellent, tam ipse, quam hæredes sui traderent, et custodes turris prædicti quoties eos mutari contingeret ; apud Conadam emit a Mochis de Chaleneio grangiam de Brueria, quæ sita erat juxta villam Chael, cum bobus et carruca, pratis et terris omnibus ad grangiam illam pertinentibus, pro quibus dedit quater xx lib. Proviniacenses. Acquisivit etiam multa alia in eadem castellania : et quamvis Herveus de Donzy vir tantæ nobilitatis et potentiæ ei nunquam cessaret adversari, tamen Deo opitulante nihil de jure Ecclesiæ suo tempore amisit, sed cum jam in lecto mortali jaceret, eum coegit ad lectum suum venire, et ei pro feodo Giemi ligium homagium facere. Antissiodori emit apud sanctum Julianum xx solidos censuales ; emit etiam domos Lamberti Hosmundi, quæ contiguæ, et nimis importunæ erant portæ et domui episcopali, et illis dirutis plateas curiæ suæ univit et muro circumdedit ; emit item domos, quæ erant juxta posternam et plateas Remaldi militis de Lindriaco, et plateas Stephani de Sarmasia ; multa alia emit et acquisivit in eadem urbe, quæ longum est enumerare. Panca de ejus admiranda simplicitate et miraculosa humilitate veraciter perstringam : siquidem quadam die contigit quod dum per villulam pauperem et modicam transiret, muliercula quodam a tugurio suo egressa velut illa Chananæa quæ pro filia supplicans Domino dicebat : *Miserere mei, fili David*, lacrymis et ejulatu miseranda clamabat currens post episcopum : *Miserere mei, homo Dei, quia maritus meus dura et inconsueta morte afteritur.* Clamore motus respexit, lacrymas videns, et causam agnoscens ab itinere divertit, descendens ab equo tugurium submissus intravit ; invenit mulierculæ virum, ita tota facie, gula, collo et gutture inflari, quod vix lingua ab ore projecta vivifico via pateret spiritui, et quod nullum omnino sermonem proferre infirmus posset ; illico lacrymis perfusus ad orationis confugit suffragium, fauces infirmi, vultum et gulam signo crucis apposite attrectans, et annulo suo sæpius consignans, et benedictione data recessit, et illico tumor ille et morbus deficere cœpit : post breve temporis intervallum, cum per eamdem villam rediret, prædicta muliercula ei gratulabunda occurrens, cœpit gratias agere asserens et publice clamans, quod per ipsum de tam gravi mortis confinio virum suum Dominus liberasset, et sanitati restituisset.

Item alias cum benedicendum altare in capella fractum de Grandi monte apud Fontanetum properaret, invenit mulierem ante domum cujusdam agricolæ graviter lugentem ; quæ super filii incommodo, quem de longinquo causa hospitalis ad præ-

dictam benedictionem adduxerat, inconsolabiliter dolebat : nam adolescens in arcto positus intra prædictam domum in extremis laborabat. Quo audito episcopus domum intrat, infirmum visitat, juxta stratum vile residet, adolescentis vultum et frontem manu contrectat, et lacrymosis eum vocibus consolatur, et de confessione admonet et hortatur. Audita confessione cum moram ibi faceret, cœperunt ei socii sui dicere, quod ibi capellanum dimittere deberet, qui infirmo communionem Dominici corporis daret : multitudo enim populi cum ad prædictam capellam exspectabat, et jam fere erat diei hora quasi tertia ; quibus ille : Mihi nihil potius quam opus Domini perficere : nullo modo hinc amovebor, donec iste communionem receperit. Jussit itaque quod ego, qui hæc scribo, palefridum suum ascenderem, ut citius viaticum afferrem a prædicta capella, quæ fere uno inde distabat milliario ; quod et feci. Cum autem rediissem, non loci immunditiam, non infirmi odorem, nec strati vilitatem abhorrens, genuflexo, infirmo manu propria viaticum porrexit, et benedictione data, et multis tam matri quam infirmo solatiis adhibitis, recessit. Benedictione altaris perfecta vix missam aggressus fuerat, cum nuntiatur ei adolescentem illum obiisse : quo audito, cum sermonem haberet ad populum, tanta de eo locutus est, quod quasi secure eum assereret jam beata quiete perfrui. Multa alia scripto et memoria digna vidimus, et scientes prætermittimus ; ne forte fastidiosi videamur. Nunc de eis quæ Ecclesiæ suæ et aliis Ecclesiis pie et misericorditer contulit, pauca subjungamus : Ecclesiam equidem beato Stephano operoso lapideo stabulatu undique subtegmine circumdedit, anterius pinnaculum et posterius cum vitreis ad ipsa pertinentibus fecit, turrim meridionalem nova firmatura et decenti laterum tectura decoravit ; totam ecclesiam novis tignis, trabibus, tegulis, et lateribus in parte plumbatis cooperuit, et quantum ad ipsum pertinuit cameravit ; tempore suo nova altaria fundata sunt ab ipso et ab aliis in eadem ecclesia, et consecrata, unum ante crucem, quod ipse consecravit in honore sanctæ Crucis et beati Joannis evangelistæ et sancti Laurentii martyris, et sanctorum Cyrici et Julitæ, quorum reliquias ibidem recondidit, et beati Ægidii confessoris, ubi et duos capellanos instituit, qui in perpetuum missam singulis diebus celebrarent pro anima Guidonis comitis et antecessorum suorum, quibus capellanis ab eo redditus sufficientes assignati sunt. Unum erexit de suo in crypta a parte curiæ episcopalis, quod et consecravit in honore beati Pauli apostoli et sanctorum Cyrici et Julitæ, quorum ibi reliquiæ reconduntur, et in honore beati Germani episcopi et confessoris, et beatæ Mariæ Magdalenæ ; huic altari deservire tenentur canonici beatæ Mariæ, et quotidianam missam celebrare pro anima ipsius, et pro anima Fromundi clerici sui, qui ibi primus assignavit redditus ; altari beati Andreæ apostoli in eadem crypta sito assignavit stipendia servientium : altari beati Nicolai, et sancti Martini concessit XL solidos censuales cum X libris ceræ in ecclesia D. de Bruenio ; ecclesiæ beati Joannis Baptistæ quæ tempore suo a Stephano Ollandi est ædificata, et ab ipso dedicata, multa contulit in ædificando, et de redditu dedit eidem LX solidos, in ecclesia S. Priscæ ubi et per ipsum duo presbyteri assignati sunt assidue futuri ; ecclesiæ beatæ Mariæ dedit ecclesiam de Monasteriaco Sicco, et censam quam habent, in ecclesia de Blavello canonicis ejusdem ecclesiæ concessit. Ecclesiæ B. Petri dedit ecclesiam de Venosa, et tunc ibi primum manserunt canonici ; abbatiæ S. Laurentii dedit ecclesiam de Cept, monialibus de Crisannove dedit XX solidos censuales, in ecclesia de Monesterello, et medietatem minutæ decimæ de Lugniaco. Verum quam longum esset enumerare omnia quæ Ecclesiis contulit ! Compendiose dicimus quod nulla est in tota Antissiod. parochia ecclesia conventualis, quæ pro beneficiis sibi ab eo collatis non teneatur anniversarium ejus solemniter celebrare. Nec hoc tacendum censuimus, quod ad ornatum ecclesiæ B. Stephani unum dedit pallium optimum ; item cum ad curiam primus omnium episcoporum Gallicanorum tempore schismatis tenderet, in novitate pontificatus sui capitulo sui dedit totius beneficii ecclesiæ de Bacerna, instituens quod festum B. Martini hiemalis, pulsatis majoribus campanis solemniter celebrarent, et anniversarium Hugonis Senonensis archiep. fratris sui honore debito et condigno annuatim agerent : postea cum a concilio Lateranensi rediisset, dedit urceum argenteum VIII marcharum ad ecclesiæ ornatum, et ad reponendam aquam benedictam.

Fuit itaque tempore beatæ recordationis Alexandri papæ III, regnante in Gallia pio rege Ludovico, qui cum de eo loqueretur, frequentius dicere solitus erat, quod Willelmus episcopus Antissiodorensis unus de melioribus sacerdotibus totius regni sui judicio et æstimatione sua esset ; pervenit autem usque ad tempus filii ejus Philippi et consecrationi ipsius, quæ Remis celebrata est, interfuit, anno a Verbo incarnato 1179, in octavis omnium Sanct. ; in ipso autem anno circa festivitatem B. Remigii ægrotare cœpit, et cum se sentiret quartano gravari incommodo, ad abbatiam B. Mariani causa quiescendi venit, ibique usque ad obitum suum decubuit. Cum autem ingruente hieme, graviori urgeretur molestia infirmitatis, advocato Theobaudo venerabili Nivernensi episcopo sibi amicissimo, et Girardo abbate Viceliaci consanguineo suo, et quibusdam Antissiod. Ecclesiæ personis, et canonicis, testamentum suum fecit, et omnia quæ habebat, tam in victualibus quam armentis et pecoribus, vendi fecit, et pro debitis suis reddi. Dedit item ibi ecclesiæ B. Stephani cuppam argenteam IV marcharum de intus et deforis peroptime deauratam, ad reponendum in ea corpus Dominicum ; dedit et camnulas et pelves argenteas ad quotidianum officium altaris B. Steph. Item dedit

vestimenta sacerdotalia, albas duas mirifico apparatu decoratas, cum stolis et amictibus pretiosis, et tunicam cum dalmatica et infulam miro auriphrygio ornatam, et libros, et alia quæ in capella sua habebat cum cophino in quo reposita erant; dedit etiam auriphrygium, quo post obitum ejus decenter ornatæ fuerunt duæ infulæ; abbatiæ vero, in qua jacebat, dedit XL solidos censuales in ecclesia de Lugniaco et de Molins; dederat autem eidem ecclesiæ prius multa alia, medietatem videlicet censæ Vincellis, et terras quas apud Tangiacum ipse emerat, et quædam alia infra et extra muros civitatis. Vixit autem, imo verius in infirmitate laboravit, et pœnitentiam egit usque ad finem Februarii: quamvis enim ita attenuatus esset atque debilitatus, quod nec super pedes stare, nec a lecto surgere posset, abstinentiam tamen solitam omnimodis observabat. Nam tota Quadragesima, a festo videlicet B. Martini usque ad Nativ. Domini quotidie jejunans nullum omnino cibum sumpsit, nisi quadragesimalem.

Interea tanta erat visitantium multitudo et frequentia, quod etiam aliquis sanus et incolumis vix eos sustinere posset; ipse tamen, quamvis jam quasi omni corporis vigore destitutus, omnes cum honore recipi præcipiebat, et omnibus gratias agens lacrymosis vocibus supplicabat, quatenus pro ipso apud Dominum intercederent, ut bono fine consummaretur: hujusmodi enim verbum et in infirmitate, et cum sanus esset, frequentius in ore ejus versabatur, bonum exitum a Domino tantum debere peti; unde multoties audivimus cum pauperes aut alii dies multos vitæ, prosperitatem aut continuam ei precarentur corporis sanitatem, aiebat: Non hoc a Domino petere debetis, sed tantum, quod bonus sit exitus meus: sola itaque, superstes spiritu, terræ particula jam emortua, nunquam tamen ab oratione vacans, sic laboravit usque ad finem Februarii. Tunc finem suum appropinquare agnoscens familiam suam ante se advocatam absolvit ab omnibus quæ in eum commiserant, et ab eis se absolvi suppliciter cum lacrymis postulavit: pauca etiam, quæ sibi residua erant, annulos videlicet suos distribuit, et advocato decano et capitulo suo, ad lectum suum, finem suum eis commendavit, valde conquerens et dicens se tantis occupatum fuisse quod non multa eis bona contulerat, et tamen se ita erga ipsos habuisse, quod parum aut nihil detrimenti eis irrogasset, sed omnes sincera dilexisset charitate. Ut tamen memoria ejus apud eos in perpetuum haberetur, dedit eis ibi ecclesiam S. Prisci, ita quod centum solidi de censa ejusdem ecclesiæ annuatim dividerentur in anniversario suo æqualiter canonicis et presbyteris de choro B. Stephani qui servitio interessent. Cæteris vero clericis, prout opportunum videretur, et residuum pauperibus erogaretur, ibidem cœpit eos cum lacrymis monere et exhortari, ne inter eos discordiæ vel invidiæ seu schismatis perniciosum irreperet flagitium, sed statim eo sepulto regem adirent, obitum suum nuntiaturi, et debitam eligendi licentiam ab eo petituri, et sic absque dilatione convocatis fratribus, personam honestam, litteratam, bene morigeratam eligerent: nam mora diuturna eis damnosa esse poterat et periculosa. Rogavit item, quod in vilioribus vestimentis sacerdotalibus, quæ in ecclesia beati Stephani erant, sepeliretur. Tunc in hæc verba cum magno ejulatu prorupit: Ille veram pacem vobis misericorditer concedat, qui recessurus a discipulis inquit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, et sic facta generali confessione, intercessionibus ab eis impetrata et absolutione, data benedictione, eos dimisit. Nihil item de contingentibus omittere volens, Senonensem venerabilem præsulem Guidonem per nuntios accersivit, humiliter supplicando, ut exitui suo interesse dignaretur; qui pro pietate, qua erat, negotiis posthabitis ad ipsum prosperavit, et eum adhuc spiritantem invenit. Cum vero de confessione et absolutione quamvis multoties alias, tunc tamen præcipue et attentius, ut res exigebat, locutus est; ipse etiam nepotes et familiam suam tanquam domino et consanguineo suo commendavit, quos in patrocinio suo benigne suscepit, et quod nunquam eis deesset spontanee promisit; in nocte sequenti, cum infirmitate gravius solito urgeretur, quæsierunt ab eo sui, utrum in cinere et cilicio, sicut decet Christianum, vellet obire, quod ipse voce, qua potuit, et gestu annuit, et poposcit, et crucis impressione se ut potuit muniens ejusdem crucis signaculo dextera parte elevata illud ultimum stratum consignavit: sicque ibi positus, cum religiosi et clerici, qui aderant, litanias et psalterium decantarent, quandiu potuit cum ipsis psallebat; circa mediam noctem cum conventus Matutinos decantasset, ad eum visitandum venit, et in conspectu eorum emisit spiritum. Cum autem corpus ejus lavaretur, cœpimus qui aderamus ultra quam dici potest mirari, siquidem de novo ejulare super stupenda et inaudita ejus attenuatione; totam faciem ejus et vultum balsamo perunximus, et postquam indutus est sacerdotalibus et pontificalibus insigniis ad ecclesiam eum detulerunt. In crastino quantus fuerit luctus totius civitatis, quanti gemitus et lamenta fere omnium adventantium, non est facile dictu. Apparebat jam in eo quasi species beatæ quietis: nam vultus ejus, ut assolet esse mortuorum, nullo erat pallore fuscatus, sed ita serenus et quasi rubicundus, quod advenientibus ille potius dormire quam mortuus esse videretur. Missis cantatis, peracto obsequio, prædictus archiepiscopus humiliter genua ante feretrum flectens, osculatus est chirothecas quibus manus ejus involutæ erant, et sandalia pedum ipsius, quod et multi nostrum fecimus, et sic primus episcoporum Antissiodorensium sepultus est in eadem ecclesia ante majus altare a parte sinistra juxta parietem. Postea Hugo, Senonensis archidiaconus, ejus nepos, sepulturam satis honestam super eum ædificari fecit. Vacavit autem episcopatus anno integro, mensibus decem, diebus novem.

CAP. LVIII. — *De Hugone de Noeriis.*

Hugo de Noeriis sedit in episcopatu annis circiter

24, ex thesaurario assumptus in episcopum anno Domini circiter 1183, circa purificationem B. Mariæ virginis; vir quidem sanguinis generositate præclarus sed animi magnificentia præclarior.

Quibus progenitus et ortus fuit.

Hujus pater Milo Noeriorum dominus, mater domina de Gessia non inferioris nobilitatis fuit.

Quam magnifice se habebat.

His igitur ortus majoribus nativæ fuit generositatis non degener. Nam more nobilium in multa degebat magnificentia sæculari, et vitam agere privatam indocilis, in evectionum multiplicitate numeroso clericorum et militum comitatu, multa domesticorum frequentia et apparatu magnifico, majorum suorum titulos adæquabat.

Quibus naturæ dotibus vel scientiæ, sive eloquentiæ præditus.

Erat autem staturæ mediocris, decorus aspectu, sapientia præditus, in agendis strenuus, inter consultos consultior, in tantum, ut si in quolibet præsens esset tractatu ejus exspectabatur sententia, et frequentius prævalebat : inæstimabilis facundiæ, in persuadendo efficax, in demonstrativo genere loquendi, quod conflnet laudem et vituperium, facundissime vires exprimens oratoris, litteraturæ et vivacis ingenii adeo ut in qualibet facultate liberali, seu mechanica, ei promptum esset verba habere materiæ accommoda, ac si plenam ejus scientiam esset assecutus. Plerumque etiam Latino eloquio properato valde studio cantica componebat et cantus. Commendanda quidem ingenii vivacitas siquidem brevi cudebat tempore prius ad limam perduceret quam ad linguam : sed tanta æstuabat aviditate edendi quod fecerat, ut inculta proferret in medium, quæ melius latere potuerant, donec correctionis studiosæ elimata incude luculentiori splenderent ornatu. Unde factum est quod ejus opuscula, quæ plus in ipsius favore quam proprio schemate, frequenti, dum viveret, habebantur in usu, ipso sepulto, sunt pariter consepulta. Militum gaudebat stipari frequentia, et de militaribus studiis libentius disceptabat cum eis, unde et Vegetium Renatum frequenter relegerat, qui de hujusmodi loquitur disciplinis, de quo militibus multa doctrinalia proponebat. Miram habebat affectionem ad suos. Urbanus ad eos cum quibus degebat, adeo ut omnibus omnia factus domi inter eos esset quasi unus ex ipsis, foris tamen prærogativæ sub congruo moderamine dignitate firmata.

In quo mores ejus poterant argui.

Omnibus favorabilis, nisi habendi cupiditas, quæ omnes pene potentes exagitat, ad exactiones et oppressiones subditorum, et usurpanda jura non sua ipsum plus forte debito provocaret, et nisi contra quemlibet indignatione concepta ruinæ suæ et nocendi libidini immoderate plerumque frena laxaret.

Quanto fervore fidem catholicam adversus hæreticos de charitate zelatus est.

Verumtamen fidei catholicæ assertor erat magnificus, eoque circa illam fervore ardebat, ut ad capiendas vulpeculas quæ demoliuntur vineam Domini sabaoth et hæreticis dogmatibus degenerare faciunt in labruscas, tota vigilantia laboraret; contra quos ad nobilem diœcesis suæ vicum de charitate videlicet eo accingebatur ferventius quo hæreticorum ibi amplius fervere cognoscebat errorem, tantaque animi constantia hæreticos ibi persecutus est, quod quidam ex eis per diversas diœceses publicam agentes pœnitentiam ad gremium matris Ecclesiæ abjurata hæresi salubriter sunt reversi, alii pertinaciores in salutis suæ dispendium in Italiam vel ad Albigenses ad sui erroris complices confugerunt, terræ nativitatis suæ et propriæ cognationis extorres; sicque in eo perfecit negotio, ut hæreticorum malleus non immerito diceretur.

Qualiter domos episcopales Antissiodorenses emendaverit vel ampliaverit.

Qui licet in spiritualibus sic proficeret, in temporalibus tamen multo proficiebat amplius, quibus propensius incumbebat : nam domos episcopales Autiss. seu lapsa reparando, seu nova construendo, provexit in melius antiquis ædificiis, cellam vinariam concamerationis lapideæ majori palatio contiguam et coquinam juxta portam structuræ admirabilis magnis impendiis superaddens.

De regio amne quid ibi fecerit.

Apud Eponiacum castrum suum, domus erat episcopalis, quæ regis amnis vocatur, in loco gratissimo et commodissimo constituta, quam Icauna fluvius ex sui profunditate sinus ibi piscosiores expandens undique præterfluit, nisi quod terræ ab anteriori parte continuæ modicum intervallum, magnam tamen intra se continens intercapedinem, ibi esse insulam non permittit; domus illa forma et materia humilis, domicilium episcopis præstabat inglorium, hanc multiplicibus et magnificæ nobilitatis et venustatis ædificiis suis, non modicis sumptibus ampliavit; locumque illum tutioris suis refugii adversus hostiles strepitus facere desiderans, ab anteriori parte ubi terra erat continua, ab una parte fluminis ad alteram, sepem ex immensis roboribus murumque perduxit, et plurima propugnacula desuper collocavit, terramque in altum fodiens fossas continuabat immanes, ut per eas cursum fluminis derivaret, fieretque ibi quod natura negaverat, insula videlicet artificii supplemento, opusque conceptum ex parte jam consummatum majori ad perfectum perduxisset, nisi comes Campaniæ Theobaldus in manu forti ejus moliminibus restitisset, et opus pene in consummatione existens ad terram funditus dejecisset, domibus tamen episcopalibus in sua nihilominus integritate servatis

De Bello-Reditu, qualiter exstruxerit.

Apud Charbuiam villam episcopalem locus erat inter silvas frutetis obsitus, et propter juges et varios aquarum discursus prorsus inutilis et nullis usibus accommodus, qui nunc Bellus-Reditus nuncupatur. Ibi frutetis penitus exstirpatis, et aquis discurrenti-

bus in unam massam collectis, duo stagna fecit multis referta piscibus : unum superius, et alterum inferius ex influxione prioris, quibus adjecit et tertium, tum ex priorum decursu, tum ex fluctibus, tum ex torrentibus undequaque confluentibus in idipsum, magnum admodum et piscosum; domos insuper multiplicis structuræ, nobilissimæ et venustatis immensæ exstruxit ibidem, quas fossis aquas ex stagni superioris influentia continentibus, et propugnaculis et sepe fortissima a parte anteriori, quæ stagno priori est opposita, mirabiliter communivit, ipsi stagno murum latericium superponens. Cui loco ab ea parte ubi deest stagnorum munitio silvæ confrage, circumquaque mersæ, et ad terram demissæ, validum præstans, et ad expugnandum difficile munimentum, via licet arcta patenti media inter silvas, per quam multis portarum, fossarum, et pontium interjectis obstaculis ad domum interiorem difficilis, et qui suspectis temporibus a paucis observari valeat, est accessus. Locum istum idem episcopus, quantum humana potuit industria, ad omnimodam amœnitatem et commoditatem provexit : nam et silvas ubi frutetis erant vel arboribus humilioribus, aut rarioribus obsitæ, et ob hoc minus utilitatis habituræ, penitus exstirpavit et in agriculturam redegit, hortos ibi fecit, plantavit arbores diversi generis, ut præter amœnitatem quæ proveniebat ex istis, fructus inde perciperet copiosos. Silvarum quoque partem non modicam sepe continua circumcinxit, ab ea porta quæ est a parte silvarum anteriori, videlicet ad aggerem tertii stagni usque perducens, et grata intrinsecus lustra ferarum concludens, et eorum multitudinem copiosam, quæ et oculos intuentium de palatio jucunda visione pascebant, et plerumque vel in festis majoribus, vel in susceptione hospitum, grata Domino et nobilia exenia ministrabant; nec minus fecunda cuniculorum receptacula intra septa illa vel extra voluptuosæ et utilis occupationis materiam ibidem præstabant : sic locus multimoda commoditate et amœnitate præditus gratissimam præstat usque hodie episcopis mansionem, excepto quod sepis demolitio, quæ sine immodico silvarum exterminio et sumptuum dispendio in sua integritate servari non poterat, feras suæ reddidit libertati.

De domibus Tociaci et Conadæ

Apud Tociacum et Conadam castra videlicet episcopalia in areis a suis prædecessoribus præparatis domos condidit episcopales et nobilitatis immensæ.

De his quæ gessit apud Varziacum.

Castrum suum nobile Varziacum, quod propter imminuta loci prius frequentibus patebat deprædantium incursibus, muros reparando antiquos et fossas turribus ingentibus circumsepsit, domos episcopales juxta ecclesiam beatæ Eugeniæ muro solido magnificis ædificiis, turribus ac propugnaculis a primis condidit fundamentis, præsidium quoque episcopale ulterius muro solidiori, turribus munitioribus et antemuralibus in tutam ad expugnandum difficilem munitionem provexit, et fossis miræ amplitudinis vallavit in gyrum, in quibus grata aquarum exuberantia ex fontibus circumflaventibus eas replevit; non modicum facit ad munitionis augmentum, et tum ex piscium multitudine qui ibi nutriuntur optimi, tum ex molendinis quæ ædificavit ibidem, tum ex aliis utilitatibus suis, episcopo totique municipio multæ commoditates existunt.

De his quæ gessit apud Noerium.

Operæ pretium duximus præsenti inserere lectioni quæ et quanta operatus est in illo nobili patrimonii sui castro; Noerius videlicet, quod tantæ a proavis nobilitate et immunitate præfulget ut ita in domini sui proprietate consistat et jure quod nullum habeat alicujus superioris dominationis respectum, sed potius de alodio, ut vulgo dicitur, et sui separati dominii existere censeatur. Propter quod non solum finitimis, verum et principibus potentioribus circumquaque eo amplius invidiosum existit quo ad terras sibi vicinas, tum propter domini et casatorum seu vassallorum suorum potentiam, tum propter loci situm inexpugnabilem, magis libere et impune potest extendere vires suas, et ipse formidine imminet ampliori. Sane mortuo Clarembaudo, fratre domino castri illius, idem episcopus filii ejus Milonis scilicet in annis puerilibus constituti, tutelam suscepit, quam in multa sollicitudine administrans, et forte plus justo; nam propter hoc in agendis Ecclesiæ suæ remissior existebat; circa munitionem ejusdem municipii promovendam tota studii vivacitate incubuit; totis viribus sumptus fecit. Nam super muros burgi inferioris, quem ad radicem montis positum amnis, qui Seneen dicitur, undique præterfluit, ex muro seu ex lignis solidissimis robusta valde propugnacula collocavit in ascensu montis a burgo, licet ab ea parte castrum sit inexpugnabile situ suo; fossas in excisa montis rupe prægrandes, portasque munitiores exstruxit. In superiori vero parte, ubi se in cacumine suo montis, in quo situm est præsidium, major amplitudo diffundit; situm pandens machinis erigendis accommodum, præter muros munitionis antiquos, inter quos unus erat solidior et exterior, quem frater ejus Clarembaldus, paulo antequam defungeretur, construxerat. Murum post illum interiorem majoris altitudinis, spissitudinis et soliditatis erexit in capite ejus turri solidiore constructa; exteriori quoque muro fossas excisis cautibus fecit præruptas, aliasque præmisit excisiones in monte, quæ hostes possent a præsidio multiplicatis obstaculis et impedimentis arcere. Fecit et antemuralia muro exteriori connexa, et immensi roboris trabibus contexta desuper, ut qui subtus existerent telorum jactus quantoslibet, aut tormenta jaculatoria, seu quælibet alia hostium molimina non timerent, sed securi venientibus ex adverso posteriorum fossarum et muri, cui conjungebantur, prohiberent accessum. Juxta murum illum fontis venam scaturientem invenit, quæ licet sit modica, juges tamen et perspicuas aquas emanat.

Extra septa præsidii principalis magnæ nobilitatis

exstruxit palatium, quod ipsi præsidio non modicæ munitionis existit, gratam videlicet domini mansionem, quam multo et voluptuoso decoravit ornatu; fecitque cuniculos subterraneos a cella vinaria, quæ turri suberat principali, in palatium inferius, de quo prædiximus, quatenus propter vinum seu victualia quælibet non oporteret ingredi vel egredi præsidium principale, sed victualibus per murum præsidii demissiorem, sportis demissis vinum sive aqua per fistulas mirabili quodam artificio occulte deferretur. Mirabilis sane cautela, ut scilicet victualia quæ ad munitionem castri illata fuerant, vel invecta ibi sub munitiori custodia fidelius servarentur, et obseratis ad omnem excludendam suspicionem repagulis, usibus ad postulatum necessariis tali artificio deservirent. Præsidium nihilominus, armis, balistis, cæterisque ad ejus tuitionem necessariis inæstimabiliter communivit; mansiones militum seu quorumlibet aliorum infra septa munitionis superioris contentas, multo pretio comparavit, et in proprietatem nepotis sui redegit. Tam in hoc quam in prædicti constructione palatii circumspecta usus industria, ut accessus volentium domini adire præsentiam, ad ejus palatium extra septa principalis præsidii minus haberetur suspectus, et omni extraneo habitatore excluso, dominus castri nullum omnino suspectis temporibus, nisi de cujus fidelitate plenissime confideret, infra septa superiora recipere cogeretur. Propter quod etiam baptismalem municipii ecclesiam posuit extra septa, solam domini capellam in superioribus esse permittens, magnifica quidem opera et multa admiratione digna et commendatione, nisi ibi hominum suæ commissorum custodiæ substantias in ligna convertisset et lapides, et bona pro magna parte consumpsisset episcopalia, quæ melius fuerant aut ecclesiæ utilitatibus aut pauperum necessitatibus applicanda. Castrum illud quousque nepos suus in annos adolesceret pubertatis, et ejus esset mancipatus tutelæ, in multa rexit magnificentia et virtute, et interceptionibus circumstantium in manu potenti resistens, et incursantium, prædasque de terra suæ tutelæ plerumque agentium argumenta refellebat non imparibus argumentis, ita quod omnibus, qui erant in circuitu, formidabilis appareret; sed ducis Burgundiæ, et cæterorum principum et potentum contra ipsum sive castrum concepta frequenter molimina tanta prudentia confringebat, ut semper honorabilem calculum reportaret. Acquisivit autem eidem nepoti suo villam de Vallanto, juxta Giacum villam episcopalem, quam multa pecunia comparavit. Sed de his hactenus; nunc ad alia transeamus, et quantum in ampliandis ecclesiæ suæ redditibus proficeret, aut conditionibus in melius provehendis profecerit, prout occurrit memoriæ, disseramus : pauca hujus de multis tenemus, et aliqua omittimus ad lectoris fastidium declinandum.

De procurationibus regis. Qualiter remissæ sunt.

Juris erat regalis ut, quando dominum regem, vel aliquem de suis itineris occasio seu motus propriæ voluntatis ad aliquod episcopale domicilium divertere faciebat, recipiebatur honorifice, et procurabatur honeste. Hoc grave et onerosum debitum episcopus divina procurante clementia, et occasionis congruæ opportunitatem operante, in perpetuum taliter abolevit. Nam cum Giemum castrum nobilissimum Hervei de Donziaco, comitis Nivernensis, quod erat de feodo Autissiodorensis ecclesiæ, in proprietatem regiam devenisset, juxta pactorum formam, quam dominus rex Philippus consenserat et fecerat, ut ipse filiam Petri comitis Nivernensis, cui filiæ competebat jure hæreditario comitatus, haberet uxorem, translato in regem taliter castri dominio, episcopus apud regiam magnificentiam multa interpellavit instantia, quoniam feodum ecclesiæ sine ejus præjudicio non poterat retinere. Tandem in recompensationem feodi obtinuit, confecto inde instrumento regali, quod rex procurationes ejusmodi remisit episcopis in perpetuum; et ne episcopus Antissiodorensis in aliquo domiciliorum suorum ipsum vel aliquem ex ejus nomine recipere hospitio aut ministrari necessario teneatur, concessit, salvo nihilominus cereo centum librarum ceræ, quod in festo B. Stephani de Inventione ejus, videlicet in Augusto, a castri prædicti domino ecclesiæ Autissiodorensi solvi ex antiqua consuetudine consuevit. Quem usque hodie dominus rex a præpositis suis de Giemo fecit persolvi, pœna apposita quod, quoties præpositi cereum illum suo termino non reddebant, pro singulis diebus quibus in solutione cessabant solidos 5' paris. ipsi regi irremissibiliter componebant. Utilis sane compensatio et ecclesiæ profutura, cum multum ex eo oneris episcopis sit remissum, et de feodo Giemi nihil nisi honor eis accresceret sine fructu.

Qualiter acquisivit decimas et domum episcopalem de Colengiis.

Petrus de Corcione Colengias, super Icaunam fluvium cum omnibus quæ monachi de Charitate habebant, ibidem multo emerat pretio. Episcopus suam ei voluit refundere pecuniam, et obtulit in emptione bonorum ecclesiasticorum diœcesis suæ, se esse asserens potiorem, et obtinuisset procul dubio, nisi favor regius, quem Petrus sibi conciliaverat, episcopo restitisset. Tamen multo conatu tandem episcopus decimas et oblationes, et, quidquid ad spiritualia pertinebat, ab eo per compositionem extorsit et domum insuper, quæ nunc in eo municipio episcopalis existit.

Qualiter acquisivit decimam Varziaci, et sub quo tenore.

Apud Varziacum parum aut nihil de vini decima solvebatur; hanc ex incolarum condicto taliter acquisivit; remisit eis mannm mortuam, talliam Martii, ex qua dabantur per annum in Martio de singulis domibus capitaneis quinque solidi: remisit etiam furcam, et rastrum, et consuetudines ejusmodi, quæ eis erant multi oneris, et episcopis modicum utilitatis præstabant. Ipsi vero sub hoc tenore decimas

episcopis præstare tenentur pro hujusmodi remissione, unam videlicet de decem sarcinis, quam serviens episcopi unus aut plures, qui ad hoc fuerint deputati, duxerint eligendam : magna profecto Ecclesiæ utilitas. Remissio enim propter hoc facta vix ad summam centum librarum annuatim poterat pervenire, et æstimatio decimarum quingentarum vel sexcentarum et eo amplius Pruvianensis monetæ summam frequenter excedat. Multa in episcopatu gessit utiliter et prudenter, quæ vel audita memoriæ non occurrunt, vel prius ad nostram notitiam non venerunt.

Quam virtuose resistebat persecutoribus Ecclesiæ.

Persecutoribus in magna resistebat virtute; horum ecclesiasticæ severitatis censura; horum rebellionem viribus compescendo, et plurima quæ sive ob hoc, sive ob alias causas pertulit in episcopatu adversa, mente intrepida et constanti, sicut erat vir animo magnificus et insuperabili longanimitate, percurrit, de quibus pauca quæ nobis nota sunt memorabilibus duximus inserenda membranis.

De forma interdictorum statuta tempore comitis Petri, et causa quare sic statuta.

Agebat in Antissiodorensi, Nivernensi et Tornodorensi comitatu comes Petrus, videlicet de Curtiniaco, domini regis Philippi fratuelis, cujus favore procurante, ipse Petrus Agnetem filiam Guidonis, quondam comitis Nivernensis, cui successione hæreditaria comitatus competebant prædicti, duxit uxorem, dato propter hoc domino regi nobili patrimonii sui castro, qui Monsargi nuncupatur, ut ad illius conjugium perveniret; vir quidem regii sanguinis et immensæ potentiæ, sed incircumspectus animo, et iracundiæ formidandæ, et qui molestiis aut injuriis irrogandis nulla ratione animi sui impetum temperaret. Unde et sub ejus dominatione non solum episcopus, verum etiam ecclesiæ sibi subjectæ virique ecclesiastici multas et graves molestias frequentius sustinebant, tum ab eo tum ab aliis, qui, vel de eo familiare nocendi sumebant exemplum, vel quibus eo non resistente in ecclesiam Dei facultas erat liberior debacchari; et ab initio dominationis suæ tantum sub eo laboravit ecclesia, quod Antissiodorensis civitas fere per quindecim annos propter excessus interdicto conclusa, clausis ecclesiis, divinorum officiorum silentia pateretur, nisi quod raris temporum intervallis dilucidis, comite per satisfactionem ad Ecclesiæ gremium revertente, quandoque ecclesia sua organa resumebat. Statim tamen intra brevis temporis spatium comes replicatis injuriis ejus serenitatem permanere diutius non sinebat, quin sui pateretur silentii recidivum. Super hoc tandem inito inter episcopum et capitulum Antissiodorensis Ecclesiæ salubriori consilio, quoniam per hujusmodi interdicta frequentia in immensum vitia succrescebant, et pullulare hæreses timebantur, cum contra salutem suam efficerentur mentes hominum duriores, provida inter eos deliberatione convenit, ut sic deinceps, vivente comite, animadversionem hujusmodi temperarent quatenus personæ comitis pro suorum excessuum exigentia excommunicationis mucrone percussa in civitate Antissiodorensi servaretur taliter interdictum, ut videlicet in adventu ejus, una in majori ecclesia de campanis majoribus pulsaretur : et sic adventu ejus cognito, quandiu præsens esset clauderentur ecclesiæ, et divina officia sub interdicti silentio agerentur; ipsius vero discessu ejusdem pulsatione campanæ, velut edicto præconio publice designato, quasi discedentibus nebulis, ecclesiis solemnitatum suarum grata serenitas redderetur, exclusis tamen hominibus comitis ab ecclesiarum ingressu, qui soli suberant interdicto : sanum profecto et salubre statutum. Nam comes non sine confusione permaxima ingredi poterat vel egredi propriam civitatem, nec propter clamorem populi moram ibi facere longiorem, et ecclesia suo non cogebatur silentio ædificationi deesse et profectui animarum.

Quod in adversis viriliter se habebat.

Tempestatis hujus pene intolerabiles et formidandas procellas episcopus multa magnanimitate sustinuit intrepidus, totum se pro tuendo Ecclesiæ jure impendens, pro qua opponebat se murum insuperabilem venientibus ex adverso, et non solum comitis, verum et aliorum infestationibus viriliter resistendo, non deficiebat, donec illis humiliatis sub potenti manu Dei (*1 Petr.* v, 7) ad honorem ejus et sponsæ suæ Ecclesiæ finem attingeret commendandum, super quo pauca de multis duximus perstringenda.

Qualiter Petrus comes Antissiodorensis extraxit puerum de terra, quem tumulari fecerat in camera episcopi.

Comes, licet ei familiare esset et frequens per excommunicationem ab unitate Ecclesiæ separari, quodam tempore excommunicatus fuerat ab episcopo Antissiodorensi, civitas interdicto conclusa propter graves ejus excessus. Qui vehementis indignationis igne succensus, non solum episcopum, cujus fidelis, ut pote ejus vassallus esse debuerat, sed et canonicos et clericos voce præconis a civitate ejecit, corpus parvi mortui, quod propter interdictum civitatis ecclesiasticam non poterat habere sepulturam, importuno matris pueri excitus clamore et lacrymis, in ipsâ episcopi camera ante lectum domini sui episcopi fecit humari in contumeliam ejus et Dei contemptum. Hoc tam piaculare flagitium episcopus rigore districtionis ecclesiasticæ mera constantia persecutus, tandem ipsum compulit ad satisfactionem hujusmodi exhibendam. Quod die Palmarum in processione solemni præsentibus beato Willelmo avunculo comitis, qui cum ad humiliandum se roborabat, Bituricensi, et Petro Senonensi archiepiscopis, et nullis aliis, quos vel episcopi sollicitudo vocaverat, vel facti novitas allexerat ad videndum, effosso sepulcro propriis manibus corpus extraxit defuncti, fœtens admodum et putridum, magnumque narium offendiculum, utpote

quod jam per menses aliquot ibi jacuerat tumulatione, et ab ipsa camera usque ad cœmeterium Montis Autrici nudis pedibus, solis indutus lineis, velut plebeius quilibet ad tumulandum ibidem propriis humeris deportavit, sese humilians salubriter coram Deo, qui colla regum et cervices inclinat.

Quis fuerit exitus hujus comitis.

Non abs re arbitramur existere ut quis hujus comitis exitus fuerit, posteris designemus, ut tanto securius iram Domini contra se provocare metuant, quanto ex alterius addiscent exemplo quam verendum sit incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* x, 31), qui retribuit abundanter facientibus superbiam (*Psal.* xxx, 24), humilibus dans gratiam, et superbis resistens (*I Petr.* v, 5). Siquidem comes iste, mortua Agnete uxore sua, cum sibi matrimonialiter Yolandam, sororem Henrici Constantinopolitani imperatoris, secundis nuptiis copulasset, eodem Henrico sublato de medio, jure propinquitatis, uxoris obtentu ad imperium asciscitur, instigante uxore illuc iter aggreditur, ab Honorio, Romano pontifice, imperator Constantinopoleos confirmatur et inungitur pariter cum uxore. Dehinc cum magno Latinorum exercitu Dyrrachium usque pervenit, civitatem obsidet, uxore ejus per partes Romaniæ tutiores (utpote Latinorum ditioni dudum subactas) Constantinopolim felici itinere procedente. Imperator in obsidione non proficit, solvitur obsidio, per terras hostiles communiori videlicet via imperator incautius iter legit versus Constantinopolim, imperium recepturus, de suis viribus superbe præsumens. Sed Dominus excelsus, qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal.* cxxxvii, 6), ipsum omnemque exercitum ejus in manus inimici conclusit et tradidit in captivitatem virtutem eorum. Audiat humana superbia et attendat : Ecce hic vir tantæ nobilitatis et potentiæ, qui toties contra Deum et Ecclesiam calcaneum erexerat, nunc captivus est inglorius carcerali custodiæ mancipatus Domino miserante, si vel sero de peccatis compungatur ad manum Domini flagellantem, vel pœnam ipsius in præsenti si non conteritur, inchoante. Sed nunc ad textum propositi, et qualiter ultionem de persecutoribus Ecclesiæ expetierit ad laudem Dei et honorem Ecclesiæ prosequamur.

De Petro de Corcione qualiter ultus fuerit in eum.

Petrus de Corcione, de quo superius fecimus mentionem, in omnibus agendis comitatus secundus erat a comite ; ejusque nutu et consilio comes Petrus, de quo præmisimus, per omnia regebatur. Is ad oppressionem ecclesiarum comitem valde qui animo incompositus erat, ut prædiximus, incitabat ipse, prout poterat ; earum tranquillitati nihilominus inimicus et quieti, ad hujus bestiæ edomandam sævitiam episcopus omnibus accingebatur, prout temporum postulabat necessitas, argumentis. Qui cum favore comitis prosequente quandiu suæ culmen potestatis emicuit, Ecclesiam Dei et ipsum episcopum prosequi non cessaret. Episcopus sicut erat sæculari quadam admodum industria præditus, tempora vindictæ opportuna exspectans, ejus insolentiam taliter edomuit ad extremum, ipsum, licet forte in hoc ab evangelicæ religionis mansuetudine exorbitasse visus fuerit episcopus, utile tamen Ecclesiæ et magnatibus formidabile proponens exemplum : nam cum substracto ei favore comitis tempora nubila gloriæ suæ ac potestatis serenum fusrassent, nactus temporis opportunitatem episcopus suis desideriis congruentem, ipsum captum in quadriga assumpsit, et compedibus alligatum, capite super nudo, quod dudum contracta calvities deformabat, per vicos et plateas civitatis Antissiodorensis satis ignominiose tractatum, fecit publice circumferri, ridiculosum populo præbens de ipso spectaculum : ut ubi summæ potestatis functus honore fuerat, ibi ridiculosius suæ dilectionis ludibria pateretur, discerentque universi in fascibus constituti non perverse agere, nec extolli successibus, sed humiliari sub eo qui deposuit potentes de sede et humiles exaltavit (*Luc.* i, 52).

Qualiter Euraudum convicit de hæresi.

Huic successit in officio et potestate Euraudus de Castronovo, miles non inferioris malitiæ, nec minoris ingenii, vel remissioris desiderii ad nocendum, Ecclesiæ sævissimus persecutor, utpote cui hæretica pravitate infecto propositum erat ecclesiasticorum dogmatum professoribus, prout audebat et poterat, adversari. De cujus enormibus illud, quod sequitur, transmittere duximus ad notitiam posterorum. Quidam, qui ejus offensum incurrerat, a persequentibus fugabatur ad mortem. Is, ut instantis mortis evaderet periculum, in ecclesiam B. Mariæ infra muros ob immunitatem loci fugiens, se recepit. Huc nulla Deo exhibita reverentia, ecclesiæ immunitate effracta, in ipsa ecclesia gladio fecit persecutore occidi, et cruore innoxio Dei sanctuarium atrociter profanavit. Sed Dominus justus judex, sicut in sequentibus exponetur, dignam ei retribuit vicissitudinem meritorum. Sane tandem is, offenso sibi comite Petro, discedens ab eo ad comitem Nivernensem, Herveum videlicet se contulit ; cui comitatus cesserat Nivernensis obtentu Mathildis filiæ comitis Petri, quam, sicut supradictum est, favore regio favente, duxerat in uxorem, cui competebat jure hæreditario comitatus. In cujus Hervei gratiam idem Euraudus in tantum receptus est, ut eumdem locum, quem apud comitem Petrum obtinuerat, etiam apud comitem Nivernensem obtineret. Sub cujus potestate, sicut in Autissiodorensi prius quoque comitatu Ecclesia multis oppressionibus laboravit ; increbrescente contra eum tandem hæreseos, qua notabatur, infamia, idem episcopus sicut erat catholicorum dogmatum zelator præcipuus, et perversitatis hæreticæ fervidus exstirpator, in Parisiensi concilio ab Octaviano Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali, qui tunc legationis officio fungebatur in Francia, Parisiis convocato, multis archiepiscopis, episcopis et ceteris ecclesiasticarum dignitatum vel administrationum inferiorum personis præsentibus, ipsum de

hæresi publice accusavit; accusatum testimoniis irrefragabilibus convicit; convictus approbante concilio sententiam damnationis excepit; damnatus ignis concrematione profanam animam exhalavit, digna recipiens stipendia meritorum, et generi suo fœdam suæ perversitatis notam imprimens et opprobrium sempiternum. Discite, omnes qui operamini iniquitatem, qui potentum ambitis latera ad nocendum, discite quod extenta sit manus Domini super omnes peccatores terræ. Ecce hic magnus et potens, ipsis etiam potentibus formidandus, ad ignominiosæ mortis tractus supplicium, dignam suæ iniquitatis temporaliter reportat mercedem. Utinam vel in mortis articulo sic contritus exemplo latronis qui cum Domino crucifixus, sera licet, fructuosa tamen confessione pœnituit, quod vicem scelerum suorum non reportet in pœnis!

De Caputiatis. Qualiter eos exterminavit.

In diebus illis circa promotionis suæ exordia, orta est in Galliis horrenda nimis et periculosa præsumptio, et quæ plebeios trahere cœperat universos in superiorum rebellionem et exterminium potestatum, quæ tanquam a bono habens originem, angelo Satanæ sese in lucis angelum transformante exitialia suggereret, simulatam boni speciem prætendebat. Nam sub obtentu mutuæ charitatis præstitis juramentis confœderabantur ad invicem, quod sibi in necessitatibus suis mutuum ferrent consilium et auxilium contra omnes. Cujus confœderationis consortes telarum caputia cum signaculis plumbeis, quæ beatæ Mariæ de Podio dicebantur, assumpserant in characterem et in signum, quæ eos a cæteris distinguebant, diabolicum profecto et perniciosum inventum; nam de hoc sequebatur quod nullus timor, nulla reverentia superioribus potestatibus haberetur, sed in eam libertatem sese omnes asserere conabantur, quam ab initio conditæ creaturæ a primis parentibus se contraxisse dicebant, ignorantes peccati fuisse meritum servitutem. Hinc etiam sequebatur, quod minoris majorisve nulla esset distinctio, sed potius confusio, quæ rerum summam quæ nunc superiorum moderamine ac ministerio, auctore Domino, regitur, brevi tempore traheret in ruinam. Consequenter etiam omnis sive politica, sive catholica, in pacis humanæ et salutis animarum dispendium daretur in exterminium disciplina; et, quæ sola carnalia astruunt, hæreses pullularent, vigore ecclesiastico succumbente. Postea ista, licet plerosque Galliæ fines, tractum tamen Antissiodorensem et Bituricum finesque Burgundiæ latius cœperat pervagari, et jam in tantam proruperat insaniam ut collatis viribus prompti essent assertores gladio libertatem sibi degenerem vindicare. Contra hanc formidabilem pestilentiam, quæ non blandis exhortationibus sed immensis erat conatibus compescenda, episcopus tanto animosius se accinxit, quanto uberius in sua diœcesi et in villis ejus propriis maxime palmites suos extendebat; veniensque, prout negotii deposcebat necessitas, in multitudine armatorum apud Giacum villam suam, quam fere totam illa ocupaverat impetigo, quotquot ibi caputiatos reperit, omnes cepit, et pœna multans eos pecuniaria, insuper eis præcidit caputia, et, ut tantæ præsumptionis vindicta palam esset discerentque servi non insolescere contra dominos, præcepit ut per annum integrum absque caputiis nudis omnino capitibus, et aeri expositis æstus et frigora, variasque experirentur acris passiones. Videres miserandos homines æstivo tempore per rura capitibus expositis absque omni velamine solis ardoribus æstuare; brumali vero, nimio algore rigere. Annumque integrum sub ista exegissent censura, nisi Senonensis archiepiscopus, Guido avunculus episcopi, illac forte præteriens humanitatis commotus visceribus super illos, et episcopum tantæ arguens inclementiæ, eam remissione temporis, quod ad annum complendum supererat, decurtasset. Sic igitur in brevi et villis suis et finibus tantæ præsumptionis exterminavit vesaniam, cujus exemplo per alias quoque villas, diœceses et provincias brevi tempore hujusmodi temeritas, favente Domino, fuit radicitus exstirpata.

Qualiter, sede vacante, Lingonensem Ecclesiam rexit et regalia custodivit.

Tantæ industriæ suæ et prudentiæ, qua præeminebat, maxime sæcularis circumquaque divulgabatur opinio, et, vacante quoque ecclesia Lingonensi et propter eligendi scissuram diutius laborante, quæ ob regalium custodiam, quæ fines imperii et regni disterminant in aliqua sui parte, non in simplicitate remissa, sed in magna virtute regenda est ad custodienda et administranda episcopalia, specialiter vocaretur. Quæ videlicet toto vocationis tempore rexit magnifice et potenter.

Qualiter, sede vacante, in Senonensem archiepiscopum postulatus est, sed frustra.

Defuncto bonæ memoriæ Michaele archiepiscopo Senonensi, concordi omnium consensu et votis ob præclara suæ probitatis insignia ad regimen Ecclesiæ Senonensis asciscitur, et apud sedem apostolicam, ut de Antissiodorensi transferretur, ad eam ab omnibus postulabatur. Sed Innocentius tertius, qui tunc agebat in papatu, vir quidem voluntatis propriæ debito forte plus plerumque motum sequens, translationem ipsius pro suo arbitrio impedivit, ut magistrum et quasi nutritorem suum in scholis, dum esset in Francia, magistrum videlicet Petrum de Corbolio, in illa proficeret Ecclesia, vel potius intruderet, etiam renitente capitulo. Quod et fecit, et postulationem factam de episcopo, non tam jure quam voluntate propria, si fas est dicere, non admisit; sicque divina est factum providentia, quod Ecclesia Antissiodorensis, cum qua connubii spiritualis fœdus contraxerat, nequaquam tanti Patris divortio vidua remaneret.

De ornamentis quæ contulit ecclesiæ.

Ecclesiæ suæ Antissiodorensi pannos duos sericos pretiosos et quantitatis immensæ, qui de Mirabilia nuncupantur, contulit ad ornatum; credimusque

quod imaginem Crucifixi cooperuisset argento, et quod deesset ultra æstimationem crucis aureæ duarum marcarum, et ultra triginta marças ad hoc deputatas, quas quandoque ob suas necessitates acceperat, restitutionem in futurum earum cum superabundantia repromittens, supplevisset de suo; sed et hoc et restitutionem promissam mors prævenions impedivit. Unde et hujus onus debiti ad suos successores transmisit.

Qualiter formam et situm ecclesiæ in melius immutavit.

Qualiter fenestras in fronte veteris operis ecclesiæ ac vitreas dilataverit, ut ecclesia, quæ more veterum usque tunc fuerat subobscura, in lucem claresceret ampliorem : qualiter altaria duo, quæ in lateribus ecclesiæ altrinsecus ab anteriori parte, ubi modo portæ collaterales existunt, posita amplitudinem ecclesiæ non modicum coarctabant, removerit, portasque extraxerit, quæ nunc usque perdurant : qualiter ecclesiam, quæ valde demissior existebat, terra injecta repleverit, et pavimentari fecerit ad decorem, tectoque ac lateribus nobilitaverit in immensum, multaque alia hujusmodi, seu majora quæ in episcopatu gessit utiliter aut prudenter, explanare supersedemus ad præsens, ne dum ea, vel minus plane audierimus, vel audita, labente memoria, non sicut sunt retinuerimus, a veritatis tramite declinemus, dubia asserentes pro veris.

De his quæ contulit capitulo ad panem quotidianum ecclesiæ et de aliis.

Capitulo ad panem quotidianum Oisiaci benigna liberalitate concessit et centum solidos in ecclesia S. Prisci, qui singulis annis in ejus anniversario dividuntur.

De eo quod Romam profectus est, et de morte ejus.

Tandem devotæ peregrinationis gratia, et ut aliqua forte negotia, quæ conceperat, promoveret, Romam adiit, ubi ab Innocentio papa III supradicto honorifice est receptus. Sed valida statim correptus ægritudine infra decem dies post ejus ingressum, ibi, apud sanctum Clementem videlicet, humanæ debitum conditionis exsolvit, et in ecclesia Lateranensi B. Joannis, quæ Constantiniana dicitur, domino præsente papa et cardinalibus, honorificam meruit sepulturam inter papales pyramides humiliori licet mausoleo, honesto tamen et marmoreo collocatus, anno Domini 1206 sexto, in festo beati Nicolai; vacavitque episcopatus duobus mensibus, et paulo plus, scilicet usque ad sextam feriam post Purificationem beatæ Mariæ. Rexit autem Ecclesiam suam annos fere 24, regnante in Francia illustri rege Philippo III, Rom. pontific. Urbano, Lucio, Clemente, Cœlestino, Innocentio III. Dimisitque episcopatum ab omni debitorum onere liberum penitus et immunem, exceptis duabus marcis auri de cruce, et triginta argenti, de quibus superius fecimus mentionem, deputatis ad cooperiendam imaginem Crucifixi.

De signis mortis suæ.

Operi præsenti adjicere dignum duximus signa et indicia mortis suæ, quæ Domino sic volente, non solum Romæ, ubi decumbebat infirmus, verum etiam apud nos sunt pluribus propalata. Triduo priusquam defungeretur circa noctis initium, quando lecti videlicet ad dormiendum parati fessa labore diurno membra vocabant ad requiem, auditus est fragor permaximus ac si prope ecclesiam B. Clementis, ubi in hospitio morabatur, aliquod de antiquis ædificiis funditus corruisset. Exciti sunt fragore episcopus et sui, et in crastino per servientes suos, necnon et per semetipsos perscrutari cœpere, ubinam fuisset tanti fragoris ruina, quæ sic e vicino visa fuerat cora ruisse; sed nec longe nec prope in tota urbe audire vel comperire potuerunt fuisse ruinam vel fragorem auditum. Ex eo tempore cœpit episcopus de suo exitu suspicari ipsa nocte, vel de prope qua in urbe Romana migravit a corpore, apud regium amnem, videlicet domum episcopalem cominus aulæ inferioris, murusque qui pratellum, quod adjacet, disterminabat ab Icanna, apud Varziacum muri municipii, quos fecerat, ac si vellent commori domino morienti, pro parte aliqua corruerunt. Eisdem diebus Stephanus de S. Salvatore Antissiodorensis, canonicus et sacrista, et ipsius episcopi commensalis apud Antissiodorum extrema ægritudine decumbebat. Cui episcopus non in somniis, sed vigilante potius, et de die, ipso die mortis suæ, sicut postea compertum est, in visione velut manifestus apparuit, inter alia dicens ei: Veni, sequere, quia ego jam præcessi. Stupefactus visione horrenda vocat suos, qui statim a camera ubi jacebant infirmi discesserant. Sciscitatur si vidissent episcopum ab itinere Romano reversum. Admirantes unde talia diceret, dixerunt episcopum nondum potuisse reverti. Quibus ille : Certe modo hinc decessit, et vehementer admiror quod eum non vidistis. Omnemque iis pandit ex ordine visionem. Et infra triduum post mortem episcopi vita decedit, episcoporum vocantem ad transitum, quo præcesserat subsecutus. Eustachius canonicus similiter, et commensalis ipsius episcopi, qui et postmodum sacrista factus est, dum in stratu suo sub eisdem diebus quiesceret, vidit in somnis unum de sociis episcopi, quem secum Romam duxerat, venientem ad se vultu subobducto et tristi. Cui percontanti, cur eum erecta facie non respiceret et serena, brevi respondit versiculo: Est prope mors, pestis prompta, remota salus. Quam visionem revolvens in animo, licet nihil adhuc de morte episcopi cogitaret, ac eamdem uni de sociis episcopi, qui Antissiodorensi episcopo abeunte remanserant, communicans, morte episcopi ac die mortis per nuntios declarata, compertum habuit, non tam simplex omnium, quam mortis ejus præsagium exstitisse. Quippe cum ipso de obitu episcopi fuisset hujusmodi revelatio facta sibi. O virum magnificum, cujus exitum insensata senserunt, et positis in remotis regionibus plura revelationum præsagia prophetabant! Oremus igitur, charissimi, pro ipso ad Dominum, ut cum sanctis et electis ejus perpetuæ gloriæ mereatur percipere portionem.

CAP. LIX. — *De Guillelmo.*

Guillelmus, de territorio Antissiodorensi, castro Scilligniaco, patre Buchardo, fratre Deimberti domino ejusdem castri, viro quidem austeritatis immensæ, sed fidelitatis præcipuæ, matre Aanor filia nobilis viri Andreæ domini de monte Barri, claram ab utroque duxit originem : ex parte patris insuperabilis constantiæ ; ex parte matris vitæ sanctioris existens. Fuit enim de genere illius sanctissimi Bernardi Clarævallensis abbatis, qui primus illud fundavit monasterium ; ibidem abbas effectus et, ob vitæ meritum multis et in vita ejus, et post mortem miraculis declaratum, approbante Romana Ecclesia in sanctorum catalogo, velut gemma clarissima est receptus in universa Dei Ecclesia, ubi hujus habetur memoria annua celebritate insignis.

De sanctimonia matris suæ.

Hujus sanctimoniam præfata Willelmi genitrix Aanor imitata, et quasi hæreditate bonitatis sese cohæredem moribus exhiberet, licet tam viri sui quam progenitorum suorum stemmate præfulgeret, deposito tamen totius fastus supercilio, velut ancilla Christi servilem se ostendebat personam. De facultatibus ejus in persona propria velut Christi pauper pauperibus ministrabat, in orationibus assidua, in ecclesia frequens, in divinis officiis pervigil, in immensa morum bonitate præclara.

De miraculo quod contigit in morte matris suæ.

Tandem humilitatem ancillæ suæ Dominus respiciens, tale de ejus sanctitate in vitæ suæ exitu præstitit argumentum. Nam cum apud villam suam de Esnone diem clausisset extremum, ad monasterium Cisterciensis ordinis, quod Pontiniacum nuncupatur, ut apponeretur ad virum suum, qui ibi antea sepultus fuerat, se deportari præcepit ; quod monasterium duabus leucis vel amplius distare dignoscitur a villa prædicta. Quo dum efferretur, tanta fuit die illo et tam jugis imbrium abundantia, vento nihilominus vehementi perflante, ut qui ad prosecutionem funeris convenerant, nec imbrem cappis pluvialibus submovere possent, eatenus ut interius non maderent, et pannus sericus superpositus funeri, nunc linteaminibus undique imbribus defluens, licet vinculis stupeis aut cannabeis esset feretro fortiter colligatus vix venti rabiem sustineret, quin per inane a feretro auferretur. Quatuor cerei, ut in hujusmodi funeribus moris est, ferebantur in funere ; qui, licet de ecclesia de Esnone domui funeris contermina fuissent ardentes extracti, per viam tamen tum propter imbrium abundantiam, tum propter venti vehementiam nulli videbatur dubium ipsos ardere non posse. Venum est ad monasterium, ubi corpus fuerat sepulturæ tradendum ; intrata est ecclesia ; reperti sunt, omnibus stupentibus et admirantibus et in Dei laudes proruentibus, ardentes cerei omnes, ac si nullo venti perflata turbine, eos tranquillissima fuisset serenitas prosecuta. Paululum digressi breviter ista perstrinximus, ut quanta sit in sanctis suis Domini nostri virtus et pietas, præsenti patesceret miraculo, ad honorem Dei et instructionem nostram, quibus prædictam virtutum feminam Dominus proposuit in humilitatis et bonitatis exemplum. Nunc ad propositum revertamur.

De indole ejus.

Guillelmus igitur talibus ortus natalibus, ab ineunte ætate cœpit bonæ indolis puer esse, et cujusdam simplicitatis ingenitæ et maturitatis innatæ, adeo ut non cæteri coætanei sui, ad pueriles nænias et levitates in illa familiares ætate animum inclinaret. Erat jam tunc in ejus vultu, incessu, et gestu ex ejus maturitate præmatura aspicere futuræ speciem gravitatis, et de secutura bonitate ipsa ejus pueritia prophetabat.

Qualiter clericus factus est.

Pater quia natus fuerat ei posterior, ut plerumque in paternis reperitur affectibus, ipsum tenerrime diligebat, et ut disciplinis militaribus ætatem adhuc teneram institueret, equitem secum ducebat, propositum habens quatenus ipsum studiis militaribus applicaret. Sed divinæ dispensationis providentia, quæ sibi eum futurum antistitem providerat, patris propositum in melius immutavit. Nam frater ejus Guido, archiepiscopus Senonensis, multa precum ab eo obtinuit instantia, ut sibi traderetur clericali militiæ mancipandus.

Qua ætate factus est clericus, et qualiter in clericatu profecerit.

Cum igitur annum jam undecimum attigisset, ad prima resedit elementa scientiæ litteralis. In qua continuato studio, processu temporis sic profecit ut scalam disciplinæ ejusdem acri conscendens ingenio, transcursis puerilibus rudimentis de gradu provehereretur in gradum ; primo competenter liberalibus artibus institutus ; dehinc in legalis juris canonici scientia sic provectus, ut jurisconsultus non immerito haberetur. Demum relictis sæcularibus scientiis, sic in divina pagina desudavit ut postmodum divini fluenta eloquii aliis uberius de pleno pectore propinaret, licet in scholis cathedram nunquam ascenderit magistralem.

Quales eruditores habuit, et de informatione morum ejus.

Porro huic avunculus archiepiscopus de quo superius mentionem fecimus, eruditores scientia, vita, et moribus approbatos semper providit. Qui non minus circa ejus innocentiam conservandam moresque formandos, quam circa provectum scientiæ vigilabant ; unde factum est ut velut cera calefacta ad ignem pro voluntate artificis quamcunque recipit imaginem, sic ætas ejus tenera vita doctrina et exemplo bonorum exculta formam reciperet sanctitatis, adeo ut credatur carne virgo et integer permansisse.

Quales dignitates assecutus fuerit, et quam strenuus in eis se habuit.

Sic igitur sapientia proficiens et ætate ibat de virtute in virtutem, cujus profectum comitata est a primævo tanta tamque multiplex ecclesiasticarum assecutio dignitatum, ut cum Salomone posset dicere :

Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam et proposui pro duce habere eam : venerunt mihi omnia bona pariter cum illa; nam in ecclesia Senonensi cathedrali thesaurariam et archidiaconatum Pruviniensem, in Autissiodorensi vero adeptus est decanatum ad quem absens et in remotis agens regionibus studendi causa a canonicis ecclesiæ concorditer est electus, et usque ad reditum suum de scholis per annum et amplius exspectatus, in quarum dignitatum administratione strenuus valde fuit et efficax ; nam ut spiritualia fideliter dispensaret, temporalia conservans, congregare dispersa, et jura, si qua oppressione cujuslibet subventionis nubilo latuerant, prout poterat, magno labore et studio, pace vel judicio faceret prodire in lucem.

Qualiter jura decanatus Antissiodorensis adversus episcopum prosecutus est.

Circa decanatus jura tuenda eo amplius vigilavit, quo jurisdictioni suæ imminente episcopo major resistendi necessitas incumbebat. Cui sic restitit cum effectu, ut causas civitatis, excepta parochia sancti Lupi quæ non est de jurisdictione decani, non audiret alius præter ipsum, vel officialem suum, nisi per appellationem ad majorem audientiam fuissent delatæ.

De inobedientia sacerdotum, defendente eos episcopo Hugone contra eum quando erat decanus, et de emenda.

Sacerdotes quidam, qui parochias regebant civitatis, quamdam interdicti sententiam in civitate Antissiodorensi prolatam, quam decanus ipse præceperat observari, episcopo jubente contrarium, non servarunt, ac propter hoc a decano suspensi ipsos absolvente episcopo, sua propter decani sententiam taliter ab episcopo relaxatam non prætermiserunt officia exercere, episcopi auctoritate suffulti : tandem eorum inobedientiam episcopo defendente, tanta est Senonensis sedis metropolitanæ examini per appellationem victrice constantia prosecutus, quod dictante justitia, succumbenti in jure episcopo, decano de inobedientia satisfacere sunt compulsi, qui in virga visitans iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum ipsos in capitulo Antissiodorensi virgarum fecit publicam solemniter excipere disciplinam; inter quos unus magnæ gravitatis et nominis, magister videlicet Robertus prior beatæ Mariæ extra muros, licet opinione magnus existeret apud omnes et propter hoc magis dum verecundaretur succumbere, contumacior fuerat et rebellis, apud sanctum Marianum retrusus in claustrum, et ab administratione prioratus sui remotus ad tempus ad nutum ipsius decani in pane et aqua per aliquot dies exegit pœnitentiam, multatus pœna per abbatem suum quæ rebellibus et inobedientibus consuevit infligi : quosdam etiam canonicos beatæ Mariæ infra muros, quos absque præsentatione decani episcopus ordinaverat, facta sibi ab ordinatis pro illo excessu emenda, pœna a se dictata multavit.

A *Qualiter coegit Hugonem episcopum restituere Ecclesiæ arbores, quas eo invito in nemoribus Ecclesiæ acceperat.*

Episcopus, contradicente ipso et quibusdam sibi adhærentibus canonicis, aliis episcopo faventibus, arbores quasdam in nemoribus Ecclesiæ de Buscha cædi fecerat et in domum episcopalem de regio amne per violentiam exportari : non cessavit idem decanus injuriam prosequi donec per sedis metropolitanæ sententiam episcopum arbores capitulo restituere compulit, et ante fores ecclesiæ propriis episcopi vehiculis reportare.

Qualiter comitem Petrum compulerit venire in capitulum ad emendandas injurias Ecclesiæ, dum esset decanus.

B Rempublicam capituli strenue ac fideliter gubernabat adversus quorumlibet injurias, murum insuperabilem se opponere, nec suis parcens laboribus, nec suorum in tanta virtute Ecclesiæ amplectens negotia, quod comitem ipsum propter irrogatas Ecclesiæ injurias excommunicatione et civitatem ejus supposuit interdicto, et sic tandem compulit venire in capitulum et injurias capitulo emendare.

Sub quanta districtione prohibitum sit ne venderentur, aut terræ Ecclesiæ sine consensu capituli.

Inoleverat per quorumdam ex majoribus avaritiam gravis quædam et nimis dispendiosa præsumptio, qui propriis commodis per fas et nefas ardentius inhiantes, in villis in quibus percipiebant præbendas prædia alienabant Ecclesiæ, et absque capituli con-
C niventia accepto pretio sub censuali onere emptoribus distrahebant, nemora Ecclesiæ pari nihilominus præsumptione vendentes vel pro sua voluntate donantes. Huic tam pestilenti morbo tali duxit remedio subvenire : nam convocato capitulo, ipse et omnes presbyteri pariter candelis accensis, excommunicaverunt omnes qui sine consensu capituli alienationes, distractiones, sive donationes hujusmodi in futurum facere attentarent, et id pro lege mandatum est in perpetuum observari.

Qualiter officium beatæ Mariæ constituit celebrari in profestis diebus in Ecclesia.

Is adhuc agens in decanatu beatæ Mariæ officia horis canonicis in profestis dicenda diebus adjecit, et ad horas canonicas antiphonas super psalmos :
D nam antea super illas, exceptis matutinis et vesperis, non nisi simplex alleluia, sicut moris est in paschali hebdomada, pro antiphona dicebatur, multaque alia ad honestatem divinorum consensu capituli vel adjecit, vel exterminavit penitus, vel mutavit.

De Manasse fratre ejus, et unitate amborum.

Huic superstes erat frater unicus de multis in primævo flore ætatis suæ defunctis, Manasses nomine, archidiaconus Senonensis et Autissiodorensis postmodum in episcopum Aurelianensem assumptus, qui ob præclara urbanitatis suæ et liberalitatis insignia, longe lateque suæ claritatis radios diffuderat. Hunc quoniam natu major erat, tanto reverebatur affectu idem Guillelmus, de quo præsens sermo est,

ut totus de ejus voluntate penderet. Erat in eis videre alterum par amoris; nam sicut uno ventre prodierant, sic uno spiritu regebantur. Una erat et Antissiodori et Senonis habitatio; mensa una, vasa ad cibum eadem in quibus pariter comedebant; lectus unus, parilitas in domesticis, parilitas in vestibus, parilitas in amore; nec alter sine altero quidquam habebat proprium, sed erant illis omnia communia; nec erat dicere de eorum familia, quis de fratribus potius militaret: divulgabatur ubique peculiaris illa quæ ipsis inerat fraternæ copula charitatis, adeo ut raro propriis designarentur vocabulis, sed quadam specificata appellatione fratres Senonenses antonomastice vocarentur.

Quanto fervore se mutuo diligebant.

Fervor qui eis inerat charitatis ipsos ab invicem abesse diutius vix sinebat. Imo plerumque vidimus, quod quando archidiaconatuum suorum visitatio vel alia necessitas cogebat eos corporaliter separari, ipsa affectio longioris absentiæ moras non sustinens propositum rescindebat, et quandoque experimento compertum, non sine admiratione quidem quod ipsa absentiæ tempora eisdem erant meditationibus et studiis occupata. Nam quodam in tempore cum idem Guillelmus causa sibi imminuendi sanguinem in domo Senonensi remansisset, frater ejus archidiaconatum suum Senonensem in decanatu sancti Florentini visitandi gratia perlustrabat, solandi causa itineris fortuito propositum fuit thema ad versificandum his qui cum archidiacono equitabant. Jucunda quippe occupatio singulis certantibus quis de illa materia versus componeret meliores. Quæ cum apud archidiaconum agerentur et suos, ignorante fratre suo, qui Senonis remanserat, sub eisdem diebus et momentis apud ipsum et suos eadem materia studiis non disparibus Senonis versabatur. Quo comperto mirati sunt universi, et in aliquorum cogitationibus fraternæ auspicia consonantiæ resultabant.

Qualiter consentire noluerunt, ut eorum alter eligeretur in archiepiscopum Senonens. sede vacante.

Omnis ab eis procul erat ambitio: nam cum post decessum bonæ memoriæ Michaelis archiepis. Senonensis vacaret Ecclesia, et die electionis de substituendo pastore in capitulo tractaretur, quædam de personis Ecclesiæ quarum studia eis adversantia videbantur multorum canonicorum favore subnixa, qui in ipsorum voluntate unanimes adhærebant, in eorum alterum quem voluissent ut præficeretur Senonensi Ecclesiæ consentire cum suis voluerunt sequacibus. Sed ipsi judicantes indignum se præferri venerabili Hugoni Antissiodorensi episcopo, ad cujus promotionem ad illam Ecclesiam tam episcopi quam qui eis unanimes adhærebant ipsorum anhelabant favore, de sua noluerunt electione acceptare sermonem, procurantes potius quod omnes in postulationem ejusdem episcopi consenserunt laborantes in unum quam Innocentius tertius, qui Romanæ Ecclesiæ præsidebat, postulationi de ipso noluit assentiri, volens magistrum suum in scholis dum esset in Francia, videlicet magistrum Petrum de Corbolio cathedræ præficere Senonensi, quod et fecit canonicis licet renitentibus invitis.

Qualiter Guillelmus noluit consentire in electionem Nivernensis Ecclesiæ de se factam.

Iterum Galtero Nivernensi episcopo migrante a sæculo, facta est canonicis illius Ecclesiæ electio consona de Willelmo, cujus cum per solemnes nuntios a Nivernensi Ecclesia destinatos requireretur consensus, habita deliberatione cum fratre suo Manasse inter eos convenit ut in statu humiliori protinus vitam agerent indivisam, quam alteruter separativum ipsorum gradus culmen conscenderet altioris. Sicque factum est ut prælationem renueret Ecclesiæ Nivernensis, quæ eum ad sui regimen evocabat, quod utique factus postmodum Antissiodorensis episcopus cum maxima pœnitudine et cordis amaritudine rememorare solebat, pungente eum conscientia quod Antissiodorensem velut ditiorem Nivernensi tanquam pauperi Ecclesiæ prætulisset.

Qualiter electus fuit in episcopum Antissiodorensem, et quomodo nolebat fratri suo præferri in electione.

Tandem præfato magnificæ memoriæ Antissiodorensi episcopo Hugone rebus humanis exempto, die ad eligendum statuta cum omnium clerici scilicet et populi in alterum duorum fratrum Manassis videlicet et Guillelmi vota concurrerent, major natu, Manasses scilicet, qui et affabilior, et urbanior et ideo favorabilior habebatur, ut Ecclesiæ regimen suscipiat concorditer exoratur. Onus ille subire recusat, regiminis et periculum metuens et indignum se reputans fratri decano Ecclesiæ in prælatione præferri, quem licet natu postremum et dignitatis prærogativa et vitæ merito astruebat potiorem. Sic igitur factum est ut ab electoribus a capitulo per compromissionem datis eligeretur decanus, qui totus effluens in lacrymas honorem non dissimili recusat affectu, indignum ducens, fratri natu majori et vitæ non disparis anteponi: sicque oritur mirabilis concertatio inter fratres, et quorum erat cor unum et anima una in hoc facta est cordium divisio, et animarum scissura quod neuter volebat præferri. Omnes madentes oculis stupendum intuebantur spectaculum et insperatum certamen: ad ultimum Senonensis archiepiscopus Petrus, qui ibi aderat præsens, in capitulum evocatus certaminis dedit medium, et tum causa Ecclesiæ tum quodam peculiari studio ductus, ut videlicet thesauraria Senonensis et archidiaconatus Pruviacensis, quæ in Ecclesia Senonensi idem obtinebat Guillelmus, in suæ collationis arbitrium devenirent, ipsum ut Ecclesiæ suæ, quæ eum vocabat, regimen susciperet persuasionibus urgentibus, mediante fratris instantia, compulit ac addixit.

Qualiter obtinuit a rege privilegium de regalibus Antissiodorensis Ecclesiæ.

Electione igitur celebrata de ipso sexta feria post Purificationem beatæ Mariæ, anno Domini 1206 et

per confirmationem archiepiscopi approbata, et per consecrationem ipsius ad ultimum consummata, ipso consecrationis die ad dominum regem properat, qui per solemnes Ecclesiæ suæ nuntios a tempore electionis factæ requisitus, quæ decedenti Hugone occupaverat regalia, ei restituere detrectabat, imo et servientes ipsius ab eo regalium custodiæ deputati circa episcopalia valde perperam se habebant. Nam tanto vocationis tempore, et usque tunc facta fuerat per ipsos episcopalium dissipatio miseranda, hominum emunctio violenta, silvarum a longis intactarum temporibus damnosa valde distractio, dabanturque hostili more omnia in direptionem et prædam, ita quod brevi in tempore fuissent in exterminium nisi divina dispensatio de pastore maturius providisset Ecclesiæ. Susceptus igitur benigne satis serenitate regali, ab ea recipit sine difficultate regalia, et de interceptionibus a tempore vacationis factis apud regiam magnificentiam interpellat, ac tandem quorumdam de primoribus regalis palatii interventu controversia amicabili compositione sopitur, dataque non modica pecuniæ quantitate ab episcopo super concessione regali facta Ecclesiæ de regalibus sede vacante privilegium obtinetur, cujus tenorem præsenti duximus inferre lectioni.

Tenor privilegii de regalibus.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter et futuri quod nos intuitu divinæ pietatis, et ob remedium animæ nostræ et parentum nostrorum, damus et concedimus in perpetuum Ecclesiæ Autissiodorensi quidquid juris habebamus in regalibus sede vacante. Itaque decanus et capitulum ejusdem Ecclesiæ custodient regalia sede vacante, et omnes proventus qui exinde procedent et præbendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus episcopi salvo servitio nostro, equitationis nostræ, exercitus et submonitionis, sicut episcopi Autissiodorenses nobis fecerunt. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis charactere inferius adnotato præsentem paginam confirmamus. Actum Parisiis anno Domini 1206, regni vero nostri anno vicesimo sexto, astantibus quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. Signum Matthæi camerarii. Signum Droconis constabularii. Datum vacante cancellaria per manum Guarini. »

Qualiter se in episcopatu habuit, et qualiter fuerit timoratus.

Sic igitur pontificali locatus in cathedra anno Domini 1206 in administratione suscepta strenuus fuit valde et providus, utpote qui nihil agebat ex præcipiti, nec quidquam quod suis sollicitudinibus ingereret faciendum prodire sinebat in actum, nisi prius multa fuisset deliberationis fornace decoctum. Id enim ab incunti sua ætate contraxerat deliberare diutius de agendis, in tantum, ut hoc ei plerique ascriberent tarditati : nam quandoque licet raro per nimiæ deliberationis inducias aliqua moræ longioris sentiebant dispendium, quæ commodius fuerant alicujus festinationis compendio maturanda. Erat itaque concilio circumspectus, eloquio mansuetus, hospitalitate præcipuus, pauperum sedulus dispensator, modestus in prosperis, longanimis in adversis et patientiæ singularis, juris sui infatigabilis prosecutor juxta regulam Apostoli : *Domui suæ bene præpositus*, ita ut domesticis suis sobrie et juste et pie vivendi forma existeret et exemplum; timoratus adeo ut sicut hi plenius noverant, qui in foro pœnitentiali de sua conscientia judicabant, ita levia plangeret ac si gravia commisisset; pastoralem omnibus exhibebat affectum, in tantum ut cum per suam equitaret diœcesim ad viros et mulieres undecunque pro necessitatibus suis non solum spiritualibus, verum et temporalibus confluentes ad ipsum, gradum sisteret, gratam præstans eis copiam colloquendi cum ipso, ita quod quandoque suis molestus existeret propter moram quam faciebat cum talibus longiorem.

Cujus affectionis in cives.

Miræ affectionis in cives pro quorum protectione graves frequenter Hervei comitis Nivernensis sustinuit simultates, dum eidem resisteret, ne vivente comite Petro patre uxoris suæ, Matildis videlicet, civitatis dominium usurparet : quod tanto amplius ambierat, quanto si fungeretur comes prædictus, qui Constantinopolim ad recipiendum imperium quod vocabatur, profectus fuerat nomine uxoris suæ prædictæ in proprietatem suam ipsa debebat Antissiodor. civitas devenire, sed voti sui compos esse non potuit idem comes donec ipse episcopus urgente Romanæ sedis auctoritate ad episcopatum fuit Parisiensem translatus.

Jurisdictioni detraxit.

In judiciis prout ei revelabat Dominus semper via regia incedebat, nec ullo modo extra scienter declinabat ad dexteram vel sinistram; facile tamen erat ei persuadere rationibus, si quæ obumbrare viderentur, quod propriæ favor utilitatis dictabat, unde et decanatum multum oppressit. Nam cum publica haberet assertio causas civitatis Antissiodorensis ordinarie et primo loco ad jurisdictionem pertinere decani in tantum, quod si aliqui de jurisdictione ipsius in curia, vel in præsentia episcopi in jus vocarentur quandoque nisi per appellationem, qui non fuissent in curia decani, conventi, plerumque revocabantur a decano cognoscendi sibi jus vindicante, plerumque exceptione fori exposita non cogebantur ulterius coram episcopo vel ejus officiali ulterius experiri, et ipse dum esset decanus, utebatur hoc jure, factusque episcopus uti permiserit successores suos decanos aliquandiu, tandem in his et aliis ad jurisdictionem pertinentibus quam sibi vindicabat decanus, decanatum cœpit episcopus impugnare et non solum per se, sed et per officialem suum immediate et absque appellatione de causis cognoscere civitatis, licet archipresbyteri, qui antiquitus locum

officialium obtinebant, nec adhuc cognoscere valeant de causis eorum qui sunt de jurisdictione decani et præ omnibus qui ante ipsum episcopis, decanatus jurisdictionem non modicum enervavit. Hoc in ipso præcipuum reperimus de imperfecto fragilitatis humanæ, quod jurisdictionem suam et dominandi jus, prout poterat, extendere conabatur et multum præesse volebat non tam in mansuetudine quam in virga.

De mutua affectione ejus et fratris sui Manassæ.

Frater ejus Manasses videlicet Senonen. et Antissiodorensis archidiaconus ei comes individuus adhærebat nutuque suo et moderamine omnia agebantur, nec quidquam fiebat grande aut parvum quod de consilio ejus non maneret; sicque eum sibi episcopus præfecerat ut solo nomine major esset, seseque ambo ejus consilio existimabant felices, si sic eis individuam retinere consuetudinem licuisset: sed divina dispensationis providentia quæ sibi complacuerat in utroque, sicut juniorem Antissiodor. Ecclesiæ præfecerat, sic et majorem, Manassem scilicet, infra brevis temporis spatium ad Autissiodorensis cathedræ fastigium sublimavit, ac ne Aurelianense territorium de antiqua prærogativa ulterius se jactaret quod duos olim fratres uno ventre et eisdem lumbis editos, alterum Austrenum, videlicet Aurelianensis Ecclesiæ, alterum Aunarium, scilicet Antissiod. pontifices de suo gremio tulisset. Autissiodorense quoque territorium dominus ejusdem privilegii pari latice libavit, ut vice versa duos itidem fratres daret etsi merito impares: quorum alter Manasses Aurelianensi, alter vero Guillelmus Ecclesiæ Autissiodor. præesset, uterque de Autissiodorensi territorio oriundus.

Qualiter frater ejus Manasses electus fuit in Aurelianensem episcopum.

Is igitur Manasses, cum in generali synodo Senonensi per solemnes Aurelianensis Ecclesiæ nuntios in episcopum peteretur, facta de ipso electione concordi, et ipse renueret consentire, archiepiscopo Petro qui præsidebat in synodo ipsum urgente eodem studio et intuitu quem circa fratrem suum Autissiod. episcopum habuisse meminimus, coactus et abductus in præfata Ecclesia onus regiminis pontificalis accepit, revocato proposito, quod jam diu conceperat, ut videlicet resignato archidiaconatu Antissiod. Ecclesiæ ipse contentus esset his quæ in Senon. Ecclesia obtinebat, vitamque ibi quasi privatam ageret in quiete, nisi si quando eum fratris sui Autissiod. episcopi inde abstraheret necessitas aut voluntas.

De his quæ gessit Manasses in episcopatu Aurelianensi, et qualiter se ibi habuit.

Licet hic fraterni gratia consortii et prærogativæ illius dilectionis quæ inter eos ad finem vitæ usque duravit obtentu, de gestis hujus Manassis pauca de multis perstringere breviter et summatim, ut qui de uno fratrum legerit de reliquo penitus non ignoret. Is ergo juvenili ætate ac levitate decursa, in qua dum nimis exstitit humani causa favoris profluus suæ substantiæ profligator sibi fecerat nomen grande, A tandem ex fratris consortio et exemplo, qui semper modestus fuerat et maturus, omni levitate deposita etiam ante episcopatum, sic veterem hominem cum actibus suis longe proscripserat ut, sicut erat ferventissimi animi, fratrem ipsum præcedere videretur in novitate spiritus et virtutum exercitio ardentius ambulando; in episcopatu vero tanta in eo lampas virtutum effulsit, ut in timore Domini permanens juxta Apostoli verbum ad Timotheum scribentis, exerceret se ad pietatem præcipue, sibi parcissimus, imo et severus potius, suis largus, pauperum totis visceribus, totis viribus sedulus dispensator, tanta aviditate et desiderio circa subditos ut pastoris curam utiliter gereret æstuabat ut eo moriente dicerent ac defleverint quid affectionis, quid consilii, quid B amiserint consolationis in ipso.

Qualiter contra regem et ministros ejus jura Aurelianens. Ecclesiæ defendebat.

Multa constantia in episcopatu adversa magna cum animitate evicit: nam contra regem regalesque ministros pro jure Ecclesiæ suæ frequenter et violenter decertavit, jura episcopalia usurpata ab eis a longo tempore multo labore, quoad potuit revocans, tum quoad nemora sanctæ Crucis in quibus præter alia carbonarios tam constanter quam viriliter vindicavit, tum quoad alia conditionem Ecclesiæ multo reddidit meliorem.

De gemmis annulorum prædecessoris sui quas revocavit a rege.

Multa constantia contra eumdem regem obtinuit C sibi gemmas de annulis prædecessoris sui Hugonis sibi ab ipso rege aurum sibi retinente restitui, ob conservationem privilegiorum Ecclesiæ; qui utique rex quidquid in bonis ejusdem Hugonis episcopi ipso decedente auri et argenti invenerat, sibi jure regio vindicabat.

Qualiter vassallos Aurelianensis Ecclesiæ de servitute exercituum regalium pro parte liberaverit.

Vassallos Ecclesiæ Aurelianensis quos rex in expeditionibus suis propriis eorum sumptibus quasi jam pro consuetudine diu obtenta militare cogebat, non veritus propter illos cum domino rege de eorum injuria disceptare, in hanc libertatem eduxit, ut episcopus in ejusmodi expeditionibus suis habeat stipendiis quotquot voluerit de eisdem, unde et eorum D jugum allevatum est in immensum et episcoporum conditio longe melior quam prius existeret est effecta: nam vocato ad expeditionem a domino rege episcopo, non defuerunt ei vassalli sui qui se ei militaturos ne compellantur a rege certatim et magna ambitione offerant, qui magnis prius stipendiis et non sine facultate solebat conducere alienos.

Qualiter recuperavit privilegium Ecclesiæ super procuratoribus regiis in terra episcopali.

Idem post multos labores longamque ærumnam exsilii quod occasione exercituum regalium in quibus ipse et frater ejus Guillelmus nullam nisi præsentem regem sequi voluerant, ambo sustinuerunt constanter ruinam Ecclesiæ, in hoc humeros viriliter supponentes:

privilegium in grave Ecclesiæ suæ præjudicium per prædecessoris sui Hugonis et Aurelianens. capituli renuntiationem amissum sub annua præstatione sexaginta librarum pro procurationibus regis in terra episcopali sub quodam pacis obtentu iterum obtinuit reformari.

Quanto periculo decimas lanarum in archidiaconatu Sigaloniæ acquisierit presbyteris parochialibus.

In archidiaconatu Sigaloniæ adversus conspirationem indigenarum contra se factam constanter et insuperabiliter desudavit ; qui scilicet indigenæ contra eum exciti propter lanarum decimas ad quas suis solvendas presbyteris præter morem terræ illius eos ecclesiastica censura compellebat, in manu armata quasi vir unus convenerant, et ipsum episcopum in castro quodam in quo se reciperat propter illos obsederant nocte una, nihil præter ejus sanguinem sitientes, quorum rebellione feliciter superata, tandem cum grata sibi satisfactione de injuria plene de decimis obtinuit pro presbyteris quod volebat.

De demolitione forteritiæ de Ecri, et insidiis Joannis de Aurelianis, et qualiter Pithueris ab eo captum recuperavit per regem.

Joannes de Aurelianis miles apud Egri villam suam Estrepæio videlicet villæ episcopali conterminam forteritiam erigebat, contra quem episcopus tanto fortius se accinxit, quanto facta sibi ab episcopo novi operis nuntiatione ille insolentius quod proposuerat ad perfectum perducere contra prohibitionem episcopi conabatur ; tandem propugnacula et quidquid faciebat ad forteritiam invitum compulit demoliri post multas suas et suorum perpessas injurias, et quandoque insidias quas quadam die dum iter Pithueris faceret sibi positas ab eodem non ex proposito, sed miraculose evasit, procurante Domino, ut ad cujusdam infirmantis visitationem diverteret extra viam, qui si tunc, ut credebatur, in ejusdem Joannis insidias incidisset, nequaquam procul dubio mortis periculum evasisset. Pithueris quoque nobile castrum Aurelianensis ecclesiæ, quod sub eadem tempestate vi armata ipse Joannes intraverat proditiose et ceperat multo labore et instantia apud regem, qui id dissimulare videbatur, ab initio ægre ferens quod quoties habebat aliquid adversus eum, episcopus non verebatur ei in facie resistere confidenter, tandem recuperavit, Joanne non sine confusione ejecto.

Qualiter ipsum Joannes et suos publicam agere pœnitentiam compulerit.

Ad ultimum ejusdem et suorum infantum edomuit superbiam, quos taliter publicam subire pœnitentiam cum pecuniaria emendatione coegit, hoc addito, quod ipsi sedem apostolicam pro absolutione sua nihilominus adierunt ; quo non immerito cæteri terreri potuerant ne similia contra eum attentarent. In episcopatu illo tot agones, tot ærumnas, tot periculosa discrimina constanter evicit, tanta propter Deum tabe corpus affecit quod illud quod de bono Germano dictum est ei possit utrumque non inconvenienter aptari, videlicet ipsum inter tot cruces longuna traxisse martyrium, unum in summa dicere est de ipso, quod per duodecim annos vel amplius, quibus sedit in episcopatu prædicto, plus cæteris moderni temporis laboravit et plus profecit.

De palatio quod ædificavit apud Magdunum.

Apud Magdunum castrum episcopale ubi episcopus proprium non habebat quod competens esset, domicilium magnæ nobilitatis exstruxit, palatium cum turribus et propugnaculis, præsidium videlicet municipii inexpugnabile et nobile episcopi, cum ad castrum illud delegaverit mansionem.

De pontibus Jargolii et Magduni.

Ibidem et apud Jargolium super Ligerim lapideos pontes fecit, et quoniam *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, de beato ejus exitu paulisper tangamus. Cum jam haud dubie properaret et irrevocabiliter ad exitum admonitus a sociis ut pro fratre suo Guillelmo mitteret, *Sinite*, inquit, *sinite, nihil mihi libet amplius intueri quam solum Dominum meum Jesum Christum* ; sicque non convocato fratre ab ipso vitam finivit : qui tamen licet intempestive excitus a sociis ad exsequias festinus advenit, et licet astantes ubertim in lacrymas solverentur, et pauperes præcipue flentes et altis suspiriis et questibus proclamantes sese vitæ suæ subsidia amisisse, tunicas et vestes quas eis fecerat ostendentes, ille solus vultu immoto siccis oculis, nulla conturbati animi signa gerens exterius, intuebatur tanquam jam glorificati hominis vultum fratris.

Qui casualiter Aurelianum venerant pridie quam defungeretur non ad ipsum visitandum, sed suis specialibus negotiis evocati.

Aderant Senonensis et Turonensis archiepiscopi et episcopus Cœnomanensis cum eodem, et civitatis quæ illuc confluxerat religiosorum, canonicorum, aliorum clericorum et laicorum permaxima multitudo qui, tanquam eis revelatum esset divinitus quod jam ad regionem supernorum civium evolasset, pedes, manus, et quidquid de ipso tangere poterant devotis osculis prolambebant ; felicem se putabat qui de ipso aliquid tetigisset. Sic tandem archiepiscoporum et episcoporum manibus tumulatus beato in Domino fine quievit : ad cujus tumulum multa languidorum et male habentium confluxit frequentia et nonnullorum confluit usque adhuc ejus meritis præstolantes a Domino languorum suorum recipere sanitatem, sed hæc tantisper de ipso dicta sufficiant, nunc ad Guillelmum, cujus cœpimus texere historiam, revertamur.

De ordinatione lectoriæ et succentoriæ in Ecclesia Antiss. et scholastriæ.

Guillelmus igitur succepti regiminis curam gerens strenue ad Ecclesiarum statum in melius promovendum efficaciter anhelabat : in majori scilicet cathedrali ecclesia præter alia quæ ibi provide fecit vel liberaliter contulit, lectoriam et succentoriam, per quas totum in legendo cantandove servitium dispensatur, nec non et scholastriam, quæ antea ita tenues erant in proventibus et exiles, quod non

inveniebatur qui onus reciperet sine fructu, jure conferendi sibi suisque successoribus episcopis retento de assensu capituli, gratis redditibus ampliavit, scholastriæ circiter decem librarum, lectoriæ et succentoriæ præter antiqua stipendia fructus unius præbendæ cum minutis portionibus quæ his omnibus consentiente capitulo deputavit assignans.

De matriculariis.

Sacrista providere tenetur et exhibere clericum unum matricularium et alios qui campanas pulsare et ea quæ ad officium suum pertinent valeant exercere. Episcopus propter illos instituit tres matriculatios, unum videlicet clericum, quem attitulavit altaris sanctæ Crucis in eadem ecclesia, ut ibi serviret in officio sacerdotis, medietatem beneficii ejusdem altaris illi matriculariæ perpetuo jure annectens, cum centum solidis in denariis Pentecostalibus de Varziaco percipiendis annuatim ; et duos laicos quibus singulis decem libras in redditibus assignavit, ad quorum prædicta stipendia Ecclesia de Vermentone duodecim, Ecclesia de Berriaco octo libras solvere annuatim tenentur.

De divisione festorum sancti Alexandri et sancti Bricii et festis apostolorum.

Sanctorum Alexandri et Bricii festa quæ permistim sub quadam confusione fieri consueverant, separatim statuit celebrari, et apostolorum festa prout minoris erant observantiæ solemnius solito cum majorum campanarum pulsatione fieri ordinavit. Sacristæ pro luminaribus et aliis quæ amplius a festo simplici hujusmodi ritus solemnitatem exposcit, redditus competentes et sibi gratos assignans, nec non et processionem in vigilia B. Stephani hiemali post vesperas de Nativitate solemnem singulis in cappis sericis deferentibus accensorum luminaria cereorum.

Qualiter ornavit ecclesiam de cruce et calice aureo.

Ad ornatum ecclesiæ pannum unum sericum valde bonum et magnum, et duo minora, pretiosa tamen, contulit ad ornatum altaris, antiphonarium quoque optimum in duobus voluminibus fieri fecit : Capitulo itidem alterum par ei in omnibus faciente, novem insuper marcas auri ad crucem et calicem aureum facienda, et annulos suos aureos pretiosos admodum et tredecim libras Parisienses ; sed hæc moriens in sumptibus contulit faciendis.

De emendatione palatii episcopalis.

Tecto palatii pontificalis die festo Parasceves pro parte aliqua in suæ promotionis exordio, corruente, palatium ipsum multum nobiliori quam ante tecti structura decoravit, et ad intromittendam lucem in palatium fenestras pinnaculi magna intercapedine dilatavit, arcens flatus importunos ventorum vitrearum perlucidarum objectu ; in præfata vero ruina quid miraculi contigerit dignum duximus ad notitiam transmittere posterorum, ut per omnia beneficia divina laudetur Deus.

De lapsu palatii, et miraculo quod ibi contigit.

Die igitur festo Parasceves erat ipse solus in camera sua superiori, psalmodiæ et orationi intentus. Inferius in palatio majori illi cameræ contiguo, vir quidam de Druia castro cum uxore sua ad confitenda peccata et excipiendam ab episcopo pœnitentiam exspectabant. Imminente jam hora tertia transitum illuc faciens archidiaconus adibat episcopum, eosque sibi assurgentes invenit, et cognito cujus rei gratia exspectabant insinuavit episcopo qui statim eos accersiri ad se mandavit; vixque palatium egressi fuerant cum ecce in ea parte in qua steterant pedes eorum, tectum palatii corruit secum trahens lignorum et tegularum ingentia fragmina in ruinam, quæ pœnitentes prædictos penitus contrivissent nisi virtus subvenisset divina, quæ donec discessissent ruinam continuit, quæ sic de proximo pendebat futura. O mira pœnitentiæ virtus, quæ sic divinam continuit justitiam ut jam morituros sola Dei misericordia de instantis mortis præcipitio liberaret ! Solvitur episcopus in lacrymas et stuporem, et inspecta mortis imagine ex intimis cordis medullis in Dei laudes prorumpit. Ad ruinæ fragorem concurrit turba, et de manifesto miraculi spectaculo universi exsultant Dei magnalia prædicantes.

De institutione præbendarum apud Apponiacum, Tociacum et Conadam.

Ad cultus ampliationem divini in castris episcopalibus Apponiaco videlicet Tociaco et Conada canonicos instituit et præbendas, præter alia quæ ad hoc contulit, parochiales Ecclesias cum suis proventibus eisdem deputans et assignans..... Amatoris et canonicis capellæ suæ de Trinitate..... Ipsi capitulo Antissiodorensi..... ecclesiæ beati Amatoris et canonicis sub regulari S. Satyri ibi degentibus disciplina, locum de Boticem versus sanctum Salvatorem et Ecclesias de Alenset, de Petrosio, et capellam de Mota in parochia de Chevannis, canonicis vero quatuor capellæ suæ Antissiod. scilicet de Trinitate, decimam quamdam apud Tociacum, quam propria eis comparavit pecunia, pia liberalitate concessit : dedit insuper capitulo Antissiod. quidquid eis deerat ad plenam decimarum bladi perceptionem in territorio de Crevenno, et hoc in opus quotidianæ partitionis de pane quæ fit in Ecclesia his qui interfuerint matutinis aut missæ, separata ab Ecclesia de Crevenno, cum vacaret, portione, quam ibi presbyter ecclesiæ percipere consueverat, et canonicis assignata, sub quadam tamen recompensatione ab eis facta Ecclesiæ memoratæ.

Qualiter procuravit recompensationem factam capitulo apud Osiacum pro eo quod habeat apud Billiacum.

Sua quoque instantia et virtute factum est, quod cum comes Nivernens. Herveus in monte de Mures prope Billiacum, qui erat de fundo Antissiodor. Ecclesiæ, munitionem erigeret, et canonici Antissiod. comitis atrocitatem verentes remissius de jure suo disceptarent cum eo, tandem interventu suo et fratris sui Manassæ Aurelianensis episcopi, de quo supra me-

minimus, comes quidquid habebat apud Osiacum canonicis pro eo quod habebant apud Billiacum commutavit, exceptis decimis, quas ibi habebant canonici, quæ in commutationem non potuerunt venire, sed permanserunt eisdem, non modica utilitas Ecclesiæ Antissiodorensis accrevit.

De abbatia de Cellis, et quid eidem abbatiæ contulerit.

Novellæ plantationi de Cellis contulit inter cætera domum de foro Antissiodorensi quæ fuit Iterii Borni militis, quam utique de propria pecunia comparavit, et unum modium frumenti et duos sigali in grangia et redditibus de Brenchis annuatim, quam a monachis de Charitate multa requisivit pecunia, et in suam proprietatem redegit.

Qualiter Brenchas et pertinentias ejus contulit hospitali de Appogniaco.

Eamdem insuper villam cum nemoribus et aliis appendiciis suis, et partem nemorum de Courum, quæ emit a Guillelmo Grosso milite, hospitali de Appogniaco in perpetuam eleemosynam assignavit, salvo eo quod ibi percipiunt, ut diximus, moniales de Cellis; quæ tamen omnia disposuit, ut Andreas Antissiodorensis archidiaconus quem nutrierat a primævo sub annuo canone teneret, quoad viveret, solvendo annuatim duobus canonicis hospitalis prædicti, qui in ecclesia de Brenchis parochiali jugiter deservirent, quibus etiam præter canonem illum et minutas decimas, et oblationes, et universos proventus ecclesiæ assignavit post decessum archidiaconi totum in solidum possessuris, et propter hoc beneficia ampliaturis pauperum suscipiendorum in hospitali de Appogniaco supradicto.

De his quæ acquisivit episcopatui Antissiodorensi.

Acquisivit autem episcopatui in civitate Antissiod. ligium homagium de Campo de Moreto et de omnibus quæ apud Antissiodorum Milo Filonis miles tenuerat libere in alodium; apud Varziacum ligium homagium similiter omnium quæ Guillelmus de Chanlemis miles possidebat, ibidem data sibi propter hoc non modica pecuniæ quantitate, in quo tanto utilius Ecclesiæ est provisum, quanto ne ea in manum fortiorem conferret comitis videlicet Nivernensis, vel potentis alterius, unde municipio antedicto, vel ipsi episcopo non parva possit oriri turbatio, non immerito timebatur, quapropter dedit ei centum libras applicandas in feodi accrementum; apud Appogniacum, similiter inter cætera, partem decimæ emit centum librarum Pruvinienses, quam nobilis vir Guillelmus comes Sacri Cæsaris ibi participabat, cum ipso et aliis partem habentibus in eadem; apud Charbuiam, eodem modo inter alia, quæ memoriter non tenemus, totam villæ jurisdictionem in solidum acquisivit, de qua episcopus juxta quartam partem habere solebat, multa acquisitionis suæ in episcopatu aliter exstiterunt quæ memoriæ non occurrunt.

De feodo Malliaci, et Bitriaci, et turribus Sancti Salvatoris, et Castri novi sibi traditis.

De Malliaco quoque et Bitriaco castris utique de feodo Antissiod. Ecclesiæ quæ Petrus comes Antissiod. in jus et feodum comitissæ Campaniæ in præjudicium Ecclesiæ transcribere conabatur, confitens datis inde litteris suis, quod de his eidem comitissæ fecisset homagium, multis laboribus et impensis contra eumdem comitem sub judicibus a sede apostolica delegatis causam Ecclesiæ tanta est constantia prosecutus, quod ad ultimum rem eo usque perduxit ut comes ejus Ecclesiæ recognoscens, de utroque specialiter episcopo faceret homagium manuale, ac juxta tenorem cartarum episcopalium super hoc confectarum castrum Malliaci ad beneplacitum episcopi traderet mandato ipsius, Hugoni videlicet tunc archidiacono, qui nomine episcopi castrum ipsum recepit: comitem quoque Herveum Nivernensem, licet non sine difficultate, ad hoc tamen pari ratione prudenter perduxit ut jus Ecclesiæ confiteretur, et inde publicum conficeret instrumentum, quod Sancti Salvatoris, Castri novi et Conadæ turres episcopo Antissiod. quoties vellet juxta præmissarum cartarum tenorem, quæ idipsum determinant, reddere teneretur, ipsique ad libitum suum ad juris episcopalis declarationem quandoque tradi fecit turres Sancti Salvatoris, et Castri novi: claves quoque portarum ipsum incomparabilem juris sui possessionem inducens quod possessori suo facere non volebat. Et qui vidit, perhibuit testimonium, et scimus quoniam verum est testimonium ejus.

Quæ loca religiosa creata sunt sub eo in Antissiod. diœcesi.

Hujus sane temporibus in sua diœcesi creata sunt loca religiosa, et ab ipsis habuerunt cunabulis incrementum, et de Spallo videlicet sub regulari observantia fratrum de Valle Callium, licet eis non sit subjectus in aliquo locus ille, et de Bello Loco quod et de *Beaularriz*, apud nos usitatiori vocabulo nuncupatur, ubi fratres de ordine Cartusiens. Domino famulantur; quæ utique duo loca religiosa comes Nivernensis Herveus eorum fundator contulit et dotavit: tertius quoque locus novella videlicet plantatio abbatiæ de Cellis prope Antissiodorum monialibus de ordine sancti Antonii Parisiensis addictus.

Qualiter veterem Ecclesiæ Antissiodorensis fabricam demoliri fecit, ut novam construeret.

Eodem tempore circa novas ecclesiarum structuras passim fervebat devotio populorum. Videns itaque episcopus ecclesiam suam Antissiod. structuræ antiquæ minusque compositæ squalore ac senio laborare, aliis circumquaque capita sua extollentibus mira specie venustatis, eam disposuit nova structura, et studioso peritorum in arte cæmentaria artificio decorare, ne cæteris specie studiove penitus impar esset, eamque fecit a posteriori parte funditus demoliri ut disposita antiquitatis veterana in elegantiorem juvenesceret speciem novitatis: in cujus sumptuosis impendiis quanta largitione profluus exstiterit enuntiavit fabrica primi anni, quæ ultra speratum promota in immensum extulit caput suum. Quippe circiter septingentas libras de proprio primo

anno præter oblationes fidelium et præter jurisdictionis suæ proventus quos ad hoc ab initio deputavit, in sumptus ejusdem operis erogavit; cæteris vero annis quandoque per hebdomadam decem libras, quandoque centum solidos ad minus præter præmissa et præter questas diœcesis suæ, sive diœcesium vicinarum.

De lapsu et miraculo turrium.

Incidenter se narrandum hic ingerit ad contemplationem pietatis divinæ illud posteris transmittendum miraculum quod in veteris operis demolitione noscitur contigisse; nam anno Domini 200 septimo decimo, Dominica ante Adventum, in honore sanctiss. Trinitatis diem agebamus solemnem, erant in ecclesia veteri duæ turres altrinsecus altitudinis non modicæ et soliditatis immensæ, una meridionalis, altera aquilonalis, infra se totam chori amplitudinem et canonicorum sedilia continentes. Hæ sublato sibi ob novam fabricam veteris operis adminiculo per quod solide antea subsistebant, ruinas agere cœperunt suæ continuitatis integritate modico prius hiatu soluta, non tamen providebatur quod tam festinam minarentur ruinam. In solemnitate igitur prælibata, solemniter, ut moris est in talibus, non solum minores sed et majores pulsabantur campanæ, in quarum profecto concussione non immerito debere ruere timeretur et universos pariter opprimere qui eo die frequentius ad ecclesiam convenerant festivitatis obtentu, si putarentur de proximo ruituræ; turris tamen meridionalis majore solito pandebatur hiatu, quod intuentes quidam de hoc cœperunt conferre sermonem qui et ad canonicos usque pervenit. Vocatur magister operis imminente jam hora tertia, interrogatur si de lapsu turrium esset præsentialiter metuendum et si posset secure conventus sub illis divina officia celebrare: quo constanter affirmante timendum non esse, quidam de discipulis ejus qui præsens aderat, dixit quod nec per horam securum non esset manere sub illis; quem objurgare cœpit magister quasi metum superfluum intentantem canonicis, trabes quasdam ostendens a turre ad turrem protendentes quæ totam eorum machinam ne rueret continebant. Qui cum instantius quæreretur de securitate habenda, nihil nisi certum diceret, quasi quærentium importunitate devictus, dixit: Nihil omnino certum dicere valeo, ignorans quid parent tempora futura. Ad hæc verba quasi quodam mentis præsagio, in hoc fuit consona omnium sententia ut peracta processione quæ instabat, erat enim hora tertia in ecclesia B. Mariæ, quæ de appendiciis ecclesiæ majoris exstitit, missarum celebrarentur solemnia, quod factum est nihilominus more solito, quasi nihil timeretur omnes pulsabantur campanæ, quarum pulsationibus quantum de humana ratione fuerat non nisi fortis machina restitisset, sed dilata est ruina, ut et virtus divina quæ continere potuit, et benignitas quæ apparere voluit, in earum casu repentino evidentius appareret, omni tunc concussione cessante. Porro, loco divina exsequendi officia sic translato, translati sunt et libri qui in usu quotidiano existunt omnibusque qui in armario turri meridionali supposito servabantur, ac si statim turres ruinam facere crederentur. Missarum solemniis expletis jam convenerant canonici ad prandium, cum ecce repentino fragore turris meridionalis concussa corruit in oppositam sibi turrim, ejus basibus penitus a parte interiori comminutis prolapsa.

De duobus adolescentibus. Qualiter miraculose evaserunt.

In quo casu unum exstitit præcipuum dignumque relatu miraculum, quod adolescentes duo, novi operis probitate illecti, prope turrim consistebant labentem, novam fabricam continentes. Quæ cum dehisceret in ruinam, dum pericula vitare cupiunt, magis periculo se supponunt, viam, quæ sub ipsa turri labente patebat, instantius relegentes. Sed dispensatio divina ruinam miraculo continuit quousque fugiendo vitæ propriæ consulerent in statu, et vix in loco stationis tuto quidem, sed adhuc suspecto constiterant, quando turris cecidit supradicta. Exciti fragore populi, fit concursus, stabat adhuc et in solido subsistere videbatur turris aquiloni objecta, cum ecce vix interjectæ dimidiæ horæ spatio ad terram procumbens totam molis suæ congeriem ei, quæ prius ceciderat, superjecit.

Qualiter Dominus clementer et miraculose ruinam distulit in horam opportunam.

In quo id divini constat fuisse miraculi, quod cum humanæ rationis irrefragabile esset argumentum, quod si ita de proximo turrium instaret ruina ad concussionem campanarum et strepitum, quibus juxta solemnitatis exigentiam plus solito nocte ac die vexatæ fuerant et concussæ, potius ruere debuisset. Quod utique sine strage permaxima fieri nequivisset, virtus divina ruinam miraculose distulit ad tempus, horam providens opportunam, in qua, omnibus absentibus, magis sine læsione hominum et periculo fieri potuisset.

Quid pensandum fuerit in hac miseratione divina.

In quo et illud pensandum fuit quanta miseratione nos Dominus vocabat ad pœnitentiam, nolens mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat; qui de tanta mortis instantia nos licet indignos misericorditer liberavit suo tamen servitio mancipatos; qui etiam campanas, de quibus nulli dubium videbatur quin sub tantæ molis ruina communi deberent penitus et confringi, eadem miseratione servavit illæsas. In quo nihilominus liquidum fuit quantæ pietatis visceribus rationabilia complectatur, qui etiam insensatis rebus, sed divinis addictis usibus, benignitatis suæ viscera non negavit.

De crucifixo et altari confratriæ.

Prosequamur adhuc divinæ magnalia potestatis. Erant in navi ecclesiæ choro contigua altaria duo; dextrum sancti Thomæ martyris, quod et de Confratria dicebatur, eo quod pro confratribus ecclesiæ missa ibi quotidie celebretur; sinistrum vero sanctæ Crucis, quæ, etsi turribus a posteriori parte pene

contigua, in parte tamen anteriorem ecclesiæ amplius prominebant, erantque super illa pulpita duo, in quorum altero festivis diebus lectiones, in altero Evangelium legebatur. In eo pulpito, quod erat super altare sanctæ Crucis, erat crux quantitatis non parvæ veterem habens imaginem Crucifixi, mortem Domini exprimentem, quæ a posteriori parte pannum habebat sericum sibi prorsus contiguum et adhærentem, ita ut crucem tangeret undequaque hunc pannum ruina turris, cruce vel imagine penitus illibata, ita minutatim contrivit, quod vix ejus vestigia remanerent, altari nihilominus supposito, et in anteriorem partem ecclesiæ prominentiori, ut dictum est, adeo comminuto, ut nullæ ejus partes sibi invicem cohærerent, pulpito superiori integro remanente. Contra altare confratriæ, de quo superius diximus, quod erat turri meridionali conterminum, nec minus ei suspecta videbatur ruina, incolume remansit et integrum, pulpito quod erat desuper dissipato pro parte.

Quid pensandum in hoc miraculo.

Qua in re pensandum fuit Dominum miraculose ad excitandam devotionem fidelium, et suæ passionis effigiem et locum ubi pro confratribus specialiter divina quotidie celebrantur mysteria, cæteris dirutis, conservare. Quamvis in altare majus ruina proveneri, frontemque ejus et latera multo aggere repleverit, ei tamen fuit innoxia; excepto quod pannum sericum pretiosum quidem, quod ob diei solemnitatem in fronte ei fuerat antepositum, dissipavit penitus et disrupit, capsæ quæ erant altari suppositæ, sanctorum pignora continentes, permanserunt prorsus intactæ.

De miraculo libri in quo legebatur ad Primam.

Liber in quo legebatur ad Primam sanctorum Patrum regulam et catalogum sanctorum continens, et quidam alii libri ad missam necessarii, cum arca in qua reponebantur in medio chori, sub eadem ruina fuerunt oppressi. Arca fuit penitus comminuta, libri circiter mensem vel amplius fuerunt sub ruina imbribus expositi, qui, tunc hiemali tempore, uberius profluebant. Tandem remoto aggere, inventa est arca minutatim confracta, et libri asseribus integris in nullo ruinæ vel pluviarum sensisse dispendia, nisi quod parum erant pulveris aspersione fuscati; qui tamen levi excussione discessit. Quis in tanto miraculorum spectaculo non stupuit? quis se de tanta mortis septum voragine considerans non expavit? Quis divinæ virtutis magnalia quibus potuit laudibus non extulit? Quis pro tam manifesta Conditoris clementia in gratiarum actiones cum lacrymis non prorupit? Ad removendum aggerem sacerdotum dictæ plebis excitata fervebat devotio. De utraque vero turri supererat paries exterior ex ruina; is autem, qui de turri meridionali remanserat, fissuram fecerat et hiatum, qui semper instantem minabatur ruinam. Nihilominus tamen plebs devota, cæterive mercede conducti circa removendum aggerem desudabant; nec obstabat studiis ruinæ periculum imminentis.

De miraculo ejus qui sustulit tunicam sub ruina.

Die quadam cum ad removendam aggeris congeriem in ea parte in qua fissus paries erat proclivior ad ruinam usque ad horam vespertinam instantius laborassent opusque ferveret, pars illa parietis quæ lapsum minabatur cœpit repente dissolvi. Quo viso clamor oritur astantium, ut qui de subtus instabant operi, fugæ velocius consulerent, quibus fugientibus, unus tunicam dimiserat, ad quam tollendam omnibus ut fugeret clamantibus, est reversus; suspensa est ruina, divina faciente virtute, quousque ille tunicam sustulisset. Quæ ingenti lapsa fragore, extrema ejus tangens vestis, sic innoxia cecidit super aliam ruinæ congeriem ut nihil omnino secum traheret in ruinam. O ineffabilis divinæ miserationis bonitas, quæ sic perituros ad pœnitentiam reservabat, et ad devotionem cunctorum animos informabat! Digressi sumus paululum, sed non abs re, quoniam opera Dei, juxta verbum Sapientis, præclarum est enarrare. Nunc ad stadium recurrentes ad ea, quæ restant, stylum revertamus.

Qualiter translatus est ad Ecclesiam Parisiensem.

Guillelmus igitur, de quo nobis sermo, cum in episcopatu Antissiodorensi, quem strenue rexerat, annum jam ageret quartum decimum, et post multos tam erga Herveum Nivernensem quam erga Petrum Autissiodorensem comites, necnon et contra dominum regem agones feliciter superatos posuisset omnia in tranquillo, complacuit in eo domino ne ignavo torperet otio per quietem, ipsumque vacanti Parisiensi Ecclesiæ, quæ suo apud Damietam defungente pastore, Petro videlicet, per eligendi scissuram aliquandiu laboraverat, tandem præfecit renitentem utique et invitum, et apud summum pontificem Honorium supplicantem, quem propter hoc personaliter, ne cogeretur, adierat non sine magno corporis periculo, imminentibus jam æstivis fervoribus circa nativitatem beati Joannis, qui sibi, utpote attenuato et cholerico, et qui a calore facillime pateretur, nimis contrarii existebant. Apud quem tamen non profecit quin compelleretur Parisios transmigrare, ut ibi præesset ea sollicitudine ac vigilantia quam ipsum in Antissiodorensi episcopatu habuisse constat at.

In quo statu dimiserit episcopatum Antissiodorensem in discessu suo.

Porro discessurus Parisios, episcopatum Antissiodorensem in temporalibus ampliatum, abundantem utique, et plenum, absque debitorum onere, factis melioribus ejus conditionibus tum quoad regalia, ut præmisimus, tum quoad alia quamplurima, dereliquit; episcopalia domicilia omnia culcitris, feno, variis utensilibus et supellectili, torcularibus etiam, vasis vinariis non paucis, ubi necesse erat, doliis scilicet et cuppis capacitatis immensæ abundanter

referta. Capellas insuper singulas libris, calicibus et vestimentis plene dimisit ornatas.

De his quæ reliquit ecclesiæ in recessu.

Indumenta episcopalia quæ ad usum præcipuarum solemnitatum specialiter reservabat, mitram pretiosissimam auro gemmisque non paucis ornatam, quæ margaritæ, sive perlæ usitata locutione vocantur; pelves duas argenteas, et insuper deauratas, circiter octo marcarum in pondere, opere mirifico decoratas, cophinos miræ pulchritudinis et ornatus, aliaque hujusmodi in usus sacros necessaria ecclesiæ, unde transferebatur, reliquit; et quod omni thesauro pretiosius est, cum quibusdam aliis sanctorum pignoribus, digitum beati Protomartyris visibilem cum vase argenteo miri decoris, quod a Constantinopoli fuit allatum, crucemque auream permodicam quam quædam procul dubio ligni Dominicæ crucis particula visibiliter in auro conclusa, super aurum et topazion efficit pretiosam.

De domibus suis, de porta pendenti, et cruce et calice aureo.

Capitulo domos nobiles, quas habebat portæ pendenti contiguas cum pertinentiis suis, et vineam, quam totam de novo replantaverat in territorio sancti Gervasii, eidem annexam domui, eadem liberalitate concessit, ut qui ea tenuerit in anniversario suo canonicis et clericis de choro centum solidos annuatim exsolvere teneatur. Dedit præterea illas novem marcas auri ad crucem et calicem faciendum, de quibus fecimus superius mentionem.

De his quæ reliquit successori suo episcopo Antissiodorensi.

Successori suo in omnibus domiciliis episcopalibus fenum in abundantia, domosque utensilibus ac supellectili, quemadmodum prælibavimus, diversa munitas, vinumque illius anni in universo et partem talliarum non modicam dereliquit.

De his quæ contulit ad fabricam ecclesiæ Antissiodorensi in recessu suo per totum annum.

Ad fabricam ecclesiæ partem assignavit aliquam talliarum in cujus impendia singulis hebdomadis centum solidos dedit ad minus per annum integrum post discessum. Sed quid latius in talibus immoramur, et tendimus in longum membranas, dum singula conamur vel breviter delibare; in summa dicere possumus: nudam pastore ecclesiam fere nudus reliquit.

Quod noluit præjudicare capitulo, ut cum ejus consilio fieret electio successoris Antissiodorensis.

Illud quoque non arbitramur prætereunter silendum, quod cum sedem apostolicam personaliter adiisset pro obtinenda licentia ut in Antissiodorensi Ecclesia remaneret, nec ad aliam transferretur, et non profecisset supplicando, respuit profecto quod ei Romana concedere volebat auctoritas, videlicet cum ejus consilio in Antissiodorensi ecclesia fieret electio successoris, nolens ut capitulum libertate eligendi absoluta in aliquo privaretur.

Quanti fuerit dispendii ecclesiæ et civitati Antissiodorensi ipsum discessisse, et quæ mala contigerunt ecclesiæ post ejus discessum.

Quantum autem ipso discedente amiserit non solum ecclesia, sed et civitas universa, patuit in discessu; nam et civitatem et ecclesiam invenerunt mala multa, tanquam sui liberatorem Othoniel videlicet amisissent. Comes enim Herveus, vir quidem oppressor hominum, et crudelitate formidabilis, qui in ipso episcopatu Antissiodorense præsidente et ipsi in facie resistente, aspirans frequenter ad hujusmodi non profecerat, ipso adhuc in Romano itinere laborante, cum de ejus translatione certissime per nuntios cognovisset, vi armata civitatem Antissiodorensem non audentibus resistere rivibus occupavit, et in suam ditionem redegit, cum de morte comitis Petri qui in captione a Comneno in partibus Græciæ, ut prædiximus, tenebatur, nihil adhuc pro certo constaret. Qui, cum proficisci deberet Constantinopolim, episcopo recommendaverat civitatem, cujus Hervei ingressus tanto omnibus erat suspectior, quanto ille atrocior habebatur.

Is, post discessum Willelmi prædicti, in unum hominem episcopatus, qui Antissiodoro ad villam episcopalem Giacum, videlicet cum multis aliis qui tempore ejusdem Guillelmi illo demigraverant, transierat ad manendum, suæ primordiæ tyrannidis exercuit; quem clanculo captum et abductum tandem restituit. Sed ipsa nocte qua redditus fuit, apud Geiacum permanere non est ausus, sed Antissiodorum sub justitia comitis est reversus. Ad cujus exemplum cæteri, qui apud Giacum sub episcopo transierant, Antissiodorum redierunt, licet cives metu comitis diffugerent de civitate eadem; hominem quemdam capituli clam abductum similiter clam emunxit qui restitutus ab eo nunquam palam de sua emunctione etiam juramento astrictus ausus est confiteri. Multa fecit et alia hujusmodi opportunitatem nactus ecclesiæ, quæ discedenti Guillelmo Parisios in suæ virtutis robore solida non manebat, eodem quoque tempore non solum ab eo, quoniam post modicum migravit a corpore; verum a circumjacentibus multa passa est ecclesia, substracta sibi velut columna, quæ totum continebat ædificium, episcopo supradicto. Nam Regnaudus Rungefer, miles non magnæ quidem potentiæ, dissimulantibus principibus, qui habebant tueri ecclesiam, successorem ipsius Henricum, magnæ quidem benignitatis et simplicitatis virum, atrocius infestavit. Qui proprium ejus clericum custodem utique domorum episcopalium de Varziaco capiens et inhoneste pertractans, diu in captione detentum, homines quoque prædasque terræ episcopalis abducens, castrum ipsum Varziacum videlicet violenter effregit, et damnificavit episcopatum in quingentis libris, et amplius factus audacior ad inermes, nemine defendente.

Eadem tempestate miles quidam Gregorius, et

cujus pater in genere suo primus de ignobili cingulum acceperat militare, Petrus scilicet de Brullato, decanum cepit Ecclesiæ, et ultra Ararim, in Bufresiam videlicet extra regni fines usque ad..... productum diu tenuit carcerali custodiæ mancipatum. Quidam etiam malefici de nocte armati claustri, et ecclesiæ immunitate effracta, canonicos et clericos qui ad matutinale officium convenerant, per Ecclesiam eductis gladiis fugaverunt, unum ex eis quem vulneraverunt, altero equorum pedibus conculcato, ipsam sanguine profanantes, nec minus equorum fimo fœdantes, nec dabatur miseris requies, cum vel a nobilibus viris Drogone de Meloto, Stephano de Basso, domino de Arseio, aliis nihilominus militibus sive armigeris circumquaque quos aut privata malitia, aut præsumptuosa temeritas, aut avara paupertas excitabat, non solum ad prædas, imo etiam plerumque ad cædes, oppressiones fierent hominum ecclesiæ, aut irruptiones villarum, et non erat auxiliator.

De his quæ gessit in episcopatu Parisiensi.

Nunc de his quæ gessit Parisiis Guillelmus prædictus, pauca, quæ nobis occurrunt de multis, breviter perstringamus. Eadem longanimitate et constantia, qua frater ejus Manasses Aurelianensis episcopus, de quo prædiximus, adversus regem regalesque ministros ecclesiæ jura prosequens, controversias quæ usque tunc metu regio per episcoporum dissimulationem remanserant indecisæ, tum quod jus quoddam quod ecclesia in castelludo regis de parvo ponte scilicet habere debebat, tum super halis apud campellos a domino rege factis, tum super justitia et mensuris de territorio quodam apud sanctum Victorem, quod feodum clausum Brunelli dicitur, ad concordem concordantiam per compositionem redegit. Cujus obtentu, rex Philippus, qui tunc agebat in sceptris, redditus annuales viginti librarum Parisiensis monetæ episcopo ejusque successoribus et centum solidos capitulo in perpetuum assignavit, sic igitur procurante jura regni ac sacerdotii distincta per compositionem initam regali et episcopali instrumento, et capituli etiam inde confecto, ut super præteritis usque ad illum diem non possit iterum controversia suboriri quorumdam scholarium sicariorum, qui de nocte incedentes armati raptus, adulteria committentes, et furta, et cædes plerumque, vel flagitia, pacemque non solum scholarium et securitatem, sed et civium ipsorum turbant, sic exterminavit de villa, ut quosdam quasi hujusmodi præcipuos sicariorum in carcerem præcipuum retruserit, quosdam exterminaverit, pacemque ac securitatem toti a talibus reddiderit civitati. Cui non solum noctes, sed et dies ipsi valde erant suspecti. Multa gessit in episcopatu præclara ac perpetua digna memoria, quæ vel vobis ignota relinquimus, vel propter legendi fastidium subticemus. Nunc de beato ejus exitu, quoad nostram pervenit notitiam, disseramus.

De beato ejus exitu.

Is, cum Parisiensi cathedræ tribus annis et fere dimidio bene et laudabiliter præfuisset, et tranquilla omnia fere, excepta causa scholarium, qui jurisdictioni ecclesiæ suæ et cancellarii in quibusdam se emancipare volebant, quædam sibimetipsis auctoritate propria statuta condentes, ac sibi jus condendi hujusmodi in præjudicium episcopi et cancellarii, ut credebat episcopus, attribuere laborantes, chronica tandem quartanæ fractus valetudine, ex quo frater suus Manasses sæpe dictus de hac vita migraverat, demum cum jam convaluisse videretur de quartana febre correptus continua, licet lenta, domui suæ disposuit, veluti illa ægritudine consummandus, vocatisque pridie quam defungeretur majoribus de capitulo suo apud sanctum Clodoaldum villam episcopalem, ubi decumbebat infirmus, virisque religiosis, abbate videlicet sancti Victoris domino Radulpho de Hospitali, sociisque astantibus, mortis suæ diem prædixit, et apud Pontiniacum locum Cisterciensis ordinis, ut ad majores suos, qui ibi tanquam loci fundatores dormiunt, se tumulari præcepit, ac sequenti de divinis omnes qui aderant informans et eloquiis, seque eorum orationibus recommendans, canonicos etiam præsentes Ecclesiæ Parisiensis sedulo ad concordem electionem exhortans, colloquendo, inter manus religiosorum extremum emisit spiritum, ut de die mortis suæ prædicentis veritas probaretur, sicque apud Pontiniacum, prout præceperat, deportatus et tumulatus in capella B. Thomæ martyris ante principale altare beato in Domino fine quievit. Mortuus est autem in festo B. Clementis apud sanctum Clodoaldum, de quo jam supra diximus, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo tertio, regnante Ludovico circa initia regni sui. Sedit vero in episcopatu Antissiodorensi circiter tredecim annos et dimidium, Parisiis vero circiter tres annos et dimidium fere sub Romanis pontificibus Innocentio III et Honorio III, regnantibus in Francia Philippo et Ludovico, de quo superius fecimus mentionem. Explicit de Guillelmo.

CAP. LX. *De Henrico qui fuit oriundus de pago qui dicitur Villanova, in Parisiensi diœcesi.*

Huic successit Henricus de pago qui Villanova dicitur, in Parisiensi diœcesi oriundus, qui prius cantor Antissiodorensis ecclesiæ. Postea, per illam electionis formam, quæ a jure compromissio dicitur, pontificalem cathedram adeptus est. Quem mediocrem genere nec inflavit nobilitas, nec vilitas abjecit; in quo licet virtus mansuetudinis a plerisque diceretur modum excedere, jura tamen episcopatus rigore justitiæ sic illæsa servavit, ut tyranni, qui ea sibi usurpari consueverant, ea compellerentur restituere, et a suæ tyrannidis violentia cessare. Iste est qui munitionem castro, quod Varziacum dicitur, præjudicialem a viro potente, nobili, atque ecclesiæ Antissiodorensi inimico, Galchero de Puigniaco, acerrimo persecutore, in loco, cui Becherellum voca-

bulum est, ædificatam fecit destrui, et non sine sui et suorum grandi periculo funditus everti. Cujus temporibus panis unicus servitoribus beati protomartyris distribuebatur, sed ipse de propriis facultatibus, secundum addidit; insuper et mille libras Parisienses ecclesiæ in extremo contulit testamento. Hic ecclesiam beati Protomartyris donariis ampliavit, corda canonicorum in suum favorem mansuetudine inclinavit, inimicos Ecclesiæ ad concordiam reduxit; et post cursum vitæ præsentis, in pace in idipsum dormivit et requievit (*Psal.* IV, 9). Hic in loco qui Pulcher Redditus dicitur, morbo squinanciæ labores præsentis militiæ consummavit, dormivitque cum patribus suis senex et plenus dierum. Qui in ecclesia B. Protomartyris sepultus beatam exspectat sanctorum resurrectionem, bravium, ad quod cucurrerat ut comprehenderet, percepturus. Sedit annis tredecim mensibus quatuor.

CAP. LXI. *De Bernardo de Soiliaco.*

Supradictis Patribus Bernardus de Soiliaco, vir eximiæ sanctitatis, successit; qui et multos prædecessorum sancta simplicitate et simplici sanctitate præcessit. Qui cum generis nobilitate polleret, morum tamen præcellens nobilitas sic eam pallio humilitatis obtexit, ut secundum Apostolum non alta saperet, sed humilibus consentiret (*Rom.* XII, 16). Cujus veneranda canities, vultus serenitas, verecundus aspectus, ordinatus incessus, sermonis modestia, casta conversatio, mensæ frugalitas, argumenta virtutis interius redundantis efficacissima ministrabant. Et quia lucerna sub modio abscondi non debuit, sed super candelabrum poni, ut ingredientibus domum lumen refunderet (*Matth.* V, 15), primo a supradicto venerabili Patre Hugone de Noeriis Antissiodorense antistite præbendale beneficium in Antissiodorense ecclesia consecutus est, ubi sacerdos effectus adeo se divinis officiis mancipavit, quod sicut ipsi propriis oculis vidimus, diu noctuque vix unica hora præteriit, quæ non per ejus labia devote transiret, excepto quod festivis diebus populis ad ejus sermones manicantibus sacræ fluenta doctrinæ devotissime atque copiosissime influebat, ut stigmata Domini jugiter in suo corpore portaret (*Gal.* VI, 17); jejuniis et orationibus insistebat, cilicio semper intrinsecus inhærente. Cæterum, ut hîc non manentem civitatem habere, sed futuram inquirere demonstraret, et cum Apostolo experiretur pericula fluminum et latronum, cæterorumque duodecim incommodorum, quæ Apostolus ad Corinthios loquens se expertum fuisse commemorat (*II Cor.* XI, 26, 27), Hierosolymam petiit, ubi tanta lucerna abscondi non potuit, imo sanctitatis ejus in illis partibus adeo radii effulserunt, ut in Nazarenum archiepiscopum eligeretur, et cunctis aliis etiam sanctitate præclaris præferretur. Sed sublimitatem parvipendens humilitas in se conversa, plus elegit modicitatem servare quam in sublimitatis periculis pendere.

Itaque reversus ad propria et scipso semper melior effectus in Antissiodorensem archidiaconatum promotus est, ubi tanta sollicitudine animas A curandas suscepit, quod attendens de pascendis agnis et ovibus ter Petro repetitum mandatum (*Joan.* XXI, 16, 17) pavit eas doctrina, exemplo atque subsidio temporali, quibus jugiter insistens die noctuque, æstu urebatur et gelu, fugiebatque somnus ab oculis ejus. Igitur Heinrico tunc temporis Ecclesiæ Antissiodorensis antistite viam universæ carnis ingresso, et ad providendum ecclesiæ de pastore invocata Spiritus sancti gratia electoribus congregatis, mira res accidit, et nostris temporibus in Gallicanis Ecclesiis inaudita; nam multitudinis electorum adeo cor unum et anima fuit, ut omnes uno spiritu conclamarent archidiaconum debere præfici quem Dominus prærogativa donaverat sanctitatis. Cunctorum igitur in ipsum concurrentibus votis, invitus B rapitur, repugnans trahitur, nolensque cogitur consentire. A tempore autem illo, quo in episcopum consecratus est, carnem suam tanta austeritate damnavit, quod feriis secunda, quarta, sexta, et septima escis quadragesimalibus ejus jejunia solverentur, nisi forte labor aut infirmitas aliquid lautius indulgeret. Tanta vero ad Christi pauperes erat ejus affectio, ut secundum doctrinam Tobiæ, quo modo potuit, semper fuit misericors (*Tob.* IV, 8). Cum enim ei adfuit multum abundanter tribuit; cum autem modicum, et illud misericorditer studuit impertiri. Nos enim ipsi experimento frequenter didicimus quod sibi mensæque suæ sodalibus frequenter substraxit, unde pauperum esuries levaretur. Ipso audiente atque patienter sustinente murmurabant C servientes, murmurabant et socii pro deliciarum defectu, et mensæ divitis parcitate, sed illæsa conscientia erga divites parcitati insistens, minus grave sustinuit ab eis de avaritia notari quam in judicio pauperum querimonias sustinere, nisi eis secundum doctrinam Evangelicam, quod superest, in eleemosynam contulisset (*Luc.* XI, 41). Adeo etiam vana mundi gloria ei exstitit odiosa, quod, sicut a fide dignis pauperibus plene perpendimus, illis quibus largiebatur eleemosynas, ne cui diceret, inhibebat.

Ecclesiam vero beati Protomartyris tanto favore prosecutus est, quod eam luminaribus atque omnium ornamentorum genere ampliavit; insuper auxit et redditus canonicis et clericis horis matutinalibus D dividendos. Cæterum sic viæ ejus Deo placuerunt, quod inimicos ejus ad tantam pacem reduxit, ut profiterentur tyranni, qui prædecessorum ejus temporibus terram episcopatus invaserant, frequenter se ideo ab invasionibus cessare, ne si ipsum offenderent, Deus in ipsos continuo visibiliter vindicaret. Cujus fama sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, ad aures illustrissimi regis Franciæ Ludovici adeo spiraverat, ut præ cæteris prælatis ipsum familiarem haberet, et simplicitati ejus dulciter arrideret, et ejus negotia propensius expediri imperaret. Verum cum eum gravius solito infestare cœpissent senectutis incommoda, et jugis tibiarum infirmitas, quæ a medicis malum mortuum nuncupatur, eum affligeret, timens ne cum istis oneribus

episcopatus onera sufficienter ferre non posset, licet sicut ex ipsius regis ore frequenter audivimus, Rex eidem promitteret quod episcopatus jura tanquam propria tueretur, nihilominus ab Innocentio Romanæ sedis antistite instanter petiit, et cum difficultate magna obtinuit ut ab eo, quo ecclesiæ Antissiodorensi astrictus fuerat, vinculo solveretur. Quo facto omnis temporalium sollicitudo abjicitur, et totum spiritum in seipsum reflectens, solius conscientiæ curam gessit. Cujus quies sola contemplatio, cujus confabulatio jugis oratio, et cum viris religione famosis, continuus de sancta conversatione tractatus. Quid plura? prædictæ infirmitatis atque senectutis incommodis febris adjicitur; prosternitur corpus in lectulum; offerunt medici naturæ contra morbos remedia, quibus raro et paucis utitur, et his solis quibus eum uti Fratres prædicatores et minores, qui assistebant eidem, cum magna violentia compulerunt.

Tandem cum post prolixum cum supradictis Fratribus de sancta religione tractatum aliquantulum pausasset, ut eum crederent astantes dormire, pretiosam resolutus est in mortem; ea serenitate Deo spiritum reddidit, ut omnibus membris quietus, vultu serenus, nullius omnino doloris insignia in extremo mortis articulo indicaret, et qui in infirmitate spoliari renuerat, mortuus spoliatur; amovetur hærens carni cilicium, quod tanta pediculorum ac vermium scatebat copia, ut horrorem aspectui et fœtorem olfactui inferret immensum, cujus caro vermibus corrosa ossium per loca nudum præbebat aspectum. Igitur pontificalibus gleba sancta induitur, feretroque imponitur, atque a loco, qui pulcher Reditus dicitur ubi mortem perdiderat et vitam invenerat, ad ecclesiam Antissiodorensem ubi sepulturam elegerat, defertur. Occurrit ei devotus civitatis clerus cum populo; ruit in occursum ejus turba indiscretæ ætatis et sexus, et certatim feretrum tangere cupiunt. Se prærogativa quadam cæteris præferebant qui manu feretrum tetigissent, vel sericis quibus tegebatur osculum dedissent. Divinis igitur celebratis exsequiis canonici et clerici ad ipsum concurrunt, et quotquot contigit præintrare, sacræ glebæ pedes manus aut faciem osculantur, nec ideo ut in funeribus cæteris moris est, Deo et sanctis angelis animam recommendant, sed precibus devotis flagitant, ut apud divinam, cui devote servivit, clementiam, eis ipsius merita suffragentur. Dormivit autem cum patribus suis prædictus Pater anno Domini 1244, mense Januar., die 6 mensis. Sedit annis novem.

Præsul Bernardus mala semper ad omnia tardus,
Sic vivens domuit cum carne et dæmone mundum
Quod moriens meruit Christo se reddere mundum.
Anno milleno bis centeno quadrageno
Quarto sanctorum migravit luce magorum.

Cap. LXII. — *De Regnaldo de Siligniaco.*

Huic successit Reginaldus de Siligniaco, prius ecclesiæ Antissiodorensi decanus, postea per illam electionis formam, quæ a jure scrutinium nuncupatur, in episcopum promotus; vir quidem corporis statura procerus, candidus et rubicundus, et pulchritudine corporali electus ex millibus, cui generis nobilitate sublimi secundum exigentiam nobilitatis generis datum est cor sublime et nobile. Nam clericorum nobilium, necnon et militum frequentiam diligebat, et larga manu, prout nobilitatem ejus decebat, eis exenia erogabat. Hic ecclesiæ Antissiodorensi se magna pollicebatur facturum, sed ejus felicitati fatis invidentibus, sicut flos feni cito decor ejus emarcuit, et ejus gloriam succidit Dominus, dum adhuc ordiretur (*Isai.* XXXVIII, 12): ab ipso enim suæ promotionis die adeo gravis eum afflixit infirmitas, ut nec ecclesiæ suæ liceret cum vacare utilitatibus, sed eis solis de medicorum consilio dare operam oportebat, quibus ejus infirmitas levaretur. Dormivit autem et appositus est ad patres suos in cœnobio de Rupibus Antissiodorensis diœcesis honorifice sepultus, ubi suam elegerat sepulturam. Sedit anno 1, mensibus 11, diebus 16.

Cap. LXIII. — *Acta domini Guidonis de Melloto episcopi Antissiodorensis.*

Recolendæ memoriæ successit episcopus Guido de Melloto, cujus gesta tanto seduliorem sibi vindicant auditorem, quanto altiora et actu nobiliora fuisse noscuntur. Fuit enim de diœcesi Antissiodorense ex utroque parente generoso sanguine procreatus. Pater ejus fuit Guillelmus de Melloto, miles dominus castri sancti hujus Prisci hujus diœcesis, vir totius curialitatis et largitatis amator, mensæ propriæ communicator hilaris, pauperum nobilium sustentator, qui etiam, sicut fertur, acquisito cognomine ex rei consonantia et quadam proprietate boni, a plerisque Pacisbajulus vocabatur. Nam quoties inter aliquos confines suos discordiam exortam cognoverat, toto nisu ad pacis reformationem intendens, laborem interponere non cessabat, donec discordes, si posset, ad concordiam revocasset. Mater ejus de prosapia dominorum montis sancti Joannis traxit originem et antiquæ nobilitatis stemmate fuit non inferior viro suo.

Horum itaque natus præsul, de quo loquimur, a puericia ludo litterarum traditus sic profecit, quod primo in fundamento grammaticæ radicatus, liberalium artium fuit auditor proficuus, ac deinde utriusque juris canonici videlicet et civilis acquisita notitia, sacræ Paginæ postmodum, quoties licuit, diligens existit revolutor. Sed ejus propositum in hac parte negotiorum ecclesiasticorum occupatio frequentius impedivit, in adolescentia quippe moribus et dogmatibus se exornans spretis lasciviis, membris incultis, et incomptis crinibus, compositione corporis, sicut mos est nobilium juvenum, non vacabat. Quamobrem patri minus charus inter liberos habebatur; sed Altissimi dispositio, qui sibi eum reservabat futurum antistitem, decultum ejus adeo processu temporis exornavit, quod filios

sapiens patris gloria, mutato nomine filii a patre, pater et dominus habitus est, et quasi incurvati sunt coram eo filii matris suæ. Erat enim vir statura procerus, corpore bene compositus, corde magnanimus, ecclesiasticæ rei augmentator industrius, providus dispensator publicæ utilitatis, et plebis tutator indefessus, in sermone modestus, in oratione devotus, in altari angelicus, cujus cantus melodice reboans, velut tuba sonora, replebat aulam Dei, et spiritibus dulcisonis animos audientium delectabat. Nec minor consilio in conciliis et collegiis prælatorum corporali venustate cæteris præeminens, venerando gestu et imperioso quodammodo prædominari videbatur aspectu; si quid autem incumbebat judiciali disceptandum examine coram ipso, seu aliud ordinandum, persuasionibus et rationibus facilem ac sedulum præbebat auditum, et audita dijudicante revolvens animo, libransque omnia, nihil ex præcipiti faciebat.

Unde hunc ab ipsis discretionis suæ primordiis morem contraxerat, ut agenda sua tanta deliberationis fornace decoqueret, multis sibi hæc ascribentibus lenitati, quod interdum, sed raro, dispendioso peragi contingebat exitu quæ maturato compendio potuerant expediri, et licet esset in negotiis et rebus prospere gerendis sollicitus, vix tamen unquam sæcularium occupationum frequentia tanta fuit, cui divinum obsequium hora debita non præferret. Erat siquidem illi quasi moris innati justitiæ exercere rigorem, bene meritos renuntiare, maleficos punire, ita quod quandoque non ex typho malitiæ, sed ex zelo justitiæ virgæ mansuetudinem aliquantulum excedebat, oppressis compati, supplicibus parcere, humiles exaltare, superbos deprimere et debellare rebelles: et hac fuit insuper a Domino felicitate donatus, quod in omnibus quæ pro honore Dei et juribus ecclesiarum suarum aggressus est semper victoriam dedit illi Dominus, et ejus opera cum gratia et favore direxit.

Qualiter cives Virdunenses expugnavit.

Anno ætatis suæ tricesimo secundo, vel circa, vocatus per electionem canonicam ad regimen Ecclesiæ Virdunensis, quanquam de ipsius gremio non esset, et in episcopum consecratus, retento nihilominus ex dispensatione decanatu Antissiodorensis ecclesiæ quem prius obtinebat, intellexit quod omnimoda jurisdictio, spiritalis videlicet et temporalis, civitatis et civium Virdunensium ad episcopum pertinebat, et quod prædecessores Virdunenses episcopi, longe retroactis temporibus, eam diu pacifice possederant pleno jure, sed per incuriam, aut impotentiam quorumdam, qui immediate præfuerant, pontificum, cives astuti jurisdictionem civitatis temporalem et jura episcopalia in multis usurpaverant, necnon majores et scabinos creaverant, per quos eadem civitas iis temporibus regebatur. Imposuerant quoque publicas exactiones et pedagia, ex quibus se rempublicam gubernare murosque et mœnia civitatis fortificare dicebant. Quibus ad suam præsentiam evocatis, ipse ut erat prudens animo secundum doctrinam evangelicam, primo per seipsum in blandis sermonibus et dulcibus inductivis ipsos et charitative monuit et rogavit, et postmodum per alios magnos et sapientes diligenter interpellari fecit, quatenus jurisdictionem ecclesiæ taliter usurpatam et jura episcopalia quæ subtraxerant, ecclesiæ restituerent, et præsumendis similibus abstinerent. Quod surdis auribus obaudientes efficere recusarunt, prætendentes sub ficta verborum suavitate, sicut moris est patriæ, excusationes multiplices in peccatis. Deinde via regia compulsus procedere ipsos canonice prænonitos et superbo oculo parere monitis recusantes excommunicationis mucrone percutit, quam sicut juris erat adeo aggravatam ut in personas ecclesiasticæ censuræ nervus progressibilis ultra non esset, sustinentes animis obstinatis et ex correctione pertinaciores effecti, ibant ab obice leviores; videns autem nequitiam ipsorum in quibus ab antiquis progenitoribus usura et dolus viguerant et vigebant, prævia deliberatione cum solemni processione cleri totius civitatis villam exiens et corpus Christi faciens extra ferri, civitatem ipsam et homines generali supposuit interdicto, dimissis ibidem sacerdotibus aliquot tantummodo ad pœnitentias morientium et baptismata parvulorum, et suspicans quod contra ipsum libenter sinistrum aliquod molirentur, si possent, sese in castra et munitiones episcopatus recepit; ipsi autem ex his indignantissime provocati, spiritu rebellionis assumpto, cœperunt non recte cogitare qualiter injuste justum possent opprimere. Sicque factum est quod die quadam communi definitione inter se habita et edicto publice proclamato exierunt civitatem armati in fragore nimio et tumultu pompatico omnes a juvene usque ad senem armorum gestabiles, et debellare valentes cum militibus conductitiis numero quasi duodecies mille æstimabiles ad terram episcopatus vastandam, inter quos, ut fertur, quidam ducatorum et major eorum in vituperium pontificalis honoris mitram episcopalem galeæ supra-positam deferebat.

Eadem vero die episcopus cum quibusdam suis armatis exierat Charniacum castrum ad prædandum, ut creditur, animalia quæ cives extra civitatem immiserant depascenda; sed a longe prævisis hostibus sui generis comitiva quæ non procul aberat et pro qua mandaverat, convenisset ad illum, quibus congregatis numero paucis, videlicet trecentis æstimabiliter viris et non pluribus, ut creditur, militiæ tamen peritis et armorum industriis circumspectus episcopus habito brevi consilio cum eisdem occupato promontorio circumcludens adversarios belli indoctos et opposito soli suppositos et tam prudenter quam potenter cum suis irruens in eosdem omnipotenti Deo qui docuit manus suorum ad prælium causam suam tuente, non tam victoriose quam miraculose devicit eosdem ut erectum male verticem rebellantium in delictis suo fremitu con-

culcavit, quibusdam in fugam conversis, aliis gladio corruentibus et cæteris captis ductis. Fuitque captorum numerus capientium multo major, in quo conflictu sacerdotalis ministerii et pontificalis modestiæ non oblitus lethaliter nullum læsit, sed animando et exhortando suos ad pugnam plus officio linguæ quam ipsis manibus profecit ad pugnam, obtentaque victoria, ad castrum unde exierat cum gaudio regressus est. Paucis autem decursis diebus cives virga correctionis e'octi, quos paulo ante mansuetudinis monita flectere nequiverant, pacem cœperunt inquirere et mediantibus bonis ad hanc concordiæ formam deventum est quod jurisdictione omnimoda temporali et juribus Ecclesiæ restitutis decies mille libras episcopo pro damnis et sumptibus exsolverent, seditque episcopus civitatem ex tunc in tranquillitate regens, cui tantum præfuit anno uno.

Qualiter ad Ecclesiam Antissiodorensem translatus domum Regnaudi Rongefer militis de montibus expugnavit.

Elapso deinde aliquanti temporis intervallo, bonæ memoriæ Regnaudo de Salligniaco Antissiodorensi episcopo, rebus humanis exempto, ad Ecclesiam Antissiodorensem, in qua decanatum retinuerat, ut prædictum est, tam per electionem quam postulationem canonicam auctoritate apostolica interveniente cum lætitia magna populi et cleri translatus est, ubi qualiter rexit, quæve gesserit, satis operum suorum evidentia declaratur, de quibus aliqua brevi chirographo perstringamus. In ejus siquidem novitate miles quidam Regnaudus nomine, dictus Rongefer, antiquum et depressum statum domus suæ de montibus prope Varziacum castrum episcopatus, sitæ in Castellania, domum castri latenter immutans et in forteritiam tentans erigere, muris eam novis et fortibus inter cætera lignea et vetera dictæ domus circumcingere clam incœpit : quod in grave dispendium episcopatus et perpetuum villæ et hominum de Varziaco nocumentum posset successivis temporibus redundare, si cœptum opus pro desiderio consummas et ; quippe cum locus ille de montibus de nativo situ pro majori parte difficilis et fortis existat, et miles ille vicinorum injuriosus et consuetus oppressor, villam et homines Varziaci jamjam pluries infestasset. Quo comperto memoratus episcopus præfato militi quasi nuntians novum opus injunxit eidem ut ab opere cœpto desisteret, et quidquid novi construxerat demoliri faceret, cum de consuetudine generali castrum aliud infra Castellaniam aliquam approbatam, invito superiore noviter exstruere non liceret ; sed miles obstinatus et omnia vilipendens, ab opere quod patrarat nihilo magis conquievit. Episcopus autem animi roboratus constantia invocato brachio potestatis sæcularis, domum ipsam obsidens et paucis diebus expugnans, quidquid novæ et veteris invenit fortaritiæ dirui fecit penitus et subverti, sicut adhuc ruinosum structuræ vestigium cernentibus attestatur. Quamobrem miles nequam pluries vitæ episcopi latenter posuisse fertur insidias quas tamen intrepidus et hoste multo potentior, si armorum præsidio vellet uti, opitulanti Deo caute semper evasit.

De facto Robini clerici Caprarii.

Contigit quod cum clericus quidam nomine Robinus Caprarii, de facto relegatus ad tempus ab Antissiodoro sub pœna capitali per laicam potestatem, inscio forte prælato tunc temporis existente, parentela Suavium de Antissiodori procurante, nec dum, ut dicitur, finito relegationis termino, Antissiodorum rediisset, per sæcularem iterum comprehensus justitiam ad instantiam eorumdem Suavium furcarum suspendio publice traditus est, quanquam idem venerabilis Guido tunc præsidens Ecclesiæ Antissiod. ipsum prius tanquam clericum sibi restitui pluries cum instantia postulasset. Quam ecclesiæ injuriam ad audientiam felicis recordationis Innocentii papæ tertii tunc residentis Lugduni per appellationem delatam demum non sine multis et expensis succumbentibus adversariis ad honorem Dei sic ultus est, quod cum universali clero ac populo civitatem et suburbium processionaliter exiens, Lebino tunc præposito Antissiodorense, Petro et Drocone Suavis fratribus et eorum complicibus in braccis et camisia cum virgis in manibus, pedibus omnino nudis præviantibus, censura ecclesiastica coegit eosdem feretrum quoddam cum quadam imagine clericali supraposita a loco furcarum ipsarum usque ad cathedralem ecclesiam in præfato habitu publice deportare ; ibique missa pro defunctis ab eodem antistite celebrata, cadaver dicti defuncti jam ante diu in quodam scrinio reservatum juxta ecclesiam beatæ Mariæ in civitate more debito sepelivit, præfatis maleficis nihilominus pro tantæ temeritatis excessu, nec pro expensis immensa pecuniæ quantitate multatis non de qua trecentas libras eidem ecclesiæ beatæ Mariæ pro anima ipsius defuncti processu temporis erogavit.

Qualiter castra subscripta sibi tradi fecit.

Ad intelligentiam hujus particulæ supponendum est quod, sicut ex tenore chartæ beati Bernardi quondam Clarevallis abbatis perpendiculariter liquet, domus comitis Nivernensis et Antissiodorensis et munitiones castrorum quæ ipse dignoscitur tenere ab episcopo Antissiodorensi videlicet Castri novi, sancti Salvatoris, Conadæ, Malliaci et Betriaci tradi debent ipsi episcopo ad ejus beneplacitum, ita tamen quod eo decedente comiti vel ejus ministerialibus cum integritate restituantur ; sed cum a longe retrolapsis temporibus prædecessores ipsius episcopi hoc jure non invenirentur usi fuisse, claræ memoriæ Mathildim tum comitissam ad hoc ecclesiastica censura coegit, quod prædictas munitiones et castra eidem tradidit ad suum beneplacitum detinenda, ipseque ea tenuit per tempus aliquod, et in eorum qualibet pernoctavit, suosque custodes in eis discedens reliquit, et ad ultimum præfatæ restituit comitissæ.

De moneta Antissiodorensi.

Similiter ad intelligentiam subscriptorum præsciendum est quod apud episcopos Antissiodorenses exstat littera inclytæ recordationis Philippi quondam regis Francorum, ex cujus serie inter cætera deprehenditur evidenter, quod si comes Nivernensis monetam novam cudi facere velit, eam debitæ legalitatis et ponderis in jam dicta littera comprehensi cudi faciet et personæ comitatus Nivernensis ecclesiasticæ eam quandocunque voluerint, facient comprobari. Contigit autem quod nobilis vir Odo filius ducis Burgundiæ, qui ratione uxoris suæ in comitatum successerat, monetam novam Antissiodori facere cudi cœpit, quam ministeriales ejus ipso in remotis agente, nondum tamen probatam a personis ecclesiasticis, sicut fieri debuit, quin potius insciis, exposuerunt publice cursualem, facientes generaliter proclamari sub multa gravissima ne quis monetam aliam mitteret vel reciperet præter illam, licet adhuc ejusdem monetæ raritas tanta esset quod pro decima parte non sufficeret usibus reip. et popularibus alimentis. Episcopus autem, capitulo et personis ecclesiasticis civitatis suæ convocatis in unum, ad eorum instantiam monuit ministeriales comitis ut quod super his attentaverat in pristinum statum reducerent et monetam ipsam exhiberent probandam, quod facere recusarunt. Episcopus autem habito cum eisdem personis ecclesiasticis concilio præsentiam recolendæ memoriæ Ludovici tunc regis Francorum viri Christianissimi cum litteris fide dignis factum attestantibus personaliter expetiit, cui rei damna, seriem et querelam patefaciens popularem, obtinuit ab eodem monetæ fabricatores expelli et eam auctoritate regia per civitatem Antissiodorensem publice declamari.

Qualiter compulit Templarios amovere campanam quam in domo sua de Monastello appenderant.

Illud etiam memoriali membrana conscribi dignum est, quod cum Templarii soliti suæ terminos excedere libertatis, et quod ab apostolico concessum est eis ad gratiam, convertere frequenter ad noxam, campanam quamdam in domo sua de Monastello appendissent in altum publiceque pulsarent ad convocandum populum pro divinis in eorum oratorio audiendis, necnon benedictionem quorumdam nubentium temere solemnisassent ibidem cum hoc eis ex privilegiorum suorum largitione nequaquam liceret, eos canonice monuit ut amoverent campanam et quod super benedictione hujusmodi nuptiali præsumpserant, emendarent eidem, quod ipsis facere recusantibus, querela fuit ad audientiam reveren. patris Simonis Dei gratia tituli sanctæ Cæciliæ presbyteri cardinalis fungentis tunc officio legationis in partibus Gallicanis perlata, coram quo tanto vigore negotium prosecutus fuit, quod in jure prævalens obtinuit per legati sententiam condemnatis sibi Templariis amovere campanam, et quod de benedictione nubentium attentatum fuerat emendari. Regnante inclytæ recordationis Ludovico Dei gratia Francorum rege cum nautis instantibus regium emanasset præceptum amovere cuncta quæ per Icaunam fluvium impedimento esse poterant navibus transvehendis, exsecutores super hoc deputati alia et majora quam commissum sibi requireret ministerium, sicut in plerisque malis moris est, agere gloriantes, trabeculas duas in Bochello subtus pontem Antissiodori, quod proprii juris et proprietatis est episcopatus, fundo fluminis infixerunt hinc inde flores lilii ferreos in signum regalis dominii earum summitatibus imponentes, quas statim audita re hujusmodi animosus vir fecit potenter erui et in domum episcopalem transferri. Sed propter hoc ad regis præsentiam procurantibus æmulis evocatus, proposuit coram eo quod cum regis ministeriales ipso minus requisito mittendo trabeculas in Bochello quod proprii dominii et juris episcopatus existebat, cum nec esset in eo penitus aliquid quod liberum navium transitum impediret, ultra fines mandati fimbrias extendissent, eas juste eruerat: sicque factum est quod his et aliis perorationibus confusis et stupefactis adversariis liber victor abscessit.

De ædificiis quæ construxit.

Quantis autem ædificiorum additamentis loca domorum episcopalium decoravit silentio præterire dignum non est. Antissiodori namque juxta aulam episcopalem antiquam aliam geminam miræ venustatis aulam supra testudinem lapideam in qua vina consueverant reponi arce cæmentaria præpollentem erexit fenestralibus aperturis exstructis, sculptura spectabili vitreisque perlucidis illustratam, cui ad divini cultus honorem capellam geminam non inferioris structuræ, et cameram duplicem efficientes inferius et superius ipsam aulam cum jucundæ visionis turricula decenti situatas ordine conjunxit. Insuper cameram episcop. supra Pratellum veternam et jam senio collabantem quasi funditus reparavit et in elegantiorem reextulit speciem novitatis, rursus cum ab eodem Pratello usque ad prisionem per de subtus a parte Icaunæ pervius et facilis nulla vel prorsus inutili obsistente clausura ad domum episcopalem pateret ascensus, muris novis ac fortibus portelloque et propugnaculis operis sumptuosi visu pulcherrimis illum ambitum circumcinxit. Apud Ragennam prope Apoiguiacum nobilis. episcopi habitaculum cujus ambitum Icauna fluvius a parte posteriori per latera circumcingit, inprimis murum quemdam ab una parte fluvii ad alteram includentem continuam et planam terræ intercapedinem ab anteriore parte inter forteritiam et fossata construxit, primumque ibi ordinavit introitum, cui muro stabula ad equos pro ipsius muri longitudine constructa per de intus adjunxit, deinde clausuram munitionis lateritiam ruinosam et pro parte collapsam, nec fere partem dimidiam ambitus accingentem, muris egregiis pro tantula parte lateritiis, quantum ruinosa potuit ministrare maceria et pro toto residuo lapideis propugnaculisque et turribus restituit undique circumseptis, juxta cujus introitum turrim quadra-

tam validissimam et prægrandem quam Portellum vocant, plura continentem mansionum interstitia ex muralibus spissæ latitudinis et latæ spissitudinis constructam erexit, intra septa prædictæ fortaritiæ aulam episcopalem antiquam quibusdam superadditis et aliis in melius transformatis in statum redegit solito pulchriorem. Duas quoque cameras, utramque geminam, prægrandes aulæ compares et confines, alteram videlicet nobilioris structuræ majori ex transverso posterioris pinnaculi cohærentem et vitellinis fenestriunculis refulgentem ex commendabili lapideo tabulatu construxit, antiquasque logias super lcaunam vetustate consumptas et ruinæ jam proximas ex integro reparatas in formam restituit venustæ pulchritudinis et pulcherrimæ venustatis. Ex alia vero parte appendilia necessaria ipsis muris munitionis affulta et ordine decenti constructa et locata. Apud Bellum Reditum, locum ex stagnorum confluentia piscibus copiosum et ex nemorum adjacentia temporis hiemalis algoribus levandis accommodum, domum quamdam depressam receptaculum episcoporum inglorium in aulam geminam placidæ venustatis, habitaculumque gratiosum produxit cum socia camera structuræ similis ad propriam episcoporum quietem. Excursum quoque unius stagnorum usque muros ipsius aulæ pertingentem per injectam terræ molem ingentem quasi aggere constituto remisit in interiorum aquarum profundius accrementum, et in hujus terræ massa conjecta et planificata diversi generis plantatis arboribus, virgultum pro loci capacitate fecit amœnum. Insuper appendicia inter aulam et capellam hospitibus et familiæ necessaria logiasque magnæ habilitatis ab aula in capellam, et e converso ducentes, aliaque diverticula ædificiorum construxit ibidem et majoribus forte locis ampliasset ædium accrementis, sed quia situm ejus non multa gratificabat amœnitas variisque abundabat proventibus, ideo forsitan ipsum rariori nec mirum prosequebatur affectu. Apud Varziacum aulam episcopalem geminam prægrandem et plura continentem habitacula insuper incendio concremata magnis reædificavit sumptibus, et in structuram restituit clariorem, muros et propugnacula munitionis cestri in suis cacuminibus pro majori parte dirupta vel collapsa egregie reparavit, appendiciaque placidæ mansionis et apertæ commoditatis exstruxit muris ipsius munitionis affulta, apud villam Catuli prope Conadam locum in proprio ecclesiæ solo eminentem, quem Ligeris antecurrit, situs amœnitate conspicuum et diffundentem longe radios visionis elegit, cujus oblectamentis allectus receptaculum quoddam ad recreationem naturæ et levamen fatiscentis inquietudinis, sicut interdum expedit, inchoavit ibidem. Sed per principem sæcularem, videlicet ante dictum Odonem filium ducis Burgundiæ tunc comitem Nivernensem fuit ab opere cœpto prohibitus, cujus prohibitionem in curia regis adeo victrice constantia prosecutus fuit, quod demum in jure comite succumbente et regia declarante sententia, quod ab incœpto per comitem jure non poterat prohiberi, ex prohibentis resistentia provocatus cœptum opus in munitionem, aulam geminam et Capellam nobilitatis exquisitæ provexit habitationi regiæ congruentes, nativa rupe circumquaque excisa, quæ pro sua laudabili pulchritudine intuentium morantur oculos, intuendo delectant animos et habitatores jucunda reficiunt mansione. Rursus excisis in profundo subter aulam siccæ rupis visceribus cavas fecit ad virorum custodiam quæ temporibus ebullientis æstatis et æstuantis leonis meri potum exhibent glacialem : extra forteritiam, sed tamen infra loci continentiam depressis muralibus circumclusam, stabula pro equis et grangiam capacitatis immensæ construxit, nec procul ab his extra poprisiam plantavit vineas ex plantis diversorum vinetorum electis, quæ temulentam annis singulis afferunt ubertatem.

Qualiter profectus est in auxilium Caroli regis Siciliæ.

Ea tempestate qua damnatæ memoriæ princeps nefandissimus paterni sceleris imitator Manfredus filius Frederici quondam imperatoris, regno Siciliæ proprio Petri patrimonio et ducatu Capuæ occupatis, res ecclesiasticas damnabiliter tractabat, evertebat ecclesias, et fugabat prælatos. Vocato per summum pontificem viro magnifico Carolo, regis Franciæ filio, pro suscipiendo regno hujusmodi et liberando de manibus impii memorati, concessaque ab apostolico omnibus in ejus auxilium proficiscentibus peccatorum suorum indulgentia generali, zelo devotæ peregrinationis accensus Romam adiit in Caroli subsidium, apostolica tamen interveniente licentia profecturus. Ubi a sanctissimo patre Clemente IV, Romanæ Ecclesiæ tunc præsidente, et cardinalibus honorifice et gaudens receptus, commisso sibi in ipsa expeditione legationis officio, de mandato ejusdem summi pontificis in auxilium ejusdem Caroli in regem consecrati, cum eodem rege et ejus exercitu gressum direxit.

Cumque jam approximassent Beneventanam civitatem, ubi stabat adversarius cum Alemannorum multitudine bellicosa, jamjamque starent acies hinc inde paratæ congredi, ipse ut erat armis intus divinis præcinctus, et exterius indutus militaribus, stans super regis exercitum, salutaris exhortationis sermone præmisso pro ipsis animandis, ad pugnam elevata manu loricata, apostolica fretus auctoritate, omnes ab omnibus peccatis absolvit, evolationem illis promittens incunctanter ad patriam, si qui forte morientes pro viribus strenuis debellassent. Moxque ut prædicationis suæ exemplaris probaretur doctor non seq i, sed præcedere visus ad prælium. Tanto animositatis ardore corda videntium inflammavit, quod passim per hostes et gladios irruentes non aggredi, sed furere videbantur. In quo congressu modestiæ pontificalis non immemor, nunc acies erumpendo, nunc equos hostium gladio prosternendo, nunc clamando et animando gestu et linguæ redimebat officio, quod in personas

hostium attentare propter irregularitatis periculum forsitan expavebat, si fas sit credere quod vir, strennus in justo bello et lethali conflictu, ferientibus manu mutua non repugnet. Denique Manfredo morte cadente in bello, suisque vel captis vel fugientibus, aut gladio peremptis, expleto victorioso certamine ac ipso rege totius Apuliæ regimen et dominium tranquillum adepto, cum ipso aliquandiu commoratus, deinde vale dicto recedens apostolica revisit limina, ubi a papa et fratribus cum lætitia et veneratione susceptus, et aliquot diebus immorans, ac deinde cum apostolica benedictione recedens, iter suum, Domino prosperum faciente, ad propria regressus est. In cujus occursum civitatis suæ divitum et pauperum utriusque sexus turba ruit hilaris, et lætitia facta in populo plebs humilis patre restituto, drachmam perditam se reputat invenisse. Exsultat clerus ecclesiæ et cum processione solemni ac divinarum laudum cantico pastorem excipiens vocibus altisonis gratias agit Deo.

De morte ejusdem.

Posthæc, cum trium annorum et duorum mensium vel circiter effluxissent curricula, ægritudine valida, videlicet fluxu ventris et febris incommodtate correptus, accubuit quasi graviter elaborans, supremæ voluntati prudenter ordinavit elogium, in quo, servientibus suis pro meritorum exigentia condonatis, thesaurum de bonis ecclesiæ conquisitum in communes erogationes, publica pauperum convocatione præmissa, non semel, sed pluries, aliisque piis modis distribui statuens, pauperibus religiosis, monasteriis suæ diœcesis pro augendo numero servientium Deo in locis suis reliquit non modicas pecuniæ quantitates; ecclesiæ vero Antissiodorensi, sponsæ suæ, duo paria vestimentorum pontificalium pretiosissima, alterum candidum, et alterum purpureum, et Cambutam; legavit insuper sex denarios reddituales sub certo modo cuilibet canonico qui per diem in ecclesia horis canonicis continue interesset. Ad quod explendum villam de Lecheriis prope Clamiciacum cum pertinentiis suis et omnes conquestus fecerat circa domum de Brechia prope Antissiodorum, necnon villam de Floriaco Senonensis diœcesis cum omnibus pertinentiis, quam acquisierat cum omnibus proventibus et emolumentis dictarum rerum legavit ecclesiæ memoratæ, et sumptibus suis res ipsas per exsecutores suos facere amortizari, si quæ feudales erant, præcepit. Rursus festum beati Augustini duplex, et festum nativitatis gloriosæ Virginis solemne fore perpetuo ibidem instituit, et ad hæc sufficientes redditus assignare præcepit. Item de divini cultus augmento devotam gerens sollicitudinem, sex in capella sancti Joannis Rotundi, juxta cathedralem ecclesiam, ad honorem Dei, et beatissimi præcursoris, et totidem in capella sancti Michaelis ex alio latere. Ecclesiæ cathedrali proxima, pro animæ suæ remedio, capellanias sacerdotales et perpetuas instituit, et fundavit de redditu quem acquisierat in portagio Trecensi ex donatione

A a claræ memoriæ consanguineo suo Theobaldo rege Navarræ, et comite Campaniæ, præcedentibus meritis sibi facta; et in domo Dei sita in claustro Antissiodorensi altare quoddam similiter instituit, et fundavit, et alias quamplures pias dispositiones edidit, quæ in ipsius extremæ suæ voluntatis serie plenius exprimuntur.

Illud quoque planum et verum est quod ex quo decubuit quotidie horas canonicas, quandiu fuit loquendi possibilitas, devotus ita dixit aut saltem audivit, et magis de salute animæ quam corporis sanitate semper cogitans, paucos ad se permisit accedere, nisi qui vel in anima vel in corpore consulere possent ei. Cumque jam ex fluxus ingravescentis attenuato corpore, et membris quasi con-
B sumptis, accelerantis resolutionis suæ præsentiret instantiam, ut de convalescentia ulterius spes non esset, sororem, nepotes, neptes, et quotquot aderant consanguineos jussit excludi, ne forte per eorum præsentiam aliqua terrenæ seu carnalis affectionis meditanti præstaretur occasio, quæ jactatum in Domino posset interrumpere cogitatum, retento secum tantummodo venerabili viro Erardo tunc decano Antissiodori charissimo nepote et succe-sore suo, cui quæcunque de salute animæ suæ occurrebant, eidem confidenter injungebat agenda. Quanta vero detestatione arguebat se pompam sæculi dilexisse, quanta deprecatione vilipendebat seipsum, quantaque contritionem lacrymarum affluentia testabatur ab illis, qui interfuerunt, auditum est. Demum ex-
C trema delibutus unctione, fecit sibi Dominicæ crucis signum et beatæ Virginis imaginem anteponi, in quas vicissim suos deligens oculos, circumstantibus ei quibusdam fratribus de ordine Minorum, et pro ipso orantibus, quandiu perfecte vel semiplene verbum aliquod potuit eructare, vicibus alternis dicere non cessavit: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum; In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum; Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe*, et in his obdormiens, et migrans a sæculo anno gratiæ 1270, XIII Kalend. Octobris die in festo sanctorum Sequani et Ferreoli, nascente aurora spiritum exhalavit, sepultusque est inter Patres
D prædecessores suos in ecclesia cathedrali, cujus fama publice vivit mundo, et anima perenniter vivat Deo. Amen. Sedit autem Antissiodori annis viginti tribus, et mensibus sex.

CAP. LXIV. *Acta domini Erardi de Lisiginiis Antissiodorensis episcopi et cardinalis.*

Tantæ famositatis antistiti, viro famosissimo, domino Guidoni de Melloto, Antissiodorensi episcopo successit Erardus nepos ejus, Dominus castri de Lisigniis, diœcesis Lingonensis, cujus memoria digna est recitatione solemni. Hic Erardus ex magnifico generositatis germine ex utroque parente exstitit procreatus; fuit enim pater ejus Guillelmus Mareschallus Campaniæ, qui attingebat principi Achaiæ

in proximo consanguinitatis gradu, mater ejus fuit Margareta, germana prædicti Guidonis de Melloto prædecessoris sui, cujus generis nobilitas manifestatur dicti episcopi Guidonis chronicam intuenti. Hic Erardus, statura corporis mediocri, vultum demonstrabat angelicum tanta perfusum gratia, quod intuentibus ipsum se gratum et amabilem exhibebat. In loquela fuit facundissimus, ita quod alter Ulysses potuit merito appellari; in melodia vocis suos contemporaneos excellebat, ita ut in vocis ipsius emissione sonora poterat merito ejus vocis amœnitas melodiis philomelicis comparari. Et licet hunc generis nobilitas potuisset in fastum extollere mundialem, morum tamen elegantia præeminens ipsum in tanta humilitate servavit, quod modum maturum et religiosum acquirens ab omni lascivia semper exstitit alienus; et licet simplicitatem gereret columbinam, in tuendis tamen ecclesiæ suæ juribus magnanimus quamplurimum habebatur; largitatem in tantum diligens, quod plerumque metas transcendere videbatur. Inerat eidem tanta liberalitatis et benignitatis innata dulcedo, quod rubore verecundiæ afficiebatur quotiescunque affectum ab ipso aliquid juste postulantium ad votivæ exauditionis effectum deducere non valebat. Et licet in annis puerilibus ex prærogativa dilectionis a progenitoribus suis præ aliis liberis suis fuerit in deliciis educatus, austeritate tamen abstinentiæ carnem suam ita edomuit, quod in fervore ætatis suæ castitatem laudabiliter acquisivit. In ætate tenera, in arte cantandi fuit quamplurimum eruditus. Postmodum vero studiis liberalibus traditus pollenti floruit ingenio, in tantum quod in juvenili ætate commendabiliter rexit in artibus, deinde legali scientiæ ingenium suum ita applicuit, quod ipse acquisivit illius scientiæ margaritam; postmodum ad juris canonici facultatem se transferens, laudabiliter licentiatus fuit Parisiis in decretis.

Circa tempora illa Gaufrido decano Antissiodorensi Ecclesiæ humana sorte consumpto, canonici dictæ ecclesiæ ipsum Erardum in decanum dictæ ecclesiæ concorditer elegerunt. Cum autem in Antissiodorensi Ecclesia residentiam faceret personalem, et jura sui decanatus contra omnes et specialiter contra suum prædictum avunculum defenderet animose, duorum annorum vel circa labentium curriculo Ecclesia Antissiodorensis per mortem dicti episcopi Guidonis avunculi sui pastoris solatio destituta, canonici dictæ Ecclesiæ ad electionem futuri pontificis procedentes ipsum Erardum, dogmatizante Domino, in episcopum per formam compromissi concorditer elegerunt, factusque episcopus subjectos suos consueta tractavit mansuetudine, instruendo ipsos verbo prædicationis pariter et exemplo, et licet postquam licentiatus exstitit in decretis, propter occupationes prælationis, studendi in facultate theologica modicum habuerit temporis intervallum, licet ad id, ut credimus, quamplurimum anhelaret, verumtamen propter ingenii sui perspicacitatem et studii vehementis laboriosam indaginem egregii prædicatoris nomen et gratiam acquisivit; austeritatem abstinentiæ quantum potuit in occulto servavit, et propter bonum castitatis subtus ad carnem gerebat cilicium. Habebat etiam tres catenas argenteas nodis plenas quodam insertas manubrio, ex quibus de nocte carnem suam disciplinis pluries castigabat, prout hæc ex relatione veridica fide dignorum accepimus, qui ejus secretam pœnitentiam agnoverunt.

Hic ecclesiæ suæ ferventissimus amator capituli sui obtinuit gratiam et favorem, et postquam adeptus fuit episcopalis apicem dignitatis, raro accidit, dum intraret dictum capitulum, quin ecclesia ipsa et capitulum perciperent in aliquo exuberantem gratiam suæ largifluæ bonitatis. Contulit igitur præfatis ecclesiæ et capitulo, dum vitam duceret in humanis, duos angelos argenteos miræ pulchritudinis et ingentis valoris, cum reliquiis B. Mariæ Magdalenes insertis venerabiliter in eisdem; item crucem argenteam gemmis pretiosis ornatam, pretio quingentarum librarum Turonensium; item idem pontifex magnanimus et munificus dedit capitulo mille libras Turonenses ad augmentationem panis canonicorum; item quamdam mitram cum pontificali annulo pretio quadringentarum librarum Turonensium; item calicem pure aureum; item quatuor paria indumentorum sacerdotalium diversorum colorum, tam de examito, quam de diaspro, videlicet de unoquoque, tunicam, dalmaticam et casulam; item alia duo paria indumentorum, videlicet de unoquoque tunicam, dalmaticam, casulam atque cappam. Fecit etiam multa alia bona episcopatui, ecclesiæ et capitulo supradictis; ipse siquidem servitii divini sonorissimus concrepator, ejusdemque amator eximius, et amantissimus ampliator, ordinari procuravit in Antissiodorensi Ecclesia, Dominicis diebus inter canonicos et clericos dictæ ecclesiæ dividendas. Item apud Bellumreditum aulam novam construxit, et domum novam super portam cum domibus adjacentibus ipsi portæ; item apud castrum Appoigniacum suæ et prædecessorum suorum ditioni subjectum, licet incolæ dicti loci servituti manus mortuæ, talliæ, alto et basso, ad domini voluntatem et pluribus essent aliis servitutibus subjugati, rectam tamen decimam bladi, vini et aliorum fructuum ex agricultura provenientium contra legis divinæ salutarem observantiam usque ad illa tempora semper solvere renuerunt, iste siquidem liberalitatis sibi nativæ motus instinctu pastoralisque sollicitudinis incitamento pulsatus affectabat et ipsos restituere libertati et mederi periculis animarum. Sane ipse suæ discretionis vigilantia suæque exhortationis sedulâ efficacia ad hoc induxit incolas dicti loci, quod ad solutionem rectæ decimæ omnium fructuum prædictorum in perpetuum sub authentico chirographo sibi et ejus successoribus obli-

garunt, et pro ejus concessionis repensiva de consensu sui capituli servitutem manus mortuæ, lineæ humani generis inhumanæ, de loco illo totaliter abdicavit, et talliam prædictam voluntariam ad octies viginti libras Turonenses annui redditus coarctavit; verumtamen in concessione dictæ decimæ episcopales redditus in trecentis libris Turonensibus redditualibus, et amplius augmentavit.

Item a nobilibus viris Milone de Antissiodoro, et Joanne ejus fratre militibus furnum, justitiam, et plures res alias quas habebant apud prædictum Appoigniacum, comparavit, et in hoc episcopales redditus in quater viginti libris Turonensibus redditualibus ampliavit. Item in sui ultima voluntate super prædictis acquisitis, quæ fecerat apud Appoigniacum ultra prædictas quater viginti libras reddituales, contulit ecclesiæ B. Stephani viginti libras Turonenses annui redditus die sui anniversarii dividendas. Item scholastriam Ecclesiæ Antissiodorensis de rebus episcopatus in decem libris Turonensibus redditualibus ampliavit; ampliora bona sperabat ardenti desiderio dictæ ecclesiæ se facturum, nisi tam brevi tempore universæ carnis inevitabile debitum exsolvisset. Duorum siquidem annorum vel circa currenti intervallo, dum apud Charitatem super Ligerim tempore prioris Milonis, quamdam mulierem Burgensem dicti prioris suspectam de hæresi vellet examinare, et dictus prior licet pluries monitus dictam mulierem ei tradere recusaret, episcopus dictam villam generali supposuit interdicto. Dictus siquidem prior et ejus monachi in præjudicium episcopalis jurisdictionis dictum interdictum violare non verentes, corpora decedentium faciebant sepeliri in cœmeteriis dictæ villæ. Ex hoc autem procurante humani generis inimico, inter episcopum et priorem præfatum graves fuerunt discordiæ suscitatæ. Sed finaliter procurante dicto episcopo, mediantibus archiepiscopo Senonensi et abbate Cluniacensi, ad hoc devenit negotium supradictum, quod dicta mulier exstitit dicto episcopo liberata, et quod unus de monachis de prædicto monasterio pro omnibus, qui ut interdictum ferretur in villa prædicta, et in violatione ejusdem interdicti culpabiles exstiterunt, humiliter et devote flexis genibus dicto episcopo supplicavit, ut interdictum latum in dicta villa relaxaret, et eidem episcopo, tam pro interdicto, quam pro violatione ipsius emendavit. Fueruntque viginti corpora extracta de terra, quæ sepulta fuerant, durante interdicto dicto, in cœmeteriis memoratis, et absolutione ab episcopo obtenta, fuerunt super terram insepulta, quousque sermo generalis factus fuisset ad populum in ecclesia B. Petri de Charitate prædicta, et missa pro defunctis celebrata. Quibus sic actis, dicta corpora fuerunt ecclesiasticæ tradita sepulturæ.

Dum vero quatuor annorum et amplius effluxissent curricula, inter ipsum episcopum et Joannem de Cabilone, comitem Antissiodorensem, orta est grandis dissensio, proterviaque comitis crebrescente, dum dictus comes jura Antissiodorensis Ecclesiæ violare et invadere conaretur, dictum comitem, et ejus uxorem ferire mucrone anathematis non neglexit. Et dum comes et ejus uxor in sua malitia perdurarent, ut ipsos magis ecclesiastica severitas coerceret, civitatem Antissiodorensem, suburbia, totamque terram, quam habebat dictus comes in comitatu Antissiodorensi, generali supposuit interdicto. Et dum dictus comes facti sui malitiam niteretur appellationis remedio colorare, ipse jurium ecclesiæ suæ acquisitor indefessus, pro ipsius ecclesiæ juribus vitam suam periculis exponere non formidans pro dictis juribus defendendis ad Romanam curiam se transferendum studio piæ deliberationis elegit. Et licet in prædicto negotio viriliter se haberet, morte tamen præventus illud finali effectui nullatenus mancipavit. Illum siquidem, cujus odor famæ redolens jam non solum in Francorum regione amabili, verum etiam in regione Italica conflagrarat, dominus Joannes papa vigesimus primus, et omnes cardinales honorifice receperunt. Et dum circa duorum annorum spatium in dicta regione fuisset mansionarius, ille, qui in regionis Gallicanæ temperie fuerat enutritus, ebullientes calores illius regionis ferre non valens, febres et fluxum ventris patiens ægritudinis chronicæ incurrit incommoda. In regione tamen illa tam laudabiliter se habuit, quod apud dominum Nicolaum papam III, successorem præfati domini Joannis, et apud cardinales ejus merita tam dilucide claruerunt, quod ad dignitatem cardinalatus assumptus factus fuit Prænestinus episcopus cardinalis.

Et licet in numero episcoporum Antissiodorensium sexagesimus quartus exstiterit, primus tamen fuit inter ipsos, qui ad tantæ dignitatis culmen fuerit provectus. Non post quidem multa tempora, ingravescente in ipso fluxu ventris, ultimo eloquio ex magnæ deliberationis discretione condito, dum ipse perciperet quod ipsum pertrahebat defectus virium ad occasum, sacramentum extremæ unctionis reverenter recepit, quibus sic completis anno Domini 1277 xv Kalendas Aprilis, primo noctis silentio, evasit feliciter nequitias hujus mundi; et quia cum avunculo suo prædicto in Antissiodorensi basilica suam elegerat sepulteram, ossa ejus de civitate Romana ad dictam basilicam deportata, in eodem cum prædicto avunculo suo fuerunt in uno mausoleo honorifice collocata. Sedit in episcopatu Antissiodorensi septem annis, duobus mensibus et circiter tribus hebdomadis, illustri rege Philippo regnum Francorum moderante. Dominus per suam gratiam et misericordiam sibi concedat requiem sempiternam. Amen.

MONITUM INCERTI.

Hic desinit tomus primus Gestorum pontificum Antissiodorensium. Secundus tomus majori ex parte desideratur, prout olim descriptus fuerat. Fertur exstare Parisiis in bibliotheca consiliarii cujusdam, unde quæ sequuntur excerpta fuerunt a viro fide digno. Hæc accipe, lector, præbe animum non indocilem, et rei veritatem percipies.

PARS SECUNDA.

Cap. LXV. — *De Guillelmo de Gressibus.*

Vetustissima laudabilisque consuetudo Ecclesiæ Antissiodorensis hactenus habuit a primo ipsius pontifice, videlicet beato Peregrino, in posterum gesta notabilia pontificum singulorum sedis ejusdem, post ipsorum cujuslibet obitum scribi et registrari in libro ad hoc provide et perspicaciter ordinato, ut ex eorum recitatione frequenti gestorum laudes Deo redderentur, successoresque ipsorum per amplius ad actus strenuos incitarentur, suorum exempla prædecessorum imitantes. Ex incuria tamen seu historiographorum carentia, eclipsata consuetudo prædicta exstitit a tempore obitus bonæ memoriæ domini Eraldi de Lisigniis exclusive, cujus obitus dies exstitit anno Domini 1277. Et sic a centum annis in libro prædicto de præmissis scriptum nihil invenitur usque ad adventum reverendi in Christo Patris domini Nicolai de Arceis, nunc ipsius Ecclesiæ pontificis numero octogesimi primi, promoti a sancta sede apostolica, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio. Qui fuit sic promotus per sanctissimum in Christo patrem dominum Gregorium papam undecimum, in tempore Adventus Domini anno prædicto; cui domino nunc pontifici Ecclesiæ sæpe dictæ visum est expedire ad ipsius consuetudinis usum reverti, fecitque diligenter inquiri veritatem de gestis pontificum, qui dictæ Ecclesiæ medio tempore præfuerunt. Et quidquid inventum exstitit, cum quanta fieri potuit diligentia seriatim lucideque registrari, juxta quod propositum per exactissimam habitam diligentiam in præmissis inventa sunt quæ sequuntur.

Sed cum de omnibus et singulis ad planum inveniri nequiverit certitudo, parcat lector hujus operis historiographo, qui non omnes vidit sequentes pontifices, de quibus infra scripsit, videlicet primos quatuor, de quibus per relationem condignam gesta calamo contexuit; reliquos vero vidit et scit quod vera sunt quæ scripsit de iisdem, quorum plurium servitor exstitit continuus, et de cæterorum gestis sedulus indagator. Plurima enim alia sancta operati sunt pro salute sua, et suorum subditorum, quæ etsi in libro præsenti scripta non sint, firmiter credendum est in libris vitæ non deesse. Confisus tamen exemplo beati Gregorii in dialogi sui principio tertio capite ibi, *Ea quæ mihi sunt*, etc., dicentis quod « Marcus et Lucas evangelistæ, quod descripserunt non visu, sed auditu didicerunt, tunc dubitationis occasionem legentibus subtraham per singula quod scribam. » Quæ mihi hæc audientibus sint comperta manifestabo. Hoc autem sentire cupio omnes hoc opus legentes, quod in quibusdam sensum solummodo, in quibusdam etiam verba cum sensu teneri oportet, quia, si de personis omnibus et singulis ipsa specialiter verba tenere voluisset, hoc rusticano usu prolata stylus scribentis non apte susciperet. Seniorum valde venerabilium didici relatione quæ narro, submittens tamen hoc opusculum correctioni debitæ et relationi seniorum.

Guillelmus de Gressio, sexagesimus quintus episcopus, natione Gallus, de patria Wastineti oriundus, nobilis genere et moribus, successit immediate Eraldo de Lisigniis. Hic fuit vir scientificus strenuusque, ita quod ante hanc promotionem esset inter ecclesiasticos propinquior regi assistens et auctorisabilior. Ex qua causa, aliis suis virtutibus gratantius fuit dictam promotionem assecutus, liberalis et dapsilis multum. Hic per provinciam suam multas lites, quæ a longo tempore erant inter episcopos Antissiodorenses aliosque nobiles, partim per litigia, partim per compositiones, ad finem perduxit; sicque in fine sui regiminis aliquam controversiam non reliquit episcopatui apparentem. Acquestus plures fecit potissime in territorio de Appoigniaco, super quibus suum fundavit anniversarium de viginti libris annualibus Ecclesiæ Antissiodorensis solvendis et distribuendis die prædicti anniversarii. Seditque diu et pacifice, scilicet per sexdecim annos, vel circa, attento obitu Erardi prædecessoris sui, qui fuit anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo; hujus vero nonagesimo tertio, die Veneris ante festum purificationis beatæ Mariæ virginis, estque sepultus in choro ecclesiæ, a parte sinistra chori, contigue scalis, et prope nobilem tumulum bonæ memoriæ domini Guidonis de Melloto; imaginatum deauratum est super nigro marmore. Qui Guido fuit sexagesimus tertius episcopus.

Cap. LXVI. — *De Petro de Mornayo.*

Petrus de Mornayo, sexagesimus sextus episcopus, natione Gallus, Bituricensis, vir nobilis, successit in episcopatu Guillelmo de Gressio; vir utique in utroque jure peritissimus, magni consilii, circa regem auctorisabilis multum. Inde cancellarius regis factus, creatus fuit episcopus Antissiodorensis, et usque ad vitæ exitum officium cancellariæ prædictum obtinuit. Hic fecit plures acquestus sedi episcopali. Primo, acquisivit terram de Odanco a domino de Tholeta, cujus erat dicta terra, de feodo tamen sedis episcopalis; sed quia multas injurias inferebant domini de Tholeta habitatoribus Vargiacensibus (tunc enim erat tota illa terra servilis conditionis ad usus Nivernensis episcopatus), hoc motu princi-

pali fecit acquestum, ad procurandam pacem et quietem suæ villæ Varziacensis. Item acquisivit prope villam et castrum de Moreto speciosam domum cum ejus pertinentiis, terris videlicet et vineis, in villa de Brocia parochiatus de Heretiaco, prope monasterium de Barsel, ordinis Cisterciensis, ab opposita parte villæ et pontis de Lamoisio, super fluvium Sequanæ. Item acquisivit magnam partem domorum episcopalium quæ sunt Parisiis contiguæ portæ quæ nominatur Inferni, licet antiquitus solebat nominari de Ferto, et obtinuit a rege magnam plateam extra muros contiguos, in qua construi fecit curtilia, et viridaria amœnissima, et circumcingi muris; sed propter guerras demum ibidem sunt fossata concavata. Item dedit ecclesiæ suæ Antissiodorensi speciosissimum velum quadragesimale, quod adhuc durat. Item plures acquestus fecit in Appoigniaco, super quibus fundavit anniversarium suum viginti librarum annui reddditus ecclesiæ Antissiodorensi solvendarum a successoribus suis. In fine dierum resedit Regennæ, et ibi vitam finivit, adductumque corpus ejus honorifice sepultum est in choro ecclesiæ suæ a parte dextra juxta tumulum nobilem domini Guidonis de Melloto suprascripti, anno Domini millesimo trecentesimo sexto, die scripta in dicto tumulo. Sic sedit tredecim annis vel circiter.

Cap. LXVII. — *De Petro de Bellapertica.*

Petrus de Bellapertica, sexagesimus septimus episcopus, natione Gallus, de partibus Borbonensibus, de castro Bellæperticæ super fluvium Aligeris, mediocris generis et status ortus parentibus, successit Petro de Mornayo prædicto, et in episcopatu provisione apostolica, et in officio cancellariæ promotione regia. Vir iste peritissimus in jure civili, in quo citra montes pater habebatur peritorum. Hujus enim labor et peritia fuit versari in dubiorum obscuritatumque juris civilis elucidatione, ut patet in libro appellationis hujus, Glossarium videlicet super libro codicis et quamplurimorum aliorum scriptorum suorum, secundum quæ in studiis generalibus regni potissime Aurelianis informantur erudiri cupientes perfecte: habuit enim magistrum illum famosissimum dominum Jacobum de Ravigneio, qui similiter scripsit super Digesto veteri, quem magistrum sedulo secutus similis eidem in magisterio est effectus. Ille Petrus parum resedit in diœcesi, semper vacans circa officium cancellariæ prædictum et communicando regi: verumtamen fecit introitum in civitate, in quo rex interfuit, et ipsum auctoritate regia introduxit in civitatem absque illa antiqua solemnitate secundum quam comes Antissiodorensis baro de Donzeio, dominus de Thoceio dominusque de sancto Verano in Puisaia, ex natura et debito feodorum suorum debent et tenentur portare novum episcopum ab ecclesia sancti Germani usque in Ecclesiam Antissiodor., reservato ex parte regia dictis episcopis et dominis in futurum jure solemnitatis prædictæ. Obiit autem Parisiis, sed dies incertus est; attento tamen die obitus prædecessoris sui et die promotionis successoris sui infrascripti proximi quæ fuit anno Domini millesimo trecentesimo octavo, sequitur quod sedit ipse Petrus circiter annos duos. Hic fundavit quatuor præbendas in ecclesia Villænovæ prope Bellamperticam, pro remedio animæ suæ.

Epitaphium

Hac jacet in cella Petrus cognomine Bella-
Pertica, perlucidus verbis, factis quoque fidus,
Mitis, veridicus, prudens humilisque, pudicus.
Legalis, planus, velut alter Justinianus
Summus doctorum, certissima regula morum,
Parisiorum decanus canonicorum,
Antissiodorica digne sumpta sibi sede
Tempora post media charus successit ab æde,
Annis sub mille ter centum septem simul ille,
Sulpitii festo migravit ab orbe molesto:
Det sibi solamen, spiritus almus. Amen.

Tale habet epitaphium propter aquilam in choro ecclesiæ cathedralis, in qua decanus fuerat.

Cap. LXVIII. — *De Petro de Gressio.*

Petrus de Gressio sexagesimus octavus episcopus, natione Gallus, patria Vastinetensis, nobilis genere ut suus avunculus Guillelmus suprascriptus. In utroque jure peritus fuit, cancellarius Franciæ, suisque meritis condigno regioque favore et apostolica provisione ad sedem episcopalem promotus, virtute liberalitatis ac hospitalitatis honore præpollens ultra contemporaneos prælatos, relicto officio supradicto cancellariæ, rexit sedem suam strenue ac laudabiliter ab omnibus dilectus. Cujus hospitalitatis singularitas nullum petentem exclusit. Tandem pondere carnis onustus et ob hoc in regiminis exercitio taliter impeditus coadjutores habuit, et finaliter ad diem extremum veniens animam Deo reddidit vigesima prima die Septembris, videlicet in festo sancti Matthæi apostoli, anno Domini 1325; cujus corpus sepultum est honorifice in choro ecclesiæ Antissiodor. juxta tumulum avunculi sui supradicti, a parte chori sinistra contigua tumulo domini Guidonis de Melloto suprascripti.

Cap. LXIX. — *De Petro de Mortuo Mari.*

Petrus de Mortuo Mari sexagesimus nonus episcopus natione Aquitanus, genere mediocri, vir acutissimi ingenii, utriusque juris professor solemnis, inter consiliarios regis strenuissimus, a sancta sede apostolica regiarum interventu precum ac ejus exigentibus meritis promotus, successit Petro de Gressio, proximo supradicto, et intravit cum debita solemnitate civitatem et Ecclesiam Antissiodor. cum principibus et dominis aliis temporalibus qui ipsum portare debebant et portaverunt. Inter quos fuit comes Flandrensis ratione baroniæ de Donziaco; qui comes facto homagio ipsi episcopo voluit et nisus fuit rapere annulum dicti episcopi, sed non potuit; verumtamen promisit episcopus se informare si spectaret ad jus ipsius comitis et sibi facere super hoc rationem. Strenue rexit sedem, sed parum, quia effectus exstitit sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, in quo statu vixit partem sollicitudinis dictæ Ecclesiæ strenue portans et de sancta vita famatus, fundavit in loco originis propriæ qua-

tuor conventus ordinum, monachorum, videlicet Carthusiensium, et alios duos ordinum Mendicantium. Tandem ab humanis decessit ejus anima, corpusque ejus deportatum ad locum prædictum inter dictos religiosos tumulatum. Promotus fuit anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quinto, in festo omnium Sanctorum, ad hanc sedem, et vicesimo octavo in festo Nativitatis Domini ad cardinalatum : sic sedit per tres annos in sede episcopali, obiit autem circiter annum millesimum trecentesimum trigesimum sextum in novitate papæ Benedicti duodecimi. Fuerat antiquus socius specialis illius magni viri quem fecit Joannes papa vigesimus secundus excoriari, videlicet episcopi Capturcensis : sed sapienter recedens de curia ad refugium venit ad regem Franciæ qui ipsum honorifice recepit in magnum consiliarium et postmodum in cancellarium, et tandem fuit regis compater : ex his processit sua digna promotio prædicta.

CAP. LXX. — *De Talerando.*

Talerandus filius comitis Petragoricensis, natione Aquitaniæ, nobilissimus vir et juris civilis peritus, apostolica provisione promotus successit prædicto Petro de Mortuo Mari. Non intravit civitatem, quasi continue mansit studendo in domo de Odanto prope Verziacum, quæ fuerat acquisita per dominum Petrum de Mornayo supradictum, in qua dictus Talerandus speciosam aulam ac cameram construi fecit et ad opus studiendi unum claustrum retro ad modum religiosorum, et ibi multum profecit studendo. Demum assumptus in cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quo statu strenuissime se habuit fuitque ad sedem Antissiodorensem promotus anno Domini 1328 et translatus ad cardinalatum anno sequenti tricesimo, et vacavit sedes quasi per annum propter contrarietatem promissionis durantem in sancto collegio promovendi dominum Stephanum de Mornayo cancellarium Franciæ, sed multos habuit adversarios, ideo promotus fuit ille, qui sequitur anno trigesimo primo in festo Nativitatis Domini : sic solum sedit Talerandus circiter tres annos. Obiit cardinalis anno millesimo trecentesimo sexagesimo quarto ; sepultus Avenioni, et demum translatum dicitur corpus ad partes suas. Ipse legavit pro anniversario suo fundando in Ecclesia Antissiodor. centum florenos et soluti sunt.

CAP. LXXI. — *De Aymerico.*

Aymericus Guenaudi, natione Gallus, patria Pictavensis, septuagesimus primus episcopus, vir nobilis genere, scientia et moribus, legum professor, consiliarius regius in hospitio regio residens, et officium Magistri Requestarum exercens per longa tempora. Tandem rege et regina intercedentibus et exigentibus meritis suis promotus est ad sedem Antissiodorensem post prædictum Talerandum anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo, Sabbato in quatuor Temporibus ante festum Nativitatis, tempore domini Joannis papæ vigesimi secundi. Hic vir magni honoris exstitit, omnibus amabilis, curialitate plenus, nobilium duleas atque statum multum habens gratum pacifice rexit sedem suo tempore, excepto litigio magno quod habuit cum religiosis de Charitate, videlicet priore de Boniaco, pro duobus clericis Anglicis quos suspendi fecerat præpositus de Boniaco, unde viriliter prosecutus factum hujusmodi propter quod misit in Angliam duos providos viros, quorum unus nominabatur Boutevilain de Antissiodoro ad inquirendum et referendum de titulo clericatus in tantum quod habuit expletum justitiæ, per curiam Parlamenti ad honorem jurisdictionis spiritualis. Hic consecravit majus altare S. Stephani anno millesimo trecentesimo trigesimo quarto fundavitque unam capellaniam ad altare S. Martini in Eccles. Antiss. de viginti libris annui et perpetui redditus super pluribus conquestibus per eum factis in Appoigniaco. Item fundavit anniversarium suum de viginti libris Turonensibus annui et perpetui redditus ibidem percipiendis ; hic primus construxit claperia cuniculorum Regennis in Garenna. Translatus fuit ad sedem Rothomagensem anno 38 ; sic rexit per octo annos.

CAP. LXXII. — *De Joanne Blangy.*

Joannes de Blangeriis septuagesimus secundus episcopus, natione Gallus, patria Normannica, famosus magister in theologia studens ac legens Parisiis, domini Benedicti papæ duodecimi motu proprio in translatione domini Aymerici, promotus exstitit ad sedem episcopalem Antissiodor. anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo octavo. Memor enim exstitit quod fuerant ipsi ambo contemporanei in studio Parisiensi in dicta scientia et in ejus lecturam concurrentes, et etiam licentiæ et doctoratus insimul honorem atque culmen pariter assecuti ; idcirco de ipso proprio motu providit Ecclesiæ Antissiod. in qua tamen parum rexit semper anhelans Parisios reverti. Et ob hoc tempore domini Clementis papæ VI supradicti Benedicti papæ undecimi successoris cessit episcopatui suo, et certa pensione pro ipso ad vitam ordinata a sede prædicta reversus Parisios pro vita contemplativa ducenda, cum per navigium veheretur frigora passus et rheuma, febrem incurrit continuam in qua intravit Parisios et infra paucos dies expiravit et corpus ejus in ecclesia fratrum Carthusiensium inhumatum est, tempore paschali, anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, mense Aprili : hic sedit circiter sex annos.

CAP. LXXIII. — *De Petro de Villanis.*

Petrus de Villanis septuagesimus tertius, natione Gallus, patria Normanniæ, ex gratia sedis apostolicæ per præfati domini Joannis de Blangy renuntiationem promotus ad sedem episcopalem exstitit vir nobilis, facundus et strenuus, loca fortalitiorum de Regennis et Villa Catuli reparavit et in forma debita fortalitiorum posuit et munivit machinis gallandis et fossatis, et demum translatus exstitit ad sedem Baiocensem unde erat oriundus. Fecerat tamen in domo Odanti capellam et cameram opere regali nobilissimo. Hic libertate donavit homines et terram

de Odanto, mediante annuo redditu bladi et aliorum per singulas familias et domos, sed successor infra scriptus se fortiter opposuit huic concessioni et ex causa. Cum vero fuit in sedem Baiocensem translatus, urgente guerrarum rigore pœnituit se dimisisse primam sedem, translatus autem exstitit de Antissiodorensi ad Baiocensem Ecclesiam circa annum Domini millesimum trecentesimum quadragesimum septimum : hic sedit circiter tres annos cum dimidio. Hic per comitem Antissiodorensem solum ingressus fuit civitatem hora vespertina Sabbato. In crastino tamen fecit convivium aliis nobilibus minime requisitis et insciis. Fuit igitur promotus ad sedem hanc Antissiodorensem per resignationem supra proxime scriptam Joannis de Blangiaco, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, more Gallicano in hiemali tempore videlicet post festum Nativitatis Domini. Sic sedit tribus annis cum dimidio; sepultus est Baiocis, dies apud nos non est certa.

Cap. LXXIV. — *De Bernardo Bruni.*

Bernardus Bruni septuagesimus quartus episcopus, natione Gallus, patria Lemovica, de episcopatu Morinensi translatus exstitit ad sedem Antissiodorensem statim post translationem proxime supradicti Petri de Antissiodorensi sede ad Baiocensem, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo in Penteçoste. Hic vir antiquissimus et sapientissimus atque ditissimus ultra omnes prælatos contemporaneos, strenuissimus jurium Ecclesiæ custos et prosecutor, non intravit civitatem suam. Hic incœpit infirmare libertatem quam contulerat suus prædecessor hominibus terræ de Odanto, et quia infirmitate gravatus, de qua obiit, nequibat tempore suo dictam litem perducere ad optatum finem, reliquit in suo testamento legatum mille florenorum auri successori suo infra scripto in prosecutionem dictæ litis contra dictos homines et contra prædecessorem suum duntaxat convertendos. Huic erat modus vivendi talis quod in ortu solis prandebat, et ante horam nonæ cœnabat, quem modum a nutrimento juventutis teneræ dicebatur accepisse a quodam avunculo suo cardinali qui sic vivebat. Obiit autem in castro de Villa Catuli, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono circa festum omnium Sanctorum, et fuit corpus suum ad Lemovicas portatum et tumulatum. Sedit per duos annos et quatuor menses. Hic multum diligebat mansionem de Odanto et circumcinxit locum et domum palliciis et magnis turribus et construi fecit ibidem tres turres quadratas; non deficiebat nisi una quin fuisset ibi fortalitium quadratum muris correspondentibus de turre ad turrim, sed totum hoc fuit post modum destructum tempore guerrarum domino Iterio la Jarossa existente episcopo, ut inferius continetur.

Cap. LXXV. — *De Petro de Croso.*

Petrus de Croso septuagesimus quintus, natione Gallus, patria Lemovica, excellens magister in theologia, prius decanus Parisiensis, deinde episcopus Silvanectensis,, demum ad sedem Antissiodoren eu translatus a domino Clemente papa VI per obitum supra proxime dicti Bernardi. Fuerant enim dictus dominus papa et ipse contemporanei in studio legendo et regendo, erantque compatriotæ. Hic vir una cum scientiæ excellentia gratia maxima pollebat in loquela omnique gestu multum amabilis universis prudensque et callidus in agendis. Hic receptis mille florenis supra proxime dictis pro litigando contra homines de Odanto incœpit perseverare in dicta lite. Tandem amabiliter tractatum et concordatum exstitit quod annuos redditus loco servitutis creverunt super quolibet de aliqua portione, sic fuit lis sopita, et statim assumptus exstitit cardinalis; non intravit civitatem, sed in suo recessu appropinquavit eamdem in pratis prope fontem sancti Amatoris, et ibi egregie prædicavit et a clero et populo honeste accepit commeatum. Sedit per annum unum cum dimidio fuitque assumptus cardinalis in principio anni quinquagesimi primi circa festum Nativitatis Domini; obiit autem cardinalis in curia Romana, videlicet Avenione, mense Septembri, anno millesimo trecentesimo sexagesimo primo. Hic legavit magnam summam florenorum Ecclesiæ Antissiodorensi pro suo anniversario, sed testamentum absconditum est et non adhuc potuit veritas inveniri. Sepultum est corpus in ecclesia fratrum Prædicatorum.

Cap. LXXVI. — *De Audoyno.*

Audoynus septuagesimus sextus, natione Gallus, patria Lemovica, antea Noviomensis, postea Parisiensis episcopus, demum translatus ad sedem Antissiodorensem in translatione dicti Petri prædecessoris ad cardinalatum, videlicet in principio anni milles. trecentesimi quinquagesimi primi in Nativitate Domini. Hic vir erat peritus in utroque jure et consultissimus; arbitratum autem exstitit ab eo cum consensu decani et capituli Antissiod. quod inutilis et damnosa erat domus de Belloreditu propter magnas reparationum missiones, attenta pluralitate domorum episcopalium alibi, et prope existentium ; ordinatum tamen fuit retineri in statu stabula longa duplicia, intra aream dictæ domus ac magnum altumque portale in introitu domus, ac parvam domum dicto portali contiguam ad recipiendum gentes episcopi illuc pro venando vel aliter accedentes, item furnum ab alia parte portalis, et hæc visa sunt sufficere pro colono et familia ad opus nutrimenti pecorum, ibidem collocandis in futurum. Translatus fuit ad cardinalatum per hunc modum, quia illo tempore erant duo cardinales sub nominatione Antissiodorensi, videlicet Talerandus Petragoricensis et Petrus de Croso. Translatus exstitit ad sedem Magalonensem, anno quinquagesimo tertio, more curiæ Romanæ in Nativitate Domini, more autem Gallicano anno quinquagesimo secundo, in festo Purificationis beatæ Mariæ, sequenti factus cardinalis et sic nominatus fuit cardinalis Magalo-

nensis. Hoc fuit tempore avunculi sui domini Innocentii quinti, in novitate sui pontificatus, videlicet primo anno revoluto; sedit per duos annos Antissiodori minus duobus mensibus; obiit anno sexagesimo quarto mense Maii, die undecima, Avenione, et ibidem tumulatus est in monasterio fratrum Carthusiensium, quod est in regno juxta Villam novam quod fundavit dominus Innocentius avunculus suus prædictus. Pro fundando anniversario suo dedit Ecclesiæ Antissiod. trecentos florenos auri et soluti sunt.

CAP. LXXVII. — *De Joanne de Auxeio.*

Joannes de Auxeio septuagesimus septimus, natione Gallus, patria Burgundus, nobilis vir prosapiæ de Turnella in comitatu Nivernensi, in utroque jure peritus, prius episcopus Trecensis, electus per viam sancti Spiritus, quæ via non habuerat in regno Franciæ in aliqua cathedrali ecclesia effectum a longinquis temporibus, successit in episcopatu Antissiodorensi supradicto Audoino proprio papæ motu. Hic exstitit homo mitis, pius, misericors et hospitalitati plene deditus; tam in Trecensi quam in Antissiod. episcopatibus sedit annis sexdecim, videlicet in Trecensi decem et in Antissiod. sex annis minus tribus septimanis: promotus enim fuerat Antissiodori anno quinquagesimo tertio in festo Purificationis B. Mariæ virginis secundum morem curiæ Romanæ, et obiit octava die mensis Januarii anno quinquagesimo nono, juxta dictum morem computando. Hic vir singulis annis, quandiu præfuit Trecensi sedi, visitationis officium perfecte exercuit et officium episcopale, tam in ordinum celebratione quam aliis indesinenter et in propria persona exstitit exsecutus, et ibidem cum magnis sumptibus corpus sanctæ Syriæ transtulit et in altum collocavit honorabiliter in theca condecenti. In sede Antissiodorensi ordines indeficienter celebravit in propria persona, ultimis exceptis videlicet ante festum Nativitatis Domini ante ejus obitum, quia erat gravi infirmitate detentus, ut apparuit ex obitu.

Eo enim tempore in die festo Conceptionis beatæ Mariæ virginis, inimici Angli nomine regis Navarræ ceperunt violenter fortem domum de Regennis, ex quo cor ipsius fuit vehementer aggravatum. Cumque de die in diem ad insultum procederent contra civitatem Antissiodorensem, tandem die Jovis post Epiphaniam Domini, hora nona clamor insiluit ad arma, quia inimici dabant civitati insultum. Eadem hora ingravescente infirmitate sua sacramentum extremæ unctionis recepit, ad quod cum magna perplexitate personæ ecclesiasticæ armatæ de murorum custodia propter hoc redeuntes interfuerunt. Quo facto more beati Augustini qui in forma simili vitam finivit, lacrymis utens pro pane, cum sensuum integritate et perfectione loquelæ animam suam Deo commendans, cum lacrymis Deo reddidit animam, fuitque venerabiliter tumulatum ejus corpus in choro ecclesiæ Antissiod. a parte sinistra inter tumulum nobilis domini Guidonis de Meloto et scallam de choro. A Hic fecit introitum suum primum in civitate Antissiod. cum tota solemnitate debita, orta tamen fuit dissensio de pallio serico super cathedra, et super ipso existente, quod pallium, portantes, dum descendit de humeris ejus, ceperunt et secum asportaverunt, ad ipsos spectare universaliter asserentes; et quia de reddendo fuerunt sub excommunicationis pœna moniti, ortum fuit scandalum propter quod ingressum turris de Thociaco et turris de sancto Salvatore eidem postmodum denegaverunt, sed postmodum informarunt de sua possessione iterata per tres vices quoad dictum pallium: idcirco mandavit eis reddi dictum pallium quod positum fuerat de communi consensu in manu sequestra, et qui hæc scripsit, scit quod vera sunt, quia in omnibus interB fuit. Cæterum cum in primo suo introitu non fuissent hora debita gentes archidiaconi Senonensis, venerunt tamen, dum fuit ante altare, inthronizaveruntque eum in cathedra. Male vero contenti de eo, quia intraverat portas ecclesiæ sine corum auctoritate, petierunt postea marcham auri causa dictæ inthronizationis, quibus fuit responsum ab episcopo quod deliberaret super hoc; postea concordando cum eis diu postea misit quasi mediam partem valoris dictæ marchæ, et fuerunt contentæ dictæ gentes. Insuper fuit Senonis iste Joannes, et fecit professionem solitam super altare et solvit certam summam pecuniæ circiter sex libras, et postea satis cito misit illis cappam sericam secundum antiquam consuetudinem quam se scire dicebat, quia alias ibi solC verat cappam tali causa. Hic ordinavit duplex officium in Ecclesia Antissiod. die festo Decollationis sancti Joannis Baptistæ. Qua die suum primum fecit introitum Antissiodori: in suoque testamento legavit Ecclesiæ Antissiodorensi centum libras per annum pro anniversario suo fundando, ut patet ex tenore hujus testamenti. Item in vita sua dedit Ecclesiæ Antissiod. librum qui vocatur Rationale officiorum divinorum, sed propter destructionem civitatis diu nequivit inveniri, sed postea per dominum Petrum de Auxio ejus nepotem et hæredem fuit inventus, et ipsum detinet in præsenti.

CAP. LXXVIII. — *De Iterio de Jarossa.*

Iterius de Jarossa septuagesimus octavus, natione D Gallus, patria Lemovicensis, nobilis genere, vir in utroque jure peritus, strenuus in facto et in jure, in spiritualibus et temporalibus, homoque magnanimus post dicti Joannis de Auxio obitum manens in curia Romana multum familiaris papæ per sedem apostolicam promotus est ad sedem Antissiod. et per procuratorem receptus die octava mensis Martii, videlicet Jovis post sacros cineres, anno prædicto millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo more Gallicano, more vero Romano quinquagesimo nono. Dominica vero sequenti in aurora fuit ab inimicis, videlicet Anglis, nomine regis Navarræ capta civitas cum scalis per negligentiam custodum in parte pertinente ad custodiam Burgensium, qui inimici tot et tanta mala fecerunt tam in personis quam in bonis

quod enarrari non possit, nedum in destruendo civitatem solum, sed totam patriam subsequenter et totum regnum, tenueruntque civitatem ab ultima die Martii, anno prædicto, usque ad diem festi Nativitatis beatæ Mariæ virginis proxime sequentem, in cujus festi media nocte venit connestabularius Franciæ cum quinquaginta millibus armatorum, inter quos erat vir strenuus provectusque in facto armorum dominus Henricus de Pictavia episcopus Trecensis, et intraverunt civitatem obturaveruntque portas et cum inenarrabili diligentia super muros rasos posuerunt cados vacuos quos impleverunt lapidibus, et his in forma propugnaculorum et mœniorum circumdederunt et munierunt omnes muros in die et nocte cum dimidio. Demum in locis competentibus statuerunt munieruntque civitatem quadringentis hominibus armorum, et magno brigandorum numero ad custodiam civitatis, qui manserunt longo tempore, sed rex Angliæ cum suo exercitu Campaniam, Burgundiam et partes Antissiodor. occupavit et vastavit. Trengis vero inter ipsum regem et ducem Burgundiæ concordatis, recessit de ducatu Burgundiæ et rediit per partes Aurelianenses. Post treugas inter dominum regem et ipsum captas et concordatas et ipsius regis Angliæ recessum, prædicti homines armorum et brigandi qui jam custodiendo civitatem ipsam et patriam spoliaverant de bonis omnibus, dimissa civitate huc atque illuc divisi per singulas de seipsis comitivas fortia loca furtim intraverunt, et non minus quam hostes patriam oppresserunt per annum et ultra castrum seu fortalitiam de Regennis quod de manibus Anglorum rex receperat, et teneri faciebat munitum gentibus armorum per Ballivos Trecensem et Calvi montis in propriis personis, ibidem residentes. Ipse rex reddidit dicto episcopo Iterio ad rogatum domini papæ Innocentii quinti, sub cautione tamen quod taliter custodiretur, quod de eo non posset damnum vel periculum regno in posterum evenire, quod castrum et tunc cum magnis missionibus tam reparationum et fortificationum quam munitionibus armatorum pro custodia exstitit suo tempore custoditum, magna similiter pecuniæ summa dictis Ballivis soluta pro missionibus custodiæ de suo tempore.

Tempore etiam hujus episcopi habitatores Varziacenses considerantes quod inimici insidiabantur eis die ac nocte, et quod proponebant fortificare locum de Odanto in præjudicium et periculum villæ de Varziaco, destrui fecerunt locum dictum de Odanto. Ilic cum proponeret venire ad suam diœcesim, peste inguinaria quæ vigebat in Romana curia suffocatus in brevi, finivit dies suos, octavo die mensis Junii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo primo, et in crastino die corpus ejus traditum est sepulturæ honorifice in ecclesia fratrum Prædicatorum. Disposuerat autem, ut fertur, sedes apostolica ipsum transferre ad sedem Arelatensem, ut postmodum ad cardinalatum proveheretur. Multum enim erat clarus et notus summo pontifici et dilectus a cardinalibus qui ipsum reputabant verum et sapientissimum, et sic erat. Hic sedit per duos annos cum dimidio. Ilic pro anniversario suo fundando legavit Ecclesiæ Antissiodor. centum francos auri ad scutum, et soluti sunt.

Cap. LXXIX. — *De Joanne Germani.*

Joannes Germani septuagesimus nonus, natione Gallus, patria Burgundus Senonensis, ortus de Dimonte. Primo fuit decanus Ecclesiæ Antissiod.; postea creatus episcopus Cabilonensis ad preces reginæ Franciæ cujus erat specialis consiliarius : demum proprio motu papæ tunc Innocentii V, ipso inscio, translatus sedem Antissiodor. per obitum supra dicti Iterii prædecessoris; in utroque jure licentiatus, prudens in consiliis, conversatus in hospitio reginæ prædictæ, inter consiliarios major et præcipuus, et deinde de secreto regis Joannis consilio, quo rege redito de captivitate Angliæ adveniente in Burgundiam. possessionem ducatus adepturus ex sucessione ultimi directæ lineæ descendentis ducis, videlicet Philippi generi comitis Flandrensis, duxit secum dictum episcopum principalem consiliarium et auctoritate regia introduxit eumdem in civitatem Antiss., non obstante defectu solemnitatis antiquæ quæ debebat in primo ejus introitu custodiri, videlicet in vigilia jacere in monasterio sancti Germani et in crastino in cathedra portari per Nivernensem pro baronia de Donziaco, per Antissiodorensem pro comitatu, per Barensem pro terra de Puisaia comites, nec non et per dominum de sancto Verano deportari ad portas Antissiodor. ecclesiæ prædictæ propriis humeris, et postmodum jurare in ejus fidelitate de terris supradictis; voluitque et concessit rex prædictus nulli inferri in futurum præjudicium ex dictæ solemnitatis defectu, sed jus cujuscunque in posterum auctoritate majestatis regiæ reservavit. Modum ingressus prædicti visum est expediens his scriptis assignare : pranso rege prædicto Regennis, venit rex in vesperis Antissiodorum et in introitu portæ civitatis episcopus juxta ipsum et paulo post anticipavit equitaturam regis, venitque ante portas ecclesiæ in vestibus consuetis, descendensque equo accessit orare ante imaginem beatæ Mariæ virginis in portali, et statim perfecta oratione regressus exstitit in habitu ecclesiastico ante fores ecclesiæ, oblatoque sibi libro continente formam juramenti novi episcopi, dictam formam ad rogatum decani legit et devote dictum præstitit juramentum : demum dictus decanus tradidit eidem possessionem Ecclesiæ, per chordæ tympanilis per superiorem fenestram ante fores prædictas projectæ apprehensionem, et tunc ipsæ fores fuerunt apertæ. Illico advenit ibidem rex prædictus et descendit de equo et venit ad orandum coram imagine supradicta, quo facto rediit ante dictas fores, et insimul ecclesiam intraverunt episcopus a dextra et rex a sinistra parte, et choro decantante hymnum *Te Deum laudamus*. In ordine prædicto venerunt ante altare, et oratione ab eorum utroque perfecta dictaque antiphona cum versu,

dictus episcopus orationem alta voce protulit. Sic possessionem per decanum assecutus, sic recesserunt ambo, et comitatus regem ad locum quo hospitaturus erat, accessit episcopus ad domum episcopalem in proposito celebrandi ordines in crastino. Prædicta enim facta fuerunt die Veneris post festum beatæ Luciæ; sed in crastino rege accelerante recessum, cum patria et potissime civitas multa ardua haberent agere erga regem, dictus episcopus in hoc vacavit et ob id impeditus ordines minime celebravit, sed comitato rege usque ad sanctum Priscum, rediit tarde in prandio, et post misit ad sanctum Germanum pro habendis pastibus consuetis, sed ad religiosorum requestam, posuit eos in sufferentia et demum compositum exstitit inter ipsos. In crastino autem hujusmodi die introitus sui prædicti venit officiarius archidiaconi cum uno canonico Senonensi et fecit querimoniam de inthronizatione prædicti episcopi quam asserebat spectare solum ad dominum suum archidiaconum. Quo audito, consultatione facta super hoc, accessit tertia die mane ad ecclesiam, et pro jure archidiaconi conservando dictus officiarius et vicarius archidiaconi posuit ipsum episcopum in cathedra lapidea, quæ est a parte dextra altaris, postmodum petiit unam marcham auri pro prædicto archidiacono ex causa inthronizationis prædictæ. Item pro ipso officio marcham argenti, et dictus canonicus totidem ex consuetudine antiqua; quæ petitio fuit posita in deliberatione et promisit facere quod esset rationis. Dominica vero sequenti suo collegio fecit convivium, et die lunæ secutus fuit regem in Burgundiam et ibi pro rege rexit cum aliis magistratibus ducatum usque ad sequens immediate festum Resurrectionis Dominicæ, incipiente anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo; reversus dictus episcopus de Burgundia mansit in episcopatu faciens ordines et alia ministeria episcopalia, culturas reficiens in terris et vineis, fortalitia et alia ædificia diligentissime reparans ac muniens; et inter cætera redimens castrum suum Villæ Catuli de manibus illorum qui illud tenebant de tempore prædecessorum et reddere renuebant, eis solvit octingenta scuta auri, nec non pro terra sua de Tociaco solvit tenentibus turrim dicti loci magnam florenorum summam.

Quibus actis existens in castro suo prædicto Villæ Catuli, cum vigeret epidimia in partibus Antissiodorensibus, tumor sub ascellis ipsum arripuit qui in brevi coegit animam ejus a corpore separari, cum magna devotione et sacramentis Ecclesiæ, eucharistiæ scilicet et unctionis extremæ perceptis, et testamento perfecto, et omnibus recte dispositis. Hic sui regiminis tempore, imo solius anni spatio contulit decem canonicatus et prebendas Antissiodorenses, quod de nullo suo prædecessore auditum est: illis tamen personas bonas assignavit, omnes de patria Antissiod. vel Senonensi oriundas. Obiit autem in vigilia festi Nativitatis beatæ Mariæ virginis anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, A in castro suo Villæ Catuli, et fuit adductum corpus ejus Antissiodorum et honorifice sepultum in choro a parte dextra prope sedes chori. Prima est sua sepultura a parte superiori, et cum promotus ad dictam sedem fuisset, anno præcedenti circa festum beati Joannis Baptistæ, sequitur quod sedit solum per unum annum et circiter duos menses. Hic reliquit pro suo anniversario Ecclesiæ Antissiod. docem libras annui redditus.

Cap. LXXX. — *De Petro Aymonis.*

Petrus Aymonis octuagesimus episcopus, natione Gallus, de Alverniæ partibus oriundus, juris civilis doctor et de officio subdiaconatus domini papæ Urbani quinti sumptus, promotus fuit ad episcopatum hujusmodi per prædictum sanctissimum Patrem dominum Urbanum quintum in sua nova creatione, B anno Domini millesimo trecentissimo sexagesimo secundo, circiter festum Omnium Sanctorum, et fuit hic Petrus prima persona quem promovit ipse papa in episcopatum. Hic fuit honorabilis, et cerimonialis in suis factis tam ecclesiasticis quam mundanis, morum honestorum et dapsilis, affabilisque. Quippe nutritus erat in curia Romana tam circa cardinales quam circa summos pontifices, quibus virtutibus prædictis invitantibus electus quampluries exstitit in factis maximis regni ambasiator, seu solemnis nuntius, et sæpe solus sine socio erga papam, imperatorem, regem Angliæ regemque Hungariæ, in quibus actibus pluries et multipliciter versatus, in secreto domini nostri regis consilio exstitit honorifice collocatus. C

Hujus tempore semper fuerunt guerræ, viriliterque et cum magnis missionibus custodiri fecit sua fortalitia, potissime vero Regennarum et Villæ Catuli, et reparari hospitium episcopale Antissiodorense et similiter domum suam episcopalem Parisiensem, multum amabilis atque dulcis ipsum adeuntibus, nihil tamen de negotiis ipsum tangentibus habentibus agere cum eodem. Multum præsumebatur ipsum cardinalari suis meritis et intercessionibus imperatoris et regum suprascriptorum et favore plurium cardinalium quorum in scholis socius exstiterat; sed hectico morbo disjuncta fuit in eo corporis et animæ societas, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, mense Septembri, die D secunda in domo episcopali Antissiod., ejusque corpus decenti traditum sepulturæ in choro ante scalam partis sinistræ juxta sepulturam bonæ memoriæ domini Joannis de Auxeio, quæ jungitur sepulturæ bonæ memoriæ domini Guidonis de Melloto quondam episcopi Antissiodorensis et ejus nepotis domini Eraldi de Lisigniis similiter episcopi, qui ambo quiescunt in eodem sarcophago ac tumulo, qui Eraldus fuit primus episcopus de Antissiodoro factus cardinalis. De obitu ejus Romæ, et quomodo ejus ossa reportata fuerunt in hanc ecclesiam suam plenius continetur superius in gestis ejusdem, videlicet in libro primo Gestorum pontificum Ecclesiæ Antissiodorensis. Ipse Petrus ingressus fuit civita-

tem, primum introitum faciendo, sine solemnitate antiqua et consueta, sine deportatione ad ecclesiam facienda per nobiles feodatarios ecclesiæ, de quibus solus comes associavit eum in dicto ingressu novo. Cum ex relatu antiquorum et fama vetustissima teneretur quod per libros, litteras vel alia documenta sive narrata quorumcunque non apparebat litigium in forma litigiali fuisse inter aliquem episcopum Antissiodorensem, decanos et capitulum Ecclesiæ Antissiodorensis, iste primus litigium habuit cum eis super pluribus summis pecuniarum et rerum aliarum annuatim ab episcopis debitis, quas solvere cessabat. Mediantibus tamen viris sapientibus destitit a litigio, et dilexit dictos decanum capitulum et personas singulares, et, ut sæpius exprimebat, magnam devotionem gerebat ad ecclesiam, potissime ad fabricam ipsius ecclesiæ juvandam, nisi sors conditionis humanæ citius impedimentum dedisset. Dedit ipsi ecclesiæ pro fundando anniversario suo trecentos denarios auri Francos, fecit professionem Senonis consuetam, et loco cappæ sericæ dedit ibi pannum sericum, seu aureum, quem prius renuentes capere decanus et capitulum Senonense finaliter ceperunt. Sed de inthronizatione sua nihil fuit factum pro parte archidiaconi Senonensis, et, si quid solutum fuit ipsi archidiacono, ignoratur. Sedit per decem annos minus circiter duobus mensibus; dederat in vita sua huic ecclesiæ pannum sericum deauratum, qui in magnis solemnitatibus in summitate majoris altaris, videlicet ante cereos ponitur.

Cap. LXXXI. *De Nicolao de Arcis.* — LXXXII. *De Guillelmo de Totavilla.* — LXXXIII. *De Ferrico Cassineti.* — LXXXIV. *De Michaele de Creneio.* — LXXXV. *De Joanne de Thoisy.* — LXXXVI. *De Philippo de Essartis.* — LXXXVII. *De Joanne de Corbeya.* — LXXXVIII. *De Laurentio Pynon.* — LXXXIX. *De Petro de Longolio.* — XC. *De Anguerrando de Synart.* — XCI. *De Joanne Baillet.*

Cap. XCII. *De Francisco a Dintavilla.*

Franciscus de Dinteville ex nobilissimo patre Claudio de Dinteville, commarieni in Burgundia, Ecgenetorum, Polizei, multorumque aliorum locorum domino; matre vero Joanna de la Baulme ex comitibus montis Revelli. Qui quidem Claudius de Dinteville, sicut in domo et familia ducum Burgundiæ alitus et educatus (quippe qui illis a thesauris et consiliis esset), ita in omni negotio eorum fortunam secutus est, atque demum in prælio ad Nanciacum cum Carolo duce fortiter cecidit. Cæterum cum adhuc eorum ducum prosperæ secundæque res essent, Joannam claro loco divite ac potenti familia uxorem duxit, ex qua liberos quatuordecim, mares scilicet decem, feminas quatuor suscepit, quorum hic novissimus Franciscus primum Cistarciensis episcopus; dein anno Domini millesimo quingentesimo quarto, vacante sede Antissiodorense per decessum bonæ memoriæ reverendi Joannis Baillet, communi omnium canonicorum voto in episcopum postulatus, a Leone X pontifice maximo a Cistaricensi Ecclesia ad Antissiodorensem translatus est, anno ætatis suæ quadragesimo nono, die 5 Martii. Puer humanoribus litteris Divioni primum, postea Heduæ operam dedit, ubi inter cæteros omnium judicio doctissimus habitus, non mediocrem de se exspectationem præbuit. Postremo Papiæ Cæsareis legibus pontificiisque sanctionibus annis quinque graviter incumbens, sedatis bellis, compositisque rebus inter Christianissimum Franciæ regem Ludovicum XI et Burgundiones, juris utriusque doctor, domum parentesque revertitur. Paucis inde mensibus in reverendissimo domini Georgii ab Ambasia Rothomagensis archiepiscopi, postea cardinalis et legati familiam, ob animi et corporis præstantes egregiasque dotes ascitus, fratrum parentumque favore adjutus, magnas in Ludovici duodecimi regis curia amicitias comparavit. Erant autem tunc tempore Guillelmus Pot, Tornacensis episcopus illi avunculus, Jacobus commarieni dominus eques auratus, Jacobus magnus Franciæ venator, et Galterus regius œconomus, seu regii hospitii magister, Polizei dominus, fratres, eidem Christianissimo regi Ludovico duodecimo charissimi, et a consiliis, quorum opera et auxilio sacerdotia seu beneficia multa, eaque peropima, nempe Castilionis ad Sequanam cœnobium, Dervense monasterium, prædictumque Cistarensem episcopatum obtinuit. Cumque anno Domini millesimo quingentesimo decimo, vacante sede Heduensis Ecclesiæ, cujus jampridem canonicus erat, a majori saniorique parte capituli in episcopum postulatus esset, rogante volenteque præfato rege Ludovico, juri suo cessit in favorem domini Jacobi Hurault; obtinuerat autem juvenis parochiam de Riceyo, præbendas in Ecclesiis Heduensi, Balnensi, et Divionensi, prioratumque de Choysiaco in Meldensi diœcesi, quibus omnibus Antissiodorensem episcopatum suscipiens cessit, solo sibi Dervensi monasterio reservato

Possessione episcopatus adepta vir splendidus, ut erat moribus ingenuis, liberalis et magnificus, domos episcopales Varziaci et Regennarum reparavit, restauravitque Regennis turrim egregiam, palatium deambulatoriumque magnificentissimum a fundamentis exstruxit. In monasteriis Dervensi et Castillonensi (quæ bellis ita diruta repererat, ut nec abbati domus, nec monachis ipsis regularia loca, claustra videlicet, dormitoria, et refectoria superessent), quæ nunc illic conspiciuntur ædificia, quantæ industriæ, quantæ diligentiæ, quantæque magnificentiæ vir fuerit satis ostendunt. In Dervensi namque monasterio eborum ecclesiæ, campanile, pinnaculum, navis valvas, claustrum, et domum abbatialem, quæ bella, incendia, longaque abbatum et monachorum paupertas et incuria labefactarant, ita reparavit, ut nova omnia longeque prioribus ædificiis sumptuosiora paucis annis videri potuerint. Castrum præterea Summeuræ totius patriæ propugnaculum, tutamen et præsidium, turribus quatuor munitissimum fossato duplici, pontibus, aquarumductibus, hortis, stabulis, reliquisque ad ut litatem et ornatum tanti castri, et rebus ne

cessariis splendide decoravit; siquidem in eo castro palatium magnificum, cui sacellum ornatissimum appendet, granaria ingentia eaque duplicia, penu, cellarium maximum, paucis annis, postquam cœnobio illi est præfectus, eductis ejectisque ruderibus et ruinis, quæ, ut in aliis bellorum incendiis antecessorumque cœnobiarcharum negligentia obtigerant, incredibili impensa majoreque diligentia exstruxit. In Castillionensi vero monasterio, claustrum, capitulum, dormitorium nova a fundamentis erexit. Ecclesiam autem, refectorium domumque abbatialem, quibus nullam monasterii faciem Martius furor reliquerat, ita reparavit, ut nova omnia, hospitiaque arridentia videantur; eorum monasteriorum fructus, census, et redditus solerti adeo providentia ampliavit, auxitque, ut non immerito fundator potius quam administrator et dici et haberi debeat. Porro quantum ad Antissiodorensem Ecclesiam attinet, templum ipsum seu ædem divo protomartyri Stephano in ea urbe sacram mirifice adornavit, pulpitum ad Epistolas et Evangelia legenda totius Galliæ pulcherrimum, miro lapidum tabulatu, raro artificio elegantique, ut cernitur, structura, suo ære donavit, organa ea tempestate et bellissima et argutissima nulli sumptui parcens instrui curavit; pallia duo aurea pretiosissima majori altari accommoda, planetas, pluvialia, aliaque sacerdotalia vestimenta quamplurima auro, margaritis et lapidibus pretiosis intexta, quanta nulla alia Galliarum ecclesia splendidiora habeat, elargitus est, et ejus ope maxima a frequenti suffragatione ea pars provinciæ Antissiodorensis quæ est trans Jonam, videlicet Donziacum, Clameciacum, et circumjacentia loca, quæ olim, sæviente passim inter Francorum regem et Burgundiones bello, Senonensi jurisdictioni ascripta fuerat, Antissiodorensis prætoris jurisdictioni per supremæ curiæ parlamenti, sive senatus Parisiensis arrestum, restituta est.

Irrepsit (proh dolor!) eo tempore Lutherianæ hæreseos nova impudentia, ad quam radicitus exstirpandam, et a fidelium theatro penitus explodendam provincialia concilia per Senonenses archipræsules Poncherium et de Prato non semel congregata sunt. Quibus omnibus cum suffraganei episcopi orthodoxique Patres multi convenissent, tum hic potissimum magno fidei zelo fervens, nunquam non astitit, proserpente sensim et clanculum suppullulanti per viciniora loca perniciosa illa lue, diœcesim suam diligenti cura et provida circumspectione usque adeo tutatus est, ut ex grege sibi credito virus id exitiale qui hausisset repertus sit nemo. Regum Ludovici duodecimi et Francisci primi quibus ut charissimus, ita eorum consiliarius et eleemosynarius ordinarius erat. Curiam quotannis, tribus quatuorve mensibus continuis magno satellitio, apparatu eleganti, sumptuque maximo frequentabat. Unde, ut sunt hominum mores, principibus, nobilibus et aulicis omnibus acceptissimus erat. Tanta denique morum elegantia, tanta animi facilitate, tanta in rebus agendis cautione et providentia fuit, ut nihil ei dissidii, controversiæ nihil, odii et invidiæ minus cum capitulo aut canonicorum aliquo unquam intercesserit, tantumque abfuit ut ex ecclesiæ juribus redditibusve aliquid propterea deperderetur, ut etiam (quod et in Dervensi et Castillionensi monasteriis contigisse supra dictum est) ea non mediocriter adauxerit. Tandem cum in Antissiodorensi episcopatu annos decem et septem, mensem unum, dies viginti sex sedisset, sexagesimo sexto ætatis suæ anno, die Veneris quæ fuit penultima Aprilis millesimo quingentesimo trigesimo, longo profluvio ventris universæ carnis viam est ingressus.

Sentiens itaque vitæ suæ finem dierumque terminum a Domino sibi constitutum adventasse, die Dominico mortem ejus præcedente, audito sacro, præviaque peccatorum suorum diligenti ac generali confessione, salutiferum eucharistiæ viaticum pro Christiano more digne reverenterque suscepit; die vero Martis subsequenti, audito item sacro, nec non iterata confessione, rursum devote magnaque cordis contritione communicavit. Tum advocatis notariis testamentum condidit in Franciscum a Dintavilla illi ex fratre nepotem successorem nuper Regiensem episcopum, Antissiodorensis Ecclesiæ decanum et canonicum, in cujus favorem jampridem suum Antissiodorensem episcopatum resignaverat. exsecutorem nuncupavit. Testans autem duodecim, quod aiunt, obitus annuos et perpetuos quolibet ultimo die Veneris, cujusque mensis in Antissiodorensi ecclesia celebrandos pie fundavit, et pro cujuslibet celebratione duodecim libras Turonenses canonicis distribui voluit; quod et hæredes continuo fideliterque præstiterunt. Ubi vero Jovis dies subsequens illucescere cœpit, sacro se perungi oleo postulavit, unctionem hanc extremam non eadem, sed Veneris mane, congregato canonicorum choro per manus venerabilis cantoris, mente sanus, animo constans, intellectu vigens, ut etiam ad psalmos et versiculos omnes rite distincteque responderet, cum ea qua potuit, humilitate et reverentia suscepit; peracta unctione rogataque ab ipso cantore et canonicis universis, qui dolentes lacrymabundique astabant, offensarum venia, eorum sese precibus commendans, ultimum illis recedentibus vale dixit. Aderat præfatus Franciscus nepos, qui etsi pro dignitate (decanus enim erat) munus et obsequium hoc unctionis extremæ patruo amantissimo deberet, tamen ob ingruentes lacrymas luctumque inexplebilem, omnino exsequi non potuit. Igitur ab illa hora, qua unctus est, usque ad tertiam ejus diei pomeridianam nihil mundanum, nihil terrenum volvens, sed semper de regno Dei loquens, spe maxima, fide majore, constanti et infracto animo Deum se vocantem exspectabat, atque in hoc perseverans, paulo ante quartam corpus humo relinquens, beatam cœlo animam reddidit. Funus ducendum tum funalibus cereis, tum pompis ab ordine, genere et dignitate non

aliens, tum etiam precibusque et eleemosynis publicis, privatisque ad implendum quoque testamentum, cui erat a patruo datus executor præfatus Franciscus nepos, quanta potuit, diligentia curavit. Successione demum temporis nobile patruo mausoleum marmorea ejus effigie venustatum, magna omnium admiratione sculpi, fingi, pingi jussit :

Nobilitas, virtus et magnificentia tecum,
Hic, Francisce, jacent, hæc cœlo munia digna... 1548

CAP. XCIII. *De Francisco a Dintavilla secundo.*

In defuncti patrui locum suffectus est Franciscus nepos, Galteri a Dintavilla Tricatiorum præsidis et Annæ a Placida Sede dictæ filius. Qui tenellus adhuc puer, prima grammaticæ rudimenta Trecis hauriens, huc Lutetiam a parentibus missus apud regiam illam Navarrorum scholam, mansuetioribus musis liberalibusque disciplinis institutus, Pictavum dein Pataviumque jurisprudentiæ dicata gymnasia adiens, juris utriusque et civilis et pontificii arcana didicit, tanta morum ac vitæ integritate, ut inde reversus in regis Francisci primi aulam accersitus fuerit, thesauraria Pictavensi, prioratu Choisiaco in agro Meldensi, sacerdotioque Ryceiano Lingonum finibus insignitus donatusque hoc ipsum procurante regia parente Ludovica, cui tum a sacris et eleemosynis Franciscus hic nepos erat. Quo in munere, dum citra ullam famæ ac nominis notam strenue versatur, vacante Regiensi Ecclesia, ad illam nominante rege pastor constituitur. Eam Ecclesiam cum aliquot per annos laudabiliter rexisset, propatruo jam ad senium vergente, et episcopatum Antissiodorensem cum Dervensi monasterio, quibus præerat volens ac spontanee ejurante, dimisso pontificatu Regiensi Antissiodorensis Ecclesiæ cœnobiique Dervensis regimini communibus omnium votis præficitur. Ante vero quam publice ac solemniter pro more a populo reciperetur, et in Ecclesiam suam plausibiliter admitteretur, Rex hominis animum vario ac multiplici tum doctrinæ, tum virtutis genere ornatum, non ignarus, eum ad summum pontificem Clementem septimum oratorem destinat. Ubi quam prudenter, quam sancte quamque feliciter rem gesserit, neminem, qui vel mediocriter publica negotia intellexerit, nescire certum est; nam præter sacrum illud ac felix inter Henricum secundum filium Francisci regis, et Catharinam Clementis neptem, tractatum tunc conjugium, innumera alia, eaque ardua huic commissa negotia multis ex voto successere.

Neque vero silentio prætercundum, cum in ea legatione, dum pro nonnullis purpuratorum Patrum ordinem ambientibus apud pontificem verba faceret, tantam in oratore facundiam, tantam animi modestiam, sinceritatemque demiratus pontifex : Quid tu, inquit, pro absentibus et nobis omnino ignotis, aures nostras compellis ac demulces? quin tu tibi potius consulis? pro aliis anxius oraturus venisti, pro te sollicitus nihil. Cui ille fortis, ut erat ab omni ambitione alienus, respondit : Huc, beatissime pater, huc, non mea, sed principis mei causa accessi, ejus negotium, non meum gerere, sicut teneor et debeo, ita et volo cupioque; publicam non privatam personam agat quisquis hoc munere fungitur et honestum et necessum est; honores autem ipsos, imo vero onera ista, ut nihil moror, sic nec venor, nec ambio. Legatione fideliter obita, in Galliam regressus, creditum sibi gregem cœpit pastor vigilantissimus sedulo regere, moderarique editis propterea constitutionibus, quæ ad mores et Christianam pietatem facerent. Moliuntur interim homini nihil tale metuenti insidiæ, atque ab aulicis et magnatibus quibusdam, quorum malevolos animos ob feliciores viri successus invidiæ labes altius insederat, in regis odium sensim adducitur. Quo factum est, ut mature ab amicis persuasus, ne atrocius a furentibus æmulis impeteretur, patrium solum verteret, ac toto ferme triennio apud exteros primatus ageret. In ea peregrinatione Romam veniens, a Paulo III pontifice maximo susceptus est et blande consolatus, neque illi defuit complurium cardinalium favor, quin et nobilium Venetorum. Dum apud eos per id tempus moratur, gratiam sibi non modicam conciliavit.

Detecta tandem impostorum fraude insontem innoxiumque revocari jubet rex, concessa illi adversus eos qui absentis sedem et bona occuparant, legitimi experiundi facultate, quos postea jure persequens ab illata calumnia sese graviter vindicavit. Postliminio reversus, dum pastorali sollicitudine diœcesim suam circumit et visitat, ex ovibus creditis non paucas reperit, quæ a clancularis hæreseos Lutheranæ disseminatoribus labefactatæ in errorum devia conniventibus mercenariis præcipites abierunt. Has diligenter, et ut pastorem bonum addecet, ad fidei caulas, ad ovile Christi, ad Ecclesiæ gremium reducere satagens, nec tempori, nec valetudini, aut sumptibus ullis pepercit. Cumque sic agrum Domini a noxiis sentibus repurgare modis omnibus contendit, deprehensi nonnulli ex eorum classe, quibus concionandi facta potestas erat propter assertas inter concionandum dudum sepultas ac damnatas hæreses, recantatis prius temere et impie dictis, honore et gradu ecclesiastico privati exsilium subire compulsi sunt. Deprehensus est et præter spem sacerdos ex oppido Genabo seu Giemo, qui sacros ordines susceptos parvi aut nihili pendens, junioris cujusdam viduæ specie illectus, illam (quod esset ejus farinæ) Conada abduxerat, ex eaque simulato matrimonio adulterinam sobolem susceperat. Deprehensum, convictum, condemnatum et degradatum victrices flammæ e medio sustulerunt. In summa nihil non egit pius antistes, quo latentes sub agnina pelle lupos ab ovili arceret, fugaretque; quod nisi cessassent quibus tum a rege delegata fuerat in facinorosos hæreticos jurisdictio, tuta forsan in hac diœcesi pacataque forent ab hæresibus omnia.

Porro monasterium Dervense moderandum cum suscepisset illic plerosque cœnobitas per vitiorum abrupta grassantes offendit, quos accitis aliunde probis religiosis, ad melioris vitæ frugem sese convertere coegit; ad quorumdam autem improbitatem qui pingue et optimum beneficium magnopere avebant illud tandem ad Aremarensis et cellæ in agro Trecassino monasteria permutare compulsus est, posteaquam ei per decennium et eo amplius præfuisset, ambobus autem et Aremarensi et Cellæ monasteriis prius ad charorum opus cessit, quam e vita migraret. Instaurata sane, constructaque ab eo ædificia Antissiodori, Regennis, Varziaci, et monasterio Aremarensi hominis curam et diligentiam mirumque ac prope stupendum ingenium testantur. Ingentia templis donaria, pii bonique pastoris liberalitatem effantur, in dies erogatæ xenodochiis, conventibus, collegiis et hospitalibus eleemosynæ pectus vere Christianum in eo fuisse commonstrant; cibus parcus, potus rarus, modicus somnus, continuus labor, pertinax et indefessum studium, vitam philosopho dignam declarant. Nam præter liberalium artium disciplinam mechanicas etiamnum (quas vocant) artes mirum in modum callebat. Pictoria vero summopere delectabatur, ejus artis peritos domi semper alens; temporis parcissimus, vetus illud Apelleum sæpiuscule adducebat, ut nulla dies sine linea abiret. Ut enim doctos, eruditos, studiosos, gnaros, solertes, ingeniosos et vigilantes suscipiebat, venerabatur ac fovebat, ita desidiosis, socordibus, ignavis, oscitantibus et inertibus, oppido infestus erat. Cæterum cum nihil sit ab omni parte beatum, vir tantus ac talis, febre, calculo, dysenteria, podagra, variisque morborum generibus, ut plurimum laborabat, neque sic affectus, sui unquam obliviscebatur; sed suam post Christum crucem bajulans cum Apostolo Deum in infirmitatibus glorificans, lætus et gaudens cœlorum regnum ea se via intraturum sperabat. Circumactis igitur in episcopatu quatuor et viginti annis, posteaquam mature de suis rebus ordinasset, ad mortis imperium (cui parere necesse est) naturæ tributum nondum sexagenarius exsolvit, anno incarnati Verbi quinquagesimo quarto, supra sesqui millesimum, quinto Kalendas Octobris.

CAP. XCIV. *De Roberto de Lenoncourt.* — XCV. *De Philippo de Lenoncourt.* — XCVI. *De Philiberto de la Bourdaisière.* — XCVII. *De Jacobo Amyot.*

Jacobus Amyotus Meloduni, quod oppidum est millibus viginti supra Lutetiam ad Sequanam positum, natus est III Kalend. Novembris, anni millesimi quingentesimi decimi tertii, parentibus honestis potius quam copiosis Nicolao Amyoto et Margareta de Amoribus. Quorum opibus tenuiter sustentatus a puero, primum Meloduni, deinde Lutetiæ in studio bonorum litterarum et philosophiæ rudimentis ita profecit, ut circa annum undevicesimum magisterio Facultatis Artium, ut vocant, cohonestaretur, et æqualibus suis facile præluceret. Usus est in Latinis vulgaribus magistris quales fere in gymnasiis publicis Lutetiæ juventutem terunt; sed in Græcis ad prima ejus linguæ elementa quæ valde paucis ea tempestate erant familiaria, primum Joanne Evagrio Remensi, qui in collegio cardinalitio novo, et aliis insuitato more classem regebat ab aliis segregatam, quæ Græcorum dicebatur, quoniam in ea nihil nisi Græcum legebatur et docebatur. Sed ubi regii lectores ab augustæ memoriæ Francisco rege primo instituti sunt, Jacobi Tusani in poetis, Petri Danesii in oratoribus et philosophi assiduus auditor per aliquot annos fuit, et Ciceronis orationes aliquot Latinas eo disserente magna cum omnium doctorum admiratione didicit. Mathematicis item disciplinis sub Orontio Finæo professore regio sedulam navavit operam. Sic linguarum et liberalium artium cognitione instructus Biturigum postea perrexit cum V. C. Canayo, qui celebris causarum patronus in senatu Parisiensi fuit, ut juri civili operam daret.

Ibi reverendus abbas cœnobii divi Ambrosii Bituricensis D. Colinus, qui tunc lector anagnostes ordinarius et cubicularius erat magni Francisci regis, illius disciplinæ nepotes suos commisit, ejusdemque beneficio, et hortatu Augusta Marguarita regis soror unica, Navarreorum regina, et Biturigum ductrix et moderatrix, avia materna Magni Henrici quarti felicis memoriæ, Amyotum professorem instituit litterarum Græcarum et Latinarum in regia Biturigum, honestis ad id stipendiis annuis constitutis. Quo munere et professione per duodecim fere annos tanta cura, et sedulitate, et doctrina functus est, ut magnam inde eruditionis ac probitatis famam compararit. Quo rumore percrebrescente, amplissimus vir D. Morvillerius, tunc propræfectus urbi Biturigum, eruditione ac probitate Amyoti impulsus, nepotes ex sorore et ornatissimi viri Bucetelli, Toparchæ de Sacy, consiliarii, et a secretis et epistolis regis, curæ ac moderationi tradidit instituendos. Quo institutionis tempore horis successivis tragœdiis quibusdam Græcis Gallico rhythmo exprimendis, aliisque Græcis opusculis Gallice vertendis Heliodori historia de Theagene et Chariclea, itemque Longi Græci bucolico dramate prosaico de Daphne et Chloe operam dedit, et versiones suas typis mandavit, tametsi in codice Græco de Theagene, quo quidem usus tum fuerat, auctoris nomen inscriptum nusquam esset, ut parentem scripti illius interpres ignoraret, donec Romam profectus in Vaticana bibliotheca exemplum manu exaratum illius historiæ invenit, in quo Heliodori nomen ascriptum erat, ut idem in tertia editione Gallica declaravit.

Paulo post versionem Gallicam nonnullarum Plutarchi Chæronei Vitarum illustrium virorum aggressus est, quam Francisco primo, regi magno, obtulit et consecravit, a quo tam splendida translatio tantopere probata est, ut jusserit Amyoto inchoatam translationem prosequi, et ad umbilicum ducere, eique tanti laboris ac operis ratione habita pro remuneratione abbatiam Bellozaniensem, quæ forte

tum vacaverat, regia liberalitate concessit, idque postremum sacerdotium fuit, quod rex ille contulit, quia non multo post vitam cum morte commutavit. Quapropter Amyotus fortunam majorem vix responsuram labori apud Gallos ratus, nec ad alios honorum gradus provectum iri, instituit in Italiam proficisci, ut illic vitam hoc mediocri censu agitaret, bibliothecas Italicas consulendi animo, et codicem Plutarchi mendose excusum cum manuscriptis conferendi, et cum eruditis viris, quos ibi nancisceretur, sermones ea de re ultro citroque habendi. Dum hæc cum animo cogitaret, obtulit ei se commoda admodum occasio ejusmodi anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Idem Morvillerius ab Henrico II rege missus ad Venetos legatus, Amyotum sibi adjunxit itineris comitem, qui tum tricesimum secundum ætatis annum attigerat, cum paulo major natu Morvillerius esset. Per id legationis tempus legatus regius tanto cum eo amicitiæ et familiaritatis vinculo astrictus est, ut pati non potuerit ipsum a se discedere, etiamsi incredibili desiderio bibliothecas aliarum civitatum Italiæ visendi flagrare sciret. Jam perscrutatis omnibus sedulo loculis Venetæ bibliothecæ locupletissimæ ad institutum opus Plutarchi scripta conferendi, emendandi, et elegantius Gallice vertendi, Venetis Romam se contulit. Ubi perhumaniter acceptus est ab episcopo Mirapicensi, qui domi suæ eum retinuit, et per biennium ferme convictorem habuit, cum quo ultro citroque sermones haberet, de litteris ac disciplinis verba faceret.

Eodem ferme tempore in illustrissimi cardinalis Turnonii amicitiam se insinuavit, qui a rege ad aulam revocatus, cum ob egregias animi dotes, et virtutum ornamentum, tum ob rerum civilium, et regni negotiorum accuratam cognitionem et experientiam, eumdem Amyotum itineris comitem assumpsit cum Dionysio Lambino, viro clarissimo et utriusque linguæ peritissimo, qui postea regius Græcarum litterarum professor Lutetiæ fuit. Cum is cardinalis ad aulam se contulisset et audisset regem quibusdam antistitibus ac proceribus sibi gratissimis hanc provinciam dedisse, ut accuratissime tanquam de re maximi momenti sciscitarentur ac percontarentur de probo, erudito ac cordato viro, a quo liberi regii Aurelianensis et Andegavensis duces, jam tum imperio destinati, sedulo institui et doceri possent, regi Amyotum, cujus mores, ingenium, doctrinam, aliasque animi dotes perspectas et exploratas habebat, obtulit. Proinde e vestigio ad hoc præclarissimum et gravissimum munus Amyotus unus ex tot tantisque viris quibus hoc eruditum sæculum florebat, ascitus est; in quo ita strenue ac fideliter gessit ad regni Francorum commodum et ornamentum, ut regi reginæque gratus et acceptus fuerit, idque longo annorum intervallo usque ad Francisci II obitum.

Quo tempore Carolus IX Francorum regno potitus, officiorum et meritorum præceptoris sui (quem ideo magistrum suum semper nominavit) non immemor, magnum Franciæ eleemosynarium constituit, et a sanctiori et augustiori consilio sibi esse voluit, ac paulo post abbatia Rupium decoravit, et mox alia, nempe sancti Cornelii Compendiensis vacanti, ultro ac sponte sua cum minime ambientem exornavit. S. R. E. cardinali de la Bourdaisière Romæ defuncto, Pius V Amyoti virtutum, eruditionis, pietatis ac fervidi affectus erga Ecclesiam catholicam apostolicam et Romanam fama impulsus, eumdem episcopatui Antissiod. præfecit, quod libenter a rege concessum est, qui nihil magis expetebat quam ut eum ad summos honores et dignitates proveheret, ut reipsa ostenderat, ac primoribus aulicis ac principibus patefaciebat. Hujus vero regiæ in se benevolentiæ, benignitatis ac beneficientiæ semper gratum et memorem se præstitit, non tantum superstite principe, sed etiam post obitum ejusdem, quem semper laudibus in cœlum extollebat, quarum revera dignus erat, felicemque ejus memoriam colebat et piis manibus semper apprecabatur.

Porro cum rex Henricus III, reversus a Polonia, per Sabaudiam Allobrogum transiret, ductrix amita regis ei Amyotum tantopere commendavit, ut ei rex pollicitus fuerit eumdem Amyotum in suo gradu dignitatis et officii eleemosynarii magni Franciæ apud se permansurum, utpote quem primum præceptorem habuerat, ideoque eum se per totam vitam semper magistrum suum appellaturum esse; hujus promissi nuntius rex ipse fuit redux Amyoto et ab eodem vicissim petiit ut propensam erga se voluntatem et fidum obsequium, quo hactenus usus fuerat, in munere regio exhibere pergeret: singulari certe ac novo exemplo hoc beneficium in Amyotum ab optimo rege collocatum videri potest, ut duorum succedentium unus idemque magnus eleemosynarius fuerit, cum obtinuerit apud principes ad regnum hæreditario jure accedentes officia summa primasque dignitates ad eos deferre, quos in comitatu et obsequio suo antequam rerum potirentur chariores et gratiores apud se habebant. Jam vero idem rex Christianissimus paulo post reditum a Polonia, cum equitum Torquatorum ac moderatorum seu commendatorum sancti Spiritus ordinem institueret, Amyoti sui minime est oblitus, imo primum ejus ordinis Equestris moderatorem præfecit; quin etiam in ejusdem gratiam et favorem ordinis constitutionibus ac typicis litteris inseri voluit hunc capitis articulum: Quisquis magnus eleemosynarius fuerit, idem etiam dicti ordinis moderator seu commendator erit eaque lege, ut nobilitatis generis sui indicia ac testimonia dare non adigatur, ut cæteri omnes adiguntur. Sed qua pietate episcopatum auspicatus fuerit ex eo constat quod simul atque pontificias bullas accepisset, per procuratorem possessionem adiit, dum Lutetiæ consecrationis munus consequeretur ut commodius postea, venia a rege impetrata, ipsemet reipsa ad possessionem adipiscendam accederet et munere episcopali fungeretur; cum religioni haberet sacerdotii opimi reditu frui, in quo

nullum adhuc officium præstitisset. Porro cum primum ac præcipuum antistitis munus in prædicatione verbi Dei esse perspectum haberet, quæ rite ac pro dignitate exerceri absque theologiæ scientia minime posset, in qua mediocriter tantum versatus erat, quia non tantum studii et operæ in sacris litteris quam in aliis disciplinis et scientiis insumpserat, tunc cœpit serio summaque contentione theosophiæ incumbere, statimque aggressus est, præter sacrorum Bibliorum quotidianam lectionem, sanctorum Patrum et doctorum Ecclesiæ Græcorum et Latinorum volumina die noctuque evolvere.

Interim magistrum Petrum Viel doctorem theologum accersivit, eumque rogavit ut sibi possessionem realem adeunti atque auspicia ingressus episcopalis suscipienti assisteret. Quod pius ac eruditus doctor episcopo libenter concedens, coram eo plerasque sanctas conciones in ecclesia cathedrali habuit, ad hoc frequentes sermones de rebus divinis et de expositione locorum insignium sacræ Scripturæ, de controversiis theologicis et quæstionibus scholasticis inter eos habebantur. Episcopus certe D. Thomæ Aquinatis scripta tanti faciebat ut ea fere ad unguem referret, altitudinem et subtilitatem tanti ingenii admiratus, quare tandem dicti viri hortatu et rationibus impulsus ad concionandum animum appulit ac solemni die quo sacra celebrare instituerat, non imparatus quidem, sed viribus utique diffidens, timidus accessit ac tametsi voce admodum exili ac submissa pronuntiaret, sic tamen aperte pureque ac dilucide animi sensa expressit tantoque verborum delectu ac copia, tanto sententiarum pondere, tam præclaro denique ordine dixit, ut eruditi doctiores evaderent, imperiti et plebeii meliores et ad pietatis officia concitatiores abirent. Cum hæc concionum progymnasmata tam felicem successum habuissent, alacrius multo summa cum assiduitate hoc ecclesiasticum munus exsequi perrexit ac nullo deinceps solemni die et festo anniversario sacris operari ac concionari intermisit, cum apud gregem residere liceret, concionum vero προθεωρίας summa capita et auctoritates Latinis verbis ad formam homiliarum contextas et manu sua exaratas reliquit. Exinde totus cœpit eloquiis sacris, et Græcorum Latinorumque Patrum scriptis incumbere atque ad hanc vehementissimam sitim eorumdem libros perlegendi explendam ante horam quintam matutinam post fusas ad Deum preces museo se abdebat, donec quidam canonici cum domesticis accederent ad comitandum eum ad ædem sacram et solemnem missæ liturgiam, cujus celebrationi semper intererat in choro cum habitu decenti et canonicorum proprio, ubi confessionis formula pro more Ecclesiæ in missæ introitu recitata in exitu benedictionem suam exhibebat; inde ad prandium cum convivis accedebat, inter quos aderat semper aliquis ex dignitate ornatis vel canonicis præter hebdomadarium a quo sacrum celebratum fuerat. Inter pocula etiam sermones de litteris et rebus honestis habebantur, ut ejus mensa jure dici potuerit schola virtutis omnis, doctrinæ ac pietatis, unde vel pererudituus quivis se doctiorem et meliorem recedere ingenue fateretur; a prandio cum cœtu eodem per horæ spatium colloquebatur; tum amicis recedentibus ac vale dicentibus, ad bibliothecam et cœpta studia redibat, sæpe sibi in votis esse significabat secretario Martino (quo familiariter utebatur et quem canonicatu et præbenda nec multo post archidiaconatu pietatis et meritorum ergo in Ecclesia sua exornandum curavit) ab aula magnam anni partem recedere velle quo frequentius et liberius episcopali muneri incumberet. Eapropter statim post conventus juridicos Blæsis habitos, Antissiodorum repetiit, sed ita male per difficillima tempora acceptus est a quibusdam quos factiones ac suspiciones calumniæque transversos agebant ut pio proposito consilioque frustratus tempori et vi majori cedere coactus fuerit, cum malo exemplo, non ab adytis tantum, sed ab aditu ecclesiæ sine causa arceretur et episcopalis domus septo constringeretur, adeo ut nullis episcopi officiis fungi posset. Tandem ne quid omitteret quod simplicioribus et scrupulosioribus animis satisfacere crederet, tametsi minime, quod ad ipsum spectabat indigeret, eo se dimisit abjecitque ut primum absolutionem ad cautelam, ut vocant, peteret; demumque plenam et absolutam a summo pontifice obtineret per illustrissimum legatum cui peculiariter in mandatis erat ut usquequaque dicti episcopi desiderio faceret, satis, cujus ipsi legato, ut et pontifici maximo vitæ integritas honestissima et religiosissima conversatio aliaque merita patebant.

Hoc ergo incredibili solatio fuit episcopo, cum haberet, quod avebat maxime, et liberum jam et esset muniis officiisque ecclesiasticis defungi, quæ ab integro aggressus est primo quoque tempore a concione sacra, utpote primo præcipuoque officio quam habuit die cinerum, primo Quadragesimæ, eodem affectu, pari modestia eodemque fere gestu quo consueverat, nulla plane perturbatione commotus ab omni vindictæ cupiditate liber, nullis usus querimoniis et invectivis in injurias sibi illatas et offensas, ac protervias suorum: quod rarum plerisque visum est, qui præsulem intus et probe non noverant: at enim ulciscendi minime cupidus fuit, et ad injuriarum memoriam oblivione delendam paratissimus; paulo tamen ad iram proclivior erat quam facile citoque coercebat, nec unquam alicui delicta præterita probrose objectabat; tetricus, severus, acer, difficilis accessus ac morosus vulgo ferebatur; ejusmodi tamen ab iis qui aliquandiu ipsius consuetudinis consortio usi fuerant non habebatur. Verum cordatus, quadratus, candidus agnoscebatur: quippe cum Romano more, ore libero loqueretur, non simulate, cum dissimulare nesciret, ne apud proceres quidem ac principes quorum auribus nihil dabat nec palpum obtrudere noverat, tantum abest ut in eorum gratiam quidquam faceret quod honestati et æquitati minus consentaneum judicaret, quin aperte se nunquam id commissurum profitebatur.

Quamobrem familiares ac domestici prudentiores cavebant imprimis ne quid ipsi proponerent, vel ab eo poscerent, quod dubium, anceps, controversum vel leviter suspectum esset; sin secus, repulsam cum gravissima increpatione interdum paterentur. Cæterum pacis amantissimus lites et dissidia cane pejus et angue fugiebat, maxime cum suis canonicis et capitulo. Musico utique concentu oblectabatur, atque inter privatos parietes inter cantores partes suas agebat. Qua de causa chari præcipue acceptique ipsi erant canonici quos ultro pulpitum adire cantandi animo observabat, ut cæteri choristæ, præcentores, succentores, subsidiani, symphoniaci, qui præsertim cum cantus peritia vocisque amœnitate probos et ecclesiasticos mores præ se ferebant, organis etiam musicis gaudebat, et sæpe manuclavium digitis increpare ante prandium amabat, ut hilarior post gravissima studia mensæ accumberet.

Sed ad graviora et episcopo magis decora gradum faciamus, cum in episcopatu resideret Amyotus, solemnibus, anniversariisque festis diebus, ipsemet sacris operabatur; idemque meridianis horis concionabatur, ideoque eos qui ei ministraverant ad altare et in choro in sacro missæ sacrificio die lunæ tantum excipiebat; Dominicis vero diebus et feriatis primis vesperis privilegii intererat, et festo die matutinis psalmodiis et precationibus, e quarum egressu ad sacellum ibat pie celebratum missam (ut per singulos Adventus et Quadragesimæ dies solebat) deinde majoris (ut vocant) missæ celebrationi et vespertinis precibus intererat. Cæteris diebus et feriis profestis majori liturgiæ sacro aderat, qua celebrata hebdomadarius ad præsulis prandium accedebat; præterea etiamsi concionandi munere fungeretur, curæ tamen habebat ut eruditos et probatos viros perquireret, et accerseret, qui in ecclesia sua concionarentur, et per omnem diœcesim, ac potissimum in oppidis in quibus quosdam novæ religionis sectatores et hæreticos versari audierat, ut puta Giemi, ad hæc committebat ac præficiebat cantoriæ dignitati capituli sancti Stephani ecclesiæ plum doctum et prudentem virum, idemque in aliis urbibus, quarum sacerdotiis parochialibus rite providerat. Porro cum ad ecclesiam Antissiodorensem primum accessit ruentis assimilem intus et in penetrali comperit. Itaque eam reficere et instaurare cœpit a choro et augustiore altari, quæ ab integro reparavit, et sex columnis fusilibus e cupro munivit, et exornavit, cum pedo seu lituo imminente aræ a postica parte, deinde cathedras altas et humiles ab utroque chori latere construi fecit, ad sedem dignitatum et canonicorum, et in extrema supremaque parte dextri lateris, thronum episcopalem in quo sedere mos est antistiti officio fungenti, et in extremo chori loco et in superiore tabula hæc verba subscribi voluit : *Jacobus Amyotus Antissiodori episcopus, cum a perduellibus hæreticis fœde laceratum, direptum, ornamentisque omnibus spoliatum reperisset hoc templum, exhedram istam divinis laudibus concinendis accommodatam, ad Dei optimi maximi gloriam, domusque ejus decorem, de integro instaurandam curavit* 1573.

Organa nova de integro, in angulo chori exstruere et collocare fecit, idem duorum sacellorum ornamenta dedit, unum e panno auro texto, aliud ex holoserico figurato, itemque duo candelabra argentea donavit, et ad aquam benedictam deferendam magnum vas cum aspersorio, duasque acerras sive thuribula, cuncta ex argento. Postremo ecclesiam suam omnibus ornamentis pro facultatibus exornavit, quibus alia quaque adjecisset, nisi tumultus bellici obstaculo fuissent, siquidem per civile bellum eo propemodum redactus est, ut ægre ei suppeterent fortunæ ad se familiamque sustentandam, agris ac redditibus ab oppositis occupatis ac direptis, ob factiones et rumusculos sinistros a malevolis, avidis et ambitiosis famigerulis fictos, castrum Ragennarum quondam pulcherrimum et mirifice constructum et exornatum incendio ab hæreticis conflagratum ita reparavit, ut ipse cum tota familia et etiam cum adventantibus amicis commode in eo habitare posset. Idem gymnasium amplum et præclarum exstruxerat Antissiodori, in opportuna admodum urbis regione, et aere salubri, nempe inter ecclesiam cathedralem sancti Stephani et abbatiam divi Germani, in quo societatis Jesu Patres destinaverat constituere ad juventutem civitatis et indigenarum erudiendam, et probis moribus, catholica pietate, bonisque litteris imbuendam, etiam usque ad theologica studia, ut constat ex pacto et convento inito cum Patre Pigenatio, qui lente nimis et frigide negotium exsecutus est, donec episcopus egredi coactus fuerit ad regem Blæsis conveniendum, ubi conventus juridici habebantur, proinde negotium dilatum ad ejusdem præsulis reditum, et pium illud opus intermissum fuit, non quod propositum mutasset, cujus tenax erat : eosdem Patres reditu mille aureorum nummorum dotare statuerat, cum mille ducentis libris Turonensibus, ut inde supellectilem commodam ex animi sententia, antequam Parisiis egrederentur, sibi compararent; sed dissidia bellorum civilium exorta sub finem conventum, et relegatio Jesuitarum e Galliis hoc nunquam satis laudatum institutum prohibuerunt, non tamen plane irritum effecerunt. Nam præsul in sua voluntate perstitit, ut gymnasium a se constructum instituendæ juventuti destinaretur, cui nunc usui inseruit, testatur hoc inscriptio hæc quæ insculpta est in tabula superliminari januæ.

CHRISTO SERVATORI OPT. MAX. S.

Religionis veritas, morum probitas, et bonarum artium politura, hic promercales habentur, non ære, sed studio, pietate et labore; proinde turpes impii et ignava segnitie degeneres ab istis foribus procul facessite.

Huic autem inscriptioni, ut auctoris ejus mens et consilium perciperetur, ab eodem secretario adjectum est illud corollarium :

Jacobus Amyotus episcopus Antissiodorensis huic gymnasio, quod exstruendum curavit, hanc inscriptionem apponi voluit.

Ad extremum hic antistes postquam factionum et bellorum civilium tempore calamitoso, multa dictu gravia, perspectu aspera, ut poeta tragicus ait, corpore exantlata atque animo pertulisset, quantum natura humana constanter ferre potest, succubuit tandem tot ærumnis oppressus, et exstinctus vigor ille corporis optime constituti, et frigoris et caloris patientissimi, tum lenta febre correptus est, quæ graviter urgens pulmonum hausit spiritus, et sensim ad mortem compulit, qua undenonagenarius in Domino, ut episcopum tanto nomine dignum decuit, obdormiit Non. Febr. anno salutis 1593, sacramentis A pœnitentiæ, eucharistiæ, extremæ unctionis, ut par fuit, munitus, domesticis, clientibus, gravissimis viris, Dionysio Peronneto doctore theologo eloquentissimo, ecclesiasta pœnitentiario cathedralis ecclesiæ, Gilberto le Comte, Reginaldo Martino, Victore Camus cultoribus et canonicis assistentibus, monentibus, consolantibus, omne pium obsequium et salutare et novissimum ministerium constanter exhibentibus.

(*Hæc subita dictione anno* 1612 *a Feder. Morello regiorum professorum decano Latine exarata sunt, ex iis excerpta, quæ M. Reginaldus Martinus secretarius ejusdem Amyoti Antissiodorensis episcopi Gallice scripserat de Vita optimi sui patroni.*)

CARMEN DE MONASTERIO GEMMETICENSI.

(*Neustria pia*, pagg. 263, 264, etc.)

ARGUMENTUM

Siste gradum stabilem prudens quicunque viator,
Aspice quæ graphicis sunt his depicta tabellis :
En tibi clara patent, sicut spectantis in unda,
Seu levi in speculo solet apparere figura,
Quæ fuerint hujus rutilæ primordia gemmæ.
(Gemmeticum [1] siquidem a gemma dixere priores,
Quod reliquis gemmæ præcelleret instar Eoæ.)
Inde scies quinam dederint regesque, ducesque,
Tot bona, tot terras, et opes, tot prædia, census :
Unde monoptolemi nongenti, cœlitus acti,
Strictius inclusam possent hic ducere vitam :
Quas itidem Lelegum turmæ Dacæque phalanges,
Intulerint clades ; qui tandem a sedibus imis,
Hæc loca sarcierint priscis convulsa ruinis,
Expedio brevibus complexens gesta camœnis.

PRIMA FUNDATIO DICTI MONASTERII.

Sæcula sex Phœbus cum lustris volverat octo
Virginis a partu, dum sanctus vir Philibertus,
Celtica quem genuit claro Burgundia partu,
Hos petiit fines, tanta stipante caterva
Quanta Jacob Gessen ipsam culturus eremum
Quæ licet hæc quondam spinosis horrida silvis,
Undique diversa restagnans cincta palude,
Gente prius nulla, nullis sit culta colonis,
Nec Cereri penitus, nec dulci nota Lyæo,
Nulla tamen toto fecundior exstitit orbe,
Ille pater postquam Dagoberti munere regis
Prima hujus sacri statuit fundamina templi :
Mox quippe antiquam mutarunt omnia formam.
Hic ubi capripedum latitabant antra deorum
Solivagis habitata feris, nunc pervia sanctis,
Aurea templa nitent, instar stillantis Olympi ;
Nocte dieque preces effundunt, inclyta divum
B Cantica nunc resonant, nunc sacra Tonanti,
Agmina persolvunt monachorum munia laudum,
Angelicos imitata choros, ubi monstra ferarum
Horrisonis vacuas complebant vocibus auras.
Quæ prius exsuccos silvestri germine fetus
Tristis alebat humus, condensis obsita dumis,
Fertilis ambrosios cœpit producere fructus.
Taxus olens, tiliæ molles, aconita, cicutæ
Alcinoi silvis cedunt ; nigra bacca racemis,
Purpureæ gravidis turgent in vitibus uvæ,
Et renovatus ager dulces producit aristas.
Hic ubi crescebant calami juncique lacustres,
Luxuriant vario gemmantia prata colore :
Deque paludigenis nunc surgunt pinguia cannis
Pascua, et ingentes labuntur ab æquore pisces
C Fluctibus impulsi, quoties Latois utrinque
Jungit horizonti roseos Titania currus,
Ac rapidus, turgente salo, reflectitur amnis ;
Ut refluant per agros, per prata virentia rivi,
Qui fecunda suis irrorent frugibus arva,
Ut rigat Ægyptum septeno gurgite Nilus.
Hæc dedit ille Sator rerum, qui terminat orbem,
Maxima qui solidam statuit super æquora terram,
Sistit et immensos præscriptis finibus amnes,
Ne Cybele tumidis obruatur Thetios undis :
Imbribus et montes sterilesque humectat arenas,
Ut sua cunctiparens concedat munera tellus,
Unde trahant vitam quæcunque cibaria poscunt,
Sive per incultos errent animalia campos,
Sive secent liquidum stridentibus aera pennis,
D Vel quæ monstra natant variis distincta figuris :
Quidquid et ætherea spirando vescitur aura,
Confovet, et propria unicuique alimenta ministrat.
Denique qui quondam siccis de rupibus undas
Duxit, et ex alto demisit vertice carnes

(1) Jumiéges.

Mannaque : seu pluvio funduntur ab æthere nimbi
Ut populum, mirante polo, nutriret Hebræum,
Per steriles campos desertaque rura vagantem :
Sic sua Gemmeticis largitus dona colonis
Fecit, ut invitis naturæ legibus olim
Aspera quæ fuerat, fieret cultissima eremus :
Quam circumflexo præcingit Sequana fluxu,
Haud secus ac Arcton sinuosi cauda draconis.

DESTRUCTIO EJUSDEM MONASTERII.

Lustra octo totidem labentia sæcula cursu
Astra penetrarunt post incunabula Christi :
Belgica dum Getico Francorum littora bello,
Barbarus Hastingus, Dacis egressus ab oris,
(Haud secus atque leo prædæ sitibundus ab antro)
Impetiit, gelidam qua Francia respicit Arcton,
Finitimasque urbes et plurima castra subegit.
Proh scelus ! Altithroni celeberrima templa tonantis
Diruit, infesto pervertens omnia Marte.
Classibus instructis tandem, Boreaque secundo,
Sequanicos intrat portus : cito fama per urbes
Pervolat attonitas, tantæ prænuntia cladis.
Undique tunc misero miscetur Neustria luctu :
Undique bella premunt, hostes grassantur, et horror
Ingruit armorum, fulgent vexilla Cradivi.
Hinc procul aufugiunt monachi : procul abdita Mystæ
Hanspreadum deserta petunt, ubi claustra domusque,
Nostri juris erant : ne sacrum solvere votum,
Aut efflare animam urgerentur, et obruta diris
Corpora tormentis Stygiæ dimittere morti.
Pars tamen hic sistunt armis, et milite complent
Hæc loca, quo possent hostes arcere minaces :
Duxerunt satius forti succumbere letho
Quam sacra barbaricæ spurcanda relinquere genti.
Nauticus interea expansis exercitus alis
Fluctivagas refugi sulcando fluminis undas,
O funesta dies ! ipsis allabitur oris.
Ut primum armati funduntur navibus hostes,
Obsidione premunt hujus sublimia circum
Mœnia cœnobii, glomeratis ordine turmis :
Primoque aggressu, tentant per tela, per ignes,
Pandere vi portas, scalisque ascendere muros.
Custodes contra rigidis extrudere contis,
Crebraque per patulas tela intorquere fenestras.
Ast ubi suffodiunt acta testudine Daci,
Tortaque pulsat onus validis balista lacertis :
Jam vallum, nec terra tumens, nec claustra, nec [ipsi
Custodes sufficere valent, nil mœnia prosunt :
Dant ibi saxa locum, portisque ruentibus, imas
Invadunt arces : pars obvia corpora quæque
Infausta sternunt, nullo discrimine, cæde :
Semirutis alii miscent incendia tectis.
Inclyta Christiparæ camerato culmine ad auras
Ætherias surgens exstabat Virginis ædes.
Quam ferro accisam quatiunt, et verbere crebro
Fundamenta cavant : ast vulnere victa supremo
Ingemuit, traxitque jugo convulsa ruinam.
Tollitur in cœlum densato pulvere nubes
A Et concussa tremit tam vasto pondere tellus.
Tunc aditum subeunt perfusi membra cruore,
Prædæque accincti sacrorum fercula, gazas,
Quotquot erant, adimunt ; nec ab ulla clade quiescunt,
Donec claustra, domos, sacrasque a sedibus ædes
Eversas videant medios considere in ignes.

DE EJUSDEM RESTAURATIONE.

Interea centum vicibus sol contigit orbem
Lanigeri et Libræ : tandem cedentibus armis,
Pacis alumna Ceres Martis compescuit iras.
Protinus refugis duo Patres claustra relinquunt
Haspreadum repetuntque suum pietatis asylum !
Qui cum spectassent, horrendis obsita dumis,
Inque vepres redigi, latebrosaque lustra ferarum,
B Quæque panomphæo fuerant sacrata Tonanti,
In gemitus toti et lacrymas solvuntur amaras,
Singultuque gravi vertunt ad sidera vultus.:
« O Pater, o Bonitas, aiunt, spes unica rerum,
Qui tibi confisos nusquam dimittis inanes,
Cerne quot excidia et clades, quot funera casus,
Quot mala perpetimur, nostrisque medere ruinis :
Jam memores proavis quod nostris fœdus inisti,
Ut sicut Solymûm quondam venerabile templum,
Sic ea sacrilega restaures diruta gente,
Quæ tibi tam celebri sunt structa palatia cultu :
Ut tibi vota sacro monachorum turba perenni,
Munia laudis agat solemnibus aucta triumphis,
Priscaque jam vigeat pietas, reverentia cultus.
C Talia perstabant fundentes vota precesque,
Thetios uberibus, soloque legumine freti.
Nec mora : mittit opem summo qui spectat Olympo,
Guillelmumque ducem, Rollonis sanguine cretum,
Cœlitus huc afflat venando flectere cursum,
Qui monachos nactus scitari cœpit ab illis,
Quis tam decrepitos istis vos appulit oris ?
Quænam relligio, aut vestri fiducia voti ?
Quæ structuræ inerant tam vastis conditæ eremis,
Unde patent priscæ vestigia tanta ruinæ !
Cumque rei seriem, a primis annalibus orsi,
Ordine narrassent, ex more cibaria præstant :
Porrigit alteruter panem, sitientibus offert
Alter aquam : siquidem ducebant talibus ævum.
Dux vero adversus tam vilia fercula, cedit
D Protinus hisce locis totus profusus in iras.
Qui vix ingressus densæ penetralia sylvæ
Numinis impulsu Stygium nanciscitur aprum :
Qui rapido cursu, rauco bacchatus hiatu,
Vulneris intrepidus transit venabula, casses,
Semianimemque ducem culmis prostravit acutis.
At memor offensæ mox viribus ipse resumptis,
Hos repetit Patres, sceleris pro labe pianda :
Sumpturusque cibum, quem spreverat, accubat
Cœnobii hujus pollicitus sarcire ruinas, [iisdem
Tunc fieri delubra jubet, cellasque domosque ;
Multaque restituit, priscis subversa ruinis,
Prædia, divitias quo possent quæstibus absque,
Quique monoptolemi seclusam ducere vitam.
Protinus artifices sponsa mercede labori

Structuras renovare parant arctando minori
Schemate, limitibus, domuumque locique tenore
Archetypum : tandem fabrefacti encœnia templi,
Quæ olim Christiparæ, rursus sacrantur eidem.
Quæ gregis hujus eris perpes custosque salusque.

DE SEQUENTE COLLECTIONE CANONICA MAII MONITUM.

(*Spicilegium Romanum*, tom. VI, pag. 397.)

. . . . *Nunc si bibliothecæ pontificalis in canonica re divitias patefacere velim, longi nimis sermonis initium faciam. Certe de nobilissimis aliquot Græcis codicibus alio loco et tempore dicam ; etenim canonici Græcorum juris insigni aliquo opere augendi, cupiditate non vana jamdiu incensus sum. Unus nunc Latinus præ cæteris me movit codex Vat.* 1349, *quem nemo, ut puto, præter Ballerinios dissert. De collect. can., part.* IV, *cap.* 18, 6, *commemoravit, qui temporis angustiis, ut aiunt, pressi et difficultate scripturæ territi, vetustam hanc præ cæteris collectionem expendendam aliis reliquerunt. Ego igitur, hoc diligenter excusso codice, rem utiliorem me facturum putavi, si ejus singillatim capitula seu titulos, ut de Anselmo feci, recitarem, quam si multos nomine tenus prædictæ bibliothecæ codices recenserem, quorum nuda notitia bibliographicam classem augeret, scientiam juris canonici non juvaret. Est is codex membraneus foliorum majorum* 225, *litteris Langobardicis valde implexis exaratus, titulis rubricatis, sæculi* X *incipientis ætatem referens, ideoque Lucensi Anselmo vetustior.*

CANONUM PRISCA COLLECTIO [1].

ncip.t gratissima canonum collectio, quæ Scripturarum testimoniis et sanctorum dictis roborata legentes ætificat; ubi si quippiam discordare videtur, illud eligendum est quod majoris auctoritatis esse decernitur.

PRÆFATIO.

Synodicorum exemplarium numerositatem [*cod.*, innumerositatem] conspiciens, ac plurimorum ex ipsis obscuritatem rudibus inutilem providens, nec non ceterorum diversitatem inconsonam destruentemque magis quam ædificantem perspiciens, brevem ac consonam ex ingenti silva scriptorum in unius voluminis textum expositionem digessi, plura addens ut plura describerentur, singulorum nomina singulis testimoniis præscripta composui, ne quis velut incertum quid pro quo dicat, ut cum generales titulos quos necessario proposuimus recurrat, numeros diligenter observet; quibus observatis, quæstionem quam voluerit sine ulla cunctatione repperiet.

EXPLICIT PRÆFATIO.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI
DE ORDINATIONE CLERICORUM.

1. De nomine episcopi.
2. De his qui nomen episcopi indigne usurpant.
3. De initio sacerdotum in utraque lege.
4. De nomine principis (2)
5. De ordinando principe cum sorte.
6. De quatuor generibus ordinationis.
7. De bonis principibus ordinandis pastorali cura.
8. De malis principibus potius increpandis quam ordinandis.
9. Quod non debet appetere principatum nisi qui prius subjectus fuerit.
10. De aliis desiderantibus principatum indigne.
11. Quod homicidæ non debeant accipere pastorale ministerium.
12. Quod indigni sint principatu ecclesiæ qui non bene regunt domos suas.
13. De principatu non recusando.
14. De principatu non cito tenendo.
15. De malis principatum mercantibus.
16. Quod non genus nec locus sed mores ædificant principem.
17. De præcavendo principe (3).
18. De impositione manuum episcopis, seu de ordinatione.
19. Quod non unus unum ordinet.
20. De baculo et anulo episcopi.
21. Qui ordinandus sit episcopus.
22. De moribus episcopi.
23. De ætatibus et meritis quibus provehi debet ad episcopatum.
24. Quod non de alia ecclesia vocandi sint qui ordinantur, nisi in necessitate.
25. De ordinatione episcoporum.
26. Episcopatus nonnisi meritis præcedentibus detur.
27. Quod extra conscientiam metropolitani non ordinetur episcopus.
28. Quod nolentibus clericis vel populis nemo debeat episcopus ordinari.
29. Quod non habeatur episcopus quem nec clerus elegerit, nec populus exquisiverit.

(1) Hic operis titulus et prologus scribitur in codice initio libri sexti ; mihi tamen ad universum opus pertinere visi sunt

(2) Intelligitur episcopus.
(3) Nempe de cautela in eligendo principe seu episcopo.

30. Ut nullus invitis ordinetur antistes.
31. Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere.
32. De episcopalibus ordinationibus.
33. De electione episcopi.
34. De his qui ad episcopatum in provinciis provehuntur.
35. Quod addi debeant episcopi numero ordinatorum (4), si de ordinando episcopo fuerit contradictum.
36. Qualiter ad sacrum ordinem sit accedendum.
37. Non accipiendum præmium pro episcopatus honore.
38. Quod non oporteat episcopum aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.
39. De episcopalibus in provinciis ordinationibus.
40. Ut episcopi qui ordinantur, ab ordinatoribus suis epistolas accipiant, quæ diem et consulem præferant.
41. Quod non oporteat ordinationes episcoporum diu differre.
42. Quales vel quam docti debeant ordinari episcopi.
43. Qualiter consecrentur episcopi.
44. Ut episcopi canones agnoscant antequam ordinentur.
45. De laicis non temere faciendis episcopis.
46. Ut metropolitanis sua jura serventur.
47. Veterum statuta servanda sunt in ordinatione episcopi.
48. Contra Patrum præcepta nullus usurpet episcopus ordinari.
49. Ut neophyti non ordinentur.
50. Qui præpositus vel episcopus indiget ordinari, ab ecclesia postuletur.
51. Quod non debeant officia ecclesiastica pecuniis obtineri.
52. Præter sententiam metropolitani non ordinetur episcopus.
53. De ordinandis episcopis per vicos et modicas civitates.
54. De tempore ordinationis
55. Quod non conveniat, contemptis clericis ecclesiarum, de laicis episcopos ordinari.
56. De plebibus quæ numquam episcopos habuere.
57. Ut episcopus non ordinetur in diœcesi quæ episcopum numquam habuit, nisi cum voluntate episcopi ad quem ipsa diœcesis pertinet.
58. Qui concubinam habuit, ad sacrum ordinem non accedat.
59. De cupiendo vel fugiendo honore.
60. Laicus non repente consecretur episcopus.
61. De his qui de potestate sæculari ad episcopatum promoventur.
62. Quod debeat princeps facere heredem in vita sua.
63. De moribus electi heredis ordinandi.
64. Quod post mortem prioris debet princeps ordinari.
65. De consensu populi cum principe in ordinando successore.
66. Quod princeps solus ordinat successorem.
67. Ægroto episcopo ordinari successor potest.
68. De ægrotante episcopo qui voluit successorem ordinari.
69. Ut eligat episcopus successorem se vivente (5).
70. Quod debeat electio bonorum observari in eligendo successore.
71. Ut supra.
72. Ut nullus ad episcopatum pro se constituat successorem.
73. De ordinatione episcopi qui impetraverit pecunia, vel qui successorem faciunt ex parentibus.
74. Quod alienigena episcopus aliquando eligitur.
75. Quod episcopus consecrari non debeat, nisi cleri et populi fuerit postulatu.
76. Qualis debeat esse qui episcopus est ordinandus, expositio Hieronymi in epistolam Pauli apostoli.
77. Qualis debeat esse qui episcopus eligitur.
78. De episcopis qui post ordinationem sacerdotis munera libenter accipiunt.
79. Ut non accipiant aliquid muneris propter manus impositionem.
80. De eo qui recipit pecuniam de sacro ordine sub obtentu eleemosynæ.
81. Quod sacra ordinatio nullatenus vendi debeat.
82. De ordinatione patriarcharum.
83. De his qui ad regimen ecclesiæ sunt promovendi.
84. De nomine presbyteri.
85. De exordio presbyteri.
86. De moribus presbyteri.
87. De nomine diaconi.
88. De exordio diaconi in utraque lege.
89. De diligentia diaconi.
90. De nomine subdiaconi.
91. De ministerio subdiaconi.
92. De exordio subdiaconi in utraque lege.
93. De exordio lectorum.
94. De eo qui eligendus est in lectorem.
95. De voce lectoris.
96. De exordio exorcistæ.
97. De ostiario.
98. De ministerio ostiarii.
99. De acolytho.
100. De nomine clerici.
101. Quod omnes qui habent gradus ecclesiasticos, clerici nominantur.
102. Quod presbyter idem sit qui episcopus (6).
103. De ordinatione presbyteri, diaconi et ceterorum.
104. Item de eorum consecratione qui ab infantia Deo se voverunt.

(4) Nempe ordinantium atque scrutinii judicum.
(5) Hoc interdum evenisse dicitur in textu, sed extraordinario modo.
(6) Hic quoque in textu unice profertur Hieronymi epistola.

105. Item de grandævis.

106. Quæ in singulis clerici gradibus tempora sint præscripta.

107. De ordinatione clericorum regulariter faciendа quando ulla rerum vel temporum urget angustia.

108. De laicis, si aggregandi fuerint ecclesiasticis officiis.

109. Ut ne illicitas ordinationes ullus usurpet.

110. Ne nuper baptizati ad sacrum ordinem promoveantur.

111. Alienum clericum nullus præsumat ordinare, nisi cum scientia sui episcopi.

112. Quod supra.

113. Item quod supra.

114. Ut digami non admittantur ad clerum.

115. Quod supra.

116. Item quod supra

117. Qui duas duxit uxores quamvis laicus ante baptismum, ad clerum non promoveatur.

118. Similiter qui secundam duxit uxorem.

119. Quod si quis viduam, vel ejectam, aut meretricem acceperit, non admittatur ad clerum.

120. Designandum est qui laicus ad sacrum ordinem pervenire debeat.

121. De præsumptis clericis qui non solum ad clericatum sed etiam ad infulas summi sacerdotii promoti sunt.

122. Quod hi qui non sponte eunuchizati sunt suscipiantur ad clerum.

123. De eadem re.

124. Ut is qui se eunuchizavit, clericus non fiat.

125. Quod si quis sibi partem corporis volens amputaverit, clericus esse non potest, nolens autem potest.

126. Qui clerici debeant conjugibus sociari.

127. De his qui ad presbyteratum vel diaconatum promoventur, et ante ordinationem sibi conscii peccatorum sunt.

128. Quod clericis non liceat pœnitentiam agere, et quod post pœnitentiam nullus possit ad clericatum admitti.

129. Ut si per arrogantiam pœnitens, digamus, vel viduæ maritus, clericus factus fuerit, non promoveatur.

130. Quod secunda conjugia sæcularibus non negentur, quibus tamen post hoc factum ad clericatum minime convenit aspirare.

131. De conversatione clericorum, ut in uno conclavi sint.

132. De ordinatione ministrorum sacerdotum, quando fiat.

133. Presbyterorum et diaconorum ordinationes certis celebrentur temporibus.

134. Ut nemo litterarum nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus promoveatur ad clerum.

135. Quod clerici criminosi nequeant promoveri; et in clero positi, si in aliquibus fuerint inventi criminibus, a suis officiis arceantur.

136. De his qui viduas aut dimissas ducunt, vel in malis conciliis mixti sunt.

137. Item de eadem re.

138. Ut ex curialibus clericus non fiat, propter voluptates quas a diabolo inventas exhibere compelli tur.

139. Quod digami ad clerum admitti non possunt.

140. Qui de laicis possint clerici fieri.

141. De his qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt.

142. Quinam clerici debeant promoveri.

143. Ut clerici invidi non promoveantur.

144. Quod ab illicitis sit ordinationibus abstinendum.

145. Ut nullus episcoporum servum alterius ad clericatus officium promovere præsumat.

146. Ut quicumque ad sacerdotium vel viduarum mariti, vel habentes numerosa conjugia, promoti fuerint, ab omnibus ecclesiasticis officiis arceantur.

147. Ut si quis sacerdotum contra hæc interdicta fecerit, a suo sit officio submovendus.

148. Ut hi qui semel in ecclesia legerint, ab aliis non possint promoveri.

149. Ut nullus alienum clericum sollicitare vel tenere præsumat, suo episcopo non præbente consensum.

150. Ut implicati negotiis alienis, ante redditam rationem clerici non ordinentur.

151. Rebaptizati ad nullum clericatus gradum promovendi.

152. Ut hi qui peregre baptizantur, ad clerum non veniant.

153. De discretione pœnitentium, quinam possint ad ecclesiasticos ordines provehi.

154. De discretione libertinorum, qui ad ecclesiasticos ordines pervenire possint, vel qui non possint.

155. Quod non oporteat absolute (7) quoslibet ordinari.

156. De singulis gradibus sacri ordinis, qualiter ordinentur; in primis de psalmista.

157. Qualiter ostiarius ordinetur.

158. Qualiter lector ordinetur.

159. Qualiter exorcista ordinetur.

160. De exorcistis qui non sunt ab episcopis ordinati.

161. Qualiter acolythus ordinetur.

162. Qualiter subdiaconus fiat.

163. Si lector bigamus sit, aut viduam ducat, non amplius quam subdiaconus fiat.

164. Quod subdiaconi a diaconis sint remoti.

165. Quod subdiaconis cum ostiariis assistere non licet.

166. De diaconis qui tempore ordinationis nuptias attestati sunt.

167. Ut levitæ et virgines ante XXV annum ætatis non consecrentur.

168. Qualiter diaconus ordinetur.

(7) Nempe sine titulo speciali seu assignatione ad certum ministerium.

169. Si qui clerici ab episcopis suis promoveri contempserint, nec illic maneant unde recedere noluerunt.

170. De numero certo diaconorum

171. Quo tempore presbyterum conveniat ordinari.

172. Qualiter presbyter ordinetur.

173. De his qui in ægritudine sunt baptizati.

174. Presbyter diaconum aut presbyterum non ordinabit.

175. De his qui ad honorem presbyteri sine examine provecti sunt.

176. Quod subdiaconus in conjugio esse non debeat.

177. De inlicita ordinatione.

178. De mercantibus sacerdotium et vendentibus donum Dei.

179. Quod bigamus non sit ordinandus.

180. Ut pueri ad sacrum ordinem non admittantur.

181. Cujus ætatis esse debeant qui promoventur in sacrum ordinem.

182. Quod bigami ad sacrum ordinem non sunt applicandi.

183. Cur præceperit Apostolus unius uxoris virum sacræ applicari militiæ.

184. Ut ordinationes presbyterorum certis fiant temporibus.

185. Qualiter debeat esse qui clericus fit.

186. Rursus quales homines clerici fieri debeant.

187. Cujus ætatis clerici fieri debeant.

188. Neque curialis neque taxeota ad clericatum admittendi.

189. Statuta sancti Silvestri de ordine clericorum.

190. Quod semel ordinatus, iterum ordinari non debeat.

191. Quod deponi debeat qui denuo manus impositionem recipiat.

192. De servo ordinato in clero.

Explicit de ordinatione clericorum.

INCIPIT LIBER SECUNDU

DE CELEBRATIONE CONCILII, etc.

1. Ut bis in anno concilia celebrentur.

2. Quibus temporibus synodi ab episcopis debeant in provincia celebrari.

3. Ut episcopi ad synodum inprætermisse occurrant.

4. De episcopis qui ad concilium non occurrunt.

5. Ut episcopus diœcesanos presbyteros et quosdam ex laicis conveniant litteris (8).

6. Ut metropolitani arbitrio synodus congregetur.

7. Si quis episcopus a metropolitano admonitus ad synodum vel ordinationem episcopalem venire distulerit.

8. Dissidentes episcopos si non timor Dei, synodus reconciliet.

9. De conjuratione vel conspiratione.

10. De delatoribus.

11. De accusatis et accusatoribus.

12. Quod excommunicati ad accusationem admitti non debeant.

13. Quod servi et liberti omnesque infames personæ non debeant accusare.

14. Ut qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.

15. Qui ad testimonium admittendi non sint.

16. De his qui in accusationem majoris natu veniunt.

17. Si episcopus absque tempore synodi in crimine detentus fuerit, a duodecim episcopis audiatur.

18. De presbyteris vel clericis accusatis.

19. De accusato vel accusatore.

20. Ut causatores de levibus causis non audiantur.

21. De accusatoribus fratrum.

22. Ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur.

23. Accusatores fratrum ad communionem recipiantur non ad clerum.

24. De episcoporum aut clericorum accusatoribus.

25. De falsis testibus.

26. Quod duo sunt falsorum testium genera.

27. De vituperatoribus vel accusatoribus clericorum.

28. De excommunicatis apud vicinos episcopos audiendis.

29. Quod non oporteat clericos habentes adversum invicem negotium, proprium episcopum relinquere et ad sæcularia judicia convolare.

30. Quod officium pristinum dampnati pro criminibus usurpare non debeant.

31. De prævaricatione excommunicationis.

32. Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se dampnationem protulit.

33. De clericis dampnatis.

34. De dampnatis et ministrare temptantibus.

35. Quod cum excommunicatis non sit orandum.

36. De clericis qui intra annum causam agere non procurant.

37. Ut clerici sine pontificis sui misso nullum ad sæculare judicium præsumant attrahere.

38. De clericis excommunicatis et laicis.

39. De episcopis ab ejusdem provinciæ sacerdotibus consonanter exclusis.

40 De provinciali synodo retractanda.

41. De episcopis et clericis adeuntibus imperatorem.

42. De his qui ad comitatum ire voluerint.

43. Quando et in quibus causis episcopi ad comitatum ire debeant.

44. De diaconis ad comitatum dirigendis.

45. Quod ad comitatum a pupillis et viduis ac necessitatem patientibus sit eundum.

46. De ultione nequiter judicantium.

47. Quod non poterit episcopus, clericus, et monachus, prædia aliena conducere

(8) Hoc sumitur ex concilio Terracinensi.

48. De his qui ignorant quid sit in synodo constitutum.
49. Quod episcopus vel presbyter in judicio advocatum habere debet.
50. De eo qui advocatum habere minime valet.
51. Ut nullus episcopus vel infra positus die Dominico causam audire præsumat.
52. Ut nullus episcopus pro judiciis munera accipiat.
53. Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum.
54. Ut nullus accusati sedem usurpet episcopi.
55. Ne interventor episcopus cathedram, ubi interventor est, insideat.
56. De vacantibus episcopis.
57. De episcopo qui excommunicat eum qui sibi soli crimen confitetur.
58. Ut non temere quemquam communione privet episcopus.
59. De his qui sine causa excommunicant.
60. De ordine quo depositus iterum ordinetur.
61. De communione privatis et ita defunctis.
62. De defensoribus ecclesiarum ab imperatore poscendis.
63. Ut ab imperatoribus postuletur advocatorum defensio pro causis ecclesiæ.
64. De his qui ecclesiastica ministeria præter ecclesiam faciunt.
65. De fructuum oblationibus, quæ ministris ecclesiæ feruntur.
66. De his qui agapam, id est pastiones pauperum, risui deputant.
67. Si quis potentium quemlibet expoliaverit, et admonente episcopo non reddiderit.
68. De his qui plebes ad se pertinentes neglegunt.
69. Ut episcopus neglegens suam diœcesim communione privetur ejusdem.
70. Ut basilicæ in cujus territorio sunt, in ejus episcopi maneant potestate.
71. Si qui oratorium intra domum ædificant.
72. De reliquiis.
73. Quod ordinationum omnium dotes ad episcopi ordinationem debeant pertinere.
74. De tricennali præscriptione.
75. Ut episcopus ambulet per diœcesim suam.
76. Ut episcopus duos solidos tantum accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat. Et ut clerici non cogantur more servili.
77. Quod episcopus non debeat donationes ultra pactum statutum exigere.
78. De dispensatoribus singularum ecclesiarum.
79. De his quæ a fidelibus in parochianis basilicis offeruntur.
80. Ut ab episcopis præceptione Papæ novæ basilicæ dedicentur.
81. De sacris locis noviter institutis.
82. De ædificatione venerabilium locorum.
83. De administratoribus venerabilium locorum suas res offerentibus.
84. De primatu episcoporum.
85. Ut curam rerum ecclesiasticarum tantum episcopus habeat.
86. Quod pontifex rerum suarum habeat potestatem.
87. De re episcopi, quam ante episcopatus gradum habuerit.
88. De rebus ad ecclesiam pertinentibus, et de his quæ propria episcopi esse noscuntur.
89. Quod episcopus ecclesiasticarum rerum ob dispensationem in pauperes habeat potestatem.
90. Quod in unaquaque ecclesia cui episcopus præsidet, quattuor tam de redditibus quam de oblationibus fidelium fieri debeant portiones.
91. De episcopis qualiter cum suis clericis agant.
92. Ut episcopi juxta ecclesiam habeant hospitium.
93. Ut episcopi pauperes et infirmos tueantur.
94. Ut episcopi supellectilem in mensa vilem habeant.
95. Ut episcopus gubernationem pauperum per ministros agat.
96. Ut episcopus nullam curam rei familiaris ad se revocans, tantum orationi et doctrinæ vacet.
97. Quod possessiones ecclesiæ ab episcopo non sint alienandæ
98. Si ecclesia per simplicem episcopum res suas amiserit.
99. Ut nulli apostolicæ sedis Præsuli possessionem ecclesiæ magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare.
100. Ut non liceat presbyteris titulorum suorum prædia, seu quicquid juris eorum fuerit, quomodolibet alienare.
101. Ut qui petierit prædium ecclesiæ, et acceperit, et si quis danti subscripserit, anathemate feriatur.
102. Ut presbyteri rem ecclesiæ, in qua sunt constituti, non vendant.
103. Si quis clericorum pauper in ordine promotus, postea habuerit aliquid, ecclesiæ potestati subjiciat.
104. Ut rebus ecclesiæ nihil episcopi auferant. Et qualiter proximi fundatores ecclesiarum sollicitudinem gerant.
105. Ut episcopus exiguum aliquid sine clericorum conniventia distrahat.
106. Ut servos ecclesiæ fugitivos liceat vendere episcopo.
107. De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiæ aliquid contulerint.
108. De libertis ex familia factis.
109. De discretione manumissorum ex familia ecclesiæ, qualiter manumittantur.
110. De libertis patrocinio ecclesiæ commendatis.
111. Quod manere debeat firmum, si servi fisci ecclesiam construxerint.
112. Quod non debet minus princeps ministrare quam minister.

113. Quod non decet principem servare proprium thesaurum.

114. Quod non debet princeps ecclesiam propriam habere.

115. De eadem re.

116. Cur carnali principi in locis sanctorum fieri tumuli permittantur.

117. Quod non degradandi sunt principes a Deo uncti, etiam maligni, non privandi opibus.

118. De pessimis principibus ejiciendis (9).

119. De mansuetudine principis erga populum.

120. Quod non debet princeps despicere monachos.

121. Quod principes non culpentur parvo crimine.

122. De subjectione populi erga principem.

123. Quod princeps habere ministrum debet.

124. Ut minister obediat principi.

125. De excommunicatione contradicentis.

126. De jure principis apud populum.

127. De pœnitentia murmurantis contra principem bonum.

128. De jure doctoris.

129. De honore doctoris.

130. Quod doctores debent implere quod docent.

131. Quod debent doctores accipere consilia a subjectis.

132. Quod sequenda sit doctrina doctoris mali, non opera.

133. De malo doctore contempnendo.

134. Quod melior est docta justitia quam sancta rusticitas (10).

135. Quod sancta rusticitas discretionem non habet.

136. Quod sancta rusticitas debet subjici, non præesse (11).

137. De rusticitate certante contra justitiam.

138. De comparatione sanctæ rusticitatis et scientiæ peccatricis.

139. Quod melior est sancta rusticitas quam sapientia non implens quod docet.

140. Difficilius errantem converti sapientem quam rusticum.

141. De doctore bono non contristando.

142. Quod non minoris mercedis sit pabulo verbi quam terreno pane satiari.

143. Quod considerandum est doctori quid, cui, quando, qualiter loquatur.

144. Quod non liceat episcopo in aliena provincia clerum ordinare.

145. De his qui cum ad episcopatum vocantur evitant.

146. Ut ab episcopis aliena parochia non pervadatur

147. Ut ecclesia sæculari potentia minime pervadatur.

148. Episcopus die Dominico ecclesiæ deesse non debet.

149 Episcopus sedens stare presbyterum non patiatur.

150. Episcopus collegaunm (12) se presbyterorum agnoscat.

151. Episcopi si per ambitionem sedem mutaverint, nec in exitu communionem saltem laicorum consequantur.

152. Quamdiu episcopus in aliena civitate remorari debeat.

153. Qui persecutionis tempore in aliena remorari voluerint, non prohibeantur.

154. Non liceat episcopo a sua ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse.

155. De his qui in ecclesiis in quibus provecti sunt minime perdurarunt

156. De tempore quo licet sacerdotibus ab ecclesia abesse.

157. Non transmigrandum de civitate in civitatem.

158. De eo quod si necessaria est transmigratio episcoporum, non temere judicentur.

159. Quod fugiendum sit de civitate ad civitatem. Et de mutatione sedium, si necesse sit.

160. De mutatione sedium episcoporum, si utilitatis causa est.

161. Quod nullus debet judicare episcopum.

162. Ut clericus qui se eunuchizavit, abjiciatur de clero.

163. Ut laicus qui se eunuchizavit, tribus annis communione privetur.

164. Quod episcopus, presbyter, et diaconus, fideles peccantes verberare non debeant.

165. De presbyteris qui, contemptis episcopis, seorsum conventum congregare temptant.

166. De his qui merito facinorum suorum ab ecclesiæ congregatione pelluntur.

167. Quod clerici dampnati non debeant ab aliis recipi.

168. De ordinatis episcopis nec receptis.

169. Quod episcopus, presbyter, diaconus aut quilibet ex clero, etiam laicus, aleator et ebriosus non debeat esse.

170. Quod episcopus, presbyter, et diaconus, non debeat cum hæreticis orare.

171. Quod non admittantur ad clerum ab hæreticis ordinati.

172. Quod omnis cujuslibet ordinis clericus, qui catholicam fidem deserens, hæreticæ se communioni miscuerit, si ad ecclesiam conversus fuerit, in eo gradu quo fuerat sine promotione permaneat.

173. De schismaticis.

174. De presbyteris qui immolaverunt tempore persecutionis.

(9) In textu agitur de episcopis (qui vocantur principes) si hæretici evaserint, e cathedris suis consensu synodi ejiciendis.

(10) *Contra sanctam rusticitatem litteras impugnantem* scripsit duos libros ad Nicolaum V. P. M. Timotheus Veronensis, quorum prologum edidit Scipio Maffeius Verona illustr. lib. III; opus autem ipsum servatur adhuc in Vaticanis codicibus.

(11) Hoc in primis æquum videtur.

(12) Ita ter in cod. pro *collegam*.

175. De his qui ex fuga comprehensi sunt et per vim immolaverunt. A

176. Ut presbyteri modum sibi debitum servent.

177. Quod presbyteri plebium in ecclesia civitatis nec sacrificium offerre nec ministrare debeant quæ oblata sunt.

178. Qui in agris et possessionibus debeant ordinari.

179. Quod nequaquam in duos metropolitanos provincia dividatur.

180. Quod non liceat clero post mortem sui episcopi rem ad eum pertinentem diripere.

181. Ut episcopi vel clerici filios suos non facile emancipent.

182. Ut princeps sacerdotum non appelletur episcopus. B

183. De debibus quæ nunquam episcopos habuerunt.

184. De precibus ad altare dicendis.

185. Nullus episcopus, presbyter, diaconus, conductor existat.

186. De clericis scurrilibus.

187. Ut clerici nullam negotiationem inhonestam et turpia lucra sectentur.

188. De eadem re.

189. Quod episcopus, presbyter, et diaconus, non debeant usuras accipere.

190. Ut clericus nec suo nec alieno nomine fœnus exerceat.

191. Si quis clericus furtum ecclesiæ fecerit. C

192. Ut cujuslibet ordinis clericus, si tardius ad ecclesiam venerit, clericus non habeatur.

193. Quod nullus ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.

194. Clerici tabernas non ingrediantur absque peregrinationis necessitate.

195. De clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.

196. De clericis qui ad sæcularium defensionem confugiunt propter districtionem episcopi.

197. De clericis negotia et nundinas sectantibus.

198. Si voluntarie clericus dampnum ecclesiæ fecerit.

199. Ut clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes et nutrix est. D

200. Cujuscumque ordinis clerici nuptialia convivia vitent.

201. De clericis qui magos aut sortilegos consuluerint.

202. Clericus magus et incantator non sit, neque phylacteria faciat.

203. De clericis qui in seditione arma sumpserint.

204. De clericis per plateas et andronas ambulantibus.

205. De clericis in nundinis et foro deambulantibus.

206. Clerici qui vigiliis desunt, stipendiis privandi.

207. Clerici maledici degradentur

208. De clericis sepulcra demolientibu

209. Clerici adulatores et proditores degradentur.

210. Clerici in vestimentis aut calciamentis non quærant decorem.

211. De clericis per creaturam jurantibus.

212. De distantia ministerii sacerdotis et diaconi.

213. De honore quem presbyteris diaconi, et diaconis subdiaconi qui sub ipsis sunt, debent exhibere.

214. Ut diaconi mensuram propriam juxta Patrum statuta custodiant.

215. De obedientia diaconorum erga presbyteros.

216. Ne diaconus præsente presbytero eucharistiam det.

217. Ut diaconi tempore tantum oblationis alba utantur.

218. Quod non debeant benedicere subdiaconi.

219. Ut sacerdotes et levitæ canes ad venandum et accipitres non habeant.

220. Quod sacerdos fœnore aut venatione occupari non debeat.

221. De clericis qui sunt in parochiis.

222. Si clericus inconsulto episcopo agendam celebraverit.

223. De his qui ex vasis ministerii aliquid vendiderint.

224. Ne presbyter benedictionem vel pœnitentiam in ecclesia dare præsumat.

225. Quod episcopus nisi ab alio postulatus dimissoria facere non debeat.

226. De præsidibus vel ceteris rempublicam agere volentibus, ne sine litteris episcopi sui communicent.

227. Ut clerici vel laici in aliena ecclesia non communicent sine litteris episcopi sui

228. Quod non oporteat egenis epistolia attribui.

229. De clericis qui sine epistolis sui pontificis proficiscuntur.

230. De pacificis peregrinorum.

231. Ut sine epistola episcopi sui non liceat clericum proficisci.

232. Ut nullus fidelium præter commendaticias suscipiatur epistolas.

233. Ut nullus episcopus presbyter aut diaconus sine commendaticiis suscipiatur epistolis

234. Epistola formata Attici Constantinopolitani.

235. De indoctis sacerdotibus.

236. Interrogatus sacerdos debet respondere. Quod si nesciat legem, ipse arguitur quod sacerdos non sit.

237. Ut ægrotus episcopus non vetetur sacrificia celebrare

238. Quod dæmoniis aliisque passionibus inretitis ministeria sacra tractare non liceat.

239. De hypocritis quod dupliciter condempnentur.

240. Quod qui vitio est subjectus, alterius non possit arguere vitium.

241. Quod præpositorum culpa a subditis non sit denudanda.

242. Quod non omnes uno modo sint instituendi.

243. De his qui peccantem non recipiunt.

244. De honore clerici ac laici.

245. Quod cum dampno animæ suæ ab ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiunt illi qui de suo sibi sufficiunt.

246. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edant.

247. De his qui in congregatione sibi commissa solummodo ex familia ecclesiastica clericos aggregare studeat.

248. De episcopis aliisque religiosis viris tabulizantibus, vel ludentium sociis.

249. Nullus episcopus cogatur subjectum sibi clericum de suo clero dimittere

250. Ut episcopi sua manu non cædant.

251. Quod nihil prosit sacerdoti, etiamsi bene vivat, si male viventibus non contradicat.

252. Si presbyter post acceptum gradum uxorem duxerit.

253. De subintroductis mulieribus.

254. Episcopos vel sequentes ordines, qui sacrosancta mysteria contrectant, placuit ab uxoribus abstineri.

255. De presbyteris qui uxores acceperunt vel fornicati sunt.

256. Quod sacerdotes et levitæ cum mulieribus sociari non debeant.

257. De his qui mulieribus adulteris juncti sunt.

258. De diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis.

259. Quod clericis carnale conjugium denegetur.

260. De incontinentia sacerdotum seu levitarum.

261. Ut episcopus et presbyter uxorem suam, quam debet caste regere, non relinquat.

262. Epistola Hormisdæ papæ per universas provincias.

263. De suspecta sacerdotum infamatione.

264. Quale mereatur occultatio dolosa supplicium, et quantum remedii habeat confessio peccatorum.

265. De non contemnendo oblationes presbyteri conjugati.

266. Ut presbyteri et diaconi in graviori culpa convicti manus impositionem tamquam laici non suscipiant.

267. Quod presbyteri et diaconi si in aliquod crimen prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi.

268. Quod incertum sit utrum priorem gradum episcopus post lapsum accipiat.

269. De ministerio quod agit post pœnitentiam qui sub gradu peccavit.

270. De lapsis gradibus.

271. Epistola Isidori episcopi ad Massonem episcopum de restauratione sacerdotum.

272. Quod sacerdotibus lapsis, in monasterio pœnitentia agenda est.

273. De lapsis sacerdotibus post acceptum sacrum ordinem, ut post pœnitentiam ad ministerii officium revocari non possint.

274. Gregorii PP. responsum ad Secundinum servum Dei inclausum de restauratione sacerdotali.

275. De reconciliatione episcoporum.

276. Qualem oporteat clericum esse.

277. De Polychronio Hierosolymitano episcopo.

CAPITULA LIBRI TERTII

DE MINISTERIIS ECCLESIASTICIS, etc.

1. De differentia presbyteri ad similitudinem ministerii episcopi.

2. De causis quibus immolabant sacerdotes in lege naturali, quorum primus Melchisedec immolans ptulit.

3. De causis quibus immolabant sacerdotes legaliter, quorum primus Aaron

4. De causis quibus immolant sacerdotes in novo fœdere.

5. De modis quibus nunc immolat Ecclesia.

6. De universo sacrificio propter quattuor leges.

7. De ordine sacerdotum erga principem et populum.

8. Quod non habeant sacerdotes hereditatem nisi Deum.

9. De superfluis sacerdotum ecclesiæ dandis.

10. Ut sacerdos non quærat pretium ministerii.

11. De jure sacerdotum.

12. De pœna resistendi sacerdoti.

13. Quod danda sit pars substantiæ mortui sacerdotibus.

14. Ut sacerdos non accipiat munera iniquorum.

15. Quod non nocet victus ac vestimentum necessarium, nisi superflua recipiat dona.

16. Quod dona iniquorum a sacerdote recipienda sint, ut pauperibus tamen erogentur et captivis.

17. Quod non debet sacerdos æstimare sibi dona oblata sua esse, sed ecclesiæ.

18. Quod superiores gradus non debent curas sæculares habere.

19. Quod non nocet ministerio ministrantis contagium vitæ.

20. De increpatione malorum sacerdotum.

21. Quod Paschæ temporibus presbyteri et diaconi remissionem peccatorum per parochias dent.

22. Quo tempore Pascha celebretur

23. Ad aliam parochiam eulogias, quæ oblatæ sunt, minime destinandas.

24. De lectionibus quæ debeant recenseri in sabbatis.

25. Quod interstitium psalmorum debeat in conventu fidelium fieri.

26. Quod pro episcopo infirmo sacerdos non ministret.

27. De precibus post sermonem habitum ad ple

bem faciendis, et de his quo intra sacrarium communicare conveniat.

28. Non licere presbytero introire ad altare prius quam ingrediatur episcopus.

29. Quod missa non ab alio sed ab eo qui cœpit compleri debeat.

30. Quod non debeant sacerdotes aut clerici amicti palliis et præcincti lumbos in ecclesia ministrare.

31. Quod episcopi, presbyteri, diaconi, sæcularibus indumentis non debeant uti.

32. Nullus clericus causam dicat cinctus nisi in ecclesia.

33. Quod episcoporum cubicularii, non laici, sed clerici vel monachi esse debeant.

34. De his qui debeant in ambone, id est in pulpito, psallere.

35. Quod cantantibus et psallentibus Domino, angelorum adsint præsidia, et maledictus homo qui opus Dei facit neglegenter.

36. Quod pueros eunuchizari nefarium sit, et de cantoribus ecclesiæ.

37. De cantoribus et psallentibus.

38. Quod cum disciplina debet cani.

39. De modulatione cantandi in ecclesia.

40. Ut sacris altaribus dediti, cantores non eligantur

41. Quod laudanda est Ambrosiana melodia, et quod per ipsam ad credulitatem multi pervenerunt; et quod propter ipsam melodiam, castrationem ab hominibus fieri abonimandum est.

42. De precibus nona et vespera celebrandis.

43. Si frater nominandus inter missarum sollempnia, an non.

44. Cujusnam specialiter in ecclesia nomen taceatur.

45. Epistola beati Damasi papæ ad Hieronymum de ordine missarum.

46. Ut nullus sacerdos sacrificium altaris in panno tincto celebret.

47. Ut nihil aliud in sacrificio præter id quod statuit offeratur.

48. Ut in altari ubi episcopus missam facit, non liceat ipso die sacerdoti missam celebrare.

49. Quod ministri altaris oblatione celebrata deLeant communicare.

50. De altari moto.

51. Quod Dominica eucharistia vere sit caro et sanguis Christi.

52. Utrum cotidiana accipienda eucharistia.

53. De sæcularibus quoties accipere eucharistiam debeant.

54. Quod fideles laici ingredientes ecclesiam communicare debeant.

55. Nullus præsumat ad celebrandam missam cum baculo introire, nec cum velato capite altari assistere.

56. De affligendo corde inter missarum sollempnia.

57. De his qui intrantes ecclesiam propter nimiam luxuriam sacramento se abstinent.

58. Quod sollempnitates sanctorum non tam cibis quam animi exsultatione celebrandæ sint.

59. Ut populus ante completam missam et benedictionem acceptam egredi non præsumat.

60. Nec laicus nec femina ingrediatur ad altare.

61. Ut sacrarium mulieres non introeant.

62. Ne feminæ in cœmeteriis pervigilent.

63. Ut nullus civium festivitates majores in villa celebret.

64. De his qui tardius ad ecclesiam accedunt.

65. Quod usuras non clerici solum exigere non debeant, sed nec laici Christiani.

66. Oblatas in quadragesima non oportere offerri.

67. Oblatas offerri in domibus non oportere.

68. Quæ species non ad altaris sacrificium, sed ad simplicem benedictionem debeant offerri.

69. Ut ea quæ in ecclesia offerri non possunt, ad domos sacerdotum a fidelibus deferantur.

70. Quod Domini erunt quæ offeruntur.

71. De omnibus Deo immolatis.

72. De his qui retrahunt sanctificata.

73. De eo qui nudaverit ecclesiam.

74. Quod humanius agat ecclesia cum his qui retrahunt oblationes.

75. Quod non exspoliandæ sunt ecclesiæ, si mali sint principes earum.

76. De oblationibus non movendis, nisi necessitas suaserit.

77. De quattuor oblationibus ecclesiæ Dei.

78. De decimis.

79. De oblatione degentis sub censu non percipienda.

80. De oblatione puerorum (13) mutanda, si mundo; non mutanda, si Deo

81. De votis puerorum vel mulierum retrahendis, vel non retrahendis.

82. De obligationibus antiqui temporis retractis, in jus antiquum revocandis.

83. Quod non oporteat oblationes, quæ deferuntur ecclesiæ, voluptatibus admisceri.

84. De oblationibus liberi hominis non retrahendis.

85. De jure sepulturæ. De viris et uxoribus in uno sepulcro sepeliendis.

86. Quod mulier post mortem prioris viri libera sit cum secundo viro conjungi et sepeliri.

87. De mortuo non retinendo

88. De viris et mulieribus non uno sepulcro sepeliendis; sed unusquisque sepeliatur in sepulcro paterno.

89. Quod pro plaga gravissima reputatur ei qui non sepelietur in patrum sepulcro.

90. De exemplo consepeliendi viros feminasque, si pares merito sunt (14).

(13) Nempe de rebus oblatis a pueris ut est in textu.

(14) In textu proferuntur exempla S. Scholasticæ sepultæ in tumulo S. Benedicti fratris, et S. Philippi apostoli cum quatuor filiabus sepulti.

91. Quod debeat homo in ecclesia sua sepeliri, etiam monachus.

92. Quod mittenda sors inter ecclesiam et sepulcrum patris.

93. Quod sepulcrum vendi non debeat.

94. Quod non prodest malis sepeliri in locis sanctis.

95. De retinendis corporibus (15).

96. De transmigratione corporis martyrum.

97. De cura pro mortuis. De quattuor modis quibus adjuvantur mortui.

98. De his quæ offerri debent.

99. De sacrificio pro mortuis.

100. De orando pro mortuis.

101. De jejunio pro mortuis.

102. De remissione non quærenda post mortem cum in vita sit quæsita.

103. De testimonio vivi super mortuo.

104. Quod non facile firmatur testimonium super mortuo.

105. De testamento mortui super vivo.

106. De his qui submutant oblationes mortuorum.

107. De his qui suas vel propinquorum oblationes ecclesiæ fraudant.

CAPITULA LIBRI QUARTI

DE MONACHIS.

1. De nomine monachorum.

2. De exordio et auctoritate monachorum.

3. De tribus malis monachi, querela, ultione, iracundia.

4. De variis generibus monachorum.

5. De monachorum totius substantiæ oblatione.

6. De monacho profugo.

7. De monacho remissius non retinendo ab abbate suo.

8. Quod monachus abbatem pessimum deserere debet.

9. Quod non suscipiendus est monachus alterius.

10. De vago monacho excommunicando, et illo qui eum suscipit.

11. De pœna monachi qui filium genuerit.

12. Si quis monachus uxorem duxerit, aut monacha virum duxerit.

13. Quod non oportet monachum a congregatione secedere.

14. De monachis qui cognatorum miserentur.

15. Quod monachus debet dare abbati acquisita.

16. Quod non liceat monasteria consecrata diversoria sæcularia fieri.

17. De monasterio construendo.

18. De monasterio vel oratorio per vim non auferendo.

19. De archimandritis, et ut constitutio communis sit monachorum et sanctimonalium.

20. Abbas non ob aliud sed ob dignos mores ordinetur. Missas illic publicas episcopus non faciat.

21. Quod ex alio monasterio possit ordinari abbas, et quod monachus ad ecclesiasticum ordinem veniens, non possit iterum in eodem inhabitare monasterio.

22. De monachorum promotione.

23. Quod monachi ad sacrum ordinem promoti non debeant a suo proposito deviare.

24. De monachorum vel laicorum promotione.

25. De monachi promotione non nisi vetera statuta servari debere.

26. Ut de alieno monasterio susceptos, nec præpositos monasteriis nec clericos liceat ordinare.

27. Quod de familia ecclesiastica nemo conversationis gratia in monasterium festinare debeat, nisi prius in laico habitu probetur.

28. De electione monachi ad ordinem.

29. De pueris vel puellis monachis.

30. Sicut nullus abbas fieri, ita nullus conversus sine biennali tempore tonsurari permittatur.

31. De monachis et virginibus qui suam professionem non custodiunt.

32. De non manentibus in suo proposito.

33. De virginibus et monachis.

34. De monachis et virginibus propositum non servantibus.

35. De proposito monachi epistola papæ Leonis.

36. De his qui sine crimine per vim in monasterium missi sunt

37. Quod monachi per vim fieri non debeant.

38. Quod ex clero monachus factus, nec ad suam nec ad aliam ecclesiam propria voluntate remeare possit.

39. De ordinatione monachi.

40. De monachis qui solo habitu existunt.

41. Si vir vel mulier ad solitariam vitam transierit.

42. Si laicus conjugatus monachus fieri voluerit.

43. De conjugum conversatione non uno sine altero.

44. Si quis inter celebrandum mysteria ministris Dei injuriam fecerit.

45. Si sponsus vel sponsa ad monasterium confugiat.

46. Quid si ad monasterium quis secesserit.

47. De eo qui monasterium suum reliquit.

48. Ut monachi vel monachæ in civitatibus non deambulent.

49. De monacho adultero.

50. De monachis qui uxores accipiunt.

51. Quod mulieres in monasterium ingredi non debeant, nec eas monachi commatres facere præsumant.

52. Ne venditiones abbates facere præsumant.

53. De honore monachis competente, et ut nullus eorum temptet ecclesiastica aut sæcularia inquietare negotia, nec alienum servum præter conscientiam domini ejus suscipere.

54. De discretione monachorum.

(15) Nempe in obitus loco.

53. De indiscretione monachorum.
56. De quadam perfectione eorum qui in solitudine vivunt.
57. Ob humilitatem potest abbas relinquere locum suum.
58. Abbas non provocatur ad synodum.
59. Abbas duo monasteria non habeat.
60. Juvenculam abbatissam fieri non debere.
61. De ordinatione diaconissæ.
62. De diaconissis.
63. De virginibus velatis vel non velatis si deviaverint.
64. De puellis quæ spontanea voluntate habitum susceperint.
65. De virginibus sacris.
66. Ut præfixis diebus sacræ virgines velentur.
67. Ut viduæ non velentur.
68. De sollicitudine pro virginibus gerenda.
69. Si deformes filias virginitati parentes dedicent; et quod truncatorum corporum pudicitia non prosit.
70. De virginibus etiam minoribus velandis.
71. Ante XXV annum nec diaconi, nec virgines consecrentur.
72. De vita adulescentularum.
73. Si devota maritum acceperit.
74. De separatione viduarum et clericorum.
75. De virginitatis laude in utroque sexu.
76. De dissimulatis virginibus et eorum moribus.
77. De veris viduis.
78. De statu viduæ.
79. Quod debeat ecclesia viduas debiles alere.
80. De palliatarum nomine.
81. Quod non debet virgo velari ante duodecimum ætatis suæ annum.
82. De duobus generibus palliatarum.
83. De honore palliatarum religiosarum.
84. Quomodo duo genera palliatarum vivere debeant.
85. De malis pœnitentibus mulieribus.
86. Ut mulieres viros non doceant.
87. Ut feminæ non accipiant ullum virile aut sacerdotale officium.
88. De nomine presbyteræ.
89. De relicta a clerico.
90. Quod mulier tonderi debeat.

CAPITULA LIBRI QUINTI

DE GRATIA BAPTIZANDORUM, etc.

1. Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testatur instituta purgatio, cum exorcismis et sufflationibus spiritus ab eis abigatur.
2. Ut post Pascha et Pentecosten baptisma non celebretur.
3. Quod Paschate et Pentecoste sit baptizandum.
4. De trina mersione.
5. Quod omni tempore hi qui in necessitate mortis aut ægritudinis vel obsidionis sive persecutionis aut naufragii urgentur, debeant baptizari.
6. De fide in ægritudine baptizati.
7. Qualiter baptizari liceat eos qui subita infirmitate commutescunt.
8. De catechumena prægnante.
9. An prægnans mulier debeat baptizari.
10. De infantibus baptizandis quoties dubitatur utrum fuerint baptizati.
11. Quod hi, quibus dubium est utrum baptismum perceperint, necesse est ut renascantur.
12. Quod hi qui se baptizatos cognoscunt, sed in qua fide nesciunt, per manus impositionem suscipiendi sunt.
13. Quod ecclesiæ baptismate baptizatus, denuo baptizari non debeat.
14. De his qui rebaptizati sunt, quantum pœniteant.
15. De Arianis non rebaptizandis.
16. De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.
17. Statuta sancti Silvestri, quod baptizatum linire chrismate presbyter debeat.
18. Quod non debent baptizati nisi ab episcopo consignari.
19. Quod Judæus, si voluerit, ante Pascha baptizari possit.
20. Quod in nomine Trinitatis debeat baptizari.
21. Quod non debeat una mersio in baptismate quasi in morte Domini provenire.
22. De his qui non sponte sed inviti aditerationem baptismi compulsi sunt
23. Quod non debeat hæreticorum baptisma comprobari.
24. Ut hi qui ab hæreticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus invocatione firmentur.
25. De energumenis baptizatis.
26. Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Quod siqui perpetrare fuerint deprehensi, honoris sui periculum subituri sunt.
27. De his qui circa mediam septimanam ad baptismum veniunt.
28. De perceptione fidei, et redditione eorum qui baptizantur.
29. Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur, ubi et presbyter minister ostenditur.
30. Ut ab alterius episcopo chrisma nullus accipiat.
31. Ut archipresbyteri in cœna Domini chrisma petant.
32. De chrismate infantibus impertiendo.
33. De signatione baptizandorum.
34. Quod hi qui baptismum petunt, non solum baptizentur, sed doceantur etiam qualiter vivere debeant.
35. Quod baptismus si fuerit traditus ab adultero vel latrone, permaneat inlibatus.
36. Si ob necessitatem in vino baptizetur ægrotus.

37. Si cum vase aut cum manibus æger infans baptizetur.

38. Si quis rustice baptizat.

39. De iterato baptismo.

40. Quod pro infirmis debeat sacerdos orare, et juxta præceptum sancti Jacobi oleo perungere.

41. De moribus Christiani.

42. Ut non faciamus homines malos.

43. De his qui se putant justos esse, et non sunt.

44. De moderantia in vestibus Christianorum.

45. Quod debet Christianus septem (virtutes) cum suo vocabulo a Christo sumere.

46. De his quibus pertinet nomen Christiani.

47. De malis personis tempore novissimo.

48. De administrationibus sæcularium judiciorum.

49. Quod qui preces vel criminales dictant habeantur inmunes.

50. De observatione Dominici diei.

51. Item de die sancto Dominico.

52. De operatione die Dominico.

53. De his qui die Dominico Pentecostes genu flectunt.

54. De his qui die Dominico jejunant tamquam nihil præ ceteris differat.

55. De spectaculis, ut die Dominico vel ceteris sanctorum sollempnitatibus minime celebrentur.

56. De histrionibus Christianis factis.

57. Quod in festivitatibus sanctorum ballationes et ludibria fieri, magnum peccatum sit.

58. Contra illos qui dicunt Dominicis diebus nullum debere lavari.

59. Quod de conviviis, quæ ex agape fiunt, escarum partes clerici accipere non debeant.

60. Non licere clericis ludiosis spectaculis interesse.

61. In ecclesiis prandia fieri non debere.

62. De his qui esum carnium in clero constituti defugiunt.

63. De imaginibus vel cruce adorandis.

64. Quod honorare debemus reliquias martyrum vel elementa Dei, sed Deum adorare debemus.

65. Excepto creatore, creaturam adorare non debemus.

66. De imaginibus ab hæreticis confractis et ab ecclesiis projectis.

67. Item de imaginibus propter Deum venerandis.

68. De distantia inter adorare imagines Dei et dolorum culturam.

69. Ut supra de imaginibus.

70. De hæreticis capitula quinque.

71. De causa qua sunt hæretici.

72. De hæresiarchis.

73. De hæreticis vitandis post correptionem

74. De hæretico expugnando.

75. De Christianis qui sabbatizare, vel juxta quendam modum judaizare noscuntur.

76. Quod in sabbato vacatio fieri non debeat.

77. De martyribus hæreticorum.

78. De his qui ab hæreticis vel Judæis festivitatis eorum dona suscipiunt.

79. De Christianis qui Judæorum azyma comedunt.

80. De Christianis celebrantibus festa gentilium.

81. De hæreticis intrantibus in ecclesias vel basilicas martyrum.

82. De catechumenis lapsis.

83. De catechumenis peccantibus.

84. Ut sacramentum catechumenis non præbeatur.

85. Quod non admittantur ad clerum ab hæreticis ordinati.

86. De hæreticis si ad catholicam fidem convertantur.

87. Quod omnis cujuslibet ordinis clericus qui catholicam deserens fidem hæreticæ se communioni miscuerit, si ad ecclesiam conversus fuerit, in eo gradu quo fuerat, sine promotione permaneat.

88. Quod Judæi Christiana mancipia non habeant.

89. Item de Hebræis qui Christiana mancipia comparantes circumcidere præsumpserunt.

90. De his qui in servitio Judæorum ex Christianis fieri volunt.

91. Non invitus convertatur ad fidem Christi.

92. Qui diversis causis gentilitatis ritus aliquid peregerunt.

93. De his qui timore ritus gentilium peregerunt.

94. De his qui in locis idolorum manducaverunt.

95. De his qui frequenter idolis immolaverunt.

96. De his qui convivio gentilium et escis immolaticiis usi sunt.

97. De his qui et aliis sacrificandi causam attulerunt.

98. De his qui cum essent catechumeni idolis immolaverunt.

99. De his qui propter necessitatem lapsi sunt, quando pœniteant.

100. De catholicis ad hæresim transeuntibus.

101. De episcopis qui hæreticos vel paganos heredes instituunt.

102. De hæreticis si in mortis discrimine convertantur.

103. De his qui terrore compulsi sunt ut hæreticis communicarent, si se ab hæreticis separare voluerint, ut ab Ecclesia catholica suscipiantur.

104. De Christianis qui ad apostasiam transierunt, et idolorum sacrificiis contaminati sunt.

105. Ab hæreticis eulogias accipi non debere.

106. De hariolis et haruspicibus.

107. De his qui divinationes expetunt.

108. De his qui angelos colunt.

109. De divinis et sortilegis.

110. Quod non liceat Christianis observationes diversas adtendere.

111. Quod non liceat in collectione herbarum aliquas incantationes adtendere.

112 Quod non liceat Christianis mulieribus varietates in suis lanificiis observare.

113. Ut auguria vel incantationes non observentur.

114. De Christianis non debentibus quærere divinationes.

115. De inanitate bonorum operum quamdiu sit homo in hac observantia.

116. De pœna divinationis hujus.

117. De pœnitentia Christianorum divinationes observantium.

118. De auguriis non observandis etiamsi vera sint.

119. De causa qua dæmones plus sciunt quam homines.

120. De licentia Christiana (nempe libertate a superstitione.)

CAPITULA LIBRI SEXTI

DE DIVERSIS.

1. De nomine ecclesiæ.

2. De vera ecclesia non habente nisi tria.

3. De tribus quibus debet ecclesia non uti.

4. Quod quærendi sunt defensores ad defendendam ecclesiam.

5. De ecclesia res non repetente.

6. De hereditate justi non auferenda.

7. Quod liceat ecclesiæ sumere de spoliis.

8. De blasphemantibus ecclesiam mundialibus.

9. Ut ecclesia mundiales increpet.

10. Non oportere de religione lucra terrena sectari.

11. De discordantibus rejiciendis ab ecclesia.

12. De his qui post odium ad pacem non revertuntur.

13. Ut oblationes fratrum discordantium non recipiantur.

14. De unitate non scindenda, et de concordia ecclesiæ.

15. Quod non dividenda sit ecclesia.

16. De divisione parochiæ inter duos episcopos.

17. Quod melior sit divisio quam discordia.

18. De duobus super uno agro contendentibus.

19. Qui ecclesiæ facultates usurpant sub obtentu misericordiæ.

20. De collecta pecunia non vituperanda, necessitate cogente.

21. Ut servos, qui ad ecclesiam confugerint, post juramentum exire nolentes liceat occupare.

22. Quod ecclesia non debeat fugientia retinere mancipia.

23. Incipit de locis sanctis, in primis de ædificantibus ecclesiam in territorio alicujus episcopi.

24. De locis sine martyribus.

25. De conversatione advenæ accipientis locum.

26. De quærentibus mutare locum.

27. Quod non de loco ad locum quærendus est Deus.

28. Quod locus consecratus custodiendus est ab immundis.

29. De termino locorum sanctorum.

30. De loco sancto a malis non tangendo.

31. De eo qui detrahit locis sanctorum martyrum.

32. De locis sanctis colendis.

33. Quod carior sanguis sanctus quam locus.

34. Probatio cur carior sanctus sanguis quam locus.

35. De ecclesiis ab infidelibus non fundandis.

36. De advena proprio arbitrio construere locum non potente.

37. De advena si non potuerit, et voluerit locum obtinere.

38. Quod non sanctis locorum conditoribus sacrificandum, sed Deo.

39. De termino loci sancti signati terminatoque a tribus personis.

40. De numero terminorum sancti loci.

41. De his qui loca pro tempore retinent, qualiter recedentes separari debeant.

42. Explicit de locis sanctis. Incipit de tonsura, in primis de exordio tonsuræ ecclesiæ.

43. De primo clerico tonso.

44. De quinque causis quibus tonsuratus est Petrus.

45. De sacramento radendi in anima habendo.

46. De excommunicandis clericis qui non tonsurantur tonsura romana.

47. Ut nullus clericus aut monachus comam laxare præsumat.

48. Incipit de ordine excommunicationis. Cum excommunicato non communicetur, et de modis excommunicationis.

49. De excommunicandis malis.

50. De excommunicanda mensa malorum.

51. Quod non oportet a malis hominibus munera accipere.

52. De non dicendo ave peccatoribus et non recipiendo.

53. Quod non cito excommunicandus sit, qui innocenter vel necessitate conviva peccatorum est.

54. Quod non excommunicandi sunt qui in macellum veniunt.

55. Quod melius est secedere a malis, ne immature quis cum illis pereat carnaliter.

56. Quod non nocet bonis deprehendi cum malis.

57. Quod non nocet meritis bonorum mori cum malis.

58. Quod non debet excommunicatus offerre vel baptizare, nisi solum orare.

59. Quod non suscipienda sit eleemosyna excommunicati. Incipit de testimonio.

60. De quinque modis testimonii.

61. Quod tribus rebus probatur verus testis.

62. Quod non recipienda sit repentina testificatio.

63. De tribus personis quibus obnoxius est falsus testis.

64. De his qui ad testimonium non admittendi sunt.

65. Quod respiciendæ sint personæ testantium.

66. Quod idem est dicere falsum testimonium, et credere dicenti.
67. De mendacio non suscipiendo.
68. De mendacio dampnando.
69. De catholicis temere testantibus.
70. De testimonio prohibito.
71. De testimonio timendo ac pluribus.
72. De vindictis falsi testis.
73. Incipit de judicio, in primis de nomine judicii.
74. De personis eligendis ad judicium.
75. De pluribus judicibus in una gente.
76. De judicio incerto minorum judicum a majoribus inquirendo.
77. De loco judicum.
78. De tribus quibus indiget judex.
79. Quod non oporteat sensum scripturæ depravare.
80. Admonitio judicum ut pacem sequantur.
81. De quibusdam judicibus legis.
82. De non accipiendis personis in judicio.
83. De judicio incerto non faciendo temere.
84. Quod judicia secundum tempus et loca judicanda sunt.
85. Ut judex neminem timeat.
86. Judices ecclesiæ quales fieri debeant.
87. De tribus principalibus modis pervertendi judicium.
88. De cæteris causis quibus commutantur judices.
89. De ira causidicorum turbante judicii ordinem.
90. De jurgatoribus qui controversiam cunctam faciunt incertam.
91. De probatione judicum.
92. De statu judicum.
93. De judicio bonorum judicum non movendo, et honore eorum.
94. Ut judicium clericorum non sit apud iniquos.
95. Quod liceat clerico repetere causam vel respondere.
96. De laicis non judicantibus præsente episcopo vel scriba vel sancto.
97. De judicio bonorum. Judicium Spiritus sancti machæra discernendum.
98. De bono judice laudando et malo contempnendo.
99. Quod debet judex cito judicare.
100. Quod non debet cito judicare.
101. Quod non debet judex volubilis esse in judicio.
102. Quod mutandum judicium mendax.
103. Quod oportet principes judicium inire cum servo.
104. Quod non debet servus inire judicium cum principe.
105. Incipit de commendationibus mortuorum, in primis de commendatione patris aut principis non mutanda.
106. De principe vel episcopo sua propria commendante.
107. Quod non debet princeps commendare de rebus ecclesiæ.
108. Quod potest princeps aliquid commendare de rebus ecclesiæ consentientibus clericis.
109. Degens sub censu nihil commendet.
110. Si degens sub censu commendaverit voluntate sua.
111. De commendatione parvulorum retrahenda aut non retrahenda.
112. De commendatione degentis sub conjugio.
113. Incipit de jussoribus, et ratis, et stipulationibus, id est de eo quod solvit fidejussor dirigens manum pro extraneo.
114. Quod non debet clericus esse fidejussor pro laico.
115. De personis indignis ad fidejussionem.
116. De tempore quo debent ratas solvere.
117. De modo quo reddent debitum.
118. Quod non debet aliquis emere aut vendere sine ratis et stipulatione.
119. Incipit de debitis et pignoribus, in primis de debitis reddendis.
120. Quod debitum debet reddi, licet post mortem, ei cui debetur.
121. De debitis dimittendis illis qui debiles aut inopes sunt.
122. Fœnus gavisi accipimus, tristes reddimus.
123. De mercede mercenariis cito reddenda.
124. De datis beneficiis sine vice.
125. De pignore sumendo.
126. De quantitate pignoris et ratione.
127. De usura quærenda moderata.
128. Pœnitens si usuram exegerit, inter ostiarios deputetur. Vel de quibus pœnitentibus dicat. Excerpta Martini.
129. Incipit de veritate, in primis de donis non recipiendis pro veritate ostendenda.
130. De veritate credenda quocumque ore prolata sit.
131. De his qui contra veritatem sentiunt.
132. Quod non oportet tacere veritatem.
133. Quod veritas pretiosior est omni re.
34. De discretione mendacii et veritatis.
135. Quod non amatur veritas.
136. De veritate concussa.
137. De veritate non opprimenda humilitatis causa.
138. De tribus modis quibus cognoscitur omne verum.
139. Quod non valet semper veritas.
140. Quod non sit crimen quemquam increpare in veritate.
141. De moderatione increpationis.
142. Incipit de dominatu et subjectione, in primis de mansuetudine dominorum in servos.
143. De subjectione servorum dominis suis.
144. De subjectione subditorum potestatibus majoribus.
145. Quare Deus permiserit servos.

146. De his qui jugum famulatus abjiciunt christianitatis obtentu.
147. Incipit de regno, in primis de nomine regni.
148. De ordinatione regis cum sorte.
149. De ordinatione regis cum oleo.
150. De duabus virtutibus regis.
151. Quod omnis potestas a Deo sit.
152. Quod majorum regum opera destruantur.
153. Quod principes si delinquant, difficile corrigantur, et viam ostendant erroris.
154. Quod populi peccato sint principes mali, et quod principum culpa sint judices iniqui.
155. De increpatione regum.
156. Quod bonorum regum opera ædificent.
157. De censu regi dando.
158. De censu non reddendo per ecclesiam liberam a mundialibus rebus.
159. De gravitate imperii.
160. De moderato imperio.
161. De dominis rapere non debentibus aut fraudare.
162. Quod breve regnum justum melius est longo iniquo.
163. Sermo regis gladius est, quanto magis sermo Domini nostri!
164. De sermone regis protegente inimicum aut vinctum, sed tantum misericordiæ causa.
165. Quod non oportet juvenem regnare.
166. Ne rex habeat plures uxores.
167. De non adulando regi vel peccatoribus.
168. De non custodientibus regem.
169. Incipit de sorte, in primis de sorte mittenda in dubiis et incertis.
170. Quod non est electio humana in sorte.
171. Quod non semper sortibus credendum, sed Deo.
172. De quatuor causis in quibus sors legitur missa.
173. De his inter quos mitti sors debet.
174. Incipit de patribus et filiis, in primis de nomine patris et filii.
175. De modis filiorum.
176. De anima mortificanda in peccato proprio.
177. De peccato patris veniente in filios suos, tamen a Deo.
178. De iniquitate patrum tradenda in multos posteros.
179. De iniquitate filiorum in parentes suos tradenda, si consenserint filiis.
180. Quod non solum sermone quisque corripere debet, sed potestate.
181. De iniquitate filiorum patres non criminante, si correxerint.
182. De veritate patrum in filios trahenda.
183. De justitia patris filium non adjuvante.
184. Quod justitia patris honorificat hæredem bonum.
185. Quod justitia filii non honorificat parentem injustum.
186. De correctione filiorum a patre secundum doctrinam Domini.
187. De iniquitate filiorum in patres suos.
188. De pietate in parentes.
189. De parentibus suis honorandis.
190. Quod parentes non sunt vitæ auctores, sed Deus.
191. De his qui christianitatis obtentu despiciunt filios.
192. Quod præponendus sit Deus filiis et propinquis irreligiosis.
193. Incipit de parentibus et eorum hæredibus, in primis de pietate parentum erga hæredes, et de hæreditate in perpetuum conservanda.
194. De ratione primogeniti.
195. Quod pater potest dare partem uni filiorum extra alios.
196. Quod pater potest ordinare nepotes suos in loco filiorum.
197. Quod pater potest minorem præcellere majori.
198. Quod privantur alii filii hæreditate pro debito suo.
199. De hæreditate servanda filiis legitimis.
200. De hæreditate filii morientis ante patrem Deo danda, et aliis filiis non reservanda.
201. De divisione hæreditatis in tres partes.
202. De divisione regionis inter reges et ecclesiam.
203. De hæreditate proximi non tenenda per vim.
204. Quod filiæ principalem hæreditatem cum fratribus non habent.
205. Quod filiæ dividunt hæreditatem non principalem.
206. De ministris ægrotantium hæreditatem consequentibus.
207. Incipit de placendo proximis, in primis de unoquoque placente proximis, sive sit plebilis, sive ecclesiasticus, sive pœnitens.
208. Quod unusquisque debet dimittere proximis suis.
209. De non dimittendo una vice nec septies, sed septuagies septies.
210. De differentia familiæ Christi et diaboli.
211. De homine non habente quod reddat proximo nisi pacem.
212. De tribus fraudationibus sæculi.
213. Incipit de substantia hominis, in primis de substantia hominis punienda pro peccato ejus.
214. De substantia hominis non punienda pro peccato ejus.
215. De tribus liberis a peccato alieno.
216. Incipit de bestiis, in primis de nomine bestiarum.
217. De bestiis mitibus constringendis.
218. De bubus cornupetis.
219. De bove occidente bovem
220. De animali non nutriendo si noceat.
221. De tribus necessitatibus hominum.

222. Incipit de ducatu barbarorum, in primis de eo quod reus est sanguinis qui ducatum præbet barbaris.

223. De tribus reatibus Judæ.

224. De pœna ducentium barbaros.

225. De pœnitentia ducentis barbaros.

226. Incipit de carnibus edendis, in primis de tempore quo concessæ sunt carnes esui humano.

227. De usu carnium illicito.

228. De usu piscium valde licito.

229. De cavenda dispensatione in edendis cibis, maxime in carnibus.

230. Quod opes non obsint bene utenti, et quod non quadrupedum esus, sed gula denegetur.

231. De esu avium licito.

232. De esu ferarum maxime cervorum licito.

233. De esu animalium, hoc est suum, licito.

234. Quod omne animal mortuum sine effusione sanguinis morticinum est.

235. De suffocato vel a bestia capto.

236. De morticino et suffocato.

237. Quid significet quod carne cum sanguine vesci vetabatur.

238. Contra eos qui dicunt, omne quod in os intrat non coinquinat homines.

239. Incipit de conviviis, in primis de prædicando in conviviis.

240. De scurrilitatibus et turpiloquio in convivio vitandis.

241. Quod non oportet convivium fieri in festis gentium, sed jejunium.

242. De tribus quibus constat dignitas epulæ.

243. Incipit de hospitalitate, in primis de observatione hospitalitatis.

244. De profectu hospitalitatis.

245. De cavendis hospitibus.

246. De mercede suscipiendis.

247. Incipit de silentio et elevatione vocis, in primis de eo quod silendum est.

248. De his qui continentur in silentio.

249. De moderatione et custodia oris.

250. De sermone otioso.

251. Quod melius est prænonere quam silere.

252. De quatuor quæ sunt in elevatione vocis.

253. Incipit de maledictionibus et benedictionibus, in primis de eo quomodo maledicendi sint inimici.

254. De maledictione timenda.

255. De duobus modis orandi pro inimicis.

256. De inimico proprio non maledicendo, sed inimico Dei et ecclesiæ.

257. De morte inimici non roganda.

258. De maledictionibus in dialogo.

259. Incipit de contrariis causis, in primis de exemplo non operandi in sublimi gradu, et e contra operandi etiam episcopo.

260. De exemplo peregrinandi, et e contra remanendi in loco proprio, et faciendi voluntatem Dei in eo.

261. De licentia christianorum in cibis, et e contra eadem coercenda.

262. De licentia maledicendi inimicis, et e contra non maledicendi.

263. De immobilitate doctrinæ, et e contra mobilitate.

264. De non obliviscendo in prosperis, et e contra non negando in adversis. Explicit.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEPTIMI

DE HOMICIDIO, MATRIMONIO, JUREJURANDO, JEJUNIO, ELEEMOSYNA ET ORATIONE.

1. De pœnitentia diversa homicidarum sponte occidentium.

2. De his qui non sponte homicidium commiserunt.

3. De homicidio vel falsis testibus.

4. Si quis quemcumque per maleficium hominem interfecerit.

5. De his qui sibi quacunque negligentia mortem inferunt, vel pro suis sceleribus puniuntur.

6. De his qui servos suos extra judicem necant.

7. Si domina per zelum ancillam occiderit.

8. De eo qui nolens homicidium fecerit, quod civitas eum defendat.

9. Quod ecclesia debeat defendere.

10. Quod occidendus est homicida, qui non sponte occiderit, si extra urbem deprehendatur (16).

11. De homicidis quos civitas refugii defendit.

12. Quod reus extra templum trahendus sit ut occidatur.

13. Quod debet ecclesia dignos et indignos defendere.

14. Quod homicidæ in ecclesia pœnitere debent.

15. Quod omnis fidelis non facile abdicandus sit de sinu ecclesiæ.

16. Quod non potest in novo testamento ecclesia sponte confugientes ad se non admittere.

17. De ecclesia reos non defendente.

18. Non ad reorum defensionem facta est ecclesia, sed judicibus suadendum ut spirituali more eos occidant qui ad sinum ecclesiæ confugerint.

19. De his, qui peccant in loco sancto, in eodem occidendis.

20. De reliquiis sanctorum non contaminandis.

21. De infantibus projectis in ecclesia Dei.

22. De tribus modis quibus occultum scelus demonstratur.

23. De scelere manifesto.

24. De numero festium testantium scelus.

25. De tribus personis ad punitionem vocandis.

(16) Sermo est in textu de jure vetere Mosaico.

26. De vindictis scelerum in lege veteri.
27. De vindicta scelerum in novo testamento.
28. De octo generibus pœnarum.
29. De severitate vindictæ.
30. De vindicta non prohibenda in novo, et personis dignis vindicta (17).
31. De vindicta in novo.
32. De vindictis magnis magnorum peccatorum.
33. De gravibus vindictis minorum peccatorum.
34. De levibus vindictis magnorum peccatorum.
35. De vindictis tardis in peccatoribus.
36. De velocibus vindictis in peccatoribus.
37. De occasione diversitatis iudicii Dei in utrisque.
38. De quatuor modis quibus non cito vindicat Deus.
39. De reatu eorum qui dimittunt reos.
40. De pœna simili defensi rei et defensoris.
41. Incipit de ratione matrimonii, in primis de laude matrimonii.
42. De uxore quæ in matrimonio habenda est.
43. De nomine et moribus conjugii et subjectione mulieris.
44. De ætate sponsi et sponsæ ante nuptias.
45. De concubinis ante nuptias non habendis.
46. Qualiter sponsus et sponsa benedicantur.
47. Ut natalitiæ vel nuptiæ in quadragesima non fiant.
48. Ut Christianorum non saltetur in nuptiis.
49. De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt.
50. Quod aliud sit uxor, aliud concubina.
51. Quod non sit duplicatio, quando ancilla relicta, uxor adsumitur.
52. De matrimonio inter liberum et ancillam, et inter liberam et servum.
53. Quod non liceat alterius sponsam ad matrimonii jura sortiri.
54. De desponsatis puellis ab aliis postea corruptis.
55. Quod non pœnam minorem in culpa habeat conscius quam corruptor.
56. De secundis nuptiis non prohibendis.
57. Quod non oporteat in digami nuptiis orare.
58. De virginibus oppressis aut seductis.
59. De raptoribus viduarum vel virginum.
60. De raptoribus si ad ecclesiam confugerint.
61. De consanguinitate in una tribu.
62. De his quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores acceperint.
63. De incestis qui se pollutione commaculant.
64. Ut hi qui proximis se copulant, a communione Christi separentur.
65. De incestis conjugiis ex consanguinitate.
66. De his qui cum hæreticis nuptiarum copulam jungunt.
67. De bigamis.
68. De vidua professa castitatem.
69. De virginibus oppressis aut seductis.
70. Quod non inficit virginitatem coactio.
71. Quod alteri desponsatam nemo accipere præsumat.
72. De desponsata.
73. De differentia agnatorum et cognatorum in tribu.
74. Quod possint duo germani fratres duas sorores accipere.
75. An fideles possint cum propinquis sibi conjugio copulari; et novercis et cognatis an liceat copulari.
76. De cognatione conjunctionis specialiter in Anglorum gente.
77. Ut consobrinam, neptem, fratris uxorem, nullus accipere præsumat.
78. Ut presbytera, diacona, monacha, veluti spirituali commatre nullus utatur.
79. Ut virginem aut viduam, nisi desponsatam habuerit, nullus audeat furari in uxorem.
80. De generationis copula.
81. De vindicta copulæ illicitæ.
82. Quod nihil obsit de incestis nasci.
83. De eo quod scriptum est, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.
84. De luxuria carnis, et superbia, quæ origo est omnium criminum.
85. Quod duobus vitiis, id est, luxuria et superbia, diabolus principaliter humano generi dominatur.
86. Non manet in Christo qui non est membrum ejus, nec Christus manet in eo qui se facit membra meretricis.
87. Quod bene illi sit, qui sine uxore manet. Qui diligit meretricem, unum corpus efficitur.
88. De cavendo adulterio etiam in legitimis conjugiis.
89. De his qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri comprobentur.
90. Si cujus uxor adulterium fecerit.
91. Quod excepta causa fornicationis uxor relinquenda non sit.
92. Quod hi qui intercedente repudio, divortium pertulerint; aliisque se junxerint nuptiis, adulteri demonstrentur.
93. De muliere repudiata.
94. Quod non est Dei præceptum repudii, sed consilium Moysi.
95. De causis quas narrat libellus repudii.
96. Quod non repudianda est in Novo Testamento uxor ob has causas.
97. Quod adultera non revertatur ad virum priorem.
98. De viris et feminis in conjugium non recipiendis.

(17) Agitur in textu de publica legum vindicta.

99. Quod non accipienda sit uxor, vivente priore licet adultera. A

100. De non relinquendis uxoribus nisi ob causam fornicationis.

101. De castitate pœnitentis conjugis et pœnitentia.

102. De non dimittenda uxore in baptismo.

103. Quod licet viro ejicere uxorem propter adulterium.

104. Quod non debet vir ejicere uxorem.

105. De adulterio feminæ non celando, et alia uxore non ducenda, et pœna illius qui recipit.

106. De meretrice non habente virum proprium.

107. De his qui uxores aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant. B

108. Sæculares sine judicio episcopi culpabiles uxores non relinquant.

109. Laicum pellentem conjugem suam communione privandum.

110. Si vir et uxor divortium facere pro religiosa vita inter se consenserint, nullatenus fiat sine consensu episcopi.

111. Uxorem habens, si concubinam habuerit, excommunicetur.

112. Quod nulli liceat uno tempore duas habere uxores.

113. De eo qui uxorem habens, sæpius mœchatur.

114. De viris conjugatis, postea in adulterium lapsis.

115. De fidelibus conjugatis si cum judæa vel gentili mœchabuntur. C

116. De feminis qui conscio marito adulterant.

117. Quod viri cum adulteris uxoribus non conveniant.

118. De eo qui propriam uxorem dereliquerit vel sine culpa interfecerit.

119. Quod cum fornicatore non sit communicandum.

120. Quid si sanus vir leprosam duxerit uxorem.

121. De his qui in pecudes vel masculos aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt. D

122. De tempore separationis.

123. Si vir ad mulierem euixam aut menstruatam accedat.

124. Si vir cum propria muliere dormiens non lotus aqua ecclesiam intraverit.

125. Si legitimæ copulæ pro sobolis procreatione carnalis concupiscentia successerit.

126. De his qui adulterant opus Dei, id est deformant creaturam creatori, maxime mulieres quæ desiderant colore placere hominibus.

127. Si cui uxor abducta in captivitatem fuerit, et alteram maritus ejus acceperit, revertente prima, secunda excludatur. Quam dispositionem in muliere quoque, si alium virum primo desistente acceperit, convenit observari.

128. Quod debeant feminæ quæ, captivis viris, nupserant aliis, regressis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod suum est unusquisque recipiat.

129. Quod non probetur esse culpabilis, qui uxorem captivi in matrimonio videtur esse sortitus.

130. Ut si viri de captivitate regressi, intemperantia uxorum offensi non fuerint, eas in conjugium recipere liberam habeant facultatem.

131. Quod si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione privandæ sunt.

132. De feminis quæ, derelictis viris suis, aliis nubunt.

133. De feminis quæ adulteros relinquunt, et aliis nubunt.

134. De mulieribus quæ lenocinium fecerint.

135. De mulieribus conceptus suos necantibus.

136. De his qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.

137. Post quod tempus debeat mulier enixa in ecclesiam intrare.

138. An mulier menstruata, sive inconsentiens sive consentiens, debeat in ecclesiam intrare aut corpus Domini percipere.

139. An debeat homo irasci contra vitia sua an non?

140. An post illusionem quæ per somnium accidere solet, vel corpus Domini accipere quislibet audeat, vel si sacerdos sit sacra mysteria celebrare.

141. Qui sine desiderio in somnis pollutus est, licet non peccavit, attamen purgandus est.

142. De effeminatis in scriptura exosis.

143. Quod non oporteat mulierem tonderi.

144. De silentibus mulieribus in ecclesia.

145. Quod si unus ex conjugibus filium aut filiam de sacro fonte susceperit, uterque compatres efficiuntur.

146. Incipit de furto, et in primis de nomine furti.

147. De furto prohibendo.

148. Quod idem sit apud Deum utrum parvum sit an magnum quod furatur (18).

149. De furto graviter reddendo.

150. De notatione varietatis animantium in furto reddendo.

151. De variis punitionibus furti, de causis diversitatis.

(18) Incaute hoc dicitur; nisi forte scribas *Dominum* pro *Deum*. Profecto in textu nihil aliud profertur quam S. Hieronymi locus comm. in Ep. ad Titum II, 10, ubi de servorum furtis concludit : *in furto, quantumcunque servus abstulerit, furti crimen incurrit.*

152. De notatione varietatis inter Vetus et Novum Testamentum in furto reddendo.
153. De pœnitentia furantis ab ecclesia.
154. Quid pati debeat qui de ecclesia furto abstulerit.
155. De furto quod alumni ecclesiæ in suo furantur monasterio.
156. De furto capto.
157. De furto leviter sanando.
158. De furto commendati in lege reddendo.
159. De furto commendati in novo reddendo.
160. De prædicto commendato in novo reddendo.
161. De negatione depositi vel alicujus rei
162. De restitutione depositi.
163. De vivente quærente depositum ab hærede mortui.
164. De commendatis per furtim raptis ab ecclesia catholica non reddendis.
165. De commendato pecore.
166. Incipit de juramento, in primis de juramento jurando.
167. De cautione juramenti.
168. Quod non est jurandum per creaturam, sed per creatorem.
169. Quod non oportet christianum jurare, sed tantum dicere.
170. De juramento solvendo.
171. De juramento non solvendo.
172. De conjuratis contra episcopum.
173. De juramento sancti Gregorii.
174. De juramento, sed apud Deum timentes.
175. Quod magnum peccatum sit falsum jurare.
176. Quod pejor est qui innocens provocat ad juramentum, quam qui jurat.
177. Quod vincit homicidam qui falsum consentit jurare.
178. Quod similis est iniquitas perjurantis, quam celantis perjurium.
179. Quod multi falluntur per juramentum.
180. De juramento fallaci.
181. De vitio auditorum compellentium ad juramentum.
182. De pœnitendo perjurio propter oblivionem, et eleemosyna pro eo danda.
183. De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.
184. Quid sit juramentum cum pluribus.
185. De eo qui jurat, quomodo relinquendus.
186. Quid sid sacramentum Dei, et pœnitentia Dei.
187. Perjuri post septem annos accipiant communionem.
188. Incipit de jejunio, in primis de nomine jejunii.
189. De tribus generibus gastrimargiæ.
190. Quod gulæ vitium quinque modis tentet.
191. Contra eos qui non volunt esse abstinentes.
192. Quod jejunii duo sint genera.
193. De jejunio proficiente etiam mundialibus.
194. Quod una in anno quadragesima sit celebranda, et cætera jejunia anni voluntaria sint.
195. Non debere in diebus jejuniorum commemorationem martyrum fieri.
196. Non debere jejunium solvi in quarta feria septimanæ majoris.
197. De his qui ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt.
198. Ut jejunium non sit in propria voluntate.
199. Quod jejunium multum valet.
200. Quod non urit temperatio abstinentes.
201. De laude jejunii.
202. Quod inutile jejunium sit, si aliena quærantur.
203. De jejunio inutili sine charitate vel eleemosyna.
204. Quod debet esse jejunium moderatum.
205. De solvendo jejunio inutilitatis causa.
206. De jejunio quod nec loco nec persona nec tempore potest solvi, si vota patrum sint.
207. Quod non jejunandum est in die dominico.
208. Quod jejunandum est in quarta et sexta feria.
209. De sabbato et quinta feria.
210. Ut a jejunis sacerdotibus Deo sacrificia celebrentur.
211. Quod sit jejunandum in festis gentilium.
212. De jejunio pro vivis faciendo.
213. De jejunio pro mortuis.
214. Incipit de eleemosyna, in primis de nomine eleemosynæ
215. De laude eleemosynæ
216. Quod sola eleemosyna non liberat sine aliqua virtute.
217. Quod eleemosyna de propriis danda est.
218. De eleemosyna, de furto aut rapina et reliquis.
219. Quod eleemosynam ab illis accipere non debemus, qui per rapinam et miserorum lacrymas divitias congregant.
220. Incipit de oratione assidua.
221. De virtute orationis justi.
222. De oratione justorum pro semetipsis.
223. De oratione pro aliis vivis et pro infirmis.
224. Quod melior sit oratio quam lectio.
225. Quod inutilis est clamor vocis sine clamore cordis.
226. Quod inutilis sit oratio sine operibus bonis.
227. De loco orationis.

CAPITULA LIBRI OCTAVI

DE PŒNITENTIA, ET GRATIA COMMUNIONIS ETIAM IN ULTIMIS, ETC.

1. De pœnitentia, et unde sit dicta.
2. De laude pœnitentiæ.
3. De confessione peccatorum.
4. Ne peccatorum professio palam recitetur.

5. De pœnitentia Deo soli confitenda proficiente (19).

6. De pœnitentia iniqui auferente plagas in diebus ejus.

7. De precibus importunis proficientibus, et pœnitentia recipienda.

8. Quod soli emendationi remissio debetur.

9. De pœnitentia ebriosorum clericorum.

10. De pœnitentia eorum qui revertuntur ad malitiam.

11. De compendiosa pœnitentia proficiente.

12. Quod pensandum est cui graviter vel cui leviter.

13. De sacerdotibus qui alios onerant pœnitentia quam digito suo nolunt movere.

14. De pœnitentia cum lacrymis agenda.

15. De pœnitentia impossibili ante dolorem.

16. De incerta indulgentia ultimæ pœnitentiæ.

17. De pœnitentia agenda etiam in ultimo spiritu.

18. Quid sit ultimus spiritus.

19. De sacrificio non negando, licet in ultimo spiritu pœnitentibus.

20. De phreneticis.

21. De his qui necessitate mortis urgente pœnitentiam simul et viaticum petunt, et de his qui obmutescunt antequam ad eos sacerdos daturus pœnitentiam accedat.

22. Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda.

23. De eadem re.

24. De his qui communionem tempore mortis exposcunt aut desperantur, et consecuti communionem, iterum convalescunt.

25. De sedacio (20) communionis.

26. De communione.

27. De pœnitentia unius diei proficiente.

28. Quod non potest militari Deo et mundo.

29. De pœnitentibus transgressoribus.

30. De his qui abrenuntiaverant, et iterum ad sæculum reversi sunt.

31. De his qui post pœnitentiam habitum sæcularem resumunt.

32. Quod adolescens si, urgente quocumque periculo, pœnitentiam gessit, et non se continet, uxoris potest remedio sustentari, quousque possit adipisci continentiæ statutum, temporis maturitate. Cæteri pœnitentes a conjugiis debent se continere.

33. Quod quibusdam pœnitentibus pristina reddantur conjugia; et quod hæc et a viris et a feminis uniformiter observari debeant.

34. De his qui pœnitentiam accipiant, quæ minoribus non facile committenda est.

35. Qualiter majores pœnitentiam accipiant, quæ minoribus non facile committenda est.

36. Ut pœnitentiæ tempora juxta qualitatem peccati decernantur.

37. De acceptione personarum.

38. De remedio pœnitentiæ, et quod absolutio pœnitentium per manus impositionem episcoporum supplicationibus fiat.

39. De his qui pro diversis erratis pœnitudinem ferventium egerint.

40. De impositione manus super pœnitentes tempore quadragesimæ, et quod ipsi sepeliant mortuos, et quod genua flectant a pascha usque in pentecosten.

41. Ut pœnitentes a presbyteris non reconciliantur.

42. Ut pœnitentes ab aliis episcopis ve. presbyteris non recipiantur, nec alibi communicent nisi in ipsis locis ubi fuerint exclusi.

43. De pœnitentibus subito mortuis, ut oblationes eorum recipiantur.

44. De his qui pœnitere non possunt.

45. Quod oporteat eum, qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere.

46. Quod pœnitenti lucra negotiationis exercere non conveniat.

47. De loco pœnitentiæ et orationis.

48. Quod modum pœnitentiæ debemus agnoscere.

49. Item de fructuosa pœnitentia.

50. Secundum modum culpæ agenda est pœnitentia.

51. Ut dum vivit homo vindictam de peccatis faciat, nec servet in finem.

52. Quod prius mala sunt abjicienda, et postmodum bona facienda.

53. Quod gemina sit peccatorum conversio.

54. De excusatione peccantium.

55. De injusta excusatione peccantium.

56. Quod ignorantia multos destruat.

57. De his qui intelligere negligunt.

58. Omnis iniquitas apud secreta Dei suas voces habet, et Deus audit.

59. Quod delicta cogitationis vix intelligantur.

60. Ut a detrahente cavere debeamus.

61. Qualiter parentum peccata filiis noceant.

62. De persecutione divina aut purgatione in hoc sæculo, ut initium pœnæ sequentis.

63. Quod minora bona utilitate majorum prætermittenda sunt.

64. Quod justis non obsit, sed magis prosit si dure moriantur. Et justus quacunque morte præventus fuerit, justitia ejus non auferetur ab eo.

65. De adversis justorum, et prosperis impiorum.

66. Quod plerumque reprobi sine flagello sunt, et quod electi castigentur.

(19) In textu profertur locus ex dogmatibus ecclesiasticis, ex quo cognoscimus negari hic necessitatem tantummodo pœnitentiæ publicæ. En verba : *sed et secreta satisfactione solvi crimina moralia non negamus, sed mutato prius habitu sæculari.*

(20) Sedacium in textu explicatur *ovis aut pretium eius apud Hibernenses.* Notum est hoc Cangio vocabulum.

67. De sublevatione carnalium et ruina spiritalium.
68. Quod ex peccato non solum peccatum gignitur, sed etiam pœna peccati.
69. Quod omne peccatum tribus arguitur modis.
70. Quod plerumque minimis peccatis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus.
71. Parvulis, si male nutriantur, clauditur aditus regni cœlestis.
72. Quod quædam similia peccatis, non sunt peccata.
73. De dilectione peccandi.
74. De dissensione iræ.
75. De discretione mendacii.
76. De discretione locutionis.
77. De peccato linguæ minore peccato manuum.
78. Quod nihil prosit si admixto malo agatur bonum.
79. Quod sicut ex vitio vitium, ita ex virtute virtus nascatur.
80. Quod melius sit ab homine quam a vitio vinci.
81. Quod homo spiritalis sic propinquitati prodesse debet, ut a suo proposito non declinet.
82. Quod plus obsint facientibus mala quam patientibus.
83. De dilectoribus mundi.
84. Quod magnum peccatum sit vinum largiter bibere, quamvis non inebrientur.
85. Quod iniquo percunte plurimi corrigantur.
86. De regula dilectionis.
87. De justitia.
88. Quæ sit blasphemia in Spiritum sanctum.
89. Quod qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentetur, et quod levibus culpis sit purgatorius ignis.
90. Qualiter intelligatur, nolite judicare, ne judicetur de vobis.
91. Quod valde debet esse providus qui judicat de certo et de incerto.
92. Quod qui bene offert, et non recte dividit, peccat.
93. Quod magnum peccatum est habere tristitiam de alterius bonitate.
94. De præsumptiosa fide sine opera.
95. De eo qui moderationem non servat.
96. De his qui dicunt malum bonum, et bonum malum.
97. Quod noxium sit vivere cum peccatoribus.
98. Quod non polluitur justus ab iniquo.
99. Si seniores deliquerint, districte feriantur.
100. Quod perseveranti culpæ debetur vindicta, et quod resipiscentibus debetur venia.
101. De his qui eleemosynam sine emendatione faciunt.

CAPITULA LIBRI NONI

DE JUDICIO PŒNITENTIUM, ETC.

1. De his qui voluntarie homicidium fecerint aut nolentes.
2. De homicidio clericorum.
3. De his qui se ipsos occidunt.
4. Judicium pœnitentiæ de homicidio.
5. Judicium Theodori, unde supra.
6. Judicium Commeani, unde supra.
7. Jucidium canonicum de sanguinis effusione.
8. Judicium rursus Commeani, unde supra.
9. De oppressis infantibus et aborsis.
10. De mulieribus fornicariis et aborsum facientibus.
11. De eadem re judicium Theodori et Gregorii.
12. De infantibus qui mortui inveniuntur ad latus mulieris.
13. De infantibus qui sine baptismo moriuntur.
14. De his qui membra sua abscidunt.
15. De his qui ducatum præbent barbaris, Commeani judicium.
16. De adulterio.
17. De fornicatione.
18. De sodomitis.
19. De his qui semet animalibus commiscuerunt.
20. De his qui cum quadrupedibus peccaverunt.
21. De luxuria, et adulterio, et fornicatione.
22. De concupiscentia consummata.
23. De conjunctione cum propinquis, et de adulteris.
24. De incestis conjunctionibus.
25. De raptibus et de incestis nuptiis.
26. De violentia in mulierem.
27. De viris conjugatis postea in adulterium lapsis.
28. Quomodo debeat viro servare fidem mulier.
29. De viro cui mortua fuerit uxor.
30. De viro cui hostis abstulerit uxorem.
31. De bigamo et trigamo judicium synodale.
32. De uxoribus dimissis, et illicitis temporibus nubendi, judicium canonicum.
33. Item de uxoribus dimissis.
34. De viro qui reliquerit uxorem suam, et duxerit aliam.
35. De his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant.
36. De viro et muliere turpitudinem facientibus.
37. De eo qui in publica quadragesima peccaverit cum sua uxore, judicium synodale.
38. Ut vir non dimittat uxorem suam, nec mulier virum suum.
39. De vitio luxuriandi, et de ludis puerilibus, et immundis pollutionibus.
40. De pollutione.
41. Capitula Serapionis de fornicatione
42. De his qui donum Dei student mercari.
43. De filia spirituli, judicium synodale.
44. De his qui in ecclesia fornicantur, judicium quod supra.
45. De suspecta sacerdotum infamatione.
46. De femina quæ in fornicatione deprehensa est

cum clerico post diem ordinationis suæ, aut quasi conjugium copulavit.

47. Ut episcopus, presbyter, vel diaconus, seu subdiaconus, si pro criminalibus damnati fuerint, minime communione priventur.

48. De adulteriis honoratorum clericorum.

49. De subdiacono.

50. De diversis ordinibus qui ab uxoribus abstinere debent.

51. De criminalibus culpis.

52. Quod sacerdotes et levitæ cum mulieribus commisceri non debeant.

53. De fornicatione cum pagana.

54. De fornicatione cum commatre, vel filia de sacro fonte.

55. De incestis fornicationibus.

56. De his qui cum filia sua vel sorore fornicantur.

57. De fornicatione cum matre sua.

58. De eo qui sæculo renuntiaverit, et postea ad sæcularem habitum reversus sit.

59. De stultis votis frangendis.

60. De furto ecclesiæ.

61. De incendio.

62. De furto et incendio et sepulcro violato.

63. De eo qui cibum furatur.

64. De violatis sepulcris.

65. De re aliena non tollenda.

66. De eo qui hominem exspoliaverit.

67. De eo qui patrem expulerit, vel hominem captivaverit.

68. De præda ex hoste capta, et de eo qui monasteria exspoliaverit.

69. De perjurio.

70. De juramento voluntario.

71. De perjurio et falso testimonio et mendacio.

72. De falso testimonio judicium canonicum.

73. De mendacio.

74. De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.

75. De sacramento vel voto solvendo.

76. De falsis testibus.

77. Theodori de falso testimonio.

78. De his qui accusant nec probant.

79. De maleficiis.

80. De maleficiis, beneficiis, sortilegis, hariolis et divinis.

81. De sortilegis.

82. De discretione erga pœnitentes.

83. De his qui dæmonibus immolant.

84. De auguriis vel divinationibus.

85. De idololatria.

86. De his qui vota sua alibi quam ad ecclesiam dissolvunt.

87. Si quis Kal. Jan. consuetudine paganorum cum cervulo aut qualibet vecula (21) ambulaverit.

(21) Confer Cangium in vocabulo *vetula*.

88. De mathematicis et immissoribus tempestatum.

89. De clericis usurariis.

90. De usuris vel cupiditate seu avaritia.

91. De his qui hospitem non recipiunt et mandata evangelica non implent.

92. De dilectoribus mundi.

93. De acceptione personarum.

94. De ebrietate.

95. De abstinentia a vino propter luxuriam.

96. De gula et ebrietate.

97. De suffocato et sanguine non edendo.

98. De morticino non edendo.

99. De his qui sanguinem comedunt.

100. De his qui in quadragesima carnem comedunt.

101. Quod infirmo licet omni hora comedere.

102. De discretione ciborum, et de his qui immunda comedunt.

103. De sordidato non edendo.

104. De venatione clericis prohibenda.

105. De superbia, blasphemia et jactantia.

106. De hæresibus et contentionibus.

107. De eo qui negligit audire præcepta Dei.

108. De inobedientia et excusatione vel correptione.

109. De delatis et delatoribus, et de non indulgendo malis cogitationibus.

110. De delatoribus.

111. De his qui patri et matri injuriam faciunt.

112. De his qui in patrem aut matrem per iracundiam manus erexerint.

113. De his qui compatrem vel commatrem non conservant.

114. De discordantibus.

115. De his qui ob odium ad pacem non revertuntur.

116. De excommunicatis.

117. De non recipiendis muneribus a malis hominibus.

118. De denuntianda iniquitate.

119. De clericis vel laicis qui offendunt proximos suos.

120. De ira, tristitia, odio et maledicto.

121. De detractione, murmurio et invidia.

122. De acidia, somnolentia et instabilitate.

123. De præsumptione baptizandi.

124. De his qui baptismum iterant.

125. De his qui rebaptizati sunt, quantum pœniteant.

126. De legitimo baptismo, et quod succurrendum est infirmo.

127. Item de baptismo.

128. De homine qui baptizavit filium de se genitum.

129. De homine qui suos filios nesciens susceperit.

130. De compatribus ex conjugio.

131. De Dominico die canonica et apostolica do-

ctrina.

132. De operibus diei Dominici, et de his qui in eodem die jejunant, vel indictum ecclesiæ jejunium contemnunt.

133. De sacrificio.

134. De negligentia erga sacrificium, et errante presbytero in missa.

135. De communione percipienda.

136. De his qui multa mala fecerint, et de mitigatione pœnitentiæ.

137. De pœnitentia morientibus non neganda.

138. De his qui pœnitentiam in infirmitate petunt.

139. De his qui petunt pœnitentiam, et fuerunt linguæ officio privati.

140. De his qui pœnitentiam accipiunt, et cum relevati fuerint, eam agere nolunt.

141. De eadem re.

142. De communione privatis et ita defunctis, et de missis mortuorum quando celebrandæ sint.

143. De remissione non quærenda post mortem, cum in vita non fuerit quæsita.

144. De quatuor modis quibus adjuvantur animæ defunctorum.

145. De cura eorum qui repentina morte sublati sunt.

146. De his pro cujus anima dubitatur.

147. De discretione pœnæ.

148. Ut hi qui non potuerint jejunare, redimant se de substantia sua secundum qualitatem possessionis suæ.

149. De eadem re ex alio pœnitentiali.

150. Editio Bonifacii episcopi de discretione pœnitentiæ.

151. De eadem re.

152. De eadem re.

153. Quod non omnes uno modo sint instruendi.

154. De communione post acceptam pœnitentiam vel antea.

155. De divite vel potente aut minoris ordinis, quomodo se redimant a criminalibus culpis.

156. De diebus qui non computantur in pœnitentia, et de diversitate temporum jejunii.

157. De jejuniis in anno statuta canonica.

158. De diversis jejunii temporibus.

159. De origine biduanæ seu triduanæ.

160. De indicto jejunio.

161. De octo vitiis principalibus.

162. Proles de supradictis vitiis.

163. De octo principalibus vitiis, superbia, gula, fornicatione, avaritia, ira, acedia, tristitia, cenodoxia.

164. De horis canonicis celebrandis.

165. De his qui officium suum negligunt.

166. Quod non liceat servis Dei pugnare, nisi pro magna necessitate.

167. De clericis qui uxores habent, et sacerdotio volunt fungi

168. Ut clericorum prohibeatur carnale consortium.

169. Ut gradum regiminis nullus recipiat ante quam subesse didicerit.

170. Ut ad sacrum altaris ministerium indoctus et temerarius nemo accedat.

Auctores et libri in hac Collectione canonica hi fere laudantur.

Acumianus Longius. (Sic in cod. f. 193, sed videtur idem qui infra dicitur Commeanus.)

Alcuinus.

Ambrosius.

Athanasius.

Annales Hebræorum.

Antherus PP.

Augustinus.

Basilius.

Beda.

Biblia sacra.

Bonifacii episcopi editio De discretione pœnitentiæ.

Cœlestinus PP.

Callistus PP.

Canones Apostolorum.

Canones Romanorum.

Carolus rex.

Cassianus.

Chronica Græca,

Clemens Rom. PP.

Collationes Patrum.

Commeanus.

Consulta synodorum.

Cyprianus.

Damasus PP.

Decreta pontificum.

Decretalium ante Siricium parcissimus est usus.

Deusdedit PP.—Est illa unica Deusdedit papæ epistola ad Gordianum episcopum, quæ in Conciliorum collectionibus exstat. Dicitur autem in cod. Gordianus non *Hispalensis* (quod fieri nequit), sed *Hispaniensis episcopus*, consonanter cum Pistoriensi codice ubi dicitur Hispaniarum episcopus.

Evaristus PP.

Eucherius.

Eugenius PP.

Faustinus. — Faustini episcopi sermones duos in quinto Spicilegii volumine dedimus. Fragmentum autem apud canonicam collectionem f. 91 ita se habet. FAUSTINUS. « Non te fallo, quia quod tibi post mortem non proficit, non est a Deo. Dico namque ut vitam emendes et meritum redimas aut orationibus aut eleemosynis. Quid enim mortuis vox viva proficit quam non audiunt, et quæ non tribuit eleemosynam? »

Felix PP.

Gelasius PP.

Gordianus episcopus. — Gordiani hujus profertur in textu fragmentum epistolæ ad Deusdedit PP. cujus non meminerunt Labbeus et Mansius editores actuum Deusdedit in collectionibus Conciliorum. Epistola Gordiani episcopi ad sanctum Deusdedit episcopum urbis Romæ. « Scitis quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita septem sunt dona baptismi. A primo pabulo sacrati salis, et ingressu

sanctæ ecclesiæ, usque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma. Ab hoc primo Spiritus sancti dono usque ad septimum, nullus Christianus suam commatrem in conjugio recipere debet; et qui præsumpserit, anathematis vinculis religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit dignam. Similiter qui suam filiam, quæ intra hæc septem dona quæ supra diximus, vel ad se vel suo filio in conjugio dederit. » Cum ergo videamus Gordianum ad Deusdedit scribentem, sequitur ut Labbei ac Mansii dubitationes contra pontificiæ epistolæ ad Gordianum sinceritatem prope jam eventilentur.

Gratiani canonum collectio.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Rom. PP.
Hieronymus.
Hilarus PP.
Hormisda PP.
Innocentius PP.
Isidorus Hisp.
Joannes Chrysostomus.
Joannes (VIII) PP.
Josephus Cæsariensis in ecclesiastica Historia.
Judicium canonicum.
Judicium synodale.
Justiniani leges.
Leo PP.
Liber dogmatum ecclesiasticorum.
Liber Soliloquiorum.
Martinus episcopus.
Origenes.
Pœnitentiale quoddam.
Paterii canones.
Prosper.
Regula clericorum.
Serapion abbas.
Silvester PP.
Siricius PP.
Smaragdus.
Symmachus PP.
Synodi Africanæ variæ, Agathensis, Alexandrina, Ancyrana, Antiochena, Apostolorum, Arausicana, Arbenensis (*nisi est pro* Narbonensis), Aurelianensis, Bracarensis, Carthaginiensis, Constantinopolitana, Chalcedonensis, Gangrensis, Hibernensis, Hispalensis, Ilerdensis, Illiberitana, Laurasica (*nisi est pro* Arausicana), Laodicena, Matisconensis, Narbonensis, Neocæsariensis, Nicæna, Romana, Sardicensis, Terracinensis, Toletana, Valensis, Valentina, Vasensis, Vercellensis, Urbica.
Theodorus episcopus.
Vigilius PP.
Vitæ monachorum.
Vitæ patrum Ægyptiorum.
Vitæ sanctorum.
Zacharias PP.
Zosimus PP.

EPISTOLA CANONICA

Quam debent adimplere presbyteri, diaconi, seu subdiaconi (1).

(Apud Mai, *Scriptorum veterum Collectio nova*, VI, 101.)

I. Primum omnium fidem catholicam omnes presbyteri, et diaconi, seu subdiaconi memoriter teneant; ut si quis hoc faciendum prætermittat, XL diebus a vino abstineat: et si post abstinentiam neglexerit, ad emendandum replicetur in eo sententia.

II. Ut nullus presbyter (2), diaconus aut subdiaconus cum mulieribus habitare aut conversari præsumat; et si inventus fuerit hoc faciens, de gradu dejiciatur: insuper et exsilio destinatus, dies suos in pœnitentia finiat.

III. Ut ea quæ a Deo conservandis Christianis principibus amore illata sunt vel fuerint ecclesiis vel titulis, nullus exinde subtrahere præsumat, ne sacratæ res depopulentur. Et si quispiam præsumpserit, res quæ fraudatæ sunt, quadruplo restituantur; aut si non habuerit unde, ipsa loca amittant; et res ipsæ quæ fraudatæ sunt, ab episcopo ipsius recolligantur, et in ipso loco unde ablatæ sunt refirmentur.

IV. De presbyteris qui eos ad communionem recipiunt, qui incestas nuptias contrahunt, id est matriniam, cognatam, vel socrum, aut filiastram, vel proxima agnatione conjunctam in conjugio sibi sociant, et ad eos pervenerint, admoneantur ut separentur; qui si distulerint, communione priventur, et oblationes eorum in sacro altari non recipiantur. Et si presbyter sciens hoc neglexerit, distringendo, aut amicitiam temporalem attendendo, ad communionem cum receperit sine emendatione aut pœnitentia, canonicæ subjaceat sententiæ.

V. De his presbyteris qui post primam vel secundam correptionem seu admonitionem recipiunt idola colentes, vel insipientes homines, qui ad fontes atque ad arbores sacrilegium faciunt, necnon dies Jovis ac Veneris propter paganorum consuetudinem observant [vel cerbolum aut anniculas faciunt, hoc est suffitores et cornua incantant (3)], et eos post primam aut secundam admonitionem communicaverint, aut oblationes eorum susceperint, XL dierum spatio in pane et aqua sint contenti.

VI. Ut nulli sacerdotum extra jussionem episcopi sui procurationes sæculares liceat suscipere, excepta

(1) Ex codice nobilissimo Vaticano sæculi X litteris Langobardicis scripto.

(2) Voc. *presbyter* deest in cod. Vat.; sed adest in Barberinio.

(3) Verba hæc sunt in codice Barberinio, sed absunt a Vaticano.

jussione pontificis sui, religiosas causas, ecclesiarum videlicet, aut clericorum, pauperum vel viduarum, sicut sacri præcipiunt canones. Si quis contempta hac observatione in talibus causis se implicasse inveniatur, canonicæ sententiæ de ausu præsumptionis subjaceat.

VII. Ut si cui sacerdoti ex qualibet muliere denuntiatum fuerit, ut exinde suspectio malæ opinionis efficiatur, nullam cum ipsa habeat conversationem, neque in secreto, neque in præsenti : si deinceps inventus fuerit post secundam et tertiam contestationem, ut contemptor, gradus sui periculum substineat.

VIII. Ut in nulla ecclesia cujuslibet diœceseos ubi baptismus sit, presbyter absque diacono esse reperiatur. Unde omnis presbyter non habens diaconum, eligat sibi personam, et plebi suæ innotescat; tunc ad pontificem suum consignans deducat, cujus vitam probatam habeat, et diaconus consecretur. Quod si distulerit presbyter dicens, eo quod non habeat talem clericum, episcopus suus provideat ex ecclesia sua aut unde voluerit bonam personam : tantum est, ut sine diacono non sit. Constituimus enim ut diaconus in uno cubiculo cum presbytero suo maneat, deferens ei honorem ut dignum est; ante quorum lecta clerici simili modo manere videantur, ut semper absque suspectione sint, et Deus propitietur. Non existente presbytero intra domum, si ubicunque abierit, diaconus post ejus egressum locum ejus obtineat, ad suscipiendum vel ordinandum quod utilitas domui est : ita demum ut non presbytero suo superbiat; nam si hoc attentaverit, ab episcopo suo de contemptu superbiæ judicetur : et de accessu ecclesiæ quod supra altare ponitur, seu undecunque accedere potest sub amborum sigillo sit; et non unus sine alterius notitia expendere ubi necessarium fuerit præsumat.

IX. Ut nullus presbyter, diaconus vel clericus in diœcesi constitutus prædia ecclesiæ, hoc est terras, potestatem habeat venundandi, sed nec cuiquam parentum suorum donandi. Et qui hoc egerint, sub omni celeritate reddito pretio ad loca sacra quibus competunt, revertantur. Si autem hac observatione contempta quis hoc præsumpserit, res proprias in ipsa ecclesia relinquat, et ipse foras ejiciatur, eo quod divinæ congruat rationi ut qui ecclesias accipiunt, ad regendum, non ad dispergendum accipiant. Simili modo nullam habeant potestatem quolibet modo ad alienandum neque infiduciandum neque venundandum; sed nec sine voluntate pontificis sui vicarios dandum aut liberos dimittendum. Qui hoc præsumpserit, ut superius censuimus, si habet proprietatem suam, aliud tantum restituat; si non habuerit, exspoliatus omnibus foris ejiciatur; ipsæ tamen res ad ecclesiam cujus res sunt revertantur.

X. Ad nos perlatum est eo quod quidam conjugati habentes titulos in quibus deserviant, de sacris vestibus mulierum vel filiarum suarum ornamenta faciant, et proprietario jure sibi defendant, quod Christianis hominibus nec loqui convenit, ut res sacras vel quæ in sacro loco offeruntur, mulieribus suis usurpent vel filiis aut parentibus : et si hoc probatum fuerit, superiorum feriatur sententia.

XI. Omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi, vel cunctus clerus qui sub episcopo esse noscuntur, si causas habuerint, et minime potuerint inter se deliberare, tunc ad pontificem suum conveniant ad causam suam dicendam. Nam per nulla sæcularia judicia adire præsumant; et qui hanc præceptionem contempserint, superioribus pœnis subjaceant, ita ut in pœnitentia sint abstinentes a vini potatione vel ab esu carnium, donec ad metropolitanum suum accedant.

MONUMENTA DIPLOMATICA.

ANGLO-SAXONUM REGUM

QUI SÆCULO DECIMO FLORUERE

LEGES ECCLESIASTICÆ.

(Apud Mansi, *Concil. Collect.*, tom. XVIII.)

ALFREDI REGIS

Cognomento MAGNI

PRÆFATIO SEU APPARATUS AD LEGES SUAS.

(Anno 872-900.)

Versio Guillelmi Lombard. e Saxonico. Cod. ms. collegii Corporis Christi Cantabr.

I. Dominus locutus est verbum ad Moysen, et ita dixit : Ego sum Dominus Deus tuus : Ego te eduxi ex terra Ægypti et ex servitute ejus. Non diligas alios deos alienos præter me (*Exod.* xx).

II. Non adhibeas nomen meum ad vanitatem ; quoniam tu non es innocens apud me, si nomen meum ad vanitatem adhibeas.

III. Recordare diem Sabbati sanctificare; operamini sex dies, et septimo quiescite, tu et filius tuus, et filia tua, et servus tuus, et ancilla tua, et jumenta tua, et qui ingreditur inter portas tuas. Quoniam sex diebus Christus creavit cœlos, et terram, et maria et omnes creaturas quæ in eis sunt, et quievit septimo die. Et propterea Dominus illum sanctificavit.

IV. Honora patrem tuum et matrem tuam, quos Dominus dedit tibi, ut sis longævus in terris.

V. Non occidas.

VI. Non fureris.

VII. Non adulteres.

VIII. Non dicas falsum testimonium contra proximos tuos.

IX. Non desideres proximi tui hæreditatem injuste.

X. Non facias tibi aureos vel argenteos deos.

XI. Hæ sunt leges, quas ipsis proponere debes. Si quis emat Christianum servum, sex annos serviat, septimo sit liber gratis. Cum quali vestimento intraverit, cum tali exeat ; si ipse uxorem habeat, exeat cum eo. Si Dominus autem illi uxorem dederit, sit ipsa et liberi ejus domini.

Si servus autem dixerit : Nolo abire a domino meo, nec ab uxore mea, nec a liberis meis, nec ab hæreditate mea, tunc dominus ejus ipsum ad templi officium adducat, et perforet autem illius subula, in signum quod sit semper in posterum servus.

XII. Licet quis vendiderit filiam suam in famulatum, non sit serva in omnibus, uti aliæ famulæ. Non habeat potestatem eam extraneo meo populo vendendi ; sed si illa non placeat ei qui ipsam emit, dimittat eam liberam ad extraneam gentem. Si autem permiserit filio suo rem cum ea habere, det ei donum ; videat ut illa habeat vestitum, et pretium pudicitiæ ejus, hoc est dotem ei suam largiatur. Si

ei nihil horum præstiterit, tunc sit libera.

XIII. Si quis sponte hominem occiderit, moriatur morte. Si autem eum coactus occiderit, vel invitus, vel non sponte, quasi Deus eum ita in manum suam tradiderit, et illi nunquam sit insidiatus, sit dignus privilegio suo, et justa gentium compensatione, si asilum quærat. Si quis autem de industria et sponte occidat proximum suum per insidias, abstrahas eum ab ara mea ad morte moriendum.

XIV. Qui patrem suum vel matrem suam percusserit, morte moriatur.

XV. Qui hominem liberum furetur, illumque vendat, et obreptus sit, ut ipsum recipere nequeat, morte moriatur. Qui patri suo vel matri suæ maledixerit, morte moriatur.

XVI. Si quis proximum suum percusserit lapide vel pugno, et ille tamen egredi possit baculo innixus, adhibeat ei medicum, et opus ipsius operetur, quandiu ille non potest.

XVII. Si quis servum suum proprium vel ancillam percusserit, et ille eodem die non moriatur, attamen vixerit duos vel tres dies, non sit in omnibus æqualiter reus, quoniam pecunia ejus erat. Si autem eodem die mortuus sit, tunc culpa in eo quiescat.

XVIII. Si quis inter pugnandum gravidæ uxori nocuerit, compenset damnum, sicut leges judicant. Si illa moriatur, det vitam pro vita.

XIX. Si quis alterius oculum effoderit, compenset proprio: dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, vimen pro vimine.

XX. Si quis servi sui vel ancillæ suæ oculum excusserit, et ipse post factum hoc monoculus sit, manumittat ipsum statim. Si dentem ei excusserit, faciat idem.

XXI. Si bos cornu petierit virum vel feminam ut moriantur, lapidibus obruatur, et caro ejus non edatur; et dominus sit innocens, si bos petulcus antea fuerit biduum vel triduum, et dominus hoc nesciverit: si autem ille hoc sciverit, et eum intus asservare noluerit, atque is tunc virum vel feminam occiderit, lapidibus obruatur, et dominus occidatur, vel vita pretio redimatur, prouti sapientes justum invenerint. Si filium vel filiam confoderit, eidem legi sit obnoxius. Si autem servum vel ancillam confoderit, solvat domino triginta solidos argenti, et bos lapidibus obruatur.

XXII. Si quis foderit aquæ puteum, vel clausum aperuerit, et eum deinde non claudat, compenset omne jumentum quod ibi inciderit, et illud mortuum retineat.

XXIII. Si bos alterius bovem vulneraverit, et ille postea moriatur, vendatur bos ille [vivus] et dividatur pretium, ac caro etiam ejus, sicuti et mortui. Si dominus autem sciverit quod bos petulcus esset, et illum asservare noluerit, det ei alium bovem illius loco, et ipse omnem carnem [mortui] retineat.

XXIV. Si quis alterius bovem furetur, et eum occidat vel vendat, compenset ipsum duobus, et quatuor ovibus unam. Si non habeat quo compenset, ipse vendatur pro pecunia illa.

XXV. Si fur domum alicujus noctu effringat, et ibi occidatur, ille qui eum occidit non sit homicidii reus; si deinde post ortum solis hoc fecerit, sit homicidii reus, et tunc ipse moriatur, nisi necessitate impulsus fuerit. Si apud eum, vivum aliquid quod antea furatus erat, inveniatur, dupliciter illud compenset.

XXVI. Si quis damnum intulerit alterius vineæ, vel agro ejus, vel alicui ejus terræ, compenset, sicut quis illud æstimaverit.

XXVII. Si ignis immissus sit ad comburendam segetem, compenset detrimentum illud ille qui ignem immisit.

XXVIII. Si quis apud amicum deponat pecuniam, si ille eam furetur, dupliciter compenset. Si autem nesciat quis eam furtim subduxerit, excuset seipsum, quod nullam fraudem in hoc commiserit. Si hoc vivum animal esset, et ipse dixerit quod exercitus illud sumpserit, vel quod a seipso mortuum sit, et testes habeat, non necesse est ut illud compenset. Si autem testes non habeat, et ille ei non credat, tunc juramentum præstet.

XXIX. Si quis feminam non maritatam deceperit, et cum ea coiverit, compenset ei, et postea illam in uxorem ducat. Si pater feminæ eam illi dare noluerit, solvat pecuniam illam pro dote.

XXX. Feminam quæ consuevit excipere incantatores, et magos, et sagas, ne sinas vivere.

XXXI. Et si quis rem habeat cum bestia, morte moriatur.

XXXII. Et si quis sacrificium immolaverit præter Deo soli, morte moriatur.

XXXIII. Advenam et peregrinum ne affligas, quoniam fuistis peregrini in terra Ægypti.

XXXIV. Viduis et orphanis ne noceatis, neque affligatis eos; si horum aliquid feceritis, vociferabunt ad me, et ego illos audiam, et ego vos gladio meo occidam, et ego faciam uxores vestras viduas, et liberos vestros orphanos.

XXXV. Si tu pecuniam mutuo dederis socio tuo, qui tecum habitare velit, ne præbeas te illi exactorem, neque humilia illum usura tua.

XXXVI. Si quis habeat tantum simplex vestimentum ad se eo operiendum et defendendum, et si illud pignoris loco dederit, ante solis occasum ei reddatur. Si tu ita non feceris, tunc clamabit ad me, et ego ipsum audiam, quoniam ego sum valde misericors.

XXXVII. Ne calumnieris dominum tuum, ne maledicas principi populi tui.

XXXVIII. Decimas tuas et primitias tuas ambulantes et crescentes des Deo.

XXXIX. Omnem carnem quam feræ relinquunt, non edatis, sed detis illam canibus.

XL. Falsi hominis verbum ne cures, nec eum ausculites, neque ipsius juri faveas, nec ullum testimonium post eum dicas.

XLI. Ne sequaris populi consilium pravum, et injustitiam amantem discursum ejus, et clamorem contra jus tuum, nec in maxime insipienti doctrina ei faveas.

XLII. Si offenderis alicujus pecus errans, licet sit adversarii tui, reducas illud ipsi.

XLIII. Judica semper justum judicium, neque facias aliud jus diviti, aliud pauperi, nec aliud jus amico, et aliud inimico facias.

XLIV. Semper evites mendacium.

XLV. Insontem et innocentem hominem ne affligas unquam.

XLVI. Ne accipias unquam dona, quoniam cæcant sæpissime sapientum virorum consilium, et verba eorum pervertunt.

XLVII. Peregrinum et extraneum ne patiaris inscium ulla aliqua injuria affici.

XLVIII. Ne juretis unquam per deos gentilium, neque propter ullam rem invocetis eos.

XLIX. Hæ sunt leges quas omnipotens Deus ipse loquebatur ad Moysen, et jussit ei ut custodiret. Et postquam unigenitus Dei Filius Deus noster, hoc est Salvator Christus, in orbem terrarum venisset, dicebat quod non venerit præcepta illa violare aut interdicere, sed cum omni bonitate implere. Docebat etiam misericordiam et humilitatem. Tum post passionem suam, antequam apostoli ipsius ablissent in omnes terras docere, et cum adhuc congregati essent, multos gentiles ad Deum converterunt. Cum hi omnes congregati essent, miserunt legatos in Antiochiam, et Syriam, et Ciliciam, Christi leges docere. Cum hi resciscerent quid illis acciderit, tunc miserunt epistolam ad illos. Hæc est autem epistola quam apostoli mittebant omnibus Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, qui nunc a gentibus ethnicis ad Christum erant conversi.

« Apostoli et seniores fratres salutem vobis optant, et nos vobis nuntiamus, quod nos. audiverimus, nostrorum sociorum aliquos cum nostris sermonibus ad vos venisse, et vos tristibus modis jussisse observare ea quæ eos haud jussimus, et vos seduxisse variis præceptis, et animas vestras magis labefactavisse quam instruxisse. Tunc congregati sumus propter hoc, et nobis omnibus placuit mittere Paulum et Barnabam, viros qui parati sunt vitam suam linquere pro nomine Domini. Cum illis mittimus Judam et Silam, ut vobis idem dicant. Spiritui sancto videbatur et nobis, nullum onus vobis imponere, præter id quod vobis necessarium erat observatu, videlicet hoc, ut caveatis ne illud quod diabolo immolatum est adoretis, et sanguinem ac suffocatum ne edatis, et [caveatis] ab occulto concubitu, et quod vultis ut alii homines vobis non faciant, ne faciatis aliis. Hujus unicæ legis homo meminisse potest, ut quemlibet juste judicet, nec opus habeat alio statuorum libro. Caveat ut nullum hominem judicet quia non vult, ut ipsum judicet ille, si jus aliquod in eum quæreret. Postquam hoc accidisset, quod multæ gentes Christi fidem amplexæ sunt, tunc multæ synodi per totum terrarum orbem congregabantur, et similiter etiam per Anglicam gentem, postquam ea Christi fidem accepisset, sanctorum episcoporum ac aliorum etiam illustrium sapientum. Illi constituerunt ex misericordia, quam Christus docuit pro eo, qui maxime peccabat, quod principes mundi debeant bona cum eorum venia absque crimine, pro gravissimo delicto compensationem pecuniariam facere, quam illi constituunt; excepta proditione Domini, cui nullam misericordiam audebant assignare, quoniam Deus omnipotens nullam unquam constituit ei qui eum contempserit, neque Christus Dei Filius ullam unquam exhibebit ei qui ipsum in mortem tradidit. Et jussit Dominum amare sicut seipsum. Hi igitur in multis synodis multis humanis sceleribus pœnas constituerunt, et in multis synodalibus libris scribi jusserunt, ubi una lex, ubi altera [obtineret]. »

Ego Ælfredus rex in unum colligi et litteris consignari jussi multa eorum quæ parentes nostri observabant, quæ mihi placebant; et multa eorum quæ mihi non placebant, rejeci cum sapientum meorum consilio, et alio modo jussi observari, quoniam non audebam tentare meorum [statuorum] aliqua scriptis consignare. Porro etiam me latuit quid eorum placuerit illis qui nobis succederent. Ast cum deprehenderim sive in diebus hæ cognati mei, vel in Offæ Merciorum regis, vel Æthelberti, qui primus baptisma accepit in natione Anglica, ea quæ mihi justissima videbantur, exinde collegi, et reliqua neglexi. Ego Ælfredus occiduorum Saxonum rex, omnibus meis sapientibus hic usus sum; et illi dicebant, quod ipsis omnibus bene placuerint, ea ut observarentur.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALFREDI MAGNI

REGIS ANGLORUM,

E civilibus suis aliis decerptæ.

1. *De juramentis et vadiis.*

In primis docemus, quod maxime necessarium est, ut quilibet homo juramentum suum et pactum suum caute observet. Si quis in contrarium hujus coactus sit per errorem vel ad proditionem Domini, vel ad aliqua injusta auxilia, tunc rectius est hoc ementiri quam implere. Si autem paciscatur id quod ei justum est præstandi, et illud transgrediatur, de humiliter arma sua et possessionem suam amicis suis tenenda, et sit quadraginta dies in carcere in regis urbe, ubi passurus sicuti episcopus ei imposuerit, et cognati ejus nutriant ipsum, si ipse victum non habeat; si cognatos non habeat, vel tunc cibum non habeat, regis præpositus eum nutriat. Si ad id cogi oporteat, et aliter nolit, si vinciatur, perdat arma sua et hæreditatem suam. Si occidatur, jaceat inultus. Si aufugiat ante

terminum, et apprehendatur, sit quadraginta dies in carcere, ut ante debuerat. Si autem evaserit, sit exsul et excommunicatus ab omnibus Christi ecclesiis. Si tunc alterius hominis fidejussor sit, emendet violatam fidem, sicuti ei justum visum erit, et pacti fractionem, sicuti confessor ejus ei indicaverit.

II. *De refugiis ad templa* (LL. Sax. c. 2).

Si quis ad ecclesiæ mansionem pro qualicunque culpa confugerit, quæ ad regis firmam vel aliam liberam familiam honoratam non pertinet, habeat trium dierum terminum se ibi abscondendi, nisi reconciliari voluerit. Si quis ipsum in hoc termino infirmaverit verberibus, vel vinculis, vel vulneribus, emendet quodlibet eorum secundum jus patriæ, tam capitis æstimatione quam pœna; et ecclesiæ ministris centum viginti solidos pro infractione pacis ecclesiasticæ compenset, et bona ejus apprehendantur.

III. *De violatione vadimonii* (LL. Sax. c. 3).

Si quis fidejussionem regi factam violaverit, compenset injuriam hanc, sicut ei [*scil.* regi] rectum videbitur, et violationem fidejussionis quinque libris bonæ monetæ. Violationem fidei archiepiscopo factam, vel pacis violationem emendet [ille] III libris. Alterius episcopi, vel senatoris fidem. vel vacem violatam emendet II libris.

IV. *De pace ecclesiastica* (LL. Sax. c. 5).

Ordinamus etiam cuilibet ecclesiæ ab episcopo consecratæ pacem hanc. Si quis facinorosus ad eam currat vel confugiat, ut nemo ipsum intra septem dies inde extrahat. Si quis hoc fecerit, reus sit violationis pacis regiæ et Ecclesiæ (majoris criminis, si plures exinde rapuerit) si præ fame vivere possit, nisi ipse viam vi aperuerit. Si æditui magis opus habeant ecclesia sua, custodiant eum in alia domo, quæ non habeat plura ostia quam ecclesia. Caveat ecclesiæ illius senior, ut ei intra hoc spatium cibum non præbeat. Si quis capientibus eum arma sua extradere vellet, custodiant ipsum triginta dies, et illum cognatis suis offerant. Pax Ecclesiæ etiam est, si quis ad ecclesiam confugerit pro delicto, quod antea tamen patefactum non erat, et illud ibi in Dei nomine fateatur, dimidium pœnæ ei condonetur.

V. *De sacrilegio* (LL. Sax. c. 6).

Si quis in templo aliquid furetur, solvat valorem, et multam quæ ad valorem pertinere potest, et manus ei abscindatur, qua cum hoc commisit. Si manum redimere velit, et hoc ei permittatur, solvat id quod ad capitis ejus æstimationem pertinet. Si quis furetur die Dominico vel festo nativitatis Christi, vel Paschate, vel festo Ascensionis Domini, vel diebus lustrationis, volumus ut eodem modo duplum solvat, ac festis Quadragesimæ.

VI. *De eo qui monialem e templo eduxerit* (LL. Sax. c. 8).

Si quis monialem e templo educit absque venia regis vel episcopi, solvat centum viginti solidos: dimidium regi, dimidium episcopo, ac præposito templi, qui monialem habet. Si ipsa diutius vivat quam ille qui ipsam eduxit, nihil ea de hæreditate ejus habeat. Si infantem procreaverit, non habeat plus de hæreditate ipsius quam mater ejus. Si infans illius occidatur, solvatur regi pars pœnæ quæ maternæ cognationi debetur, patris parentibus pars detur altera.

VII. *De fornicatoribus* (LL. Sax. c. 10).

Si quis rem habeat cum duodecies centum solidorum hominis uxore, centum viginti solidos solvat pro æstimatione capitis. Sexcentum solidorum hominis centum solidis emendet. Coloni quadraginta solidis. Et hoc in viventi possessione pecunia componatur, et nullus homo propterea vendatur.

VIII.

Si quis coloni uxoris mamillas attrectaverit, quinque solidis ei emendetur. Si prosternat eam, nec rem cum illa habeat, decem solidis emendet. Si rem cum illa habeat, sexaginta solidis compenset. Si alius vir cum ipsa prius coivit, dimidium hujus sit emendatio. Si quis illum accuset, excuset hoc sexaginta hydis, vel perdat dimidium emendationis. Si illustris familiæ marito hoc accidat, emendatio pro capitis æstimatione crescat.

IX. *De pugnis* (LL. Sax. c. 15).

Si quis coram archiepiscopo pugnet, vel arma stringat, centum quinquaginta solidis emendet. Si coram alio episcopo vel senatore hoc accidat, centum solidis emendet.

X. *De contrectatione monialis* (LL. Sax. c. 18).

Si quis monialem fornicationis causa, vel vestem ejus, vel ubera ejus, absque ipsius licentia contrectaverit, duplum compenset, sicut antea de laicis injunximus.

XI. *De eo qui monachis nummum concredit* (LL. Sax. c. 20).

Si quis alterius monacho pecuniam concredat absque præpositi monasterii venia, et eam ipsi amiserit, nihil inde recipiat qui eam prius possedit.

XII. *De sacerdotum pugna* (LL. Sax. c. 21).

Si sacerdos aliquem occidat, capiatur omne quo mansionem sibi emit, et episcopus ipsum sacris ordinibus exuat, tunc ab ecclesia extradatur, nisi dominus capitis æstimatione veniam illi impetrare voluerit.

XIII. *De stupro* (LL. Sax. c. 25).

Si quis coloni mancipium ad stuprum comminetur, quinque solidis colono emendet, et sexaginta solidis multæ loco. Si servus servam ad stuprum coegerit, compenset hoc virga sua virili. Si quis puellam teneræ ætatis ad illicitum concubitum comminetur, eodem modo puniatur quo ille qui adultæ servæ hoc fecerit.

XIV. *De eo qui de aliqua re Deo præstanda pro altero fidejusserit* (LL. Sax. c. 29).

Si quis fidejussionis Deo pro altero præstandæ accusatus fuerit, et compellare voluerit quod aliquid

eorum quæ ipsi debebat non præstiterit, faciat tunc antejuramentum in quatuor ecclesiis, et si alter ipsum culpa eximere voluerit, in duodecim ecclesiis hoc faciat.

XV. *De pugna coram senatore* (LL. Sax. c. 34).

Si quis coram regis senatore in concursu plebis pugnet, compenset capitis æstimationem et pœnam, prouti justum est, et in primis senatori CXX solidos pœnæ loco. Si quis concursum populi extractione armorum concitaverit, solvat senatori CXX solidos pœnæ loco. Si hoc coram regii senatoris substituto, vel regis presbytero accidat, sit pœna XXX solidi.

XVI. *De violatione pacis in urbe* (LL. Sax. c. 36).

Violatæ pacis in urbe regia [compensatio] sit CXX solidorum; in archiepiscopali urbe violatio pacis nonaginta solidorum; alterius episcopi et senatoris LX solidorum; hominis CC solidorum, triginta; sexcentorum solidorum hominis, quindecim; coloni violatio septi, quinque solidorum. Si horum aliquid accidat, cum exercitus vagatur, vel tempore jejunii quadragesimalis, compensatio sit duplex. Si quis tempore Quadragesimæ velamen sacrum coram populo absque venia deponat, CXX solidis compenset.

XVII. *De terra hæreditaria* (LL. Sax. c. 37).

Si quis terram hæreditariam habeat, quam parentes ejus ipsi reliquerunt, tunc statuimus ut eam non vendat a cognatis hæredibus suis, si adsit scriptura vel testis, quod illi viro prohibitum sit, qui eam ab initio acquisivit, et illi qui eam vendidit, ut ita facere nequeat; et hoc tunc in regis vel in episcopi testimonio recitetur coram cognatis suis.

XVIII. *De solemnitate diei festi* (LL. Sax. c. 39).

Omnibus ingenuis hominibus dies hi sint remissi, exceptis servis et operariis. Duodecim dies in Natale Domini, et dies ille in quo Christus diabolum superavit, et S. Gregorii dies memorialis, et septem dies ante Pascha, et septem post, et unus dies in festo S. Petri et S. Pauli, et in autumno plena septimana ante festum B. Mariæ, et unus dies ante celebrationem omnium sanctorum, et quatuor dies Mercurii in quatuor septimanis jejunialibus, omnibus hominibus sunt remissi, pro beneplacito cujuslibet, illi, qui aliquid in Dei nomine bene fecerit, vel illi qui cum aliquo suo opere [aliquid] promereri poterit.

LEGES ECCLESIASTICÆ

Ab Alfredo *Magno rege Anglorum, et Guthurno rege Anglodanorum in concilio quo fœdus inierunt sanctæ.*

(Desiderantur in Lombardi Ἀρχαιονομία, sed hic addidimus ex Historia Jornalensi, seu Jernalensi manuscripto.)

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. *De dilectione Dei et pace Ecclesiæ* (LL. Sax. cap. 1).

II. *De negligentibus legem Christi et paganismum venerantibus* (LL. Sax. cap. 2).

III. *De ornatis male viventibus* (LL. Sax. cap. 3).

IV. *De presbyteris falso pronuntiantibus festum vel jejunium* (LL. Sax. cap. 3).

V. *De presbyteris rectis terminis chrisma non perquirentibus, vel baptismum negantibus* (LL. Sax. cap. 3).

VI. *De fratribus vel cognatis in una fornicantibus* (LL. Sax. cap. 4).

VII. *De ordinato qui vitam forisfaciat* (Desideratur in Sax.).

VIII. *De reo mortis qui confiteri desiderat sacerdoti* (LL. Sax. cap 5).

IX. *De decimis Dei retentis, et aliis ecclesiæ rectitudinibus* (LL. Sax. cap. 6).

X. *De illis qui mercandisant diebus Dominicis* (LL. Sax. cap. 7).

XI. *De operantibus diebus Dominicis* (LL. Sax. cap. 7).

XII. *De jejuniis infractis* (LL. Sax. cap. 8).

XIII. *De diebus in quibus ordalium et jusjurandum prohibeantur* (LL. Sax. cap. 9).

XIV. *Ne die Diminica homo forisfactus occidatur* (LL. Sax. cap. 10).

XV. . . . . LL. Sax. cap. 10.

XVI. *De sortilegis, incantatoribus, veneficis, perjuris, et his similibus* (LL. Sax. cap. 11).

XVII. *De ordinatis vel alienigenis in aliquo de pecunia vel vita seductis* (LL. Sax. cap. 12).

PRÆFATIO

I. Hoc est concilium (1) quod Alfredus rex et Godrun (2) rex elegerunt et condixerunt, cum Angli et Dani ad pacem et concordiam plene convenerunt, et sapientes, et qui postea successerunt. sæpius hoc et assidue renovantes in bonum semper adduxernnt.

(1) Alfredus Angliæ rex, capto an. Ch. 866 Londino, synodum ibi celebravit, cujus mentio in Wintoniensibus Annalibus: « Rex devotissimus Alfredus, inquit Annalista, ut viri Dei Grimbaldi sanctitatem et sapientiam cunctis notificaret concilium ex tota Anglia, præsulum et abbatum, et nobilium virorum in Londoniam, quæ est metropolis totius insulæ, coadunat. » Meminit etiam hujus synodi Harpesfeldius, Sæc. IX, c. 7. Pagius ad an. Ch. 886, n. 11.

(2) Idem qui et Guthurnus, Gutrum, etc. Rex fuit Danorum, cui ad fidem Christi converso Æthelstani nomen impositum est ab Alfredo qui eum e sacro fonte suscepit, partemque regni concessit.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALFREDI ET GUTHURINI REGUM.

I. In primis est ut unum Deum diligere velint, et omni paganismo sedulo renuntiare. Et instituerunt sæcularem justitiam pro eo quod sciebant quod non poterant multi aliter castigari, plures vero nolebant ad Dei cultum, sicut deberent, aliter inclinare. Et sæcularem emendationem instituerunt communem Christo et regi, ubicunque recusabitur lex Dei juste servari secundum dictionem episcopi. Et hoc est primum edictum Ecclesiæ, pax inter parietes suos, et regis *Hangrid* semper inconvulsa permaneat.

II. Si quis Christianitatem suam male mutat, ut paganismum veneretur verbis vel operibus, reddat sic weram, sic witam, sic lashlite, secundum quod factum sit.

III. Et si quis ordinatus furetur, vel prælietur, vel perjuret, vel fornicetur, emendat sicut factum erit, sic weram, sic witam, sic lashlite, et erga Deum saltem emendet juxta sanctorum canonum doctrinam, et plegium faciat inde, vel mittatur in carcerem.

IV. Et si presbyter populum suum misdoceat de festo vel jejunio, reddat xxx solidos cum Anglis, et cum Dacis III dimidias marcas.

V. Si presbyter ad rectum terminum sanctum chrisma non perquirat, vel baptismum perneget ei cui necesse sit, reddat witam cum Anglis et cum Dacis lashlite, id est XII oras. Et de sublegereis sapientes instituerunt, ut rex habeat superiorem, et episcopus inferiorem, nisi dignius emendetur pro Deo et pro sæculo juxta modum facti, sicut episcopus docebit.

VI. Si duo fratres vel duo cognati cum una aliqua fornicentur, emendent in omni mansuetudine, sicut eis permittetur· sit wita, sit lashlite, secundum modum facti.

VII. (3) Et si ordinatus homo se forisfaciat, in morte plectendus actibus exsuperetur, et episcopi judicio reservetur.

VIII. Et si quis reus mortis profiteri desideret sacerdoti, nunquam negetur ei, et omnes rectitudines Dei pacificentur sedulo per Dei misericordiam, et per witam quam sapientes addicent.

IX. Et si quis decimam contra teneat, reddat lashlite cum Dacis, witam cum Anglis. Si quis Rofeil (4) superteneat, reddat lashlite cum Dacis, witam cum Anglis. Si quis non reddat symbolum luminis, reddat lashlite cum Dacis, witam cum Anglis. Si quis Dei rectitudines aliquas disforciet, reddat lashlite cum Dacis, witam cum Anglis. Si contra stet, ut hominem vulneret, de wita componat. Si aliquem dejiciat in mortem, sit utlaga ut exlex, et persequetur eum cum clamore omnis qui rectum amat. Et si faciat ut occidatur pro eo quod contra rectum, et regis imperium stet, si hoc *probetur* jaciat egilde.

X. Si quis in die Dominica negotiationem facere præsumat, perdat ipsum capitale, et XII oras cum Dacis, et XXX solidos cum Anglis.

XI. Si liber diebus festis operetur, perdat libertatem suam, witam vel lashlite, servus corium perdat vel hidgildum. Si dominus servum suum cogat festis diebus operari, reddat idem dominus lashlite cum Dacis, et witam cum Anglis.

XII. Si liber homo rectum jejunium frangat, reddat witam vel lashlite; si servus hoc faciat, perdat corium suum vel hidgildum.

XIII. Ordalium et jusjurandum festis diebus et legitimis jejuniis legibus est interdictum. Et qui hoc fregerit, reddat lashlite cum Dacis, witam cum Angelis.

XIV. Si fieri possit, nunquam occidatur aliquis in festo Dominicæ diei, quidquid peccaverit: sed capiatur et servetur donec transeat festa dies.

XV. Si quis foris factus, et de membris disfactus dimittatur, et idem post afflictionem per quatuor noctes vivat; potest ei deinceps per episcopi licentiam subveniri, si quis ejus doloribus et animæ condescendat.

XVI. Si sortilegæ vel incantatrices, perjuri et venefici, fœdæ, fetidæ, vel meretrices alicubi compereant, relegentur de patria, desperent omnia, nisi cessent, et profundius emendent.

XVII. Si ordinatus vel alienigena seducatur in aliquo de pecunia, vel wita, tunc debet ei adesse rex, vel comes illius terræ, et episcopus gentis illius pro cognatione et advocato, si penitus alium non habeat, et emendet sedulo juxta modum facti Christo, et regi, sicut docebit, vel illud factum profunde nimis vindicet, qui rex sit in populo.

(3) Hoc non reperitur in Saxonico, aut in fœdere Edwardi apud Lomb.

(4) *id est*, nummum Romanum, vel denarium S. Petri.

EDUARDI SENIORIS

ANGLORUM REGIS

ET GUTHURNI REGIS DANORUM IN EASTANGLIA

LEGES ECCLESIASTICÆ

Ab Aluredo Magno et Guthurno regibus primum conditæ, et nunc denuo ab Eduardo filio ejusdem Aluredi et Gulhurno fœdus ineuntibus, Intingfordæ, ut videtur, confirmatæ (3).

(Anno 905-906.)

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. *De pace Ecclesiæ.*
II. *De apostatis.*
III. *De correctione ordinatorum, id est, sacris initiatorum.*
IV. *De incestu.*
V. *De rei capitalis damnato confessorem desiderante.*
VI. *De decimis et censu ecclesiæ detentis.*
VII. *De iis qui die Dominico sua negotia agunt.*
VIII. *De jejuniis.*
IX. *De jurejurando et ordalio.*
X. *De membro truncato post tertium diem subveniendo.*
XI. *De sagis, ariolantibus, pejerantibus,* etc.
XII. *De iis qui sacris initiantur, et de peregrinis.*

PROŒMIUM.

Hoc est senatusconsultum quod Alfredus rex, et Guthrun rex, et deinde Eadweardus et Guthrun rex elegerunt, et statuerunt cum Anglis et Dani pacem et amicitiam susceperunt, et sapientes etiam, qui postea erant, sæpe et continuo eadem renovaverunt et melius adauxerunt.

In primis est quod statuerunt, ut unum Deum diligere velint, et omnem gentilismum sedulo rejicere; et constituerunt etiam sæcularem disciplinam, pro eo quod sciebant, quod non possent multos aliter gubernare, et multi nollent ad ecclesiasticam emendationem aliter flectere, sicuti debebant. Et compensationem sæcularem instituerunt Christo et regi communem, sicubi homo nollet ad ecclesiasticam compensationem inclinare virtute auctoritatis episcoporum.

I. *De pace Ecclesiæ.*

Hoc est igitur primum, quod dixerunt, ut Ecclesiæ pax intra parietes, et regis manu data pax persistat æqualiter incorrupte.

II. *De apostatis.*

Et si quis Christianismum spernat, vel paganismum veneretur verbis vel operibus, compenset tam æstimationem capitis, quam multam, et legis violationem, secundum quod factum est.

III. *De correctione ordinatorum.*

Si quis sacris initiatus furetur, vel dimicet, vel pejeret, vel fornicetur, compenset secundum quod factum est tam æstimatione capitis, quam multa, et legis violatæ pœna; et erga Deum saltem emendet, sicut canones adnotant, et fidejussorem inveniat, vel in carcerem detrudatur. Si presbyter populum male instruat de festivitate vel jejunio, solvat XXX solidos apud Anglos et apud Danos sesquimarcam. Si presbyter ad justum terminum chrisma non paret, vel baptisma deneget ei qui ejus opus habet, solvat multam apud Anglos, et apud Danos pœnam legis violatæ, hoc est XII oras. Si sacris initiatus aliquid morte dignum perpetraverit, capiatur et ad episcopi judicium deferatur.

IV. *De incestibus.*

De incestibus sapientes instituerunt ut rex habeat majoris conditionis homines, et episcopus minoris, nisi homo coram Deo et mundo compenset secundum id quod factum est, sicuti episcopus adnotat. Si duo fratres, vel duo consanguinei cum una uxore rem habeant, compensent in omni mansuetudine, sicuti eis permittitur, sive multa, sive æstimatione capitis, sive pacis violatæ pœna, secundum id quod factum est.

V. *De rei capitalis damnato confessorem desiderante.*

Et si mortis reus confiteri cupiat, nunquam hoc ei negetur, et omnes Dei leges sedulo promoveantur per Dei misericordiam, et per pœnas, quas sapientes irrogabunt.

VI. *De decimis et censu Ecclesiæ detentis.*

Si quis decimas retineat, solvat legis violatæ pœnam apud Danos, multam apud Anglos. Si quis sancti Petri denarium retineat, solvat legis violatæ pœnam apud Danos, multam apud Anglos. Si quis unum nummum candelarem retineat, solvat legis violatæ pœnam apud Danos, multam apud Anglos. Si quis aratri eleemosynam non dat, solvat legis violatæ pœnam apud Danos, multam apud Anglos. Si quis aliqua ecclesiastica jura supprimat, solvat legis violatæ pœnam apud Danos, multam apud Anglos. Si dimicet, et hominem vulneret, vitam perdat. Si aliquem morte afficiat, tunc sit exlex, et eum persequatur cum clamore quilibet eorum, qui jus amat. Et si faciat, ut quis eum occidat, pro eo quod Dei

(3) Hæ locandæ sub Sergio III pap.

vel regis juri se opposuit · si hoc affirmetur, jaceat A sine compensatione.

VII. *De festi diei operibus.*

Si quis die Dominica mercari præsumat, perdat mercatum, et XII oras apud Danos, et XXX solidos apud Anglos. Si liber homo die festo operetur, perdat libertatem suam, vel solvat multam, et legis violatæ pœnam : servus homo vapulet, vel verbera redimat. Si dominus servos suos die festo ad opus cogat, solvat legis violatæ pœnam dominus juxta legem Danorum, et multam apud Anglos.

VIII. *De jejuniis.*

Si liber homo justum jejunium dissolvat, solvat multam vel legis violatæ pœnam. Si servus hoc fecerit, vapulet, vel verbera redimat.

IX. *De ordalio et juramentis.*

Ordalium et juramentum sunt prohibita diebus festis, et legitimis jejunii diebus ; et si quis illud dissolvat, solvat legis violatæ pœnam apud Danos, et multam apud Anglos.

Si fieri possit, nunquam occidatur in diei Dominicæ festo, qui aliquid perpetravit ; sed capiatur, teneatur usquedum dies festus transierit.

X. *De membro truncato post tertium diem subveniendo.*

Si particula membri claudicantis ejus qui condemnatus fuerit, præcidatur, et ille post hæc tres dies vivat, potest ei deinceps auxilium ferri cum episcopi venia, si quis velit doloribus et animæ mederi.

XI. *De sagis, incantatoribus, perjuris*, etc.

Si sagæ vel incantatores, perjuri vel venefici, vel fetidæ, inquinatæ publicæ meretrices aliqua in regione compareant, tunc relegentur ex terra, et gens purgetur, vel ibi omnia illis eripiantur, nisi cessent et altius compensent.

XII. *De sacris initiatis et alienigenis.*

Si sacris initiatus vel alienigena per aliquam rem B seducatur [in iis quæ ad] pecuniam vel ad vitam [spectant] tunc rex ei esse debet, vel comes, qui in regione, et episcopus gentis ejus, loco cognatorum et patronorum, nisi alias alios habeat, et sedulo compenset secundum id quod factum est, Christo et regi, sicuti decet ; vel qui rex est in [illa] gente, factum hoc quam acerrime vindicet

ÆTHELSTANI

ANGLORUM REGIS

LEGES ECCLESIASTICÆ.

CONCILIUM GRATELEANUM

Ab Æthelstano rege Anglorum habitum, circa annum Domini 928,

In quo leges plurimæ, cum civiles tum ecclesiasticæ, statuuntur : prætermissis vero illis, collector has concinnavit.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De decimis reddendis, paupere alendo, et eleemosyna e regiis prædiis annuatim eroganda* (LL. Sax. in procemio. Jorn. cap. 1).
II. *De irruptione in ecclesiam* (LL. Sax. cap. 5. Jorn. cap. 10).
III. *De sagis* (LL. Sax. cap. 6. Jorn. cap. 11.).
IV. *De monetariis* (LL. Sax. cap. 14. Jorn. cap. 20).
V. *De ordalio se sistere spondentibus* (LL. Sax. cap. 23. Jorn. cap. 30).
VI. *De rerum emptione in die Dominica* (LL. Sax. cap. 24. Jorn. cap. 32).
VII. *De pejerantibus* (LL. Sax. cap. 25. Jorn. cap. 34).
VIII. *De has leges non exsequentibus* (LL. Sax. cap. 26. Jorn. cap. 34).
IX. *De legum latoribus, et loco* (LL. Sax. cap. ult. Jorn. cap. 35).

ÆTHELSTANI REGIS CONSTITUTIO.

Ego Æthelstanus rex, ex consilio Wulfhelmi archiepiscopi mei, et aliorum episcoporum meorum, præcipio omnibus meis præfectis per totum meum C regnum in Domini et omnium sanctorum nomine, et per amorem meum, ut illi prius meæ propriæ possessionis decimas solvant, tam viventis animalis quam annui fructus ; et ut idem quoque faciant de suo proprio episcopi, et senatores etiam mei et præfecti. Et volo ut episcopi mei et præfecti hoc judicent, omnibus, qui illis obedire debent, et ut quilibet ad eumdem terminum perficiat, quod hic ordinamus ; et hoc sit ad diem decollationis S. Joannis Baptistæ.

Agedum recordemur, quod Jacobus patriarcha Domino dixit : Ego tibi reddam decimas meas, et hostiam meam pacificam : et Dominus ipse in Evangelio dixit : Omnibus habentibus dabitur, et illi abundabunt. Cogitare debemus etiam ejus, quod terribiliter in his libris scriptum est : Si nos decimas nostras reddere nolumus, nobis novem partes subtrahantur, et decima una nobis superstes sit. Doctrina evangelica nos admonet ut res cœlestes terrestribus et æternas temporaneis promereamus. Nunc auditis, quod Dominus nobis præcipit, et quid nos perficere

oportet : Facite, ut ea libenter concedatis, quæ mihi legitime largiri potestis. Ego nolo, ut aliquid mihi cum errore largiamini. Si ego vobis omnia vestra concedo, eo consilio [facio] ut mea mihi libenter concedatis; cavete vobis, et iis, qui vos attinent, ab ira Dei et mea.

Ego Æthelstanus rex omnibus præfectis in regno meo notum facio ex consilio Wulfhelmi archiepiscopi mei, et omnium meorum aliorum episcoporum, et Dei ministrorum pro remissione peccatorum meorum quod velim ut nutriatis omnibus modis unum pauperem Anglum, si quem habeatis vel alicubi inveneritis. De duabus meis villis detur ei quovis mense una amphora farinæ, et una perna porci, vel unus aries, qui valeat IV denariis, et vestitus pro duodecim mensibus, quolibet anno. Et ut redimatis unum libertate multatum servum, et hoc omne factum sit ex Dei misericordia et amore mei, sub episcopi testimonio in cujus dominio sit illud. Et si præfectus hoc prætermittat, compenset XXX solidis, et pecunia dividatur egenis qui in ea urbe sunt, ubi hæc omissio fit, sub testimonio episcopi.

II. *De fractura templi.*

Et diximus de fractura templi, si reus esset in triplici ordalio, compenset illud sicuti liber judicialis dicit.

III. *De veneficiis.*

Et diximus de incantationibus, et de sacrificiis barbaris, et de homicidiis; si quis aliquem occiderit, et is hoc negare nequeat, ut vitam suam perdat. Si tunc illud inficiari vellet, et in triplici ordalio reus fieret, ut sit CXX dies in carcere, et cognati eum deinde educant, et solvant regi CXX solidos, et compensent æstimationem capitis cognatis ipsius, et fidejussores illius sint, quod semper a simili facto abstineat. De incendiariis. Incendiarii et furem vindicantes eodem [jure] digni sunt; et si quis furem vindicare velit, et nullum hominem vulneraverit, solvat regi CXX solidos multæ loco pro transgressione.

IV. *De monetariis.*

Statuimus ut una moneta sit per omnem regis ditionem, et nemo monetam cudat extra portam. Et si monetarius reus fieret, manus ejus abscindatur quacum reatum commisit, et affigatur fabricæ monetariæ. Et si autem accusatus sit, et ipse se purgare velit, tunc abeat ad candens ferrum, et purget manum ab illo [delicto] cujus est accusatus, quod fraudem hanc fecerit. Et si tunc in ordalio reus fieret, fiat ei quodlibet, sicuti antea dictum est.

In Cantuaria sit VII monetarii; quatuor regis, duo episcopi, et unus abbatis.

In Roffensi civitate tres, duo regis, et unus episcopi.

Londinii octo.

Wintoniæ sex.

In Lewisio duo.

In urbe Hastingio unus.

Alius Cicestriæ.

Hamtoniæ duo.

Werhamiæ duo.

Duo Exoniæ.

Duo Shaftesburiæ.

Alias in aliis castellis unus.

V. *De eo qui ordalium subire spondet.*

Si quis ordalium subire spondet, tunc triduum ante illud ad presbyterum veniat, qui id sanctificare debet, et nutriat se pane, et sale, et aqua, et oleribus antequam illud adire debeat, et intersit missis, illis tribus diebus singulis et offerat, et eat ad sacrosanctam communionem illo die quo ad ordalium adire debet, et juret tunc juramentum illud, quod juxta jus gentium innocens sit earum accusationum, antequam ad ordalium adeat. Et si sit aqua, ut immergatur sesquiulnam in fune. Si sit ordalium ferri, tres dies transeant antequam manus aperiatur; et quilibet accusationem suam prosequatur præ juramento, sicuti antea diximus, et sint singuli eorum jejuni ex utraque parte, qui præsto sunt ex mandato Dei et archiepiscopi, et non sint ibi in alterutra parte plures quam XII; si autem accusatus homo pluribus stipatus sit quam numero XII, tunc ordalium sit fractum, nisi illi discedere velint.

VI. *De eo qui bona emit.*

Qui bona emit præsentibus testibus, et ea deinde quis sua esse contendat, tunc recipiat ea [venditor] qui illa prius emerat, sive sit servus, sive liber, sive quicunque alius sit.

Et [jubemus] ut nulla emptio fiat diebus Solis, si quis autem hoc faciat, perdat pretium emptionis, et solvat XXX solidos pro mulcta.

VII. *De perjuris.*

Qui falsum juramentum præstat, et inde convictus fuerit, nunquam ei imposterum fides habeatur, neque in aliquo consecrato cœmeterio jaceat, quando moritur, nisi habeat episcopi testimonium in cujus diœcesi est, quod ita illud compensaverit, prout ipsius confessor ei præscripserit; et confessor ipsius nuntiet episcopo intra XXX dies, utrum ad compensationem ejus redire velit. Si hoc ita non fecerit, compenset eo, quod episcopus ipsi injunxerit.

VIII. *De has leges non exsequentibus.*

Si quis præfectorum meorum autem hoc facere nolit, vel remissus sit in eo quod diximus, tunc solvat pro contumacia erga me, et ego inveniam alium qui [hoc exsequi] velit; et episcopus puniat contumaciam illam in præposito, qui in ejus divisione est. Qui ab hac constitutione discesserit, solvat prima vice quinque libras, secunda vice æstimationem capitis, tertia vice perdat omne sui quod habet, et nostrum omnium amicitiam

IX. *De legumlatoribus et loco concilii.*

Omne hoc constitutum erat in magna synodo Gratanleagensi, in qua erat archiepiscopus Wulfhelmus cum omnibus nobilibus et sapientibus quos Æthelstanus rex congregavit.

LEGUM ECCLESIASTICARUM ÆTHELSTANI REGIS

PRISCA VERSIO

Juxta codices manuscriptos regium et Jornalensem, multa quæ in Saxonico desiderantur exemplari proferentes, ac seorsum alias discrepantes.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De decimis sollicite reddendis*, etc. (LL. Sax. in proœmio; Jorn. cap. 1).

II. *De censu ecclesiæ, quem cyricsceattum vocant, reddendo* (LL. Sax. et Jorn. cap. 2 in proœmio).

III. *Ut singuli regis præpositi singulos alant pauperes*, etc. (LL. Sax. cap. 3; Jorn. cap. 3).

IV. *De infractione ecclesiarum* (LL. Sax. cap. 5; Jorn. cap. 10).

V. *De sagis et veneficis* (LL. Sax. cap. 6; Jorn. cap. 11).

VI. *De monetariis et cusoribus* (LL. Sax. cap. 14; Jorn. cap. 20).

VII. *De præparatione aggredientis ordalium* (LL. Sax. o.; Jorn. cap. 31).

VIII. *De forma ordalii celebrandi* (desideratur in Sax. et Jorn. Desumptum est ex regio ms.).

IX. *Ut negotiatio non fiat die Dominica* (LL. Sax. cap. 24; Jorn. cap. 32).

X. *De pejerantibus* (LL. Sax. cap. 25; Jorn. cap. 34).

XI. *De officio episcopi, et quid pertinet ad officium ejus* (LL. Sax. o.; Jorn. cap. sequenti).

XII. *Quod omni die Veneris pro rege et populo cantandi sunt* L. *psalmi* (Conc. Exon. in LL. Sax. cap. 3; Jorn. cap. 6).

XIII. *De weris et wergildis, id est capitum æstimationibus* (LL. Sax. cap. ultimo; Jorn. cap. sequenti).

CAPITULA.

I. Ego Adelstanus rex consilio Wlfelmi archiepiscopi mei, et aliorum episcoporum meorum, mando præpositis meis omnibus in toto regno meo, et præcipio in nomine Domini et sanctorum omnium, et super amicitiam meam, ut in primis reddant de meo proprio decimas Deo, tam in viventi capitali, quam mortuis frugibus terræ. Et episcopi mei similiter faciant de suo proprio, et aldermanni mei, et præpositi mei. Et volo ut episcopi et præpositi mei hoc indicent omnibus qui eis parere debent: et hæc ad terminum expleant quem eis ponimus, id est decollatio S. Joannis Baptistæ.

Cogitemus quid Jacobus pater dixit Deo: *Decimas et hostias pacificas offeram tibi* (*Gen.* XVIII). Et Dominus ipse dicit in Evangelio: *Omni habenti dabitur, et abundabit* (*Matth.* XXV). Recolendum quoque nobis est quam terribiliter in libris positum est: *Si decimam dare nolumus, ut offerantur nobis novem vartes, et decima sola relinquatur.*

II. Et volo, cyricsceatta reddantur ad illum locum cui recte pertinent, et inde gaudeant in ipsis locis, qui hæc dignius erga Deum et nos volunt deservire. Hortatur nos sermo divinus, æterna cum terrenis, cœlestia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam, et quid complere debeatis. Facite etiam ut mihi mea propria cupiatis, quæ mihi recte poteritis acquirere. Nolo aliquid injuste mihi conquiratis, sed omnia vestra concedo vobis eo tenore quo mihi mea similiter exoptetis. Cavete simul et vobis, et eis quos admonere debetis, et ab ira Dei et transgressione mea.

III. Ego Adelstanus rex notifico præpositis meis omnibus in regno meo quod concilio Wolfelmi archiepiscopi mei, et omnium episcoporum meorum, et Dei ministrorum, ad remissionem peccatorum meorum et acquisitionem vitæ æternæ, volo ut pascatis omni via pauperem unum Anglicum indigentem, si sit ibi, vel alium inveniatis. De duabus Nith firmis detur eis singulis mensibus ambra plena farinæ, et una perna, vel unus aries qui valeat quatuor denarios, et casei quatuor: et in tertia die Paschæ triginta denarii ad vestitum duodecim mensium unoquoque anno. Et liberetis unum *wire theowne*, id est, forisfactum servum. Et hoc totum peragatur in misericordia Dei et amicitia mea, sub testimonio episcopi in cujus episcopatu sit. Et si præpositus hoc superteneat, emendet XXX sol. et dividatur hæc pecunia per testimonium episcopi pauperioribus qui in ipsa villa erunt ubi hoc non fuit exsecutum.

IV. Et de infracturis ecclesiarum, si quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur sicut judicialis liber dicit.

V. Decrevimus etiam de sortilegis et liblacis, et sortem dantibus, si hominem occidant, et negare non possint, vitæ suæ culpa judicentur. Si pernegare velint, et in triplici ordalio culpabiles inveniantur, sint centum viginti noctibus in carcere, et cognatio earum educat eas, et emendetur regi centum viginti solidis, et occisum hominem reddant parentibus suis, et eant eis in plegium, quod super iis abstineant in æternum.

VI. Placuit nobis ut una moneta sit in toto regni imperio, et nullus monetet extra portam. Si monetarius reus fuerit, amputetur ei manus, et ponetur sub monetæ fabricam. Si inculpatio sit, et se purgare velit, eat ad ferrum calidum, et adlegiet manum ad caniferam quod non falsum fecit. Si in ordali-

reus fuerit, fiat ei quod supradictum est. In Cantuaria sunt octo monetarii regis, quatuor episcopi, tres abbatis; et in Roucestria tres regis, duo episcopi. In London octo, in Winton sex, in Lewes duo, in Hastingecestria unus, in Scheasbury duo, in Oxonia duo, et in aliis burgis.

VII. Si quis judicium ferri vel aquæ vadiaverit, accedat ante tribus noctibus ad presbyterum qui sanctificare debet eum, et pascat se pane, et sale, et aqua, et herbis, et audiat missas ipsorum singulorum trium dierum, et offerat, et eat ad sacrosanctam communionem ipsa die qua ordalium examinari debebit; et juret quod jure publico sit innoceps illius accusationis antequam ad ordalium veniat. Et si judicium aquæ frigidæ sit, tunc mergatur una ulna et dimidia in fune. Si ferrum calidum sit, tres noctes transeant antequam inquiratur; et videatur manus ejus, et prosequatur omnis homo compellationem suam præ juramento, sicut supra dictum est, et sint uterque jejuni ex præcepto Dei et archiepiscopi; et non sint in alterutra parte amplius quam in alia : et hoc sit utrobique duodecim homines. Si autem accusatus homo majorem defensionem habeat quam duodecim hominum, sit ipsum ordalium fractum in eo, nisi recedere velint ab illo.

VIII. De ordalio præcipimus in nomine Dei, et præcepto archiepiscopi, et omnium episcoporum meorum, ne aliquis intret ecclesiam, postquam ignis infertur unde judicium calefacere debet, præter presbyterum et eum qui ad judicium iturus est. Et sint mensurati novem pedes a staca usque ad mercam, ad mensuram pedum ejus qui ad judicium ire debet. Et si aquæ judicium sit, calefaciat donec excitetur ad bullitum, et sit alfetum ferreum, vel æreum, vel plumbeum, vel de argilla, et si *anfealt tybla* sit, immergatur manus post lapidem, vel examen usque ad *wyrste*, et si triplex accusatio sit, usque ad cubitum. Et quando judicium paratum erit, ingrediantur ex utraque parte duo homines, et certi sint ut ita calidum sit sicut prædiximus, et introeant totidem ex amba parte, et consistant ex utraque parte judicii de longo ecclesiæ, et sint omnes jejuni, et ab uxoribus suis se continuerint ipsa nocte, et aspergat presbyter aquam benedictam super eos omnes, et humilient se singuli ad aquam benedictam, et det eis omnibus osculari textum sancti Evangelii, et signum sanctæ crucis. Et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, sed jaceat ferrum super carbones usque ad ultimam collectam : postea mittatur super staplas, et non sit illic alia locutio quam ut precentur sedulo Deum Patrem omnipotentem, ut veritatem suam in eo manifestare dignetur; et bibat accusatus aquam benedictam, et inde conspergatur manus ejus qua judicium portare debet, et sic adeat. Novem pedes mensurati distinguantur inter ternos. In primo signo secus stacam teneat pedem suum dextrum. In secundo transferat dextrum pedem, in tertium signum, quando ferrum projiciet, et ad sanctum altare festinet, et insigilletur manus ejus et inquiratur die tertia si munda vel immunda sit intra sigillationem; et qui leges istas fregerit, sit ordalium, id est judicium vel examen, fractum in eo, et reddat regi centum viginti solidos Witæ.

IX. Qui aliquid emit, emat cum testibus; et, si appellandum inde sit, recipiat hoc venditor suus a quo emit, sit liber, sit servus, sit quod sit : et non fiat aliquid negotiatio, vel forensis actio die Dominica. Si quis hoc præsumat, perdat ipsum capitale, et emendet overhirnessam meam.

X. Qui falsum juramentum jurabit, et convictus inde fuerit, nunquam postea juramento dignus sit, nec in sanctificato atrio aliquo jaceat, si moriatur, si non habeat episcopi testimonium in cujus diœcesi sit, quod pœnitentiam exceperit; et presbyter hoc referat episcopo infra triginta noctes; utrum ad emendationem et satisfactionem venerit. Si non faciat hoc, componat sicut episcopus ei concedet.

Totum hoc institutum, et confirmatum est in magna synodo apud Greateleyam, cui archiepiscopus Wlfelmus interfuit, et omnes optimates et sapientes quos Æthelstanus rex congregare potuit

(6) XI. Episcopo jure pertinet omnem rectitudinem promovere, Dei videlicet ac sæculi. Inprimis debet omnem ordinatum Dei instruere, quid ei jure sit agendum, et quid sæcularibus judicare debeant Debet etiam sedulo pacem et concordiam operari cum sæculi judicibus qui rectum velle diligunt, in compellationum allegationem docere, ne quis alii perperam agat in jurejurando vel in ordalio.

Nec pati debet aliquam circumventionem injustæ mensuræ vel injusti ponderis; sed convenit ut per consilium et testimonium ejus, omnes legis scitum, et burgi mensura, et omne pondus, ponderis sit secundum dictionem ejus institutum, valde rectum.

Ne quis proximum suum seducat, pro quo decidat in peccatum. Et semper debet Christianus providere contra omnia quæ prædicta sunt; et ideo debet se magis de pluribus intromittere, ut sciat quomodo grex agat quem ad Dei manum custodire suscepit, ne diabolus eum laniet, nec malum aliquid superseminet.

Nunquam enim erit populo bene consultum, nec digne Deo conservabitur, ubi lucrum impium et magis falsum diligitur. Ideo debent omnes amici Dei quod iniquum est enervare, quod justum est elevare : non pati ut propter falsum et pecuniæ quæstum se forisfaciant homines erga vere sapientem Deum, cui displicet omnis injustitia.

Christianis autem omnibus necessarium est, ut rectum diligant, et iniqua condemnent, et saltem sanctis ordinibus evecti, justum semper erigant, et prava deponant. Hinc debent episcopi cum sæculi judicibus interesse judiciis, ne permittant, si pos-

(6) Hæc ex manuscripto Jornalensi.

sint, ut illius aliqua pravitatum germina pullulaverint.

Et sacerdotibus pertinet in sua diœcesi, ut ad rectum sedulo quemcunque juvent, nec patiantur, si possint, ut Christianus aliquis alii noceat, non potens impotenti, non summus infimo, non prælatus subditis, non dominus hominibus suis, vel servis aut liberis molestus existat. Et secundum episcopi dictionem, et per suam mensuram convenit, ut servi testamentales operentur super omnem sciram cui præest.

Et rectum est ut non sit aliqua mensurabilis virga longior quam alia, sed per episcopi mensuram omnes institutæ sint, et exæquatæ per suam diœcesim. Et omne pondus constet secundum dictionem ejus: et si aliquid controversiarum intersit, discernat episcopus.

Et uniuscujusque domini necesse proprium est, ut compatiatur et condescendat servis suis, sicut indulgentius poterit, qui a (*f.*, quia) Domino Deo empti sunt, æque chari servus et liber, et omnes eodem pretio redemit, et omnes sumus Dei necessario servi: et sic judicabit nobis, sicut ante judicavimus eis quibus judicium super habuimus in terris.

XII. Singulis quoque diebus Veneris, decantent omnes Dei ministri in omnibus cœnobiis, seu majoribus ecclesiis, quinquaginta psalmos pro ipso rege, et omnibus ei audientibus, necnon aliis quibuscunque promerentibus.

Unicuique etiam qui voluerit fas esto, si quid criminis ei imponatur jam compensare, ni in lustrationis diebus (quas *Gang-dayes* vocant) sit commissum: et deinceps res se habeat sicut prius.

XIII. Regis Weregildum est cum Anglis in jure publico, triginti millia thrimsa, id est trium. Quindecim millia thrimsa sunt de wera. Et quindecim millia cynedomas, id est regiæ censuræ. Ipsum natale ejus pretium pertinet cognationi : et cynebot ipsius terræ nationi.

Archiepiscopi et comitis (7) Weregildum est quindecim millia thrimsa.

Episcopi et aldremanni (8) octo millia thrimsa.

Messetheines et Woruldtheines, id est presbyteri et sæcularis Thani, duo millia thrimsa.

Hæc immediate sequuntur præcedens capitulum de weregildis, in regio codice, fol. 143, *col.* 4.

Aliquando fuit in Anglorum laga (*id est*, lege) quod populus et leges consilio regebantur, et tunc erant sapientes populi, magni prorsus nominis et pretii: comes et villanus, tainus, et alius, singuli pro modo suo.

Et si villanus excrevisset ut haberet plenarie quinque hidas terræ suæ propriæ, ecclesiam et coquinam, tympanariam, et januam, et sedem, et fundet notam in aula regis, deinceps erat taini lege dignus.

Et si tainus ascendisset ut serviret regi, et equitatus sui vice fungere ur in familia sua, si tunc habebat tainum qui ad ut Waram regis quinque hidas haberet, et in aula regis domino suo serviret, qui tertio venisset in nuntium ejus ad regem, iste poterat deinceps jurare pro domino suo in magna necessitate, et accusatorem ejus recte admallare ubicunque opus esset. Et qui sic promotum hominem non habet, ipse causam suam superjuret, vel amittat.

Et si tainus provehatur ad consulatum, sit postea dignus rectitudine comitis et honore; et si massere (*id est* mercator) ascenderet ut ter magnum mare transfretaret, per proprium negotium suum fuit deinde taini dignus rectitudine.

Et si scholaris profecisset in doctrina, cur ad sacros ordines pertransiret, et Christo Domino ministraret: erat denique dignitatis et pacis dignus, quanta pertinebat super illud, nisi forisfaceret cur ipsius ordinis officio non utatur.

Et si eveniret ut ordinatus vel alienigena disturbaretur alicubi verbis vel operibus: tunc pertinebat regi et episcopo hoc emendare quam citius possent.

Ceorles weregildum (*id est* rustici æstismatio) est in Mircenorum laga 200 sol.

Taini weregildum est sexies tantum, id est duodecies centum solidi.

Regis simplum weregildum est sex tainorum weregildum in Mercenorum laga, hoc est triginta millia sceatta, id est totaliter centum viginti libræ: tantum est de weregildo, sed pro regni dignitate debet addi tantumdem in Kenegildo. Ipsam weram debent habere parentes ejus, et ejus emendationem ipsius terræ populus.

Twelfhindes (7) hominis jusjurandum, contra valet jusjurandum sex villanorum, quia si Twelfhindus homo vindicari debet, plene vindicaretur in sex ceorlis, et ejus weregildum est sex ceorlorum weregildum.

Missæ presbyteri et sæcularis taini jusjurandum in Anglorum rege reputatur æque carum, et pro septem ordinibus Ecclesiæ, quo sacerdos per Dei donum ascendit ut haberet, taini rectitudine dignus est.

1. Septem sunt dona sancti Spiritus, et septem gradus Ecclesiæ et sanctorum ordinum, et septies in die laudes Deo canendæ sunt ab omni ecclesia. Et omnibus amicis Dei recte pertinet ut sanctam Ecclesiam diligant et honorent, et Dei ministros pacificate custodire gaudeant; et qui eos nocebit verbo vel opere, septies emendet secundum quod factum sit, et secundum ordinem, si Dei misericordiam habere velit, quia sanctificationes et ordines, et Deo dicatas domos, semper debent pro timore Dei diligenter venerari.

2. Et ad ordinis emendationem, si ordinatus occidatur, supra rectum weram primus gradus emen-

(8) Quem ducem nunc vocant.
(9) Qui nunc comes dicitur.

(9) Qui 1290 solidis æstimatur.

detur una libra, et digna pœnitentia sedulo perquiratur.

3. Et ad emendationem ordinis, si vitæ sit amissio, super rectam weram in secundo gradu duæ libræ reddantur cum Deo dignæ pœnitentia. . . .

4. . . . . .

5. Et ad emendationem ordinis, si plena infractio fiat, super rectam weram in quarto gradu quatuor libræ reddantur cum pœnitentia.

6. Et ad emendationem ordinis, super rectam weram in quinto gradu quinque libræ componantur cum idonea pœnitentia.

7. In sexto gradu sex libræ reddantur cum pœnitentia.

8. Et ad emendationem ordinis, septimo gradu infracto, septem libris super rectam weram emendetur cum injuncta pœnitentia.

9. Et ad ordinis [*suppl.* emendationem] infracta de pace digne componatur secundum factum. Semper enim debet judicium factum, et moderatio secundum mensuram pro Deo et sæculo fieri, et de emendatione ordinis una pars episcopi, secunda sit altari, tertia societate. *Vide hæc supra sub titulo :* De sacris ordinibus compensandis.

Et in concilio episcoporum Londoniensi, cap. 12, *sic habetur de congildonibus.*

Et diximus etiam omnibus illis qui in nostram gildscyram [sodalitium] vadium dederunt, si contingat eum [*lege* unum] mori, omnis congildo det unum panem et companagium pro anima ejus, et cantet unum quinquagenarium psalmorum, vel perquirat cantandum infra triginta noctes. *Jornalensis fol.* 44.

HOELI DHA

REGIS SEU PRINCIPIS TOTIUS WALLIÆ

LEGES ECCLESIASTICÆ.

(Circa annum 940.)

Dei providentia Howel Dha (10) filius Cadell, rex totius Cambriæ, videns suos walenses insolenter legibus abuti, accivit de quolibet *kemut* (id est *centuria*) totius regni sui sex laicos viros auctoritate et scientia pollentes, et omnes ecclesiasticos dignitate bacculosos, vel archiepiscopos, vel episcopos, abbates, vel priores de regno suo ad locum qui dicitur *Guin* super *Taff yn dered*, quam domum voluit ædificari virgis albis in hospitium sibi ad venandum, quando ad partes Demetiæ veniret, et ideo vocatur *Ty Gwyn*.

Rex autem et congregati morati sunt ibidem per totam Quadragesimam, orantes Altissimum per jejunium perfectum, petendo gratiam ad bona facienda secundum regis propositum, et de congregatis elegit rex duodecim laicos doctissimos, et unum clericum doctissimum qui vocabatur Blangoridus, ad instruendas sibi leges et usus, ut propinquius posset ad veritatem et justitiam intendi : et in tres partes scribi præcepit, quarum prima, lex curiæ suæ quotidianæ, secunda lex patriæ, tertia usus utriusque. Tres autem libros legis præcepit fieri consimiles, unum ad curiam suam quotidianam sequi semper, et alium ad curiam de Dinewr, et tertium ad curiam de Aberfrau, vel qualibet de tribus partibus Cambriæ, scilicet Guenet et Powys, et Deheubarth haberet in se auctoritatem legis, ad opus paratam.

(10) Id est *Boni*.

I. Ex quo distein (*id est* præfectus, *vel* œconomus) in aula steterit post prandium in tribus festis principalibus ponens in ea pacem et regis, reginæ et optimatum curiæ, pacem illam transgredienti nusquam erit refugium et *navt. tc' n'* omnium refugium. Si quis ergo refugium regis et omnium violaverit, nec usquam, nec ab unius refugio, vel a reliquis sanctorum defendi potest nisi ab ecclesia.

II. Qui sacerdoti *sarhaed* (*id est* injuriam) fecerit, vel eum occiderit, judicio synodi puniatur præter *gueli tanaed*.

III. Hospitium sacerdotis et clericorum erit domus capellani villæ. Hospitium sacerdotis reginæ est insimul.

IV. *Offeirad euleu* (*id est*, sacerdos regis) contra Pascha regis indumenta habebit, quibus usus est in Quadragesima.

V. Simili modo sacerdos reginæ ipsius habebit indumenta, in quibus regina agat pœnitentiam. Sacerdos reginæ a regina equum debet habere. Sacerdoti et accipitrario, et *penkynyt*, et judicii curiæ, et *gwastraud afwyn*, equi a rege restaurantur cum opus fuerit. Terram suam tenebit liberam.

VI. Triplex est officium sacerdotis curiæ in placitis, scilicet lites discretas de scripto delere, lites indiscretas ad judicium in scripto servare, et ad opus regis, quantum ad litteras missas et mittendas paratum esse, et nunquam ebriatum.

VII. Tria sunt judici pertinentia, scilicet quæstiones solvere, lites discernere, et quod per judicium discreverit, per vadimonium confirmare, si tunc litigans ei contradicit per aliud. Sic agit per annum. Anno autem elapso capellanus adeat ecclesiam, et cum eo duodecim officiales curiæ digniores, et missa celebrata, et oblatione ad missam ab omnibus facta, capellanus faciat eum jurare per sacrum incelebratum, et per altare, et reliquias superpositas, quod in tota vita sua nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio falsum scienter faciet judicium. Quo facto, ad regem venient, indicantes ei quæ circa eum acta sunt. Si regi gratum sit officium suum. illi præstabit, et locabitur in sede sibi debita. Tunc dabuntur ei *ouer elysseu*, a rege *taulbord*, a regina annulus aureus, quæ dona nec vendet, nec unquam donabit. Non debet judex esse, nisi in tali solemnitate approbatur.

VIII. Et si aliquis de gentibus homicidæ vel occisi sit ecclesiasticus, sacris ordinibus vel religioni obligatus, vel leprosus, vel mutus, vel stultus, nihil reddet vel recipiet pro *galanas* (*id est* pretio homicidii). Nullam autem vindictam super eos vel ab eis propter occisum debet fieri, ne tales possint per legem istam ad reddendum vel recipiendum aliquo modo compelli.

IX. Si fur coram presbytero socios suos nominando manifestet, et affirmet hoc jurando in ostio cœmeterii, in ostio chori: quidquid de illo postea contingat, verbo presbyteri abinde de dicto illius absque contentione credendum est. Simili modo fit quando quis pro mercede dicat furem qui rem furatus est, et hoc faciat coram sacerdote modo prænotato. Si quis alicui deprædari dicitur, et ille negaverit, L hominum juramento habet negare. Hic est unus homo eorum cui soli creditur, scilicet *Managur*, dictator continens cum testimonio sacerdotis, si ipse cum illo qui perdiderit venerit coram sacerdote ad ecclesiam, et dicat ei sacerdos prohibendo similiter, ne pro Deo ducat eum in falsitatem hoc faciat in ostio ecclesiæ, si ibi juraverit se verum dicere, et non falsum : similiter faciat in introitu cancelli, deinde super altare idem faciat, et ille qui reus dicitur adhuc negaverit : sacerdos affirmet verbo suo ter quod vidit, et audivit, et semel jurando confirmet illud ; hoc facto, qui prius negaverit pro confitente habetur, nec poterit contradicere. Mercedem quidem statim habebit ille qui dictavit, et verbo sacerdotis testificantis dictatoris sacramentis non contradicetur, et *sinz* pro confitente habetur, et dicitur hoc *dogynuariac*.

X. Tria sunt genera *dirwy* (*id est*, multæ), unum de pugna, alterum *treis*, id est raptu, tertium de furto. Duplex autem sit *dirry*, et duplex *camlurr*, in curia et in ecclesia quæ ecclesia si summa fuerit, de pugna quæ in cœmeterio agitur, quatuordecim libræ sunt reddendæ. Si vero extra, id est in *nodva* (*id est*, asylo), septem libræ ; quarum librarum abbati medietas cedit, si legalis sit, id est, ecclesiastica doctrina instructus et litteratus : altera medietas presbytero et canonicis ibi Deo servientibus. Talis divisio sit inter abbatem et presbyteros de pugna illorum scilicet, *navtur* (*id est*, refugium), qui ab abbate et presbytero refugium acceperint : sicque dividitur omne quod tantummodo sancto, non alteri, nec alii abbatum erogatur. De pugna in *nodva* sanguis et *cleis* stabunt pro testibus abbati et presbyteris per dignitatem ecclesiasticam abbatiæ.

XI. Lingua quantum omnia membra valet. Summa valentiæ omnium membrorum est octoginta octo lib. Sanguis cujuslibet hominum pretium est viginti quatuor denariorum. Sanguis Christi pretium est triginta denariorum, scilicet indignum videtur ut Dei sanguis hominis minoris pretii est.

XII. Tribus de causis poterit uxor a viro divertere, et suum *egveti* (*id est*, dotem) habere, scilicet si lepra vir inficitur, et si fetidum habeat anhelitum, et si cum ipsa coire non valeat. Ter a viro suo, si aliam cognoverit, *rynebwerth* (*id est*, satisfactionem) uxor habitura est, primo dimidiæ libræ, secundo libram, tertio cum toto jure suo libera *diliis* (publice vel soluta) poterit ab illo discedere. At si ultra tertiam vicem patienter sustineat, de cætero *rynebwerth* non habebit. *Redwit* dicit quod tertio triginta sol. quarto libera cum toto jure suo abiit, si patienter sustineat de cætero *rynebwerth* non habebit.

XIII. Cum puellæ suo tempore *cowll* (vestimenti genus) comparetur, nisi mane de illo antequam a viro consurgat a lecto voluntatem suam declaret, inter virum et mulierem commune erit. Si viro detur puella ætatem habens, dicatque vir illam ab alio defloratam percepisse, puella, si possit, quinque hominum juramento (scilicet patris et matris, fratris et sororis, et suo proprio) hoc falsum esse astruat et se ad illum advenisse incorruptam, scilicet, sit matura in pilis et uberibus, et si venerint muliebria ejus, id est *teithi*, ætatis *gveric* (*id est*, ephebiæ). Si primo tacuerit, et secundo eam agnoverit, et sic usque ad mane cum illa dormierit, licet illam corruptam invenerit primo, de jure puellæ nihil potest auferre. Si vero statim hoc noverit, ad viros surrexit nuptiales, alia non contradicente, hoc eis testificaverit, nihil ei jure reddere debebit.

XIV. Si cujus uxor de alio infametur, et hoc tamen sit incertum, septima manumulierum expurget. Si secundo infametur, cum quatuordecim. Si tertio cum quadam certitudine hoc dicatur, juramento L mulierum se expurgabit.

XV. Si qua mulier datores habuerit, sit vir sub dote sua usque ad septem annos ; et si habuerit tres noctes de septimo anno, totius substantiæ ejus medietatem in divortio eorum mulier habebit. Sub-

stamia autem hoc modo dividitur : Vir snes habebit, mulier oves. Postea mulier dividat, vir eligat. Et primo supellex sic dividatur : Omnia vasa lactis præter unum sinum, id est *baeol* mulieris erunt, et discos omnes habebit præter unum,.. et illa duo viri erunt ; currum vero cum uno jugo, et omnia vasa, potus et dolia viri erunt, quæ desuper vero mulieris. Si vir incontinenti aliam duxerit uxorem, vestimenta primi lecti, scilicet repudiatæ mittere debet. Vir habebit caldarium et tapetum, id est *brycan* et pulvinar, et cultrum, et securim lignorum, et terebrum, etc.

XVI. Si uxorem suam quis sine lege repudiaverit, et aliam superduxerit, repudiata debet de jure domui redire, et in ea permanere per novem dies, et in nono die, si a viro omnino dimittatur, omnia quæ illius sunt, de domo prius exeant : et ultima rerum suarum ipsa de domo exeat : et postea vir repudiatam quietem, id est *dilys* clamabit, superducta alia, quia de jure duas uxores insimul nullus debet habere. Si quis uxorem suam dimiserit, et postea ipsum operis sui pœnituerit, et illa viro alteri data fuerit : si prior vir eam poterit attingere unum pedem cum viro altero in lecto habentem, et alterum extra, prior de jure debet eam recuperare.

XVII. Si mulier negat adulterium, det juramentum L mulierum ; similiter adulter negans, juramentum L virorum. Et tribus de causis datur tale juramentum : si videantur mulier veniens de luco ex una parte, et vir veniens ex altera parte ejusdem luci in eadem hora, vel si videantur insimul jacentes sub uno pallio, vel si videatur vir inter femora mulieris.

XVIII. Si qua mulier rem turpem cum alio viro, vel osculo, vel manu, vel stupro egerit, de jure potest repudiari a viro suo, et omnia jura sua debet amittere, etiam pro solo osculo, nedum pro aliis. Adulter pro stupro reddet injuriam cum una elevatione illi cujus uxorem violaverit, quia de genere hostilitatis est. Pro palpatione manuum in vulva, quæ dicitur *govys*, reddet injuriam sine elevatione. Pro osculo tantum adulter injuriam reddet, sed de injuria tertia pars cadet, quia non habuit rem cum ea ex toto, et hoc causa decipiendi eam, sic dicunt quidam, alii vero ut nisi consequuntur, declaratur, qualitercunque facta fuerit.

XIX. Qui uxorem alicujus osculatur, quartam partem injuriæ ei reddet, similiter de *govys*, nisi in ludo qui dicitur *guare raffau*, vel in convivio, vel quando quis de longe venerit.

XX. *Goronvy ab morydyc* dicebat quod vir alterius uxore ipsa volente abutens, nihil debet reddere, dum mulier sui facti laudat auctorem ; sed si factum notum fuerit, mulier habet viro suo *saraed* reddere, vel vir eam libere repudiet, et ab ea divertat.

XXI. Nemo feminam det viro antequam de mercede domino reddenda fidejussorem accipiat. Puella dicitur esse desertum regis et ob hoc regis est de ea *amaabyr* (*id est*, pretium virginitatis) habere. Si aliquam quis in *lathrud* (*id est*, raptus mulierum) adducat, et ad domum alicujus optimatis cum illa vadit, fidejussorem a viro de toto jure abductæ, antequam insimul dormiant, optimas accipiat.

XXII. Tres autem sunt homines quorum nullus potest per regem impignorare contra aliquod judicium. Primus est rex, ubi non poterit secundum legem in lite stare coram judice suo, agendo, vel respondendo per dignitatem naturalem, vel per dignitatem terræ, ut optimas vel alius. Secundus est ecclesiasticus sacris ordinibus obligatus. Tertius est ecclesiasticus religiosus obligatus. Nemo enim secundum legem potest dare pignus contra judicium, nisi sub periculo pretii suæ linguæ, sed nullum pretium constitutum est in lege Howel super membrum et sanguinem, vel *saraed* ecclesiastici, ut sunt prædicti : et ideo nullus eorum potest dare vadium de jure contra judicium vel cum judicio. Omnia autem nocumenta sacrilega quæ fient ecclesiasticis, debent in synodo secundum legem ecclesiasticam emendari.

XXIII. Tres sunt homines quorum nullus potest esse per legem judex dignus. Primus est mendosus, id est *anavus*, vel cæcus, vel surdus, vel leprosus, vel stultus, qui sit semel ligatus propter stultitiam suam, id est *goyffvyllauc*, vel qui nesciat recte loqui, vel *cryc anennual*. Secundus est ecclesiasticus sacris ordinibus vel religioni obligatus. Tertius est laicus sine potestate judicandi per dignitatem terræ, vel servitoriæ.

XXIV. Tres sunt rei conquestores, a rege propter querelas suas puniendi. Primus est qui det pignus contra judicium quod per aliud, id est *ghurgvystyl*, et auctoritatem scriptam de legibus contra ipsum poterit confirmari ; ille pretio linguæ suæ debet puniri. Secundus qui det pignus contra judicium quod super aliquem alium quam seipsum detur, ille suo *camlvrv* (*id est*, multa) debet puniri. Tertius est, si quis careat dignitate impignorandi, videlicet sacerdos vel alius : licitum est ei contradicere judicio per auctoritatem de legibus : et si sic contradicat, et auctoritas ei fallat, *camlvrv* amittat. Nemo autem per judicium litigiosum amittet plus quam *camlvrv*, nisi vera sit impignoratio vadio contra vadium.

XXV. In lege Romana reperitur : Ubi numerus testium non definitur, ibi duo sufficiunt. Dicit quoque lex : Unius testimonium non est admittendum. Hoc vero dicitur quod novem homines sunt, quorum unicuique et soli in ferendo testimonio credendum est, sed tamen jurejurando. Primus est, dominus inter duos homines ; ita tamen quod non sit particeps litis et rei ex lite consequendæ, et confiteantur contentionem suam prius coram domino suo fuisse, et non fuerit *undull* (*id est* uniformis). At si alter eorum negaverit, cum juramento negabit. In alio casu novem dies dantur do-

mino, an connumerandum qualiter juramentum præstiterit, sacerdoti vero ad idem dantur inducie usque ad tempus quo possit missam celebrare. Secundus est, patronus sacerdos inter duos parochianos, inter duos monachos suos. Tertius est, pater inter duos ipsius filios, ponendo manum super caput illius contra quod testificatur, sic dicendo : Per Dominum qui me creavit de patre, et te de me, verum inter vos dico. Quartus est, judex de judicio suo, scilicet si quidem de judicio quod inter eos judex dederit dubitantes certaverint. Quintus est, fidejussor de fidejussione sua, si partim negat, et partim confitetur. Sextus est, sacerdos de testimonio sibi attestato inter duos parochianos suos. Septimus est, puella de virginitate sua, si vir cui data est dixerit eam invenisse corruptam, ut jus suum ei tollat, jus ei tamen illa est, ei tamen credendum est antequam fuerit matura. Item de puella, si vi oppressa fuerit, et violator dixerit eam invenisse defloratam, contra eum testimonio puellæ credendum est. Octavus est, communis pastor villæ de animali ab alio inter animalia suæ custodiæ mortificato. Nonus est, latro ad patibulum ductus, et de morte sua certus : illius verbis sine sacramento, id est *creir*, de socio vel sociis credendum est, vel de re quam ipse furatus est. Iste scilicet socius ejus propter dictum alterius non debet vita seu membris condemnari. De verbis tamen illius qui suspenditur, manifestatur eum esse latronem, cui credendum est, sicut lege ista cautum est. Est ergo iste condemnandus, non ad vitam seu membra perdenda, sed ad redemptionem sui faciendum. De illo latrone, qui constituto juramento in patria, latrocinio non poterit se purgare. Eritque *dirvyns et n'lleidyr guverth*.

XXVI. Fidejussor negans fidejussionem suam de septimo proximorum sibi redemptione negabit, vel solus jurans super septem altaria dedicata *of bri duva divuad;* si partim negat, et partim profitetur, solus semel jurabit, et sic *kynnogyn*, si fidejussionem negaverit, scilicet de septimo.

XXVII. Si quis nomine emptionis rem aliquam ab aliquo acceperit, deinde ab hac vita ereptus res suas cum amicis reliquerit, cum ipse pro se de pretio rei acceptæ reddendo fidejussor exstiterit, id est *yn uach kynnogyn*, ab amicis præfatis, licet factum ignorantibus et obdormientibus, de rebus mortui pretium rei suæ venditor consequatur. Juret tamen de septimo proximorum sibi in redemptione super sepulcrum debitoris, si possit invenire ; sin autem, super altare dedicatum, quod illi rem suam vendidit, et quod ipse pro fidejussore fuit.

XXVIII. Non debet fidejussor dari qui exsul est, neque qui fortior est; neque monachus, nisi consentiente abbate; neque scholaris, nisi magistro consentiente; neque femina, nisi domina fuerit principalis debitoris; neque filius, nisi patre consentiente, dum pater debet esse pro filio. Quamvis autem fidejubeant, alicujus eorum fidejussio non est compellenda.

XXIX. Tria sunt, sine quibus rex esse potest, scilicet, sacerdos ad missam celebrandam, et ad escas regis et potus benedicendos, et judex curiæ ad causas discernendas et ad danda consilia, et familia quoque ad negotia regia parata.

XXX. Tribus hominibus vulnus linguæ redditur : regi semper; judici, quando quis conatur ire contra judicium; sacerdoti, quando fuerit in ecclesia, sive in tribus festis principalibus.

XXXI. Ubicunque sacerdos familiæ et *distein* (*id est*, præfectus curiæ, vel œconomus) et judex curiæ insimul fuerint, ibi erit dignitas curiæ, id est *breint llys* (*id est*, aula regia), licet rex absens est.

XXXII. Nullus autem rex habet potestatem constituendi pretium super aliquem ecclesiasticum sacris ordinibus obligatum, vel super membra, vel sanguinem; vel *saraed* ejus, vel super aliquem de suis, quia quisque ecclesiasticus, ut prædictus, habet potestatem per legem ecclesiasticam probandi in synodo quodlibet nocumentum vel damnum, quod ei laicus faciat, aut rex, aut alius. Item nullatenus talis ecclesiasticus potest compelli ad respondendum alicui extra synodum de delictis sibi oppositis.

XXXIII. Si autem talis ecclesiasticus teneat terram sub rege per debitum, de qua servitium regi pertineat fieri, in curia regis debet respondere de terra cum pertinentiis, quia regis est tota terra regni sui; et nisi inde respondeat humiliter idem, regis erit terra illa totaliter. Quamvis autem talis ecclesiasticus possit per dignitatem terræ in judicio cum laicis esse usque ad tempus narrandi illud, nullum judicium debet referre inter litigantes, quia non est pretium super linguam ejus in lege constitutum; per quod quisque judex, si injuste judicet, punietur, si confirmet judicium injustum per vadimonium.

XXXIV. Cum de villarum sive agrorum terminis quæ curia contingat, contentionem curia terminabit; si ecclesia et non curia contingat, ecclesia terminabit. Postea *Bremt*, demum *hyguvarchadu*, id est *ar deffeith*, *ty ac odyn ac ysgubaur*. Verum, cum terminabit *maer* et *kygbellaur*, debent pro ea terminos assignare, pro ecclesia vero baculus et Evangelium. Sin autem terra litigiosa, inter litigantes in duo dividatur.

XXXV. Si regia dante licentia in rusticana villa ecclesia construatur, et in ea missæ celebrentur, et in atrio illius corpora sepelientur, extunc libera erit villa illa.

XXXVI. Si quis nomine, quo matrix fuerit ecclesiæ, judicio terram ad illam pertinentem petierit, nonus dies mensis non est exspectandus.

XXXVII. Si regis villanus rege annuente optimatis filium nutriendum susceperit, defuncto villano cum filiis æquali portione alumnus succedet.

XXXVIII. Si in terra regis cum homine ipsius homines episcopi vel abbatis inter se conflictum fe-

cerint, *diruy* (*id est*, mulcta seu mulctatio) eorum regi.

XXXIX. Septem domus episcopales sunt in *Dyved*, *Menevia*, quæ est sedes principalis in Cambria, ecclesia *Ismael*, ecclesia *Degeniam*, ecclesia *Yssyl*, ecclesia *Teylav*, ecclesia *Teulidauc*, ecclesia *Keneu*. Abbates *Teylav*, et *Teulydauc*, et *Ismael*, et *Degenian* tenentur clerici esse et ordinati. *Ebedin* cujuslibet istorum domino *Dyved* erunt, scilicet duodecim libræ, vel qui illis successerint reddant. *Menevia* ab omni debito libera manet et soluta. Ecclesia *Keneu* et ecclesia *Yssyl* ab illo debito liberæ erunt, qui terris carent.

XL. De furto redemptionis non fit contentio super aliquid, nisi prius fuerit *manac* cum juramento in tribus locis, in ostio cœmeterii, in ostio ecclesiæ, in ostio chori coram presbytero ipsius ecclesiæ, et hoc presbyter ille in placito domini testatus sit, cujus verbo credendum est tunc. De furto (*id est*, communicatio) *Kyssyn* non sit contentio juramenti, id est *reith*, super aliquid, nisi prius fuerit *manac* in curia.

EDMUNDI

ANGLORUM REGIS

LEGES ECCLESIASTICÆ.

(Circa annum 944.)

TITULI CAPITULORUM PARTIS I.

I. *De vitæ castitate eorum qui sacris initiantur.*
II. *De decimis et censu ecclesiastico, sive primitiis seminum.*
III. *De homicidio.*
IV. *De eo qui monialem stuprarit, et de adulterio.*
V. *De fani instauratione*
VI. *De pejerantibus, et iis qui barbara factitarunt sacrificia.*

(*Pars* II *huc nihil confert.*)

TITULI CAPITULORUM PARTIS III.

I. *De homicidio.*
II. *De eo qui alium oppugnarit in æde sacra, aut oppido regio.*
III. *De pugnæ et homicidii mulctis.*
IV. *De sanguine effuso.*
V. *Gratias agit, quod eum in profligandis furibus adjuverint.*

PARS PRIMA.

PROOEMIUM.

Edmundus rex ipso solemni Paschatis festo frequentem Londini, tam ecclesiasticorum quam laicorum, cœtum celebravit, cui interfuerunt Oda, et Vulstanus archipræsul, plurimique alii episcopi, ut animorum suorum, et eorum omnium qui eis curæ sunt, consuleretur saluti.

CAPITULA.

I. Inprimis, qui sacris sunt initiati, atque ex quibus populus Dei virtutis exemplum petere debebit ad imitandum, caste (ut eorum feret ordinis ratio) sive viri, sive mulieres fuerint, vitam traducunto: sin minus id fecerint, prout illorum se habent normæ, plectuntor, omni scilicet sua possessione terrena multantor vivi, et (nisi mores in melius emendaverint) mortui sacra prohibentor sepultura.

II. Christianus quisque decimas seminum primitias nummumque eleemosynarium illum religiose pendito; qui non solverit, anathema esto.

III. Si quis hominis Christiani sanguinem effuderit, ad regium conspectum (etsi ei servierit) non admittitor, ni prius id sceleris, juxta ac fuerit ei ab episcopo imperatum, compensarit.

IV. Si quis monialem stuprarit, aut instar homicidæ compensato, aut sacra sepultura prohibetor. Idem juris esto, si quis adulterio commisso conjugium violarit.

V. Episcopus omnis suis ipsius sumptibus domum Dei instaurato, regemque de reliquis sacris ædibus (id quod valde est necessarium) composite ornandis commoneto.

VI. Qui pejerarint, aut barbara factitarint sacrificia, divinis omnibus [ni ocius resipuerint, animumque in melius emendarint] perpetuum arcentor.

(*Omissa est pars secundæ, quia ad res ecclesiasticas non spectat.*)

PARS TERTIA.

PROOEMIUM.

Ego Edmundus rex omnibus qui in ditione ac potestate mea sunt, senibus ac juvenibus, clare significo, me a scientissimis regni mei in celebri, tam ecclesiasticorum quam laicorum frequentia, studiose requisivisse, quo tandem pacto Christiana proveheretur fides. Atque nobis omnibus commodissimum visum est, ut amorem ac mutuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem nostram foveamus. Etenim nos omnes harum tædet quotidianarum pugnarum, et propterea ad hunc modum statuimus.

CAPITULA.

I. Si quis alium posthac interfecerit, solus cum

interfecti cognatis inimicitias capitales suscipito, ni integram capitis ejus æstimationem (cujuscunque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra duodecim menses persolverit. Sin eum cognati ejus pro derelicto habuerint, neque vero quidquam pendere voluerint, ipse inimicitias subito solus, ac illi pro inimicis non habentor. Ei tamen interim cognati ejus victum ne suppeditanto, neve cum eo pacem habento; id quod si quis eorum fecerit, fortunis suis omnibus regi multator, et qui prius cognatum suum pro derelicto habuit, is jam cognatis interfecti pro inimico habetor. Atqui si alium quemcunque præter interfectorem ipsum cognatorum quisquam ultus persecutusque fuerit, is fortunis suis omnibus multatus, regi et omnibus amore eum prosequentibus, pro inimico putandus est.

II. Si quis ad templum oppidumve regium confugerit, eumque alius oppugnarit, damnove affecerit is, prout antea effati sumus, tenetur.

III. Nulla pugnæ aut homicidii nomine irrogata remittitor multa.

IV. Clare autem significo non fore ei qui sanguinem humanum effuderit suffugio domum meam, ni prius Deo ac cæsi cognatis cumulate satisfecerit, et præterea impleverit quodcunque ei fuerit ab episcopo, in cujus id diœcesi acciderit, imperatum.

V. Maximas autem Deo et vobis omnibus ago gratias, qui me auxilio vestro in hac pacis, quam nunc ad profligandos fures sancivimus, lege adjuvistis, ac vehementer confido eo vos propensius nobis in posterum opitulaturos, quo hujus decreti observatio magis videbitur necessaria.

Quomodo desponsanda virgo, et quibus ritibus procedendum sit (11).

I. Si quis virginem ducere aut feminam voluerit, ipsa et amicis suis consentientibus, debitum est cum ex jure divino, tum ex humana institutione, ut sponsus primo non solum fidem præbeat de prælocutis perimplendis, sed una etiam cautionem, se eam ita cupere, ut secundum legem Dei eam habeat uxorem, et hoc etiam vadient amici ejus.

II. Tum habenda victus ratio, et sciendum est quis eos sustinuerit. Stipuletur hoc sponsus ipse idemque pariter amici ejus.

III. Edicat jam tum sponsus qua bonorum parte uxorem donat, præter hanc quam ex ejus beneplacito ipsa prius cooptaverit.

IV. Sin et ipsa eum supervixerit (quod si quidem eveniat) tunc justum est ut ipsa habeat dimidiam partem omnium bonorum, et si prolem inter se susceperint, integritatem ipsam, donec transeat ad secundas nuptias.

V. Sponsiones autem vir, quas jam pactus est, cautione interposita illibatas semper custodito, et amici sui eas vadianto.

VI. Si de omnibus jam inter ipsos convenit, spondeant consanguinei suam consanguineam uxorem ei qui illam petiit, vitæ etiam integram fore, satisdationemque accipiant de celebrandis nuptiis.

VII. Si maritus eam postea de territorio Thani [*seu baronis*] quo jam nutrita est, eduxerit in alterius Thani territorium, cautione satisdatum sit amicis suis, quod exinde nemo ei inferet injuriam; etsi ipsa contra mali quid patraverit, prompti sint amici ejus marito facere emendationem, si ipsa non habuerit unde compensaverit.

VIII. Nuptiali huic dationi missalis aderit sacerdos; is de jure eorum conjunctionem Dei benedictione in omnem felicitatis plenitudinem promovebit.

IX. Caute etiam providendum est, ut intelligatur nullum inter eos esse consanguinitatis vinculum, ne juste postea separentur qui injuste primitus jungebantur.

(11) Hæc addita sunt ex alio manuscripto.

LEGUM ECCLESIASTICARUM EDMUNDI

PRISCA VERSIO.

TITULI CAPITULORUM PARTIS I.

I. *De castitate ordinatorum.*
II. *De decimis et aliis debitis ecclesiæ.*
III. *De homicidio.*
IV. *De fornicatione cum nunna, vel sanctimoniali, et de adulterio.*
V. *De apparitione ecclesiarum.*
VI. *De perjurio et liblaco.*

PROŒMIUM.

Edmundus rex congregavit magnam synodum Dei ordinis et sæculi apud London civitatem in sancto Paschæ solemni, cui interfuit Odo et Wulstanus archiepiscopi, et alii plures episcopi, qui perquirentes de consilio animarum nostrarum, et eorum qui subditi sunt illis.

CAPITULA.

I. Inprimis est ut sanctis ordinibus evecti, qui plebem Dei docere debent lumen vitæ, castitatem teneant secundum ordinem suum, sit *werhades* sit *wifhades*, sit alterum, sit alioquin; sint ejus digni quod in canone dictum est, hoc est, ut perdant sæcularem pecuniam, et sanctificatum *legerstowa* (*id est* sepulturæ locum), id est positionis locum, si non convertantur et emendentur.

II. Decimam præcipimus omni Christiano super Christianitatem suam dare, et emendent *cyricsceatum*, id est ecclesiæ censum, et *elmesfeoh*, id est eleemo-

synæ pecuniam. Si quis hoc dare noluerit, excommunicatus sit.

III. Si quis sceleratis manibus effundat sanguinem Christianum, non appareat in conspectu regis prius quam emendationem ineat, sicut episcopus docebit, et pœnitentiam consulet.

IV. Qui cum nunna vel sanctimoniali fornicabitur, sanctificato atrio sit indignus, nisi emendet, sicut homicida; sic idem diximus de *ewice* (*l.* cuvbrice), id est de adulterio vel infracto conjugio.

V. Amplius dixi ut omnis episcopus reficiat Dei domus in suo proprio, et regem admoneat, ut omnes ecclesiæ Dei sint bene paratæ, sicut magnum nobis opus est.

VI. Qui falsum jurabunt, et liblacum facient, sint in æternum a Dei consortio segregati, nisi ad dignam satisfactionem per omnia revertantur.

(*Pars II huc nihil confert.*)

TITULI CAPITULORUM PARTIS III.

I. *De homicidio.*

II. *De assaltu in itinere versus ecclesiam vel burgum regis.*

III. *De* fihtewita et manbota.

IV. *De fundentibus sanguinem humanum.*

PROŒMIUM.

Ego Edmundus rex mando et præcipio omni populo seniorum ac juniorum, qui in regione mea sunt, ea quæ investigans investigavi cum sapientibus clericis et laicis.

CAPITULA.

I. In primis quomodo possem Christianitatem magis erigere, et magnum nobis necesse visum est, ut amicitiam vestram et benevolentiam teneamus inter vos in toto regno meo; et mihi valde displicent, et vobis omnibus, multiplices et injustæ pugnæ quæ inter vosipsos fiunt, unde diximus: Si quis post hæc hominem occidat, ipse sibi portet inimicitiæ factionem, nisi amicorum suorum auxilio intra unum persolvet eum plenum Weregildo, sit natus sicut sit. Si eum cognatio sua deserat, et pro eo gildare noluerit, tunc volo ut omnis tribus vel cognatio illa sit extra factionem, præter solum malefactorem; sed deinceps ei nec victum det nec pacem. Si quisquam cognationis suæ firmet eum postea, reus sit omnium quæ habebit erga regem, et portet fudam erga contribunales, quia primitus reprobaverat eum. Si ex mortui cognatione quis vindictam perpetret in aliquem alium præter ipsum malefactorem, sit inimicus regis, et perdat totum quidquid habet.

II. Si quis ecclesiam requirat vel burgum meum, et ibi assailiatur, vel affligatur, qui hoc fecerit, ejusdem culpabilis quod supra dictum est.

III. Et nolo ut aliqua *fihtewita*, vel manbota, condonetur.

IV. Amplius indico, quod qui sanguinem fundat humanum, nolo socnam habere in familia mea, antequam divinam emendationem suscepit, et ad omne rectum inclinetur, sicut episcopus docebit in cujus cyra fuerit.

A *De sponsalibus contrahendis tempore regis Edmundi.*

(Ex libro Jornalensi.)

Si quis virginem vel viduam ducere velit, et hoc illi placeat et amicis suis, tunc rectum est ut bridguinum, per Dei justitiam et sæculi jus competens, in primis promittat et vadiet eis qui paranymphi sunt, quod eo modo quærat eam, ut secundum Dei rectum pertinere velit, sicut sponsus debet legitimam sponsam, et plegient hoc amici sui. Post ea sciendum est cui fosterleanum pertineat. Vadiet hoc bridguina, id est sponsus, quid ei dare disponat, cur ejus eligat voluntatem, et quid ei destinet, si supervixerit ipsum. Si sic quoque conveniat, rectum est ut dimidiam pecuniam habeat, et totam si simul puerum habuerint, nisi deinceps virum capiat. Totum hoc vadio confirmetur, et amici sui plegient. Si tunc omni re concordent, adeat cognatio et despondeat eam *to wyte* et *toryghtlyte*, id est in uxorem et rectam vitam, et excipiat inde plegium qui jus habet in vadio. Sed si de ipsa terra velit ipsam ducere in terram alterius thani: consilium est, ut amici habeant pactionem, ne quis ei faciat injuriam. Et si illa forisfaciat, ut possint esse propinquiores emendationi, si non habeat unde componat. Huic dationi debet interesse presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum consortium adjuvare in omnem sanctitatem. Bonum est prævidere ne ex aliqua consanguinitate sibi pertineant, ne juste postmodum separentur qui sceleratis nuptiis consenserunt.

B

LEGES ECCLESIASTICÆ DE NUPTIIS.

(Text. Roff. ex nova versione.)

Quomodo virgo desponsanda, et quinam ritus ibi esse debent.

C

I. Si quis virginem, vel uxorem in matrimonium ducere velit, et hoc illi ac amicis placeat, tunc justum est ut sponsus juxta jus Dei et instituta mundi prius promissum et fidem det viro, qui eorum proloquitor (paranymphus) est, quod ille hoc modo eam cupiat, ut juxta jus Dei eam servare velit, sicut vir feminam suam debet: et hoc spondeant amici illius.

II. Postea sciendum est, ad quem cibariorum exhibitio pertinet; hoc spondeat deinde sponsus, et fidejubeant amici ejus.

D

III. Postmodum significet sponsus quid ei daturus sit pro eo quod illa voluntatem ipsius elegerit, et quid ei donaturus sit, si illa supervixerit eum.

IV. Si hoc ita pacto conventum est, tunc justum est, ut ea dimidiam bonorum partem habeat, et omnia si prolem invicem habeant, nisi illa deinde maritum (alium) eligat.

V. Confirmet omne quidquid promiserat sponsione, et amici fidejubeant.

VI. Si illi tunc in omni re concordant, tunc adeant cognati, et spondeant consanguineam suam in uxorem, et ad rectam vitam ei, qui illam desiderat, et accipiant fidejussorem (eum) qui in sponsionem jus habet.

VII. Si eam ex terra illa ducere velit in alterius

thani regionem, tunc sponsio ipsius sit, quam amici A pacisciantur, quod maritus ejus nullam illi injuriam inferat; et si illa delictum commiserit, quod propinquiores debeant compensare, si illa non habeat unde compenset.

VIII. Nuptiis presbyter intersit; qui de jure cum Dei benedictione eorum conjunctionem adunare debet in omni felicitatis plenitudine.

IX. Bonum etiam est cavere, ut sciatur, an non per consanguinitatem conjuncti sint, ne juste postea separentur, qui injuste antea conjuncti erant.

EDGARI REGIS ANGLORUM

LEGES ECCLESIASTICÆ

CONCILIUM BRANDAFORDIÆ AB EDGARO REGE CONVOCATUM

IN QUO

Edwini regis decreta rescinduntur, ablata Ecclesiæ restituuntur, et Dunstanus ab exsilio revocatur.

Non occurrunt in concilio actorum formulæ : breviter autem sic notantur in antiquitatibus Britannicæ Ecclesiæ, cap. 13 : Interea Mercii et Norrenses, ac inter Humbrum et Thamesim mediterranei, in regem Edwinum arma capiunt. A quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi caute omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regni partem obtinet. Hi multis utrinque illatis prælliis, regni vires labefactarunt : sed Edgarus tandem potior, convocato ad Brandan fordiam regni concilio, fratris Edwini acta et decreta rescindit, ablatas ecclesiis et monasteriis opes restituit, Dunstanumque ab exsilio ad pristinum honorem revocat, deinde ad episcopatum Wigorneusem, nolentem, ut aiunt, et volentem promovit, postea ad Londinensem, tandem biennio vix transacto ad Cantuariensem archi- C præsulatum.

Privilegium quo rex Edgarus confirmat Dorobernensem Ecclesiam matrem esse et dominam aliarum Ecclesiarum regni sui. B

(Datum anno 959, sed hic occasione superioris concilii collocatum.)

Anno Dominicæ incarnationis 958 [*cor.* 959]. Ego nempe Edgarus rex Anglorum, divinaque concedente clementia monarchus, regum antiquorum Ethelberti et successorum illius, ac archiepiscoporum Brythwaldi et Athelardi statuta, et privilegia monasteriorum Kancegenum, cum venerabilis archipontificis Dunstani consultu atque consilio, ad maledictionem impiorum raptorum, imo magis Deo favente ad benevolentiam justorumque benedictionem, æterna conclusione renovamus, et in Domino summo roboramus, statuentes,

Ut Ecclesia Christi in Dorobernia aliarum Ecclesiarum regni nostri mater sit et domina, et cum suis omnibus perpetualiter sit ubique libera, præter expeditionem, pontis et arcis constructionem.

EDGARI REGIS CHARTA

DE OSWADESLAU,

Hoc est de ejiciendis clericis uxoratis et introducendis monachis.

(*Anno* 964.)

Altitonantis Dei largiflua clementia, qui est Rex D regum et Dominus dominantium, ego Edgarus Anglorum basileus, omniumque regum insularum Oceani quæ Britanniam circumjacent, cunctarumque nationum quæ infra eam includuntur, imperator et dominus, gratias ago ipsi Deo omnipotenti regi meo, qui meum imperium sic ampliavit et exaltavit super regnum patrum meorum, qui licet monarchiam totius Angliæ adepti sint, a tempore Æstelstani, qui primus regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit, nullus tamen eorum ultra ejus fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia divinitas, cum Anglorum imperio omnia regna insularum Ocea-

ni cum suis ferocissimis regibus usque Norvegiam, maximam partem Hiberniæ, cum sua nobilissima civitate Dublina, Anglorum regno subjugare; quos etiam omnes meis imperiis colla subdere, Dei favente gratia, coegi.

Quapropter et ego Christi gloriam et laudem in regno meo exaltare, et ejus servitium amplificare, devotus disposui, et per meos fideles fautores, Dunstanum videlicet archiepiscopum, et Athelwoldum ac Oswaldum episcopos (quos mihi Patres spirituales et consiliatores elegi) magna ex parte, secundum quod disposui, perfeci, etc.

Si quidem temporibus antecessorum meorum regum Anglorum, monasteria, tam monachorum quam virginum, destructa, penitus rejecta in tota Anglia erant, quæ ego ad Dei laudem pro remedio animæ meæ reparare, et servorum et ancillarum Dei numerum multiplicare devovi. Et ipsis supradictis meis cooperatoribus strenue annitentibus, jam quadraginta et septem monasteria cum monachis et sanctimonialibus constitui : et si Christus vitam mihi tandiu concesserit, usque ad quinquagesimum remissionis numerum (*id est* jubilæi), meæ devotæ Dei munificentiæ oblationem protendere decrevi.

Unde nunc in præsenti monasterium, quod prædictus, reverendus episcopus Oswaldus, in sede episcopali Wiogreceastere, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ amplificavit, et eliminatis clericorum næpiis et spurcis lasciviis, religiosis Dei servis monachis meo consensu et favore confultus [*al.*, suffultus] locavit : ego ipsis monasticæ religionis viris regali auctoritate confirmo, et consilio et astipulatione principum et optimatum meorum corroboro et consigno, ita ut jam amplius non sit fas neque jus clericis reclamandi quidquam inde; quippe qui magis elegerunt, cum sui ordinis periculo et ecclesiastici beneficii dispendio, suis uxoribus adhærere quam Deo caste et canonice servire. Et ideo cuncta quæ illi de ecclesia possederunt, cum ipsa ecclesia, sive ecclesiastica, sive sæcularia, tam mobilia quam immobilia, ipsis Dei servis monachis ab hac die perpetualiter regiæ munificentiæ jure deinceps possidenda trado et consigno, ita firmiter, ut nulli principum, nec etiam ulli episcopo succedenti, fas sit aut licitum quidquam inde subtrahere, aut pervadere, aut ab eorum potestate subripere, et in clericorum jus iterum traducere, quandiu fides Christiana in Anglia perduravit, etc.

Facta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 964, indictione VIII, regni vero Edgari Anglorum regis sexto, in regia urbe quæ ab incolis. . . . . nominatur; in natali Domini, festivitate sanctorum Innocentium, feria quarta.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Eadgar, basileus Anglorum et imperator regum gentium, cum consensu et principum et archiepiscoporum meorum, hanc munificentiam signo crucis corroboro.

Ego Ælfrith, regina consensi, et signo crucis confirmavi.

Ego Dunstan, archiepiscopus Dorobernensis Ecclesiæ Christi, consensi et subscripsi.

Ego Oscitel, archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ, consensi et subscripsi.

Ego Aferic, dux.

Ego Bruthnod, dux.

Ego Adrigari, dux.

CHARTA REGIS EDGARI

NOVO WINTONIÆ MONASTERIO QUOD HYDAM VOCANT

Concessa,

In qua angelorum refert creationem atque lapsum, hominem fieri ad capessendum cum prole sua vacuum jam ipsorum ordinem. Invidet, inquit, hoc diabolus, fraudeque circumventum sui cum prole reddit similem; hos misertus Christus redemit, et hos inter ipsum regem Edgarum, qui tanta raptus benignitate, totum se effundit in gratitudinem et bona opera. Christo igitur et familiæ suæ plurima condit monasteria, unumque hoc Wintoniæ; cujus cœnobitis vitæ regulas et honestatis imponit, tam ecclesiasticas quam sæculares.

(Anno 966.)

(12) Incipit charta privilegii Edgari benignissimi principis concessa novo monasterio Wintonio quod modo Hyda appellatur; cujus rubrica sic cancellatur :

EDGAR *rex hoc privilegium novo edidit monasterio, ac omnipotenti Domino ejusque genitrici Mariæ ejus laudis magnalia concessit.*

CAPITULUM I.

Omnipotens, totius machinæ conditor, ineffabili pietate universa mirifice moderatur quæ condidit,

(12) Ex chronico monasterii Wintoniensis quod Hyda dicebatur.

qui coæterno videlicet Verbo, quædam ex nihilo edidit, quædam ex informi subtilis artifex propagavit materia. Angelica quippe creatura, ut informis materia, nullis rebus existentibus, divinitus formata luculento resplenduit vultu. Male, proh dolor! libero utens arbitrio, contumaci arrogans fastu, Creatori universitatis famulari dedignans, semetipsum Creatori æquiparans, æterni barathri incendiis cum suis complicibus demersus, jugi merito cruciatur miseria. Hoc itaque themate totius sceleris peccatum exorsum est.

II. *Quare hominem condidit, et quid ei commisit.*

Evacuata animæque [*forte*, namque HARD.] polorum sede, et eliminata tumidi fastus spurcitia, summus totius bonitatis Arbiter lucidas cœlorum sedes non sine cultore passus torpere, formatis ex informi materia diversarum rerum speciebus, hominem tandem ex limo conditum, vitæ spiraculo ad sui formavit similitudinem, cui universa totius cosmi superficie condita subjiciens, seipsum suosque posteros sibi subjecit, quatenus ejus exsecutura posteritas angelorum suppleret numerum, cœlorum sedibus superbia turgente detrusum.

III. *Qualiter in paradiso sine crimine conversatus sit;*

Qui paradisiacæ voluptatis amœnitate locatus, nullius rei patiebatur dispendium, sed ei totius mundi ad votum suppeditabat facultas. Totius namque bonitatis ubertate fruenti nulla ei res instita resistebat. Amore Altithrono devote obsequenti creatura cuncta famulabatur subjecta. Fruebatur lætabundus Creatoris tripudio, et angelorum alacriter utebatur consortio. Non eum corporalis debilitabat imbecillitas, nec animi affligebat anxietas. Non typho levis raptabatur superbiæ, sed suo se conjungens auctori, humilis pollebat mirifice. Non eum inanis tumidum vexabat gloria, sed devotum Creatoris magnificabat memoria. Non invidia eum alieno torquebat profectu, sed charitas jugiter lætabatur amplexu. Non ira cruciabatur infestus, sed charitatis tranquillitate leviabatur patientissimus. Non cum tristitia mœrore dejiciebat, sed gaudii spiritalis spe pollente florebat. Non avaritia nimium incitabatur cupidus, sed dapsilitatis studio exercebatur largissimus. Non illicito massicus delectabatur edulio, sed parcitate contentus licito utebatur cibario. Non luxuria eum stimulabat nefaria, sed continentia competens constringebat ad præmia; omnium polycrates virtutum, cunctis carens adversis, omnibus florens prosperis, rite pollebat ingenuus.

IV. *Quomodo cœlum sine morte conscendere confidebat, et diabolus invidus ne ascenderet impediebat.*

Qui prole ad numerum patrata, superbientium angelorum universa comitante prosapia, fine loto [*forte*, sine loco., HARD.] gustato ligni vetiti fructu, æthereos æternæ beatitudinis suggestus triniatim cum Domino regnans conscendere macrobius confidebat. Invidus igitur hoc animadvertens Zabulus, nimia perculsus invidia, rimari callide versutus cœperat, qui insidiis, ne ad tantam numinis conscenderet gloriam, subdolus deciperet; pro nihilo forte ducens concessa, illicita nimium allubescendo laudans, mulierem admodum fragilem pellexit. Quæ sui detrimenti minime contenta, virum muliebriter victum blandis suasionibus delinitum, exili, heumalo gustato sibi similem faciens, perdidit.

V. *Quomodo in hac miseria omnibus privati virtutibus dejiciuntur, tandemque cataclysmate de.....* [*lege* dempti., HARD.].

Utrique tandem præfatis privati odonariis, paradisi eliminati metis, in præsentis vitæ ærumna miserrimi dejiciuntur, contemnentes conditorem, a cunctis insequuntur creatis. Vita desiit, mors inolevit. Virtutum caterva recedente, vitiorum cumulus successit. Succedente nepotum prosapia, successit cumulata criminum collegio (collectio) : universi cum suis sceleribus cataclysmate dempti, tandem, octo utriusque sexus reservatis, tabescendo deficiunt. Vitiis copiose surgentibus, Conditor se hominem fecisse indoluit. Postremo misericors mortalibus, ut pollicitus est, succurrit.

VI. *Quomodo Christus natus sua nos passione redemit, et cœlos conscendere fecit,*

Stella emicuit matutina, quæ suo radio mundi tenebras fugaret. Fausta resplendnit Maria, cujus utero virginali Christus ineffabiliter editus, peccatorum tenebras mediator clementissimus dempsit. Viguit Christus virtutibus plenus. Incanduit Judæa ingenti rancore repleta. Carnem suscipiens pro nobis pati voluit; quod ejus permissu infelix audacter complevit Judæa. Ligno quippe perditum, ligni scandens gabulum, genus redemit humanum. Universas namque hominum dæmon nationes ludificando insultans, jure ut mandati transgressorem possidens, morte multabat perpetua. Sanguis vero a mortuis ultorem trophæo crucis divisit. Prædam de perfidi leonis ore tulit, secumque super æthera vehens superius angelorum cœtibus consociavit, ut cum eo communi contubernio fruentes, bonitate perspicui, virtutum omnium ubertate referti, expertes peccati, omni contagione privati, sine fine post diem judicii restauratis corporibus exsultantes regnarent. Hanc præcipuam sine dubio gloriam credentibus, qui Trinitatis veræque unitatis fidem bonis insudantes operibus sectantur, pollicitus, non credentibus supplicium minatus æternum perpetuis barathri incendiis, justissime spopondit.

VII. *De benevolo regis meditamine.*

Hinc ego Edgarus, divina favente gratia totius Albionis basileus, rimari magnopere cœperam quid operum studio exercerem, ut ad tantam gloriam perveniens, Christi sanctorumque ejus cœlo collocatorum contubernio coronatus fruerer, tan-

tamque inferni miseriam divitarem. Instigante etenim Domini clementia, occurrit animo ut ipse criminibus cessarem cunctis, atque bonis operibus insistens, forma factus gregi, quousque nostri regiminis gubernamine degentes lucrifacerem. Quosdam igitur suasionibus invitans ad præmia, quosdam terroribus compellens ad gloriam, bona ædificans, mala, ut Domino faciente potui, dissipavi. Scriptum quippe per Jeremiam memini prophetam : *Ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jerem.* I). Talibus igitur exhortatus doctoribus, quibus nos Dominus per prophetam clementer admonuit, agens Christo favente in terris quod ipse juste egit in cœlis, extricans videlicet Domini cultura criminum spurcitias, virtutum semina sedulus agricola inseruit.

VIII. *Qua ratione clericos eliminans, monachos collocavit.*

Timens ne æternam incurrerem miseriam, si adepta potestate non facerem quod ipse, qui operatur omnia quæ in cœlo vult et in terra, suis exemplis justus examinator innotuit, vitiosorum cuneos canonicorum e diversis nostri regiminis cœnobiis Christi vicarius eliminavi; quod nullis mihi intercessionibus prodesse poterant, sed potius, ut beatus ait Gregorius, justi vindictam Judicis provocarent, qui vicariis vitiorum nævis contaminati, non agentes quæ Deus jubendo volebat, omnia quæ nolebat rebelles faciebant; avidus inquisitor advertens gratos Domino monachorum cuneos, qui pro nobis incunctanter intercederent, nostri juris monasteriis devotus hilariter collocavi.

IX. *Quod sancti Spiritus gratia compunctus abbatem et monachos in novo constituit monasterio.*

Hac itaque ratione, sancti Spiritus attactus flamine, locum Domini mundans Wintoniensis ecclesiæ, novi monasterii arcisterium [*forte*, asceterium. Hard. *hoc est*, monasterium] nostro salvatori ejusque genitrici semper virgini Mariæ, et omnibus apostolicis, cum cæteris sanctis, dicatum restauravi. Sciens scriptum : Consentientes et facientes pari constringuntur pœna rebellionis, Omnipotentis voluntati obviantes. Possessionem Domini usurpare non sustinens, clericos lascivientes repuli, ac veros Dei cultores monachico gradu fungentes, qui pro nostris nostrorumque inibi quiescentium excessibus sedulo intercederent servitio, quo eorum intercessionibus nostri regiminis status vigeret munitus, abbatem Christo cooperante eligens, Altithrono subjectus illic devote ordinavi. Hoc subnixe efflagitans deposco, ut quod in suis egi, hoc agat in mihi ab ipso collatis, scilicet adversarios nostros dejiciens, amicos sublimando provehat, ut inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ deprimens, amicos ejus monachos videlicet beatificans justificavi.

X. *De illorum anathemate qui monachis insidiantur.*

Si autem qualibet occasione, diabolo instigante, contigerit, ut fastu superbientis arrogantiæ, dejecti canonici, monachorum gregem, quem ego venerans cum pastore in Dei constitui possessione, dejicere insidiando voluerint, agatur de eis et de omnibus qui quolibet munere cæcati juvamen eis impenderint, quod actum est de angelis superbientibus, et de protoplasto diaboli fraude seducto, ut paradisi videlicet limitibus [*forte*, liminibus. Hard.] sublimibusque cœlorum sedilibus ejecti, cum iis qui Domini famulatum aspernantes contempserunt, barathri incendiis detrusi, jugi crucientur miseria. Nec inde evulsi se glorientur evasisse tormenta, sed cum Juda Christi proditore ejusque complicibus, Acheronte conglutinati, frigore stridentes, fervore perusti, lætitia privati, mœrore anxii, catenis igneis compediti, lictorum metu perculsi, scelerum memoria confusi, totius bonitatis recordatione semoti, æterno lugubres puniantur cruciatu.

XI. *Item de anathemate insidiantium.*

Qui autem jam prædictos novi Wintoniensis ecclesiæ cœnobii monachos, vel quoslibet ejusdem ordinis nostro regimine degentes, monasteriis, quæ vitiorum spurcitiis expurgans, Jesu Christo Domino nostro, victo dæmone, acquisivi, eliminare præsumens voluerit, anathema sit; et eadem maledictione qua Cain parricida, qui fratrem suum Abel, stimulante invidia, lividus interemit mastigia, adductus est, sine termino teneatur obnoxius; atque in Dei persecutione continuo perseverans, in hac vita nullum dignitatis acquirat honorem, nec in futuro sine miseria nunquam persistat, sed cum Anania et Saphira una Styx porragine [*forte* voragine] ejulantem crucians complectatur.

XII. *De benedictione monachos venerantium.*

Quicunque prætitulatos monachos bonis quibuslibet locupletans ditare voluerit, Creator cunctitenens clementer eos eorumque progeniem totius ubertate prosperitatis hic et in futuro sæculo ditando locupletet. Scriptis decenter eorum in libro vitæ nominibus, cum Christo portionem in cœlorum habitaculis habeant, qui monachos suos, quos nostris congregatos temporibus possidet, vel verbis, vel factis, sanctitatis studio honoraverint.

XIII. *Quales et qualiter monachi in hoc monasterio conserventur.*

Regulares igitur monachi, non sæculares, in præfato, Christo comite, degentes monasterio, regulæ moribus obtemperent, Patres venerantes spirituales, sanctorum Patrum imitentur exempla, nil agentes, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum demonstravit norma. A sæcularibus igitur pompis remoti, toto nisu corporis custodiant et animæ castitatem. Humilitatis studio pollentes, et corpus parcimoniæ vigore minuentes, alacri constringant animo. Civium convivæ intra urbem perpetuo interdictu fieri erubescant. In civitate degentes, in refectorio pom-

paticas lascivasque sæcularium delicias ut melancholiam aporiantes, licitis charitatum utantur cibariis; extra refectorium autem minime, nisi in domo infirmorum ægroti decubuerint, edentes licite quæ jussi fuerint. Sacri summique ordinis hospites, si ratio exegerit, et peregrini ordinati, longo terrarum spatio venientes, ad abbatis mensam in refectorio cautissime invitentur; laicis in hospitio condecens exhibeatur humanitas. Monachorum quispiam manducandi vel bibendi cum eis secundum Patrum decreta licentiam non habeat; in refectorio autem edendi causa vel bibendi non introducantur, Pauperes, ut Christi, ingenti cordis suscipiantur tripudio.

XIV. *De abbatum electione.*

Divinarum studio Scripturarum luculentissime eruditi, orationum frequentia assidue occupati, charitatis amplexu lætissimi, fidei exercitio promptissimi, spe provehente sincerissimi, pace concorditer fixi, omniumque virtutum flore decorati, ad finem usque, cœptum tantæ bonitatis initium, Christo juvante, perducentes, eadem gloriosi fruantur libertate, quam beatus patronus Benedictus omnibus regulæ præcepto subjectis instituit, scilicet ut post abbatis obitum tunc temporis regentis, abbatem. . . . . ordinent congregatione, quem sibi omnis concors congregatio, sive pars quamvis minima congregationis, salubriori elegerit consilio.

XV. *Qualiter rex abbatem et monachos venerans muniat.*

Reges itaque, quicunque nostri fuerint successores, nullam extraneam personam jus tyrannidis super monachos exercentem imponant, ne forte Deus eos damnans, et regno deponat et vita. Electum vero a fratribus Christi vicarium dignanter suscipiant, eumque charitatis igne succensi locupletando venerentur; juvamen, inquantum indiguerit, Christi amore compuncti, alacriter impendant. Mutuo namque confortati juvamine, in nullo a regulæ præceptis discordantes, Domini gregem, non mercenarii, sed pastores fidissimi, luporum rictibus eximentes, intrepidi defendant.

XVI. *Qualiter abbas et monachi regem a dæmonum tentatione eripiant.*

Abbas autem armis succinctus spiritualibus, monachorum cuneo hinc inde vallatus, charismatum cœlestium rore perfusus, aereas dæmonum expugnans versutias, regem, omnemque sui regiminis clerum, Christo, cujus virtute dimicant, juvante, a rabida hostium persecutione invisibilium solerter spiritus gladia defendens, fidei scuto subtili protegens tutamine, robusto prælians triumpho, miles eripiat imperterritus.

XVII. *Qualiter rex abbatem et monachos ab hominum persecutione defendat.*

Rex itidem terrenus, cœlestis castra regis fortissimo roborans munimine, armis sæcularibus visibiles expugnans adversarios, hostiumque rabiem sævientium annihilando dejiciens, Conditoris sui pascua gregemque sollicita inexpugnabilis tueatur custodia, quatenus ad vitæ bravium perveniens, æternis tripudians fruatur bonis, quæ nec oculus videre aliquatenus potuit humanus, nec in hominis cor ullatenus ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.

XVIII. *De monasticæ possessionis libertate.*

Sint præfati monasterii rura, omnis monachorum possessio, in rebus magnis vel modicis, internis vel externis, in urbanis vel suburbanis, prædiis, campis, pratis, pascuis, silvis, molendinis, rivulorum cursibus, æterna libertate in Christi nomine ejusque Genitricis ditata.

XIX. *Quod nullus sæcularium monasterii possessionem illicite usurpet.*

Sæcularium quispiam ausu temerario jus tyrannidis non in Christi cultura præsumptuosus exerceat; non minuet, instigante diabolo, quod sancti Spiritus instinctu tam a me quam a prædecessoribus meis, necnon a catholicis utriusque sexus hominibus, largiflua concessum est dapsilitate.

XX. *De benedictione augentium.*

Augenti tribuat rerum cunctarum Opifex tranquillum vitæ præsentis excursum, longævum instantis temporis, futurum æternæ beatitudinis talionem, sufficientem victualium ubertatem, interminabile prosperitatis augmentum, copiosum virtutum omnium juvamen.

XXI. *De maledictione minuentium.*

Minuentem perpetua possideat miseria; in Domini manens persecutione, ejus Genitricis sanctorumque omnium incurrat offensam; præsentis vitæ adversitas illi semper eveniat; nulla eis bonitatis accidat prosperitas; omnia ejus peculia inimici astantes diripiant; in futuro autem, æterni miserrimum cum hædis in sinistra positum damnent cruciatus, si non satisfactione emendaverit congrua quod in Domini usurpans detraxit censura.

XXII. *Quibus modis sæcularibus obtemperent, et quod nullus reatus hoc Domini privilegium minuere valeat.*

Tribus tantummodo causis, sæcularibus obtemperent præceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arcisve constructione; alias æterna ditati glorientur libertate. Reatus quidpiam si, incitante dæmone, seductus, vel abbas, vel fratrum aliquis fragiliter, quod absit, contraxerit, justitia purgante secundum regulæ præceptum abolitus damnetur, maneatque præfatæ munificentiæ libertas Altithrono per nostram humilitatem oblata, ad monachorum usus gratuite sibi famulantium inviolabilis, æterna libertate jucunda, quia Deus, qui hanc privilegii largifluam donationem, locumque cum universa monachorum familia, juraque omnia sacro subjecta cœnobio possidet, nunquam reatum commisit, nec ullo unquam tempore committet. Sit igitur præfata libertas æterna, quia Deus libertatis possessor æternus est.

XXIII. *Quoties et quare in anni circulo hoc fratribus legatur privilegium.*

Anno incarnationis Dominicæ nongentesimo sexagesimo sexto scripta est hujus privilegii syngrapha, his testibus consentientibus, quorum inferius nomina ordinatim charaxantur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgar, divina largiente gratia, Anglorum basileus, hoc privilegii donum nostro largiens Redemptori, locoque ejus sanctissimo, primus omnium regum, monachorum inibi collegium constituens, manu propria signum hagiæ crucis imprimens confirmavi.

Ego Dunstan, Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, largifluam benevoli regis donationem venerans, crucis signaculo corroboravi.

Ego Eadmund, clytos legitimus præfati filius, crucis signaculum, infantuli florens ætate, propria indidi manu.

Ego Edward, eodem rege clyto procreatus, præfatam patris munificentiam crucis signo consolidavi.

Ego Ælfthryth, legitima præfati regis conjux, mea legatione monachos eodem loco rege annuente constituens, crucem impressi.

Ego Eadgifa, prædicti regis ava, hoc opus egregium crucis thaumate consolidavi.

Ego Oscytyl, Eboracensis Ecclesiæ archiepiscopus, firmavi.

Ego Athelwold, Ecclesiæ Wintoniensis episcopus, regis gloriosissimi benevolentiam, abbatem mea altum mediocritate, et alumnos quos educavi, illi commendans, crucis signaculo benedixi.

Ego Ælfstan, Londoniensis Ecclesiæ pontifex, consolidavi.

Ego Osulf, episcopus, confirmavi.

Ego Oswold, episcopus, consignavi.

Ego Bysentelm, episcopus, confirmavi.

Eælfstan, episcopus, consolidavi.

Ego Eadelm, episcopus, confirmavi.

Ego Athulf, episcopus, consignavi.

Ego Urynryge, episcopus, confirmavi.

Ærcwig, abbas, consolidavi.

Ego Osgar, abbas, consignavi.

Ego Orobyrihe, abbas.

Ego Ælfstan, abbas.

Ego Adelgar, abbas primus huic loco abbas ordinatus.

A Ego Osdgar, dux.

Ego Æthelstan, dux.

Ego Athelwine, dux.

Ego Æthelweard, m.

Ego Elfweard, m.

Ego Wulrtan, m.

Omnes qui nominatim huic privilegio regis jussu descripti videntur, posteritatis nostræ prosapiam subnixe deposcimus, ut manuum nostrarum vadimonium Christi cruce firmatum nequaquam violantes irritum faciant; si successorum quispiam humilitatis ausu violare præsumpserit, corporis et sanguinis Jesu Christi participatione privatus, perpetua damnatus perditione, anathema sit, nisi divino propitiante respectu ad humilem satisfactionem resipiscens B conversus fuerit.

ALIA CHARTA EDGARI REGIS,

Qua nullos unquam fuisse perhibet in Wintoniensi hoc cœnobio monachos, ante hos quos ipse jam introduxit e monasterio Abingtoniensi.

Annuente Altithroni moderatoris imperio totius Albionis triniatim potitus regimine, non immemor ob hoc recidiva fore concessa, ut his strenue æterna lucrarer; quapropter ego Edgar, totius Britanniæ basileus, quasdam villas, ut nominantur, Dunkitone habens, quinque hydas terræ, et ecclesiam Sueyse, cum viginti octo hydis terræ, et ecclesiam Titlescumbe cum decem hydis terræ, et quamdam ruris portionem, duos videlicet cassatos terræ, loco qui celebri C Wynterburna nuncupatur vocabulo, do et concedo in puram et perpetuam eleemosynam novæ Wintoniensi ecclesiæ, B. Petro apostolorum principi dicatæ, necnon S. Edotio, cujus reliquiæ inibi miraculis clarescunt, cum omnibus utensilibus, pratis videlicet, pascuis, rivulis, æterna largita sint hæreditate perspicuis, ut canonicos qui incorrigibiles perdurarent de ecclesia dicta ejeci, monachos de Abundonie loco substitui. Sint autem prædictæ villæ, rus, mansiones, terræ, rivuli, omni terrenæ servitutis jugo liberæ in perpetuum, tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arcisve restauratione. Si quis autem hanc nostram donationem in aliud quam constituimus transferre voluerit, privatus consortio sanctæ Dei Ecclesiæ, æternis barathri incendiis lugubris jugiter cum Juda Christi proditore ejusque complicibus puniatur, si non satisfactione emendaverit congrua quod contra nostrum deliquit decretum.

LEGES ECCLESIASTICÆ REGIS EDGARDI

Ut per se habentur in Saxonico libro, a sæcularibus disjunctæ, et a Lombardo versæ.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De immunitate Ecclesiæ, et debitis eidem reddendis.*

II. *De censu ecclesiastico, sive primitiis seminum.*

III. *De decimis.*

D IV. *De denario in domos singulas imposito.*

V. *De diebus festis, et jejunio.*

LEGES EDGARI REGIS.

Leges, quas Edgarus rex frequenti senatu ad

Dei gloriam, regiæ majestatis ornamentum ac reipublicæ utilitatem sancivit :

I. Primum, ecclesia Dei jura atque immunitates suas omnes habeto ; decimas quisque primariæ (cui is fuerit subjectus) ecclesiæ, ut ipsum quidem circumducitur aratrum, dato, sive id in prædiis thanorum propriis, sive in terris villicorum fuerit.

II. Thanus si in terra ex scripto possessa templum habuerit, circum quod fuerit destinatus sepulturæ locus, decimarum suarum trientem unum in id conferre ei integrum esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationi locus, dato qui est fundi dominus sacerdoti novem partium reliquiarum quantulum visum fuerit. Atque ex omni quidem ingenuorum terra, ipsæ seminum primitiæ, primariæ penduntor ecclesiæ.

III. Quisque fetuum decimas omnes ante Pentecosten persolvito ; terræ quidem fructuum decimas ante Æquinoctium pendito ; ipsas autem seminum primitias sub festum divi Martini reddito. Si quis non solverit, pœnas, ut judiciali libro proditum est, dato. Atque si quis decimas, ad eum quem diximus modum, dare noluerit, præpositus regius, illius loci episcopus, et sacerdos conveniunto, atque eo vel invito decimam ecclesiæ, cui debeatur, partem, nona ei reliqua facta, reddunto. Quod ad residuas octo partes attinet, quatuor dominus, quatuor episcopus habeto ; id quod fiat, sive is fuerit minister regis, sive thani alterius cujuscunque.

IV. Denarius autem in domos singulas impositus, ante festum divi Petri redditor. Qui tum non solverit, denarium illum ac alios præterea triginta ad Romam comportato, certaque litterarum testificatione, domum rediens, se eo detulisse confirmato, ac regi denique centum viginti solidos numerato. Si quis secundo non dederit, denarium illum ac præterea ter denos Romam deferat, regique postquam redierit ducentos solidos dependito. Sin tertio deliquerit, rebus suis omnibus exuitor.

V. Dies Sabbati ab ipsa diei Saturni hora pomeridiana tertia usque in lunaris diei diluculum festus agitor ; qui non celebrarit, pœnas in judiciali libro descriptas pendito. Cæteri autem dies perinde ut fuerint a sacerdote indicti, festi aguntor. Instituta etiam quam religiosissime observantor jejunia.

LEGUM ECCLESIASTICARUM EDGARI REGIS PRISCA VERSIO.

I. *De debitis Ecclesiæ reddendis.*
II. *De ecclesiis ubi est cœmeterium.*
III. *De terminis decimandis.*
IV. *De nolente decimas dare.*
V. *De non solventibus denarium S. Petri.*
VI. *De solemnitatibus et terminis observandis.*

Hoc est institutum quod Edgarus rex consilio sapientum suorum instituit Deo ad gloriam, et sibi ad regiam dignitatem, et genti suæ ad commodum.

I. Primum est, ut ecclesiæ Dei recti sui dignæ sint, et reddatur omnis decimatio ad matrem ecclesiam cui parochia adjacet de terra thaynorum et villanorum, sicut aratrum peragrabit.

II. Si quis thaynorum sit qui feodo suo ecclesiam habeat ubi cœmeterium sit, det ei tertiam partem decimæ suæ. Si non sit ibi atrium, det ex suis novem partibus presbytero quod vult, et etiam omne ciricsceatum ad matrem ecclesiam de omni libera domo.

III. Et omnis decimatio juventutis reddita sit ad Pentecosten, et terræ frugum ad Æquinoctium, et omne ciricsceatum ad festum S. Martini, per plenam forisfacturam quam judicialis liber dicit.

IV. Si quis decimam dare noluerit, sicut diximus, adest præpositus regis et episcopi sacerdos [*f.* et episcopus, et sacerdos, etc.] illius ecclesiæ, et reddat ecclesiæ cui pertinebit decimam suam, et nonam partem dimittant ei qui decimam suam detinuit, et octo partes in duo dividantur, dimidium domino, dimidium episcopo, sit homo regis, sit homo thayni.

V. Et omnis heordpen reddat ad festum S. Petri : et qui non solvit ad terminum illum, deferat eum Romam, et etiam triginta denarios, et afferat inde significationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti solidos. Et si iterum reddere nolit, deferat eum Romam, et emendationem eamdem. Et cum redierit, emendet centum viginti solidos regi. Ad tertiam vicem, si adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI. Et solemne diei Dominicæ conservetur ab hora nona Sabbati usque ad lucidum diei Lunæ, super forisfactura quam liber judiciorum dicit et docet. Et alia festivitas, sicut a sacerdote nuntiabitur. Et omne indictum jejunium cum omni devotione servetur.

CANONES EDITI SUB EDGARDO REGE,

ET AD LEGES SUAS PERTINENTES,

Ut in veterrimo manuscripto codice Saxonico collegii Corporis Christi Cantabrigiæ reperiuntur, in hoc frontispicio.

Hoc pertinet nunc ad Edgari institutum de sacris initiatorum vivendi formula.

I. Docemus ut Dei ministri sint devote Deo servientes, et ministrantes, et pro omni populo Christiano intercedentes, et ut omnes illi senioribus suis sint fideles et obedientes, et omnes promoti in communi necessitate, ac ut quilibet sit aliis auxilio et adjutorio tam coram Deo, quam coram hominibus, et ut sint etiam dominis suis mundanis fidi et veri.

II. Docemus etiam, ut quilibet honoret alterum, et juniores diligenter audiant seniores suos et ament, et seniores diligenter doceant juniores suos.

III. Docemus etiam, ut illi ad quamlibet synodum (abeant et) habeant quotannis libros et vestimenta ad servitium ecclesiasticum, et atramentum ac pergamenas ad eorum constitutiones, et trium dierum commeatum.

IV. Docemus etiam, ut sacerdos quilibet ad synodum (abiens) habeat clericum suum et aptum hominem pro ministro, et non ignotum aliquem, qui stultitiam amet, sed proficiscantur omnes in ordine et in Dei omnipotentis timore.

V. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos in synodo enuntiet, si quid ei noceat, et si aliquis magnam ipsi injuriam fecerit; et tunc illi omnes suscipiant quasi sibi omnibus factam, et adjuvent ad compensationem, prout episcopus annotaverit.

VI. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos in synodo enuntiet, si in parochia sua noscat aliquem erga Deum contumacem, vel qui in peccatum mortale malo inciderit, quem ad emendationem inclinare nequit, vel non audet propter sæculares.

VII. Docemus etiam, ut nullum negotium, quod inter sacerdotes est, deferatur ad judicium sæculare, sed componant, ac pacificent (illud) proprii illorum socii, vel transferant ad episcopum si opus fuerit.

VIII. Docemus etiam, ut nullus presbyter sponte ecclesiam deserat, cui consecratus erat, sed habeat eam pro legitima conjuge.

IX. Docemus etiam, ut nullus sacerdos faciat aliquid eorum, quæ ad alterum spectant; non in ecclesia ejus, nec in parochia ejus, neque in societate illius, neque in aliqua earum rerum quæ ad eum pertinent.

X. Docemus etiam, ut nullus sacerdos suscipiat alterius scholarem absque venia ejus quem prius sequebatur.

XI. Docemus etiam ut quilibet sacerdos augendæ scientiæ causa diligenter discat opificium.

XII. Docemus etiam, ut quis doctus sacerdos non A contumelia afficiat semidoctum, sed corrigat eum, si melius norit.

XIII. Docemus etiam, ut nullus sacerdos illustri loco natus, contemnat inferioris conditionis sacerdotem; si quis hoc recte contempletur, omnes homines ejusdem esse nativitatis (inveniet).

XIV. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos decenter se gerat, et non sit emptor injustus, nec avarus mercator.

XV. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos baptismum peragat, simul ac requiritur; et deinde in parochia sua præcipiat, ut quilibet infans baptizetur intra 37 dies; et ut nemo nimis diu ab episcopo confirmari differat.

XVI. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos Chri- B stianismum diligenter promoveat, et omnem gentilismum omnino exstinguat, et prohibeat fontium adorationem, et necromantiam, et auguria, et incantationes, et divinum hominis cultum, et offacias, quæ exercentur in variis prestigiis, et in tedis, et in sortilegiis, et in ulnis, et etiam in variis arboribus, et in saxis, et in multis aliis phantasmatibus, quibus multi eorum qui non deberent, decipiuntur.

XVII. Docemus etiam, ut quilibet Christianus infantem suum ad Christianismum diligenter adsuescat, et eum *Pater noster* et *Credo* doceat.

XVIII. Docemus etiam, ut diebus festis cessent profana cantica, et ludi diabolici.

XIX. Docemus etiam, ut cessent diebus Solis C mercaturæ et conventus populi.

XX. Docemus etiam, ut cessent falsa et stulta colloquia, et ignominiosæ tonsuræ.

XXI. Docemus etiam, ut cessent concubinatus, et amentur justa conjugia.

XXII. Docemus etiam, ut quilibet discat *Pater noster*, et *Credo*, si quando in consecrato cœmeterio jacere vel Eucharistiam sacram percipere velit; propterea quia is non est bonus Christianus, qui hoc discere non vult, nec jure potest alios e baptismate levare, nec episcopi manum accipere (in Confirmatione) nisi hoc prius addiscat.

XXIII. Docemus etiam, ut in diebus festis et statis jejuniis nulla omnino contentio sit inter quoscun- D que homines.

XXIV. Docemus etiam, ut in diebus festis et jejuniis juramenta et ordalia prætermittantur.

XXV. Docemus etiam, ut quilibet vir abstineat

ab uxore sua in diebus festis et statis jejuniis.

XXVI. Docemus etiam, ut presbyteri ecclesias custodiant cum omni veneratione ad ecclesiasticum ministerium, et ad purum servitium, et ad nullas alias res; neque sit aliquid inutile ibi, neque in vicinia; non permittantur vana colloquia, nec vanæ actiones, neque indecora compotatio, neque unquam alia vanitas, neque intra ecclesiæ sepem canis aliquis veniat, neque porcorum plures quam quis regere possit.

XXVII. Docemus etiam, ut nihil in ecclesia reponatur, quod ibidem indecens sit.

XXVIII. Docemus etiam, ut (omnes) in ecclesiæ encæniis valde sobrii sint, et diligenter orent, nec pocula, neque aliquid inutile ibi exerceant.

XXIX. Docemus etiam, ut in ecclesia nemo sepeliatur, nisi sciatur quod in vita Deo bene placuerit, ut inde judicetur, quod sit sepultura dignus.

XXX. Docemus etiam, ut sacerdos in nulla domo missam celebret, nisi in consecratis ecclesiis, præterquam ob extremam alicujus ægritudinem.

XXXI. Docemus etiam, ut sacerdos nunquam saltem missam celebret nisi super consecratum altare.

XXXII. Docemus etiam, ut sacerdos nunquam missam celebret absque libro, et sit canon ei ante oculos positus, si velit, ne forte impingat.

XXXIII. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos habeat corporalem vestem, cum missam celebrat, et subuculam sub alba sua, et omnia vestimenta missæ debite contexta.

XXXIV. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos diligenter curet, ut bonum et saltem justum librum habeat.

XXXV. Docemus etiam, ut nullus sacerdos solus missam celebret, si non habeat eum qui ipsi respondeat.

XXXVI. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos Eucharistiam accipiat jejunans, nisi ob extremam ægritudinem.

XXXVII. Docemus etiam, ut nullus sacerdos uno die sæpius quam ter ad summum missam celebret.

XXXVIII. Docemus etiam, ut sacerdos semper habeat paratam Eucharistiam, prout opus fuerit, et hanc diligenter in puritate custodiat, et caveat ne inveterescat, si autem inveteraverit, ut accipi nequeat, tunc comburatur in puro igne, et cineres sub altari condantur, et diligenter apud Deum emendet, qui hoc neglexit.

XXXIX. Docemus etiam, ut sacerdos nunquam præsumat missam celebrare, nisi omnia habeat, quæ ad S. Eucharistiam pertinent, hoc est puram oblationem, et vinum purum, et aquam puram. Væ illi qui missam inchoat antequam hæc omnia habeat! Et væ illi qui impurum quid addit illis! hoc simile esset ei quod Judæi fecerunt, cum acetum et fel simul miscerent, et illud postea Christo in ludibrium porrigerent.

XL. Docemus etiam, quod sacerdos nunquam sit dignus missam celebrare, qui non ipse S. Eucharistiam percipit; nec consecratum unquam denuo consecretur.

XLI. Docemus etiam, ut quilibet calix fusus sit, in quo S. Eucharistia consecretur, et in ligneo nunquam consecretur.

XLII. Docemus etiam, ut omnia, quæ altari appropinquant, et ad ecclesiam pertinent, sint valde pura, et digne disposita, et nihil (impurum) appropinquet illud, sed reponatur sanctuarium valde honorifice, et semper lumen ardeat in ecclesia, cum missa decantatur.

XLIII. Docemus etiam, ut non negligatur aliquid consecratum, non aqua consecrata, nec sal, nec thus, nec panis, nec aliquid sanctum.

XLIV. Docemus etiam, ut nulla uxor altare appropinquet, quandiu missa celebratur.

XLV. Docemus etiam, ut justo statu tempore campana pulsetur, et sacerdos quilibet cantum suum horarium in ecclesia psallat, et ibi cum Dei timore sedulo oret, et pro omni populo intercedat.

XLVI. Docemus etiam, ut sacerdos sæcularis, vel conventualis aliquis, non veniat intra ostium ecclesiæ, nec intra sacrarium, absque superpelliceo suo, neque saltem ad altare, ut ibi ministret absque vestitu illo.

XLVII. Docemus etiam, ut nullus sacris initiatus homo tonsuram suam consecret, nec eam male tonderi permittat, nec barbam suam per aliquod tempus alat, siquidem benedictionem Dei, et S. Petri, et nostram habere velit.

XLVIII. Docemus etiam, ut omnes sacerdotes festis diebus et jejuniis unanimes sint, et omnes uno modo orent, ne populum in errorem ducant.

XLIX. Docemus etiam, ut quodlibet jejunium eleemosynis honorificetur, hoc est, ut quisquis ex devotione erga Deum eleemosynam sedulo dare velit, tunc jejunium ipsius Deo sit gratius

L. Docemus etiam, ut sacerdotes in ecclesiæ ministeriis omnes simul operam navent, et sit æquale salarium in anni spatio in omnibus ecclesiæ ministeriis.

LI. Docemus etiam, ut sacerdotes juventutem sedulo doceant, et ad opificia trahant, ut Ecclesiæ auxilium (inde) habeant.

LII. Docemus etiam, ut sacerdotes quolibet die Solis ad populum prædicent, et semper bonum iis præbeant exemplum.

LIII. Docemus etiam, ut nullus Christianus sanguinem comedat alicujus generis.

LIV. Docemus etiam, ut sacerdotes populum admoneant ejus, quod sedulo Deo facere debent, ut justi sint in reddendis decimis et aliis rebus, primo aratri eleemosynis 15 dies a Paschate, et fœtuum decimis ad Pentecosten, et frugum terræ ad omnium sanctorum (festum), et denarii S. Petri

au Petri festum, et census ecclesiæ ad Martini festum.

LV. Docemus etiam, ut sacerdotes ita populi eleemosynam distribuant, ut illis tam Deum propitium reddant, quam populum ad eleemosynas assuescant.

LVI. Docemus etiam, ut sacerdotes psalmos cantent, cum eleemosynas distribuunt, et pauperes diligenter orent, ut his pro populo intercedant sedulo.

LVII. Docemus etiam, ut sacerdotes sibi caveant ab ebrietate, et illam diligenter reprehendendo interdicant aliis hominibus.

LVIII. Docemus etiam, ut nullus sacerdos sit cerevisiarius, nec aliquo modo scurram agat secum ipso, vel aliis; sed sit, sicut ordinem ejus decet, prudens et venerandus.

LIX. Docemus etiam, ut sacerdotes a juramento sedulo sibi caveant, et illud valde etiam prohibeant.

LX. Docemus etiam, ut nullus sacerdos mulierum consortium nimis amet, sed diligat legitimam suam uxorem, id est Ecclesiam suam.

LXI. Docemus etiam, ut nullus sacerdos adstet falso testimonio, neque a consiliis furum sit.

LXII. Docemus etiam, ut sacerdos nunquam ordalia visitet, aut juramenta.

LXIII. Docemus etiam, ut sacerdos contra thanum non juret in compurgatione, nisi thanus præjuraverit.

LXIV. Docemus etiam, ut sacerdos non sit venator, neque accipitrarius, neque potator, sed incumbat libris suis, sicut ordinem ipsius decet.

LXV. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos confessionem et pœnitentiam doceat eum qui ipsi confitetur, et ad emendationem quoque adjuvet, et ægroto S. Eucharistiam præbeat, cum ei opus est, et ungat illum quoque, si hoc desideret, et post obitum diligenter involvat; neque permittatur aliquid vanum circa corpus, sed cum Dei timore decenter sepeliatur.

LXVI. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos oleum habeat tam ad baptismum, quam ad ægrotos inungendos; sit etiam paratus jus populi et Christianismum sedulo promovere quovis modo tam bene prædicando, quam bonum exemplum præbendo; tunc largietur ei Deus omnipotens quod ipsi maxime acceptum erit.

LXVII. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos norit respondere, cum chrisma tollit, quid in orationibus pro rege et episcopo fecerit.

DE CONFESSIONE.

I. Quando aliquis voluerit confessionem facere peccatorum suorum, viriliter agat, et non erubescat confiteri scelera, et facinora se accusando; quia inde venit indulgentia, et quia sine confessione nulla est venia. Confessio enim sanat, confessio justificat.

A *Magna hic lacuna, sive spatium in ms. codice, cui cætera alias inserturus videbatur scriba.*

Præveniat hunc famulum tuum, quæso, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur per Jesum Christum Dominum nostrum.

Exaudi, quæso, Domine, supplicum preces clamantium ad te, quæso, Domine.

II. Quicunque est medicus animarum hominum et earum actiones norit, studeat divisionem et discrimen, quomodo hominum actionibus pœnitentiam injungat; attamen non condemnet eos, neque desperare faciat. Cum homo delicta sua ei confiteri vult, exaudiat eum primo patienter, quam prudens ipsius sit intentio; si velit et possit humiliter actio-
B nes suas confiteri, et tu percipias, quod pœniteat peccatorum suorum, doce ipsum amanter et cum misericordia. Si non possit actiones suas confiteri et reatus suos examinare,

III. Interroga eum de moribus ipsius, et extorque reatus illius, et expone actiones ejus, et cogita quod nunquam debeas eodem modo judicare divites et pauperes, liberos et servos, senes et juvenes, sanos et infirmos, humiles et superbos, fortes et debiles, sacris initiatos et laicos.

Quodlibet factum judex prudens discernere debet prudenter, quando factum sit, et ubi, vel quando; nullo tempore injustum permissum est, attamen quis diebus festis et jejuniis et locis festivis quam diligentissime ab eo sibi caveat. Et quanto potentioris
C et majoris ordinis homo sit, tanto gravius coram Deo et coram mundo injustitiam emendare debet, quoniam potens et impotens non possunt æqualia onera habere, nec infirmus firmo similis esse; hi ergo sunt distinguendi et discrete discernendi.

IV. Posthæc surgat humiliter ad confessorem suum, et dicat primo : Ego credo in Dominum, summum Patrem, omnium rerum gubernatorem, et in Filium, et in Spiritum sanctum; et ego credo vivere post mortem; et ego credo resurgere in die judicii, et omne hoc credo per Dei potentiam et misericordiam ejus mereri.

V. Et tunc dicat animo pœnitenti et humili confessionem suam confessario suo, inclinans humiliter,
D et sic dicat :

Ego confiteor omnipotenti Deo, et confessario meo, spirituali medico, omnia peccata mea, quibus per malignitatem spiritus unquam pollutus fui, sive in factis, sive in cogitationibus, sive cum masculis, sive cum feminis, vel cum aliqua creatura, peccata naturalia sive præternaturalia.

VI. Confiteor gastrimargiam ciborum tam mane quam vespere. Confiteor omnem avaritiam, et invidiam, et detractionem, et bilingue vitium, mendacium, et injustam gloriam, et vaniloquium, et injustam magnificentiam, et omnem superbiam, quæ ad corporis mei pravum consilium accidit. Confiteor quod nimis sæpe fuerim peccati auctor, et peccati fautor, et peccati conscius, et peccati doctor.

VII. Confiteor animi mei homicidium, et perjuria, et seditionem, et superbiam, neglectum præceptum Dei. Confiteor omnia, quæ unquam oculis vidi ad avaritiam vel ad detractionem, vel auribus ad inutilia audivi, vel ore meo vana locutus sum.

VIII. Confiteor omnia corporis mei peccata, cutis, et carnis, et opis, et nervorum, et renum, et cartilaginum, et linguæ, et labiorum, et faucium, et dentium, et comæ et medullæ, et rei cujusque mollis vel duræ, humidæ vel siccæ. Confiteor quod baptisma meum pejus servaverim quam Domino meo sum pollicitus, et ordinem meum, quem in amorem Dei et sanctorum ipsius debebam custodire, et in meam ipsius æternam salutem ego non custodivi debito modo. Confiteor quod horas meas canonicas sæpius neglexerim, et pejeraverim in dominorum meorum animam, et Domini mei nomen in vanum sumpserim.

IX. Omnium (peccatorum) rogo a Domino meo remissionem ut nunquam diabolus mihi insidietur, ut absque confessione et emendatione peccatorum meorum (non moriar), sicut hodie confiteor omnes meos reatus coram Domino Salvatore Christo, qui gubernat cœlum et terram, et coram hoc sancto altari, et his reliquiis, et coram confessario meo, et Domini presbytero, et sum in pura et in vera confessione, et in bona voluntate omnia mea peccata emendare, et deinde taliter abstinere, qualiter unquam possim.

X. Et tu, Salvator Christe, sis misericors animæ meæ, et remitte ac dele peccata mea, et reatus meos, quæ olim vel unquam antea commisi, et duc me ad sublime tuum regnum, et ibi habitem cum sanctis tuis et electis absque fine in æternum. Jam te oro humiliter, sacerdos Domini, ut sis testis meus in die judicii, ut diabolus nequeat in me potestatem habere, et ut tu apud Dominum sis advocatus meus, quod peccata mea et reatus meos emendem, et ab aliis hujusmodi abstineam : ad hoc adjuvet me Dominus, qui vivit et regnat in æternum. Amen.

MODUS IMPONENDI PŒNITENTIAM.

I. Senex et juvenis, dives et pauper, sanus et infirmus, et cujuscunque ordinis, et si quis aliquid invitus peccaverit, non sit similis ei qui voluntarie et sponte de industria peccavit; et si quis etiam necessitate coactus deliquerit, sit protectione et correctione legis semper dignus, quia necessitate coactus erat ad id quod perpetravit.

II. Quodlibet factum distinguendum est caute coram Deo et coram mundo.

Hi ritus observantur trans mare, hoc est :

III. Ut quilibet episcopus sit in sede sua episcopali die Mercurii, quem appellamus caput jejunii; tunc quilibet illorum, qui peccatis mortalibus pollutus est, in illa provincia ad eum veniat illo die, et peccata sua ei fateatur, et ille tunc doceat eum pœnitentiam, juxta quamlibet reatus rationem; qui si magnæ sit enormitatis, removeatur ab ecclesiastica communione, attamen ad propriam necessitatem excitetur, et admoneatur, et ipse sic cum venia ejus domum revertatur.

IV. Et inde die Jovis ante Pascha omnes ad suum quilibet locum congregentur, et cantet super eum episcopus, et absolutionem det; et ille sic postea domum revertatur cum episcopi benedictione : hoc ita observandum est ab omni Christianorum populo.

V. Attamen sacerdos diligenter considerare debet, quali cum contritione, et quali cum perfectione pœnitentiam, quæ ipsi imposita erat, compensaverit, et quomodo ipsi remissionem dare debeat.

VI. Si laicus alium occidat sine causa, jejunet VII annos, III pane et aqua, IV, sicuti confessarius eum docuerit, et post septem annos compenset; postea diligenter lugeat delictum suum, qua poterit industria, quoniam incognitum est quomodo accipiatur pœnitentia ejus apud Deum.

VII. Si quis alterum occidere velit, et nequeat voluntatem suam implere, jejunet tres annos, unum pane et aqua, et duos sicuti confessarius ipsius eum docuerit.

VIII. Si laicus invitus aliquem occidat, jejunet tres annos; unum pane et aqua, et duos sicut confessarius illius eum docuerit, et lugeat delictum suum semper.

IX. Si sit subdiaconus, jejunet sex annos. Si sit diaconus, jejunet septem annos. Si sit sacerdos, jejunet decem annos, et episcopus XII, et lugeat semper.

X. Si quis infantem suum occiderit invitus, jejunet quinque annos, tres pane et aqua, ut supra.

XI. Si episcopus vel sacerdos aliquem occiderit, perdat ordinem suum, et postea diligenter compenset.

XII. Si uxor infantem suum enecet intra se, vel postquam natus sit, potu vel aliis rebus, jejunet decem annos, tres pane et aqua, et septem prouti confessarius ejus ex misericordia ei sanciverit, et deinde illud lugeat.

XIII. Si quis mancipium suum occiderit, sine culpa in furore suo, jejunet tres annos.

XIV. Si mulier maritum suum verberet ex aliqua zelotypia, et ille inde moriatur, et ille sit innocens, jejunet septem annos, et si ille sit reus, jejunet tres annos, et lugeat dilectum suum semper.

XV. Si quis seipsum sponte occidat armis, vel aliqua diaboli instigatione, non est permissum ut pro tali homine missæ cantentur, neque cum aliquo psalmi cantu corpus terræ inferatur, neque in pura sepultura jaceat sepultus. Illud idem judicium faciendum est ei, qui pro reatu suo vitam suam tormentis finit, quales sunt fur, homicida et domini proditor.

XVI. Si quis se cum bestia polluit, vel masculus cum alio, si sit XX annorum, jejunet quindecim annos; et si vir uxorem suam habeat, et ipse 40 annos natus sit, et tale quid committat, abstineat, et jejunet quandiu in vivis est, et non præsumat Domini corpus percipere, antequam mors illum

avocet. Juvenis et insipiens acriter verberetur, qui tale quid commiserit.

XVII. Si quis adulterium committit, per septennium tribus diebus in hebdomada jejunet pane et aqua, sive sit uxor, sive maritus.

XVIII. Si quis conjugem suam deserit, et ducit aliam uxorem, adulterium committit, non concedatur ei aliquid eorum jurium, quæ ad Christianos pertinent, nec mortuo, nec vivo, nec sepeliatur homo hic cum Christianis. Et idem etiam uxori fiat. Et cognatorum, qui idem fecerint, perdat quilibet jus suum, nisi citius reverti et sedulo corrigere velint.

XIX. Si quis habeat uxorem et concubinam etiam, nullus sacerdos ei ullum aliquod officium præstet cum Christianis, nisi ad emendationem revertatur, unam retineat sibi sive uxorem, sive concubinam.

XX. Si vir cum alterius legitima uxore coeat, vel uxor cum alterius uxoris legitimo conjuge, jejunet septem annos, tres pane et aqua, et quatuor sicut confessarius eum docuerit, et lugeat delictum suum semper.

XXI. Si quæ uxor duos fratres in conjugium sumat, unum post alium, judicio obnoxii sunt illi, et seduli in pœnitentia sint quandiu vivunt, prout confessarius eorum docuerit ipsos; et in eorum obitu sacerdos faciat iis officium, sicut Christianis fit, si promiserint se melius emendare voluisse, si diutius vixissent.

XXII. Si quis in aliquo nefando peccati consortio permanserit, usquedum vitam suam finiat absque ulla resipiscentia; non novimus aliquod ei consilium suppeditare, nisi quod hoc ad Dei judicium pertineat, neque potest absolvi.

XXIII. Si uxor aliqua desponsata sit, non sit permissum ut aliquis alius vir eam illi eripiat; si quis hoc fecerit, sit excommunicatus.

XXIV. Si quis cum fraude sua uxorem vel virginem invitam rapuerit ad illicitum concubitum, sit ille excommunicatus.

XXV. Si quis illecebris suis alterius hominis pedissequam ab eo seducat scortationis causa, et cum illa invita coeat; si sit sacris initiatus homo, perdat ordinem suum; si sit laicus, sit excommunicatus ab omnibus Christianis officiis.

XXVI. Si quæ virgo desponsata est, et hoc temporis intervallo abducatur, vel sub aliquo prætextu auferatur ab eo cui desponsata erat, et deinde accidat ut illa in conspectum ejus veniat, cum venia illi possunt coire, quoniam contra voluntatem suam illa ab eo aberat.

XXVII. Si femina consecrata sit, et deinde ad mundanam vanitatem revertatur, et familiam alat, et cogitet se ex possessione sua emendaturam esse quod a Deo declinaverit, hoc nihil est; sed deserat peccati consortium, et revertatur ad Christum, et vitam suam vivat, sicut confessarius illius docuerit, et diligentissime deinde delictum corrigat.

XXVIII. Si presbyter vel monachus hominem occiderit, perdat ordinem suum, et jejunet decem annos; quinque pane et aqua, et quinque tribus diebus per hebdomadam; et reliquis fruatur cibo suo, et lugeat delictum suum semper.

Diaconus octo pane et aqua, et reliquis ut supra.

Clericus IV annos; VI pane et aqua.

Laicus V annos; III pane et aqua, ut supra.

XXIX. Si quis sacris initiatum occiderit, vel proprium proximum cognatum, deserat terram et possessionem suam, et faciat sicuti papa instruxerit eum, et lugeat semper.

XXX. Si presbyter vel monachus concubitum lascivum exerceat, vel conjugium violet, jejunet X annos, et lugeat semper. Diaconus VII, clericus VI, Laicus V [annis] ut propter homicidium.

XXXI. Si presbyter vel monachus vel diaconus legitimam uxorem habet, antequam consecratus sit, eam deserat et ordines recipiat, et postea propter concubitum illam sæpe recipiat, jejunet quilibet eorum tanquam pro homicidio, et valde lugeant.

XXXII. Si sacerdos, vel monachus vel diaconus vel laicus vel clericus cum monacha coeat, jejunet quilibet, prouti ordini suo convenit tanquam pro homicidio, et semper a carne abstineat; et monialis decem annos, uti etiam sacerdos, et lugeant semper.

XXXIII. Si quis cum moniali coire vellet, et ipsa nollet, jejunet unum annum pro injusta illa voluntate pane et aqua. Si quis vellet coire cum alterius legitima uxore, et ipsa nollet, jejunet unum annum pro injusta illa voluntate pane et aqua.

XXXIV. Si quis coire vellet cum alterius legitima conjuge, et ipsa nollet, jejunet tres quadragesimas pane et aqua, unam in æstate, aliam in autumno, tertiam in hieme.

XXXV. Si quis velit cum uxore injuste coire, jejunet XL dies pane et aqua.

XXXVI. Si quis alium cum filia sua deprehendat, compenset apud [puellæ] amicos, et uterque jejunet unum annum diebus Mercurii et Veneris quandiu vixerit, et lugeat semper delictum suum.

XXXVII. Si quis cum bestia coeat, jejunet XV annos; octo pane et aqua, et septem alios quolibet anno tribus diebus quadragesimis, et diebus Mercurii et Veneris, quandiu vixerit, et lugeat semper delictum suum.

XXXVIII. Si quis seipsum propria de voluntate polluat, jejunet tribus annis; quolibet tribus quadragesimis pane et aqua, et abstineat a carne singulis diebus, excepto die Solis.

XXXIX. Si quis alium veneficio occidat, jejunet septem annos, tres pane et aqua, et quatuor alios annos tribus diebus per hebdomadam pane et aqua; et lugeat semper.

XL. Si quis homini paxillum infigat, jejunet tres annos; unum pane et aqua, et duos tribus diebus per

hebdomadam pane et aqua; et si homo propter paxillum illum moriatur, tunc jejunet septem annis; sicuti hic ascriptum est, et lugeat delictum suum semper.

XLI. Si quis veneficio utatur ad alterius amorem (sibi conciliandum) et ei (illud) det in esu vel in potu, vel in arte incantandi, si sit laicus, jejunet dimidium anni diebus Mercurii et Veneris pane et aqua, et aliis diebus utatur cibo suo, excepta carne. Clericus unum annum, ut supra, tribus diebus per hebdomadam pane et aqua. Diaconus tres annos, ut supra. Presbyter quinque annos; unum eorum pane et aqua, et quatuor quolibet die Veneris pane et aqua, et aliis diebus abstineat a carne.

XLII. Si quis turpiter in præternaturalibus rebus contra Dei creaturam per aliquam rem se polluerit ipsum, lugeat semper quandiu vixerit, juxta illud quod factum est.

XLIII. Si quis in somno infantem suum comprimat, ut moriatur, jejunet tres annos; unum pane et aqua, et biennium tribus diebus per hebdomadem; et si per ebrietatem factus sit, compenset gravius, sicut confessarius ipsius docuerit, et lugeat illud semper.

XLIV. Si infirmus infans ethnicus (id est absque baptismo) decedat, et hoc ex sacerdotis procrastinatione sit, perdat ordinem suum, et sedulo hoc corrigat; et si id per negligentiam amicorum fiat, jejunent tres annos, unum pane et aqua, et biennium tribus diebus per septimanam, et lugeant hoc semper.

XLV. Si quis Christianum ad ethnicismum vendat, non sit dignus aliqua requie cum Christianis, nisi ipsum deinde domum redemerit, quem antea vendiderat foris; et si hoc facere nequit, dividatur pretium illud totum, Dei gratia, et alium redimat alio pretio, et eum tunc dimittat, et ad hæc augeat compensationem tres annos integros, sicuti confessarius illum docuerit. Et si pecuniam non habeat qua hominem redimere posset, compenset gravius, hoc est, septem annos integros, et lugeat semper.

XLVI. Si quis seipsum valde labefactet multifariis peccatis, et ille deinde ab eis abstinere et sedulo corrigere velit, inclinet ad monasterium, et serviat ibi semper Deo et hominibus, sicuti docetur, vel a patria longe peregrinetur, et pœnitentiam agat semper, quandiu vixerit, atque salutem quærat animæ suæ saltem in terra per gravissimam compensationem, quam unquam experiri possit, prouti docetur.

DE PŒNITENTIA.

I. In hac confessione valde conducit alicujus theologi necessarium auxilium, sicuti omnino bonus medicus est ægroti hominis medela.

II. Per concupiscentiam homo sæpe peccat, et haud raro per diaboli instigationem; et hoc est terribile, quod sacris initiati tam graviter apud Deum peccent, ut ordinem amittant.

III. Et ad hoc corrigendum opus est rigida pœnitentia, semper tamen juxta ordinis et juxta peccati modum, secundum leges canonicas. Et etiam quærendum est de hominis viribus, et de [satisfactionis] ejus modo, et de ipsiusmet animi compunctione. Aliqui pœnitentiam agant annum; aliqui plus anno; et deinde pro delicti modo, aliqui pœniteant mensem, aliqui plus mense; aliqui septimanam pœniteant, aliqui plus septimana; aliqui diem pœniteant, et aliqui plus die, et aliqui omnes vitæ suæ dies.

IV. Si medicus gravia vulnera bene curare debet, adhibeat oportet bona medicamenta; nulla vulnera sunt adeo mala quam vulnera peccati, quoniam iis homo meretur æternam mortem, nisi per confessionem, et per abstinentiam, et per pœnitentiam sanetur.

V. Tunc medicus debet esse sapiens et prudens, qui vulnera curare debet. Per bonam doctrinam prius curetur, et hoc facto expurgetur venenum quod in eo est, hoc est, ut seipsum prius purget per confessionem.

VI. Omnis homo evomere debet peccata per bonam doctrinam cum confessione, eodem modo ac fit lethalis morbus per bonam potionem.

VII. Non potest aliquis medicus bene curare antequam venenum excesserit, neque homo aliquis etiam pœnitentiam bene docere potest eum, qui confiteri nolit, neque aliquis homo peccata absque confessione corrigere potest; sicut minus bene curari potest qui lethale quid exhausit, nisi venenum omnino evomat.

VIII. Post confessionem per pœnitentiam quis Dei misericordiam potest cito mereri, si cum interiori corde plangat, et lugeat quod per diaboli instigationem antea seductus sit ad injustitiam.

IX. Prudentem confessarium valde etiam decet prudens pœnitentia, sicut omnino boni medici est ægrum hominem curare. De compensatione necessarii usus et de operibus hominis inquiri debet secundum leges canonicas, et ratio statui etiam pro viribus, et pro modo, et pro eo, qui agnoscit cordis sui luctum et sollicitudinem propriam

X. Gravis pœnitentia est, quod laicus arma sua deponat, et nudus pedibus longe peregrinetur, et non pernoctetur alicubi, et jejunet et valde vigilet, et oret diligenter die ac nocte, et volens se fatiget, et ita incultus sit, ut ferro nec crines nec ungues tangat.

XI. Nec ut ingrediatur thermas, nec lectum mollem, nec gustet carnem, nec aliquid ejus unde ebrius esse possit; non ingrediatur ecclesias, attamen locum sanctum diligenter quærat, et reatum suum confiteatur, et intercessionem roget; et neminem osculetur, sed semper peccata sua valde lugeat.

XII. Crudeliter agit qui seipsum hoc modo damnat, attamen beatus est, ille, si nulli alii rei invigilet, quam ut plene (peccata) corrigat; quoniam nullus homo in mundo adeo valde Deum peccatis offendit, quin apud Deum emendare queat, si hoc sedulo aggrediatur.

XIII. Pœnitentiæ fiunt variis modis, et multi homines eleemosynis (eam) redimere possunt.

XIV. Si quis ad hoc facultates habeat, erigat ecclesiam in laudem Dei ; et si præterea valeat, adjiciat terram, et admittat decem juniores, qui ibi pro eo servire, et ibi quotidie Deo possint ministrare ; et instauret etiam Dei ecclesiam ubique pro facultate sua, et instauret vias publicas pontibus super aquas profundans, et super cœnosas vias, et distribuat, Dei causa, diligenter id quod habet juxta facultatum suarum rationem, et adjuvet diligenter pauperes, viduas, et orphanos et peregrinos ; manumittat servos suos proprios, et redimat ab aliis hominibus servorum suorum libertatem, ac saltem pauperes bello vastatos, et pascatur egenos, et vestiat hospitio, et foco, balneo, et lectis eos prospiciat, et in sui ipsius necessitatem ubique diligenter intercessionem faciat in missarum et psalmorum cantibus, et semetipsum ex devotione erga Dominum suum castiget quam acerrime per abstinentiam a cibo et potu, et quacunque corporali concupiscentia.

XV. Et si quis autem minus facultatum habeat, diligenter pro viribus suis faciat quod potest ; decimet in Dei timore omne quod habet, et examinet seipsum, quoties opportune poterit, et sæpe visitet cum eleemosynis suis ecclesias, et sanctificet locum cum salutatione candelari, et concedat hospitium, et cibum, et protectionem eis quibus opus est, et ignem ac alimentum, et lectum ac balneum, et faciat vestiri et adjuvari pauperes quantum potest.

XVI. Visitet ex amore Dei ægros animo, et ægrotos, ac mortuos sepeliat ex devotione erga Deum, et ipse in occultis locis in genua provolvatur sæpe, et super terram totam se prosternat sæpe ac crebro, et jejunet ac vigilet, et diligenter oret die et nocte sæpe ac crebro. Et si quis minus adhuc minus facultatum habeat, pro viribus suis faciat sedulo quidquid potest, saltem labore conterat corpus suum adversus libidinem. Si prius per mollem libidinem diabolo placuerit, jejunet nunc, econtrario, quod id prius per injustam ingluviem perpetraverat ; vigilet et laboret contrario, quod prius sæpe somnolentus et piger fuerit, cum non deberet, vel inutiliter nimis vigilaverit ; sustineat frigus et balneum frigidum contra æstum, quem per cupidinem suam ubique excitavit. Et si aliquem ubique injuste sponte exacerbaverit, compenset diligenter ; et si aliquis eum offendat, libenter remittat ex timore Dei, et semper, quantum poterit, cogitet diligentissime quidquid compensationis loco facere possit contra singula peccata, quæ per diaboli semen prius adoleverant ; et si de via aliquem ad lucrandum quidquam deduxerit, ducat eum diligenter postea in rectam viam. Hoc est quod ego volo ; si aliquem ad peccatum incitaverit, faciat ei sicut necessarium est, deducat eum inde, et ducat illum in rectam viam et quemlibet diligenter debortetur a peccatis ; tunc statim peccata ipsius erunt leviora.

XVII. Idem judicium potest quis cum confessarii consilio sibi ipsi judicare, qui constanter a peccatis suis abstinere, et peccata sua corrigere vult, distribuat ex devotione erga Deum omne quod habet, et deserat cum iis totam terram et patriam, et omnem mundi amorem, et serviat Domino suo die et nocte, et laboret quam maxime potest contra propriam cupidinem omnes vitæ suæ dies. Quid amplius facere potest, quam ut hortetur (proprii commodi causa) quemlibet hominem ad jus, quam potest diligentissime.

Hic indicitur quomodo ægrotus jejunium suum redimere debet.

XVIII. Unius diei jejunium uno denario redimi potest : quilibet homo potest unius diei jejunium redimere ducentis et viginti psalmis ; quilibet homo XII mensium jejunium redimere potest 30 solidis, vel si aliquem (e carcere) liberet, qui tanti æstimetur. Et pro unius diei jejunio, ut cantetur sex vicibus : *Beati immacul.* et sex vicibus *Pater noster* et pro unius diei jejunio, ut genua flectantur, et incurventur LX vicibus ad terram cum *Pater noster*. Potest etiam aliquis unius diei jejunium redimere, si omnia membra extendat ad Deum in orationibus suis, et cum vera contritione, et cum fide recta, et XV vicibus cantet *Miserere mei, Deus*, et XV vicibus *Pater noster*. Et tunc ei concessa sit potius diei allevatio peccatorum.

XIX. Septennale jejunium quis XII mensibus compensare potest, si quotidie cantando finiat psalterii psalmos, et itidem nocte, et I vespere. Redimi potest etiam per unam missam XII dierum jejunium ; et per decem missas allevari potest IV mensium jejunium, et per 30 missas allevari potest XII mensium jejunium, si velit ex vero Dei amore pro seipso intercedere, et peccata sua confessario suo confiteri, et eadem corrigere, prout ille eum docuerit, et diligenter semper ab iis abstinere.

DE MAGNATIBUS.

I. Ita vir potens et amicorum dives pœnitentiam suam auxilio amicorum multum allevare potest. Primo in Dei nomine per confessarii sui testimonium ostendat veram fidem, et condonet omnibus illis qui erga eum peccaverunt, et faciat confessionem suam intrepide, et polliceatur abstinentiam, et suscipiat pœnitentiam cum multo gemitu.

II. Deponat tunc arma sua et inanem vestium cultum, et sumat scipionem in manus, et eat sedulo nudus pedibus, et corpori induat lanea, vel cilicia, et non ingrediatur lectum, sed jaceat in area, et faciat, ut VII annorum numerus intra tres dies ita temperetur ; primo accipiat in auxilium sibi 12 homines, et jejunent tres dies pane et viridibus oleribus, et aqua, et conquirat sibi ad consummandum illud, quomodocunque potest, septies 120 homines, qui jejunent singuli pro eo tribus diebus ; tunc jejunantur tot jejunia quot sunt dies in VII annis.

III. Cum quis jejunat, distribuat fercula, quibus ipse uti deberet, omnibus Dei pauperibus, et tribus

diebus, quibus jejunat, negligat mundi negotia, et die ac nocte quam sæpissime potest in ecclesiis habitet, et ibi cum eleemosynario lumine vigilet diligenter, et ad Deum clamet, et remissionem petat animo gementi, et sæpe genua flectat super crucis signum ; interdum erigat se, interdum se prosternat, et diligenter noscat vir potens lacrymas fundere, et peccata deflere. Et pascat tribus diebus pauperes quotquot maxime potest, et quarto die abluat omnes, et hospitio excipiat, et pecuniam donet, et ipse pœnitentiam agens sit circa lotionem pedum eorum (occupatus), et missæ dicantur eo die pro ipso tot quot unquam obtineri possunt, et illarum missarum tempore detur ei absolutio, et tum sanctam Eucharistiam percipiat, nisi nimium gravis sit peccator, ut adhuc (eam percipere) nequeat : et tunc pollicetur saltem quod semper [abhinc Dei voluntatem peragere velit, et ab omni injustitia per Dei auxilium imposterum abstinere, Christianismum quam strenue unquam potest, juste tenere, et omnem gentilismum omnino abjicere, animum et mores, verba et opera sedulo corrigere, omnem justitiam colere, et injustitiam evitare per Dei auxilium, quam diligentissime unquam possit. Et maximo suo commodo faciet ille, qui hoc præstiterit, quod Deo pollicitus erat.

IV. Hæc est potentis viri et amicorum divitis pœnitentiæ allevatio ; ast infirmus non potest ita procedere, sed debet in seipso illud exquirere diligentius. Et hoc est etiam æquissimum, ut quilibet propria sua delicta diligenti correctione ulciscatur in seipso : Scriptum est enim « Quia unusquisque onus suum portabit. »

LEGES ECCLESIASTICÆ REGIS EDGARI.

Ex ms. coll. Corp. Chr. Cantabr. § 28 et k. 2.)

EADGARI LEGES.

Hoc est institutum quod Eadgarus cum sapientum suorum consilio instituit in gloriam Dei, et sibi ipsi in dignitatem regiam, et in utilitatem omni populo suo.

1. *De immunitate ecclesiæ, et debitis eidem reddendis.*

Hoc sit igitur primum quod ecclesiæ Dei jure suo dignæ sint, et dentur omnes decimæ primariæ ecclesiæ ad quam parochia pertinet ; et tunc præstetur sive de terra thani, sive de terra villanorum, prouti aratrum circumducitur.

II. *De censu ecclesiastico.*

Si quis thanorum sit qui in feodo suo ecclesiam habet, in qua sit cœmeterium, det tunc tertiam partem [propriarum decimarum suarum ecclesiæ suæ. Si quis ecclesiam habet in qua non sit cœmeterium, tunc ex novem partibus presbytero suo det quidquid velit, et transeat quilibet ecclesiasticus census ad primariam ecclesiam de qualibet terra libera.

III. *De decimis.*

Et singulæ fetuum decimæ præstentur ad Pentecosten, et terræ frugum ad æquinoctium. Et quilibet census ecclesiasticus præstetur ad festum Martini, per plenam mulctam, quamlibet judicialis adnotat. Et si quis decimam præstare nolit, sicuti diximus, proficiscatur ad eum. Præfectus regis, et episcopi, et ecclesiæ presbyter, et sumant, invito eo, decimam partem, quæ ad ecclesiam pertinet, et assignent ei nonam partem, et dividantur octo partes in duo, et capiat dominus dimidium, dimidium episcopus, sive sit regis sive thani minister.

IV. *De nummo in singulas domos imposito.*

Et quilibet nummus in domos singulas impositus, detur ad Petri festum diem, et qui ad illum terminum (eum) non solverit, portet eum Romam, et alios præterea 30 denarios, et referat inde testimonium quod ibi tot tradiderit. Et tunc domum reversus, solvat regi 120 solidos, et si eum iterum solvere nolit, portet illum deinde Romam, et simile quid compenset, et tunc domum reversus, solvat regi ducentos solidos. Si tertia vice reddere nolit, perdat omne quod habet.

V. *De festis diebus et jejuniis.*

Quodlibet diei solis festum celebretur ab hora pomeridiana diei Saturni, usque ad diluculum diei lunæ, sub mulcta quam liber judicialis adnotat ; et singuli alii festi dies (celebrentur) sicut justum est. Et institutum jejunium servetur cum omni devotione.

ORATIO EDGARI REGIS

Ad Dunstanum *archiepiscopum Cantuariæ*, Oswaldum *Wigorniæ*, *et* Ethelwaldum *Wentanæ, episcopos.*

(Anno 967.)

Clericorum conjugatorum enumerat vitia, ejiciendosque decernit, et introducendos monachos. Curam rei his demandat episcopis regia fultis auctoritate.

Quoniam magnificavit misericordiam suam Dominus facere nobiscum, dignum est, o Patres reverendissimi, ut innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, et brachium nostrum non servavit nos, sed dextra ejus, et brachium sanctum ejus, quoniam complacuit illi in nobis. Justum proinde est, ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris, subjiciamus illi et nos et animas nostras, et, ut hi, quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non se-

gniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum æquitatis jure tractare, inter virum et proximum suum justum judicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum. Sed et meæ sollicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum et necessaria eorum procurare, ac saluti, et quieti, vel paci consulere. De quorum omnium moribus ad nos [*f.*, ad vos] spectat examen, si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos qui foris sunt; si divinis officiis solliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sint discreti. Pace vestra loquor, reverendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda et abominanda ad aures nostras de clericis pervenissent.

Taceo quod non est illis corona patens, nec tonsura conveniens; at in veste lascivia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis produnt insaniam. Præterea in divinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra missarum solemnia ad ludendum, subridendum magis quam ad psallendum, congregari videantur. Dicam quod boni lugent, mali rident; dicam dolens (et si tamen dici potest) quomodo diffluant in comessationibus, in ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, ut jam domus clericorum putentur postribula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus et cantus; ibi usque ad medium noctis spatium protractæ in clamore et horrore vigiliæ. Sic patrimonia regum, eleemosynæ pauperum, imo, quod magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt Patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus regius, detractis redditibus multis, elargitus est? ad hoc ecclesiis Christi agros et possessiones regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosa convivia præparentur, canes, ac aves, et talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant et saltant, et vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis! Ubi gladius Levi et zelus Simeonis, qui ut scorto abutentes filia Jacob, Sichimitas (eorum habentes figuram qui Christi ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circumcisos succiderunt? Ubi spiritus Moysis, qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Ubi pugio Phinees sacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens, sancta hac æmulatione Deum placavit iratum? Ubi spiritus Petri, cujus virtute perimitur avaritia, hæresis Simoniaca condemnatur?

Æmulamini, o sacerdotes, æmulamini vias Domini, et jusitias Dei nostri. Tempus insurgendi contra eos qui dissipaverunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri, gladium habetis in manibus. Jungamus dexteras, gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur sanctuarium Domini, et ministrent in templo filii Levi, qui dixit patri et matri: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro vos. Agite, quæso, sollicite, ne pœniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse quod dedimus; si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi. Moveant vos sanctorum reliquiæ, in quibus insultant; veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moveat vos antecessorum nostrorum mira devotio, quorum eleemosynis vesania clericalis abutitur. Proavus meus Edwardus, ut scitis, omnem terram suam ecclesiis et monasteriis decimavit. Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus, ut ecclesiam ditaret, non patrimonio, non sumptibus, non redditibus parcendum putavit. Avus meus senior Edwardus quanta contulerit ecclesiis, paternitatem vestram non latet. Pater meus, et frater, quibus donariis Christi altaria cumulaverint, meminisse vos decet.

O Pater Patrum, Dunstane, contemplare, quæso, Patris mei oculos ab illa lucida cœli plaga in te radiantes. Audi querulas ejus voces cum quadam pietate in tuis auribus resonantes: Tu mihi, Pater Dunstane, tu mihi de construendis monasteriis, de ecclesiis ædificandis, consilium salubre dedisti: tu mihi adjutor in omnibus et cooperator exstitisti: te quasi pastorem, patrem, et episcopum animæ meæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos unquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non sprevi? Si quid pauperibus erogandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum ecclesiis judicabas, non distuli. Si quid monachis clericisve deesse querebaris, supplevi. Æternam dicebas eleemosynam esse, nec aliam fructuosiorem, quam quod monasteriis ecclesiisve confertur, quo Dei servi sustententur, et quod superest, pauperibus erogetur. O pretiosam eleemosynam, et dignum animæ pretium! O peccatis nostris salubre remedium! quod a sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet, quod ejus auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit et purpura. Ecce, Pater, eleemosynarum fructus mearum, et tuæ permissionis effectus.

Quid huic querimoniæ respondebis? Scio, scio: Cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti atque increpasti. Contempta verba sunt, veniendum est ad verbera, et non deerit tibi potestas regia. Habes hic tecum venerabilem Patrem Ethelwaldum Wintoniensem episcopum; habes reverendum præsulem Wigorniensem Oswaldum; vobis istud committo negotium, ut et episcopali censura, et regia auctoritate, turpiter viventes de ecclesiis ejiciantur, et ordinate viventes introducantur.

CHARTA EDGARI REGIS

IN CONCILIO LONDONIENSI ANNO 970 VEL 972 DATA.

(Ex vetusto codice ms. Glastoniensi.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Quamvis decreta pontificum, et verba sacerdotum inconvulsis ligaminibus, velut fundamenta montium, fixa sunt, tamen plerumque tempestatibus et turbinibus sæcularium rerum religio sanctæ Ecclesiæ maculis reproborum dissipatur ac rumpitur. Idcirco profuturum succedentibus posteris esse decrevimus, ut ea quæ salubri consilio et communi assensu diffiniuntur nostris litteris roborata firmentur. Quapropter dignum videtur, ut ecclesia beatissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ Glastoniæ, sicut ex antiquo principalem in regno meo obtinet dignitatem, ita speciali quadam et singulari privilegii libertate per nos honoretur.

Hoc itaque Dunstano Dorobernensi atque Oswaldo Eboracensi archiepiscopo adhortantibus, consentiente etiam et annuente Brithelmo Fontanensi episcopo cæterisque episcopis, abbatibus et primatibus, ego Edgar, divina dispositione rex Anglorum, cæterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator et rector, in nomine almæ Trinitatis, pro anima patris mei, qui ibi requiescit, et antecessorum meorum, præsenti privilegio decerno, statuo, confirmo, ut prædictum monasterium omnisque possessio ejus ab omni tributo fiscalium negotiorum nunc et in perpetuum libera et quieta permaneant, et habeant socam et sacam, etc., ita libere et quiete sicut ego habeo in toto regno; eamdem quoque libertatem et potestatem quam ego in curia mea habeo, tam in dimittendo quam in puniendo, et in quibuslibet omnino negotiis, abbas et monachi prædicti monasterii in sua curia habeant. Si autem abbas vel quilibet monachus loci illius, latronem qui ad suspendium, vel quodlibet mortis periculum ducitur, in itinere obvium habuerit, potestatem habeat eripiendi eum ab imminenti periculo in toto regno meo.

Confirmo etiam et corroboro ut, quod hactenus ab omnibus nostris antecessoribus diligenter observatum est, Fontanensis episcopus, vel ejus ministri, super hoc monasterium, vel super parochiales ejusdem ecclesias, videlicet, Streete, Mirielinge, Budeclea, Schapwicke, Sowi, aut super eorum capellas, nec etiam super eas quæ insulis continentur, scilicet Bekeria, quæ parva Hibernia dicitur, Godeneja, Marteneseja, Ferramere, Padenebergia, et Adredeseja, nullam potestatem omnino habeant, nisi tantum cum ab abbate, causa dedicandi vel ordinandi, advocati fuerint, nec eorum presbyteros ad synodum suam, vel capitulum, vel ad quodlibet placitum convocent; nec ab officio divino suspendant, et omnino nullum jus in eos exercere præsumant. Monachos suos et prædictarum ecclesiarum clericos, secundum antiquæ Ecclesiæ Glastoniæ consuetudinem, et apostolicam auctoritatem, archipræsulis Dunstani, et omnium episcoporum regni mei assensu, abbas a quocunque comprovinciali episcopo voluerit ordinari faciat.

Dedicationes vero ecclesiarum, si ab abbate rogatus fuerit, Fontanensi episcopo permittimus. In Pascha quoque chrisma sanctificationis et oleum a Fontanensi episcopo ex more accipiat, et præfatis ecclesiis suis distribuat.

Hoc etiam super omnia Dei interdictione et nostra auctoritate (salva tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Dorobernensis dignitate) prohibeo, ne persona cujuscunque potestatis, sive rex, sive episcopus, sive dux aut princeps, vel quilibet ministrorum eorum, Glastoniæ terminos, vel supradictarum parochiarum, perscrutandi, rapiendi, placitandi gratia, vel quidquam aliud faciendi, quod contrarium possit esse ibidem servientibus, intrare præsumant; abbati tantummodo et conventui potestas sit, tam in notis causis quam in ignotis, in modicis et in magnis, et in omnibus omnino negotiis, sicut supra memoravimus. Quisquis autem hujus privilegii mei dignitatem qualibet occasione, cujuscunque dignitatis, cujuscunque ordinis, cujuscunque professionis, pervertere vel in irritum deducere sacrilega præsumptione amodo tentaverit, sciat se procul dubio ante districtum Judicem, titubantem tremebundumque rationem redditurum, nisi prius digna satisfactione emendare studuerit.

Acta est hæc privilegii pagina et confirmata apud Londoniam communi consilio omnium primatum meorum, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi nongentesimo septuagesimo primo, indictione quarta decima. Hujus doni constipulatores fuerunt, quorum nomina inferius charaxari videntur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgar, rex totius Britanniæ, præfatam libertatem cum sigillo sanctæ crucis confirmavi.

Ego Eilfgina, ejusdem regis mater, cum gaudio consensi.

Ego Edward, clyto (clytos) patris mei donum cum triumpho sanctæ crucis impressi.

Ego Kinedius, rex Albaniæ, acquievi.

Ego Mascusius archipirata confortavi.

Ego Dunstanus, Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, cum trophæo S. crucis, et cum suffraganeis præsulibus, regis donum corroboravi.

Ego Oswalde, Eboracensis Ecclesiæ primas, consentiens subscripsi.

Ego Ethellwolde, Wintoniensis Ecclesiæ minister, et Glastoniensis monachus, signum sanctæ crucis impressi.

Ego Britchtelm, Fontanensis episcopus, consentiens corroboravi.

Ego Ellstan episcopus confirmavi.

Ego Oswolde episcopus acquievi.

Ego Elfwolde episcopus concessi.

Ego Winsige episcopus cum signo sanctæ crucis conclusi.

Ego Segegar abbas vexillum sanctæ crucis impressi.

Ego Escwi abbas confirmavi.

Ego Ordgar abbas corroboravi.

Ego Ethelgar abbas concessi.

Ego Kinworde abbas consensi.

Ego Fideman abbas consolidavi.

Ego Elpheh abbas subscripsi.

Ego Adulf, Herefordensis Ecclesiæ catascopus, corroboravi.

A Ego Ellphere dux dominæ meæ sanctæ Mariæ Glastoniensis ecclesiæ libertatem omni devotione cum sigillo sanctæ crucis confirmavi.

Ego Oslac dux consensi.

Ego Ethelwine dux hoc donum triumphale hagiæ crucis propriæ manus depictione impressi.

Ego Oswolde minister confirmavi.

Ego Elwrde minister corroboravi.

Ego Ethelsie minister consensi.

Ego Ellfkie minister consensi.

Hanc privilegii paginam rex Edgarus, duodecimo anno regni sui, sacro scripto apud Londoniam, communi consilio optimatum suorum, confirmavit. Eodemque Joannes papa XIII hanc ipsam paginam Romæ in generali synodo auctorizavit : cunctosque B potioris dignitatis viros qui præfuerunt eidem concilio confirmare fecit, ad instantiam prædicti regis Edgari, et beati Dunstani, ac aliorum nobilium præscriptorum. Et ad supplementum firmioris securitatis, idem apostolicus dictum privilegium apostolica suffulsit auctoritate.

CHARTA EDGARI REGIS

Malmesburiensi cœnobio confecta anno 974.

Se indicat clericos sæculares ejecisse, monachosque vitæ regularis induxisse.

(13) Ego Edgarus, totius Albionis basileus, necnon maritimorum seu insulanorum regum circumhabitantium, adeo ut nullius progenitorum meorum subjectione, largiflua Dei gratia suppetente, sublimatus, quid imperii mei potissimum Regi regum dono darem, tanti memor honoris, solertius sæpe tractavi. Piæ igitur fautrix devotionis pervigili meæ studiositati superna subito insinuavit pietas, quæque in regno meo sancta restaurare monasteria, quæ velut muscivis scindulis, cariosisque tabulis, tigno tenus visibiliter diruta, sic (quod majus est) intus a servitio Dei ferme vacue fuerant neglecta. Idiotis nempe clericis ejectis, nullis regularis religionis disciplinæ subjectis, plurimis in locis sanctioris seriei, scilicet monachici habitus, præfeci pastores, ad ruinosa quæque templorum redintegranda opulentos eis fiscalium munerum exhibens sumptus. Quorum unum, nomine Eluricum, virum in omnibus ecclesiasticum, famosissimi constitui custodem cœnobii, quod Angli bifario vocitant onomate Maldemelsburh. Cui pro commoditate animæ meæ, ob Salvatoris nostri, ejusque Θεότοκου semper virginis Mariæ, necnon apostolorum Petri et Pauli, Aldelmique almi præsulis, honorem, particulam terræ, et nominatim terram cum pratis et silvis, munifica liberalitate restitui. Hæc a prædictis accommodata clericis a con- C tentioso injuste possessa est Edolnoto [*al.* Edelnodo] : sed superstitiosa subtilique ejus disceptatione a sapientibus meis audita, et conflictatione illius mendosa ab eisdem me præsente convicta, monasteriali a me reddita est usui, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo septuagesimo quarto, regno vero mei decimo quarto, regiæ conversationis primo. *Hæc Malmesburiensis.*

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgarus, totius Albionis finitimorumque regum basileus, cum signo sanctæ crucis istud chirographum confirmavi.

Ego Dunstanus, Dorobernensis archiepiscopus, istud donum regium hagiæ crucis trophæo corroboravi.

D Ego Oswaldus, Eboracensis archiepiscopus, subscripsi.

Ego Athelwoldus, episcopus Wintoniensis, consignavi.

Ego Lefwinus, Dorcacistrensis episcopus, consensi.

Ego Alstanus, episcopus Londoniensis, annui.

Ego Turketulus, abbas Croylandiæ, subnotavi.

Ego Athelgarus, abbas novi monasterii Wintoniæ, approbavi.

Ego Adulphus, abbas Burgensis, collaudavi.

(13) Ingulph. histor. Croyl., pag. 884. Malm. De gest. reg. lib. I, cap. 8.

Ego Alferus dux adfui.
Ego Athelwinus dux astiti.
Ego Britholdus dux aspexi.
Et alii.

LEGES PRESBYTERORUM NORTHUMBRENSIUM

Cum ad mores eorum corrigendos, tum ad ipsorum ministeria promovenda.

(*Ex ms. coll. Corp. Chr. Cantabr. S.* XVIII.)

I. Si quis presbytero alicui injuriam aliquam intulerit, omnes socii ejus cum auxilio episcopi diligenter compensationem curent, et sint ad quodcunque justum faciendum, uti scriptum est, *quasi cor unum et anima una.*

II. Et [quasi] Dei interdictum prohibemus, ut nullus sacerdos vel emat alterius ecclesiam vel recipiat, nisi is capitali crimine effecerit, ut altari deservire imposterum dignus non esset. Et si quis presbyter contrarium fecerit, perdat dignitatem suam et sociorum suorum amicitiam; et nullibi missam celebret, donec obtineat eam is qui jure illam possidere debeat, et solvat is qui injuriam fecit, XX oras episcopo, XII oras sacerdoti quem ex ecclesia sua ejecit, XII oras omnibus sociis, et perdat etiam pecuniam illam, si injuste aliquid pro alterius presbyteri ecclesia dederit. Quilibet etiam sacerdos inveniat sibi XII fidejussiones, quod leges presbyterorum debite observare velit.

III. Et si quis sacerdos delinquat, ac contra episcopi mandatum missam celebret, solvat pro [transgressione] mandati illius XX oras; et ad hæc etiam delictum illud compenset quod antea patravit.

IV. Si presbyter episcopi proprium edictum negligat, solvat XX oras.

V. Si presbyter tributum laicis det quod sacris initiatis debebat, solvat XX oras.

VI. Si presbyter archidiaconi edictum negligat, solvat XII oras.

VII. Si presbyter criminis sit reus, et absque archidiaconi edicto missam celebret, solvat XII oras.

VIII. Si presbyter baptismum vel confessionem negaverit, compenset hoc XII oris, et saltem apud Deum intercedat sedulo.

IX. Si presbyter justo tempore chrisma non quærat, solvat XII oras.

X. Quilibet infans mature baptizetur intra IX dies sub pœna VI orarum; et si infans paganus [*h. e.* absque baptismo] intra IX dies per negligentiam mortuus sit, emendent [parentes] apud Deum absque mulcta mundana; et si supra IX dies fuerit, emendent apud Deum, et solvant XII oras parocho illi quod ethnicus tandiu fuerit.

XI. Si presbyter populo male indicat festum vel jejunium, compenset apud Deum, et solvat XII oras.

XII. Si presbyter injuste extra diœcesim ordinem obtineat, solvat XII oras, et diaconus VI oras; et perdant ordinem suum, nisi diœcesanus episcopus ordinem illis confirmaverit.

XIII. Si presbyter in non consecratis ædibus missam celebret, solvat XII oras.

XIV. Si presbyter extra consecratum altare missam celebret, solvat XII oras.

XV. Si presbyter in ligneo calice Eucharistiam consecret, solvat XII oras.

XVI. Si presbyter absque vino missam celebret, solvat XII oras.

XVII. Si presbyter sanctam Eucharistiam negligat, solvat XII oras.

XVIII. Si presbyter sæpius quam ter uno die missam celebret, solvat XII oras.

XIX. Si quis ecclesiasticam pacem violet, compenset pro ecclesiæ dignitate et pro immunitate ejus.

XX. Si quis cum ecclesia mercaturam exerceat, compenset pœnam violatæ legis.

XXI. Si quis ecclesiam necessariis suis servire faciat, compenset hoc pœna violatæ legis.

XXII. Si quis presbyterum injuste ex ecclesia ejecerit, compenset hoc pœna violatæ legis.

XXIII. Si quis presbyterum vulneret, compensetur cura vulneris, et ad compensationem altaris propter ordinem illius dentur XII oræ; pro diacono VI oræ ad altaris compensationem.

XXIV. Si quis presbyterum occiderit, solvatur plena capitis æstimatio, et episcopo XXIV oræ in altaris compensationem; pro diacono XII oræ ad altaris compensationem.

XXV. Si presbyter ecclesiam dedecoret, unde omnis ejus gloria oriri debet, hoc compenset.

XXVI. Si presbyter rem indecentem in ecclesiam posuerit, hoc compenset.

XXVII. Si presbyter rem ecclesiæ ejecerit, hanc compenset.

XXVIII. Si presbyter sua sponte ecclesiam deserat, in qua ordinatus erat, hoc compenset.

XXIX. Si presbyter alium contempserit, vel eum illuserit verbo, vel facto, hoc compenset.

XXX. Si presbyter cum alio pugnet, compenset ei et episcopo.

XXXI. Si presbyter aliis in re injusta auxilio sit, compenset hoc.

XXXII. Si presbyter aliis justum auxilium deneget, hoc compenset.

XXXIII. Si presbyter alium non admoneat ejus quod noverit ipsi detrimento fore, hoc compenset.

XXXIV. Si presbyter barbam vel comam radere neglexerit, compenset.

XXXV. Si presbyter concubinam suam dimiserit, et aliam acceperit, anathema sit.

XXXVI. Si presbyter ad tempora constituta vices non pulset, vel horas non cantet, hoc compenset.

XXXVII. Si presbyter cum armis ecclesiam intraverit, hoc compenset.

XXXVIII. Si presbyter male absolverit anniversarium ecclesiæ ministerium interdiu vel noctu, illud compenset.

XXXIX. Si presbyter ordalium male disposuerit, compenset.

XL. Si presbyter tonsuram suam obvelet, emendet.

XLI. Si presbyter ebriosus, aut scurrilis, aut *calscop* fuerit, compenset.

XLII. Si presbyter inter vicinos in parochia sua aliquid occultaverit ad injustum regimen exercendum, hoc emendet.

XLIII. Si presbyter anniversarios ritus per oblivionem prætermiserit, emendet.

XLIV. Si presbyter synodum declinaverit, hoc compenset.

XLV. Si presbyter se justitiæ non submiserit, sed decreto episcopi repugnaverit : vel id corrigat, vel a communione separetur ordinatorum, et exuatur tam e societate sua, quam honore quolibet, ni se submiserit et luculentius satisfecerit.

XLVI. Si quis legem divinam vel humanam calumniatus fuerit, acriter corrigatur.

XLVII. Debemus omnes Deum unum venerari et diligere, unam etiam fidem Christianam tenere mordicus, omnemque paganismum unanimiter abjicere.

Si quis igitur posthac aliquem cognoverit qui superstitiones aliquas ethnicas exercuerit, sive per sortilegium, sive per torrem, vel qui veneficiis delectatur, aut idola colit : si thanus sit regius, x semimarcis plectitor, una scilicet medietate Christo, altera vero ipsi regi.

Si sit alius possessor prædiorum qui fecerit, vi hic semimarcas dependito, medietatem scilicet unam Christo, alteram fundi illius domino.

Si inferior quispiam qui færbena dicitur, II oras solvat.

Si thanus regis hoc in lite negaverit, nominentur ei XII compurgatores, et accipiat e consanguineis suis duodecim, duodecim etiam alienigenas. . . . . et si defecerit, lahslitam pendito x semimarcas.

Si possessor prædiorum hoc negaverit, accipiantur ei tot parium suorum, quot thano regis indicebantur : et si is defecerit, lahslitam pendito VI semimarcas.

Si cyrliscus (*id est* rusticus vel paganus) hoc in lite negaverit, accipiantur ei parium suorum quotquot prædictis aliis est indictum : et si is defecerit, lahslitam pendito XII oras.

XLVIII. Si superstitiosus ille conventus, qui *frithgear* dicitur, habitus fuerit in terra alicujus circa lapidem, arborem, fontem, vel nugas alias istius modi, pendat, qui hoc fecerit, legis violatæ mulctam, dimidium Christo, dimidium terræ domino ; et si terræ dominus noluerit auxilium præbere ad hoc corrigendum, habeant Christus et rex emendationem.

XLIX. Mercaturam in die solis exercere, et curias alicubi celebrare prohibemus, opus etiam quodlibet, et omnimodam vectionem, sive in plaustris, sive in equis, sive in aliis oneribus ferendis. Qui contra hoc deliquerit, liber mulctam solvat XII oras ; servus corium perdat, id est vapulet, ni sit viator necessitate compulsus, vel propter cibi inopiam, aut causa evitandi inimicos. In vigiliis festorum itinerari ex necessitate licet inter Eboracum et sex inde mille passus mensuratos.

L. Qui festa aut debita jejunia violaverit, XII oris luat.

LI. Volumus etiam ut omnis denarius Romanus integre solvatur ad cathedram episcopalem ante missam sancti Petri annuatim ; et præterea volumus ut in quilibet Wapentachio duo fideles thani et presbyter missalis unus, eligantur ad hunc colligendum, qui acceptum protinus tradant, interposito, si necesse fuerit, juramento.

Si vel thanus regis, vel quis alius fundi dominus hunc detinuerit, mulctam inferat x semimarcas, dimidium Christo, et dimidium regi.

Si villaticus aliquis hunc denarium aut celaverit, aut detinuerit, eum solvat dominus ejus prædialis ; et in compensationem bovem capiat villatici. Quod si dominus detrectaverit, accipiant Christus et rex XII oras in pleniorem emendationem.

Si decimas qui thanus est regis detinuerit, 10 pendito semimarcas, possessor prædiorum VI et cyrliscus seu paganus XII oras.

LII. Prohibemus etiam, ut a Deo est prohibitum, ut nemo habeat nisi uxorem unicam, et hanc utique debite conjugatam, et in conspectu publico datam antea : et ut nemo matrimonium contrahat in cognatione sua, scilicet infra gradum seu geniculum quartum, nec cum consponsali sua ad fontem sacrum. Si quis contrarium fecerit, careat Dei misericordia, ni resipiscat, et secundum arbitrium episcopi compensaverit. Sin ulterius in nequitia progrediens moriatur, honesta careat sepultura, et a Dei misericordia alienus sit.

LIII. Si quis cum moniali concubuerit, uterque pendat weram suam, id est capitis æstimationem, ipse scilicet atque illa ; et si in hoc moriantur absque pœnitentia, honesta careant sepultura, et a Dei misericordia alieni sint.

LIV. Si quis uxorem suam legitimo matrimonio viventem dimiserit, et aliam illegitime duxerit,

careat Dei misericordia, nisi emendaverit. Unusquisque autem juste teneat matrimonium suum dum uxor vixerit, nisi forte acciderit quod consilio episcopi separentur, ut divisim postea vivant in castitate.

LV. Si quis in posterum leges justas violaverit, assidue componat.

LVI. Debemus omnes Deum unum venerari et diligere, fidem unicam Christianam tenere mordicus, A omnemque paganismum penitus abjicere. Et volumus ut *land ceap et lah ceap*, et responsa prudentium, et verum testimonium, et justum judicium, et *fulloc et frum talu* firma permaneant: poculenta etiam, et esculenta, dominoque fundi debitæ rectitudines persolvantur; et una semper sit in populo Christianitas, et regnum unum.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

FRANCORUM REGUM, IMPERATORUM,

DIVISO IMPERIO,

CAPITULARIA

An. 840-921.

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Legum tom. I, pag. 374.)

LOTHARII I CONVENTUS INGELHEIMENSIS.

(*An.* 840, *Aug.* 25.)

Cum patre defuncto Lotharius in Germaniam rediisset, Flodoardo in Historia Remensi referente, ad Wormatiam occurrit ei Ebo, quondam Remorum archiepiscopus, cui imperator post aliquot dies sedem et diœcesim Remensem per edictum imperiale restituit. Cujus textus a Flodoardo servatus, episcoporum qui initio dissensionum ad Lotharium confluxerant nomina recenset in formula Udalrici Babenbergensis apud Eckhartum recisa.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius [1] divina ordinante providentia imperator augustus. Quia confessio delictorum non minus in adversis necessaria est quam in prosperis, et cor contritum et humiliatum Deus non despicit, gaudium etiam esse angelorum in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus pro quibus gaudere angelos in cœlo divino testimonio non ignoramus. Accusantes et reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit; qui meretricem non solum a legali damnatione eripuit, verum etiam publicanum humiliatum et accusantem se non condemnavit, sed magis justificando exaltavit; qui non dixit: *Omnis qui se humiliat non condemnabitur*, sed *exaltabitur*. Potesta- B tem ergo quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus ecclesiæ tuæ filiis, sedem ac diocesim Remensis urbis tibi, Ebo restituimus, ut pristino sanctæ largitatis apostolicæ pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expleta, solemni nostra a largitate recipiendo exerceas.

Drogo (1) episcopus assensi. Otgarius (2) archiepiscopus. Hecti (3) archiepiscopus. Amalwinus (4) archiepiscopus. Audax (5) archiepiscopus. Joseph (6) episcopus. Adalulfus (7) episcopus. David (8) episcopus. Rodingus (9) episcopus. Giselbertus (10) episcopus. Flotarius (11) episcopus. Badaradus (12) episcopus. Hagæno (13) episcopus. Hartgarius (14) episcopus. Ado (15) episcopus. Samuel (16) episcopus. C Rambertus (17) episcopus. Haiminus (18) episcopus.

VARIÆ LECTIONES.

[1] lotharius *Fl.*

NOTÆ.

(1) Mettensis.
(2) Moguntinus.
(3) Trevirensis.
(4) Vesontiensis.
(5) Tarantasiensis.
(6) Eporediensis.
(7) Gratianopolitanus.
(8) Lausannensis.
(9) Occurrit in Lupi epistola 11.
(10) Cf. Nithardi Hist. II, 2.
(11) Tullensis.
(12) Paderbornensis.
(13) Bergomensis.
(14) Leodiensis?
(15) Valentinus.
(16) Wormatiensis.
(17) Brixiensis.
(18) Cenedensis?

Ratoldus (19) presbyter vocatus episcopus. Amalricus (20) vocatus episcopus cum cæteris plurimis presbyteris ac diaconis publice assistentibus.

Actum in Engilenheim palatio publico in mense Junio 8 Kalendas Julii [1], regnante et imperante domno Hlothario cæsare anno reversionis ejus primo, successor patris factus in Francia, indictione tertia.

HLUDOWICI II ET KAROLI II PACTUM ARGENTORATENSE.

(*An.* 842, *Febr.* 14.)

Damus illud ex Nithardi Historia.

Hludowici adnuntiatio ad plebem lingua Theudisca.

Quotiens Lodharius me et hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando, usque ad internectionem delere conatus sit, nostis; cum autem nec fraternitas, nec christianitas, nec quodlibet ingenium, salva justitia ut pax inter nos esset, adjuvare posset, tandem coacti rem ad judicium omnipotentis Dei detulimus, ut suo nutu, quid cuique deberetur, contenti essemus. In quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores extitimus; is autem victus, una cum suis quo valuit secessit. Hinc vero fraterno amore correpti, necnon et super populum christianum compassi, persequi atque delere illos noluimus; sed actenus sicut et antea, ut saltem deinde cuique sua justitia cederetur, mandavimus. At ille posthæc non contentus judicio divino, sed hostili manu iterum et me et hunc fratrem meum persequi non cessat; insuper et populum nostrum incendiis, rapinis, cedibusque devastat: quamobrem nunc, necessitate coacti, convenimus; et quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc sacramentum inter nos in conspectu vestro juvare decrevimus. Non qualibet iniqua cupiditate illecti hoc agimus, sed ut certiores, si Deus nobis vestro adjutorio quietem dederit, de communi profectu simus; si autem, quod absit, sacramentum quod fratri meo juravero, violare præsumpsero, a subditione mea, necnon et a juramento quod mihi jurastis, unumquemque vestrum absolvo.

Karoli adnuntiatio lingua Romana.

Ejusdem argumenti ac adnuntiatio Hludowici.

Hludowici juramentum lingua Romana.

Pro Deo amur et pro Christian poblo et nostro commun salvament, dist di in avant, in quant Deus savir et podir me dunat, si salvaræio cist meon fradre Karlo, et in adjudha et in cadhuna cosa, si cum om per dreit son fradra salvar dist, in o quid il mi altresi fazet; et ab Ludher nul plaid numquam prindrai, qui meon vol cist meon fradre Karle in damno sit.

Karoli juramentum lingua Theudisca.

In Godes minna ind in thes christianes folches ind unser bedhero gealtnissi, fon thesemo dage frammordes, so fram so mir Got gewizci indi madh furgibit, so haldih tesan minan bruodher, soso man mit rehtu sinan bruodher scal, in thiu, thaz er mig sosoma duo; indi mit Ludheren in nohheiniu thing ne geganga, the minan willon imo ce scadhen werhen.

Sacramentum Francorum occidentalium lingua Romana.

Si Lodhuvigs sagrament, quæ son fradre Karlo jurat, conservat, et Karlus meos sendra de suo part non lo stanit, si io returnar non lint pois, ne io ne neuls cui eo returnar int pois, in nulla aiudha contra Lodhuwig nun li iver.

Sacramentum Francorum orientalium lingua Theudisca.

Oba Karl then eid, then er sineno bruodher Ludhuwige gesuor, geleistit, indi Ludhuwig min herro then er imo gesuor, forbrihchit, ob ih inan es irwenden ne mag, noh ih noh thero nohhein then ih es irwenden mag, widhar Karle imo ce follusti ne wirdhic.

KAROLI II CONVENTUS IN VILLA COLONIA.

(*An.* 843, *Nov.*)

Editum a Sirmondo et Baluzio ex codd. 1) Tiliano 2) reg. Paris. n. 4638 et 3b) Sancti Vincentii Mettensis, subsidio codicis 2 et 3) regii Paris. inter Supplementa Latina n. 75 sæc. x, qui præfationis loco hæc habet « Capitula ex conventu habito in villa quæ dicitur Colonia principis eorum ac ceterorum fidelium consensu prolata et confirmata et ab omnibus fidelibus necessariæ observanda, » recognovimus. Colonia villa *Coulaines* prope Cenomannos est.

Incipiunt capitula quæ acta sunt anno quarto regni domni Karoli gloriosi [2] regis, domni Hludowici imperatoris filii, in conventu habito in villa quæ dicitur Colonia : quæ etiam subscriptione ejusdem principis et episcoporum, ac cæterorum fidelium Dei, confirmata fuere, consensu Warini et aliorum optimatum, indictione VI (21).

Sancta Ecclesia, navis more, ut de prioribus seculis taceamus, ab initio suæ institutionis pelagus

VARIÆ LECTIONES.

[2] *ex sententia Cointii et Pagii legendum esse videtur* mense Augusto VIII Kal septembris. [3] *deest* 2.

NOTÆ.

(19) Strasburgensis designatus.

(20) Comensis designatus.

(21) Lege VII, quæ currebat mense Novembri, cum Karolus ex itinere Redonis, ubi die 13 Nov. Ottoni fideli chartam concessit, redux, conventum istum habuit. V. præfationem synodi Meldensis an. 845 habitæ.

seculi hujus diversa qualitate hactenus, Domino moderante, transegit; et modo tranquillitate gravis, amodo autem procellæ alicujus tempestate concussa, sed non usquequaque demersa; quin potius, excitato fidelium precibus Christo suo gubernatore, salubri libertatis securitate, atque optata donata serenitate. Unde etiam in partibus nostri orbis, quæ tempore divæ recordationis avi nostri, et sanctæ memoriæ domni ac genitoris nostri, aliquandiu fuerat pacis suavitate lætata, inimico homine, juxta sanctum evangelium, in agro dominico superseminante discordiæ zizania in medio tritici, Deo amatæ caritatis, adeo est diversis atque adversis vexata molestiis, ut non sine maxima difficultate, respectu divino, et fidelium Dei ac nostrorum [a] solatio, inter nos fratresque nostros pacificatio, et paterni regni ex consensu divisio, seu ejusdem sanctæ ecclesiæ ac fidelis populi tantorum laborum quantulacunque fieret respiratio. Processu vero temporis, ut solent post condensos aeris turbines nubium in pertranseundo remanere vestigia, restiterunt, fatemur, in nobis et in viris ecclesiasticis, necnon et in rei publicæ nostræ solatiatoribus, hujusmodi materiæ et fomites dissensionum, ut manifeste patesceret nos divina gratia indigere, ut omnes a contagio morbi pristini penitus exueremur, qua præventi eramus, ut infirmitatem communem videre possemus. Quapropter venientes in unum fideles nostri, tam in venerabili ordine clericali, quam et inlustres viri in nobili laicali habitu constituti, et zelo Dei accensi, memores etiam fidei quam ipsi et antecessores eorum nostris detulerunt prædecessoribus, ponentesque ante oculos dilectionem et fidelitatem quam nobis post defunctionem patris laudabiliter et continentissime servaverunt, secundum quod legitur in litteris divinitus inspiratis, hortatus est alter alterum, immo omnes se invicem monuerunt [b], ut cuncti universum animi rancorem pro quocunque conceptum negotio a corde propellerent, et in Dei voluntate ac sanctæ ecclesiæ competenti veneratione, seu nostra fidelitate servanda, atque debito honore et regia potestate stabilienda et conservanda, quin etiam sese in pacis concordia et vera amicitia copularent; quatenus divinæ clementiæ placerent obnixius, et de regis ac regni stabilitate et utilitate possent tractare sublimius, et suum atque totius populi communem profectum et tranquillitatem obtinerent propensius. Sicque Deo amabili atque laudabili conventu unanimiter ac rationabiliter perpetrato, nostræ mansuetudini suam devotionem et actionem fidelissime suggesserunt. Nos autem tanta fidelium erga dominationem nostram subtiliter perspecta benignitate, ut causa pro sui merito exigebat, eis condignas gratiarum actiones retulimus, et nos nostramque potestatem eorum bonæ convenientiæ per benevolentiam in A hoc facto, quod sine dubio ad præsentem et æternam tendit salutem, sociam et comitem fore tota devotione spopondimus, abdicatis omnibus, quantum patitur humana fragilitas, quæ persona nostri regiminis ignorantia seu juventute aut necessitate, contra convenientem sibi salubritatem et honestatem, usque modo egerat aut alterius astu contraxerat. Qua de re communiter inito consilio, hoc scriptum fieri proposuimus, quod etiam manuum omnium nostrorum subscriptione roborandum decrevimus. In quo quæ nobis nunc præcipue ad communem salutem, et regni soliditatem atque omnium nostrorum utilitatem, immo plenissimam honestatem visa sunt pertinere, conscripsimus: non loquentes diversarum immutatione personarum, ut B modo regalis sublimitas, modo episcopalis auctoritas, modo autem fidelium loquatur commoditas; sed secundum apostolum, sub uno capite Christo, ut revera unus homo, in unius ecclesiæ corpore, singuli autem alter alterius membra, quod prosit omnibus omnes unanimiter una voce loquamur, per eum et in eo qui dixit, et de quo dictum est: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

1. De honore videlicet et cultu Dei, atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo, sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, communiter Domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis domini ac genitoris nostri excultæ et honoratæ atque rebus ampliatæ fuerunt, C salva æquitatis ratione [c] ita permaneant, et quæ a nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cætero sub integritate sui serventur, et sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum, et debita privilegia, juxta reverendam auctoritatem obtineant; eisdem vero regalis potestas, et inlustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter et juste concurrant.

2. Honor etiam regius, et potestas regali dignitati competens, atque sinceritas et obtemperantia seniori debita, remota omni socordia et calliditate, seu qualibet indebita quorumcunque conjunctione contra honorem et potestatem atque salutem nostram, sive regni nostri soliditatem, nobis in omD nibus et ab omnibus [d], sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcunque contra nos et contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifeste cognoverit [e], si eum converti nequiverit, aperte prodat atque denotet. Et sic consilio atque auxilio episcopalis auctoritas et fidelium unanimitas, ut noster [f] honor et potestas regia inconvulsa permaneat, totis nisibus decertare et adjuvare procuret.

3. Quia vero debitum esse cognoscimus, ut a quibus honorem suscipimus, eos juxta dictum do-

VARIÆ LECTIONES.

[a] D. amatorum 2. [b] *deest* 2. [c] s. a. r. *desunt* 3. [d] et ab o. *desunt* 3. [e] agnoverit 2. [f] *deest* 3.

minicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cujuslibet ordinis aut dignitatis deinceps, nostro inconvenienti libitu aut alterius calliditate vel injusta cupiditate, promerito honore debere privare [10], nisi justitiæ [11] judicio et ratione atque æquitate dictante. Legem vero unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore nostrorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate et ordine, favente Deo [12], me observaturum perdono.

4. Quod ut facilius atque obnixius nostra auctoritas valeat [13] observare, omnes sicut in vestra bene memorabili [14] convenientia pepigistis, conservare studebitis. Immo etiam cuncti in postmodum sollicite præcavebunt, ne aliquis pro quacumque privata commoditate, aut reicienda cupiditate, sive alicujus consanguinitatis vel familiaritatis seu amicitiæ conjunctione, nobis immoderatius suggerat, vel postulationibus aut quolibet modo illiciat, ut contra justitiæ rationem [15] et nostri nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamus.

5. Et [16] si forte subreptum nobis quippiam ut homini fuerit, competenter et fideliter, prout sublimitati regiæ convenit et necessitatibus subjectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio ammonere curabit.

6. Tandem autem visum est nobis adnectere, ut si quis hoc fœdus concordiæ salubris, quod propter pacis caritatisque custodiam inivimus et cyrographi virtute subscripsimus, rebelli atque animo pertinaci inruperit, christiana dilectione admoneatur, et ad inconvulsum caritatis vinculum conservandum, quod qui temptaverit corrumpere, facilius poterit se ipsum disrumpere quam illud [17] possit inrumpere, juxta monita divina, ut resipiscat, hortetur. Et si audierit, fiat de societate fideli omnibus gaudium. Si vero obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas et regalis sublimitas, atque in caritatis connexione persistentium magnanimitas, secundum quod res et necessitas postulaverit ac ratio expetierit, seu qualitati [18] personæ convenerit, zelum suæ devotionis ferventissime exerat, et quod, inspirante Deo, agendum in omnem salutis et utilitatis atque honestatis partem judicaverit, inrefragabiliter peragat [19].

KAROLI II SYNODUS APUD TOLOSAM.

(*An.* 844 *Jun.*)

Sirmondi Baluziique editionem ope codicis 2) Paris. n. 4638 recognovimus.

Sequentia capitula acta sunt apud Tolosam civitatem, anno quarto regni domini Karoli, indictione VI [20], mense Junio, antequam illa quæ præcedunt facta fuerint secus Teudonis villam, et in Verno palatio et in Belvaco civitate : sed ideo ante illa posita sunt (22), quia et dignitate generalitatis et synodali præeminent auctoritate.

Hæc quæ sequuntur capitula, consulentes necessitati episcoporum Septimaniæ, et subjectorum eis presbyterorum providentes possibilitati, tractantes etiam sacri et juste inreprehensibilis ministerii honestatem, presbyterorum reclamatione commoniti, moderamine mansuetudinis nostræ usque ad diligentiorem tractatum synodi generalis decernimus.

1. Ut episcopi nullam inquietudinem sive exprobrationem presbyteris, aut aperte ingerendo, aut alia qualibet occasione machinando, pro eo quod se ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant; quia longa oppressio hujusmodi itineris eos fecit subire laborem.

2. Ut unum modium frumenti, et unum modium ordei, atque unum modium vini, cum mensura quæ publica et probata, ac generalis seu legitima, per civitatem et pagum atque vicinitatem habetur, episcopi a presbyteris accipiant, et frischingam sex valentem denarios, aut sex pro ea denarios, et non amplius exigant. Et si hæc non accipiunt, accipiant, si volunt, pro his omnibus duos solidos in denariis, sicut in Toletano et Bracharense consensu [21] episcopi considerasse dicuntur.

3. Ut presbyteri qui prope civitatem quinque miliaria commanent, per famulos suos prædictam dispensam reddi in civitate cui jusserit civitatis episcopus, faciant. Qui autem longius ab urbe commanent, statuant episcopi loca convenientia per decanias, sicut constituti sunt archipresbyteri, quo similiter et eadem propinquitate cæteri presbyteri per famulos suos debitam dispensam archipresbyteris aut episcoporum ministris convehant. Et procurent episcopi, ne ministri illorum presbyteros dehonorent, aut pignora inhoneste tollendo, vel locationem pro receptione dispensæ exigendo; sed cum gratiarum actione recipiant quæ presbyteri cum hilaritatis humanitate, juxta apostolum, conferre debebunt. Quod si ministri episcoporum presbyteros dehonoraverint, dignam illis exinde episcopi castigationem exhibeant; quoniam nisi fecerint, et ad nos iterum pro hoc se presbyteri reclamaverint, motus nostros qui culpabilis repertus fuerit, sentiet.

4. Ut in circuitione parœchiæ episcopi de cætero singulos presbyteros per singulas jacendo euntes ec-

VARIÆ LECTIONES.

[10] privari 3. [11] i. *adscripto* vel justo 3. [12] domino nostram magnificentiam observaturam promittimus 3 3b. [13] possit 3. [14] memoriali *Bell.* [15] justitiam et rationem Bal. [16] Ut 3. [17] illa 3. [18] qualitate 3. [19] agat 2. [20] *lege* VII. [21] consessu? concilio?

NOTÆ.

(22) Scil. in codice 4638 et inde in editt. Sirmondi et Baluzii.

clesiolas, sicut nactenus, non prædentur; cum scriptum sit eosdem evangelizare debere, non turpis lucri [21] gratia, ne vituperetur ministerium sanctum : sed considerent et denuntient loca sibi et populo convenientia; et illuc presbyteri, quotquot possibilitas et moderatio providerit, plebes suas adducant, et ibidem episcopi prædicent, confirment, et populi errata [22] inquirant ac corrigant. Iterum autem, quia dominica voce datur licentia qui evangelium adnuntiant, ut de evangelio vivant, licet Paulus apostolus nihil horum fuerit usus, presbyteri tale conjectum faciant, ut et episcopi solatium habeant, et ipsi non graventur. Quod ita nobis fieri posse videtur, videlicet ut quatuor presbyteri ad locum ubi quintus degit et episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant, et unusquisque eorum decem panes, et dimidium modium vini et frischingam de quatuor denariis, et pullos duos et ova decem, et modium unum de annona ad caballos, in subsidium benedictionis gratia præsentet episcopo. Et similiter quintus, in cujus domo episcopus residet, faciat: nec amplius ab eo exigatur, nisi forte ligna et utensilia in opus ministerii commodet. Quapropter episcopus providebit, ne domus aut sepes illius a ministris vastentur.

5. Ut semel in anno episcopi hanc circumitionem tempore congruo faciant. Et si amplius ministerium suum per diocesim agere voluerint, hanc tamen dispensam non amplius quam semel a presbyteris per annum accipiant.

6. Quod et si circumitionem in salutem et necessitatem populi quacumque de causa dimiserint, a presbyteris nec hanc dispensam neque pretium illius exigant, neque aliis aut suis domesticis aut amicis exigenda concedant. Et quando circumierint, et in domo presbyteri resederint, non sub occasione adfligendi presbyteros immoderate et non necessarie numerum famulorum adducant, neque vicinos ad pastum incongrue convocent. Quod et si cum caritate vocare voluerint, faciant; sed non amplius a presbyteris, vel sub occasione vendendi, vel alio quolibet modo, quam statutum est exigant, neque paraveredos aut alias exactiones tollant.

7. Ut episcopi parœchias presbyterorum, propter inhonestum et periculosum lucrum, non dividant. Sed si necessitas populi exegerit, ut plures fiant ecclesiæ aut statuantur altaria, cum ratione et auctoritate hoc faciant, scilicet ut si longitudo, aut periculum aquæ, vel sylvæ aut alicujus certæ rationis vel necessitatis causa poposcerit, ut populus et sexus infirmior, mulierum videlicet vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas, ad ecclesiam principalem non possit occurrere, et non est sic longe villa ut presbyter illic sine periculo ad tempus et congrue non possit venire, statuatur altare; et si ita populo complaceat, et commodum fuerit, ne sine ratione scandalizetur, parœchia maneat indivisa. Sin autem præfatæ causæ postulaverint, et populus non conductus, neque cupiditate vel invidia excitatus, sed rationabiliter adclamaverit ut ecclesia illis fieri et presbyter debeat ordinari, hoc episcopi episcopaliter, teste Deo, in conscientiæ puritate, cum ratione et auctoritate, sine intentione turpis lucri, mature consilio canoni co tractent, et utilitati ac saluti subjectæ plebis quæque agenda sunt peragant; et secundum quod subtraxerint cuilibet presbytero de parœchia, de dispensa quoque debita ab illo minus accipiant, et alteri, qui quod dividitur a parœchia, suscipit, sub hac eadem mensura imponant.

8. Ut episcopi sub occasione quasi auctoritatem habeant canonum, his constitutis excellentiæ nostræ nequaquam resultent, aut neglegant; sed potius canones ut intellegendi sunt intellegere et in cunctis observare procurent; quia si aliter fecerint, omnimodis et qualiter canones fidelium decimis agendum statuant, et qualiter intellegi ac observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, synodali dijudicatione et nostra regia auctoritate docebuntur.

9. Ut episcopi synodos a presbyteris, nisi sicut docet auctoritas canonum, duos scilicet, et per tempora constituta, non exigant: sed et in eisdem synodis non per occasionem, sed per veritatem ministerii sui, teste Deo, ad quod constituti sunt, presbyteros et tractent, et teneant, et absolvant.

HLOTHARII I, HLUDOWICI II ET KAROLI II CONVENTUS AD THEODONIS VILLAM.

(*An.* 844. *Oct.*)

Cum Lotharius, Ludovicus et Carolus, Prudentio Trecensi teste (*Monum. Germ.* SS. tom. I, p. 441 [*Patrologiæ* tom. CXV],), mense Octobri an. 844 ad Theodonis villam convenissent, capitula hæc ab episcopis oblata atque a principibus in conventu fidelium approbata sunt. Sirmondi et Baluzii editiones ope codicis 2) Bibl. reg. Paris. n. 4638 recognovimus. Codex regius inter Suppl. Latina n. 75 nonnisi excerpta habet, ita conventui in villa Colonia adnexa : « Ex capitulis vero in synodo apud Theotonis villam habitis quædam monenda subjungimus, quædam autem pro tempore tunc dicenda, nunc brevitati studentes recidimus, quædam etiam necessitati consulentes et ordini providentes, patrum sequentes consuetudinem, interposuimus, ita ab episcopis prolata principum et ceterorum fidelium saluti. »

Secuntur capitula quæ acta sunt in synodo secus Tendonis villam habita [23], *in loco qui dicitur Judicium* (25), *quando tres fratres gloriosi principes, Hlotharius videlicet, Hludowicus, et Karolus simul convenerunt, anno quinto regni Karoli, cui synodo Drogo, Metensis episcopus, præsedit consensu eorumdem*

VARIÆ LECTIONES.

[21] glueri 2. [22] *deest* 2. [23] habitam 2.

NOTÆ.

(25) Juditz villa, haud procul a Diedenhofen. Sirmond.

regum: quæ et ipsi principes ante se fidelesque eorum relecta capitula adprobaverunt, et se eadem servaturos, auxiliante Domino, promiserunt, mense Octobrio, indictione VII [25].

Navis sanctæ Ecclesiæ ab exordio suo variis sæpe perturbationibus mersa, sed excitato fidelium precibus gubernatore suo Christo nunquam est usquequaque demersa. Quæ quondam etiam, ut nunc videtur, pene conlapsa, progenitorum vestrorum studio et devotione, est auctore Deo juxta modum divinitus concessum recuperata. Unde immensas domino Deo nostro laudes referimus, qui et corda vestra ad intentionem similem excitavit, et post vestigia patrum vestrorum, quibus per temporale regnum ad æternum perveniatis, ire velle docuit et inspiravit. Vestræ nihilominus nobilissimæ dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus, quia ad evitandum et vestrum et nostrum [26] periculum, et ad communem totiusque populi providendam salvationem, bonam et beneplacitam Dei voluntatem subsequi, et divinum consilium, secundum præceptum Domini quo dicitur: *Interroga sacerdotes legem meam*; et, *Interroga patres tuos et adnuntiabunt tibi*, a nobis, quamquam indignis, Christi tamen vicariis, quærere et benigna devotione velut revera ex ore ipsius Dei, expectare dignamini. Quod humilitatis vestræ supernum donum sancta ecclesia cum tanto gaudio suscipit, ut de vobis etiam in consolatione sua sibi dictum a Domino aptare velit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*: id est [27], pro istorum [28] progenitoribus, qui te paterno affectu ditaverunt, et ampliaverunt, ac coluerunt, nati sunt tibi isti filii, qui in te et paterna munera resarciant, recuperent, et conservent, et te fideli devotione, ut bonæ indolis adolescentes, me super eos intendente eisque manum solatii porrigente, tueantur et excolant.

1. His ita præmissis, nobilissimi domini, ut cum pace vestra dicamus, quia constat hanc sanctam ecclesiam sanguine Christi redemptam et prædecessorum vestrorum [29] multo labore redintegratam ac adunatam atque gubernatam, vestra discordia esse discissam et perturbatam atque afflictam, videtur nobis, si et in præsenti feliciter regnare et in futuro cupitis esse salvi, et ab hac eadem ecclesia vobis ad gubernandum commissa, pro qua ex ministerio regali reddituri estis regi regum rationem in die judicii, tam multiplices ac perniciosas corruptionis pestilentias vultis amovere, et vigorem regium ac senioralem, et super vestros et super impugnantes potestatem vestram, optatis habere, caritatem illam quam apostolus docuit, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta inter vos studete habere; et quia sic habeatis, et fidelibus et infidelibus vestris omni virtute et puritate curate manifestare, sicut Dominus docuit, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*. Quæ non tantum verbo et lingua, sed potius remota quolibet modo omni occulta nocendi machinatione, aut, quod absit, aliena a caritate aperta impugnatione, quocumque quis indiget, pro viribus vero [30] consilio et prompto auxilio ab altero adjuvetur, quoniam scriptum est: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma*. Et ita in populum vobis commendatum, pro ista quæ hactenus operante per membra sua diabolo versata est discordia, pacem illam disseminate quam Christus in cœlum ascendens fidelibus suis munere magno reliquit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; sine qua nemo videbit Deum.

2. Quia bene nostis, ab illo qui solus merito et [31] rex et sacerdos fieri potuit, ita ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur, et scriptum esse liquido pervidetis: *Ubi non est gubernator, populus corruit*, et tanto periculosius, quanto anima plus est pretiosa quam corpus, canonum etiam inrefragabilis auctoritas super episcoporum ordinatione, et in populi ad custodiendum susceptí [32] vigilantia, ac sedium suarum tenaci stabilitate evidentissime præcipiat, ferventissime Dei legatione fungentes monemus, ut sedes quæ vestra discordia, ulterius nec nominanda, sine sacro episcopali ministerio et sine episcopis viduatæ manent, submota funditus peste symoniacæ hæreseos, sine dilatione, juxta auctoritatem canonicam, aut episcopos a Deo datos, et a vobis regulariter designatos et gratia sancti Spiritus consecratos, accipiant, aut quæ suis episcopis quacumque occasione privatæ sunt, canonice eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipiant.

3. Sacrum quoque monasticum ordinem, a Deo inspiratum et ab ipsis apostolis fundatum, seu a nominatissimis ac sanctissimis patribus excultum, atque per istud imperium a vestris piæ memoriæ prædecessoribus propagatum, et quædam etiam loca specialius venerabilia, contra omnem auctoritatem et rationem, ac patrum vestrorum seu regum præcedentium consuetudinem, laicorum curæ et potestati in maximo vestro periculo et illorum perditione, et Dei ac sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissime obsecramus, ut tam magnam offensam, et justam reprehensionem, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem, ab animabus vestris et a felicitate regni vestri pellatis, et loca venerabilia et habitum ac ordinem sacrum eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali et ecclesiastico vel monastico ordine religiosis seu et in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, et in scola Christi eruditis, ad custodiendum et providendum committatis; qui et quæ Dei sunt Deo, et quæ sunt Cæsari Cæsari reddant. Qui si minus perfecte et in divina religione et in rei publicæ utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores et utilio-

VARIÆ LECTIONES.

[25] *lege* VI. [26] n. et v. 2. [27] ideo 2. [28] justorum Bal. [29] nostrorum 2. [30] *deest* 2. [31] *deest* 2. [32] susceptæ 2.

res in locis eorum substituantur; et non propter pravorum nequitiam ordo religionis et loca sacratissima eis quibus licitum non est committantur; cum manifestissime Scriptura demonstret, Ozam morte damnatum, qui archam Domini quasi cadentem relevare voluit, quam vel contingere inlicitum ei fuit.

4. Occasionem etiam et fomitem, unde ordo ecclesiasticus et canonica forma atque monastica religio sæpe a longe superiori tempore, cum minus religiosos principes habuit, titubavit et pene conlabens deperiit; et iterum, cum devotos et in Dei zelo ferventes principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit et vigorem recepit, atque sui processus tempore ambulavit, quod non sine gravi dolore [33] et ultionis divinæ dicimus; in vestri regiminis tempore in destructionem, non in ædificationem sicut Paulus docuerat, accidisse conspicimus. Quod et nostris peccatis, qui dispensatores et pastores ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus; et eorum quorum factione res ista adeo male pullulavit et excrevit, alia præcedentia peccata hoc meruisse, pro certo auctoritate divina cognoscimus: ut qui nocebant, sicut scriptum est, noceant [34] adhuc, et qui in sordibus erant, sordescant [35] adhuc. Unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, et sanctos, quos intercessores pro suis peccatis habere debuerant, infensos haberent, et sacerdotes ac viros religiosos, seu Christi pauperes, quos oratores et reconciliatores sibi de suo promereri necesse fuerat, proclamatores adversum se fieri irritarent, et ad cumulum peccatorum suorum etiam illa peccata, unde in conspectu Dei [36] rationem in die terribilis judicii redderent, et augerent, quæ illi commiserunt qui eadem ipsa peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt, quas ecclesiasticarum rerum pervasores inconsulte et in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse ut dicimus, Dominus protestatur, dicens: *Peccata populi mei comedunt.* Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem divinam res ecclesiasticas indebite pervadunt, et nec intercessionis ope, nec prædicationis consilio, vel quocumque divino auxilio pro peccatis eorum qui eas dederant, laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire permittunt. De quo periculoso facto vos, christianissimi principes, venerabiliter admonemus et devotissime obsecramus, ut memores salutis vestræ, præsentis scilicet et æternæ, memores etiam largitatis progenitorum vestrorum erga sanctas ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt et sibi contrarios superaverunt, memores siquidem cum quanta religione, etiam ante Christi sanguinem, et in tempore famis in Ægypto, discretione sancti Joseph apud nefandum regem Pharaonem terra sacerdotalis extitit, innumera quoque scripturarum exempla, ut lacte ecclesiæ nutriti et scientiæ ipsius uberibus sufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Christi qui vos elegit et exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocius reconsuite et resarcite, et nec violenta ablatione, nec inlicitorum præceptorum confirmatione, res ab ecclesiis vobis ad tuendum et defensandum ac propagandum commissis, auferre tentate: sed ut sanctæ memoriæ avus et pater vester eas gubernandas vobis, fautore Deo, dimiserunt, redintegrate, et præcepta regalia earumdem ecclesiarum conservate ac confirmate; ne sicut intentavit Samuhel propheta ad Roboam filium Salomonis in conscissione pallii, præsens regnum, quod absit, vobis patrum labore adquisitum et hereditate relictum, a vobis ipse Christus dividat, et æternum regnum quod promisit non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies consideretis; quia si ad tempus illis displicueritis, cum vos Deo placebitis, in vobis ille quod promisit, implebit: *Cum placuerint*, inquiens, *Domino viæ hominis, omnes inimicos ejus convertet ad pacem.* Quod ut commodius valeatis implere, unusquisque vir ecclesiasticus, et intercessionis adjutorium, et solatii quo res publica indiget subsidium, juxta quantitatem rerum ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, prompte et ex animo parare, et impigre, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.

5. Et quia sancta ecclesia in area trituræ dominicæ docta, quædam novit redarguenda, quædam dissimulanda, quædam etiam gemenda usque ad tempus perferenda, perspeximus eo ferventiori zelo quo majora corrigenda sunt, vestram potestatem, et sacerdotalis consilii auctoritatem, quædam ad præsens ex asse non valere corrigere. Et ideo de canonicorum monasteriis et sanctimonialium quæ sub eadem forma vivere dicuntur, consideravimus, sicut apostolus Paulus dicit, *secundum indulgentiam, non secundum imperium*, ut si propter imminentem rei publicæ necessitatem laicis interim committuntur, episcopi providentia, in cujus parœchia consistunt, adjuncto sibi aliquo abbate viro religioso studeatur, qualiter restauratio locorum, et studium ac custodia officii et religionis, atque subsidium temporalis necessitatis, in eisdem locis degentibus juxta qualitatem et quantitatem moderationis adhibeatur et ministretur: et qui eadem loca tenuerint, eis inde, sicut et de aliis christianæ religionis negotiis, pro Christi et vestra reverentia, obediatur. Quod si quis non fecerit, provisorum curæ erit, ut ad vestram hoc notitiam referant, et vestra dominatio secundum sibi a Deo commissum ministerium pro modo culpæ, quæ emendanda sunt, corriget [37]. Per loca etiam monastica ejusdem ordinis provisores necesse erit disponere, cum vestra auctoritas eos qui vices

VARIÆ LECTIONES.

[33] *deest* 2. [34] *ita* 2. nocerent *B*. [35] *ita* 2. sordescerent *B*. [36] *deest* 2. [37] corrigantur 2.

Christi [38] secundum regulam divinitus dictatam in monasteriis agant, studuerit ordinare.

6. Petimus tandem, ut ordo ecclesiasticus in quibuscumque ei fuerit necesse rigorem salutis humanæ exerere, per potestatem vestram, et per ministerium ministrorum dominationis vestræ, secundum antiquam consuetudinem, suum vigorem recipiat; et populi generalitas una cum ecclesiastica devotione judicium, quod honor regis diligit, et justitiam, qua thronus ejus firmatur, per dispositionem vestram suscipiat; seu admonitione atque consilio sacerdotali A vestra sublimitas, et quisque in quolibet statu vel ordine, de rapinis et ceteris, quæ discordiæ malo acciderunt, præteritis erroribus, pœnitudinem gerat, et Domini reconciliationem expostulet. Quam facile omnis qui quæsierit inveniet, si in loco discordiæ plantata fuerit caritas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, eumque potius quam nos in consilio, non nostro, sed Dei, attendatis, qui dixit : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*

KAROLI II CONCILIUM IN VERNO PALATIO.

(*An.* 844, *Dec.*)

A Sirmondo et Baluzio ex codd. Tiliano et Pithœano editum, ope ejusdem codicis 2) bibl. reg. Paris. n. 4638 recognovimus. Capitula ea a Lupo Ferrariensi abbate conscripta fuisse, ex epistola ejus 42 Baluzius admonuit.

Canones concilii in Verno palatio habiti, ubi præsedit Ebroinus [39] *Pictavorum episcopus, et Wenilo Senonum archiepiscopus, necnon et Hludowicus sancti Dionysii abbas, et Hincmarus post Remorum episcopus, anno quinto regni domini nostri Karoli, filii Hludowici imperatoris, mense Dec., indictione 7* [40].

Gratias omnipotenti Deo referimus, inclyte rex Karole, nos episcopi et cæteri fideles qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus, quod deposita discordia, unde tot mala processerunt, quæ et enumerare longum est, et declinare adhuc impossibile, redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam et natura vobis et religione debetis : in qua ut semper maneatis, per Christum, qui pax nostra est, obsecramus; ut qui maximas res vestras discordia pene dilapsas videtis, concordia et fido adjutorio relevatas cito aspiciatis. Cedendum est enim Deo, de quo verissime continent litteræ : *Potestatem habet excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud;* et qui dignatione mirabili pollicetur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Cæterum, quia eodem Deo inspirante dignati estis jubere, ut de statu ecclesiæ, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum [41] confusus est, tractaremus, in nomine et adjutorio ejus, quæ communi deliberatione reperimus, celsitudini vestræ ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim nos justos approbare contendimus; consideratione conscientiæ nostræ illud Hieremiæ suppliciter dicamus : *Misericordia est Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.* Sed ad Deum reverti, et vos nobiscum trahere meditantes, officium nostrum exequimur, cunctis adquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostra, sed illius auctoritate loquimur qui ait : *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Absit autem, ut in vobis impleatur quod sequitur : *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* [42].

B 1. Itaque vos primo convenimus, ut, quia vestra probitas cunctis vobis potest prodesse subjectis, cultum Dei rebus omnibus præferatis. Namque ipse dicit : *Qui glorificant me, glorificabo eos. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Præterea misericordiam et judicium atque justitiam [43] conservetis; scilicet ut misericordia temperet severitatem potestatis, judicium comprimat obstinate peccantes, justitia merentibus digna restituat. Siquidem : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et : *Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore.* Et : *Honor regis judicium diligit* [44]. Et : *Justitia firmari thronum regis,* sapientissimi Salomonis, immo per eum loquentis Dei, prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel incrementam vobis, C ut credimus, vel justam de hostibus victoriam divina gratia providebit. Exemplo vobis esse possunt David et Ezechias, qui merito sanctitatis inimicos populi Dei, vel pugnando vel orando, mirabili celeritate vicerunt : sed est domesticum lumen imperator Karolus, qui nomen quod familiæ vestræ peperit, clarissimis actibus adornavit. Nec regni vobis amplitudinem ac soliditatem tantummodo, verum etiam vobis bene gerentibus, post vitæ hujus excursum eadem Dei gratia gloriam largietur æternam, cui rex et propheta suspirans : *Satiabor,* inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Hæc autem vestræ majestati non temere suggerimus, quia vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptisma mundati, diem tremendi judicii cum cæteD ris fidelibus expectatis.

2. Verum ut ad nos episcopos redeamus, per hanc civilem, immo pius quam civilem discordiam, multa interdum in nobis ipsis ac aliis nobis commissis negleximus, interdum neglegere coacti sumus, ita ut in omnibus ordinibus religio magnum detrimentum acceperit, et alii quidem per ignorantiam in interitum tendant, alii vero longa [45] licentia as-

VARIÆ LECTIONES.

[38] *deest* 2. [39] summus cappellanus Karoli regis *Cod. Landunensis.* [40] *lege* VIII. [41] *deest* 2. [42] istis 2. [43] a. j. *desunt* 2. [44] diligi 2. [45] *deest* 2.

satisfacti, impune se peccare posse confidant. Tandem igitur ad propriam et cæterorum correctionem conversi, quæsumus, ut scelerum patratores, et apostolicæ disciplinæ contemptores, missis a latere vestro probatæ fidei legatis, absque respectu personarum et excecatione munerum, coherceantur; et otio [46] nobis, quantum possibile est, concesso, sermo Dei prædicando fructificet, et canonum reverenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.

3. In locis sanctis, hoc est monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victus et vestimenti, a sua professione deviare comperimus. Quod petimus ut in omnibus parœchiis directi a vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri, cum notitia episcoporum, scrutentur et corrigant, ac singulorum locorum statum vestræ celsitudini et nostræ mediocritati, tempore a vobis [47] constituendo, renuntient.

4. Monachos qui cupiditatis causa vagantur, et sanctæ religionis propositum impudenter infamant, ad sua loca jubemus [48] reverti, et regulariter abbatum solertia recipi. Eis autem qui post evidentem professionem monachicam etiam habitum reliquerunt, vel qui sua culpa proiciuntur, nisi redire, et quod Deo spoponderunt implere consentiant, hoc credimus posse [49] remedio subveniri, si in ergastulis inclusi tamdiu a conventu hominum abstineantur, et pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant. Namque illi qui quondam monachi, postea relicta singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolvuntur, papæ Leonis decreto publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandi sunt. De clericis autem ecclesiarum suarum desertoribus, antiqua forma Calcidonensis concilii servanda est, quæ præscribit, ut si episcopus susceperit clericum ad alium episcopum pertinentem, et susceptus et suscipiens communione priventur, donec is qui migraverat clericus, ad propriam revertatur ecclesiam.

5. Qui sanctimonialibus inlicite miscentur, et sacrilega fœdera cum eis faciunt nuptiarum, eos Innocentii papæ censura a communione jubet suspendi; et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certe viaticum de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.

6. Ab altero vero desponsata, et ab altero rapta puella, secundum statuta Ancirani concilii ei a quo desponsata fuerat, reddenda est, etiamsi vim a raptore pertulerit. De raptoribus autem id nobis videtur optimum, ut quoniam ecclesiasticam excommunicationem parvipendunt, secularium legum terreantur austeritate [50].

7. Si quæ sanctimoniales causa religionis, ut eis falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel crines adtondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus; ne forte veteris ac novi instrumenti prævaricatrices, juxta Gangrensem synodum, severitate anathematis ab ecclesiæ corpore præcidantur.

8. Quoniam quosdam episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum est utrisque, ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra consentit sublimitas, homines suos rei publicæ profuturos, cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentia, ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.

9. Remorum ecclesiam, diu multumque pastore destitutam, nuper spoliatam rebus, oneratam injuriis, absque ingenti dolore fateri non possumus. Et quia vestram sublimitatem et nostram parvitatem eruere [51] desideramus periculo, obsecramus ut tam fœde [52] lacerata ecclesia redintegretur, atque juxta venerabilium canonum constitutionem dignus et celeriter quæratur et præficiatur episcopus; ut clerus et populus tantis attritus et spiritalibus et corporalibus incommodis, consolatione recepta, cum suo præsule pro vestra salute ac prosperitate communi Domino studeat supplicare.

10. Aurelianensis etiam ecclesia confusione maxima noscitur laborare. Tamen quia superiore anno archiepiscopus Wenilo, suis annitentibus suffraganeis, ex eodem loco Agium [53] presbyterum palatii vestri memoratæ ecclesiæ ordinavit, probabilium canonicorum ac laicorum attestatione instructus, et petitione impulsus, et eadem ecclesia nostro et vestro vacat periculo, hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra pietas quod a tantis viris factum est, ratum esse permittat.

11. De prælatione reverendissimi Drogonis definire aliquid [54] non audemus, nisi expectandum, quam maximus cogi potest Galliæ Germaniæque conventus, et in eo metropolitanorum reliquorumque antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, et non alia quam quæ prætenditur latet causa, illi potissimum convenire videtur, qui et communione sacerdotii nobis, et excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio, sociatur.

12. Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ; quam qua intentione fundimus, dederit Deus ut vos ac proceres cæterique fideles ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis et vobis imminere, cum pro rapinis et immanibus aliis sceleribus, tum etiam maxime quod ecclesiæ facultates, quas reges et reliqui christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei et pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum,

VARIÆ LECTIONES.

[46] otium 2. [47] nobis 2. [48] habemus 2. [49] nosse 2. [50] auctoritate 2. [51] exuere 2. [52] tanta fede 2. [53] aigum 2. [54] aliud Bal.

atque templorum Dei instaurationem, nunc in usu A
secularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi et potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam ælemosinam non accipiunt, negleguntur hospites, fraudantur captivi, et fama omnium merito laceratur. Et quidem si hæc a paganis pateretur ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi a filiis nostris, hoc est, ab his quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus, christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus, quoniam de illorum interitu formidamus. Certe, quod nullus unquam [35] impudentissimus negare audebit, possessio ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audet auferre, hæreditatem pauperum qua B
temeritate præsumit invadere? Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt? Itaque quædam loca venerabilia, quod nunquam antea auditum est, laici ex integro possident, quorumdam partem sibi vindicant, quorumdam prædia multipliciter divisa in hæreditatem sibi dari fecerunt. Ægyptii sacerdotes, famis necessitate cæteris cuncta vendentibus, suas possessiones retinuerunt, et falsi dii reverentiam a suis cultoribus meruerunt, quam in hac parte solus et verus Deus non obtinet. Oza percussus est, propterea quod nutantem archam sublevare præsumpsit, quam tangere nefas erat. Rideat hoc aliquis, nisi, quod summo dolore dicimus, quidam oppressores ecclesiæ dignum suis moribus exitum nostro etiam tempore invenerunt. Propheta clamat: *Qui dixerunt, hereditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.* Postremo ipse dominus Jesus conditor et redemptor: *Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?* Et quisquam tam audax et desperatus invenitur, qui possessiones Dei ad cer- C
tissimam perniciem suam occupet et invadat? O fideles Deo et vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia divitiarum mereri sempiternam congeriem miseriarum, nec ultra decus animæ vestræ tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis! Reddite Deo sua, ut vestra cum pace possideatis, tormenta evadatis æterna, et postmodum ad gaudium Domini nostri, ut servi fideles, introinittamini. Seculares honores seculares possideant, ecclesiasticos ecclesiastici sortiantur. Nec nos insatiabilis cupiditatis arguatis, quia, qualescumque sumus, vera nos dicere nec ipsi nescitis. Et licet pauci, sunt [36] tamen aliqui nostrum Deum timentes, qui juxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet;* quia omnium finis quotidie appropinquat; et quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Si volumus evadere præsentes calamitates et futuras evitare miserias, in commune omnes a nostris pravitatibus ad Dominum convertamur, et declinantes a malo faciamus bonum, ut bona Domini mereamur videre in terra viventium. Tu autem, clarissime rex, quia verissime scriptum est, *corrumpunt mores bonos colloquia mala,* fuge perversorum consortia et consilia, nec a te quisquam petere audeat, quod majestatem tuam præstare non deceat. Nec timeas iratos homines, hoc est, terram et cinerem, amplius quam Deum qui te creavit, quique in veritate judicabit: cujus voluntatem si perfecte secutus fueris, credimus quod a quorumlibet hominum te contumacia liberabit, et omnibus angustiis clementer eripiet, ac post hoc [37] temporale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus adquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. Sin autem nos, immo Deum per nos loquentem, contempseritis, necessitate implendi ministerii, quod nollemus, facere compellemur.

KAROLI II SYNODUS BELLOVACENSIS.

(*An.* 845, *April.*)

Editam a Sirmondo et Baluzio ex codd. Tiliano, Pithœano et Mettensi, ope codd. 2) regii Parisiensis n. 4638 et 3) Paris. inter Supplem. latina n. 75 recognovimus. Exstat etiam in Vaticano et regio Parisiensi n. 3878.

Hæc capitula quæ sequuntur facta sunt in synodo habita apud Belvacum (24) *civitatem, anno incarnationis dominicæ* 845, *mense Aprilio, anno sexto* [38] *regni domni Karoli, indictione septima. Quæ collata sunt inter eumdem principem domnum Karolum et episcopos regni sui. Et eadem isdem princeps gloriosus,* D
Deo teste, sub fidei suæ adstipulatione se servaturum promisit erga omnes ecclesias et episcopos regni sui. Quæ ad vicem omnium episcoporum sui principatus qui erant, quique futuri erant, de manu horum episcoporum conservanda suscepit, id est, Wenilonis (25), *Erchanradi* (26), *Ymmonis* (27), *Rothadi* (28), *Si-*

VARIÆ LECTIONES.

[35] quamquam Bal. [36] p. sint 2. [37] *deest* 2. [38] *lege* anno v... indictione viii.

NOTÆ.

(24) Die 18 Aprilis rex ibidem fideli suo Nithardo bona largitus est.
(25) Senonensis.
(26) Parisiensis.
(27) Noviomensis.
(28) Suessionensis.

meônis (29), *Lupi* (30), *Ragenarii* (31), *Heliæ* (32), A *Erpoini* [59] (33), *Aii* (34), *Hincmari presbiteri et vocati archiepiscopi* [60] (35).

1. Ut jus ecclesiasticum et legem canonicam nobis ita conservetis, sicut antecessores vestri qui hoc bene et rationabiliter observaverunt, juxta [61] quod sciri poterit et Deus vobis posse dederit et vestri prædecessores [62] conservaverunt.

2. Quod in mea persona nec in meo ordine, nisi forte, quod absit, inantea contra Deum et contra vos manifeste fecero, ut dampnari canonice debeam, adversum me et meum ordinem ita dampnabiliter non faciatis pro quacumque præterita causa, ut mihi dehonoratio aut dampnatio veniat.

3. Quod res ad ecclesiam mihi commissam pertinentes et tempore principatus vestri ablatas, ita B præsentaliter restituatis et restitutas conservetis, sicut tempore avi et patris vestri fuerunt, et excepto superposito quod in usus possidentium vel ex ædificiis absumptum [63] est, quomodo tunc erant, quantum ad hoc quod res usitato nomine appellamus constat, quando vos inde illas [64] tulistis.

4. Ut præcepta inlicita de rebus ecclesiæ mihi commissæ a vobis facta rescindantur [65], et ut de cætero, ne fiant, caveatis.

5. Ut ab ecclesia mihi commissa indebitas consuetudines et injustas exactiones [66] de cetero non exactetis; sed sic eas conservetis, sicut tempore avi et patris vestri conservatæ fuerunt.

6. Ut contra deprædatores et oppressores ecclesiarum nostrarum, et rerum ad easdem [67] pertinentium, defensionem secundum ministerium vestrum, quantum posse vobis Deus dederit, exhibeatis.

7. Ut præcepta quæ avus et pater vester ecclesiis nobis commissis fecerunt et firmaverunt, et stabilia [68] conservaverunt, quæ etiam vos confirmastis, et [69] de cetero rata conservetis.

8. Ut si vos contra hæc capitula, aut nos, quod absit, non malitia, nec perverso studio, sed aut per humanam fragilitatem, aut per ignorantiam, vel per subreptionem, non dampnabiliter contra vos [70] egerimus, mutuo hoc consilio corrigamus; et firmata deinceps convenientia maneat.

HLUDOWICI II ITALIÆ REGIS CAPITULUM.

(*An.* 844-850.)

Exstat in codice Chisiano sæc. x initium capitularis Ludovico regi, Lotharii filio, ascripti, cujus reliqua pars fatis invidentibus periit. Ascribendum igitur erat anno alicui intra diem 15 Junii an. 844, quo rex Langobardorum coronatus est, et diem 6 Aprilis an. 850, quo coronam imperii suscepit. Capitulum quod unum superest, in codicibus Ambrosiano, Florentino, Londinensi, Vindobonensi, Veronensi, Estensi apud Muratorium cap. 80 Lotharii nomen præfert, sed Chisiani auctoritas in his rebus prævalere debet, et reliquis Lotharium utpote imperatorem nominare licebat.

Item [71] *capitula domno Loudowigi regi.*

De [71] his quidem [72] personis qui res suas ideo in alteram personam delegant, ut ad placitum [73] venire non compellantur, ut mala quæ facta habent non C emendent; quod si paruerit ideo eas delegasse ne justitiam facerent, volumus, ut ipsi res in bannum mittantur [74], quousque illi qui eas habent auctorem ad placitum adducant, et isdem malefactor justitiam faciat.

KAROLI II CONVENTUS IN VILLA SPARNACO.

(*An.* 846. *Jun.*)

Hæc primus edidit Petrus Pithœus post libros Capitularium p. 415-424, ejusque editionem Lindenbrogius in codice suo et Goldastus repetiverunt. Sirmondi et Baluzii editio codicibus Tiliano, Pithœano, Metensi et Londinensi nititur; quam nos auxilio codd. 2) Pithœani, jam reg. Paris. n. 4638 et 3) regii Paris. inter Suppl. Latina n. 75 sæc. x recognovimus.

Hæc quæ sequuntur capitula excerpta sunt a domno rege Karolo, et principibus ejus, ex his capitulis quæ anno 846 *ediderunt episcopi in synodis* (36), D *Wenilo* (37) *scilicet cum suffraganeis suis, Gunthboldus* (38) *cum suffraganeis suis, Ursmarus* (39) *cum suffraganeis suis, Hincmarus cum suffraganeis suis,*

VARIÆ LECTIONES.

[59] erdoin 2. [60] *hæc desunt in* 3. [61] ita 3. [62] dederit nostris prædecessoribus c. 3. S. *et* Bal. [63] as sumptum 3. [64] in die illa 3. [65] rescidandur 2. *B.* [66] exactationes *S. B.* [67] eas 3. [68] stabilita *B.* [69] *deest* 2. [70] c. v. *desunt* 2. *B.* [71] Et *Ch.* [72] qui *Ch. deest in reliquis.* [73] plaitum *Ch.* [74] *reliqua exciderunt in Chisiano; supplevi ea ope codicum reliquorum.*

NOTÆ.

(29) Laudunensis.
(30) Catalaunensis.
(31) Ambianensis.
(32) Carnotensis.
(33) Silvanectensis.
(34) Aurelianensis.
(35) Remensis.
(36) Meldensi et Parisiensi. Quæ enim sequuntur 19 capitula omnia quidem in synodo Meldensi sub iis numeris qui singulis capitulis prælixa sunt continentur; sed quæ in Meldensi constituta fuerant, in Parisiacensi demum, ut præfatio declarat, absoluta et edita sunt anno 846. Sirmond.
(37) Senonensis.
(38) Rothomagensis.
(39) Turonensis.

Amalo (40) *cum suffraganeis suis; et oblata sunt eidem principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco* (41), *villa Remensis ecclesiæ. Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius regis contra episcopos, dissidentibus regni primoribus sui ab eorumdem episcoporum ammonitione, et remotis ab eodem concilio episcopis, ex omnibus* [75] *illis capitulis hæc tantum observanda et complacenda sibi collegerunt, et episcopis scripto tradiderunt, dicentes non amplius de eorum capitulis acceptasse quam ista, et ista se velle cum principe observare* [76] (42).

1. De honore et cultu ecclesiarum.

2. De honore episcoporum et veneratione servorum Dei.

3. De justitiis.

4. Ut cautela fiat erga eos qui causa juventutis aut insipientiæ in aliquo fallunt, sive contemnunt admonitionem episcoporum, ne subito aut incaute damnentur anathemate.

5. De his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur.

6. De precariis.

7. De hospitalibus

8. De rapacibus.

9. Ut episcopis tempus congruum observetur ad ministerium suum peragendum.

10. Ut clerici arma militaria non contingant.

11. Ut missi dirigantur, qui inquirant, si præcepta a nobis de rebus ecclesiarum ad proprium sint facta.

12. De hæresi symoniaca.

13. Ut a nullo sedes episcopalis, proprio infirmante episcopo, usurpetur.

14. Ut canonici infra dormitorium dormiant.

15. Ut monachi ad palatium non veniant, nisi causa obedientiæ, exceptis abbatibus.

16. Ut laici decimas de ecclesiis non contingant.

17. De sanctimonialibus contra auctoritatem nuptis.

18. De sponsis aliorum.

19. De sepulturis infra ecclesiam [77].

Plenitudo autem capitulorum quæ in plenitudine synodalium actionum habentur, unde hæ commemorationes excerptæ sunt, ita per loca continentur [78].

Commemoratio prima, de honore videlicet et cultu ecclesiarum, sicut supra scriptum habetur (43) in villa Colonia, subscriptione regis et principum roboratum.

Commemoratio secunda, de honore episcoporum et veneratione servorum Dei, similiter.

A Commemoratio tertia, de justitiis, similiter.

Commemoratio quinta, de his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur, similiter.

Commemoratio sexta.

Cæteræ autem commemorationes quæ sequuntur, ita in præfata plenitudine cum suis capitulis continentur.

20. Et ne magnificentiam vestram illuc vestræ dignitati indecens et inhonesta impellat necessitas quo non trahit voluntas, et partim necessitate, partim etiam subreptione, quia aliter quam se rei veritas habeat vobis dictum vel postulatum fuit, maxime quod ad rem publicam pertinuit, aut præreptione in beneficiario jure aut in adole [79] adsumptum habetur, videtur nobis utile et necessarium, ut fideles et strenuos missos ex utroque ordine per singulos comitatus regni vestri mittatis, qui omnia diligenter inbrevient quæ tempore avi ac patris vestri, vel in regio specialiter servitio, vel in vassallorum dominicorum beneficiis fuerunt, et quid vel qualiter aut quantum exinde quisque modo retineat, et secundum veritatem renuntietur vobis. Et ubi [80] inveneritis, quia ratio et utilitas, ac ordo sex veritus, in absumptis vel donationibus habeantur, in statu permaneant. Ubi autem inrationabilitas vel potius fraus inventæ fuerint, una cum consilio fidelium vestrorum hoc taliter corrigite, ut [81] ratio atque utilitas seu justitia non deserantur, et dignitas magnificentiæ vestræ per necessitatem ita vilis non fiat, sicut vos non decere cognoscitur : quoniam domestica domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habueritis unde eis meritis respondere et indigentiæ solatium ferre possitis. Et sic demum res publica vestra de suo suffragetur sibi, et ecclesiæ a quibus non expedit habeantur immunes [82].

21. Ut precariæ et commutationes tempore viduatarum ecclesiarum factæ, ab his qui loca episcoporum occupaverant, rescindantur, et cum auctoritate ecclesiastica vel civili denuo, si fiendæ [83] sunt, fiant.

22. Precariæ autem a nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus ecclesiæ, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias [84] et ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumat; quia sic eas quemque

VARIÆ LECTIONES.

[75] et comitibus *corr.* ex omnibus 2. [76] *rubrica deest in* 3. [77] *huc usque tantum cod.* 3. [78] *apud Pithœum pag.* 416 *sqq. capitula integra habentur, quæ quum supra locis in cod.* 2. *indicatis jam legantur, eas repetere cum Sirmondo et Baluzio superfluum ratus, lectionem codicis* 2. *secutus sum.* [79] alodo 2. [80] ibi invenietis 2. [81] et 2. [82] *hic editio Pithœana et sequentes eam, inserunt caput infra numero* 56 *allatum.* Ut nemo episcoporum. [83] fiendi 2. [84] proprias *usque* proprias *desunt* 2.

NOTÆ.

(40) Lugdunensis.
(41) *Epernay.*
(42) Cf. Prudentii Annales Mon Germ. SS. I, p. 442 (*Patrol.* CXV).
(43) Col. 530, n. 1.

tractare oportet ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem. Et a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus proprie Deo et sanctis illius dicatis; cum ratio et usus obtineat, neminem cui non vult contra utilitatem et rationem præstitum [85] de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit; quoniam præcepta in jure ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas regia, nisi ab ecclesiastico rectore [86] petantur. Isdem autem custos ecclesiæ sollertissime caveat, ne sui ordinis et ecclesiasticæ communionis forte immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quacumque adsentatione fieri petat. Qui et si fecerit, non audiatur: si autem obtinuerit, regia districtione [87] et episcopali judicio idem rescindatur, et petitor injustus pro principis injusta suggestione digne corripiatur. Et precariæ, secundum antiquam consuetudinem et auctoritatem, de quinquennio in quinquennium renoventur.

24. Ut contra deprædatores et oppressores ecclesiarum et rerum ad easdem pertinentium, defensores secundum ministerium vestrum, quantum Deus posse dederit, existatis; et præcepta quæ avus et pater vester ecclesiis ditioni vestræ subjectis fecerunt ac firmaverunt, et stabilia conservaverunt [88], quæque vos confirmastis, de cætero rata in omnibus conservetis.

28. Ut regia magnificentia liberiorem libertatem episcopis, ad suum peragendum in eorum parœchiis ministerium, quam actenus propter diversas perturbationes habuissent, maxime in sacratissimis temporibus, quadragesimæ scilicet et adventus Domini, tribuat; quatenus et periculum et ipsi [89] episcopi, et regia dignitas, salubrius pro ministerio sibi commisso et neglecto, possint evadere, et pro strenue exsecuto divinam misericordiam sibi conciliare prævaleant. Ipsi autem episcopi concessum sibi otium, non in suas voluptates, sed in divinum et officiosum convertant negotium: quatenus studentes prædicationi atque confirmationi, quod actenus per parœchias fuit neglectum, solerter et devotissime de cætero sit correctum et emendatum. Et non propter suam quietudinem episcopi ad remotiora loca secedentes, et suum ministerium neglegentes, proprias deserant civitates; sed ut parœchias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum suis filiis degant. Et hospitalitate ornati, quæ jam pene propter diversas rapacitates adnullata est, non solum in oculis Domini propter obedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum et bonum testimonium secundum sanctum adquirant apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos, et doctrina, castitate et sobrietate, atque hospitalitate, secundum eorum ministerium [90] hortentur et compellant.

37. Ut quicumque ex clero esse videntur, arma non sumant, nec armati incedant; sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo et seculo militare.

40. Admonenda est regia magnitudo de hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum et ordinata et exculta fuerunt, et modo ad nihilum sunt redacta. Sed et hospitalia Scottorum, quæ sancti homines gentis illius in hoc regno [91] construxerunt, et rebus pro sanctitate sua adquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt [92] alienata; et non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi qui ab infantia in eisdem locis sub religione Domino militaverunt, exinde eiciuntur, et ostiatim mendicare coguntur. Unde pertimescenda est canonica sententia, et maxime decretalis Simmachi papæ definitio, quia ut necator pauperum, et Christi traditor Judas, idem [93] qui hujus sceleris auctor et perpetrator esse dinoscitur, præsenti et perpetuo est [94] anathemate feriendus. *Qui reiculam*, inquit Simmachus papa, vel quicquid fuerit ecclesiæ, *petunt a regibus, et corrumpendæ pietatis instinctu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent* [95], *et a communione ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur.* Item in canone Aurelianensi: *Si quis quolibet tempore contra hanc constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii ipsius* [96] *abstulerit, ut xenodochium, quod avertat Deus, esse desinat, ut necator pauperum inrevocabili anathemate feriatur.*

43. Cavendum et summopere præcavendum, ne per virtutem Christi sanguinis interdicendum et episcopis et regibus, et omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus et electoribus quorumcumque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per symoniacam hæresim regiminis locum obtineat quacumque factione, calliditate, promissione, seu commoditate aut donatione, per se aut per emissam personam, cum Spiritus sanctus inter cætera documenta ecclesiastica per os sancti dicat Gregorii: *Cur non perpendiur quia benedictio illi* [97] *in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?* Et item: *Ementes quippe atque vendentes par pœna constringit, cum liqueat hanc hæresim in ipsa sua origine apostol ca esse detestatione damnatam.* Et apostolus docet: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, digni sunt morte.* Et item beatus Gregorius: *Dolens*, inquit,

VARIÆ LECTIONES.

[85] præfectum 2. [86] recte repetantur 2. [87] *ita* 2. discretione *Sirm.* [88] confirmaverunt 2. [89] si 2. [90] n. ornari c. *B.* [91] *deest* 2. [92] *deest* 2. [93] id est *Bellov.* [94] *deest* 2. [95] obtineant 2. [96] i. a. ut x. *desint* 2. [97] *deest* 2.

dico, gemens denuntio, quia sacerdotium, quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non poterit. Item idem [98] : *Adversarius animarum callida specie suadet quasi debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari; sicut* [99] *scriptum est : Hostiæ impiorum abominabiles, quia* [100] *offeruntur ex scelere.*

47. Ut nemo, episcopo vivente, ecclesiam illius aut res ad eam pertinentes invadere aut dominari præsumat, neque sub voluntariæ cleri ac populi electionis obtentu, præter voluntatem episcopi, quisquam quacumque seculari potestate præditus, quasi œconomum constituat. Sed si episcopus ministerium ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in archiepiscopi hoc cum voluntate episcopi ejusdem ecclesiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium vero ad rem publicam pertinens qualiter exsequatur, per tales ex subditis et ecclesiasticis ministris, cum consensu archiepiscopi propter pacis caritatisque custodiam, episcopus ordinet et disponat, quos succedendi in episcopatu appetitus indebitus non elevet neque vexet; nisi moratus ita extiterit, ut secundum instituta beati Gregorii in libro epistolarum, et humiliter in subditione [101] prosit [102], et post utiliter [103] conveniens sanctis regulis præsit; quia ob hoc in multis ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Si autem in archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio coepiscoporum [104] suorum hujusmodi ordinationem exhibeat.

53. Ut canonici in civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, et in refectorio comedant, et in domo infirmorum necessario subleventur, et tam sani quam et infirmi canonice vestiantur, atque in claustris horis congruis degant, et sub custodia canonica lectioni [105] et cæteris divinæ institutionis insistant officiis. Qui [106] vero episcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit ut hoc perficere et ordinare possit, princeps secundum constitutionem domini imperatoris Hludowici annuat : id est, si vicina episcopio terra de eadem ecclesia esse reperta fuerit, et ab alio possidetur, ecclesiæ rectori ad claustra clericorum, vel alia quælibet ecclesiæ commoda facienda, reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eandem terram ad servorum Dei habitacula construenda largiri dignetur. Si autem de alia casa Dei aut de cujuslibet proprio fuerit, ex convenientia commutandi licentia tribuatur. Et si paupertas loci ad ædificandas domos necessarias [107] non suffecerit, eos ad adjutorium ædificandi potestas regia cogat qui res de eadem ecclesia in beneficiis retinent.

56. Ut nemo episcoporum quemlibet, sine certa et manifesta peccati causa, communione privet ecclesiastica. Anathema autem sine consensu archiepiscopi aut coepiscoporum, prælata [108] etiam evangelica admonitione, nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas; quia anathema æternæ mortis est damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine, et illi qui aliter non potuerit corrigi.

57. Ut monachi quibus monasteriorum cura commissa non est, passim et sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ubi et ubi [109] discurrere ac pervagari acephali præsumant. Sed si tales quilibet fuerint ut utiles et necessarii ecclesiæ ac principi reperiantur, cum auctoritate episcopi canonice ac religiose pergant. Sin autem, in monasteriis suis, sicut canonica et regularis docet institutio, religiose resideant. Quos etiam nec episcopus, nec abbas, vel quilibet alius eos veredariorum more in missaticis instanter transmittat; quia per quosdam illorum, contra [110] canonicam auctoritatem, et ecclesiastica et civilia perturbantur negotia. Nec sub prætextu obedientiæ diutius vilicationibus inserviant; sed regulariter obedientiam vicissitudine sua peragentes, secum, ut de sancto Benedicto legitur, in monasterio habitent, atque se ipsos recolligant. Hæc autem transgredientes, sive prælati in favendo, sive subditi in obtinendo, excommunicentur.

63. Ili vero qui ex rebus ecclesiasticis nonas et decimas persolvere, et sarta tecta ecclesiæ secundum antiquam auctoritatem et consuetudinem restaurare debent, et hoc non solum neglegunt, verum et per contemptum dimittunt, atque clericos fame et penuria, ecclesiastica quoque ædificia dissolutione adnullari permittunt, tamdiu ab ecclesiastica communione separentur, usque dum diligentia [111] emendare studeant, quod socordia neglexerunt. Quod si iterum iteraverint [112], post excommunicationis satisfactionem regia potestate compulsi, juxta legale et antiquum dictum, *qui neglegit censum, perdat* [113] *agrum.* Servi autem ecclesiarum quibuscumque potestatibus subditi, unde melior consuetudo vel devotior commendatio ex tempore et jussione domni Hludowici, vel certe domni Karoli, seu etiam Pippini, non [114] existit, saltem viginti diebus in anno eidem ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur. Ubi autem et amplior commendatio et melior consuetudo inde habetur, pro hac nostra necessitudinis consideratione non decidat.

67. Qui sanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, et progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ juxta modum quem [115] prævideriit episcopus, subigantur; ipsæ vero locis congruis pœnitentiæ retrudantur, et ad habitum religionis redire cogantur. Uterque [116] autem sine ulla spe uxoriæ copulationis perhenniter maneant. Si autem,

VARIÆ LECTIONES.

[98] ideo 2. [99] sed 2. [100] quæ 2. [101] subdito 2. [102] proræsit 2. [103] humiliter 2. [104] episcoporum 2. [105] lectionis 2. [106] quæ 2. [107] domus necessarios 2. [108] prolata 2. [109] et u. *desunt* 2 [110] extra 2. [111] indulgentia 2. [112] iteraverit 2. [113] perdit 2. [114] *vox deleta in* 2. [115] quod 2. [116] utrique 2.

quod absit, conjugia iterare præsumpserint, acriori A subdantur vindictæ, et amplius propellantur. Qui si forte obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur.

68. De his qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua et synodalis sententia observetur. Quod et si forte in ecclesia eventus talis reperiri dinoscitur, ut pro salutis et religionis competentia humanius quiddam debeant tractare pontifices, sicut canonica, ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior quidem, inquiens, definitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia, et sponso legaliter multam [117] componat. Quod si hæc obedire renuerit, B sine ulla refragatione anathematizetur : fautores vero illius juxta modum culpæ episcopali decreto pœniteant. Si vero, quod non optamus, qui de gradu ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem vel interventorem manifeste prodiderit a gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, et canonice nequiverit approbari, secundum sanctorum Patrum statuta se purgare cogatur.

72. Ut nemo quemlibet mortuum in ecclesia quasi hereditario jure, nisi quem episcopus aut presbyter pro qualitate conversationis et vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat. Nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulcro suo ejiciat [118], aut sepulturam cujusquam [119] temerario ausu quoquo modo violet ; sed unumquemque in loculo sibi a Deo præparato atque concesso adventum sui judicis præstolari concedat ; maxime cum non solum divinæ leges, sed etiam et humanæ apud humanam rem publicam sepulcrorum violatores reos mortis dijudicent. Sed et neque pro loco sepulturæ, ut verbis sancti Gregorii utamur, pretium de terra putredini concessa quærere, et de alieno velle [120] facere luctu [121] compendium, aliquo modo tentet. Si quando autem [122] proximi vel heredes sponte aliquid offerre ecclesiæ voluerint in elemosina defuncti, accipere non vetamus : peti vero aut aliquid exigi omnimodo prohibemus, ne, quod valde inreligiosum est, aut venalis, quod absit, dicatur ecclesia, aut de humanis mortibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus modo quolibet quærere.

HLOTHARII, HLUDOWICI ET KAROLI CONVENTUS APUD MARSNAM.

(*An.* 847. *Febr.*)

Sirmondi et Baluzii editiones ope codicis 2) regii Parisiensis n. 4638 recognovimus.

Hæc quæ sequuntur capitula acta sunt quando tres C *reges fratres, Hlotharius scilicet, Hludowicus, et Karolus, simul convenerunt secus municipium Trejectum, in loco qui dicitur Marsna* (44), *anno Dominicæ incarnationis* 847 *mense Febroario* [123] *quæ etiam capitula singulorum adnuntiationes sequuntur.*

Cap. 1. De pace et concordia atque unanimitate trium fratrum et regum inter se, et quod verissimo et non ficto caritatis vinculo sint uniti, et ut nullus deinceps scandalorum inter eos occasiones serere possit.

2. Ut ipsi mutuo sibi auxilientur, et contra Dei sanctæque ecclesiæ ac suos inimicos secundum oportunitatem temporis invicem adjuvent.

3. Ut nemo per quamlibet cupiditatem leges pacis in cujuslibet eorum regno convellere [124] præsumat. D Quod si facere præsumpserit, communem ab eis ultionem incurrat.

4. Ut ecclesiæ Christi [125] per omne eorum regnum pristinam dignitatem honoremque retineant ; et quicquid superstite domno Hludowico imperatore jure legitimo possederunt, absque ulla deminutione recipiant.

5. Ut singulis eorum fidelibus talis lex conservetur, qualem temporibus priorum regum, et præcipue avi patrisque eorum, habuisse noscuntur, si tamen et ipsi pristinam fidem erga ipsos conservent.

6. Ut rapinæ et deprædationes, quæ quasi jure legitimo hactenus factæ sunt, penitus interdicantur, et nemo se impune post hæc eas præsumere posse confidat.

7. Ut in singulis partibus regni missi idonei constituantur, qui querelas pauperum et oppressiones sive quorumcumque causas examinare, et secundum legis æquitatem valeant definire. Et si ab uno in aliud regnum hujusmodi præsumptores confugerint, ibi similiter opprimantur.

8. Ut nullus in omni eorum regno deinceps raptum facere præsumat. Aut si fecerit, legaliter puniatur.

9. Ut regum filii legitimam hereditatem regni secundum definitas præsenti tempore portiones post eos retineant ; et hoc quicumque ex his fratribus superstes fratribus fuerit consentiat, si tamen ipsi nepotes patruis obedientes esse consenserint.

VARIÆ LECTIONES

[117] multa 2. [118] eicere 2. [119] quam t. a. q. m. v. s. u. in l. s. a Deo *desunt* 2. [120] nullo 2. *Bellov. Bal. Til.* ullo *Trec.* [121] lucri *Til. deest* 2. [122] *dees* 2. [123] per mensem februarium etiam *edd.* [124] evellere 2. [125] *deest* 2

NOTÆ.

(44) Cf. Lupi Ferrariensis epistolas 50, 57, 59 ; in qua dicit reges hebdomada secunda Quadragesimæ colloquium celebraturos, Sirmondo monente Quadragesimæ initium an. 847 fuit die 16 Februarii.

10. Ut legati ad ducem Brittonum mittantur, qui de communi erga eos observatione pacis eum commoneant.

11. Ut similiter ad regem Nordmannorum legati mittantur, qui eum contestentur, quod aut pacem servare studebit, aut communiter eos infensos habebit.

Adnuntiatio domni Hlotharii.

Nobis et [126] fratribus nostris visum fuit, ut ad Dei voluntatem quærendam, qualiter sancta ecclesia recuperata esse possit, et pacem et nos ac vos et iste populus christianus habere possimus, nos simul conjungeremus, sicut nunc fecimus, et sic simus inter nos, sicut fratres per rectum esse debent. Et pro certo illud sciatis, quia gratias Deo! sic sumus et sic permanere adjuvante Deo inante volumus, et in consilio et in auxilio unusquisque erga alterum parati sumus adjutorium ferre, sicut fratres in Dei voluntate et communi profectu facere debent, in quibuscumque potuerimus.

Adnuntiatio domni Hludowici.

1. Sciatis quia fratres nostri et nos nostros missos ad communem nepotem nostrum (45) in Aquitaniam mittimus, et ei tales comitatus designatos mandamus, in quibus ipse cum suis interim sufficienter esse possit, et fideles dilecti fratris nostri Karoli de illo regno pacem habere possint, usque dum idem [127] nepos noster ad commune [128] placitum nostrum veniat; ad quod cum tali securitate a nobis accepta eum venire mandamus, ut sanus venire et sanus stare et sanus reverti, quantum illum Deus salvare voluerit, possit. Et si tunc nostrum consilium audire voluerit, volumus cum Dei adjutorio et vestro consilio considerare, quomodo melius secundum communem profectum et utilitatem inante esse possit. Et si nostrum consilium audire non voluerit [129], tunc sicut melius cum Dei adjutorio et vestro consilio invenire potuerimus, exinde agere volumus.

2. Sciatis etiam, quia similiter missos nostros ad Brittones mittimus, et illos ad communem profectum et pacem hortamur. Qui si audierint aut non audierint, cum Dei adjutorio et vestro consilio exinde etiam facere volumus.

3. Sciatis quia communiter missos nostros ad Nordmannos pro pace accipienda mittimus.

4. Sciatis etiam, quia dilectus frater noster Hlotharius missos suos ad suos homines transmittit qui usque modo in contrarietatem dilecti fratris nostri Karoli fuerunt, et illis mandat, ut per nullum ingenium inante, sicut de Dei et sua gratia gaudere volunt, in illius et fidelium ejus contrarietatem aliquid faciant.

5. Et sciatis quia volumus, ut res ecclesiarum, in cujuscumque regno caput fuerit, tam de episcopatibus quam de abbatiis, sine illa contradictione rectores ipsarum ecclesiarum, sicut tempore domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant.

6. Similiter et de episcopatibus et monasteriis, ubicumque in nostro communi regno aliter est modo quam debeat, volumus una cum Dei adjutorio illud emendare, ut ecclesia Dei suum honorem debitum habere possit, et populus suam legem et justitiam habeat.

Adnuntiatio Karoli.

1. Sciatis quia dilecti fratres nostri et nos communiter placitum nostrum ad missam sancti Johannis apud Parisius [130] condictum habemus, ubi de istis quæ illi modo dixerunt, et cæteris quæ ad Dei voluntatem et nostrum ac vestrum communem [131] profectum invenire potuerimus, consideremus, et una cum Dei adjutorio ad effectum perducamus. Et volumus, ut abhinc inante, ubicumque unusquisque fuerit, cum pace consistat, et ad illud placitum cum pace unusquisque veniat; quia in istis miseriis et rapinis usque modo multum Deum offendimus. Unde nobis Dei misericordiam deprecari, satis necessarium esse cognoscimus.

2. Volumus etiam, ut unusquisque liber homo in nostro regno seniorem, qualem voluerit, in nobis et in nostris fidelibus accipiat.

3. Mandamus etiam, ut nullus homo seniorem suum sine justa ratione dimittat, nec aliquis eum recipiat, nisi sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

4. Et volumus ut sciatis, quia nos fidelibus nostris rectum consentire volumus, et contra rationem eis facere non volumus. Et similiter vos ac cæteros fideles nostros [132] admonemus, ut vos vestris hominibus rectum consentiatis, et contra rationem illis non faciatis.

5. Et volumus, ut cujuscumque nostrum homo, in cujuscumque regno sit, cum seniore suo in hostem vel aliis suis utilitatibus pergat; nisi talis regni invasio quam lantweri dicunt, quod absit, acciderit, ut omnis populus illius regni ad eam repellendam communiter pergat (46).

VARIÆ LECTIONES.

[126] ex 2. [127] inde 2. [128] communem 2. [129] noluerit 2. [130] parisium S. B.. [131] commune 2. [132] vestros 2.

NOTÆ.

(45) Pippinum.

(46) Codex olim S. Remigii Remensis, jam bibliothecæ regiæ Parisiensis n. 164 *bis* inter excerpta inde a fol. 283 hac rubrica insignia : « In libro capitulorum domni Karoli et domni Hludowici imperatorum » caput exhibet jam a Baluzio tom. II, p. 1264, exscriptum : *Et quia in hostem aut propter terram defendendam aut propter terram adquirendam itur, de lantweri, id est de patriæ defensione, non aliter nisi secundum istum modum in lege aut in capitulis imperatorum scriptum habemus, nisi in anterioribus capitulis de pauperibus Francis, qui si non habent unde heribannum persolvant, ut se in servitium regis tradant, et tamdiu in eodem servitio maneant, usque dum ille heribannus fiat persolutus. Et si mortuus fuerit in eodem servitio, heredes ejus suam hereditatem recipiant, et nec de libertate nec de ipso banno obnoxii fiant. Similiter in posterioribus capitulis de*

HLUDOWICI II IMPERATORIS CONVENTUS TICINENSIS.

(*An.* 850.)

Acta quædam conventus Ticinensis autumno anni 850 a Ludovico II imperatore celebrati primum ab Henrico Canisio ope codicis Sangallensis in Lectt. Antiquis tom. V, part. II, pag. 674 seqq. edita, jam ope codicum Gothani et Blankenburgensis multo ampliora proponimus. Et primum quantum ad ecclesiasticas leges, episcoporum rescriptum ad quæstiones imperatoris eis propositas ex codice Gothano et Canisio, leges ipsas ab imperatore promulgatas ex codice Blankenburgensi vulgamus. Legum sæcularium nonnisi quinque et ea imperfecta capitula a Canisio reperta erant; hic vero et imperatoris capitula comitibus suis proposita, et leges ipsæ integræ ex codice Gothano prodeunt. Cæterum leges a Ludovico imperatore superstite patre Lothario conditæ, utriusque auctoritate promulgatæ fuerunt.

Anno [132] *incarnationis Dominicæ* 850, *indictione* 14, *et Hlotharii atque Hludowici piissimorum Augustorum tricesimo atque primo, in urbe regia Ticino facta synodus, cui præsederunt Angilbertus Mediolanensis archiepiscopus, Theodemarus* [133] *Aquileiensis patriarcha, et Joseph venerabilis episcopus atque archicapellanus totius ecclesiæ, in quo hæc constituta sunt.*

RESCRIPTUM [134] CONSULTATIONIS SIVE EXORTATIONIS EPISCOPORUM AD DOMNUM HLUDOWICUM IMPERATOREM QUOD IN PAPIA FUIT ACTUM.

Domino [135] glorioso imperatori Hludowico pax et vita, salus et victoria, ministretur a Deo patre et domino Jesu Christo.

1. Decrevit sancta synodus domesticam et interiorem episcopi conversationem totius reprehensionis atque suspitionis inpenetrabilem fieri debere, ut juxta apostolum provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; oportet igitur ut cubiculo episcopi et secrecioribus quibuslibet obsequiis sinceræ opinionis sacerdotes et clerici assistant, qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem episcopum suum jugiter adtendant, ejusque sanctæ conversationis testes, imitatores, et ad Dei gloriam prædicatores [137] existant.

2. Statuimus ut non tantum dominicis diebus et præcipuis festivitatibus episcopi missas celebrent, set cum possibile fuerit, cotidiana quoque sacrificia frequentent; nec fastidiant privatim primum pro se, deinde pro consacerdotibus, pro regibus et cunctis ecclesiæ Dei rectoribus, proque his qui se orationibus ipsorum peculiariter commiserint [138], et maxime pro pauperibus preces fundere, et omnipotenti Deo hostias offerre, comitante pia conpunctione, et sacræ devotionis affectu, quod magis utique [139] occulte sacrificantibus convenit, ut ipse quoque sacerdos hostia viva fiat, et sacrificium Deo, spiritu contribulato.

3. Placet episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas ad comedendum et potandum non urgere [140], quin potius semper se [141] sobrietatis præbeat exemplum. Removeantur ab ejus convictibus [142] cuncta turpitudinis argumenta; non ludicra spectacula, non acromatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurriles admittantur præstigiæ. Adsint peregrini et pauperes et debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes, benedictionem percipiant. Reciteture sacra lectio; subsequatur vivæ vocis exhortatio; ut non tantum corporali cybo, immo verbi spiritalis alimento [143], convivantes se refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum dominum nostrum.

4. Ut episcopus omnes affectiones, quæ a sancta conversatione et sacerdotali abhorrent officio, pœnitus repudiet. Et non cum canibus aut accipitribus vel capis, quos vulgus falcones vocat, per se ipsum venationes exerceat. Equorum quoque mulorumque superfluam curam contemnat; præciosarumque vestium cultum, et dissolutum, ac velut ad pompam compositum, vitet incessum [144]. Sit sacerdotis eloquium spiritali sale conditum; non injuriosis [145] et protervis et coturnosis vocibus tumidum [146]. Sit sermo episcopi juxta evangelium : est, est; non non. Si quid enixius adfirmandum, duræ forsitan audientium mentes exigunt, more potius apostolico interponat suæ locutioni : *Deus scit!* aut *coram Deo!* quam *per* [147] *imperatoris gratiam* sicut militantibus seculo jurare celebre est, sua dicta confirmet. Purgetur sane Domino suffragante ab omni levitate atque jactantia dignitas episcopalis, ut omnibus christianis bonæ conversationis speculum fieri valeat.

5. Ut episcopi canonicas scripturas et sancta dogmata jugi meditatione discutiant, et presbiteris ac clericis suis subtilius tractando et disserendo occultos sanctarum [148] litterarum thesauros aperiant. Populis vero juxta ipsorum capacitatem dominicis et festis diebus verbum prædicationis impendere non negligant; quod si quis se deinceps ab hac observatione et ab his quæ superius sunt statuta subtraxerit,

VARIÆ LECTIONES.

[132] *hæc inscriptio habetur in uno Sangallensi.* [133] *ita correxi* Theodemanus *Canis.* [134] *hæc inscriptio adest in uno Gothano.* [135] Domino *usque* Jesu Christo *exstat in uno Gothano.* [136] prædicationis *G.* [138] commiserunt *C.* [139] *deest C.* [140] urguere *C.* [141] *deest in C.* [142] convictu *C.* [143] alimenta *G.* [144] vitæ incensum sit *C.* [145] curiosis *C.* [146] tumidus sit *G.* [147] *deest G.* [148] sacrarum *C.*

NOTÆ.

pauperibus Francis ibidem scriptum invenimus, ut unusquisque comes describat quanti sint in suo comitatu qui per se hostem facere non possunt, ut alios adfanniant, sicut ibi scriptum est.

tamquam proprii desertor officii divinis legibus subjacebit.

6. Sollicite procurent [159] episcopi, quam diligentiam erga plebem sibi commissam unusquisque presbiterorum gerat; oportet enim ut plebium archipresbiteri per singulas [160] villas unumquemque patrem familias conveniant; quatinus tam ipsi quam omnes in eorum domibus commorantes qui publice crimina perpetrarunt, publice peniteant; qui vero occulte deliquerit [161], illis confiteantur, quos episcopi et plebium archipresbiteri idoneos ad secreciora vulnera mentium medicos elegerint; qui si forsitan in aliquo dubitaverint, episcoporum suorum non dissimulent implorare sententiam. Si vero episcopus hæsitaverit, non aspernetur consulere vicinos episcopos, et ambiguam rem alterius aut certe duorum vel trium fratrum examinare consensu [162]. Quod si adeo aliqua obscuritate vel novitate perplexa res fuerit, siquidem diffamatum certæ personæ scelus est, metropolitani et provincialis synodi palam sententia requiratur, ut illud impleatur apostoli : *Peccantes publice argue*, ut [163] cæteri metum habeant. Si autem occulta confessio est, et is a quo queritur salutis consilium explicare non sufficit, potest suppresso facinorosi nomine qualitas quantitasque peccati discuti, et congruus correctioni modus inveniri. Similiter autem et in singulis urbium vicis et suburbanis, per [164] municipalem archipresbiterum, et reliquos ex presbiteris strenuos ministros procuret episcopus, habita pœnitus in rebus dubiis observatione, quæ superius præfixa est.

7. Oportet etiam per oppida singula villasque curam gerere presbiteros, qualiter pœnitentes impositam sibi abstinentiæ formam custodiant, et utrum elemosynarum largitione vel aliis remissionem peccatorum promerentibus piis operibus inserviant; et qua cordis contricione vel lamentatione se ipsos afficiant, ut hac consideratione præmissa [165] pœnitudinis tempus rationabilem [166] possit accipere terminum, et vel extendatur si pœnitens neglegenter injuncta prosecutus est, vel brevietur si desideranter veniæ placationem studuit promereri. Reconciliatio vero pœnitentum juxta antiquorum canonum instituta non a presbiteris sed ab episcopis fieri debet, nisi forte quis in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari devote petierit. Si episcopus absens fuerit, debet utique presbiter episcopum [167] consulere, et sic penitentem ejus præcepto reconciliare [168]; aliter autem sicut nec chrismatis confectio vel puellarum consecratio, ita nec penitentum reconciliatio ullatenus a presbiteris fieri debebit [169], quia solis episcopis apostolorum vicem tenentibus per manus impositionem specialiter in ecclesia conceditur, quod tunc apostolis ad ipsos Domino dicente concessum est : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

8. Illud quoque salutare sacramentum quod commendat Jacobus apostolus dicens : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbiteros, et orent super eum unguentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et suscitabit illum Dominus; et si in peccatis fuerit, remittuntur* [170] *ei*, sollerti prædicatione populis innotescendum est; magnum sane et valde appetendum mysterium; per quod si fideliter poscitur, et peccata [171] remittuntur, et consequenter corporalis salus restituitur. Sed quia frequenter contingit [172], ut ægrotans aliquis aut sacramenti vim nesciat, aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci presbiter congruenter admonere, quatinus ad hanc spiritalem curam secundum propriæ possibilitatis vires vicinos quoque presbiteros invitet. Hoc tamen sciendum, quia si is qui infirmatur publicæ penitenciæ mancipatus est, non potest hujus misterii consequi medicinam, nisi prius reconciliatione percepta, communionem corporis et sanguinis Christi meruerit; cui enim reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis est, ut per se ipsum visitandum et unguendum dignum existimet episcopus, ab ipso quam [173] plurimum competenter fieri valet, a quo ipsum chrisma conficitur, et cui peccata remittendi officii privilegio [174] potestas concessa est.

9. Ex diversis partibus perventum est ad sacram synodum, quod quidam parentum filias suas cum ad nubilem pervenerint ætatem, easque pro suo modulo satis convenienter nuptum tradere possint, diutius quam necesse est secum detineant; unde sepe contingit [175], ut in ipsa paterna domo corrumpantur. Fertur et de quibusdam, quod dictu quoque nefas est, ipsos parentes filiarum suarum corruptoribus conhibentiam præbere, et natarum suarum lenones existere. Monendi igitur a presbiteris sunt patres familias, ut filiabus suis tempestive nuptias provideant, et calorem ferventis ætatis conjugali lege præveniant; primum scientes, quia tales et si post corruptelam legitimis viris copulatæ fuerint, non possunt tamen cum sponso pariter sollemne benedictionis a sacerdote munus percipere. Deinde si in eorum domibus tale nefas [176] acciderit, siquidem illis nescientibus pro sola neglegentiæ [177] culpa pœnitentiæ subjiciendi sunt; si vero corruptionis turpitudinem ipsi consenserint, major his qui prohibere debuerant penitentiæ sarcina [178] quam ipsis qui perpetraverunt imponenda est. Ad ultimum [179] hoc noverint ecclesiasticis sanctionibus esse præfixum, ut nullus publice pœnitens usque ad tempus peractæ penitentiæ conjugium contrahere valeat, et hac ratione cor-

VARIÆ LECTIONES.

[159] percurent *G.* [160] singulos un. *C.* [161] delinquerunt *C.* [162] concessu *C.* [163] ut et c. *C.* [164] et per *G.* [165] *deest C.* [166] rationalem *C.* [167] *deest C.* [168] reconciliari *G.* [169] debuit *C.* [170] remittetur *C.* [171] *deest C.* [172] contigit *G.* [173] cum *G.* [174] officio privilegii *C.* [175] contigit *G.* [176] n. est a. *C.* [177] neglentiæ c. [178] sarcinam *G.* [179] u. vero h. *C.*

ruptam filiam non posse conjugio copulari, quousque per publicam pœnitentiam et ipsa et parentes, si forte consensisse probati fuerint, reconciliationem et sacri altaris communionem obtinere meruerint.

10. De (47) raptoribus vero, antiquorum Patrum statuta sequentes, hoc tenendum censemus, ut si eas rapuerint quæ cum sponso pariter benedictione sacerdotale initiatæ sunt, licet easdem corruperint, abstrahantur tamen ab his, et propriis sponsis reddantur. Quæ vero vel viduæ sunt, vel adhuc sponsæ non fuerint, et absque ipsarum et parentum voluntate rapiuntur, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, et aliis, si voluerint, nubant. Nam ipsis a quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenus esse possunt. Ipsos [170] autem raptores eisque auxilium præbentes, quamquam anathematizandos antiqui canones præcipiant, in ultimo tamen constitutis, si devote postulaverint, sacræ communionis viaticum pro misericordia dandum non negamus. Quod si aliquis de ordine clericali hujusmodi transgressoribus [171] cooperator extiterit, proprii gradus honore carebit.

11. Inveniuntur nonnulli per diversas provincias et civitates habentes possessiones, qui cum aliquod publice scelus perpetraverint et ab episcopo vel presbiteris loci conventi fuerint, ut penitudinem gerant, ab alterius civitatis episcopo vel presbitero se jam penitentiam [172] suscepisse, vel suscipere, velle fateantur [173], atque ita sibimet illudentes, Deo mentiri conantur. Tales ergo ab episcopo civitatis in cujus parrochia scelus commissum est, statim communione privati, ad agendam penitentiam cogantur. Scribat autem qui eum communione privaverit, aliis quoque episcopis in quorum parrochiarum territoriis hujusmodi prædia possidet, ut et ipsi rem [174] scientes, a sua illum communione removeant, ne forte postmodum per ignorantiam sibi subreptum querantur. Manifesta etenim est [175] ecclesiastica sanctio, continens [176], ut qui ab uno episcopo excommunicatus est, ab aliis ei non debeat episcopis communicari.

12. Hoc autem omnibus christianis intimandum est, quia hi qui sacri altaris communione privati, et pro suis sceleribus reverendis aditibus exclusi, publicæ pœnitentiæ subjugati sunt, nullo militiæ secularis uti cingulo [177], nullamque reipublicæ debent administrare dignitatem; quia nec popularibus conventibus [178] eos misceri oportet, nec vacare salutationibus, nec quorumlibet causas judicare, cum sint ipsi divino addicti judicio; domesticas autem necessitates curare non prohibentur, nisi forte, propter scelerum ut sæpe fit enormitatem conscientiæ stimulis exagitati, et mente [179] perculsi, ipsius privatæ rei [180] amministrationem implere nequiverint. Qui vero ad admonitionem [181] episcopi seu sacerdotum pro perpetrato palam scelere pœnitentiæ remedium suscipere noluerint, magis abjiciendi sunt, anathematizandi scilicet, et tamquam putrida ac desperata [182] membra ab universalis ecclesiæ corpore dissecandi; cujusmodi jam inter christianos nulla [183] legum, nulla morum, nulla collegii participatio est, quibus neque in ipso exitu communicatur, et quorum neque post mortem, saltim inter defunctos fideles, commemoratio fit. Sed si ad hoc inrevocabile judicium obdurati cordis contemptus trahit, non sine magna tamen examinatione veniendum est, et omnia sacerdoti prius experienda, nec absque metropolitani cognitione et provincialium episcoporum communi judicio quemlibet anathematizandum esse permittimus.

13. Propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus archipresbiteros præesse volumus; qui non solum inperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbiterorum qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectionem custodiant; et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuntient. Nec obtendat episcopus, non egere plebem archipresbitero, quod ipse eam per se gubernare valeat; quia et si valde idoneus est, decet tamen ut parciatur onera sua, et sicut ipse matrici præest, ita archipresbiteri præsint plebeis, ut in nullo titubet æclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.

14. Quia non tantum a secularibus personis, immo et ab ipsis præsulibus, quod minime decuit, tam virorum quam feminarum monasteria destructa inveniuntur, placuit sanctæ synodo, ut ab episcopis primum eorum status recuperationis sumat exordium, et omnia monasteria quæ sub episcoporum sunt potestate, protinus restaurentur, et quicumque episcoporum ad venturam sequentis anni Domino propitio synodum monasteria quæ sub sua potestate neglecta fuerant, aliqua ex parte recuperasse repertus non fuerit, excommunicetur.

15. Similiter et de synodochiis statuimus, ut quæcumque in episcoporum sunt potestate, secundum dispositionem eorum qui ea instituerunt gubernentur; quæ autem sub defensione quidem sunt ecclesiæ, set juxta institutorum decreta per heredes vel parentes [184] qui religiosam vitam duxerint regi debent, procuret episcopus, ut ab eis non negligantur. Et si in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiuntur, ecclesiasticæ subjaceant disciplinæ. Quod si heredes, sive clerici sive seculares, adeo inportune contra

VARIÆ LECTIONES.

[170] ipsi *G.* [171] transgressor vel cooperator *V. Vn.* t. aut c. *Est.* [172] penitentiæ *G.* [173] fatentur *G.* [174] non *C.* [175] et *C.* [176] continet *C.* [177] concilio *C.* [178] gentibus *C.* [179] et in se *C.* [180] regi *G.* [181] administrationem *C.* [182] desparata *G.* [183] nullam *G.* [184] pertinentes *C.*

NOTÆ.

(47) In codd. Fl. fol. 129. V. Vn. Est. apud Murat. inter Ludovici II leges, cap. 3.

majorum suorum decreta iré temptaverint, ut testatoris institutionem subprimere vel obscurare nitantur et inter se sinodochii substantiam dividere, nuntietur sacratissimo imperatori, et ejus auctoritate hujusmodi transgressorum nequitia coherceatur.

16. Suggerendum est beatissimis imperatoribus, quia hi qui monasteria et sinodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quod a nullo melius quam a summis potestatibus protegenda crediderint, et si ea, contra decreta instituentium, personis quibus non licet dederint, ipsi impugnatores efficiuntur qui propugnare debuerant; et cavendum summopere est principibus, ut qui a nemine [185] nunc inde judicantur, ne in futuro juditio ab omnipotente Deo gravius judicentur; secundum apostolum etenim horrendum est incidere in manus Dei viventis. Nos vero qui debitores sumus ut fideliter annuntiemus, idcirco humiliter suggerimus, quod silere non audemus.

17. Omnes christianos scire oportet, quia omnium rerum suarum decimationem Deo fideliter reddere debent, et secundum episcoporum dispositionem, sacerdotum et reliquorum clericorum usibus cetevisque ecclesiasticis utilitatibus distribuendæ sunt. Qui vero eas suo arbitrio et non secundum episcopi [186] dispositionem dispensare conatur, duplicem reatum incurrit: unum quia dominicam substantiam impie subtrahit, alterum quia rem sacram sacrilega temeritate violare præsumit. Quisquis igitur post admonitionem episcopi et sacerdotum vel [187] decimas dare contempserit, vel [188] pro suo arbitrio [189] quibus dandæ non sunt dare præsumpserit, tamquam divinarum sanctionum contemptor et temerator, sacerdotali est vigore plectendus, et a sacræ communionis participatione removendus.

18. Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina et providentia gubernantur; tales enim acefalos, id est sine capite, prisca ecclesiæ consuetudo nuncupavit. Docendi sunt igitur seculares viri, ut si in domibus suis misteria divina jugiter exerceri desiderant [190], quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur, qui ab episcopis examinati fuerint, et ab ordinatoribus suis commendaticiis litteris comitati probantur, cum ad peregrina forte migrare necesse [191] est. Si qui ergo contemptores canonum extraordinarie et inlicite ministrantes, et divina sacramenta taliter violantes inveniuntur, primum ab episcopo uterque admoneatur [192], et vagans, scilicet clericus vel sacerdos, et is qui ejus usurpativo [193] fruitur officio, et si ab hac noluerint se temeritate compescere, excommunicentur [194] Sed et [195] ille excessus omnino inhibendus est, quod quidam seculares viri presbiteros aut alios clericos conductores, vel procuratores, sive exactores fiscalium rerum vel reditnum aut vectigalium constituunt; si quis [196] igitur deinceps hujus exorbitationis reus inventus fuerit, uterque excommunicetur, tam ipse qui constituit, quam ille qui indigne paruit [197].

19. Quia terribiliter propheticus sermo minatur, ad usuram dantem et amplius accipientem, in æternum non esse victurum et non habitaturum in tabernaculo [198] altissimi, nec requieturum in monte sancto Dei, censemus ut quicumque hoc [199] perpetrasse inveniuntur, si supersunt a quibus usuras exegerunt, ipsis restituant quæ superhabundantius absulisse probantur; si autem decesserint [200], heredibus eorum saltim medietatem refundant, aut elemosinis redimant quod cupiditate deliquerunt. Deinceps vero qui hæc sectari inventus fuerit, si laicus est, excommunicetur, sacerdos autem vel clericus si ad episcopi admonitionem ab hoc turpi et pestifero negotio se non cohibuerit, proprii gradus periculum sustinebit.

20. Comperimus quod ab his qui secundum mundanas leges viduarum et orfanorum tutelam sibi vindicant, non solum neglegantur [201], verum etiam aliquotiens opprimantur; quibus [202] ecclesiastica sollicitudine succurrendum censemus. Et si hujusmodi oppressores [203] ad episcopalem admonitionem corrigi voluerint, gratulandum his est, si autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum clementissimo imperatori, quatinus ipse efficacem tutorem eis tribuat, ut et illi remuneratio reddatur a Deo, et de inutili silentio sacerdotalis ordo non dampnetur.

21. Quidam clericorum vel monachorum peregrinantes, per diversas vagando provincias et civitates, multiplices spargunt errores, et inutiles quæstiones disseminant, decipientes corda simplicium. De his decrevit sancta sinodus, ut ab episcopo loci detineantur, et ad metropolitanum deducti, discussione ecclesiastica examinentur; et si vanitatis atque jactantiæ, non autem utilitatis aut doctrinæ causa, has inquietudines serere reperiuntur in populis, velut ecclesiasticæ pacis perturbatores, congruenti disciplina macerentur.

22. Inventi sunt multi, et maxime de rusticis, qui adultas feminas sub parvulorum filiorum nomine in domibus suis introduxerunt, et postmodum ipsi soceri nurus suas adulterasse convicti sunt. Idcirco inhibendum decernimus, ut nulli deinceps imperfectæ ætatis puero adulta femina jungatur; sed cum ad æta-

VARIÆ LECTIONES.

[185] quia minime *C.* [186] *deest C.* [187] *deest C.* [188] *deest C.* [189] *deest G.* [190] debeant *C.* [191] *deest C.* [192] amoveatur *C.* [193] usurpative *G.* [194] *hic Canis. caput XIX incipit.* [195] *deest G.* [196] qui *G.* [197] *hic in Canisio caput XXIV.* Omni ratione caret *etc. insertum legitur.* [198] habitaculo *G.* [199] homo *G.* [200] decesserit *G.* [201] nec regantur *C.* [202] qui sibi *C.* [203] suppressores *C.*

tem idoneam adulescentes venerint, tunc legitimo possint conubio [204] copulari.

23. Quia pestiferas adhuc stirpes et reliquias artis magicæ in tantum vigere ad nos perlatum est, ut quædam maleficæ inlicitum amorem aliorum mentibus, aliis vero odium inmittere dicantur; quædam etiam ita venenariæ sunt, ut quosdam peremisse multo populi rumore deferantur, hujusmodi dialoli ministras diligenti examinatione proditas, sub acerrima penitentia redigendas statuimus, et in ipso tantum exitu, si tamen prius digna pœnitentiæ opera fecerint, reconciliandas esse permittimus.

24. Omni ratione caret, et religioni christianæ noxium et contrarium noscitur, ut Judei a christianis vectigalia exigant, aut ullas civiles aut criminales causas inter christianos judicandi locum habeant; quicumque igitur judiciariæ potestatis super christianos aliquam administrationem Judeo [205] tractare permiserit, a christiana cummunione pellatur.

CAPITULA DE ORDINIBUS ECCLESIASTICIS [206].

1. Placuit sancta synodo domesticam et interiorem episcopi conversationem totius inreprehensibilis atque suspicionis inpenetrabilem fieri debere, ut juxta Apostolum provideamus bona non tantum coram Deo sed etiam coram omnibus hominibus. Oportet igitur, ut cubiculo episcopi et secretioribus quibuslibet obsequiis sinceræ opinionis sacerdotes et clerici assistant [207], qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem episcopum suum jugiter attendant, ejusque sanctæ conversationis testes, imitatores, et ad Dei gloriam prædicatores existant.

2. Statuimus, ut non tantum dominicis diebus et præcipuis festivitatibus episcopi missas celebrent, sed cum possibile fuerit cottidiana quoque sacrificia frequentent, nec fastidiant primum pro se, deinde pro sacerdotibus, pro regibus, et cunctis ecclesiæ Dei rectoribus, et pro his qui se orationibus ipsorum peculiariter commiserunt, et maxime pro pauperibus preces fundere, et omnipotenti Deo hostias offerre, comitante pia compunctione et sacræ devotionis affectu; quod magis occulte sacrificantibus convenit, ut ipse quoque sacerdos hostia viva fiat, et sacrificium Deo spiritu contribulato.

3. Placet episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas ad comedendum et potandum non urguere, quin potius semper se sobrietatis præbeat exemplum. Removeantur ab ejus convictu cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra spectacula, non acromatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scuriles admittantur præstigiæ; adsint peregrini et pauperes et debiles, qui de sacerdotali mensa, Christum benedicentes, benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur vivæ vocis exhortatio, ut non tantum corporali cibo, ymmo verbi spiritalis alimento, convivantes se refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum dominum nostrum.

4. Ut episcopus omnes affectiones, quæ a sancta conversatione et sacerdotali abhorrent [208] officio, penitus repudiet, et non cum canibus aut accipitribus vel capis, quos vulgo falcones vocat, per se ipsum venationes non exerceat. Equorum quoque mulorumque superfluam curam contemnat, prætiosarumque vestium cultum, et dissolutum ac velut ad pompam compositum vitet incessum. Sit sacerdotis eloquium spiritali sale conditum, non injuriosis [209] et protervis et coturnosis vocibus tumidum. Sit sermo episcopi juxta evangelium: est, est, non, non. Si quid enixius affirmandum duræ forsitan audientium mentes exigunt, more potius apostolico interponat suæ locutioni [210]: Deus scit, aut: coram Deo, quam: per imperatoris gratiam, sicut militantibus seculo jurare celebre est, sua dicta confirmet. Purgetur sane Domino suffragante ab omni levitate atque jactantia dignitas episcopalis, ut in omnibus christianis bonæ conversationis speculum fieri valeat.

5. Ut episcopi canonicas scripturas et sancta dogmata jugi meditatione discutiant, et presbyteris ac clericis suis subtilius tractando et disserendo occultos sanctarum litterarum thesauros aperiant; populis vero juxta ipsorum capacitatem dominicis et festis diebus verbum predicationis impendere non negligant. Quod si quis se deinceps ab hac observatione et ab his quæ superius sunt statuta substraxerit, tamquam proprii desertor officii divinis legibus subjacebit.

6. Sollicite procurent episcopi, quam diligentiam erga plebem sibi commissam unusquisque presbyterorum gerat. Oportet enim ut plebium archipresbyteri per singulas villas unumquemque patrem familias commoneant, quatinus tam ipsi quam omnes in eorum domibus commorantes qui publice crimina perpetrarunt, publice peniteant. Qui vero occulte deliquerunt, illis confiteantur quos episcopi et plebium archipresbyteri idoneos [211] ad secretiora vulnera mentium medicos elegerunt. Qui si forsitan in aliquo dubitaverint, episcoporum suorum non dissimulent implorare sententiam. Si vero episcopus hesitaverit, non aspernetur consulere vicinos episcopos, et ambiguam rem alterius, aut certe duorum vel trium fratrum examinare consensu, quod adeo aliqua obscuritate vel novitate perplexa res fuerit. Si quidem diffamatum certæ personæ scelus est, metropolitani et provincialis synodi palam sententiam requiratur, ut illud impleatur Apostoli: *Peccantes publice argue*, ut ceteri metum habeant. Si autem occulta confessio est, et his a quo queritur salutis consilium explicare non sufficit, potest subpresso [212] facinerosi nomine, qualitas quantitasque peccati

VARIÆ LECTIONES.

[204] conjugio *C.* [205] judicio *C.* [206] Item alia capitula domni hlotharii de ordinibus ecclesiasticis *codex Blank.* [207] asistant c. [208] abhorent c. [209] juriosis c. [210] locutionis c. [211] idenens *cod.* [212] subpresse c.

discuti, et congruus correctionis modus inveniri. Similiter autem et in singulas urbium vicis et suburbanis per municipalem archipresbyterum et reliquos ex presbyteris strenuos ministros procurent episcopus, habita penitus in rebus dubiis observatione quæ superius præfixa est.

7. Oportet etiam per oppida singula villasque curam gerere presbyteros, qualiter penitentes impositam sibi abstinentiæ formam custodiant, et utrum elemosinarum largitioni vel aliis remissionem peccatorum promerentibus piis operibus inserviant, et qua cordis contritione vel lamentatione se ipsos afficiant. Ut hac consideratione præmissa, penitudinis tempus rationabilem possit accipere terminum, et vel extendatur si penitens neglegenter injuncta prosecutus est, vel brevietur si desideranter veniæ placationem studuit promereri. Reconciliatio vero penitentum juxta antiquorum canonum instituta non a presbyteris sed ab episcopis fieri debet, nisi forte quis in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari devote petierit; si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter episcopum consulere, et sic penitentem ejus precepto reconciliare. Aliter autem, sicut nec chrismatis confectio, vel puellarum consecratio, ita nec penitentum reconciliatio ullatenus a presbyteris fieri debet. Quia solis episcopis apostolorum vicem tenentibus per manus impositionem specialiter in ecclesia conceditur, quod tunc apostolis ab ipso Domino dicente concessum est: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*

8. Illud quoque salutare sacramentum quod commendat Jacobus apostolus dicens: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, et orent super eum unguentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et suscitabit illum Dominus; et si in peccatis fuerit, remittuntur ei,* sollerti prædicatione populis innotescendum est. Magnum sane et valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, peccata remittuntur. Sed quia frequenter contingit, ut egrotans aliquis aut sacramenti vim nesciat, aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci presbyter congruenter admonere, quatinus ad hanc spiritalem curam secundum propriæ possibilitatis vires vicinos quosque presbyteros invitet. Hoc tamen sciendum, quia si his qui infirmatur publicæ penitentiæ mancipatus est, non potest hujus misterii consequi medicinam, nisi prius reconciliatione percepta, communionem corporis et sanguinis Christi meruerit. Cui enim reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis est, ut per se ipsum visitandum et unguendum dignum existimet episcopus, ab ipso quam plurimum competenter fieri valet, a quo ipsum chrisma confitetur, et cui peccata remittendi officii privilegio potestas concessa est.

9. Ex diversis partibus perventum est ad sacram synodum, quod quidam parentum filias suas cum ad nubilem pervenerint ætatem, easque pro suo modulo satis convenienter nuptu tradere possint, diutius quam necesse est secum detineant. Unde sepe contingit ut in ipsa paterna domo corrumpantur. Fertur et de quibusdam, quod dictu quoque nefas est, ipsos parentes filiarum suarum corruptoribus conhibentiam præbere, et natarum suarum lenones existere. Monendi igitur a presbyteris sunt patres familias, ut filiabus suis tempestive nuptias provideant, et calorem ferventis ætatis conjugali lege præveniant [213]. Primum scientes, quia tales, etsi post corruptelam legitimis viris copulatæ fuerint, non possunt tamen cum sponso pariter sollemne benedictionis a sacerdote munus percipere; deinde si in eorum domibus tale nefas acciderit, siquidem illis nescientibus, pro sola neglegentiæ culpa penitentiæ subjiciendi sunt. Si vero corruptionis turpitudinem ipsi consenserint, majoribus qui prohibere debuerint penitentiæ sarcina quam ipsis qui perpetrarunt imponenda est. Ad ultimum hoc noverint ecclesiasticis sanctionibus esse præfixum, ut nullus publice penitens usque ad tempus peractæ penitentiæ conjugium contrahere valeat; et hac ratione corruptam filiam non posse conjugio copulari, quousque per publicam penitentiam et ipsa et parentes, si forte consensisse probati fuerint, reconciliationem et sacri altaris communionem obtinere meruerint.

10. De raptoribus vero antiquorum Patrum statuta sequentes, hoc tenendum censemus, ut si eas rapuerint, quæ cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatæ sunt, licet easdem corruperint, abstrahantur tamen ab his, et propriis sponsis reddantur. Quæ vero vel viduæ sunt vel adhuc sponsæ non fuerunt, et absque ipsarum et parentum voluntate rapiuntur, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, et aliis si voluerint nubant. Nam ipsis a quibus raptæ sunt legitimæ demum uxores nullatenus esse possunt; ipsos autem raptores eisque auxilium præbentes quamquam anathematizandos antiqui canones præcipiant, in ultimo tamen constitutis, si devote postulaverint, sacræ communionis viaticum pro misericordia dandum non negamus. Quod si aliquis de ordine clericali hujusmodi transgressoribus cooperator extiterit, proprii gradus honore carebit.

11. Inveniuntur nonnulli per diversas provincias et civitates habentes possessiones [214], qui cum aliquod publice sceleris perpetraverint, et ab episcopo vel presbyteris loci commoniti fuerint, ut penitudinem gerant, ab alterius civitatis episcopo vel presbytero se jam penitentiam suscepisse vel suscipere velle fateantur, atque ita sibimet illudentes Deo

VARIÆ LECTIONES.

[213] proveniant c. [214] passiones *cod.*

mentiri conantur. Tales ergo ab episcopo civitatis in cujus parrœchia scelus commissum est, statim communione privati, ad agendam pœnitentiam cogantur. Scribat autem qui cum communione privaverit, aliis [215] quoque episcopis in quorum parrœchiarum territoriis hujusmodi prædia possidet, ut et ipsi rem scientes a sua illum communione removeant, ne forte postmodum per ignorantiam sibi subreptum quærantur. Manifesta etenim ecclesiastica sanctio continet, ut qui ab uno episcopo excommunicatus est, ab aliis ei non debeat episcopis communicari.

12. Hoc autem omnibus christianis intimandum est, quia hi qui sacri altaris communione privati, et pro suis scelcribus reverendis adibus exclusi, publicæ pœnitentiæ subjugati sunt, nullo militiæ secularis uti cingulo, nullamque rei publicæ debeant administrare dignitatem, quia nec popularibus conventibus eos misceri oportet, nec vacare salutationibus, nec quorumlibet causas judicare, cum sint ipsi divino addicti judicio; domesticas autem necessitates curare non prohibentur, nisi forte, propter scelerum ut sepe fit enormitatem conscientiæ stimulis exagitati, et mente perculsi, ipsius privatæ rei administrationem implere nequiverint. Qui vero ad admonitionem episcopi seu sacerdotum pro perpetrato palam scelere pœnitentiæ remedium suscipere noluerint, magis abjiciendi sunt, anathematizandi scilicet, et tamquam putrida ac desperata membra ab universalis ecclesiæ corpore dissecandi. Hujusmodi jam inter christianos nulla legum, nulla morum, nulla collegii participatio est, quibus neque in ipso exitu communicetur, et quorum neque post mortem, saltem inter defunctos fideles, commemoratio fiat. Sed si ad hoc irrevocabile judicium obdurati cordis contemptus trahit, non sine magna tamen examinatione veniendum est, et omnia sacerdoti prius experienda, nec absque metropolitani cognitione et provincialium episcoporum communi judicio quemlibet anathematizandum esse permittimus.

13. Propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus archipresbyteros preesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum qui per minores titulos habitant vitam jugi circumspectione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuntient. Nec obtendat episcopus, non egere plebem archipresbytero, quod ipse eam gubernare valeat. Quia etsi valde idoneus est, decet tamen ut partiatur onera sua, et sicut ipse matrici præest, ita archipresbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo; cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid [216] contra ejus decretum ordinare præsumant.

14. Quia non tantum a secularibus personis, immo et ab ipsis præsulibus, quod minime decuit, tam virorum quam feminarum monasteria destructa inveniuntur, placuit sancta synodo, ut ab episcopis primum eorum status recuperationis sumat exordium, et omnia monasteria quæ sub episcoporum sunt potestate, protinus restaurentur. Et quicumque episcoporum ad venturam sequentis anni Domino propitio synodum monasteria quæ sub sua potestate neglecta fuerant, aliqua ex parte recuperasse repertus non fuerit, excommunicetur.

15. Similiter et de senedochiis statuimus ut quæcumque in episcoporum sunt potestate, secundum dispositionem eorum qui ea instituerunt gubernentur. Quæ autem sub defensione quidem sunt ecclesiæ, sed juxta institutorum decreta per heredes vel pertinentes qui religiosam vitam duxerint regi debent, procuret episcopus ut ab eis non negligantur [217], et si in aliquo male tractationis obnoxii reperiuntur, ecclesiasticæ subjaceant disciplinæ. Quod si heredes, sive clerici sive seculares, adeo importune contra majorum suorum decreta ire temptaverint, ut testatoris institutionem subprimere vel obscurare nitantur, et inter se senodochii substantiam dividere, nuntietur sacratissimo imperatori, ut ejus auctoritate hujusmodi transgressorum nequitia coherceatur.

16. Suggerendum est beatissimis imperatoribus quia hi qui monasteria et senedochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quod a nullo melius quam a summis potestatibus protegenda crediderunt. Et si ea contra decreta instituentium personis quibus non licet dederint, ipsi impugnatores efficiuntur qui propugnare debuerant; et cavendum summopere est principibus, ut qui a nemine nunc [218] inde judicantur, ne in futuro judicio ab omnipotente Deo gravius judicentur; secundum Apostolum, etenim horrendum est incidere in manus Dei viventis. Nos vero quia debitores sumus, ut fideliter annuntiemus, idcirco humiliter suggeremus, quod silere non audemus.

17. Omnes christianos scire oportet quia omnium rerum suarum decimationem Deo fideliter reddere debent, et secundum episcoporum dispositionem sacerdotum et reliquorum clericorum usibus ceterisque ecclesiasticis utilitatibus distribuendæ sunt. Qui vero eas suo arbitrio et non secundum episcopi dispositionem dispensare conatur, duplicem reatum incurrit: unum quia dominicam substantiam impie subtrahit, alterum quia rem sacram sacrilega temeritate violare præsumit. Quisquis igitur post admonitionem episcopi et sacerdotum vel decimas dare [219] contempserit, vel pro suo arbitrio quibus dandæ non sunt dare præsumpserit, tamquam divinarum sanctionum contemptor [220] et temerator, sacerdotalem vigorem plectendus et a sacræ communionis participatione removendus est.

VARIÆ LECTIONES.

[215] alii *cod.* [216] aliquod *corr.* aliquid *cod.* [217] eglegantur *cod.* [218] nun *c.* [219] dare *usque* dare *decst in codice.* [220] contempto I

18. Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina et providentia gubernantur. Tales enim acefalos, id est sine capite, prisca ecclesiæ consuetudo nuncupavit. Docendi sunt igitur seculares viri, ut si in domibus suis mysteria divina jugiter exerceri desiderant, quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur, qui ab episcopis examinati fuerint, et ab ordinatoribus suis commendaticiis litteris comitati probantur, cum ad peregrina forte migrare necesse est. Si qui eorum contemptores canonum extraordinarie et inlicite ministrantes, et divina sacramenta taliter violantes inveniuntur, primum ab episcopo uterque admoneatur, et vagans, scilicet clericus vel sacerdos, et si qui ejus usurpativo fruitur officio, et si ab hoc nolierint se temeritate compescere, excommunicentur. Sed et ille excessus omnino inhibendus est, quod quidam seculares viri presbyteros aut alios clericos conductores vel procuratores sive exactores fiscalium rerum vel redituum ac vectigalium constituunt. Si quis igitur deinceps hujus exhorbitationis reus inventus fuerit, uterque excommunicentur, tam ipse qui constituit, quam ille qui indigne paruit.

19. Quia terribiliter propheticus sermo minatur, ad usuram dantem et amplius accipientem in æternum non esse victurum, et non habitaturum in tabernaculo altissimi, nec requieturum in monte sancto Dei, censemus ut quicumque hæc perpetrasse inveniuntur, si supersunt a quibus usuras exigerunt, ipsis restituant quæ superhabundantius abstulisse probantur. Si autem decesserunt, heredibus eorum saltem medietatem refundant, aut elemosinis redimant quod cupiditate deliquerunt. Deinceps vero qui hæc sectari inventus fuerit, si laicus est, excommunicetur; sacerdos autem vel clericus si ad episcopi admonitionem ab hoc turpi et pestifero negotio se non cohibuerit, proprii gradus periculum sustinebit.

20. Comperimus quod ab his qui secundum mundanas leges[221] viduarum et orfanorum tutelam sibi vindicant, non solum neglegantur, verum etiam aliquotiens opprimantur: quibus ecclesiastica sollicitudine succurrendum censemus. Et si hujusmodi oppressores ad episcopalem admonitionem corrigi voluerint, gratulandum his est. Si autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum clementissimo imperatori, quatinus ipse efficacem tutorem ejus tribuat, ut et illi remuneratio reddatur a Deo, et de inutili silentio sacerdotalis ordo non damnetur.

21. Quidam clericorum vel monachorum peregrinantes per diversas vagando provincias et civitates, multiplices spargunt errores et inutiles quæstiones disseminant, decipientes corda simplicium. De his decrevit sancta sinodus, ut ab episcopo loci detineantur, et ad metropolitanum deducti, A discussione ecclesiastica examinentur. Et si vanitatis atque jactantiæ, non autem utilitatis aut doctrinæ causa, has inquietudines serere reperiuntur in populis, velut ecclesiasticæ pacis perturbatores congruenti disciplina macerentur.

22. Inventi sunt multi, et maxime de rusticis, qui adultas feminas sub parvulorum filiorum nomine in domibus suis introduxerunt, et postmodum ipsi soceri nurus suas adulterasse convicti sunt. Idcirco inhibendum decernimus, ut nulli deinceps imperfectæ ætatis puero adulta femina jungatur. Sed cum ad ætatem idoneam adolescentes venerint, tunc legitimo possunt conubio copulari.

23. Quia pestiferas adhuc stirpes et reliquias artis magicæ in tantum vigere ad nos perlatum est, B ut quædam maleficæ inlicitum amorem aliorum mentibus, aliis vero odium immittere dicantur, quædam etiam venenariæ sunt, ut quosdam peremisse multo populi rumore deferantur, hujusmodi diaboli ministras diligenti examinatione proditas, sub acerrima pœnitentia rediigendas statuimus, et in ipso tantum exitu, si tamen prius digna pœnitentiæ opera fecerint, reconciliandas esse permittimus.

24. Omni ratione caret, et religioni christianæ noxium et contrarium noscitur, ut Judei a christianis vectigalia exigant, aut ullas civiles aut criminales causas intra christianos judicandi locum habeant. Quicumque igitur judiciariæ potestatis super christianos aliquam administrationem Judeo tractare permiserit, a christiana cummunione pellatur.

C CAPITULA COMITIBUS AB IMPERATORE PROPOSITA.

1. Ut aperte deprædationes quæ fiunt adversus eos qui Romam orationis causa, eosque qui vel ad marcatum, aut ad alias utilitates suas proficiscuntur, quemadmodum comprimantur, ne fiant ulterius, comitum nostrorum consilium quærimus.

2. Potentes autem, ne circa domos in quibus habitant oppressiones exerceant, quibus pauperes affliguntur [222], quia solent cum suis caballis, ac reliquis animalibus inter reliquas violentias aliorum prata decerpere, nihilhominus autem et hiemis tempore, occasione nutriendorum equorum illos affligunt, per eos etiam scire volumus, qualiter hoc emendandum sit.

3. Quando ad palatium, vel ad alia loca potentes D properant, et in exposcendis hospitiis pauperes adgravant, inquirere placet, qualiter hæc oppressio fieri desinat.

4. Furta quoque quæ crebro longe lateque per Italiam fiunt, quo studio reprimantur, inquirimus.

5. Et hoc scire volumus, qua censura redarguendi sunt illi, qui pontem Tycynensem totiens a nobis commoniti facere neglexerunt, et ut non solum ille, sed omnes [223] Italiæ pontes qui emendatione indi-

VARIÆ LECTIONES.

[221] *deest* c. [222] afligantur *cod.* [223] omnium *corr.* omnis *cod.*

g nt, qualiter ad statum antiquitat's revocentur.

6. Naves autem quæ propter custodiam littoris, per mare sunt antiquitus ordinatæ ad præcavendas adversariorum insidias, qualiter secundum ordinem eundem reparatæ fiant, oportune consulimus, quoniam hac desidia non modica ex parte populus noster inimicorum insidias sustinet.

7. Qualiter autem palatia nostra, quæ longa vetustate vel neglegentia sunt obsoleta, reparentur atque reficiantur, comitum nostrorum consultus inquiritur.

8. Et ut status rei publicæ nostræ in hoc non videatur infirmari, dicant nobis si conveniens sit, ut unusquisque comes, domos a nobis susceptas, bene prævisas et commendatas habeat, aut si quæ indigent emendatione, statum pristinæ soliditatis suscipere congruum videatur.

9. Qualiter autem missi domni ac genitoris nostri, ac nostri, vel apostolici, debito suscipiantur honore, dicendum est; atque ad nostram notitiam per comites nostros volumus perveniri, de quibus rebus, aut facultatibus, hujuscemodi sumptus et apparatus legationi designatæ delegatus, sumebatur antiquitus, aut a quibus personis exigebantur parvareda, ut et nostro tempore idem ordo servetur, nec ad alias res aut personas usus iste retorqueatur.

10. Hoc etiam audire desideramus, si in judicio comitum prius miserorum causæ, id est viduarum, pupillorum, ceterorumque pauperum quærimoniæ terminandæ sint, ac deinde potentiorum; quod si ab aliquo tales Christi pauperes sunt despecti, qualiter hoc emendare velint, inquirentibus nobis insinuent [215].

LEGES AB IMPERATORE PROMULGATÆ.

De [216] rebus vero sæcularibus hæc statuit piissimus imperator Hludowicus, quæ gloriosi quoque genitoris ejus Hlotharii serenissimi Augusti auctoritate firmata sunt.

1. Perventum est ad nos quod eos qui Romam orationis causa pergunt, vel qui negotiandi gratia per regnum nostrum discurrunt, collecti latrones diripiant, eosque aliquotiens vulnerent vel occidant, et bona eorum diripiant. Ideo volumus, ut comites nostri, eorumque sculdassi [220] adjunctis secum vassallis episcoporum, si necessitas fuerit, ubicumque tales audierint [217], studiosissime perquirant, et [218] eos capiant atque distringant. Et si hujus criminis reos invenerint, pœnas in legibus positas, erga eos absque ulla neglegentia exsequantur, ut ab his malefactoribus regnum nostrum purgetur, et qui in nostra fiducia huc veniunt, sive orationis, seu [219] negotiandi gratia, salvi esse possint. Sciat autem unusquisque fidelium nostrorum, quia quicumque comes, vel quilibet publicus minister, hujusmodi malefactoribus aut adsensum præbuerit, aut eos [220] persequi neglexerit, nostræ indignationis motum sentiet, et proprio honore privabitur.

2. Sed et hoc [221] comperimus, quia ex diversis locis hujusmodi noxii homines inter se [222] conspirent, et diversos comitatus circumeuntes, prædas et rapinas, per villas, seu et [223] per vias, vel per silvas faciant, et innocentes homines deprædentur, et spolient; et hi quoque similiter volumus, ut diligenti studio perquisiti capiantur et distringantur. Et si obnoxii hujus sceleris inventi fuerint, legalibus pœnis absque ulla dilatione subigantur [224], et hujusmodi inquietudo, et injusta direptio, a populo nostro auferatur, et liceat omnibus sub nostra ditione degentibus, cum salvatione et [225] pace vivere, ut ordo rei publicæ secundum justam administrationem provisus [226], salvus et quietus permaneat.

3. Audivimus quoque quod quidam domos et possessiones habentes, concilient sibi atque consotient latrones aliunde venientes, eosque occulto foveant, et solatium dent [227] ad tale facinus perpetrandum, ut quicquid ipsi ex pernitioso opere adquisierint, cum eis [228] parciantur. Quod genus malefactorum pessimum judicamus, quia non solum ipsi mala peragunt, sed etiam aliorum opere et officio ad scelera utuntur. Ubicumque igitur in tali suspitione quilibet venerit, et rumor in populo dispersus fuerit, quod hæc facinora exerceat, si adhuc propalatum [229] non [230] est, cum duodecim se expurget [231]; si autem jam [232] in aliquo manifestus [233] aut deprehensus est, statim capiatur, et distringatur, et dampnationem legibus præfixam sustineat. Ubicumque vero sive manentes seu [234] vagantes latrones comprehendere publici muneris administrator voluerit, et ille se defensare conatus fuerit, si inter hæc forte eundem latronem occidi contigerit, nulla is qui eum occidit damnatione multetur, neque ullas inimicicias a parentibus, aut [235] persecutionem ab ullo ejus amico vel propinquo sustineat. Et [236] si aliquis ejus senior aut propinquus, propter hoc vindictam facere conatus fuerit, et judex publicus eum compescere non potuerit, per fidejussores idoneos talis persona ad nostram deducatur præsentiam, ut complices et fautores sceleratorum nostra animadversione flectantur. Ubicumque autem fama est tales habitare, inquisitio per sacramentum, per omnem populum circa manentem fiat; et cujuscumque gentis aut conditionis fuerint [237] per quos hoc inquiri melius potuerit, jusjurandum dare, cum a comite conventus fuerit, recusandi non habeat potestatem.

4. Sed et hoc pervenit ad notitiam nostram quod, quando potentes, et honorati, sive ecclesiastici ordinis [238] sive sæcularis, ad nos veniunt, a populo in quorum domibus mansiones accipiunt, suis usibus,

VARIÆ LECTIONES.

[215] insinuet *cod.* [216] *hæc in uno Sangallensi apud Canisium extant.* [217] eorum scudassii *C.* [218] fuerint *C.* [219] ut *C.* [220] sive *C.* [221] e. qui p. *C.* [222] *deest G.* [223] *deest G.* [224] *deest C.* [225] subiciantur *C.* [226] ac *C.* [227] prorsus *C.* [228] solatientur *C.* [229] ejus *C.* [230] prolatum *C.* [231] *deest C.* [232] purget *C.* [233] *deest C.* [234] manifestatus *C.* [235] sive *C.* [236] a. ullam p. *C.* [237] Quod *C.* [238] fuerit *C.* [239] *deest C.*

suorumque equorum necessaria per vim tollant, et hac occasione populus noster affligatur. Idcirco præcipimus ut omnis [349] fidelis noster, quicumque ad nostram præsentiam properat, nihil in veniendo aut revertendo ab aliquo violenter tollat; set suis hominibus et equis, nisi forte ab amicis stipendia acciperit, ab hospitibus suis præcio justo comparet. Nam quicumque hujus mali famam habuerit, cum ad nos venerit, veracem hominem volumus ut det, qui pro suis omnibus juret, nihil eos in itinere tulisse. Et si forte in aliquo se suosque obnoxios recognoscit, donet idoneum hominem, qui juret et [350] cuncta restituat, his quibus [351] abstulisse visus est.

5. Hoc etiam multorum querellis ad nos delatum est, quod potentes et honorati viri, in [352] locis quibus conversantur, minorem populum depopulentur, et opprimant, et [353] eorum prata depascant; mansiones etiam contra voluntatem privatorum hominum, sive pauperum, in [354] eorum domibus suis [355] hominibus disperciant, eisque per vim quælibet tollant. Unde præcipimus ut hoc ulterius non fiat, sed unusquisque honoratus noster se suosque ex suo pascat. Et si de loco ad locum migrat, cum summa pace transeat, et neque in manendo, neque in iter agendo, onerosus et damnosus aliis existat. Et hoc sciant omnes quia quicumque deinceps hoc transgredi præsumpserit, nostræ indignationis motum sustinebit, et proprio honore carebit.

6. Quia eorum desidia et neglegentia, qui palatia nostra secundum antiquam consuetudinem restaurare debuerant, in magno squalore et neglegentia sunt, et ad ruinam pœne pervenerunt, præcipimus, ut absque dilatione restaurentur, et quicunque inde neglegens fuerit, sciat quia nostra jussione tamdiu ibi residebit, quousque quod neglexerit pleniter recuperatum habeat.

7. Certissime cognovimus quia publicæ domus, quæ in singulis civitatibus ad ornatum nostræ rei publicæ antiquius constructæ fuerant, eorum desidia quibus commissæ sunt, ad lapsum et ruinam pœne pervenerint; unde jubemus, ut protinus restaurentur, et ad priorem statum recuperentur, quatinus nostris usibus, et externarum gentium legationibus quæ ad nos veniunt, satis congrua et decora fiant.

8. Sepe nostra auctoritate monuimus ut Tycinensis pons, secundum antiquam dispositionem restauraretur, sed hactenus ab aliquibus neglectum est; unde præcipimus ut quicunque in Kalendas Marcias portionem suam pleniter restauratam non habuerit, tamdiu ibi ipse sedeat, quousque perfectissime consummatam habeat. Per singulas quoque provincias super quælibet flumina ubi antiqua consuetudine pontes fieri soliti [356] sunt, instanter volumus ut restaurentur; et si alicubi aliquis casus exigit, ut pons noviter fiat, volumus ut communi opera totius populi circum habitantis ibi pons construatur.

9. Quia racionabiliter in singulis civitatibus cognovimus, unde missi transeuntes, vel stipendia, vel paravaredos acciperent, et nunc eorum temeritate violatum est quibus ipsa loca commissa sunt, et ab ordine suo res ad hoc deputatæ ad alios usus convertuntur, præcipimus ut juxta priorum [357] dispositionem, unde stipendia et paravaredos exigere consueverant, inde exigant, et nullatenus ad alios usus res ad hoc deputatæ ullo modo retorqueantur.

10. Hæc quæ superius nostra auctoritate agenda et observanda decrevimus, omnimodis ab omnibus nostris fidelibus cum summa reverentia observanda præcipimus; neque patimur ut nostra dispositio in aliquo titubet, aut a quocumque parvipendatur; hoc omnibus denuntiantes, quia quicumque his contraire præsumpserit, aut nostræ dispositionis ordinem non custodierit, et a nobis constituta temerare aut neglegere præsumpserit, si ecclesiastici est ordinis, secundum proprii gradus disciplinam cohercebitur; si autem et secularis muneris administrator est, nostra se noverit animadversione plectendum.

HLOTHARII, HLUDOWICI ET KAROLI CONVENTUS APUD MARSNAM II.

(*An.* 851.)

Pactum Prudentii Annalibus insertum (*Mon. Germ.* SS. tom. I, p. 445; [*Patrol.* CXV, col. 1390] et a Sirmondo et Baluzio editum, ope codicis 2) bibl. reg. Parisiensis n. 4838 recognovimus.

Hæc quæ sequuntur capitula acta sunt anno 851 *incarnationis Dominicæ, quando tres fratres reges, Hlotharius scilicet, Hlodowicus et Karolus, secus municipium Trejectum, penes locum qui dicitur Marsna, iterum convenerunt, et consultu episcoporum et cæterorum fidelium eadem capitula subscripserunt manibus propriis* (48), *et inter se ac inter fideles suos perpetuo se conservaturos promiserunt. Quæ capitula singulorum in populo adnuntiationes sequuntur.*

1. Ut omnium præteritorum malorum et contrarietatum, et supplantationum ac malarum machinationum atque molitionum, seu nocimentorum [358] in

VARIÆ LECTIONES.

[349] ut omnis *desunt C.* [350] aut *C.* [351] a q. *C.* [352] *deest C.* [353] *deest C.* [354] in e. *desunt C.* [355] *hæc finis editionis Canisii.* [356] soluti *cod.* [357] priorem *corr.* priorum *cod.* [358] *ita* 2. et *Prudentius.* nocumentorum *S. B.*

NOTÆ.

(48) Hinc capitulis istis *chirographi* nomen indiffum observat Sirmondus ex Karoli cap. 4 adversus Wenilonem Hincmari I, De divortio Lotharii, c. 23, ubi capp. 4 et 5 subnectuntur. Cæterum Prudentius hæc communi procerum consilio et consensu a regibus decreta, propriorumque nominum monogrammatibus confirmata narrat.

invicem actorum, abolitio ita inter nos et apud nos fiat, et a nostris cordibus penitus avellatur cum omni malitia et rancore, ut nec in memoriam, ad retributionem duntaxat mali vel contrarietatis atque exprobrationis [359] seu improperii, de cætero exinde quiddam veniat.

2. Ut [360] tanta, Domino cooperante, inter nos veræ caritatis beniguitas abhinc inante maneat [361] de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, sine dolo et simulatione, ut nemo suo pari suum regnum aut suos fideles, vel quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regium pertinet, discupiat, aut forsconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detractiones acceptet.

3. Ut unusquisque fideliter suum parem, ubicumque necessitas illi fuerit, et ipse poterit, aut per se, aut per filium, aut per fideles suos, et consilio et auxilio adjuvet, ut regnum, fideles, prosperitatem, atque honorem regium debite valeat obtinere. Et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret, quia in fratris sui adversitate, si evenerit, fraterno modo contristatur, et in prosperitate illius lætatur. Et talem fidem, sicut inter nos modo abhinc in ante [362] conservaturos confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, qui superfuerit, conservabit.

4. Et quia per vagos et tyrannica consuetudine inreverentes homines pax et quies regni perturbari solet, volumus ut ad quemcumque nostrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem et justitiam subterfugere [363] possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

5. Similiter et de eo agendum est, qui pro aliquo capitali et publico crimine a quolibet episcopo corripitur vel [364] excommunicatur [365], aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum et regis regimen [366] mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat aut susceptam legitime peragat, interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum ducit. Hic talis, cum episcopus ad cujus curam pertinebit nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicujus nostrum inveniat, et Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat; sed a nobis vel per ministros rei publicæ constringatur, ut et simul cum diabolica præda quam secum duxit ad episcopum suum redeat, et de quocumque crimine publico debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam ut legitime peragat compellatur.

6. Ut nostri fideles, unusquisque in suo ordine et statu, veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc inante contra legem et justitiam vel auctoritatem ac justam rationem aut damnabimus aut dehonorabimus, aut opprimemus vel indebitis machinationibus affligemus. Et illorum, scilicet veraciter nobis fidelium, communi consilio, secundum Dei voluntatem et commune salvamentum, ad restitutionem sanctæ Dei ecclesiæ et statum regni, et ad honorem regium atque pacem populi commissi nobis pertinenti, adsensum præbebimus; in hoc, ut illi non solum non sint nobis contradicentes et resistentes ad ista exsequenda, verum etiam sic sint nobis fideles et obedientes ac veri adjutores atque cooperatores, vero consilio et sincero auxilio, ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu suo principi et suo seniori esse debet.

7. Ut sic simul conjuncti et nos fratres ad invicem, et nos cum fidelibus nostris, et fideles nostri nobiscum, et omnes simul cum Deo nos reconjungamus, et, ut nobis sit propitius, illi pro devoto munere offeramus, ut unusquisque omnium nostrum absque sua [367] propria excusatione vel justificatione recognoscamus, in quibus aut singillatim aut communiter contra illius mandata et decreta suorum sanctorum fecimus aut consensimus in ordine ecclesiastico et statu regni, et per singula in medium illa producamus; et nemo nostrum suo aut propinquo, aut confœderato, immo nec sibi seculariter parcat, ut spiritaliter et salubriter parcere possit. Quin, sicut præmisimus in præcedenti capitulo, vero consilio et sincero auxilio illa in commune certatim emendare totis viribus procuremus, quam citius rationabiliter poterimus.

8. Et si aliquis de subditis in quocumque ordine et statu de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, seniores cum veraciter fidelibus suis hæc secundum Dei voluntatem [368] et legem ac justam rationem, velit aut nolit ille qui divino consilio et decreto et huic convenientiæ resistens et contradicens fuerit, exsequantur. Et si aliquis de senioribus de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cum plures seniorum nostrorum fideles et regnorum primores in unum convenerint, eorum qui hæc observaverint seniorum consilio, et episcoporum judicio ac communi consensu, qualiter de eo qui debite admonitus incorrigibilis perseveraverit agendum sit, favente Domino decernemus. Et ut obnixius suprascripta capitula a nobis, auxiliante Domino, inviolabiliter observentur, et nos illa observaturos certius credatur, manibus propriis eadem subter firmavimus.

Adnuntiatio Hlotharii [369].

Volumus ut vos sapiatis, ut [370] quid noster adven-

VARIÆ LECTIONES.

[359] a. e. *desunt Prud.* [360] Ut cum t. 2. [361] maneant 2. [362] antea 2. [363] s. non p. 2. s. velit *Prud.* [364] v. e. *desunt* 2. [365] e. a. a. *desunt Prud.* [366] nomen 2. [367] *deest* 2. [368] voluntate 2. [369] a. h. *desunt* 2. [370] *deest S. B.*

tus hic fuerit. Venimus hic, ut simul, adjuvante Deo, cum fidelibus nostris de Dei voluntate et statu sanctæ ecclesiæ ac regni, et communi nostro ac vestro profectu, consideraremus, sicut et fecimus ; et gratias Deo, sumus inde sic adunati, et ad nos invicem, et cum fidelibus nostris, sicut nos recognoscimus, quia et infra regnum et extra regnum per marcas nostras nobis est necessarium.

Adnuntiatio Hludowici.

Sicut meus frater vobis [371] dicit, magna necessitas est nobis et isti populo christiano qui nobis est a Deo commissus, ut nos ad invicem sic concordes et uniti simus, quomodo Dei voluntas est et veræ fraternitati convenit. Quod usque modo, postquam Deus istud regnum in manus nostras post patrem nostrum misit, per omnia, sicut necessitas fuerat, non fuimus : et ideo tanta Deo contraria et nobis ac vobis impedimentosa acciderunt. Et quia modo, Domino adjuvante, sic sumus unanimes sicut per rectum esse debemus, sciatis quia unusquisque nostrum paratus est, ut suum fratrem ubicumque necessitas fuerit, et infra patriam et foris patriam, aut per se ipsum aut per infantem vel fideles suos, et consilio et auxilio sic adjuvet, sicut frater fratri per rectum facere debet.

Adnuntiatio Karoli.

Sciatis quia et nos et fideles nostri veraciter recognoscimus, quia partim necessitate, partim indebita voluntate, sicut meus frater Hludowicus vobis dixit, multa acciderunt in isto regno, quæ nobis necesse non fuerat. Et sciatis quia nunc, gratias Deo, adunati sumus, et nos ad invicem, et cum fidelibus nostris, et una cum Dei adjutorio, quanto melius et citius rationabiliter possumus, procuremus, qualiter quæ neglecta sunt, emendata fiant, ut et Deus sit nobis propitius, et ecclesiasticus ordo debitum honorem habeat, et regni nobis commissi prosperitas proveniat, et iste populus christianus pacem habeat, et vobis lex et justitia conservetur, et vos nobis, sicut antecessores vestri nostris antecessoribus fecerunt, debitum honorem et auxilium exhibeatis. Et qualiter hoc consideratum et veraciter confirmatum manibus propriis habeamus, hic vobis relegetur.

Et relecta sunt in conspectu totius populi suprascripta capitula.

HLUDOWICI GERMANIÆ REGIS CONVENTUS MOGUNTINUS.

(*An.* 751. *Oct.* 3.)

Acta hæc debemus studio viri de re nostra meritissimi Joachimi Heinrici Jaeck, bibliothecarii publici Babenbergensis, qui documentum in codice bibliothecæ ejus, olim montis sancti Michaelis prope Babenberg, m. in 4°, sæc. IX vel X, repertum, opera Martini Josephi de Reider, patriæ historiæ antiquitatum et architecturæ cultoris, describi, scripturæ specimine adjecto, curavit, atque opus docta præfatione et adnotationibus tam criticis quam historicis adornatum, anno 1821 nobiscum communicavit. Et observavit V. Cl. conventus hujus jam in Annalibus Fuldensibus ad an. 852 mentionem fieri, quos posteriores omnes ea de re scriptores secuti sunt. Et Rudolfus quidem Fuldensis ibi (*Mon. Germ.* SS. I, 367) narrationi suæ ipsa capitulorum subsequentium verba inserens : « Habita est autem et synodus ex voluntate atque præcepto ejusdem serenissimi principis in civitate Mogontia, metropoli Germaniæ, præsidente Rhabano, venerabili ejusdem urbis archiepiscopo, cum omnibus episcopis atque abbatibus orientalis Franciæ, Bajoriæ et Saxoniæ, » ita pergit : « Et illi quidem de absolvendis quæstionibus ecclesiasticis tractatum habebant, rex vero cum principibus et præfectis provinciarum publicis causis litibusque componendis insistens, postquam synodalia eorum decreta suo judicio comprobavit... Bajoariam reversus est. » Sed illa anno 852 minime congruere inde prodit, quod cum conventus Moguntiacensis mense Octobri inchoatus fuisset, non fieri potuit ut eo absoluto Ludovicus rex reliqua anni parte quatuor præterea alios conventus in Bajoaria, Coloniæ, Mindæ, et Erfurdiæ pro rebus Bajoariæ, Saxoniæ et Thuringiæ ordinandis atque principibus Lotharii audiendis haberet, et ante diem Natalis Domini Ratisbonam reverteretur. Accedit quod indictio, quam inprimis attendendam liquet, et annus regni in sequentibus indicati anno 852 haud congruant ; nam indictio XV mensem Octobrem anni 851, annus XVIII regni Ludovici Octobrem anni 850 indigitant ; et in codice Babenbergensi primo DCCCL scriptum, eique numerum II adjectum esse, scripturæ specimen demonstrat. Quæ ita expedienda judicavi, ut indictionem secutus, conventum anno 851 assignarem, quo facto et tota Ruodolfi narratio, acta ultimorum anni 851 mensium actis anni sequentis adjungens, explicabitur.

Canon Hludowici regis.

Anno Dominicæ incarnationis 852, [372] indictione 15, regis vero orthodoxi atque gloriosi et vera clementiæ dignitate præcipui Hludowici, anno 18, mense Octobre, die tertio, ex voluntate atque præcepto ejusdem serenissimi principis, sancta synodus habita est in civitate Magontia, metropoli Germaniæ, præsidente Rabono, venerabili ejusdem civitatis archiepiscopo, cum ceteris episcopis orientalis Frantiæ, et Bajoariæ, atque Saxoniæ. Hoc est Liuprammo Juvavensi [373] archiepiscopo, Zozbaldo (49) episcopo, Salomone episcopo (50) Essone episcopo (50*), Lantone epi-

VARIÆ LECTIONES.

[371] vobis 2. [372] DCCC. L. superaddito II. *codex.* [373] juvanensi c.

NOTÆ.

(49) Sive Gotzbaldo, Herbipolensi.
(50) Constantiensi.
(50*) Curiensi.

scopo (51), Otkario episcopo (52), Gebehardo episcopo (53), Hemmone episcopo (54), Baturato episcopo (55), Gozperto (56) episcopo, Erchanfrido episcopo (57), Hartwigo episcopo (58), Lantfrido (59) episcopo, Altfrido episcopo (60), Liutprando [275] episcopo (61), Diatmaro chorepiscopo, Folchardo chorepiscopo, Albericho chorepiscopo, Reginharic chorepiscopo (62), Grimaldo (63) abbate, Rathleiho (64) abbate, Hantone (65) abbate, et reliquis ecclesiastici ordinis viris, presbiteris videlicet, monachis atque diaconibus, a quibus statutum est hæc synodalium decreta gestorum, quorum capita subter adnexa [276] sunt.

1. *De concordia episcoporum comitumque fidelium.* Sane opus est ut pax et concordia sit atque unanimitas in populo christiano, quia unum Deum patrem habemus in cœlis, et unam matrem ecclesiam, unam fidem, unum baptisma [276] : ideo in una pace et unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam et veram hereditatem regni cœlestis cupimus pervenire ; quia non est dissensionis Deus, sed pacis, ut ipse ait : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Igitur si inter omnes fideles pax, et concordia habenda est, dicente Apostolo : *Pacem sequimini et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum ;* multo magis inter episcopos et comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem [277] populum Dei regunt. Ita enim inter se concordiam habent [278], ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, et ministerium suum explendum non solum non noceant, quin potius adminiculo sint (66).

2. *De potestate episcoporum.* Ut episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas prævidere, regere, gubernare, atque dispensare secundum canonum auctoritatem, volumus : et ut laici in eorum ministerio obœdiant episcopis ad regendas ecclesias, viduas et orphanos defensandos ; et ut obœdientes sint eis ad eorum christianitatem servandam ; consentientesque sint comites et judices præsulibus suis ad justitias faciendas, juxta præcepta divinæ legis, et nullatenus per aliquorum mendatium vel falsum testimonium neque perjurium, aut per præmium, lex justa in aliquo depravetur (67).

3. *De decimis exquirendis.* Volumus, ut decimæ quæ singulis dantur ecclesiis, per consulta episcoporum a presbiteris ad usus ecclesiæ et pauperum summa diligentia dispensentur. Quatuor autem tam de redditibus [279], quam de oblatione fidelium, pront cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter decretum est, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda juxta constitutionem episcopalem. Admonendum tamen est, ut decima Deo omnino dari non neglegatur, quam ipse Deus sibi constituit dari ; quia timendum est, si quis Deo suum debitum abstrait, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua. Dicit enim Deus taliter in Levitico (68) de decimis : *Omnes decime terre, sive de fructibus, sive de pomis arborum, Domini sint, et illi sanctificantur boves et oves et capræ, quæ sub pastoris [280] virga transeunt ; quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Si quis mutabitur [281], et quod mutat, et quod mutabitur sanctificabitur Domino. Non eligetur [282], nec bonum nec malum, nec altero commutabitur, et non redimetur.* Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus, ut secundum Domini præceptum, ammoneantur semel et secundo atque tertio ; si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur usque ad satisfactionem et emendationem congruam. Nam hoc censuimus, quia sacri canones præcipiunt, de decimis fidelium quattuor fieri portiones, ex quibus una ad susceptionem pertineat episcopi. Statuimus ut per ecclesias monachorum vel laicorum et per capellas dominicas seu beneficiatas [283], ubi decime dantur, episcopi digno honore suscipiantur, ut ecclesiasticum officium ibi persolvere possint (69) Ecclesiæ antiquitus constitute [284] propter nova oratoria nec decimis nec possessionibus aliis priventur, nec ullam omnino injuriam patiantur (70).

VARIÆ LECTIONES

[275] liutbrando *corr.* liutprando c. [276] adnecta c. [276] baptismam c. [277] dignitate c. [278] habent c. [279] hereditibus c. [280] pasto c. [281] *lege* mutaverit, [282] elietur c. *in marg.* alienetur. [283] benefaciatas c. [284] constitutef.

NOTÆ.

(51) Augustano *P.*
(52) Eichstadiensi.
(53) Spirensi.
(44) Sive Heinmone, sive Havmone Halberstadensi.
(55) Paderbornensi.
(56) Sueonum episcopo *P.*
(57) Ratisbonensi.
(58) Passaviensi.
(59) Sabionensi *P.*
(60) Hildesheimensi.
(61) Incerto.
(62) Moguntino *P.*
(63) Sangallensi *P.*
(64) Seligenstadensi *P.*
(65) Fuldensi *P.*

(66) Capitulum 1 de verbo ad verbum ex actis synodi provincialis Moguntinæ an. 847 (apud Harzheim *Collect. Conc. Germ.* tom. II, p. 155) desumptum esse videtur, excepto textu : *Beati pacifici — vocabuntur.*

(67) Cap. 2 concordat cum cap. 7 synodi provincialis Mog., exceptis verbis : *ad justitias faciendas juxta præcepta divinæ legis*, cujus textus tamen illic deest.

(68) Cap. XXVII, v. 30.

(69) Cap. 3 concordat cum 10 synodi prov. Mog., exceptis verbis : *heredibus* pro *redditibus*, *quarta fabricis* pro *quarta ecclesiæ fabricis.* Additus textus in Levitico cap. XXVII, v. 30, de decimis solummodo hic verbotenus insertus est.

(70) Hæc constitutio ultima concordans cum 11 synodi prov. Mog. sequentibus sæculis regulam induxisse videtur, quod in divisione ecclesiarum filia lium decimæ plerumque matri servatæ sint, quodque in pluribus adhuc ecclesiis post mille annos cernimus.

4. *Ut nullus audeat immunitates* [385] *infringere.* Quisquis [386] fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem, et possessiones Deo consecratas, atque ob honorem Dei sub regia immunitatis defensione constitutas inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, quasi invasor et violator domus Dei excommunicetur. Decet enim ut indignationem Domini atque ipsius regis sentiat, cujus benevolentiæ contemptor, et constitutionis prævaricator extitit. Nihilominus tamen rex suæ concessionis immunitatem ab omnibus dicionis suæ subjectis inlæsam conservare præcipiat; assensum vero non præbeat inprovide affirmantibus, non debere esse res dominicas, id est Domino dominantium traditas, ita sub defensione regis, sicut propriæ suæ hæreditates; magis magisque advertat, quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est divina causa mortalium possessione. Quocirca [387] decipitur, quisquis plus in propriis quam in dominicis rebus gloriatur; quarum divinarum defensor, et custos [388] divinitus statutus, diligenti cura non solum eas servare, sed etiam multiplicare debet; magisque illa quæ diximus præstantiore quam sua defendere illum oportet et augmentare. Si quis igitur insanus inportunitate inprobitatis suæ regem a recto proposito pervertere temptaverit, nullisque remediis mitigare posse visus fuerit, licet obsequiis aliquibus transitoriis sit necessarius, abscidendus ab eo projiciendusque est, juxta illut evangelicum : *Si pes, manus oculusque tuus scandalizet* (71) *te, erue illam et projice abs te.*

5. *Ut heredes ecclesiam* [389] *non dividantur.* Perlatum ad nos est quod inter heredes ecclesie in rebus propriis constitute dividantur, et tanta per eandem divisionem simultas [390] oriatur, ut unius altaris quattuor partes fiant, et singulæ partes singulos habeant presbiteros; quod [391] sine discordia et simultate nullo modo augeri potest. Unde nobis visum est quod hujuscemodi ecclesiæ inter heredes dividi non debeant, et si in contentionem venerint, et simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit, præcipiatur ab episcopo civitatis, ut nullo modo ibi missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant ex pari voto, atque consilio ecclesia illa sacerdotem A canonice habeat, qui libere suum ministerium ibi peragere possit.

6. *Ut episcopi venationem non exerceant.* Ut omnis controversia quæ de ecclesiasticis rebus fit secundum divinam legem sub duobus vel tribus testibus terminetur, dicente Domino (72) : *Non unus stet contra alium ;* sed in ore duorum vel trium testium fiat omne verbum contra episcopos, qui canes vel cetera joca habere volunt. In psalmo 24 sicut scriptum est : *Confundantur omnes inique agentes supervacue*, et in 30° : *Odisti observantes vanitates supervacue*, vel sicut hebraica translatio habet : *Odisti custodientes* [392] *frustra.* In Jona quoque propheta : *Qui custodiunt vanitates frustra* (73) *misericordiam suam derelinquunt.* Hinc ergo pensandum est, si illi qui adquirendis transitoriis rebus elaborant; quæ aliquando necessaria putantur, contra quas necessitates in prædictis psalmis orat : *De necessitatibus meis erue me*, et *salvasti de necessitatibus animam meam*, confusione vel odio Dei digni sunt, aut misericordiam suam derelinquunt, Deum videlicet cui dicimus vel cui cantamus : *Deus meus, misericordia mea*, quanto magis illi, qui ea diligunt quæ nullius sunt utilitatis. Item 39° psalmo scriptum est (74) : *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates, et insanias falsas ;* et secundum ebraicum : *Beatus vir, qui posuit Deum confidentiam suam, et non est aversus ad superbias pompasque mendatii.* In 118 [393]. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* In libro Jeremiæ prophetæ, in verbis Baruch (75) scriptum est : *Ubi sunt principes nationum, et qui dominantur bestiarum, quæ sunt super terram? qui in avibus ludunt, qui pecuniam thesaurizant et aurum, in quo confidebant homines, et non est finis possessionis ipsorum ? qui in argento fabricant, et solliciti sunt, et non est inventio operum ipsorum ? Exterminati sunt, et in infernum descenderunt, et alii surrexerunt pro eis.* Pensandum omnibus est in hac sententia, quia si principibus et laicis hominibus etiam paganis nihil prodest, quia dominantur bestiarum et in avibus ludunt, quanto magis episcopis obest [394] et quibus portare neque sacculum neque peram licet, neque duabus indui tunicis, et quibus possidere aurum (76) vel argentum vel æs in zona non licet, quomodo possidere canes licebit; et qui in via vir-

VARIÆ LECTIONES.

[385] munitates c. [386] *in marg. glossa theotisca primis litteris abscisis...* ut unegisemi... habtot. [387] *glossa in marg. initio truncata...* idiu... siuhon uuirdit. [388] custus c. [389] decimam e. [390] simultatas c. [391] *vox deest in* c. [392] scil. vanitates. [393] CVIII. c. [394] contra est *in marg.*

NOTÆ.

(71) Cap. 4 concordans plurimum cum 6 synodi prov. Mog. differt tantum in nonnullis verbis : *ob* pro *ad*, *regia* pro *regiæ*, *decet enim* pro *etiam*, *ditionis suæ subjectis inlæsam conservare* pro *ditioni suæ subjectis illæsam conservari præcipiat*, *traditas* pro *debitas*, *quarum divinarum defensor* pro *quarum div. rerum*, *præstantiore* pro *præstantiora*, *pervertere* pro *avertere*, *mitigare* pro *mitigari*, *abscidendus* pro *abiciendus*, *evangelicum* pro *evangelium*, *erue illam* pro *illa*.

(72) Deuteron. cap. XIX, 15. — II Pauli ad Cor. XIII, I. Matth. XVIII. Joann. VIII.

(73) Jonæ cap. II, 9.

(74) Vers. 37.

(75) Cap. III, v. 16.

(76) Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam (*Matth.* X, 9, 10; *Marc.* VII, 8; *Luc.* IX, 3; X, 4).

gam ferre non debent, quomodo accipitres portare debebunt? Sic rite canones præcipiunt ut episcopus vilem subpellectilem mensæ ad victum pauperum habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vite meritis querat. Nam pastor a pascendis ovibus vocatus est, non a canibus : sicut per prophetam (77) dicitur : *Nonne oves pascuntur a pastoribus?* Hinc Bonefacius in synodalibus decretis sub Carlomanno duce et principe Francorum habitis (78) ait venationes et silvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdici ; similiter ut accipitres et falcones non habeant. In concilio vero Agatensi (79) et reliquis sanctorum Patrum conventibus [295] pari ratione hoc modo diffinitum est : *Episcopis, presbiteris atque diaconibus canes ad venandum atque falcones ceterasque ad ludendum aves habere non liceat ; quod si quis talium personarum in hac voluntate fuerit detentus, si episcopus est, tribus mensibus a communione suspendatur, presbiter duobus, diaconus uno ab omni officio ecclesiastico et communione removeatur.*

7. *De continentia presbiterorum.* Id [296] etiam ad custodiendam vitam et famam specialı ordinatione præcipimus, ut nullus clericorum extraneæ mulieri qualibet collatione aut familiaritate jungatur ; et non solum in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantum et sorore, filia et nepte, si habuerit, liberam habeat potestatem. Item in sequente capitulo (80) ancillas vel libertas a cellario vel secreto ministerio et ab eadem mansione in qua clericus manet, placuit removeri. In concilio vero Hilardense (81) capitulo 15 ita præcipitur : *Familiaritatem extranearum mulierum licet ex toto sancti Patres antiquis monitionibus præceperint clericis evitandam, id nunc tamen nobis visum est, ut qui talis probabitur, post primam et secundam ammonitionem si emendare neglexerit, donec in vitio perseverat, officii sui dignitate privetur. Quod si se Deo juvante correxerit, sancto ministerio restauretur.*

8. *De excusatione presbiterorum et diaconorum.* Si quis presbiter vitæ suæ neglegens pravis exemplis mala de se suspicari permiserit, et populus ab episcopo juramento seo [297] banno christianitatis constrictus, infamiam ejus patefecerit, et ceteri accusatores criminis ejus defuerint, admoneatur primo seorsum ab episcopo, deinde sub duobus vel tribus testibus ; si non emendaverit, in conventu presbiterorum episcopus eum publica increpatione admoneat. Si vero nec sic se correxerit, ab officio suspendatur usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Si autem accusatores legitimi fuerint, qui ejus crimina manifestis indiciis probare contenderint, et ipse negaverit, tunc ipse cum sociis suis ejusdem ordinis sex viris, si valet, a crimine semetipsum expurget. Diaconus vero, si eodem crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus examinet.

9. *De infantibus obpressis.* Si quis infantem suum incaute oppresserit aut vestimentorum pondere suffocaverit post baptisma, proximos 40 dies peniteat in pane et aqua et oleribus atque leguminibus, et a conjugio se abstineat. Postea tres annos in penitentia exigat [298] per legitimas ferias, et tres quadragesimas. Et si ante baptismum oppresserit infantem, proximos dies 40, ut supra. Postea vero quinquennium expleat.

10. *De adulterio* [299]. Si quis incestum [300] occulta commiserit, et sacerdoti occulte confessionem egerit, indicetur ei remedium canonicum quod subire debuerat, si ejus facinus publicum fuisset ; verum quia latet commissum, detur ei a sacerdote consilium, ut saluti animæ suæ per occultam penitentiam prospiciat ; hoc est ut veraciter ex corde peniteat, se graviter deliquisse, et per jejunia et elemosinas vigiliasque, atque per sacras orationes cum lacrimis se purgare contendat, et sic se ad spem veniæ per misericordiam Dei pervenire confidat.

11. *De homicidio.* Si quattuor vel quinque seu etiam plures contra hominem unum rixati fuerint, et ab his vulneratus mortuus fuerit, quicumque eorum plagam imposuisset, secundum statuta canonum ut homicida judicetur, septem annorum penitentiam subeat ; hoc est proximos dies 40 peniteat in pane et aqua et leguminibus et oleribus, abstineat se ab uxore et ingressu ecclesie, deinde 3 annos abstinat se a carne, vino, medone et cervisa mellita, exceptis festis diebus et gravi infirmitate. Reliquos autem quattuor tribus legitimis feriis in singulis hebdomadibus et 3 quadragesimis in annis singulis a carne tantum abstineat. Albgis, qui uxorem Patrichi publice auferens ad extremos fines regni duxit in rudem [301] adhuc christianitatem gentis Maraensium, et crimine adulterii ecclesiam Christi diffamavit, communi consilio decernimus, ut jussu regis in exilium missus, juxta sacrorum canonum statuta penitentiam pleniter agat, id est 3 annos cum pane et aqua et leguminibus atque oleribus, exceptis præcipuis festivitatibus, et postea 4 annos alios per singulas ebdomadas tres dies similiter abstineat, et tres quadragesimas, nisi infirmitas nimia hoc illum prohibeat ita implere, et deposito

VARIÆ LECTIONES.

[295] convenientibus c. [296] Ut c. [297] se ab anno c. [298] expurget *in marg.* [299] *scribendum* : de incestu. [300] inhonest *in marg.* [301] in novam *in marg.*

NOTÆ.

(77) Ezechiel. XXXIV, 1.
(78) Vide supra pag. 17 (*Patrol.* tom. XCVII. *Capitularia Carlomanni* ad an. 742), et apud Benedictum lib. I, c. 2.
(79) Concilium Agathense in Gallia Narbonensi an. 506 celebratum est (Harduini *Acta* II, 995).
(80) Ibidem II, 999.
(81) Ibidem II, 1066.

militari cingulo omni tempore vitæ absque conjugio permaneat. De Battone (82), qui accusatur homines quinque occidisse, iudicavimus eum, et a conjugio se abstinere, et usque ad finem vite suc in penitentia perseverare.

12. *De concubinis.* Quod si quislibet concubinam habuerit, que non legitime fuit desponsata, et postea desponsatam rite puellam duxerit abjecta concubina, habeat illam quam legitime desponsavit. De hoc Leo papa in decretis suis ita diffinivit dicens : *Dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium ; paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres, que a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina* (83).

13. *Item de homicidiis.* Ubi manifestari potest, quemlibet hominem perpetrasse homicidium, secundum canones condignum penitentiæ judicium illi ingeratur. Si autem manifestis indiciis non potest probari eum homicidam esse, nec ipse vult confiteri, omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifesta sunt, reservetur, eique tamen indicetur, quod communione ecclesiastica indignus sit, donec perpetratum crimen per confessionem et penitentiam condignam ab hoc crimine se absolvere decertet [302]. Si maritus uxorem aut uxor maritum interfecerit, equum judicium sit super eos, dicente Domino (84) : *Non facias quod iniquum est, nec injuste judicabis, nec consideras personam pauperis, nec honores vultum potentis ; juste judicabis proximum tuum, sive dives sit ille sive peregrinus ; nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum ; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Idcirco uterque eorum in hujusmodi criminis accusatione si negaverit, pari judicio examinetur.

14. *De operibus servilibus que diebus Dominicis non sunt agenda.* Statuimus (85) quoque secundum quod in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut et bonæ memoriæ genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metente vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in silvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos struere, nec in orto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant; et tria carraria opera licet fieri in die dominico, id est bostialia carra, vel victualia, et si forte necesse erit corpus cujuslibet duci ad sepulchrum. Item femine opera textilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupile fiant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec berbices tondere habeant licitum : ut omnimodis bonorum requies die Dominico persolvatur; sed ad missarum solemnia ad ecclesiam undique conveniant, et laudent Deum pro omnibus bonis, que nobis in illa die fecit.

15. *Qui uxorem habet et simul concubinam.* De eo qui uxorem habet, si concubinam habuerit, non communicet. Ceterum autem is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non pellatur, tantum aut unius mulieris, aut uxoris aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Alias vero vivens, abiciatur, donec desinat aut ad penitentiam revertatur.

16. *De parvulis infirmis baptizandis.* Si parvulus egrotans ad quemlibet presbiterum baptismi gratia de cujuslibet parrochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullomodo non negetur. Si quis hoc munus petenti [303] concedere detractaverit, et ille parvulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit, noverit se ille, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum in die judicii.

17. *Ut nullus presbyter alii suam parrochiam intervenire præsumat.* Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ de alterius presbyteri parrœchia persuadeat, ut (86) suam ecclesiam concurrant derelicta propria ecclesia, et suas decimas sibi dent. Sed unusquisque sua ecclesia contentus et populo, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illud evangelicum (87) : *Quecumque vultis ut faciant vobis homines, hec eadem facite illis.* Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti temptaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut [304] in carcere longo tempore detinendum.

18. *Ut nullus alterius* (88) *clericum sollicitet.* Iloc quoque modis omnibus prohibemus, ut nullus vestrum alterius clericum sollicitet aut recipiat, quia gravis de hac re in sacris canonibus sententia est.

19. *Ut nullus presbyter munera aare* (89) *præsumat alterius ecclesiam subripere.* Si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse, ut ecclesiam alterius presbiteri subripiat, sciat se pro hac rapina et seva cupiditate aut gradum amissurum, aut in carceris erumna longo tempore penitentiam agendo detinendum.

20. *De presbiteris qui habuere conjugia.* Quicumque

VARIÆ LECTIONES.

[302] coercet c. *quod correxi P.* [303] penitenti c. [304] ut c

NOTÆ.

(82) Iloc capitulum conferendum est cum cap. 22 et 23 præced. synodi an. 847.
(83) Iloc capitulum errore scriptoris codicis antepositum est sequenti : *De homicidiis.*
(84) Levit. cap. xix, 15.
(85) Ansegisi lib. I, c. 75.
(86) Subintelligendum *ad.*
(87) Matth. vii, 12.
(88) Scilicet *ecclesiæ.*
(89) Fortasse *dando.*

discernit a presbitero qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.

21. *Ut presbyteri honorem habeant.* Quod non oporteat diaconum coram presbytero sedere, sed jussione presbyteri sedeat. Similiter autem et diaconus honore habeatur ab obsequentibus, id est subdiaconis et omnibus clericis.

22. *Non licet in quadragesima festa celebrare.* Quod non oporteat in quadragesima panem benedictionis offerri nisi sabbato et dominico, id est natalicia vel festa sanctorum celebrare.

23. *Non licere clericis spectaculis* [305] *ludicris* [306] *interesse.* Quod non oporteat sacerdotes aut clericos quibuscumque spectaculis in cœnis aut in nuptiis interesse, sed antequam thimelici [307] ingrediantur, exsurgere eos convenit atque inde descendere [308].

24. *Non licere missam cantare in domo.* Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab episcopis vel presbiteris, id est missam cantare.

25. *In concilio Chalcedonense.* Quod non oporteat episcopos aut quemlibet ex clero per peccunias ordinari; qui utique deponendi sunt, et qui ordinet et qui ordinantur, nec non et qui mediator inter eos.

KAROLI II SYNODUS SUESSIONENSIS.

(*An.* 853. *April.* 22.)

Acta hæc a Sirmondo ope codd. Tiliani, Pithœani, Metensis, Bellovacensis edita atque a Baluzio, adhibito Divionensi et Rivipullensi, repetita, auxilio codd. 2) bibl. reg. Paris. n. 4638, 3) Paris. inter Suppl. Lat. n. 75, et 4) bibl. ejusdem n. 4761, Divionensis scilicet, repetimus. Mentionem hujus synodi et in codice bibl. regiæ Parisiensis n. 5378 factam invenimus, ubi tamen annus 804 regni XIII, indictio I, et dies VI Kal. Maii perperam scribuntur.

Ista capitula constituta sunt a domno Karolo in synodo apud Suessionis civitatem, in monasterio sancti Medardi, anno incarn. Domini 853, *in mense Aprili* [309].

1. Regnante in sempiternum domino Deo universorum, anno [310] incarnationis ejusdem domini Dei nostri Jesu Christi 853, anno vero regni gloriosi Karoli, filii Hludowici religiosissimi augusti, tertio decimo, indictione prima, episcopis juxta instituta canonum synodum celebrare volentibus, annuit idem rex Karolus, eosque apud urbem Suessionum in monasterio sancti Medardi et sancti Sebastiani, 10 Kalendas Maias convenire præcepit; ubi posthabitis secularibus curis, ipse quoque rex adesse dignatus est, ut non solum devotione ecclesiæ se filium esse ostenderet, verum etiam, sicubi opus esset, protectorem regia potestate monstraret. Cum itaque præsules diversarum ecclesiarum, pio rege multa humiliter et prudenter proponente, tractassent potius quædam quam diffinissent, 6 Kalendas Maias synodo præsidentibus Hincmaro Remorum, Wenilone [311] Senonum, Amalrico Turonorum [312], metropolitanis episcopis, idem Remorum metropolitanus episcopus venerabilis Hincmarus ostendit non paucos a decessore suo Ebone [313], postquam canonice depositus fuerit, nec vero [314] canonice restitutus, inrationabiliter ordinatos. Jam rex absque ulla ambitione synodum solus ingressus, simpliciter cum episcopis residebat. Serie igitur depositionis memorati Ebonis plenissime prolata, multis metropolitanis pluribusque aliis episcopis, qui auctores fuerunt, recitatis, restitutionis autem illius [315] non canonicæ, immo nec veresimilis, paucis admodum et aliarum regionum præsulibus nominatim expressis, claruit præfatum Ebonem episcopale officium illicite repetisse, quosque gradibus ecclesiasticis æstimatus fuerit promovisse, damnationi potius obnoxios effecisse: Hincmarum autem successorem ejus, canonicis sanctionibus caute ac subtiliter observatis, ad sedem accessisse, et præter decreta majorum in hac parte nihil omnino moliri; sicut [316] in gestis synodalibus exinde ab episcopis ejusdem concilii more canonico confirmatis plenius edocetur.

2. Postmodum venerabilis Wenilonis [317] Senonicæ urbis metropolitani episcopi suffraganeus Nevernensis ecclesiæ, nomine Herimannus, pro suis excessibus [318], quos corporali molestia sæpe dicebatur admittere, a sanctis præsulibus modeste [319] et acriter increpatus est, quod prius frequenter correptus, ordini sacratissimo perseverantia levitatum [320] adhuc injuriam faceret. Et in præsentia principis infirmitatem pastoris nequaquam fastidientis, injunctum est metropolitano ejus, ut adjunctis secum aliquot episcopis, ad oppidum Nevernense [321] accederet, et omnia ibi negotia ecclesiastica sapienter componeret; ipsum vero coepiscopum suum Herimannum apud urbem Senonum secum haberet, donec [322] æstivum tempus, quod valde contrarium infirmitati illius ferebatur, pertransiret, et sic, Domino an-

VARIÆ LECTIONES.

[305] *glossa* ein uuigi. [306] *glossa* turpis jocis. [307] *in marg.* fium. r selm. [308] discedere *legendum.* [309] *ita* 2. *Hanc inscriptionem in plurimis codicibus deesse Sirmondus ait, et deest in* 3. [310] incarnationis *usque* vero *desunt* 3. [311] guenilone 2. [312] *ita* 2. 3. [313] ebbone 3. [314] vere 3. [315] n. c. i. n. v. s. *desunt* 3. [316] sicut *usque* edocetur *desunt in Met. codice ms. et* 3. [317] guenilonis 2. [318] e. variis a sanctis 3. [319] m. et *desunt* 3. [320] Herimannus ineptire videbatur Bal. [321] nivernense 2. *hic, sed sed ut edidimus.* [322] donec abstinentia *media desunt* 3. æstivum *usque* instructum *incll. desunt* 3.

nuente, abstinentia competenti assuetum, episcopali gravitate instructum, apostolicis moribus informatum, clerus et populus eum ad sedem propriam utiliter, favente Dei [333] gratia, revocaret.

3. De Burchardo etiam, qui Carnotenam [334] ecclesiam tenebat, statutum est ut aut se idoneum ad sumendum episcopalem gradum admonitu Wenilonis metropolitani episcopi ostenderet, aut certe pronam in se clementiam principis cognoscens, cederet [335], in utroque Dei judicium experturus. Igitur sequenti die causa illius ad medium deducta, venerabiles episcopi, Remorum metropolitanus Hincmarus, Ludgunensium Pardulus, Aurelianorum Agius [336], seorsim eum admonere præcepti sunt, ut si [337] absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur; aut si non posset, propter Dei timorem, impossibilitatem ingenue confiteretur. Parte cleri, quæ præsens erat, hac laicorum bonum ei testimonium perhibente, memoratis præsulibus suadentibus, ad concilium introrrissus, tanto quidem gradu se dignum esse profiteri arroganliæ asseruit esse, non veritatis. Si quis vero crimen aliquod sibi vellet obicere, ad id purgandum se paratum esse firmavit. Nullo qui id conaretur existente, decrevit sancta synodus, ne diu Carnotum sedes vacaret, sed directis illuc, secundum voluntatem metropolitani episcopi venerabilis Wenilonis, qui electionem præfati Burchardi [338] recognoscerent, et ipsi referrent, optantibus [339] canonice ordinaretur episcopus.

4. Præterea Cenomannicæ [340] urbis Aldricus episcopus, paralysi dissolutus, epistolam direxit, causam suæ absentiæ insinuans, petensque ut maxime sibi adhuc [341] viventi, et quandocumque [342] defuncto, sacris precibus opitularentur. Quod exuberantes caritate se facturos omnes promiserunt, et metropolitano illius, Turonicæ urbis venerabili episcopo Amalrico, ut ad eandem urbem accederet, injunxerunt, et quæcumque essent eidem ecclesiæ proficua, ut strenue exequeretur, unanimiter præceperunt [343].

5. Ante hoc tempus venerandi concilii, obtinente Pippino, Pippini regis filii Hludowici piissimi augusti filio, Aquitaniam, consentiente etiam avunculo ejus glorioso rege Karolo, cui eadem provincia in partem obtigerat, ecclesiastica disciplina et militari soluta, eadem regio a suis indigenis valde vastata est, et multi illic impune illicita perpetrarunt. Tandem aliquando respiciente Deo populum suum, idem Pippinus a suis contemptus et desertus, atque in potestatem avunculi sui Karoli redactus, consilio reverendissimorum pontificum et procerum attonsus, et in habitu monachico ad monasterium sancti Medardi custodiendus et docendus deductus est. Ibi duo quidam monachi habitu, sui propositi vix credibiliter transgressores, ardentes immodica cupiditate, eundem Pippinum abducere conati sunt, et pacem christiani populi dissipare. Quos præsentibus diversorum cœnobiorum religiosis abbatibus, et causam subtiliter juxta regulam beati Benedicti examinantibus, concors congregatio sancti Medardi a sua unanimitate præcidit, attestata se ab horum crimine longe absistere, quod usitatas culpas jam inde ab initio hujus religionis monachorum omnium, præter duntaxat Eutychis et aliorum hæreticorum, facile superaret. Ejectos jussu venerabilis Rothadi [344], Suessionum episcopi, ad synodi audientiam archidiaconus deduxit; et partim confessi, partim convicti conspirationis malum perpetrasse, canonum severitate depositi sunt — presbyteri quippe erant — et separatim in monasteria sui ordinis longe distantia relegati, ut deinceps nemo tale quid committere auderet, nisi qui similia perpeti non timeret.

6. Post hæc gloriosissimus domnus rex Karolus coram sacra synodo quemdam diaconum Remensis ecclesiæ nomine Ragamfridum impetiit, quod præcepta falsa regio nomine compilasset, sicut ad eum quorumdam suggestionibus et verisimilibus indiciis esset perlatum. Unde quia putatum est quibusdam significationibus, ut purgationem sui isdem diaconus subterfugere voluisset, aliis aliter dicentibus, visum est omnibus in eodem sacro conventu degentibus, ut ab omni concilio illi interdiceretur, ne a parochia Remensi quoquo modo præsumpsisset [345] abscedere, donec se ab illis quæ ei impingebantur idoneum redderet, vel competenter satisfacere procuraret. Quod et omnibus singillatim episcopis illi auctoritate episcopali præcipientibus, ex divino mandato est interdictum.

7. Septima actione eidem sacræ synodo idem christianissimus domnus rex Karolus hæc quæ sequuntur capitula proposuit, et consultu eorumdem episcoporum ea per regnum suum innotescenda, exercenda et conservanda commonuit, præcepit et confirmavit.

10. Illud quoque cunctis volentibus confirmatum est, qui disciplina ecclesiastica noxii, sive ingenui sive servi, coercentur, nulli audeant eos tueri, et vindictam eorum in quoslibet ad potestatem episcoporum pertinentium retorquere. Quod si qui deinceps præsumpserint, et excommunicationem ecclesiasti-

Codex suppl. Lat. 73.

6. Ut in civitatibus, et monasteriis utriusque sexus et ordinis, Dei cultus quam proxime fieri posset instauraretur, statuit sancta synodus, annitente pio principe, ut idonei legati dirigerentur, qui singulorum locorum statum solertissime perscrutarentur; et quæ ipsi per se non valerent corrigere, judicio proxime futuri concilii, et potestati regiæ revelarent.

7. Decreverunt præterea sancti pontifices, ut ecclesiæ quæ olim indulgentia religiosorum principum, vel aliorum fidelium devotione, immunitatem meruissent, ea in perpetuum perfrui sinerentur.

8. Et ut ex possessionibus quæ ecclesiasticæ certis indiciis comprobantur, nec plene propter varias necessitates possunt restitui, saltem nonæ ac decimæ tribuantur.

9. Et ut in locis sacratis diebus dominicis vel aliis solemnitatibus judicia publica non exerceantur; neque enim fas esse, ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium consequuntur.

VARIÆ LECTIONES.

[333] domini 3. [334] carnutum 3. [335] c. c. p. 3. [336] ejus 3. [337] non 3. [338] burgchardi 2. [339] o. quod c. 2. [340] cinomannicæ 2. [341] *deest* 2. [342] quandoque 2. [343] præcepit 2. [344] rothardi 3. [345] præsumeret 2.

cam, et motum indignationis regiæ perpessuros.

11. Obtentum est etiam a devotissimo principe, ut incesti, et quilibet alii perditi, examen episcoporum refugientes, per judices publicos ad eorum præsentiam deducantur, ne alterius illecebram peccandi nutriat impunitas vitiorum.

12. Postremo quod a quibusdam conservabatur, præfixum est generaliter ab omnibus custodiendum, ne ullæ res ecclesiasticæ absque regis conniventia commutentur.

CAPITULARE MISSORUM.

Ista capitula constituta sunt a domno Karolo in synodo apud Suessonis civitatem in monasterio sancti Medardi, anno incarnationis Dominicæ 853, in mense Aprili [336].

1. Ut missi nostri per civitates et singula monasteria, tam canonicorum quam monachorum sive sanctimonialium, una cum episcopo parœchiæ uniuscujusque in qua consistunt, cum consilio etiam et consensu [337] ipsius qui monasterium [338] retinet, quem [339] volumus et expresse præcipimus ut præsens sit, vitam inibi degentium et conversationem inquirant, et ubi necesse est corrigant, et ubi desunt, congruas officinas construere [340] jubeant; et ubi sunt [341] factæ, et per neglegentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, et victum ac potum et vestimentum atque cætera necessaria, pro qualitate et possibilitate loci et inhabitantium necessitate, ordinent; et hospitalitatem supervenientium hospitum et receptionem pauperum ibidem disponant et ordinent. Ecclesiæ quoque luminaria et ornatum debitum ordinent, et thesaurum ac vestimenta seu libros diligenter inbrevient, et breves nobis reportent. Inbrevient etiam, quid unusquisque ecclesiarum prælatus, quando prælationem ecclesiæ suscepit, ibi invenerit, et quid modo exinde ibi minus sit, vel quid vel quantum sit superadditum. Quid [342] etiam Nortmannis per nostram commendationem sive sine nostra commendatione datum sit, quidve relictum, vel quid a quoquam ibi in eleemosyna datum. Numerum etiam canonicorum et monachorum sive sanctimonialium uniuscujusque loci describant, et nobis referant; ut secundum qualitatem et quantitatem loci, cum consilio episcoporum et fidelium nostrorum, ubi minor numerus fuerit, nostra auctoritate addamus; ubi vero indiscretione prælatorum superfuerit, ad mensuram redigamus. Inquirant [343] quoque, quot tempore avi nostri Karoli et domni genitoris nostri Hludowici unoquoque in loco fuerint, et quot modo sint, et ubi loca a Nortmannis sive a quibuslibet aliis destructa sunt et penitus adnullata, quot ibi nunc propter paucitatem rerum et devastationem earumdem constitui vel ordinari possint, ut inde cum consensu fidelium nostrorum ordinemus, quid de cætero agendum sit. Et qualiter abbatiarum prælati, et in locis sacris inhabitantes, de his quæ missi nostri præceperint, obedierint, nobis diligentissime et capitulatim referant.

2. Ut missi nostri diligenter investigent per singulas parochias, simul cum episcopo, de monasteriis quæ Deum timentes in suis proprietatibus ædificaverunt, et ne ab hæredibus eorum [344] dividerentur, parentibus et prædecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt, et postea in alodem [345] sunt data; ut describant quæ sint, et a quo vel quibus in proprietatem data sunt, et nobis renuntiare procurent; ut cum episcopis et cæteris fidelibus nostris consideremus, quid et qualiter inde, secundum Dei voluntatem et nostram salutem, agere debeamus.

3. Ut missi nostri per singulas parochias, una cum episcopo parochiæ ipsius, requirant de capellis et de abbatiolis ex casis Dei in beneficium datis, qualis census inde exeat, ut ecclesia de qua sunt exinde vestituram habere possit, et nobis renuntient, ut hoc nostra auctoritate commendetur atque firmetur, et secundum qualitatem vel quantitatem loci clericos et luminaria ibi ordinent, et loca restaurari faciant.

4. Denuntiandum est omnibus, et a missis nostris ordinandum, ut omnes ecclesiæ et presbyteri sub immunitate ac privilegio, et ordinatione atque dispositione episcoporum singularum parochiarum in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam et capitularia domni Karoli imperatoris avi nostri, et pii augusti Hludowici domni et genitoris nostri, permaneant.

5. Ut missi nostri diligenter investigent cum episcopo et prælatis monasteriorum, et per fideles et strenuos viros, in unaquaque parochia de rebus ecclesiasticis in alodem datis; et sicut evidentibus et veris indiciis [346] ac auctoritatibus compererint, diligenter a quo et quibus datæ sint [347], vel quantum exinde sit [348], describant, et nobis renuntient.

6. Ut missi nostri expresse et cum omni diligentia, cum episcopo et prælatis monasteriorum per singulas parochias, requirant de rebus ecclesiasticis unde nonæ et decimæ solvi debent [349] et non solvuntur, et [350] persolvi ab easdem [351] res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur, et prælatus ipsius casæ Dei unde res esse noscuntur, et ille qui eas detinet et nonam ac decimam solvere detrectat [352], simul cum missis nostris ad nostram jubeatur

VARIÆ LECTIONES.

[336] *ita* 2. Capitula Karoli regis junioris facta in monasterio sancti Medardi 3. Capitula Karoli regis filii Hludowici 4. — *Codex Ripipullensis unde Baluzius ea altera vice ad a.* 867 *edidit, hanc inscriptionem profert:* Capitula Karoli regis in Compendia facta, anno regni ejus XXVII, indictione XV. [337] et cum c 3. [338] qui locum tenet 3. [339] quem — sit *desunt in codice ms. Melensi.* [340] extruere 2. [341] *deest* 2. [342] Quid— datum *desunt in codice mss. Bell. Ripip. et Mel.* [343] Inquirant — agendum sit *desunt in iisdem codd.* [344] *deest* 2. [345] alodum 2. [346] *al.* judiciis BAL. [347] sunt 2. [348] exit 2. [349] debeant 2. [350] ut 2. [351] eisdem 2. [352] detractat 2.

venire præsentiam; ut tunc veritate comperta, et diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde præcipiamus. Volumus etiam ut investigent missi nostri, qualiter illi qui easdem res ecclesiasticas, unde decimæ dantur sive non dantur, illas salvas habeant, et in castici's [353], et in sylvis custoditis, vel si terræ aut mancipia inde perdita sint, vel aliquid hujusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem, et omnia per breves nobis renuntient missi nostri.

7. Ut missi nostri per singulas parochias comitibus et rei publicæ ministris ex banno nostro præcipiant, ne malla vel placita in exitibus et in atriis ecclesiarum, et presbyterorum mansionibus, neque in dominicis vel festivis diebus tenere præsumant; sed comes convenientem locum consideret et inveniat, ubi stationem ad mallum tenendum constituat; quia nefas est ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam, consensu fidelium nostrorum et decreto prædecessorum nostrorum, consequuntur.

8. Ut missi nostri comitibus et omnibus rei publicæ ministris firmiter ex verbo nostro denuntient atque præcipiant, ut a quarta feria ante initium quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas paschæ, mallum vel placitum publicum, nisi de concordia et pacificatione discordantium, tenere præsumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini usque post consecratos dies observent, necnon et in jejuniis quatuor temporum, et in rogationibus, et in diebus pentecostes simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant.

9. Ut missi nostri omnibus per singulas parochias denuntient, quia si episcopus aut ministri episcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis propter metum aliorum, ut ipsi criminosi corrigantur cum tali discretione sine ulla occasione indebita, sicut in sinodo conlocutum est; et vel inviti [354], pœnitentiam temporaliter et corporaliter agant, ne æternaliter pereant; si seniores ipsorum colonorum [355] indigne tulerint, et aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur contendere præsumpserint, sciant, quia et bannum nostrum component, et simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram [356] harmiscaram [357] durissimam sustinebunt.

10. Ut missi nostri omnibus rei publicæ ministris denuntient, ut comites vel rei publicæ ministri simul cum episcopo [358] uniuscujusque parochiæ sint in ministeriis illorum, quando idem episcopus suam parochiam circumierit, cum episcopus eis notum fecerit; et quos per excommunicationem episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate et potestate ad pœnitentiam vel rationem atque satisfactionem adducant.

11. Sciant etiam fideles nostri quia concessimus in sinodo venerabilibus episcopis, ne super beneficia ecclesiastica vel præstarias, etiamsi episcopus aut quilibet monasteriorum prælatus inrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ ullo modo faciamus. Et ideo ab inrationabili petitione se unusquisque compescat.

12. Ut missi nostri omnibus per illorum missaticum denuntient, ne commutationes rerum vel mancipiorum quilibet prælatus earumdem rerum ecclesiasticarum sine licentia vel consensu nostro facere præsumat, neque mancipia ecclesiastica quisquam [359] nisi ad libertatem commutet. Videlicet ut mancipia quæ pro ecclesiastico dabuntur, in ecclesiæ servitute permaneant; et ecclesiasticus homo qui commutatus fuerit, perpetua libertate fruatur.

KAROLI II SYNODUS APUD VERMERIAM.

(*An.* 853. *Aug.*)

Sirmondi et Baluzii editiones ope codicis 2) regii Paris. n. 4638 recognovimus.

Hæc quæ sequuntur diffinitiones in synodo apud Vermeriam palatium habita, actæ sunt anno suprascripto, in mense Augusto, indictione præfata.

1. Omnibus sanctæ dilectionis fratribus ad quorum hæc poterunt pervenire notitiam, Wenilo Senonum, Hincmarus Remorum, Paulus Rotomagensium, Amalricus Turonum, archiepiscopi, Pardulus Lugdunensium (90), Teutboldus Lingonum, Hucbertus Meldensium, Ansegaudus Abrincatum, Hrothadus Suessionum, Immo Noviomagensium, Hilmeradus Ambianensium, Yrminfridus Belvacensium, Erpeinus Silvanectensium, Baltfridus Bajocacensium, Guntbertus Ebrocensium, Eirardus Lixoviensium, Erloinus Constantiæ, Hildebrannus Sagorum, Godelsadus Cabillonensium, Jonas Æduorum, Braidingus Matisconensium, Agius Aurelianensium episcopi, apud Vermeriam [360] palatium jussu gloriosi principis Karoli, anno ab incarnatione Domini 853, indictione prima, 6 Kalend. Septembris, in nomine ejusdem domini nostri Jesu Christi synodaliter congregati,

VARIÆ LECTIONES.

[353] i. e. ædificiis. [354] i. ipsi criminosi corrigantur Bal. [355] colonum 2. [356] *deest* 2. [357] harmscaram 2. armiscaram 3. harmscaram 4. [358] nullo 2. [359] quisquam — dabuntur *desunt in cod. ms. Metensi.* [360] vermenam 2.

NOTÆ.

(90) Id est Lugduni Clavati. Codex 2 archiepiscopum vocat falso.

salutem. Notum fraternitati vestræ fieri volumus, quia nuper instanti anno per præsentem primam indictionem apud urbem Suessionum, decimo Kalendas Maias, ad synodum convenientes, cui sacro conv. n'i idem gloriosus rex suam est dignatus exhibere præsentiam, inter cætera ecclesiastica negotia, de venerabili fratre nostro Herimanno, Nivernensis urbis episcopo, quæstionalis est ratio nobis oblata. Videlicet quia infirmitate præoccupatus seu præpeditus corporea, sæpe ineptiare, et quædam quæ ad naufragium rerum et facultatum ecclesiasticarum pertinere, atque ad salvationem ac debitam seu rationabilem dispensationem impedire poterant, nisi celeri remedio subventum foret, agere indiscrete soleret. Cujus suggestionis certa experimentorum documenta evidentius perquirentes, aliquanta invenimus, quæ nobis fidem fecerunt aliis quæ audieramus sensum accommodare. Unde secundum quod in decretalibus epistolis beati Gregorii exemplo reperimus, statuimus illi œconomum [361] persuadere, qui ei suffragium et ecclesiæ sibi commissæ custodiam debitam et canonicam exhiberet, donec annuente Domino isdem frater venerabilis a sua infirmitate optabiliter convalesceret. Sed quoniam intimatum est nobis, in sua ecclesia neminem posse reperiri qui interim eundem venerabilem, partim indebita forte pietate, partim reverentia seniorali, secundum modum a nobis constitutum custodire aut vellet aut posset, consilii consultu illum hortati sumus, ut cum domno Wenilone prænominato, scilicet reverendissimo confratre nostro et archiepiscopo suo, maneret, illeque ei conveniens studium imperiri curaret, et ecclesiæ Nivernensi ea quibus indigeret visitatorio officio impenderet et ordinaret, quousque æstivum tempus, quod hujusmodi infirmitati, qua impediri dicebatur, valde contrarium est, pertransiret, et sæpefatus dilectissimus ac venerabilis frater noster, ut prædiximus, a sua infirmitate inmelioraretur, et suæ potestati suæque ipsius custodiæ, suæve ecclesiæ dispositioni, ut est debitum, restitueretur. Quæ quoniam, gratias Deo, ad votum juxta divinam ordinationem, ut fuerant disposita, sunt quoque perducta, et canonica jubet auctoritas, ut ab uno quilibet rejectus episcopo, non dicamus a tantis pro tempore et ad tempus remotus secundum quendam modum episcopis, non recipiatur sine testimonii aut' litterarum evidentissimo documento, per hos nostræ humanitatis apices plerunque dictum venerabilem fratrem nostrum suæ ditioni et potestati, atque episcopali custodiæ, suæque ecclesiæ gubernationi debite restituimus, et nos eum non morum vitiis, aut peccatis publicis, quæ censura damnat ecclesiastica, a sua illum ecclesia aliquantulum removisse, quod sine aperta convictione vel manifesta confessione fieri non licet, qua de re et non libet, sed corporeæ suæ infirmitati, et ecclesiæ sibi commissæ necessitati pietative, consuluisse manifestissime demonstramus. Quod ut præsentibus scilicet et futuris temporibus enucleatius cognoscatur, his gestis manibus propriis subterfirmare decrevimus.

2. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Episcopi qui jussu gloriosi principis domni nostri Karoli ad synodum in Vermeriam palatium convenimus, id est, Wenilo archiepiscopus, Paulus archiepiscopus, Amalricus archiepiscopus, Hincmarus archiepiscopus, [362], Teutboldus episcopus, Ansegaudus episcopus, Pardulus episcopus [363], Hrothadus episcopus, Immo episcopus, Yrminfridus episcopus, Erpoinus episcopus, Hilmeradus episcopus, Agius episcopus, Erloinus episcopus, Baltfridus episcopus, Guntbertus episcopus, Eirardus episcopus, Hildebrannus episcopus, Ionas episcopus, Godelsadus episcopus, Braidingus episcopus, Chuonrado inclyto et nobilissimo viro præsentem et æternam optamus in omnium salvatore salutem. Cum inter cætera ecclesiastica negotia de ordinabili dispositione monasterii sancti Dyonisii disponeremus, venerunt monachi ipsius sacri cœnobii [364] in præsentia venerandæ synodi [365], deferentes auctoritates, videlicet testamentum quod sanctæ recordationis abba Fulradus [366] de monasterio Lebraha, ubi sanctus Alexander martyr quiescit humatus, et de cella quæ ad sanctum Yppolitum nominatur, seu de rebus aliis quas per idem testamentum isdem venerabilis abbas sancto Dyonisio contulerat, necnon et privilegium quod exinde sancta sedes apostolica per beatum Stephanum papam eidem monasterio super præfato testamento fecerat, dicentes quod venerabilis abbas illorum domnus Hludowicus, ex præcepto gloriosi regis domni nostri Karoli, eos consuluisset, ac consensum eorum quæsisset, quatinus præscriptum monasterium vobis in precariam, acceptis rebus vestra traditione ad eandem casam Dei delegandis, concessisset : quod consentire sine consultu sui episcopi atque archiepiscopi, immo sacræ synodi, non auderent. Quam causam subtiliter investigantes, et ad liquidum cognoscentes, diffinivimus juxta sacram et divinam auctoritatem, atque secundum testamentum præfati piæ recordationis Fulradi, necnon et secundum decretum apostolicæ sedis, nullo unquam tempore jam dictum monasterium sancti Alexandri cum rebus sibi pertinentibus a majore monasterio sancti Dyonisii quocumque ingenio divellendum, nec beneficiario neque precario jure distrahendum. Subjunxerunt etiam idem monachi, quod vestra commendatione ac jussione, immo etiam actione, idem monasterium cum rebus sibi subditis in vestram ditionem redactum et assumptum, quin etiam usurpatum habuissetis. Quod quam absurdum et contra legem atque justitiam sit, si tamen ita se res habet, ipsi etiam pervidetis. Unde

VARIÆ LECTIONES.

[361] echonomum 2. [362] a. Pardulus archiepiscopus T. 2. [363] p. e. *deest* 2. [364] *deest* 2. [365] synodis 2. [366] folradus *ita et infra* 2.

vestram paterna et caritativa seu auctoritativa cum interpositione divini nominis et episcopalis auctoritatis nobilitatem hortamur et obtestamur, ut hoc nullatenus agere ulterius attentetis; sed et si molitum est, ab hujusmodi molitione vel actione vos vestrosque compescatis; quia et contra Deum et contra omnem auctoritatem contraque vestram salutem esse dinoscitur. Sciatis etiam, quia domnum et seniorem nostrum regem gloriosissimum Karolum et humili suggestione et divina auctoritate obsecravimus, præfatoque venerabili abbati et monachis suis præcepimus, ut in hoc nulli adsensum præbeant, quoniam nec vobis nec cuiquam fidelium expedit talia postulare. Valete, vir nobilissime, et admodum nobis in Christo carissime.

3. Sed et capitula quæ synodali consultu domnus rex Karolus in concilio memorato apud Suessionis civitatem sacro proposuit conventui, coram fidelibus suis in eodem palatio Vermeria relegi fecit, et ab omnibus consonanter suscepta sunt et accepta.

HLOTHARII ET KAROLI CONVENTUS APUD VALENTIANAS.

(855. *Nov.*)

Sirmondi et Baluzii editiones cum codice 2) bibl. reg. Paris. n. 4638 collatas repetimus. Exstant capitula et in Vaticano et in codd. regiis Parisiensibus, fine carentia in c. n. 1750, sæc. XI, capita sex in c. 2859, sæc. X, et apographo ejus chartaceo n. 2419.

De his capitulis quæ subsequuntur adnuntiaverunt populo domni reges Hlotharius et Karolus, quando in ipso anno incarnationis Domini convenerunt ad Valentianas per mensem Novembrium.

Adnuntiatio domni Hlotarii.

1. De missis directis per regnum, ut populus pacem et justitiam habeat. De raptoribus, de prædatoribus, de latronibus et aliis malefactoribus, et de omnibus justitiis.

2. Ut ubi missatici simul venerint, missi simul veniant. Et si de uno regno in aliud aut de uno missatico in aliud fugerint, simul eos constringant.

3. Ut ubicumque fugerint, illuc indiculus transmittatur, ut comes illos distringat, aut cum alode [367] aut per quodcumque potest, ut illuc reveniat, et emendet ubi [368] malum [369] fecit.

4. Ut missis commendetur, ut faciant justitias; et si non fecerint, quod ipsi pergere debeatis.

5. Ut si necessitas alicui fuerit, omnes sint parati, quomodo invicem vos adjuvetis.

Sequitur adnuntiatio Karoli gloriosi regis.

1. De adnuntiatione episcopali, et de honore sacerdotum.

2. De reædificatione ecclesiarum, et de nonis ac decimis.

3. De observatione capitulorum domni Karoli et domni Hludowici de ecclesiis.

4. De observatione pacis, et cavenda rapacitate et oppressione rerum ecclesiasticarum ac pauperum.

5. Quod nos cum consilio fidelium nostrorum ordinare volumus, qualiter honeste et sine indigentia in curte nostra, sicut antecessores nostri fecerunt, vivere possimus. Et comites ac cæteros fideles nostros admonemus, ut ipsi sic suum esse et vivere ordinent, qualiter propter illorum necessitatem vicini eorum ac pauperes non opprimantur.

6. De concordia et mutuo adjutorio episcopi et comitis, ad justitias faciendas et divinum ministerium exsequendum.

7. De justitiis per episcopos et missos ac comites nostros in [370] regno nostro studendis.

8. De raptis et conjunctione sanctimonialium atque propinquarum seu sponsarum aliorum, ut quod in præterito actum est, secundum consilium et judicium episcoporum corrigatur, et de cætero omnimodis caveatur.

9. Quod si aliquid per necessitatem in ecclesiis Dei aut contra aliquem fidelium nostrorum fecimus, hoc quam citius potuerimus libentissime emendabimus. Et de cætero si aliquis apud nos parem suum nocere voluerit, hoc secundum consuetudinem antecessorum nostrorum diffinire volumus.

10. De placito nostro. et de communi adjutorio contra Nortmannos, et de conlocutione nostra fraterna

KAROLI II CONVENTUS SILVACENSIS.

Capitula hæc Sirmondus ope codd. Tiliani, 2) regii Paris. 4638, 3b) S. Vincentii Metensis, tum Laudunensis ac Bellovacensis ediderat; Baluzius præterea usus est 3c) Palatino et 4) regio Paris. 4626, sec. X; nos vero codicibus 2, 3) regiæ Paris. Suppl. Lat. 75, et 4) Paris. n. 4626 adhibitis recognovimus. Codex 2 eorum quos vidimus solus sacramentorum formulas et totum missaticorum in fine recensum exhibet, 3 (certe et 3b et 3c) nonnisi missos decimi missatici, Senonensis scilicet nominat; codex 4 particulam litterarum regis ad missos directarum exhibet.

Sequuntur capitula quæ in ipso anno, et in ipso mense Novembrio, domnus Karolus consultu fidelium suorum in Silvatico [371] (91) *edidit, et per regnum suum a missis suis adnuntiari et observari præcepit, sed et missos suos, sicut subsequitur, per regnum suum ordinavit* [372].

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis. Karolus

VARIÆ LECTIONES.

[367] alodo 2. [368] *deest* 2. [369] m. quod f. 2. [370] de 2. [371] Silvaco *Laudun. et Bellov.* Silvatico *reliqui.* [372] Capitula lotharii imperatoris et karoli regis facta in palatio valentinianas 3. 3b. 3c.

NOTÆ.

(91) In pago Laudunensi.

gratia Dei rex [373], dilectis et fidelibus missis nostris per regnum nostrum constitutis, salutem. Sicut vobis notum esse credimus, cum dilectissimo fratre nostro Illothario apud Valentianas locuti fuimus, et communi consilio cum fidelibus nostris [374] communibus consideravimus, ut inter cætera sanctæ Dei ecclesiæ et nostri principatus ac regni nobis a Deo commissi negotia necessaria, de his quæ subsequuntur vos specialiter ammoneremus; ut sicut hic descripta habentur, una cum Dei adjutorio [375], prout melius potueritis, strenue exsequi procuretis, et hoc præsentaliter necessarium opus sine aliqua dilatione vel excusatione, sicut in missaticis conjuncti et deputati estis, simul conveniatis, et hoc ad perficiendum quantocius inchoetis; et quantum vel qualiter inde factum habueritis, unusquisque vestrum, sicut in missaticis constituti estis, de unoquoque missatico nobis ad conloquium quod in proximo cum fratribus nostris habebimus, renuntiare procuret. Et si contigerit, ut aliquis vestrum nostro servitio vel infirmitate aut quacumque occasione detentus fuerit, pro hoc alii non dimittant ut commendata exsequi non studeant; etiam si unus vacaverit a prædictis occasionibus [376], ipse, quantum Deus dederit, jussa perficere [377] studeat [378].

Ista denuntianda sunt populo a missis nostris.

1. Nostri seniores, sicut audistis, parabolaverunt (92) simul, et consideraverunt cum communibus illorum fidelibus de Dei servitio, et sanctæ ecclesiæ ac regni statu, et qualiter vos qui in regno constitutis pacem et justitiam habere possitis; et ordinaverunt missos per regnum illorum, qui in hoc decertent, quantum Deus adjutorium dederit.

2. Inter omnes justitias quas ordinaverunt ut unusquisque habeat, primo consideraverunt de honore ecclesiarum Dei, et orphanorum ac viduarum causis, et de regalibus justitiis. Tum maxime de raptoribus puellarum, et viduarum causis, et sanctimonialium, et de his qui presbyteros flagellare præsumunt, et qui presbyteros de ecclesiis sine episcoporum consensu eicere vel recipere, aut censum de manso, vel ex his quæ domnus et genitor noster in suis capitularibus ecclesiis in immunitate concessit, exigere non timent, et qui censa [379] de rebus ecclesiasticis ad ecclesias persolvere detrectant, ut firmiter inquirantur, et acriter distringantur, et plena justitia inde fiat, secundum quod in capitularibus avi et patris, illorum statutum habetur. Et ipsi per certos fidejussores ad præsentiam illius in cujus regno tales inventi fuerint, perducantur, ut inde ipse commendet, quid de tali homine fiat qui nec Deum timet, nec contra sanctos canones facere, nec legem et præceptum regium [380] infringere pertimescit; salva censura ecclesiastica et episcopalis pœnitentiæ [381] vindicta.

3. Similiter de collectis quas theudisca [382] lingua heriszuph [383] appellat, et de his qui immunitates infringunt, et qui incendia et voluntaria homicidia et adsalituras in domos [384] faciunt.

4. De latronibus autem commendaverunt, ut missi omnibus denuntient in illa fidelitate quam Deo et regi unusquisque debet [385] et promissam habet, et [386] in illa christianitate qua [387] pacem proximo unusquisque servare debet, ut sine exceptione alicujus personæ, nec pro amicitia, vel propinquitate, aut amore vel timore, ullus [388] latronem celet, sed illum missis illorum manifestet, et ad accipiendum [389] illum adjutorium quantum potuerit unusquisque præstet, et per [390] sacramentum hoc missi illorum firmare faciant, sicut tempore antecessorum illorum consuetudo fuit. Et si aliquis missos illorum non obaudierit, si regis homo fuerit, per fidejussores ad illius præsentiam perducatur. Si autem alterius homo fuerit, senior cujus homo fuerit, illum regi præsentet.

5. Commendaverunt etiam, ut si alicui denuntiatum fuerit ut ad accipiendum [391] latronem adjutorium præstet, aut aliquis sonum inde audierit ut ad latronem accipiendum concurratur, et se inde retraxerit ut ad hoc adjutorium non præstet, si liber homo fuerit, bannum dominicum componat; et si colonus fuerit, sexaginta ictus accipiat. Et si latro ibi occisus fuerit, qui eum occiderit leudem [392] inde non solvat, et nullus illi inde faidam portare præsumat. Quod si quis facere præsumpserit, per certos fidejussores ad regis præsentiam perducatur.

6. Quicumque autem [393] abhinc inante latronem receperit, maxime autem illum qui forbannitus fuerit, vel qui illos quos missi nostri forbannierunt recepit, postquam forbanniti ab eisdem missis nostris fuerunt, secundum quod constitutum est in capitularibus avi et patris nostri in libro III, capitulo 23, si Francus est, cum duodecim similibus Francis juret quod ipse latronem eum fuisse non scisset, licet pater ejus sit, aut frater, vel propinquus. Si hoc jurare non potuerit, et ab alio convictus fuerit quod latro-

VARIÆ LECTIONES.

[373] In *usque* rex *alia manu superscripta sunt.* [374] *deest* 2. [375] *deest* 2. [376] occupationibus 3b. c. [377] adimplere 3. 3b. 3c. [378] *hujus præfationis loco codex* 4. *hæc habet:* Ista denuntianda sunt a populo missis nostris. Cap. quæ fieri jussimus quando cum fratre nostro lothario apud valentinas locuti fuimus. Nostri seniores 2. [379] censum 2. census 3. [380] regum 3. [381] sententiæ 4. [382] theudisia 2. theotisca 3. [383] heris zuph 4. herizup 3. [384] domo 3. 4. [385] *deest* 2. [386] *deest* 3. [387] quam 3. [388] ullius 3. [389] capiendum 2. [390] *deest* 3. [391] capiendum 2. *constanter.* [392] liudem n. s. i. 3. [393] *deest* 3. 4.

NOTÆ.

(92) *Parlaverunt*, locuti sunt.

nem in hospitio susceperit, quasi latro et infidelis judicetur; quia latro est, et infidelis est [395] noster et Francorum; et qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, et tamen non scit pro firmiter, aut juret solus quod nunquam eum audisset, nec per veritatem, nec per mendacium, latronem; aut sit paratus, si ille de latrocinio evictus fuerit, ut [396] similiter damnetur.

7. Ut quando missi nostri latronem forbannierint, hoc et missis aliis et comitibus scire faciant. Et si de uno missatico [397] in alium fugerit, si in vicinitatem venerit [398], pro hoc missus qui eum forbannivit non dimittat ut eum non persequatur et comprehendat. Et si longius fugerit [399], missus in cujus missaticum fugerit, si alodem [400] habuerit, illi tollat, et illum constringat ut [401] illuc, velit nolit, reveniat [402], et ibi malum emendet ubi illud perpetravit. Et si in alicujus villam fugerit, et ipsa eum contenderit, secundum quod in capitularibus avi et patris nostri scriptum habetur, inde fiat. Et si necesse fuerit, ut justitia non proteletur, advocato denuntietur ut ipsum latronem reddat, et eos qui eum contenderint [403] præsentet, ut debitam disciplinam inde sustineant, et emendationem inde congruam faciant. Quod si facere neglexerit usque ad secundam vicem, bannum dominicum inde componat; et sic per fidejussores ad præsentiam eorum deducatur, ut et de illo, et de contradictoribus, et de ipso latrone, secundum quod causa conjacuerit, sic [404] decernatur, ut cæteri metum habeant.

8. Hoc etiam commendaverunt seniores nostri, ut si hujusmodi malefactores, sicut prædiximus, de uno regno in aliud fugerint, similiter missi illius, de cujus regno fugerit, ad alios missos in illo regno, ubi fugit, hoc notum faciant, et illi missi eos constringant, ut ad illud regnum et ad illos missos reveniant, ut ibi distringi possint ubi malum fecerunt.

9. De advenis qui oppressione Nortmannorum vel Brittannorum in partes istorum regnorum confugerunt, statuerunt seniores nostri, ut a nullo rei publicæ ministro quamcumque violentiam vel oppressionem aut exactionem patiantur; sed liceat eis conductum suum quærere et habere, donec aut ipsi redeant ad loca sua, aut seniores illorum [405] eos recipiant. Nullus [406] autem eos inservire præsumat, eo quod loco mercenarii apud aliquem manserint, nec censum aut tributum exigere. Quod si [406] inventus fuerit ex rei publicæ ministris aut aliis [407] quibuslibet contra hoc pietatis præceptum facere aut fecisse, bannum dominicum exinde componat.

10. Ut omnibus denuntietur, qualiter cuncti sint præparati ad quamcumque necessitatem imminentem ut secundum consuetudinem, prout necessitas evenerit, ad Dei servitium et illorum, atque ad defendendam sanctam Dei [408] ecclesiam et regnum, omnes sint præparati.

11. Capitula autem avi et patris nostri quæ in præscriptis commemoravimus, qui ex missis nostris non habuerint, et eis [409] indiguerint, ut commissa per illa corrigere possint, sicut in eisdem capitulis jubetur, [410], de scrinio nostro vel a cancellario nostro accipiant, ut rationabiliter et legaliter cuncta corrigant et disponant.

12. Ut unusquisque missus in suo missatico provisionem habeat, ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum [411] transierit, aut ibi consistens vel commanens rapinas vel deprædationes, aut talia inlicita fecerit de quibus Deus offendi solet, et populus pro oppressione gemere; quatenus hoc subtiliter et veraciter investiget, et nobis renuntiet, qualiter inde nos sic ordinemus, ut nec ipsum, nec alium hoc agere delectet.

13. Ut missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri aut alii quilibet vicinos suos majores vel minores tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hyemis, quando marascalcos [412] illorum ad fodrum dirigunt, vicinos majores vel minores [413] deprædentur aut opprimant. Et si egerint, hoc etiam, ut prædiximus, veraciter missi nostri investigent, et nobis renuntient, ut in seniore hoc sic emendemus, quatenus homines suos in potestate habeat, et contenti sint debitis, et indebita injuste non appetant [414].

Istud sacramentum jurabunt Franci homines.

Ego ille adsalituram, illud malum quod scach [415] vocant vel tesceiam, non faciam, nec ut alius faciat consentiam; et si sapuero qui hoc faciat, non celabo: et quem scio qui nunc latro aut scachcator est, vobis missis dominicis non celabo, ut non manifestem. Sic me Deus adjuvet et istæ reliquiæ.

Istud sacramentum jurabunt centenarii.

Ego ille adsalituram [416], illud malum quod scach [417] vocant vel tesceiam, non faciam, nec ut alius faciat consentiam; et si sapuero qui hoc faciat, non celabo: et quem scio qui nunc latro aut scachcator est, vobis missis dominicis non celabo, ut non manifestem. Et de Francis hominibus in isto comitatu et in meo ministerio commanentibus nullum recelabo, quantum recordari potuero, ut per brevem vobis missis dominicis non manifestem. Sic me Deus adjuvet et istæ reliquiæ.

VARIÆ LECTIONES.

[395] *deest* 3. [396] aut 2. [397] u. transmissatico 2. [398] venerint 2. [399] fuerit 2. [400] alodum *constanter* 2. [401] et ut i. 3. [402] redeat 2. [403] contenderunt 2. [404] *deest* 2. [405] eorum 2. [406] Nullus *usque* exigere *addidit Baluzius, desunt* 2. 3. 4. [406] Quod qui 3. 4. [407] alius 3. [408] s. d. *desunt* 2. [409] eisdem 3. 4. [410] habetur 2. [411] *deest* 2. [412] marascalchos 2. [413] *desunt* 3. 4. [414] *reliqua omnia, excepta recensione missorum in missatico decimo, desunt in* 3. 3*b*. 3*c*. 4. *Codex* 4. *capitulis superioribus fragmentum epistolæ regiæ ad missos subjicit quod infra referemus.* [415] siach 2. [416] assalturam 2. [417] scah 2.

Missi autem et pagi per micsaticos qualiter fuerunt tunc ordinati.

1. Hincmarus episcopus, Ricuinus, Engilscalchus, missi in Remitiano, Vonziso, Stadiniso, Pertiso, Barriso, Camiziso, Catalaunio, Virtudiso, Bagensoniso, Tardaniso.

2. Pardulus episcopus, Altmarus, Theodacrus, missi in Lauduniso, Portiano, Suessonico, Urciso, et Vadiso.

3. Imino [618] episcopus, Adalardus abba, Waltcaudus, Odelricus, missi in Noviomiso, Vermendiso, Adertiso [619], Curtriciso, Flandra, comitatibus Engilramni, et in comitatibus Waltcaudi [620].

4. Folcoinus (93) episcopus, Adalgarius, Engiscalcus, et Berengarius, missi in comitatu Berengarii, Engiscalchi, Gerardi, et in comitatibus Reginarii.

5. Hludowicus abba, Yrminfridus episcopus, Ingilwinus, Gozselmus, missi in Parisiaco, Melciano [621], Silvanectensi, Vircasino, Belvacense, et Vindoiliso

6. Paulus episcopus, Hilmeradus episcopus, Herloinus, Hungarius, missi in Rotinense, Tellau, Vitrau, Pontiu, Ambianense.

7. Eirardus episcopus, Teodericus abba, Herloinus, Hardoinus, missi in Aprincato, Constantino, Bagisino, Coriliso, Ot lingua Saxonia, et Harduini, Oxiniso, et in Lisuino.

8. Dodo (94) episcopus, Hrothertus, et Osbertus, missi in Cinnomannio, Andegavensi, atque Turonico, Corboniso, et Sagiso.

9. Burcardus [622] (95) episcopus, et Hrodulfus, et Heinricus abba, missi in Blesiso, Aurelianensi, Vindusniso, Carentino [623], Durcasino [624], Duniso, Ebricino, Stampiso, Castriso, Pincesiso, Madreciso.

10. Wenilo [625] episcopus, Odo, et Donatus, missi in pago Senonico, Trecasino [626], Wasteniso, Miliduniso, Morviso, Proviniso [627], et in tribus Arcisisis [628], et in duobus Brionisis.

11. Teutboldus episcopus, Ionas episcopus, Isembardus, et Abbo abba, Daddo, missi in comitatibus Milonis, et in comitatibus Isembardi, Augustuduno scilicet, Matisconense, Divionense, Cabillone, Hatuariis, et in Tornedriso, et in Belniso, et in Dusmiso comitatu Attelæ, et in comitatu Romoldi.

12. Hugo, Gozso, Nivilungus, missi in Niverniso, Alciodriso, Avaliso.

Fragmentum epistolæ regiæ ad missos ex cod. 4.

... Mandamus præterea ut, si capitula domni avi et genitoris nostri scripta non habetis, mittatis ad palatium nostrum de more prædecessorum vestrorum missum vestrum et scriptorem cum pergamena, et ibi de nostro armario ipsa capitula accipiat atque conscribat. Et vos deinde secundum ipsa capitula, Dei justitia populique a Deo nobis commissi necessarias proclamationes, legaliter emendare sollerti vigilantia procuretis. Valete.

HLOTHARII ET KAROLI CONVENTUS APUD LEUDICAM.

(An. 854. Febr.)

Sirmondi Baluziique editiones ope codicis 2) bibl. reg. Paris. n. 4638 recognovimus.

Hæ sunt adnuntiationes quas Hlotarius et Karolus apud Leudicam adnuntiaverunt anno 854.

HLOTHARIUS SERENISSIMUS [629] IMPERATOR.

1. Scire volumus vestram omnium fidelitatem, quia frequenter præsenti anno dilectissimum fratrem nostrum Hludowicum invitavimus, ut commune conloquium cum fidelibus nostris haberemus, atque cum illis de Domini voluntate, quantum ipse inspirare vellet, ac de sanctæ Dei ecclesiæ utilitate, nostroque ac nostrorum communi profectu [630], honore, et necessitate tractaremus et ordinaremus. Sed quia prædictus frater noster hactenus, sicut optaveramus, quibusdam impedientibus causis, venire distulit, nos illud omittere noluimus quin utiliter nos conjungeremus.

2. Nunc volumus vos certos reddere de nostra conjunctione, quia Christo propitio secundum Deum ad salutem sanctæ Dei ecclesiæ, nostramque ac vestram communem utilitatem et necessitatem, indissolubiliter corde et opere conjungere nos volumus, ut unum simus in Christo, et vos unum sitis nobiscum.

3. Sapiatis quia legem, qualem antecessores nostri, hoc est pater et avus noster, vestris antecessoribus concesserunt et servaverunt, nos similiter vobis perdonamus, et inviolabiliter atque incorrupte, et præsentibus et futuris temporibus, per omnia volumus observare.

KAROLUS GLORIOSISSIMUS REX.

1. Hanc siquidem conjunctionem facere idcirco usque nunc distulimus, quia voluimus [631], ut supradictus frater noster nobiscum pariter conveniens, in eadem conjunctione se nobis associaret. Sed quia ille aliquibus impedimentis præpeditus venire omisit, nos audita perturbatione quam filius ejus facere conatur, consociare nos voluimus. Sciatis ergo, quoniam et in prosperis et in adversis simul erimus; nec poterit nos, Deo adjuvante, ullum of-

VARIÆ LECTIONES.

[618] *ita correxi ex* 2. — *edd.* Immo. [619] aderoso 2. [620] nuateaudi 2. [621] molciano 2. [622] berardus 2. [623] caretino 2. [624] d d. e. st. c. *desunt* 2. *igitur desumta sunt ex Tiliano, Laudunensi vel Bellovacensi.* [625] guenilo 3. [626] tricassino. nuastesino 3. [627] proviso 2. pruviniso 3. [628] archis 3. archisiis 3c. [629] serenus 2. [630] profecto 2. [631] volumus 2.

NOTÆ.

(93) Tervannensis.
(94) Andegavensis.
(95) Carnotinus.

fendiculum ab ea caritate separare, qua fraternis vinculis adstricti sumus. Sed ubicumque alterno solatio et adjutorio indiguerimus, quantum Dominus permiserit, in invicem supportari et sustentari cupimus, atque contra omnem terrenum inimicum auxilium in alterutrum ferre volumus.

2. Si autem isdem frater noster, sicut optamus et ei mandamus, hoc agere distulerit, nos ita conjuncti sumus, ut unus alteri tale præbeat solatium et adjutorium, quatenus ubicumque necesse fuerit, amodo et deinceps, sicut præmisimus, unusquisque regnum sibi divinitus commissum quiete obtinere possit. Et si aliquis pari suo superstes extiterit, ipse qui remanserit, nepotes suos una cum regno patris sub tuitione et defensione habeat; ut contra adversantium machinationes, auxiliante Deo, ita muniti existant, qualiter quieto ordine regnum patris obtinere valeant.

3. Certissime igitur devotionem vestram scire cupimus, quia veraciter nos recognoscimus in multis Deum offendisse, animosque vestros negligenter molestasse. Quæ videlicet cuncta ita, favente Christo, pro viribus emendare voti habemus, ut et Deum placare et vestræ devotioni satisfacere possimus. De quibus omnibus certiores vos reddere curabimus, cum pluriores nostri fideles convenerint, aut cum præfatus frater noster, ut ei mandavimus, venerit, si tamen venire voluerit, quomodocumque vobis amabilius erit; ita ut veraciter cognoscatis, promissionem nostram omnimodis adtendere et plenissime nos observare velle.

4. Illud præterea in commune vestra et omnium comperiat solertia, quia ideo vobis in hoc sacro loco hæc sollicite denuntiare voluimus, ut noveritis, cuncta quæ dicimus, Domino favente, sanctisque ejus suffragantibus in quorum præsentia denuntiantur, inviolabiliter observaturos nos esse.

Hoc est sacramentum quod [633] *mutuo juraverunt.*

Ab hodierna die et deinceps, si Hludowicus frater noster illud sacramentum quod contra nos juratum habet, infregerit vel infringit, aut filii ejus ad talem partem regni quam tu [633] contra eum acceptam habes, in quantum Dominus posse dederit, et contra ipsum et contra filios ejus, ac omnes qui eam tibi auferre voluerint absque justa et rationabili occasione, si tu expetieris, adjutorium tibi defensionis præstabo. Si autem ego te supervixero, filiis tuis talem partem regni quam tu contra me et meum fratrem acceptam habes, non auferam, sed consentiam. Et si ipsi vel fideles illorum expetierint defensionis adjutorium contra ipsum fratrem nostrum et filios ejus, ac omnes, ut eam tenere possint, adjutorium in quantum potero [634] præstabo, si tu aut filii tui idipsum adjutorium mihi præstaveritis, et a nobis vos non dissociaveritis.

KAROLI II CONVENTUS ATTINIACENSIS.

(An. 854 Jun.)

Sirmondi Baluziique editiones ope codicis 2) bibl. reg. Paris. n. 4638 recognovimus, unde et Petrus Pithœus sacramentum fidelitatis in Scriptoribus coætaneis XII anno 1588 primus ediderat.

Hæc memorialia capitula quæ sequuntur, dedit missis suis domnus Karolus anno Dominicæ incarnationis 854, in mense Junio, quando apud Attiniacum cum fratre suo Hlothario fuit locutus, ut illa unusquisque missus in suo missatico per regnum illius exsequi procuret.

1. De missis pro latronibus, scilicet ut addantur et suppleantur missi, qui illa peragant, quæ in capitulis continentur quæ [635] supra in Silvaco illum edidisse præscripsimus.

2. De maritima custodia, ut secundum consuetudinem vigilanter disponeretur.

3. De viis per aquas, videlicet ut ubi noviter clausæ erant, aperirentur, sicut antiquitus fuerunt apertæ.

4. De pontibus restaurandis, videlicet ut secundum capitularia avi et patris sui, ubi antiquitus fuerunt, reficiantur ab his qui honores illos [636] tenent de quibus ante pontes facti vel restaurati fuerunt.

5. De navibus quæ vadunt sub pontibus, videlicet ut inde teloneum non exigatur.

6. De advenis quos affligunt ministri rei publicæ, scilicet ut qui ab illis quos Nortmanni vel Brittones adflixerunt, et ideo mendicando in istud regnum venerunt, vel qui propter adflictionem Aquitanicam huc venerunt, censum vel operationes exegerunt, hoc cum sua lege illis emendent. Et qui deinceps hoc facere præsumpserit, simul cum emendatione dominicum bannum componat.

7. De latronibus qui nunc nihil mali faciunt, et quod jamdiu fecerunt emendatum habent, et nullus modo super eos clamat, videlicet ut propter hoc modo non puniantur.

8. De hominibus qui in banno et in pœnitentia missi sunt, et pejus semper faciunt, scilicet ut a missis capiantur et constringantur.

9. De monetis et falsariis fabris, videlicet ut diligenter inquirantur et emendentur.

10. De rebus ecclesiarum in alodem datis, videlicet ut a missis inquirantur, et describantur, et regi renuntietur [637].

VARIÆ LECTIONES.

[633] q. sibi tres fratres francorum reges m. i. 2. [634] tua 2. [635] potuero 2. [636] quas 2. [637] *deest* 2. *ita* 2. renuntientur *S.* denuntientur *B.*

11. De monasteriis circumeundis, id est, ut sicut A ordinatum fuit, ita missi exsequi procurent.

12. De hominibus qui iterum a novo raptos faciunt, ut a missis comprehendantur, et constringantur, et ad regis [638] præsentiam deducantur.

13. De fidelitate regi promittenda, id est, omnes per regnum illius Franci fidelitatem illi promittant. Et qui dicunt se illam promisisse, aut certis testibus hoc adprobent, aut jurent se illam ante jurasse, aut illam ipsam fidelitatem promittant.

Sacramentum autem fidelitatis tale est.

Ego ille Karolo Hludowici et Judithæ filio ab ista die inante fidelis ero secundum meum savirum (96), sicut Francus homo per rectum esse debet suo regi. Sic me Deus adjuvet et istæ reliquiæ.

Anno incarnationis Domini 854, v *Nonas Julias* [639] B *in mallo Remis isti juraverunt, quod juratam habuissent fidelitatem*

Isti juraverunt antiquitus.

Teudacrus. Amalricus [640]. Rotboldus. Amalbertus. Dodo. Wigboldus [641]. Berulfus. Wala. Hecilo [642]. Heirbertus. Airardus. Gotlandus. Hilpricus. Gerlegius. Amalgisus. Heico. Amalricus, major de Buxido.

Isti juraverunt fidelitatem.

Goderamnus. Dodilo. Sigebertus. Fidentius. Ermenulfus. Teutgriminus. Wicboldus. Ermengaudus. Rotmundus. Gislulfus. Haimiricus. Teutbaldus. Drogo. Teodericus. Ebroinus. Rodoinus. Gislinus. Vulfridus. Haimuinus. Wandrebertus. Berecarius. Angelinus. Ado. Meinardus. Ottradus, decanus. Guntbertus, decanus. Heruwincus, decanus. Ozias. Ailus. Teudaldus. Teodoldus, decanus. Bertricus. Rothaus. Ingobertus. Amblinus, decanus. Gozselmus, decanus. Vulfarius. Flodovius [643]. Anglebertus. Emmenulfus. Siebertus, decanus. Hecto. Isaac. Gislardus. Alaricus. Gerardus. Madergaudus, decanus.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CONVENTUS TICINENSIS II.

(An. 855. Febr. 4.)

Capitula ab imperatore episcopis proposita, episcoporum de iis Rescriptum, et Leges postea promulgatæ primum a Laurentio Surio anno 1567 tomo Conciliorum III, pag. 480-483, Capitula missorum una cum legibus a Muratorio ex codice Mutinensi edita sunt. Editio nostra nititur tum codicibus 1) Blankenburgico et 2) Gothano, 3) tum Mutinensi apud Muratorium et 4) editione principe.

Capitula in fine posita in codice Blankenburgico, unde hic prima vice prodeunt, post rescriptum episcoporum habentur, et ad statuta conventus anno 850 habiti referri videntur.

Capitula (97) *quæ gloriosus imperator Hludowicus* C *suis episcopis de statu sui regni considerare præcepit.*

De conversatione episcoporum, presbyterorum et ceterorum clericorum; de doctrina et prædicatione in populo; de conscriptione librorum; de restauratione æclesiarum; de ordinatione plebium et xenodochiorum; de monasteriis virorum seu feminarum quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel ea quæ secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent; quicquid in præfatis ordinibus extra ordinem est, aut per neglegentiam præpositorum, aut per desidiam subditorum, vehementer cupio scire, et secundum Dei voluntatem vestrumque sanctum consilium sic emendare desidero, ut in conspectu Dei nec ego reprobus sim, neque vos et populus mihi D commissus [643] iram suæ indignationis incurrat. Quomodo autem istud rationabiliter quæsitum et inventum perficiatur, vobis hoc ad tractandum ac notis renuntiandum committimus. De minoribus quoque causis quæ generaliter omnes, specialiter aliquos tangunt, et indigent emendatione, volumus ut post hæc [644] illas quæratis, et ad nostram notitiam redu-

catis, sicut est de comitibus et eorum ministris, si justitias neglegunt, aut ipsas vendunt; si sunt rapaces, aut æclesiarum, viduarum, orfanorum, aut pauperum oppressores; si ad prædicationem veniunt, si debitum honorem et obœdientiam sacerdotibus suis impendunt; si aliquas novitates, aut argumenta, quæ ad detrimentum populi pertinent, agere præsumunt, sicut est in adquirendis proprietatibus, aut inrationabiles præces ad adjutoria facienda, sive in reliquis causis, quæ ad peccatum nostrum pertinere possunt ac populi nostri.

Rescriptum (98) *consultationis sive exhortationis episcoporum ad domnum Hludowicum imperatorem.*

1. Domino [645] gloriosissimo [646] regi Hludowico, pax et vita, salus et victoria, ministretur a Deo patre [647], et domino nostro Jesu Christo. Nos quidem in Dei nomine Angilbertus archiepiscopus, et Andreas patriarcha, una cum Joseph archicapellano, cum ad hanc sanctam [648] synodum in urbe regia Ticino congregatam venissemus, replicavimus eis piam exhortationem vestram, qua [649] viva voce ad nos usi fuistis, flagrantes Spiritus sancti munere, et ultra quam hujus ætatis teneritudo capere potuisse

VARIÆ LECTIONES.

[638] regum 2. [639] julii 2. [640] *codex* 2. ainalricus *habere videtur.* [641] *ita correxi ad fidem codicis* 2. [642] *ita* 2. [643] p. in commissis 4. [644] posthac 4. [645] Domno 2. *Hic incipit codex* 1. [646] glorio *corr.* gloriosissimo 2. glorioso 1. [647] *deest* 1. [648] *deest* 4. [649] quam 2.

NOTÆ.

(96) I. e. *savoir*, sapere.
(97) Ex cod. 2 et 4.
(98) Ex codd. 1, 2 et 4.

videretur, totius modestiæ, et gravitatis, atque sapientiæ sapore conditam; protulimus etiam et coram eis relegi fecimus commonitorium a vestra nobis magnificentia traditum. Quibus auditis, omnes unanimiter pro vestra indole, omnipotenti Deo ditissime gratias egerunt, quia populo suo tam pissimum tamque [650] sapientissimum [651] principem dedit, qui cuncta ordinabiliter et rationabiliter [652] disponere cupit.

2. Et quoniam religiosa sollicitudo vestra primum de conversatione episcoporum, presbyterorum et ceterorum clericorum quærere studuit, nos quoque quia nec aliter [653] melius fieri potuit, eundem ordinem servavimus [654]; et episcopum quidem ita conversari debere pronuntiamus, ut ejus vita omnibus [655] recte vivendi sit norma. Presbyteros vero et clericos ita vivere oportet, ut subditæ plebi exemplo suæ conversationis proficiant. At [656] quidam coepiscoporum nostrorum, qui bonæ conversationis sibi conscii sunt, palam fateri recusabant, ne sui ipsorum laudatores viderentur; qui vero neglegentiam suam recognoscunt, more humani ingenii se ipsos accusare verebantur : juxta commonitionem tamen vestram diligentius perscrutantes, quosdam quales desideratis, qualesque populi Dei pastores et rectores esse decet, invenimus; quorumdam vero neglegentiam, vel erga clericorum suorum [657] custodiam atque doctrinam [658], vel erga plebium sollicitudinem repperimus; quibus ut aliquantulum emendandi spatium tribuatis, humiliter petimus. Quod [659] si cito delicta non correxerint, severiori sententiæ subjacebunt. Cæterum si quislibet [660] laicorum vel clericorum contra episcopum, aut alicujus ordinis clericum, aliquid queritur, noverit nos paratos esse [661] et legitimam præbere audientiam, et si quid perperam gessisse probati fuerint, debita animadversione punire [662].

3. Doctrina vero et prædicatio in populum, partim episcoporum et reliquorum sacerdotum, partim vero populi neglegentia, non sicut necessarium est procuratur. Et sacerdotum quidem incuria [663] nullatenus est excusanda : quidam vero laici, et maxime potentes ac nobiles, quos studiosius ad prædicationem venire oportebat, juxta domos suas basilicas habent, in quibus divinum audientes officium, ad majores ecclesias rarius venire consuerunt. Et dum soli afflicti et pauperes veniunt, quid aliud, quam ut pacienter mala ferant, illis prædicandum est? Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere soliti [664] sunt, venire non rennuerent, illis [665] omnino prædicandum esset, ut a rapinis se compescerent, utique [666], dum possunt, elemosynis peccata sua redimerent, ut a fluxu rerum temporalium se abstinerent. Admonendi sunt igitur potentes, ut ad majores ecclesias ubi prædicationem audire possint, sepius [667] conveniant; et quantum dono omnipotentis Dei divitiis et honoribus cæteros antecedunt, tanto ad audiendum [668] præcepta conditoris sui alacrius festinent. Quidam autem comites et vassi dominici [669] presbyteros et cæteros clericos nostros, quod nec episcopis facere licet, absque nostra licentia recipiunt, insuper etiam ubicumque ordinatos, et quosdam de quibus dubium est utrum consecrati sint [670], in parrœchiis nostris absque nostra examinatione missas sibi [671] celebrare faciunt; quod ne ulterius fiat, omnimodis est inhibendum.

4. Quare [672] in ordinandis plebibus sanctorum canonum [673] instituta serventur, et pestiferæ ambitionis vitium radicitus extirpetur [674]; et neque ob quorundam propinquitatem, nec [675] pro alicujus familiaritatis gratia, neque quod maxime detestandum est [676], propter pecuniarum acceptionem, indignus quilibet ordinetur. Et primum quidem ipsius loci presbyteri, vel cæteri clerici, idoneum sibi rectorem eligant; deinde populi qui ad eandem plebem aspicit, sequatur assensus. Si autem in ipsa plebe talis inveniri non potuerit, qui illud opus competenter peragere possit, tunc episcopus de suis quem idoneum judicaverit, inibi constituat. Sane removenda est quorundam laycorum procacitas [677], qui hoc solo obtentu, quod ad electionis consortium admittuntur, archipresbyteris suis dominari præsumunt, et quos tamquam patres venerari debuerant [678], velut subditos contempnunt. Hi igitur intra proprii juris terminos sunt redigendi; et si extraordinariam dominationem in æcclesiis exercere præsumpserint, regia sunt disciplina cohercendi.

5. Hi [679] vero qui ad gubernandas plebes legitime provecti sunt, nullatenus a suis episcopis repellantur, nisi aut alicujus criminis reatum inciderint, aut easdem plebes male tractaverint. Tollenda est enim omnino prava consuetudo, quæ in quibusdam locis oriri cœpit; quia nonnulli archipresbyteri [680] vel aliorum titulorum custodes, fruges [681] vel alios ecclesiarum redditus ad proprias domos abducunt; quidam vero aliorum possessiones conducunt, ut in eis quæ ab ecclesiis suis male subtraxerint [682] recondant; nonnulli autem laicorum in tantum eorum nequitiæ se complices faciunt, ut quæ hujusmodi transgressores ab ecclesia subripuerint [683], ipsi in

VARIÆ LECTIONES.

[650] quamque 2. 4. [651] sanctissimum 2. 4. [652] et r. *deest* 1. 2. [653] Qui regaliter 2. quo regulariter 4. [654] servamus 2. 4. [655] *deest* 4. [656] et 2. 4. [657] suorumque 1. [658] a. d. *desunt* 4. [659] qui 2. 4. [660] quilibet 4. [661] *deest* 2. 4. [662] puniri 1. 2. [663] injuria 4. [664] solliciti 1. [665] illis — possunt *deest*. 2. 4. *cujus* loco 4. *legit* admoneri utique possent. [666] ut quia 1. *quod correxi*. [667] *deest* 2. 4. [668] audienda 1. [669] domici 2. domestici 4. [670] sunt 4. [671] *deest* 2. 4. [672] *deest* 2. [673] plebium rationibus civium 4. [674] radititus exturpetur 2. [675] neque 2. 4. [676] *deest* 2. 4. [677] procastitas 1. [678] debuerint 2. debuerunt 4. [679] Si 2. Ipsi 4. [680] archiepiscopi 1. [681] frues 2. [682] subtraxerunt 2. 4. [683] subripuerunt 4.

suis domibus abscondant. Tales ergo primum a suis episcopis corripiantur; quod si se citius corrigere noluerint, tamquam qui ecclesiasticas res sacrilega temeritate tractaverunt, synodali sententia feriantur. Laici [485] vero qui post hanc denuntiationem socios se hujus expilationis præbuerint, tamquam furti reos judiciaria coartabit [486] auctoritas.

6. De restauratione ecclesiarum, illud capitulum sufficit, quod gloriosus [486] genitor vester [487] in Olonna [488] constituit; sed ut observetur [489], vestra indiget admonitione.

7. Similiter et de xenodochiis, sicut in eodem kapitulari continetur, observandum est.

8. De monasteriis autem virorum seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quia inspiratio omnipotentis Dei ut [490] credimus ad hanc inquisitionem [491] cor vestri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus. Nam quod jam maxima [492] ex parte ordinem suum amiserint [493], omnibus est manifestum; quæ ut ad pristinum statum reducantur, in domini et genitoris vestri ac vestra gloriosa dispositione consistit.

9. Et [494] ea quidem monasteria quæ adhuc statum suum retinent, unumquemque episcoporum in cujus parrœchia constituta sunt [495], providere oportet, utrum ordinem suum teneant. Qui [496] si aliter invenerit, una cum rectore monasterii corrigere debebit. Quod si rectoris monasterii principaliter culpa fuerit, et se suosque subditos ad admonitionem episcopi sui corrigere dissimulaverit [497], synodica debet auctoritate percelli.

10. Quidam autem episcopi et rectores monasteriorum res ecclesiarum suarum subtractas et aliis personis in beneficium [498] largitas esse queruntur, et ideo ecclesiasticas utilitates se nequaquam implere posse dicunt; quæ ut restituantur, vestram regiam majestatem imploramus, humiliter admonentes [499], quia si hi qui eas pro animarum suarum remedio ecclesiis contulerunt, præmium merentur, sine dubio dampnatione digni sunt, qui eas subtrahere moliuntur.

11. In sacris canonibus præfixum est, ut decimæ juxta episcopi dispositionem distribuantur; quidam autem laici, qui vel in propriis vel in beneficiis suas habent basilicas, contempta episcopi dispositione, non ad ecclesias ubi baptismum et prædicationem et [500] manus impositionem et alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant, set vel propriis basilicis, vel suis clericis pro suo libitu tribuunt. Quod omnimodis divinæ legi et sacris canonibus constat esse contrarium. Unde vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus.

12. Sacra docet auctoritas, ut publice peccantes publicæ pœnitentiæ subiciantur. Inveniuntur autem quidam qui incesta matrimonia contraxerunt, et vel proximis suis, vel Deo sacratis [501] mulieribus copulati sunt; quidam etiam publice homicidia vel alia crimina perpetrarunt, quos ut episcopi [502] publicæ possint pœnitentiæ subjugare, petimus ut comitum vestrorum auxilio [503] fulciantur.

13. Quosdam ministros comitum propter frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus; unde majestatem vestram obsecramus, ut capitulare avi vestri de hac re observare [504] præcipiatis

14. De comitibus vero, de quorum vita et actibus a nobis quærere voluit sublimitas vestra, quosdam tales esse scimus, quales Dei ministros et vestræ rei publicæ provisores esse decet [505]; nonnulli autem, ut se suosque ministros corrigant, vestra admonitione indigent, quibus tamen, similiter [506] ut episcopis [507], aliquantulum emendandi spatium tribuatis, exposcimus. Qui si se citius corrigere noluerint, regia sunt auctoritate reprimendi.

15. Statuimus etiam, ne episcopi, quando pro confirmando populo [508] parrœchias circumeunt, archipresbyteros suos gravent, ut hujusmodi dispensa contenti sint: panes centum, friskingas [509] quatuor, vinum [510] sextaria quinquaginta, pullos decem [511], ova quinquaginta, agnum unum, porcellum unum, annonam ad caballos modios sex, fœnum carradas tres, mel, oleum, cera, quod sufficit.

16. [512] Petimus etiam, ut emunitates progenitorum vestrorum ita conservare [513] præcipiatis, sicut a glorioso genitore vestro in Olonna [514] constitutum est.

17. Per singulas parrœchias eas festivitates populus observare studeat, quas proprius eorum episcopus venerari prædicaverit, ita ut [515] neque illas neglegant quas sacerdotes colere monuerint, neque inani superstitione eas celebrare præsumant, quæ nequaquam sunt observandæ. Si vero aliqui inventi fuerint qui sacerdotibus obtemperare noluerint, per ministros rei publicæ distringantur, et satisfactionem pœnitentiæ quam presbyteri imposuerint, subire cogantur.

LEGES AB IMPERATORE PROMULGATÆ (99).

In nomine Dei omnipotentis anno incarnationis

VARIÆ LECTIONES

[485] laicos 4. [486] coartabat 2. [486] *deest* 4. [487] noster 1. [488] *vox excidit in* 4. [489] servetur 2. 4. [490] *deest* 2. 4. [491] ad h. i. *deest* 2. 4. [492] maxime 2. [493] amiserunt 1. [494] *deest* 4. [495] sint 2. [496] Quod 4. [497] d. s. d. a. *deest* 1. [498] in b. *deest* 4. [499] h. a. *deest* 4. [500] *deest* 2. [501] sacris 2. [502] publice — publicæ *deest* 2. 4. [503] axilio 2. [504] observari 4. [505] debet 2. 3. [506] *deest* 2. 4. [507] *deest* 1. 4. [508] populum 2. 4. [509] frischingas 1. [510] vini 4. [511] septem 4. [512] *Codex* 2. *quæ sequuntur omnia superiori capiti adjungit.* [513] conservari 4. [514] *locus vacuus in* 4. [515] *deest* 1.

NOTÆ.

(99) Ex codicibus 2, 3 et 4.

Dominicæ 853, indictione 3. [810] mense Februario, die mensis ejusdem quarto [811]

Cum domnus et [812] magnificentissimus Hludowicus augustus apud Tycinensem civitatem in augustali aula resideret, tractaturus de statu sanctæ matris ecclesiæ, et pace divina dispositione [813] sibi commissi imperii, ac generali totius populi salute, præsentibus optimatibus suis dixit.

1. Crebro vestram fidelitatem retroactis temporibus commonuimus, ut secundum normam christianæ religionis vivere unusquisque nostrorum fidelium satageret, et suos a rapina conpesceret; attamen quia hactenus minus [814] diligenter [815] est actum, amodo omni conamine vos [816] studere volumus, quo penitus a nostro regno rapina eliminetur, et pauperum voces usque nunc domini Sabaoth aures pulsantes querimoniis, incipiant suo creatori laudes rependere pro ubique pace et quiete concessa nobis a gentibus.

2. Statuimus autem ut ecclesiæ Dei per totius regni nostri fundatæ terminos sub nostræ inmunitatis tuitione securæ cum rebus et familiis permaneant, ceu prædecessorum [817] nostrorum, piissimorum videlicet augustorum, temporibus fuisse [818] probantur; earumque rectores propriis utantur privilegiis [819]. Et [820] monachi per sua cenobia regularem teneant ordinem. Similiter et clerus omnis proprio fungatur ministerio, nemine molestante, nostri terroris formidine.

3. Sancimus nihilomnius, ut singuli comites [821] et actores [822] rei publicæ in suis ministeriis legalem procurent populo facere justitiam, pupillos et viduas protegant, per loca solita restaurent palatia, quibus cum iter dictaverit, nos legatosque nostros valeant recipere, ne gravetur [823] æcclesia. Quando etiam episcopos, abbates, vel comites, seu fidelium nostrorum quempiam, in propria villa morari contigerit, cum suis in suis maneant domibus, ne sub obtentu hospitii [824] vicinos [825] opprimant, vel eorum bona [826] diripiant

4. Denique quia, Christi custodiente clementia, neminem injuste [827] consecuti [828] privavimus, sed neque privari absque legali sanctione aliquem nostrorum fidelium volumus [829] beneficio, jubemus ne quis suum depravet nullo [830] modo, sed instauret securiter, ne qui dirigendi sunt a nobis undique, si depravata repererint, legaliter emendare conpellant, et eos deinceps perfrui prohibeant.

5. Porro cum ad nostrum quislibet nostrorum fidelium properat obsequium, tam eundo [831] quam redeundo gradiatur pacifice; et ni [832] generalis exigat [833] utilitas, ut [834] cum scaritis veniat, in statutis juxta [835] domibus [836] maneat. Episcopus, et comes, per quorum transeunt terminum, diligenter provideant, ne molestentur incolæ, aut eorum domos [837] per vim paciantur invadere, vel propria diripere, absque conlato [838] præcio; sed neque indigenæ [839] per solita [840] loca tectum focum aquam et paleam hospitibus denegare, aut sua [841] carius quam vicinis audeant vendere.

6. Igitur quia [842], hactenus in regno nostro quosdam [843] inrefrenate vixisse, nulli est ambiguum, sancimus unumquemque suorum hominum sollicitudinem gerere, ne solitam rapinam patrare [844] præsumant. Qua pro re si quis artatus suum seniorem dimiserit, penitus interdicimus ne recipiatur ab altero, quatinus, nisi corrigi voluerit, a nostri regni penitus excludatur finibus.

7. Hæc [845] olim sæpe inculcata et augustali nostra sanctione promulgata, quia [846] ex parte in aliquibus neglecta videntur, hactenus acriori ulcisci debuerant examine: attamen nostra mansuetudine, ut corrigantur, quantulumcumque largimur spatium, quo quique [847] neglecta emendare [848] valeant [849]; destinaturi post modicum [850] legatos strenuos, emendata inquirere. Qui vero neglegens repertus fuerit propriis honoribus nostro privabitur juditio.

CAPITULA MISSORUM.

Legatio.

1. Ecclesiarum Dei justitia inquiratur, et omni studio perficiatur, et ne a sacrilegis thesaurus diripiatur earum, fideliter conscribatur.

2. Pupillorum et viduarum causa investigetur, et diligenti cura misericorditer examinetur.

3. Totius populi querimonia generaliter audiatur, et legaliter definiatur.

4. De statu rei publicæ inquirendum, ubi, cum iter dictaverit domnus imperator, recipi debeant [851] per singula ministeria ab eo directi legati. Unde eis administrentur obsequia, unde paraveredi [852]; unde vel quæ dona annualia aut tributa publica exigi debeant; qui debeant palatia restaurare, qui pontes; ut non destruantur beneficia, et destructa restaurentur [853]; quæ beneficia dominicus ga:indius [860] habuit; quis habeat illa, vel ubi conjaceant.

5. Directi abbates monasteria monachorum et puellarum ac senodochia circumeant, si unde administrantur [861] debita obsequia habeant, et concorditer degant, inquirant. Quidquid inordinatum reppe-

VARIÆ LECTIONES.

[810] XIII. 2. 4. [811] quarta 3. [812] dominus m. 4. [813] dispositionem 2. [814] *deest* 2. [815] indiligenter 4. [816] omnes 4. [817] prodecessorum. [818] fecisse 2. [819] privilegibus 2. [820] *deest* 3. [821] conventus 4. [822] et exactores 2. 4. [823] gravent ecclesias 3. [824] hospitum 2. [825] eos 3. [826] res 3. [827] juste consecuto 3. [828] *deest* 4. [829] voluimus 4. [830] ullo 3. [831] t. in e. q. in r. 3. [832] p. ut terræ g. exigit 3. [833] *deest* 4. [834] rox *deest in codd.* [835] justa dominus 3. [836] *deest* in 4. *loco vacuo.* [837] domus 4. [838] *deest*, *loco vacuo* 4. [839] indigne 2. 4. [840] soluta 2. [841] suam 2. 4. [842] qui 2. 4. [843] *deest* 2. 4. [844] perpetrare 3. [845] Recolimus hæc sæpe 3. [846] et quia 3. [847] quisque 3. [848] emendari 2. [849] valeat 3. [850] postmodum 3. [851] debeat p. s. ministeria. Ubi ab eo d. l. 3. [852] paraveredæ 3. [853] recuperentur 2. [860] gisindius 2. [861] amministrentur 3.

rerint, regulariter corrigant; senodochia autem sic ubi sunt neglecta, ad pristinum statum revocent; hospitales vero pauperum tam in montanis quam et ubicumque fuisse noscuntur, pleniter et diligenti [563] cura restaurentur.

Item institutio domni Hludowici imperatoris.

1. Volumus ut unusquisque pro temporis consistentia et ministerii sui congruentia justitias procurare decertent; et subditos non solum commoneant, sed etiam procurare compellant. Constituimus et modis omnibus monemus, ut in ecclesiasticis ministeriis juxta quod preterito (100) sancti Patres in nostro placito invenerunt, unusquisque servare studeat, et preterito neglecta celeriter emendet. Et restauratio [565] ecclesiarum baptismalium juxta antiquam consuetudinem perficiatur.

2. De decimis, sicut supra dicto placito (101) inventum est, quicumque neglexerit, canonico judicio corrigatur. Et qui in hoc aliquid contrasteterit, sciat se nostra imperiali auctoritate emendandum. Judices namque commoneantur Dei timorem ante oculos habere, et pro nulla persona justitiam immutare audeant; sed quod verum est justissime perquirant, et veraciter judicent.

3. Pontes enim ubicumque consueti sunt, permaxime Ticinensis, restaurentur; et ubicumque non consueti necessarii sunt, construantur. Navigia in consuetis locis preparata consistant; et ne transeuntes gravent, commonendi sunt.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CONVENTUS TICINENSIS III.

(*An.* 855. *Jul.*)

Capitula ad petitionem populi ab imperatore promulgata quæ primum a Canisio l. c., pag. 685, ex codice Sangallensi vulgata, tum a Baluzio ope codicis regii Parisiensis n. 4613 recognita sunt, eodem codice iterum evoluto proponimus.

Statuta pro lege posita auxilio codicis Blankenburgensis et regii Parisiensis n. 4613 recognita et aucta prodeunt, cum antea nonnisi tria ejus capita a Baluzio, tom. II, pag. 349, 350, edita essent. Contuli et Fragmentum Florentinum a Dato editum et codices legum Langobardorum Vindobonensem, Veronensem et Estensem apud Muratorium inter leges Lotharii capp. 65-67.

Capitula missis dominicis contradita in uno Blankenburgensi obvia, prima jam vice typis vulgantur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, anno [564] incarnationis Domini nostri Jesu Christi [566] 854, [566] imperii [567] nostri 6, indictione 4. Dum conventum [568] fidelium nostrorum palatio nostro Ticinæ civitatis convocaremus [569], et simul episcoporum [570] et nobilium nostrorum [571] consultu [572] non solum ecclesiasticam utilitatem et populi pacem vel [573] salvationem, sed etiam totius regni statum perquirere studeremus, inter reliqua [574] populus noster nobis quasdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore et eorum fidelitate ducti libenter suscepimus, atque [575] ideo subter annotata capitula ad eorum utilitatem conscribi [576] fecimus, quas in futurum [577] pro lege teneuda firmamus.

1. De feminis quæ, defunctis viris, lex Langobardorum prohibet ante anni [578] spatium vestem religionis mutare velumque [579] suscipere, petierunt, ut nostra licentia eis, mox divina pietas inspiraverit [580], eas indemnes licere suscipere. Nos autem considerantes quia præterito [581] pro ipsa dilatione multæ [582] etiam raptæ intra eumdem spatium [583] ad aliam partem distractæ fuerunt, ideo et eorum petitionem [584] quam justam [585] censuimus, suscepimus, et eis ita fieri [586] concedimus.

2. Nostræ majestati [587] reclamaverunt [588], patris [589] nostri vel nostri super eas superfluas [590] factas fuisse [591] inquisitiones. Ideo eis concedimus, ab hinc in futurum nullas alias super eos fieri inquisitiones, nisi unde Karoli proavi [592] et avi [593] nostri tempore factæ fuerunt.

3 [594]. De liberis hominibus qui super alterius res [595] resident, et [596] usque nunc a ministris [597] rei publicæ contra legem ad placita protrahebantur [598], et ideo pignerabantur, constituimus [599], ut [600] secundum legem patroni [601] eorum eos ad placitum adducant. Et si quis eos contra hanc nostram auctoritatem et eorum legem pignerare aut distringere [602] præsumpserit [603], patrono [604] eorum omnia cum lege [605]

VARIÆ LECTIONES.

[563] dilenti 2. [563] emendet et restaurandis *codex*, *quod correxi*. [564] *deest Canis.* [565] Ch. annis *Canis.* [566] CLIIII or *Paris.* [567] anni imperii domini Hludowici imperatoris augusti VI. *Canis.* [568] conventu *Paris.* [569] *ita Paris.* convacarentur *Canis.* [570] eorum *C.* [571] nostrorum n. *C.* [572] consultum *C.* [573] pacem vel *desunt C.* [574] reliquos *P.* [575] adque *P.* [576] subscribi *C.* [577] futuro *C.* [578] anno *P.* [579] velamque *C.* [580] inspiraverat *P.* [581] præterita *P.* opto *C.* [582] multi *P.* [583] eodem spatio *P.* [584] petitione *P.* [585] justa *P.* [586] fierit *P.* [587] majestatis *P.* [588] *Baluzius inseruit* tempore *absque auctoritate codicum.* [589] patres *C.* vel p. n. super *P.* [590] superflua facta *P.* [591] *deest C.* [592] p. et *deest P.* [593] avii *P.* [594] *hoc caput in codd. V. Vn. E. et editis Hlotharii imp. adscribitur. v. Mur.* c. 82. [595] terram *V. Vn. E.* [596] ejusque *C.* [597] amministris *C.* ad m. *P.* [598] protrahantur *C.* [599] constitutum est *C.* [600] *deest P.* [601] patronos *P.* [602] distinguere *V. Vn.* [603] præsumserint *P.* [604] patronum ejus *C.* patroni *P.* ejus *V. Vn. E.* [605] *Vn. in margine :* id est sibi nonus si est langobardus, vel in quadruplum si est romanus vel secundum legem ejus.

NOTÆ.

(100) Cf. Constitutiones anni 850.

(101) Cf. Constitutiones anni 850, cap. 17.

emendet [606], et insuper pro incauta [607] præsumptione bannum nostrum componant [608].

4 [609]. De homicidio, unde lex pro simplicitate probationem [610] trium testium quærit, et testes habere non potuerit, concedimus, ut cum duodecim juratoribus juret, et [611] ab eadem simplicitate [612] absolutus proprium non amittat [613].

5 [614]. De cartis quæ a quibusdam personis falsæ appellantur, constituimus, ut si notarius superfuerit et testes qui eam veram et idoneam faciant; et si testes mortui fuerint, et notarius superfuerit, cum duodecim juratoribus veram et idoneam eam faciat.

Concessas denique petitiones vestras, consideravimus etiam ea quæ ad nos jam [615] pridem [616] pervenerunt, ad [617] resecandas [618] malorum insidiationes B iisdem [619] adjungere capitulis [620].

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Hludowicus gratia Dei imperator augustus. Dum enim superno nutu cum fidelibus nostris conventum Papia regia civitate habuissemus, pervenit ad nos, qualiter dum aliqui homines suam infra regnum quærere conantur justitiam, a quorundam pravorum hominum insidiis impediantur, ita ut per se aut per alios submissos eos ad servitium quærant, sive illos sive quos ad testimonium producere velint, ut sub tali occasione suam percipere non valeant justitiam. Qua pro re, ut talem resecaremus nequitiam, duo capitula infra regnum nostrum Italicum populo commoranti in legem dare prævidimus. Anno imperii domni et genitoris nostri Hlotharii pii imperatoris C trigesimo sexto, nostro etiam sexto, 13 Kal. Aug. sub indictione 3.

Item statuta domni Hludowici pro lege posita.

1. Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio, et ille qui mallatus fuerit dicat, ideo ei nolle [621] quia servus alterius sit [622], aut si testimonia produxerit et similiter dixerit [623] quod ea [624] recipere non debeat [625], quia aliquis eorum servus sit [626], nominet dominum ejus, et sic det wadiam [627] de eo [628] adducendo; et posito placito in quantum ire ubi eum invenire credit et reverti [629] posse judices dixerint, si in placito constituto dominum non adduxerit, A præbeat [630] sacramentum, quod pro nulla dilatione justitiæ [631] ejus hoc dixerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit [632]. Quod si jurare ausus non fuerit [633], quia pro occasione prolongandi justitiam [634] hoc dixit, componat illi bannum nostrum, et justitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit qui se dominum ejus dicat, et illum quem de servitio [635] appellavit, replicare [636] ad servitium non voluerit, tunc ipse qui se dominum ejus [637] dixit, bannum nostrum illi componat, eo quod pro [638] conculcanda justitia ingenium tale facere ausus fuit [639]. Crimina vero si super eum pro dilatanda justitia [640] imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, et justitiam faciat, et insuper bannum nostrum pro tanta [641] calliditate [642] componere cogatur.

2. Si forte quispiam aliquem mallaverit, et ille qui mallatus fuerit, dixerit eum suum servum [643] esse vel alius [644] in ipsa altercatione veniens eum [645] ad servitium mallaverit, jubemus [646], ut præsentaliter inter se wadient, ut ad primum et [647] secundum vel tertium placitum causam ipsam definiant [648]. Inter placitum vero et placitum sint dies 15; tertium autem quando comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint [649] dies 15; sin [650] autem in alium [651] sint dies [652] 20, ne pro tali occasione ejus [653] justitia prolongetur [654]. Quod [655] si in his tribus placitis ille qui quærit venire [656] neglexerit, excepto servitio regis aut inevitabili necessitate, et comes placitum habuerit, ille quoque alius ad suam probandam libertatem paratus fuerit, tunc comes ipsam [657] causam finiat [658] veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, et ultra ille qui quæsierat facundiam [659] de servitio illius dicendi [660] non habeat, et insuper ut supra [661] bannum nostrum illi componat, ac [662] justitiam pleniter faciat.

3. Et sunt aliqui [663], qui dum alios in servitium [664] mallant, et ipsi de sua [665] libertate approbare [666] wadiam [667] dant, in tantum eos mutando [668] placitum lacerant, ut vix pro sua paupertate evadere possint, unde tertium addere capitulum placuit. Si vero aliquis [669] alium ad servitium mallaverit, et ille qui mallatus fuerit, wadiam de sua probanda libertate dederit, jubemus, ut supra, ad [670] primum aut se-

VARIÆ LECTIONES.

[606] commendet *C.* emendent *P.* [607] p. i. *desunt C.* i. *deest V. Vn. E.* [608] conponat *C.* conpona *P.* [609] *Caput hoc inter leges Hlotharii recensent Ambr. Fl. L. V. Vn. E. apud Mur.* c. 89. [610] probatione *P.* [611] *deest C.* [612] simplicitatem *P.* s. sit a. *V. Vn.* [613] admittat *C.* ammittat *P.* [614] *hoc caput deest in Paris.* [615] in *C.* [616] pridie *P.* [617] et ad *P.* [618] reserandas *C.* [619] insidiatores hisdem *P.* [620] *ultima vox Canisii.* c. id est *P.* [621] nollet *Paris.* nolo *Fr. Flor. A. Fl. V. Vn. E.* [622] est alterius *Par.* [623] et s. d. *desunt in Bl.* [624] eum *P.* [625] debet *P.* [626] s. alterius *Fr. Fl. codd. Lgbb.* [627] wadia *P.* [628] eo ad placitum a. *Fr. Fl. Lgbb.* [629] reverte *Bl.* [630] præbeat *usque* dixerit *deest P.* [631] justitia *Bl.* [632] crederit *P.* [633] jurare noluerit *V. Vn. E.* [634] justitia obdixerit conponat *P.* prolongandæ justitiæ hoc non dixisset *Fr. Fl. Lgbb.* [635] servitium *P.* [636] applicare *P.* [637] dominus esse dixerit *P.* dominum ejus dixit esse *Fr. Fl.* [638] quod conculcandam justitiam in jejunium t. a. fuerit f. *P.* [639] Crimina — cogatur *deest Bl.* [640] justitiam *P.* [641] *deest Fr. Fl.* [642] caliditate *P.* [643] servus *P.* [644] alius *P.* [645] *deest P.* [646] volumus *Fr. Fl.* [647] aut *Fr. Fl. V. Vn. E.* [648] definiat *P.* deliberet *Frg. Fl. E.* deliberent *V. Vn.* [649] s. d. 15. *deest in Bl. P.* [650] si *P.* [651] alia *P.* [652] *deest Bl. P.* [653] ei *P.* [654] prolongentur *P.* [655] Quo *Bl.* [656] *deest P.* [657] *deest P.* [658] prodefiniat *P.* [659] facundia *P.* [660] *deest Frg. Fl.* [661] ut s. *desunt Frg. Fl. Lgbb.* [662] et *P.* [663] aliquid dum alii *P.* [664] servitio *Frg. Lgbb.* [665] de sua li *ultimæ voces Fragmenti Florentini.* [666] probanda *V. Vn. E.* [667] wadia *P.* [668] mutandi placidum laterant ut vis *P.* [669] aliquid *P.* [670] ut ad *V. Vn. E.*

cundum vel tertium placitum causam deliberent. Inter placitum et placitum sint [671] dies 15; tertium vero quando comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies 15 [672], sin [673] autem in alium, sint dies 20 [674]. Et si in istis [675] tribus placitis ipse qui quærit venire contempserit, antepositis [676] quæ superius anteposuimus, et comes placitum habuerit, ille namque alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc comes ipsos testes recipiat et causam [677] definiat, veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, et ultra ille qui quæsierit [678] tacitus [679] de servitio illius permaneat.

4 [680]. Previdimus de Judeis, ut nullus infra regnum Italicum ultra Kalendas Octobris maneat, et modo eis denuntietur ut omnes usque ad placitum illud exeant ubi voluerint, sine ullius contradictione. Quod si post Kalendas Octobris aliquis inventus fuerit, a quibuscumque comprehendi potest, cum omni substantia [681] sua ad nostram deducatur præsentiam.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CONSTITUTIONES.

(*An.* 856. *Martio; Mantuæ?*)

Capitula in codicibus Blankenburgensi et Parisiensi proxime post constitutiones ann. 855 scripta, cum ad eum conventum non pertineant, ut ex inscriptione codicis Parisiensis et ex capite secundo Missis dato constat, cuinam placito ascribam nescio, nisi fortasse primo post Lotharii obitum a Ludovico vere anni 856 Mantuæ (ut ex diplomate Veneticis concesso conjicere licet) habito.

Alio tempore dictus [682] *serenissimus Augustus instituere prævidit capitula.*

1 [683]. Si quislibet episcopus abba vel comes in propria sede vel domos aut villa residet, homines ipsius deprædationes fecerint, messes vel prata defensionis tempore devastaverint, et hoc cognitum absque [684] injusta dilatione non emendaverit, et factori condigna castigatione non inposuerit, ipsum malum ut lex est emendare cogatur, et insuper quadraginta dies et noctes a vino et carne abstineat.

2. Per viam quoque ad palatium veniens aut rediens cuicumque homines rapinam fecerint, et cognito statim non emendaverit, et factori condignam castigationem non inposuerit, omnia que rapta sunt ut lex est emendare cogatur, et insuper triginta dies et carnes et a vino abstineat.

3. (*Reliqua exciderunt.*)

Capitula missis data [685].

1. Ut inquirant de singulis monasteriis vel senedochiis, qualiter a conditoribus ordinata sunt, vel quomodo nunc permaneant, et a quibus personis detineantur.

2. De monetis inquiratur, qua custodia observantur, vel qua fraude vitiantur, et a quibus personis hoc perpetratum sit, et noviter a nobis instituta instanter [686] figurari precipiantur. Verumtamen usque missa sancti Johannis denarium argenteum et non fractum cujuscumque monetæ recipiatur. Rejectoribus autem juxta capitulare castigatio adhibenda, vel 60 solidos componat, vel totidem ictus accipiat. Falsatores vero monetæ, si inventi fuerint, in præsentia nostra deducantur.

3. Ut missi nostri per singulas civitates mensuram antiquam inquirant, et nemo neque emere neque vendere præsumat nisi ad ipsam mensuram.

4. De usuris, que multis argumentis fiunt, diligentissime inquiratur a missis nostris, et cum reperti fuerint qui eas exercent, propriis episcopis tradantur, ut sub publica pœnitentia rediganthr.

5 [687]. De judicibus inquiratur, si nobiles [688] et sapientes et Deum timentes constituti sunt; et [689] jurent, ut juxta suam intellegentiam recte judicent, et pro muneribus vel humana gratia justitiam non pervertant nec differant, et quod judicaverint confirmare sua subscriptione non dissimulent. Ubi autem tales non sunt, a missis nostris constituantur, et idem sacramentum facere cogantur. Quod si viles personæ et minus idoneæ ad hoc constitutæ sunt, rejiciantur. Similiter et notarii legibus eruditi et bonæ opinionis constituantur, et jusjurandum præbeant, ut nullatenus falsitatem vel colludium scribant; et qui hoc fecisse preterito tempore inventi fuerint, præsentaliter [690] damnentur.

6. Ut inquirant diligentissime missi nostri per singulos comitatus, qui adhuc sacramentum fidelitatis nondum nobis promiserunt, et promittere eos compellant. Et inquirant diligentissime missi nostri villas et cortes, unde regis expensa ministrari solita sit, et a quibus personis modo detineatur, nec non et quæ in transitu domni imperatoris servire debent vel missis transeuntibus necessaria ministrare.

7. Ut per singulas civitates inquirant missi nostri,

VARIÆ LECTIONES.

[671] *deest P.* [672] s. d. 15. *deest in Bl. et P.* [673] si *P.* [674] XV. *Bl.* [675] his *P. V. Vn. E.* [676] anteposito *P.* a quod *V. Vn. E.* excepto *Ambr.* [677] recipiant et causa definiant *P.* [678] quesierit *corr.* quesierat *Bl.* [679] tacito i. de s. p. *P.* [680] *hoc caput exhibet cod. Blankenburg.* [681] *vox deest in codice, sed aut ea aut alia similis inserenda.* [682] edictus c. [683] *numeri codicis Parisiensis, qui unus hæc capita exhibet, sunt* VIIII. X. XI. [684] adque c. [685] Item alia capitula *codex Blankenb. unde hæc capitula jam prima vice prodeunt.* [686] instantur *cod.* [687] *Caput hoc habetur inter Hlotharii leges in codicibus Ambr. Flor. Lond. Vind. Veron. Est. apud Muratorium cap.* 14. [688] *In codice Veronensi hic glossa:* nobiles sunt quorum majorum parentum suorum nemo servituti subjectus sit *manu sæculi XII inserta est.* [689] *deest in cod. Blank.* [690] præsentalis *Ambr.*

ubi palatia antiquitus fuerunt [691] vel publicæ domus antiquitus, vel unde continebantur, vel qua occasione aut a quibus personis vel sub cujus tempore destructa sunt, et nostra auctoritate præcipiant ut amodo quantotius restaurentur. Sed et de singulis conditionibus quæ ad cameram nostram vel ad fiscum vel ad diversa palatia pertinent.

8. Ut missi nostri perquirant in singulis civitatibus beneficia quæ antiquis temporibus clerici et vassalli predecessorum nostrorum habuerunt [692] vel qui nunc ea retinent, et nobis renuntient. Similiter comitatus pertinentia quæ comitatus non habent, nec non et res ecclesiis Dei pertinentes, et aliæ personæ quam rectores earum retinent, inquirant et nobis renuntient.

9. Ut baptismales eclesiæ, quæ per neglegentiam eorum qui eas restaurare debuerunt, paulatim a suo statu defecerunt, diligentia missorum nostrorum ab his qui ibi baptizantur vel sacra misteria percipiunt restaurari præcipiantur, et ministris rei publice committantur, ut filii eclesiæ eorum instantia ad earum restaurationem compellantur, decimas quoque Deo dare ibidem cogantur.

10. Ut idem missi perquirant in singulis civitatibus, qualiter canonicorum vita et conversatio ordinata sit, et de thesauro ecclesiæ, quid [693] inde perditum sit, vel a quo, aut cujus tempore, et utrum episcopi suas plebes ordinatas habeant, et si contra restaurationem destributæ sunt, ut emendent; et si opus fuerit, nobis renuntient.

11. De deprædationibus quoque quæ mo'erno tempore defunctis episcopis a diversis hominibus factæ sunt in rebus eclesiasticis, ut qui eas fecerunt, legaliter emendent cum emunitate nostra.

12. De sceleribus [694] atque criminibus quæ multis modis increverunt, volumus ut inquirant et emendent. Similiter et de conspirationibus nocivis juxta capitulare emendent. Similiter et de rapinis seu et de falsis testibus, vel de perjuris [695] hominibus, sive de monachis qui proprium habitum reliquerunt, et de his qui seculares vel laici ex clericis vel monachis sunt effecti.

13. De viis et pontibus et ceteris excubiis publicis ut inquirant; et quæ potuerint emendent, aut nobis quod invenerint renuntient [696].

HLUDOWICI II IMPERATORIS CAPITULA ECCLESIASTICA.

(*An.* 856).

Habentur in codice Blankenburgensi post capitula superiora; et a synodo Italica videntur fuisse edita.

1. Primo, omnium discutienda est sacerdotum fides, qualiter credant et alios credere doceant; ubi exempla proponenda sunt, quatenus a creatura creator quantulumcumque possit intellegi.

2. Secundo, jubendum, ut oratio Dominica in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur, et Symbolum apostolorum in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur, tam latine quam barbarice [697], ut quod ore profitetur, corde credatur et intellegatur.

3. Tertio, intimandum, ut ad salutationes sacerdotales congrue responsiones discantur, ubi non solum clerici et Deo dicatæ sacerdoti responsionem offerant, sed omnis plebs devota consona voce respondere debet.

4. Quarto, ut fides sancti Athanasii a sacerdotibus discatur, et ex corde omni Dominica ad horam primam recitetur.

5. Quinto, ut sciant quid sint sacramentum baptismatis et confirmationis, et quale sit mysterium corporis et sanguinis Domini, quomodo in eisdem mysteriis visibilis creatura videtur, et tamen invisibilis salus ad æternitatem animæ subministratur, quod in sola fide continetur.

6. Sexto, quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad dicendum, id est sacramentarius [698], lectionarius, antifonarius, baptisterium, compotus, canon penitentialis, psalterium, homeliæ per circulum anni dominicis diebus et singulis festivitatibus aptæ, ex quibus omnibus si unum defuerit sacerdotis nomen vix in eo constabit. Quia valde periculose sunt evangelicæ minæ quibus dicitur: Si cecus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

7. Septimo, ut sciant tempora legitima ad baptizandum in anno, id est sabbato sanctæ Paschæ, ut illa triduana mersio in baptismate imitetur triduanam mortem Domini clarificata resurrectione, et idcirco usque ad octavum diem ipsa regeneratio sacra ab omni populo christiano celebratur. Aliud vero tempus baptismatis sabbato sancto Pentecosten celebrandum est. Si vero necessitas contigerit, omni tempore in periculo subveniendum est, quia necessitas vix habet legem. Et ut vas ad fontem baptismatis habeant, quod ad [699] reliquos usus nullatenus assumatur.

8. Octavo, pronuntiandum est, ut sciant tempora feriandi per annum, id est omnem Dominicam a mane usque ad vesperam ob venerationem Dominicæ resurrectionis. Sabbatum vero operandum a mane usque ad vesperam, ne in judaismo capiantur. Feriandi vero per annum isti sunt dies, ut supra orsi sumus: Natalis Domini, sancti Stephani, sancti

VARIÆ LECTIONES.

[691] fuerint *corr.* fuerunt c. [692] habuerint *corr.* habuerunt *cod.* [693] qui c. [694] cælestibus *cod.* [695] perjuriis c. [696] Finita sunt capitula quæ retro in numero sunt scripta. *cod.* [697] *i. e. germanice.* [698] sacramentorum *cod.* [699] a *cod.*

Johannis evangelistæ, Innocentum, octava Domini, Theophania, Purificatio sanctæ Mariæ, sanctum Paschæ, sicut in superiore capitulo comprehensum est. Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sabbatum sanctum Pentecosten, sancti Joannis baptistæ, duodecim apostolorum, maxime tamen sanctorum Petri et Pauli, qui Europam sua prædicatione inluminaverunt, assumptio sanctæ Mariæ, dedicatio sancti archangeli Michahelis, dedicatio cujuscumque oratorii seu cujuslibet sancti in cujus honore eadem ecclesia fundata est, quod vicinis tantum circum commorantibus indicendum est, non generaliter omnibus. Indictum vero jejunium quando a palatio vel a domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter observetur. Reliqua vero festivitates per annum, sicut sancti Remedii, sancti Mauricii, sancti Martini, non sunt colende ad feriandum, nec tamen prohibendum, si plebs hoc caste et zelo Dei cupiunt exercere.

9. Nono, jubendum est eisdem sacerdotibus, ut non permittant secum mulieres habitare extraneas, juxta Nicenum concilium, nisi eas tantum in quibus suspicio nulla malæ famæ oboriri potest.

10. Decimo, ut tabernas non ingrediantur, nec sedendo domi nec in itinere occupati. Si vero necesse habent ibidem aliquid emendi, missos suos dirigant, et oblatam in aliam domum conferant, et cum gratiarum actione fideliter percipiant.

11. Undecimo, ut placita sæcularia non observent, nec fidejussores existant, nec canes ad venandum, nec accipitres, nec falcones, nec sparavarios, nec ullius ludi aut spectaculi licentiam habeant. Sufficit enim eis quod in primo psalmo dicitur : *In lege Domini eorum esse voluntatem, et in lege ejus meditari die ac nocte ;* et quod in Apostolo precipitur : *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

12. Duodecimo, ut sciant quia nemo per pecunias ordinatus est, nec per munera eclesiam debet occupare. Quia si factum fuerit, et ipse et ordinator ejus deponendi sunt; quia manifestum est, eos qui talia agunt, Simoniacam heresem sectari, et talem non per hostium in ovile ovium juxta Evangelii verba, sed ascendentem aliunde furem esse et latronem; et non solum ipsi qui hoc faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, excommunicandi sunt.

13. Tertio decimo, ut nullus vagantem ex alia parrœchia audeat recipere aut secum commorandi aut missam celebrandi, nisi per missionem veram, nec ullius eclesiæ aut plebis aut gubernacula suscipiendi, nisi præveniente conscientia nostra. Quod si fecerit, excommunicabitur.

14. Quarto decimo, ut in tuguriis vel in æclesiis non consecratis vel in domibus, nisi forte visitandi gratia in infirmitate detentis, missarum mysteria non celebrent. Quod si fecerint, propter inobœdientiam degradandos se sciant.

15. Quinto decimo, quod decima quæ a fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, et ideo ex integro est reddenda. Cujus tertia pars secundum canonem Toletanum episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantum quartam partem, secundum usum Romanorum pontificum et observantiam sanctæ ecclesiæ Romanæ, de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus intendere repertus fuerit, sive clericus sive ille laicus sit, communione privabitur, et synodali censura dijudicabitur.

16. Sexto decimo, ut unusquisque hoc provideat, ut mulieres ad altare non accedant, nec ipsæ Deo dicatæ in ullo ministerio altaris intermisceantur. Quod si pallæ altaris lavandæ sunt, a clericis abstrahantur, et ad cancellos feminis tradantur, et ibidem repetantur. Similiter et presbyteri, cum oblata ab eisdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur et ad altare deferantur.

17. Septimo decimo, ut ipsi sacerdotes verbo et exemplo omnibus prædicent, ut nullus usuras accipiat, nec sexcupla nec speciem pro specie, quia [700] valde infidelis et rebellis Dei jussioni est qui hoc agit quod omnibus christianis æque interdictum esse dinoscitur, maxime tamen sacerdotibus, qui forma et exemplum omnibus esse debent.

18. Octavo decimo, ut nullus ordinatus sive ordinandus migret de sua parrœchia ad aliam, nec ad limina apostolorum causa orationis eclesiæ suæ cura derelicta, nec ad palatium causa interpellandi; nec a communione suspensi ab alio communione recipiendi sine permissione et præsentia episcopi sui. Quod si fecerit, nihil valebit hujusmodi communio aut ordinatio aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causa orationis ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, et sic proficiscantur; quod a proprio episcopo suo aut sacerdote ligandi aut solvendi sunt, non extraneo.

19. Nono decimo, ut aliud in eclesia non legatur aut cantetur, nisi ea quæ auctoritatis divinæ sunt, et patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa angelorum nomina colant, sed ea tantum quæ prophetica et evangelica docet scriptura, id est Michahel, Gabrihel, Rafahel. Nec diversa sentiant in judiciis pœnitentium, cum uni minus alteri majus, alteri adolando, alteri detrahendo, placere velit. sed considerata [701] qualitate personæ, juxta modum culpæ agatur censura vindictæ.

20. Vigesimo, admonendi sunt ut perpendant, quia quicquid a fidelibus datur, redemptio peccatorum est; et ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magis timeant quod in veteri testamento de sacerdotibus dictum est : inquitatem populi eos-

VARIÆ LECTIONES.

[700] qui c. [701] considerate c.

debere portare. Et ideo cum magno timore super eis solliciti sunt quorum donis participantur. Quia magnum periculum, judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

21. Vicesimo primo, ut sciant et intellegant quod sit incesti crimen, et hoc unusquisque in sua parrœchia prævideat ne fiat; et si factum fuerit, quantum celerrime potuerit, emendetur; id est ut nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quintum genu. Quod si ignoranter factum fuerit, non facile credatur, sed judicio Dei examinetur. Et non separentur in quarto genu, sed in penitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent. Et similiter duas uxores inter se simili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter se eodem modo conjunctos, aut compater aut commater, filiolus aut filiola spiritalis de fonte aut de conversatione, aut Deo dicata aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore, his talibus nulla ratione in matrimonium licitum est conjungi. In primo vero genu vel secundo si inventi fuerint scelus fornicationis perpetrasse, matrimonii jura alterius sciant se funditus perdidisse. In tertio vero genu si inventi fuerint tali crimine pollutos [703] esse, digna penitentia eos subsequatur, et tamen matrimonii jura eis non vicissim sed ad alios non negantur. Ubi vero mancipia non unius sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi convenientibus utrisque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit. Quicquid vero neglegendo consentitur [704] et virtute qua potuerit non emendetur, nam hujus copulæ auctor erit, qui hoc neglegendo consentit. Plura sunt quæ ad incesti [705] crimen scribi poterant, sicut in matre et filia et noverca, et pene innumera quæ menti ad scribendum non occurrunt; hujusmodi tamen et his similibus personis copula maritalis in sempiternum subtrahitur.

22. Vicesimo secundo, admonendi sunt ut sciant populis denuntiare quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis quæ evangelica et apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam, quæve opera iniquitatis cum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum intendit interitum: et ut perjurii crimen omnimodo devitent, quia non solum in evangelio vel reliquis sanctorum crimen perjurii, sed in veritate, quæ Deus est, si mentitur perpetrari dinoscitur.

23. Vigesimo tertio, admonendi sunt ut sciant, quia [706] in æclesiis quibus præsunt, sponsi facti sunt, et ideo omni vigilantia, qualiter eas decorent et eis incessanter deserviant, totius curæ suæ vigilantiam impendant.

24. Vigesimo quarto, ut horas canonicas tam nocturnas quam diurnas nullatenus pretermittant. Quia sicut Romana psallit ecclesia, ita omnibus ejusdem propositi viam tendentibus faciendum est. Et non solum novi testamenti documenta sunt eandem formulam observandi, sed veteris testamenti patet ratio, quia propheta Spiritu sancto instinctus profert: *Septies in die laudem dixi tibi, et media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

25. Vigesimo quinto, ut plebibus denuntient, quod filios et filias spiritales quos in baptismate suscipiunt, eis fidejussores existant, et sponsores fidei pro eis existunt, et diabolo pro eis cui ante mancipati fuerant abrenuntiant; et ideo usque cum adulti fuerint et eis fidei sponsionem et abrenuntiationes exposuerint et reddiderint, in sua providentia habeant; et quod illi pro eis spoponderant, ab eis eadem ex integro exigant.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CAPITULA EXCERPTA.

(*An.* 856.)

Excipiunt superiora in codice Blankenburgensi, et ad exemplum constitutionum Papiensium anni 832 ex capitularibus anterioribus deprompta, in fine capitula panca et in constitutionibus Ticinensibus anni 855 obvia exhibent. Textus compluribus in locis valde corruptus est.

Item capitula legis Salicæ. 1. Ut (102) loca quod semel dedicata sunt ut monasteria sint, et maneant in perpetuum monasteria, nec possunt [708] ultra fieri sæcularia habitacula.

2. Ut virgines non velentur ante viginti quinque annos, nisi rationabili necessitate cogantur.

3. Item predicandum est, quomodo Dei filius incarnatus est de Spiritu sancto et Maria semper virgine, pro salute et reparatione humani generis, ascendit in cælum, et quomodo iterum venturus sit in majestate divina [707] judicare omnes homines secundum merita propria, et quomodo impii pro scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittuntur, et justi cum Christo et sanctis angelis in vitam æternam.

4. Item diligendum [708] est et prædicandum de resurrectione mortuorum, ut sciant et credant in hisdem corporis præmia meritorum accepturos.

5. Item cum magna diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputantur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim apostolo manifestante [709]: « Sunt autem opera carnis quæ

VARIÆ LECTIONES.

[703] polutos c. [704] sentitur c. [705] cesti c. [706] qni c. [707] possam ut *cod.* [707] divine *cod.* [708] *legendumne*: dicendum *an* diligenter est prædicandum? [709] manifesta c.

NOTÆ.

(102) 789. Ecc. c. 31.

sunt fornicatio, inmunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficiæ, contentiones, emulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, omicidia, ebrietates, commessationes, et his similia quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. » Magnus prædicator eclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibetur, ita legentes, quam sit terribile illud quod dixit, *quia qui talia agunt regnum Dei non consequentur;* sed in omni justitia [710] ammonete eos de regno Dei et dilectione Dei et proximi, de fide et spe in Deo, de humilitate et patientia, de castitate et continentia, de benignitate et misericordia, de elemosinis, et confessione peccatorum suorum. Et ut debitoribus [711] suis secundum Dominicam orationem sua [712] debita condonent [713], scientes certissime, quod qui talia agunt regnum Dei illi consecuntur; et hoc ideo [714] diligentius injungimus vestræ caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores [715] esse venturos, sicut ipse Dominus in evangelio prædixit, et apostolus Paulus ad Timotheum testatur; et ideo dilectissimi toto corde præparemus nos in scientia et veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, et divina donante gratia verbum Dei crescat, et concurrat [716] et multiplicetur in profectum in sancta æclesiæ et salutem animarum nostrarum, et laudem in gloria nominis domini nostri Jesu Christi. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloriam domino Deo nostro.

6. Ut [717] (103) nullus in psalterio vel in evangelium vel in aliis rebus sortire præsummat, nec divinationes aliquas observare.

7. Omnino (104) prohibendum est omnibus ebrietatis malum, et qui ista conjurationes faciunt per sanctum Stephanum aut per nos aut per filios nostros prohibemus et præcipimus [718], ut episcopi vel abbates non vadant [719] per casas [720] miscendum.

8 (105). De eo quod missi nostri provideri debent, ne forte alicujus clamor super episcopum vel abbatem vel abbatissam vel comitem seu super qualecumque gradum sit, et nobis renuntiare

9 (106). De monasteriis et senodochiis quæ per diversos comites esse videntur, ut regulares sint, et quicumque eas habere voluerit, per beneficium domni regis habeat.

10. De aldionibus. Aldiones publicum pertinentes aldiones vel aldianes ea lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum, qua [721] fiscalinus vel lidus vivunt in Francia.

11 (107). *Item de lege Ribuariense.* Si ingenuus ingenuam ictu percusserit, sol. 15 culpabilis judicetur.

12 (108). Homo regius, id est fiscalinus, æclesiasticus vel lidus interfectus sol. 100 componatur. Homo (109) ingenuus qui multam qnamlibet solvere non potuerit et fidejussores [722] non habuerit, liceat ei semetipsum in vatdio ei cui debitor [723] est mittere, usque dum multam quam debet persolvat. In eodem capitulo de soniste [724] aut 600 sol. componat, aut cum 12 juret, aut si ille qui causam querit, duodecimo hominem sacramentum recipere noluerit, aut ad crucem aut cum scuto et fuste contra eum decertet.

13 (110). Si quis ad mallum legibus bannitus fuerit, si eum sunnis [725] non detinuerit, sol. 15 componat. Sic ad secundum et tertium; si autem aut quartum venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur, donec veniat et de re qua interpellatus fuerat justitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus ejus quæ in bannum misse sunt rex interrogetur, et quicquid inde judicaverit fiat. Prima admonitio super noctes 7, secunda super noctes 14, tertia super noctes 21, quarta super noctes 42. Similiter et de beneficio hominis, si forse res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usque dum rex interrogetur. Si auctor venerit et rem intertiatam recipere noluerit, in campo vel cruce contendant.

14 (111). Qui filios non habuerit, et alium quemlibet heredem sibi facere voluerit [726] coram rege et coram comite et scavinis vel missis dominicis qui tunc ad justitias faciendas in illa provincia ordinati, traditione faciat.

15 (112). Homo dinarialis non antea in suam agnitionem potuerit quam usque in tertiam generationem perveniat. Homo (113) cartularius similiter.

16. Omnis (114) [727] sacramentum in æclesia aut super reliquias juretur, et quod in æclesia jurandum est, vel cum sex aut cum 12, sic esse debent, quales et potuerit legibus invenire, et sic juret, si illum Deus adjuvet et illi sancti quorum iste reliquiæ sunt, ut veritatem dicat.

16 (115). Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat

VARIÆ LECTIONES.

[710] justia ammonente *cod.* [711] debito c. [712] suam c. [713] *deest in* c. [714] deo illi c. [715] per seupdodoctores c. [716] *lege* excurrat. [717] Ut ut *cod:* [718] percipimus *cod.* [719] vadat c. [720] cassa c. [721] quas fiscalines velidis *cod.* [722] fiiussores *cod.* [723] debito *cod.* [724] clesoniste *cod.* [725] sunis *cod.* [726] volueris *cod.* [727] mnis *cod. rubra littera omissa; novum igitur caput orditur.*

NOTÆ.

(103) 789. Gen. 4.
(104) 789. Gen. 10.
(105) 789. Gen. 11.
(106) 783. 6. Lg.
(107) 803. Rib. 1.
(108) Ibid. 2.
(109) Ibid. 3.
(110) Ibid. 7.
(111) Ibid. 9.
(112) Ibid. 10.
(113) Ibid. 11.
(114) Ibid. 12.
(115) Ibid. 13.

ei super quem res intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto, ut nec sue voluntatis aut consentiente fuisset quod ablatum est, aut tantum sine damno restituat.

17 (116). De homine qui comprehendit servum, et jussit eum occidere dominus suus duos infantes, et unum qui habuit 9 annos, alium qui habuit 11; ad extremum illum servum postquam dominus suus illos pueros occidit, in foveam quandam projeci, et judicatum est, ut illum qui novem annos habuit triplici udrichildo componat, alium vero qui 11 annos habuit dupliciter, servum tripliciter, et bannum nostrum ad omnia.

18 (117). Ut laici non sint præpositi monachorum infra monasteria, nec archidiaconi sunt laici.

19 (118). De hoc, ut si fames evenerit, clades aut inequalitas aeris [728], vel alia qualiscumque tribulatio, non exspectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia; et in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet, prout potero, et ut suam annam non nimis care vendit, et ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ.

20 (119). De armatura in hoste, sicut antea in alio capitulo commendavimus ita servetur, et insuper omnis homo qui 12 habet mansos brunia habeat, qui vero bruniam habet et eam secum non tulerit, omne beneficium et bruniam perdat.

21 (120). Stetit nobis ut missos nostros unum monachum et alium capellanum dirigamus infra regnum nostrum prævidendo vel inquirendo per monasteria virorum vel puellarum quæ sub sancta regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, aut quali semper vita vel conversatio illorum, et quomodo unumquemque monasterium de rebus habere videtur unde vivere possit.

22 (121). De feminis quæ, defunctis viris, lex Langobardorum prohibet ante [729] anni spatium vestem [730] religionis mutare velumque [731] suscipere, petierunt nostram licentiam ut cum eis mox divina pietas inspiraverit, eas indemnes liceret suscipere. Nos autem considerantes, quia præterito [732] pro ipsa dilatione multæ etiam raptu [733] intra eundem spatium ad aliam partem distractæ fuerunt, ideo et eorum petitionem [734] quia justam censuimus suscepimus, et eis ita fieri concedimus.

23 (122). De homicidio unde lex pro simplicitate probatione trium testium querit, et testes habere non potuerit, concedimus, ut cum 12 juratoribus juret, et ab eadem simplicitatem absolutus, proprium non admittat.

24 (123). De cartis quæ a quibusdam personæ falsæ appellantur, constituimus, ut si notarius superfuerit [735] et testes, ipsi eam veram et idoneam faciant; et si testes mortui 10 fuerint, et notarius superfuerit, cum 12 juratoribus [736] veram et idoneam faciat.

KAROLI II CAPITULA AD FRANCOS ET AQUITANOS MISSA DE CARISIACO.

(*An.* 856. *Jul.* 7.)

Sirmondi Baluziique editiones ope codicis 2) bibl. regiæ Parisiensis n. 4638 recognovimus.

Hæc quæ sequuntur capitula misit domnus rex Karolus ad Francos et Aquitanos qui ab eo discesserant, anno incarnationis Dominicæ 856, *Nonis Julii de palatio Carisiaco, per fideles* [737] *missos suos Adalardum abbatem, Rodulfum, Richuinum, Adalgarium, et Berengarium.*

1. Mandat vobis noster senior, quia suus avunculus Rhuodulfus illi de vestra fidelitate nuntiavit, et quod vos [738] illum precastis, ut ad vos suos denominatos fideles in sua mercede transmitteret, et vos illi per illos vestram necessitatem et voluntatem mandare volebatis; et si aliquid factum habebatis quod necessitas fuisset emendare, voluntarie per illorum consilium emendabatis, et quod vobis consilium donaverint ad nostri senioris fidelitatem et vestram salvationem, voluntarie faceretis.

2. Et mandat vobis noster senior, quia placet ei quod illi suus avunculus de vestra fidelitate et bona voluntate nuntiavit; et secundum vestram deprecationem transmittit nos, sicut precastis, ad vos; et mandat vobis, quia si aliquis de vobis se reclamat, quod injuste alicui de vobis fecit, et ad rectam rationem et justum judicium venire non potuit, aut per insidias aliquas aut ipse senior noster, aut aliquis ad illum, aliquem de vobis comprehendere [739] voluit, et propter hoc ad tempus aliquis de vobis ab illius præsentia et ab illius servitio se subtraxit [740]; quia omnis quicumque de vobis ad rectam rationem ad illum et ante suos fideles venire voluerit, hoc ei concedit. Et si juste et rationabiliter inventum fuerit, quod rectam rationem contra eum aliquis de

VARIÆ LECTIONES.

[728] erit *cod.* [729] *deest Bl.* [730] veste *Bl.*. [731] vellum quæ *cod.* [732] p. tempore *Frg. Fl.* [733] *deest Bl.* [734] petitione *Bl.* [735] supervixerit *Frg. Fl.* [736] i. ipsam chartam *Frg. Fl.* [737] *deest* 2. [738] *deest* 2. [739] *sic etiam Sirmondus. At manu reposuit* comperdere. BAL. [740] substraxit *S. B.*

NOTÆ.

(116) Rib., p. 118, lin. 20.
(117) 805, p. 152, c. 13.
(118) Ibid. 4.
(119) Ibid. 6.
(120) 790. Pipp. 11.
(121) Vide supra an. 855; Jul., c. 1.
(122) Ibid., c. 4.
(123) Ibid., c. 5.

vobis habuerit, cum consilio fidelium suorum hoc voluntarie emendabit. Et si inventum fuerit, quod illam causam unde aliquis de vobis conquirere voluerit, per rationem fecerit, volet, ut sicut per rationem fecit, ita facta per rationem permaneat.

3. Mandat vobis, ut si aliquis de vobis rectam rationem ad illum et ante suos fideles precaverit, et inde in rectam rationem venerit, et juste et rationabiliter inventum fuerit quod rectam rationem aliquid de vobis non habeat, et ipsa recta ratio illum convicerit, quia si se concrediderit et humiliaverit, et emendare voluerit, et in ipsa emendatione permanere voluerit, quia sicut cum suis fidelibus rationabiliter invenerit ut rationabilem misericordiam faciat, voluntarie paratus est facere.

4. Mandat vobis, quia si aliquis est de vobis qui non se confidit in sua conscientia, ut rectam rationem precare aut non valeat aut non audeat, et se recognoscit et pœnitet, et misericordiam illius et indulgentiam petierit, quia illum, tantum ut inante sicut debet se caveat, voluntarie unicuique qui sic se recognoscit, misericordiam et indulgentiam donat.

5. Mandat vobis, ut ne aliquis de illo inante dubitet, quia ipsam rectam rationem, qui illam quærit, semper illi vult conservare, et illam misericordiam quam modo illi concedit, similiter illam semper vult conservare, si ille aliam iterum talem [741] causam non commiserit, pro qua per rectam rationem justum judicium debeat sustinere.

6. Mandat vobis, quia si aliquis de vobis talis est qui dicat, quia pro paupertate et necessitate, quia multos dies in illius servitio misit et omnia quæ habuit dispendit, ad talem conjunctionem, ut aliquid impetraret quod per servitium impetrare non potuit, se conjunxit, quia si hoc nostro seniori ante suos fideles demonstrare potuerit, et hoc si verum inventum fuerit quod senioris nostri culpa fuerit, quod per necessitatem aliquis de vobis rationabiliter de servitio illius se tali modo subtraxerit, quia senior noster hoc voluntarie recognoscit, et cum consilio de suis fidelibus hoc, quam citius et rationabilius potuerit, emendabit.

7. Mandat vobis, quia si aliquis de vobis dixerit, quod hoc quod fecit non pro sua infidelitate neque pro sua desinhonorantia [742] fecit, et timet aliquis de vobis, quod noster senior alicui de vobis reputare inante debeat hoc factum, aut pro sua infidelitate aut pro sua desinhorantia, et propter hoc jam ultra ad illum non debeat consilium acaptare, quia qualiscumque de vobis tali modo in isto facto commisculatus est, si inante illi sic [743] fidelis et obediens et adjutor ad suum regnum et debitum honorem continendum fuerit, sicut per rectum homo suo regi et suo seniori esse debet, quia nulli de ista causa volet [744] reputare, sed totum ex corde dimittere quod in illius persona in ista causa commisit, et suum servitium, quod illi et ante fecit et adhuc Deo juvante faciet, debite et rationabiliter vult illi mereri [745]. Si autem aliquis illi aut alicui injuste abstulit, lex hoc, sicut consuetudo et rectum est, pacificabit.

8. Et sciatis, quia senior noster, sicut subinde voluit, Deo gratias, nunc ad bonum effectum perduxit, et rogavit fideles suos, ut sine ulla mala suspicione de illius iracundia aut animi commotione communiter quærant et inveniant, atque describant hoc quod ille secundum suum ministerium facere debet, et quæ facere illum non condeceant. Et ubicumque inventum fuerit, quod fecit quod facere non debuit, paratus est, ut cum Dei adjutorio et fidelium suorum consilio hoc, quam citius cum ratione et possibilitate emendare potuerit, emendet et inante corrigat, et correcta custodiat; et quod facere debuit quod ad salutem et honestatem illius pertinuit, et aliquid minus fecit, hoc cum Dei adjutorio et fidelium suorum consilio et auxilio, facere quam citius cum ratione et possibilitate potuerit, faciat.

9. Et similiter vult, ut nos quæramus et inveniamus et describamus quid et qualiter nobis fidelibus suis in unoquoque ordine contra illum conveniat facere, et quid non conveniat facere; ut illa quæ conveniunt faciamus, et illa quæ non conveniunt caveamus, et ubicumque in retro aliqua [746] a nobis suis fidelibus in quocumque ordine facta sunt quæ non condeceant, cum Dei et illius auxilio et nostro communi consilio, quam citius cum ratione et possibilitate emendare potuerimus, emendemus et inante corrigamus, et correcta custodiamus.

10. Et sciatis, quia sic est adunatus [747] cum omnibus suis fidelibus in omni ordine et statu, et nos omnes sui fideles de omni ordine et statu, ut si ille juxta humanam fragilitatem aliquid contra tale pactum fecerit, illum honeste et cum reverentia, sicut seniorem decet, ammonemus, ut ille hoc corrigat et emendet, et unicuique in suo ordine debitam legem conservet. Et si aliquis de nobis in quocumque ordine contra istum pactum in contra illum fecerit, si talis est, ut ille inde eum ammonere voleat ut emendet, faciat; et si talis est causa, ut inde illum familiariter non debeat ammonere, et ante suos pares illum in rectam rationem mittat, et ille qui debitum pactum et rectam legem et debitam seniori reverentiam non vult exhibere et observare, justum justitiæ judicium sustineat. Et si sustinere non voluerit, et contumax et rebellis extiterit et converti non potuerit, a nostra omnium societate et regno ab omnibus expellatur. Et si senior noster legem unicuique debitam et a se et a suis antecessoribus nobis et nostris antecessoribus perdonatam, per rectam rationem vel misericordiam competentem unicuique in suo ordine conservare non voluerit, et ammonitus a suis

VARIÆ LECTIONES.

[742] *deest* 2. [743] deshonorantia *hic* 2. [744] inante sit 2. [745] v. r. s. t. ex c. d. q. in i. p. in i. c. *secunda manu in margine scripta* 2. [746] merere *S. B.* [747] aliquid 2. [748] *Sirmondus manu reposuit legendum* sic est ille adunatus, etc. Bal.

fidelibus suam intentionem non voluerit, sciatis, quia sic est ille nobiscum et nos cum illo adunati, et sic sumus omnes per illius voluntatem et consensum confirmati, episcopi atque abbates cum laicis, et laici cum viris ecclesiasticis, ut nullus suum parem dimittat, ut contra suam legem et rectam rationem et justum judicium, etiamsi voluerit, quod absit, rex noster alicui facere non possit.

11. Et sciatis, quia ad hoc quærendum et inveniendum, et statuendum atque confirmandum, cum nostro et cæterorum fidelium suorum consensu, habet noster senior constitutum locum Vermeriam palatium et tempus ac diem 14 Kalend. Augusti; et habet ex nomine descriptos fideles suos, per quorum tractatum ista causa, Deo adjuvante, ad perfectionem perveniat; et habet 7 Kalend. Augusti ad ipsum palatium Vermeriam generaliter omnes fideles suos convocatos, ut omnibus suam voluntatem et perdonationem et nostram, qui fideles illius sumus, devotionem accognitet; ut ista convenientia, quam teste Deo confirmabimus, inante diebus vitæ suæ et diebus vitæ nostræ conservetur, et ipse suis successoribus contra successores nostros, et nos nostris successoribus suis successoribus conservandam in Dei nomine relinquamus.

12. Et sciatis, quia vult senior noster et nos ac cæteri fideles illius, ut si vos, qui illius fideles et consiliarii esse debetis, volueritis, sicut vobis diximus, ad illius præsentiam et fidelitatem atque servitium venire, et nobiscum in ista societate esse, quia et ipse et nos quæ voluntarie volemus, ut cum nobis hoc et quæratis et inveniatis, et statuatis et confirmetis atque conservetis [748], et nos cum vobis similiter: et vobis aliis omnibus, sicut et nobis, debitam legem et rectam rationem dehinc inante, sicut rectum est, vult conservare, sicut sui antecessores, qui hoc melius et rationabilius fecerunt, nostris et vestris antecessoribus in omni ordine conservaverunt.

13. Et mandat vobis noster senior, quia si aliquis de vobis talis est cui suus senioratus non placet, et illi simulat ut ad alium seniorem melius quam ad illum acaptare possit, veniat ad illum, et ipse tranquillo et pacifico animo donat illi commeatum; tantum ut ipsi et in suo regno vel suis fidelibus aliquod damnum aut aliquam marritionem non faciat; et quod Deus illi cupierit, et ad alium seniorem acaptare potuerit, pacifice habeat.

14. Et si aliquis fuerit de vobis, qui voleat dicere quia non credit senioris nostri fidem, et suspectus sit de sua perditione, et propter hoc non audeat ambulare ad illum, nos vobis damus Dei et nostri senioris Karoli fidem, et de suis episcopis et fidelibus clericis [749] fidem, quia quantum Deus vos salvaverit, et vos vos ipsos salvaveritis, sani ambuletis et sani cum illo sitis; et sani, si vobis cum illo, sicut debet, non convenerit, retornetis; tantum ut pacifice et sine seditione ambuletis, et suos fideles non sollicitetis.

15. Et si adhuc dubitatis, et aliam firmitatem quæritis, tantum ut contra rationem non quæratis, si ad illum, sicut diximus, ambulare vultis, etiam et ad hoc parati sumus ut faciamus; quia certi sumus, quia omnia cum securitate facere possumus [750].

PROCERUM KAROLI II CONSILIUM.

(*An.* 856. *Aug.*)

Sirmondi et Baluzii editiones ope codicis 2) bibl. reg. Paris. n. 4638 recognovimus.

Hoc est consilium quod episcopi et abbates (124) *et cæteri fideles domni Karoli apud Bonoilum communiter illi dederunt, anno incarn.* 856, *in mense Aug.*

Increpatio quam in epistola domni apostolici vobiscum [751] et cum aliis fidelibus vestris audivimus, severissime nos tangeret, si nos aliter non egissemus quam isdem domnus apostolicus nos egisse, secundum quod ipse audierat, cum magna auctoritate mandavit. Nam quia nos in isto facto, unde nos specialiter redarguit, consentientes non fuimus, et vos ac

VARIÆ LECTIONES.

[748] *ita* 2. [749] damus *Bellov.* [750] *hic finis codicum Tiliani et regii Parisiensis Nro.* 4638, *quorum præcipue ope Karoli II capitularia annorum* 843-856 *prodierunt. Animadvertendum tamen, Procerum consilium quod pagg.* 447. 448 *edimus, in codicibus Capitula hæc de Carisiaco missa præcedere.* [751] Sic etiam legitur in Sirmondo. At codex Pithœanus habet *nobiscum*, et sic legendum videtur. BAL. *Collatio nova codicis* 2. *hæc non indicat.*

NOTÆ.

(124) Nomina episcoporum et abbatum qui conventui interfuerunt a Baluzio tom. II, p. 1267, edita hæc sunt: Amalricus Turonensis archiepiscopus, Wenilo Senonensis, Hincmarus Remensis, Paulus Rotomagensis, Heribaldus episcopus Autissiodorensis, Erchenradus Parisiensis, Rothadus Suessionensis, Teutboldus Lingonensis, Hirminfridus Bellovacensis, Balfridus Bajocensis, Herluinus Constantinensis, Herpuinus Silvanectensis, Guntbertus Ebroicensis, Jonas Æduensis, Hariardus Lexoviensis, Hildebrandus Sagiensis, Hildegarius Meldensis, Immo Noviomensis, Agius Aurelianensis, Frotboldus Carnotensis, Pardulus Landunensis, Elmeradus Ambianensis, Remedius Abrincatensis, Godelsadus Cabillonensis, Braindigus Matisconensis, Prudentius Tricassinus, Dodo Andegavensis, Actardus Nannetensis. Ludovicus abbas sancti Dionysii, Adalardus abba, Lupus abbas Ferrariensis, Heinhardus abbas, Frodinus abbas, Odo abbas Corbeiensis, Hunfredus abbas Dervensis, Bernardus abbas, Gautlenus abbas, Abbo abba, Arcamboldus abba, Georgius abba, item Abbo abba.

fideles vestros, quos inde admonere convenit, et verbis et scriptis, sicut ipsi scitis et manentia scripta testantur, frequenter et salubriter commonuimus, ut quod contra salutem et auctoritatem factum erat emendaretur, et ne deinceps committeretur omnimodis caveretur, damnabiliter ista increpatione non tangimur. Sed et nunc nostris monitis illius monita conjungentes, et illius monitis nostra [783] monita subjungentes, hortamur, ut statum monasteriorum in regno vestro [783] consistentium, aliter quam debeat et deceat perversum ac confusum, quanto citius et melius ac possibilius atque rationabilius potueritis, restituere et corrigere studeatis. Et non solum hoc vos et commissos vobis in regno vestro agere commonemus, verum etiam monemus, hortamur, et precamur, ut capitula quæ vos ipse cum fidelibus vestris in Colonia villa manu propria confirmastis, sed et ea quæ in Belvaco civitate episcopis tradentibus sub conditione notissima suscepistis, illa quoque quæ cum fratribus vestris secus Teudonis villam in loco qui dicitur Judicium approbastis, illaque quæ in Verno palatio synodaliter prolata suscepistis, ea etiam quæ in Sparnaco de episcopalibus capitulis cum illustribus viris et sapientibus baronibus vestris observanda delegistis, sed et illa quæ cum fratribus vestris apud Marsnam manu propria confirmastis, verum et illa quæ in synodo Suessionica, cui vestram præsentiam exhibere diguati fuistis, acceptastis, necnon et illa quæ in Silvaco decrevistis, cum his quæ in Leodico cum fratre vestro Hlothario adnuntiastis, diligenter et frequenter ad memoriam reducatis ac relegatis, et quæ in regno vestro contra illa acta sunt, contraque divinam et salubrem auctoritatem, quam progenitores et prædecessores vestri directo ordine tenuerunt et observaverunt, perpetrata sunt, quantocius ratio et possibilitas permittit, corrigere procuretis. Et ne de cætero a quocumque contra hæc agantur [784], communiter omnes cooperante Domino caveamus. Et si quid contra hæc actum fuerit, statim ut citius fieri potuerit, æquitate et ratione ac possibilitate dictante absque dolo cum recta intentione et lege ac auctoritate competente unicuique ordini corrigatur. Et ne leve cuiquam videatur, quod Deo teste ac mediante manu propria confirmatum, et sponsione tantæ [785] veritatis, quæ Deus est, assertione prolatum est, discat ex confirmationis cautione in terris, et ex baptismatis ac cæterarum observationum confirmatione in cœlis, quantis nexibus quisque teneatur obstrictus; omnesque quod divino Spiritu dicitur communiter audiamus: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis.* De quibus nos [786] omnes ad se et mandatorum suorum observationem conversos, et in observatione eorumdem permanentes, eripiat Jesus Christus dominus noster; cui est honor, et gloria, potestas, et imperium per omnia secula seculorum. Amen.

KAROLI II CAPITULA AD FRANCOS ET AQUITANOS MISSA.

(*An.* 856. *Aug.-Sept.*)

Ista [787] *capitula misit rex de Basiu per Hadabrannum et Bettonem.*

1. Mandat vobis senior noster salutes. Mandat etiam vobis, quia valde miratur, quod placitum tale non custodistis, sicut vos illi promisistis, et sicut ipse vobis mandavit.

2. Mandat vobis senior noster, quod propterea hoc placitum dimisistis ut fratris ejus expectare voluissetis adventum, juxta quod illi mandastis, non sine aliis suis fidelibus, quos modo secum non habuit, invenire potuit, ut necesse esset inde aliquam expectationem facere.

3. Habet senior noster constitutum aliud placitum Kal. Septemb. in villa Nielfa [788], ubi ei occurrere sui fideles debent. Propterea mandat vobis, ut vos tali loco et vobis congruo et eidem præmisso loco proximo veniatis, ubi tales suos fideles transmittere ad vos possit, quos vobis mittendos postulaveritis.

4. Sciatis, quia vult vobis hoc observare, secundum quod vobis in Vermeria concessit, et sicut scriptis et verbis antea mandaverat, et quicquid amplius juste et rationabiliter postulare vultis. Pariter et de expectatione, secundum quod cum fidelibus suis invenerit quod Dei voluntati et ejus fidelium-que suorum honori non sit indignum, propter Deum et nutrimentum domini et genitoris sui ac illius, et servitium illi a vobis impensum, hoc vobis adsentire non contradicit.

5. Mandat vobis, ut memores sitis Dei et vestræ christianitatis, et nutrimenti genitoris ejus et sui, et debitæ fidelitatis, et regni supervenientis periculi; studeatis vos fideles sanctæ matris ecclesiæ et sui unanimes fieri, et omnipotentis Dei voluntatem ac illius fidelitatem communemque salutem simul cum ipso fideliter explere, ad resistendum inimicis et christiani nominis persecutoribus.

VARIÆ LECTIONES.

[783] m. n. *desunt* 2. [783] nostro 2. [784] agatur? [785] *ita* 2. cum *S. B.* [786] nos 2. [787] *Ex Sirmondi et Baluzii editionibus; hinc inde Sirmondus capitularia Karoli Calvi edidit præcipue ope codicum Lauduncnsis et Bellovacensis quæ et Baluzius iterum adhibuit.* [788] Neauffle en Vexin. SIRMOND.

Istum missaticum transmisit domnus rex gloriosus Karolus per Adalardum abbatem, et Richuinum, et Rodulfum, et Berengarium.

1. Mandat vobis senior noster salutes. Et mandat vobis, quia quicquid in vestra causa secundum consilium suorum fidelium melius et honestius invenire potuit, per suos fideles et sua capitula jam per duas vices vobis mandavit.

2. Mandat vobis, quia sicut per illos suos fideles et per eadem capitula vobis innotuit, sic vult erga vos adtendere et observare. Et si vos adhuc talem causam eum postulare volueritis quæ ad suum honorem et ad vestrum profectum pertineat, paratus est etiam in hoc secundum vestram petitionem facere juxta consilium fidelium suorum.

3. Mandat etiam, ut recordemini Dei et vestræ christianitatis, et condoleatis atque compatiamini huic sanctæ ecclesiæ, quæ et a vobis et ab aliis miserabiliter est oppressa et deprædata, et quæ crudeliter ex altera parte persequitur a paganis; et non vos dissocietis ab unitate et unanimitate fidelium Dei, sed acceleretis præsentaliter vos illi adnnare, et conjungere aliis Dei suisque fidelibus, ad defensionem sanctæ ecclesiæ et suam fidelitatem.

4. Si autem dicitis, vos propter pares vestros qui præsentes non sunt hoc non posse facere, mandat, ut vos qui in præsentiarum estis, talem securitatem ei faciatis, ut non propter aliam causam hoc dimittatis quod per nos vobis mandat, nisi propter illos vestros pares qui præsentes non sunt. Et facite ei securitatem, ut illos vestros pares ad Dei servitium et ad suam fidelitatem, in quantum potueritis, exhortemini et convertatis, et si illos converti non potueritis, vos ab ejus servitio non vos subtrahatis. Quoniam si omnes converti ad illum volueritis, paratus est vos omnes secundum sanctæ ecclesiæ utilitatem et suum honorem et vestrum communem profectum recipere et salvare et honorabiles semper habere, et nulli umquam imputare, in quantum ad se pertinet, quicquid neglegenter factum habetis de ejus servitio, aut in ista causa contra illum egistis.

5. Et mandat vobis, quia postquam vestram fidelitatem cognoverit, securos etiam vos faciet ex sua parte, quod nulli debeat reputare hoc quod erga illum neglegenter egit in hac causa; ita tamen, si vos quoque erga illum debitum honorem et debitam fidelitatem conservaveritis, sicut Dei suique fideles.

6. Et si aliqua pars ex vobis ad ejus senioratum et ad ejus fidelitatem reverti voluerit, similiter est paratus eos benigne recipere, et erga illos omnimodis adimplere quæ superius scripta sunt.

Istum missaticum transmisit rex per Hincmarum et Yrminfridum episcopos, et per Adalardum abbatem, et Rodulfum, et Richuinum, et Berengarium.

Mandat vobis senior noster salutes. Et mandat vobis, quia pro Dei amore et pro vestræ quondam fidelitatis servitio sibi impenso, omnes vos vult salvos esse, et sine aliqua occasione omnes vos ad Dei servitium et ad suam fidelitatem adtrahere cupit. Et ut omnibus manifestum fiat, quia sic omnes vos vult salvare sicut suos fideles, et nulla occasione intermissa aliquem ex vobis perdere vult, et ut etiam contra pares vestros absque læsione salvi esse possitis, sicut debetis et christianos oportet, talem causam qualem vos eum postulastis, libentissime vobis concedit secundum consilium suorum fidelium usque ad condictum placitum quod est 5 Idus Octob. Carnutum. Ita tamen, ut vos securitatem talem ei faciatis, ut usque ad illud placitum in pace maneatis, et nullam dehonorationem in aliqua causa erga eum aut erga suos fideles faciatis, quam rationabiliter et possibiliter vitare et cavere potestis, neque impedimentum suis fidelibus faciatis, nec imprædationem, nec aliquam inquietudinem [789]. Et concedit vobis, ut omnes in honoribus et in alodis vestris interim consistatis, exceptis his quorum honores senior noster donatos habet. Et si aliqui sunt ex vobis qui honores non habent, si volunt in suis alodibus consistere, aut cum aliis eorum paribus vel amicis, faciant. Et etiam si voluerint cum seniore nostro manere, ita tamen ut cum pace vivant, et ipsi et sui, etiam hoc clementer concedit. Ea videlicet ratione, ut vos securum de vobis illum faciatis, et ut nullum suum fidelem aliquo modo de sua fidelitate subtrahatis neque sollicitetis. Et si aliquis ex vobis fuerit qui hanc pacem isto modo servare noluerit, a vestro consortio omnes eum unanimiter expellatis, si emendare noluerit quod neglegenter fecisse manifestum fuerit.

CORONATIO JUDITHÆ KAROLI II FILIÆ.

(*An.* 856. *Oct.* 1.)

Judith regi Anglorum desponsata est anno 856 apud Vermeriam palatium (125). Coronationes Judithæ, Karoli II, Hirmintrudis et Ludowici Caroli filii, Sirmondus ex codice S. Laurentii Leodiensis edidit; quod haud amplius superstite, nos Sirmondi editionem iterum proponimus.

Benedictio super reginam, quam Edelulfus rex accepit in uxorem.

Nubas in Christo obnupta nube cælesti, et refrigerata gratia spiritali, ac protecta ab omni inlicita concupiscentia, pangas fœdus cum oculis tuis, ut non videas alienum virum ad concupiscendum eum,

VARIÆ LECTIONES.

[789] *Sic Sirmondus : at manu posuit* nec in prædatione nec in aliqua inquietudine. Bal.

NOTÆ.

(125) Vide Prudentii Annales Mon. Germ. SS. tom. I, an. 856 (*Patrologiæ* tom. CXV).

et non mœcheris in corpore vel corde tuo, et avertas oculos tuos, ne videant vanitatem : quatenus in via Domini vivificeris, ut possis dicere cum propheta : *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.* Et : *Levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi.* Per conditorem et redemptorem ac dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

Benedic, Domine, has dotes, et accipientes tua benedictione dotare digneris : ut conjugii fidem et thorum immaculatum servantes, sanctorum patriarcharum adscisci mereantur consortio. Per Dominum.

Accipe anulum, fidei et dilectionis signum, atque conjugalis conjunctionis vinculum, ut non separet homo quos conjungit Deus. Qui vivit et regnat in omnia sæcula sæculorum.

Despondeo te uni viro virginem castam atque pudicam futuram conjugem, ut sanctæ mulieres fuere viris suis, Sarra, Rebecca, Rachel, Hester, Judith, Anna, Noemi, favente auctore sanctificatore nuptiarum Jesu Christo domino nostro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

Deus, qui in mundi crescentis exordio multiplicandæ proli benedixisti, propitiare supplicationibus nostris, et huic famulo tuo et huic famulæ tuæ opem tuæ benedictionis infunde; ut in conjugali consortio secundum beneplacitum tuum affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur. Dita eos fructibus sanctis et operibus benedictis. Fac illos talem sobolem generare, quæ ad tui paradisi pertineat hereditatem. Aperi, Domine, januas cœli, et visita eos in pace. Inriga terram eorum, ut germinet fructum spiritalem. Sanctifica eos, qui datus es nobis ex virgine; et præsta eis tempora salutis, quæ ante tuum adventum prædixit sanctus propheta Johannes, ut hic fideliter credant, et beate viventes vitam et regnum consequantur æternum, gratia tua, Christe salvator noster, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis et regnas Deus per omnia.

Benedictio reginæ. Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc famulam tuam, quam tuæ divinæ dispensationis providentia in præsentem diem juvenali flore lætantem crescere concessisti, tuæ pietatis dono ditatam, plenam veritatis, de die in diem coram te et hominibus ad meliora semper proficere facias; ut in regimine suo gratiæ supernæ largitatem congaudens suscipiat, et misericordiæ tuæ muro adversitate undique munita, cum pace propitiationis vivere mereatur. Per Dominum.

A *Sursum corda.* Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, electorum fortitudo, et humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluvii crimina mundi purgari voluisti, et per columbam ramum olivæ portantem pacem terris redditam demonstrasti, iterum Aaron famulum tuum per unctionem olei sacerdotem unxisti, et postea per hujus unguenti infusionem ad regendum populum Israeliticum sacerdotes, reges, et prophetas perfecisti, vultumque ecclesiæ in oleo exhilarandum prophetica famuli tui voce David esse prædixisti; qui hoc etiam unguento famulæ tuæ Judith ad liberationem servorum tuorum et confusionem inimicorum vultum exhilarasti, et ancillæ tuæ Hester faciem hac spiritali misericordiæ tuæ unctione adeo lucifluam B reddidisti, ut efferatum cor regis ad misericordiam et salvationem in te credentium, ipsius precibus inclinares. Te quæsumus, omnipotens Deus, ut per hujus creaturæ pinguedinem, columbæ pace, simplicitate, ac pudicitia decoram efficias. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui venturus est judicare.

Coronatio. Gloria et honore coronet te Dominus, et ponat super caput tuum coronam de spiritali lapide pretioso; ut quicquid in fulgore auri et in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus, hoc in actibus semper refulgeat. Quod ipse præstare dignetur cui est honor et gloria in secula seculorum.

Benedictiones. Benedic, Domine, hanc famulam C tuam, qui regna regum a sæculo moderaris. Amen.

Opera manuum illius suscipe, et benedictione tua terra ejus de pomis fructuum cæli et rore atque abysso subjacente repleatur. Amen.

De vertice antiquorum montium et collium æternorum, de frugibus terræ, et plenitudine ejus tua benedictione lætetur. Amen.

Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput ejus. Da ei de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini; ut serviant illi ac semini ejus populi, et in honore tuo tribus illam et semen ejus adorent. Amen.

Reple eam benedictionibus uberum et vulvæ. Benedictiones patrum antiquorum confortatæ sint super eam et super semen ejus, sicut promisisti D servo tuo Abrahæ et semini ejus in sæcula. Amen.

Concede, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut hæc dona tua, quæ fideles tui acceperunt de manu tua, dantibus, accipientibus, et dispensantibus ad præsentis vitæ subsidium, ac redemptionem animarum, atque ad vitam capessendam proficiant sempiternam. Per Dominum.

KAROLI II CONVENTUS CARISIACENSIS.

(*An.* 857. *Febr.* 14.)

Sirmondi Baluziique editiones recognovimus adhibitis codd. 3) bibl. regiæ Paris. inter Suppl. Latina n. 75, qui æque ac codd. 3b) S. Vincentii Metensis et 3c) Palatinus Baluzii, textum, prout missis in mis-

satico quarto (supra col. 605 recensito) constitutis directus erat, exhibet, et 4) c. regio Parisiensi n. 4626, in usum missatici undecimi conscripto.

Capitula quæ [760] *Karolus fecit apud Carisiacum palatium* [761].

1. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Karolus, gratia Dei rex, illi [762] episcopo et dilectis ac fidelibus missis illis comitibusque nostris, salutem. Notum sit fidelitati vestræ, quia 16 Kal. Mart. secundum sacram auctoritatem synodum venerabilium episcoporum ac conventum fidelium nostrorum apud Carisiacum fecimus convenire. Cum quibus inter cætera ecclesiasticæ utilitatis ac regni necessitatis negotia consideravimus, qualiter rapinæ et depopulationes, quæ partim occasione superinruentium paganorum, partim mobilitate quorumdam fidelium nostrorum in regno nostro, per eos etiam qui ecclesiam Dei defendere et tueri, et regni soliditatem ac quietem debuerant providere, grassantur, aliquo modo, annuente Domino, sedari valeant et amoveri.

2. Quorum consultu decrevimus, ut quia peccata, quæ in suo initio, ut sunt, magni ponderis æstimantur, pernicioso [763] processu, ipso etiam exitiabili usu pravis mentibus leviantur [764], et quasi insensibiles reddunt, ac si quando resipiscere moliuntur, eas sæpius obligant, ut si surgere velint non possint [765], antequam censura ecclesiastica et legales sententiæ hujusmodi prædatores [766] terribiliter et damnabiliter feriant [767], episcopi quique in suis parochiis et missi in illorum missaticis, comitesque in eorum comitatibus, pariter placita teneant, quo omnes rei publicæ ministri, et vassi dominici, omnesque quicumque vel quorumcumque homines in eisdem parochiis vel comitatibus commanent, sine ulla personarum exceptione vel excusatione aut dilatione conveniant.

3. Et episcopus illius parochiæ breviter adnotatas sententias de hujusmodi causa, evangelicæ videlicet et apostolicæ atque propheticæ auctoritatis, necnon et decreta apostolica atque canonica omnibus relegat, et aperto sermone cunctis quale quantumque peccatum sit, et qualem quantamque pœnitentiam et quam immanem severissimamque vindictam exposcat, cum aliis debitis et necessariis atque utilibus prædicationibus innotescere curet.

4. Missi quoque legales sententias, sicut eas cognitas habent, adnotent, et prædecessorum nostrorum regum atque imperatorum, nostraque capitula de hac causa in unum collecta omnibus nota faciant. Et episcopi Dei et episcopali auctoritate tales deprædationes omnibus interdicant. Et missi ac comites nostri cunctis ex nostro regio banno prohibere firmiter studeant, ut cognoscant omnes, quia si abhinc inante in nostro regno talia facere aliquis præsumpserit, secundum divinas sententias episcopalem excipiet sententiam, et secundum leges ac capitula regia emendare cogetur, et secundum judicium fidelium nostrorum condignam vindictam suscipiet.

5. Et si talis persona fuerit, ut episcopi vel missi nostri ac comites in illorum ministeriis quod pravum actum fuerit potuerint emendare, secundum præfixum modum illud emendare studeant, aut per fidejussores ad nostram præsentiam venire faciant.

6. Si autem aliquis quiscumque inobediens extiterit, cum summa festinatione nobis notum facere curent, ut quantocius ad nostram præsentiam illum venire jubeamus, et dignam ultionem secundum judicium fidelium nostrorum sustineat.

7. Et si [768], quod absit, talis emerserit qui Dei timorem postponat, et ecclesiasticam auctoritatem contemnat, et regiam potestatem refugiat, sciat quiscumque ille fuerit, quia et secundum canonicam auctoritatem ab omnium christianorum cœtu et a sanctæ ecclesiæ consortio et in cœlo et in terra alienus efficietur, et regali potestate atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei et ecclesiæ inimicus et regni devastator, persequetur usque dum a regno exterminetur.

8. Et si aliquis comes fuerit qui hoc in suo comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, ut aut ipse illa non emendet, aut nobis nota non fecerit ut nostra auctoritas talia corrigat, sciat quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

9. Et si aliqui iterantes deprædationes et rapinas per regnum nostrum fecerint, et episcopi ac missi vel comites hoc emendare non potuerint, quam citius possunt nobis notum facere curent, ut jubeamus ipsos depredatores per eandem viam cum misso nostro redire, et illa omnia quæ male egerant legaliter emendare, et talem harmiscaram [769], sicut nobis visum fuerit, aut judicium, sicut cum fidelibus nostris consideravimus [770], sustinere.

10. Si autem dilecti fratris nostri aut nepotum nostrorum homines fuerint, qui talia egerint, et hoc nobis innotescant, ut illis notum faciamus, et illi suos homines, sicut illis melius visum fuerit, de talibus castigare procurent, sicut et nos nostros homines castigare volumus, si in illorum regnis indecentia et aliqua noxia facere, quod absit, præsumpserint.

VARIÆ LECTIONES.

[760] quem 4. [761] *deest* 4. *tota inscriptio deest* 3. 3b. 3c. [762] rex Hunfrido venerabili episcopo, Ingiscalco et Berengario comitibus et ministerialibus ac fidelibus missis nostris in Domino salutem. 3. 3b. 3c. dilecto nobis Jonæ venerabili episcopo et Isimbardo inlustri comiti missis nostris salutem 4. [763] pernitiosa 4. [764] levantur *S.* [765] possunt 4. [766] prædicatores 3. [767] feriant. Episcopi quoque 4. [768] Et q. a. si 3. [769] armiscaram 4. [770] *ita* 3. 4. consideravimus *S. B.*

Collectio de raptoribus [771].

Sanctus Gregorius in libro pastorali dicit : Ammonendi sunt qui aliena rapere contendunt, ut sollicite audiant quid veniens in judicio Dominus dicat : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Et cætera. Quibus dicit : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quid meretur injustitia inlata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Audiant raptores ; *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo, et adgravat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se adgravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Audiant quid Christus dicat : *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum fiat ?* id est, quid prodest homini si totum quod extra se est congregat, sed hoc solum quod ipse est damnat? Audiant quod illa quæ rapiunt in hoc seculo deficient, aut in seculo dimittent ; sed secum ad judicium causas rapinæ, id est, damnationem secum ferent. Et alibi scriptum est. Audiant quid propheta Esaias dicit : *Rapina pauperis in domo vestra, et causa viduæ non ingreditur ad eos.* Et : *Lacryma viduæ usque ad maxillam descendit, et Dominus non delectabitur in illis.* Audiant quia in cujus domo rapina est, sive in domo corporis, sive in domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus ; et si accedit ad communionem corporis et sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius, sicut Judas, quando in cœna plenus rapina et iniquitate communicare præsumpsit de manu Christi, possidetur a diabolo : unde et suspensus crepuit medius. Et ad quem causa viduæ non ingreditur, nec ipse, si digne non satisfecerit, in cœlestem ecclesiam intrare valebit. Audiant rapaces et prædatores quid iterum propheta dicat : *Qui prædaris : nonne et ipse prædaberis?* Videlicet quia ille qui prædatur res pauperum et ecclesiarum ac servorum Dei, prædatur a diabolo, et præda illius fit. Audiant quid sanctus Paulus apostolus dicat, per quem locutus est Christus, et qui raptus fuit usque ad tertium cœlum, et qui raptus fuit in paradisum, et audivit talia secreta verba quæ non licebat homini loqui : Ait namque quia *neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Unde intendat quale quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio et homicidio sanctus comparavit apostolus. Item ipse dicat : *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec cibum sumere* Christi discipulo, id est christiano, licet ante satisfactionem, id est, correctionem ac emendationem et dignam pœnitentiam. Audiant quia sanctus Johannes apostolus electus et dilectus Christi, qui in cœna super pectus ejus recubuit, talem hominem salutare vetat, dicens : *Nec ave ei dixeris, neque in domum receperis.* Audiant quid in Toletano concilio sancti episcopi, qui in cœlo cum Deo regnant, et in terris miraculis coruscant, de totius mundi partibus congregati, decreverunt. *Si quis*, inquiunt, *de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat ; et si contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, quoscunque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur donec audiat et reddat aliena.* Ecce de pauperum raptoribus. Audiant raptores et prædones rerum ecclesiasticarum quid sanctus Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, cum totius mundi sacerdotibus judicavit. Dicit namque : *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit : mater vero nostra, Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, et ut sacrilegus judicandus est.* Item sanctus Urbanus papa et martyr : *Res et facultates ecclesiæ* oblationes *appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ, et oportet hujusmodi tradere Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Item sanctus Lucius papa : *Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores a liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus ; et non solum eos, sed et omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiant : par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit.* Et sanctus Augustinus in sermone evangelii sancti Johannis ita dicit : *Fur sacrilegus loculorum sacrorum et dominicorum est Judas ; et qui aliquid de ecclesia furatur et rapit, Judæ perdito comparatur.* Item in sacris canonibus, sancto Spiritu dictatis et Christi sanguine confirmatis, scriptum est : *Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.*

Episcopus autem omnibus dicere debet quid sit anathema ; et ne desperent, ostendere debet quandiu duret anathema, id est, quandiu quisque errorem non corrigit et digna satisfactione non emendat, ut reconciliationem et indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem et reconciliationis indulgentiam in peccatis suis perseverans mortuus fuerit, jam anathema perpetuum illi erit, et peccatum ad mortem, pro quo non dicit Apostolus ut oretur. Sed et plura, si necesse fuerit, episcopus quisque colligere et dicere procurabit.

Secuntur [772] *capitula domni Karoli et domni Hludovici imperatorum.*

(Anseg., II, 6.) Vobis vero comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reverentiam et honorem sanctæ Dei ecclesiæ exhibeatis, et cum episcopis vestris concorditer vivatis, et eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis ; ut et vos ipsi in ministeriis vestris pacem et justitiam faciatis, et quæ nostra auctoritas publice fieri decernit, ut in ministeriis vestris studiose perficiatur, studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem, ut memores sitis fidei nobis promissæ, et in parte ministerii nostri vobis commissi, in pace scilicet et justitia facienda, vosmetipsos coram Deo et coram hominibus tales exhibeatis, ut et nostri veri adjutores et populi conservatores juste dici et vocari possitis. Et nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab statu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum et proximum semper juste judicetis ; pupillorum vero et viduarum et cæterorum pauperum adjutores ac defensores, et sanctæ ecclesiæ vel servorum illius honoratores juxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate et violentia in furtis et latrociniis, sive rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio et cor-

VARIÆ LECTIONES.

[771] *inscriptio deest* 3. 4. [772] *deest* 3.

rectione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona in aliquo vobis impedimentum fuerit quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum faciatis, ut nostra auctoritate adjuti ministerium vestrum digne adimplere possitis.

(7.) Omnes vero laicos monemus, ut honorem ecclesiasticum conservent, et dignam venerationem episcopis et Dei sacerdotibus exhibeant, et ad eorum prædicationem cum suis devote occurrant, et jejunia ab illis communiter indicta reverenter conservent, et suos observare doceant et compellant. Ut etiam dies dominicus sicut decet honoretur et colatur, omnes studeant. Et ut liberius fieri possint, mercata et placita a comitibus, sicut sæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur.

(II, 14.) De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi præterito anno lnlati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat et accipiat.

(II, 15.) Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, ut unusquisque cognoscat omnes qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni; ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum, ut quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere. Ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro, dignas pœnas persolvat, et senior qui secum talem duxerit quem aut constringere noluit aut non potuit ut nostram jussionem servaret, et insuper in regno nostro prædas facere non timuerit, pro illius neglegentia, si ante eum de his non admonuerit, et postquam neglegentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat.

(II, 23.) Comites vero ministris ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius et de nostris et de se et de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque prima et secunda vice de his a comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem comitem ejus neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro capitulari continetur, subire cogatur.

(III, 1.) De pace admonemus, ut omnes qui per aliqua scelera rebelles sunt, constringantur.

(62.) De pace et justitia infra patriam, sicut sæpe per alia capitula jussimus, adimpletum fiat.

(63.) Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit vel furaverit, secundum legem eam illi cujus domus fuerit infracta et spoliata in triplum componat, et insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, et insuper secundum suam legem compositionem faciat. Si quislibet homo aliquod tale damnum alicui fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in wadio pro servo dare studeat usque dum plenam compositionem adimpleat.

(III, 66.) Si quis messes aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit, vel paverit, aut furaverit, aut cum caballis vastaverit, æstimato damno secundum legem in triplum componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus vero secundum legem tripla compositione damnum in loco restituat, et pro damno disciplinæ corporali subjaceat.

(Benedict. I, 341.) Si quis in exercitu infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infrangere vel incendere, hæc ne fiant, omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptioso factum A fuerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subjaceat, et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit ut talia non perpetraret: quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

(II, 97.) Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero a comite ante nos adducatur, ut in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: B quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur; quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a limini bus sanctæ matris Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ.

MISSORUM CAPITULA.

(*An.* 857. *Febr.*)

Capitula a Baluzio ex codice bibl. regiæ Parisiensis n. 4626 primum edita, ad fidem ejusdem codicis recognovimus.

Propter cognitas vobis necessitates et nimias perturbationes quæ in regno isto evenerunt, sicut scitis, C senior noster Karolus plurimos fideles regni sui, tam episcopos, quam abbates, et comites, atque reliquos regni sui fideles, mediante Februario mense apud Carisiacum congregans, hæc capitula ab ipsis confirmata nobis transmisit, ut ea vobis denuntiaremus, ut et vos cum omni timore Dei et legali imperio observare cum justitia studeatis, omnesque christiani qui in nostro consistunt missatico.

1. Primo capitulo continetur, ut vos moneamus de honore sanctæ Dei ecclesiæ, qui per omnia ab omnibus fidelibus christianis observandus est, ut eorum [773] immunitates in nullo infringantur, res sacræ et fructus ejus a nullo rapiantur; quoniam qui aliena rapiunt, a regno Dei excluduntur, dicente Apostolo: *Rapaces regnum Dei non possideD bunt*. Nonæ et decimæ fideliter persolvantur. Sacerdotes Dei et ministri ejus non deshonorentur, non flagellentur, neque de ecclesia sine consensu episcopi sui ejiciantur aut in ea recipiantur. Ecclesiæ destructæ restaurentur. Quod si quis transgressus fuerit, anathematis vindicta feriatur, et comitis districtione constringatur, et banni regalis exactione dampnetur.

2. Sanctimoniales, viduæ, orphani, et pauperes nullo modo opprimantur; et res illorum, tam in frugibus, quam in pratis, necnon etiam in eorum fœno, a nullo per rapinam deprædentur; et ubicumque oppressi sunt, ab episcopis, comitibus, et missis rega-

VARIÆ LECTIONES.

[773] *leqe* ejus *B*.

libus subleventur; et oppressores illorum, sicut supra scriptum est, in omnibus constringantur.

3. De his vero qui intra patriam residentes rapinas exercent, domos infringunt, homines sine causa occidunt, trustes commovent, aut alios dampnant et opprimant, prata defensoria depascunt, fruges aliorum devastant, ex his mandat senior noster, ut primum episcopali auctoritate judicentur, et sic postea a comitibus legaliter constringantur, et insuper bannum nostrum, id est solidos 60, componant. Et si eos constringere [774] non potuerint, ad regalem præsentiam deducantur, ut dignam suscipiant vindictam.

4. Mancipia aliena, quæ intra inmunitates fugiunt aut intra fiscum postrum aut aliorum potestate, et a dominis suis insecuntur, sine ullo munere aut aliqua contradictione reddantur, aut foras ejiciantur, nisi legibus sua esse probaverint. Et si quis contenderit et reddere noluerit, et postea fugerint, legaliter eas persolvat.

5. Ut nemo virgines aut viduas rapere præsumat, et ad eas nullo modo accedat, nisi legaliter eas nuptialiter desponsatas conjunxerit. Nullus Deo sacratam rapiat aut violet, vel in conjugio sibi societ. Si quis hoc transgressus fuerit, ecclesiastico anathemate feriatur, et publico judicio damnetur.

6. Ut regales justitiæ cum omni diligentia perficiantur.

7. Ut nullus de domo sua ad aliam transiens, aut in itinere pergens, rapinam facere præsumat.

8. Ut unusquisque presbyter inbreviat [775] in sua parrochia omnes malefactores, videlicet raptores, rapaces, adulteros, incestos, homicidas, latrones; et eos extra ecclesiam faciat, nisi pœnitentiam agere voluerint. Si se emendare noluerint, ad episcopi præsentiam perducantur.

KAROLI II ET HLOTHARII II CONVENTUS APUD SANCTUM QUINTINUM.

(*An.* 857. *Mart.* 1.)

Sirmondus in collocatione adnuntiationum istarum, quia in codice Bellovacensi confusæ essent, codicem 3b) Metensem se secutum esse ait, inscriptione tamen quæ in codice Bellovacensi exstabat servata. Nos editionem ejus collato codice 3) regio Parisiensi, inter Supplementa Latina n. 75 signato, recognovimus.

Adnuntiatio Karoli et nepotis sui Hlotharii apud sanctum Quintinum, Kalendis Mart. anno 857 *incarnationis dominicæ* [776].

Adnuntiatio [777] *Karoli.* — 1. Volumus vos scire, quod fuit insimul noster conventus. Postquam Deus nostrum seniorem vocavit de isto seculo, semper inveni tale consilium in meo dilecto fratre Hludowico [778], sicut mihi necesse fuit, et ego in illo quæsivi, et illum ostendere decuit; et illius adhortatione et interventione devenit, Deo gratias, talis unanimitas inter me et bonæ memoriæ fratrem meum Hlotharium, sicut inter fratres esse debebat [779]. Et propter tales causas, quæ sicut inter nos conjacuerant, invenimus cum communibus fidelibus nostris, quia necesse erat, ut inter nos firmitas facta fuisset secundum Dei voluntatem de nostro communi profectu et adjutorio, et de filiorum ac regni et fidelium nostrorum salvamento, sicut tunc [780] adcognitavimus nostris communibus fidelibus qui adfuerunt. Et [781] ille in sua vita contra nos conservavit, et, Deo gratias, nos contra illum conservavimus, et contra illius filios nepotes nostros, adjuvante Deo, quantum scimus et possumus, et illi ad nos quæsierint, conservare volumus.

2. Post obitum vero illius, ex parte pro mea, sicut audistis, infirmitate, ex [782] parte pro paganorum superventione, et pro aliis occasionibus [783] quæ in regno nostro acciderunt, usque modo non fuit opportunus locus, ut ego et iste meus carissimus nepos insimul parabolare potuissemus, et invicem nobis præsentes nostras voluntates demonstraremus, quas in corde unusquisque contra alterum retinebamus.

3. Evenit autem locus congruus, quia iste meus carissimus nepos cum dilectissimo fratre meo Hludowico parabolavit (126), et tale receptum et consilium in eo invenit, sicut et isti necesse fuit et illum demonstrare decuit: quod mihi satis complacuit. Et nunc, quando mecum parabolavit, dixit mihi, quod in illa firmitate quam ego cum patre suo bonæ memoriæ fratre meo feci, et illum suscepi, in illa [784] susceptione vellet perseverare, et illam firmitatem quam suus pater meus frater contra me fecerat, vellet, adjuvante Domino, per omnia observare.

4. Et invenimus cum communibus fidelibus nostris, ut pro talibus necessitatibus, sicut scitis et videtis in isto regno evenire, nos invicem confirmare remus, sicut et fecimus, ut ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ et communem profectum ac fidelium nostrorum salvamentum, et regnum nostrum contra quoscumque nobis necesse fuerit continendum, in-

VARIÆ LECTIONES.

[774] confringere *c.* [775] *ita codex.* [776] *Pal. et Met.*: Capitula Karoli regis et Lothari regis nepotis ejus in Valentianas. [777] annuntio 3. [778] hluduvuico 3. [779] debeat 3. [780] ter 3. [781] adfuerunt et 3. [782] et *B.* [783] *ita correxit BAL.* occupationibus *omnes codd.* [784] *ita* 3. ipsa. *S. B.*

NOTÆ.

(126) Anno 857 mense Februario in Confluente castello ex Ruodolfi Annalibus SS. T. I, p. 370.

vicem nos salvemus et adjuvemus, sicut avunculus nepotem et nepos avunculum per rectum salvare et adjuvare debet.

5. Et nostri fideles, qui præsentes fuerunt et hoc consilium nobis dederunt, dixerunt nobis, quod parati sunt nos, auxiliante Domino, in omnibus adjuvare, ut istam firmitatem possimus ad invicem observare. Et propterea volumus a vobis vestrum consensum et voluntatem audire, si et hoc vobis bene videtur, et nobis inde auxilium vultis præstare, ut hoc possimus cum Dei adjutorio et vestro observare.

Adnuntiatio [785] *Hlotharii.* — Sicut meus avunculus vobis dicit, quantum Deus mihi scire et posse donaverit, et in [786] illa firmitate cum seniore meo facta in qua me suscepit, et quam senior meus contra illum fecit, volo perseverare, et illam quam contra eum feci, cum Dei adjutorio volo firmiter observare.

Item adnuntiatio Karoli regis. — Volumus vos scire, quia propter istas rapinas et deprædationes quæ in regno nostro increverunt, ex parte quia pagani nobis supervenerunt, ex parte pro talibus occasionibus quæ in regno nostro acciderunt, synodum episcoporum et aliquantos de nostris fidelibus pro oportunitate temporis convocavimus, et consideravimus cum ipsis, ut per omne regnum nostrum episcopi et missi nostri ac comites in singulis parrochiis ac comitatibus placita teneant, et ad illa placita omnis homo qui placitum custodire debet et in illis comitatibus commanet, sine exceptione et excusatione conveniat. Et episcopi omnibus demonstrent, quam grave hoc peccatum sit, et qualem pœnitentiam quærit, et qualem damnationem, nisi pœnitentia succurrerit, adquirat. Et missi nostri capitula legis et antecessorum nostrorum de hoc omnibus ostendant, et tantam miseriam [787] interdicant. Et sciant omnes, quia quicumque abinde talia facere præsumpserit, et canonicam et regalem vindictam suscipiet, sicut tunc omnibus et episcopi et missi nostri plenius adnuntiabunt.

Item adnuntiatio Hlotharii. — 1. Sciatis etiam, quia consideravimus, ut quiscumque malefactor de uno regno nostro in alterum venerit, episcopus vel missus, sive comes, de quorum ministerio effugerit ut justitiam non reddat aut dignam vindictam non sustineat, illis missis in quorum missatico in alio regno fugerit, notum faciant, et ipsi illum taliter constringant, ut aut ad compositionem aut ad vindictam illuc reveniat ubi malum perpetravit.

2. Et sciatis, quia sicut Deus per suam misericordiam, et per meos avunculos [788] bonitatem, et per mei senioris ac meos fideles [789] adjutorium, meo seniori in regno successi, ita et in omni bonitate et in observatione de illis capitulis quos meus senior cum suis fratribus, meis avunculis, ad Marsnam de Dei voluntate et sanctæ ecclesiæ honore, et regni stabilitate, et sanctæ ecclesiæ ac regni fidelium salvamento, consideravit et confirmavit, cum Dei adjutorio et meis avunculis [790] consilio et auxilio et vestro adjutorio permanere volo.

Tertia adnuntiatio Karoli. — Deus omnipotens nobis donet, ut vestram fidelitatem et vestrum adjutorium, quæ semper contra nos cum omni barnatu (127) demonstrastis, vobis sic merere possimus, sicut antecessores nostri vestris antecessoribus in bono meruerunt, et nos vobis cum omni bonitate volumus commereri.

KAROLI II CONVENTUS CARISIACENSIS.

(*An.* 858. *Mart.* 21.)

Petri Pithœi editionem an. 1588 in SS. coætaneis XII Sirmondus Baluziusque repetierunt; quorum prior episcoporum et comitum, qui sacramento subscripserunt, nomina ex codice Laudunensi adjecit.

Acta sunt hæc sequentia apud Carisiacum palatium, anno incarnationis dominicæ 858, *regni autem domni Karoli* 18, *indictione* 6, 12 *Kal. Aprilis, in Dei nomine feliciter.*

Sacramentum fidelium. — Quantum sciero et potuero, Domino adjuvante, absque ulla dolositate aut seductione, et consilio et auxilio secundum meum ministerium et secundum meam personam fidelis vobis adjutor ero, ut illam potestatem, quam in regio nomine et regno vobis Deus concessit, ad ipsius voluntatem et ad vestram ac fidelium vestrorum salvationem, cum debito et honore et vigore, tenere et gubernare possitis : et pro ullo homine non me inde retraham, quantum Deus mihi intellectum et possibilitatem donaverit.

Sacramentum regis. — Et ego, quantum sciero et rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque vestrum secundum suum ordinem et personam honorabo et salvabo, et honoratum ac salvatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione conservabo, et unicuique competentem legem et justitiam conservabo. Et qui illam necesse habuerit, et rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare et salvare, et unicuique competentem legem et justitiam in unoquo-

VARIÆ LECTIONES.

[785] annuntiatio 3. *constanter.* [786] *deest* 3. [787] tantum mysterium 3. [788] *ita vetustior lectio codicis* 3. *correcta in* mei avunculi, *quod et* 3b. *habet.* [789] meorum fidelium 3c. *BAL.* [790] meorum avunculorum 3c. mei avunculi *BAL.*

NOTÆ.

(127) i. e. baronatu.

que ordine conservare, et indigentibus et rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malivolentiam vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero, voluntarie illud emendare curabo.

Hincmarus archiepiscopus, Immo episcopus, Yrminfridus episcopus, Hincmarus episcopus, Hilduinus abba.

Hungarius, Engilramnus, Isembardus, Odo, Osbertus, Ratbodus, Hunfridus, Odalricus, Rhodulfus, Engischalcus, Herluinus, Hitto.

KAROLI II ET HLOTHARII II SYNODUS METTENSIS.

(*An.* 859. *Mai.* 28, *Jun.* 4.)

Edita est a Baronio ex codice Mureti atque Antonii Augustini tom. Annalium X, tum a Sirmondo et Baluzio.

EPISCOPORUM LEGATIO AD HLUDOWICUM REGEM.

Hæc capitula tractata et confirmata sunt ab episcopis in synodo habita apud Mettis civitatem, de indulgentia Hludowici regis pro seditione et excessibus in regno fratris sui Karoli perpetratis.

Dilectis in Christo fratribus et consacerdotibus nostris, legatis videlicet divinæ pacis ac nostræ unanimitatis, Hincmaro, Gunthario, Weniloni archiepiscopis, et venerabilibus coepiscopis nostris Herluino, Hildegario, Adventio, Abboni, Hincmaro, Erchanrao, episcopi quorum nomina subter habentur adscripta, qui favente Domino, et annuentibus gloriosis principibus nostris Karolo et Hlothario, in Mediomatricum civitatem, anno incarnationis dominicæ 859, indictione 7, 5 Kal. Junias synodali decreto convenimus.

1. Nota et proh dolor! nimis est nota discordia atque calamitatis pernicies, quæ factione quorumdam seditiosorum hominum nuper inter fratres, reges nostros, Hludowicum et Karolum accidit : unde tanta ac talia in ecclesia nobis ad regendum, divina dignatione, commissa et in hoc regno perpere sunt admissa, ut ipso etiam auditu horribilia cognoscantur; et si hæc discordiæ pestilentia diutius, operante humani generis antiquo hoste, duraverit, quam exitiabilis et mortifera existat melius ipsi scitis. Qua de re memores quid veritas missis prædicatoribus jusserit, ut divinus Paulus dicit, *legatione fungimur pro Christo, reconciliamini Deo*, legatione pro Christo fungentes, vos, fratres carissimi, legatos Deo amatæ pacis, quoniam exinde jam gloriosos principes nostros Karolum et Hlotharium episcopali auctoritate monuimus, ad domnum Hludowicum regem gloriosum mediante Domino ordinamus, sicut Salvator dicit : *In quamcumque*, inquiens, *domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertetur.* Quia aut erit quisque prædestinatus ad vitam, et cœleste verbum sequetur quod audiet; aut si nullus audire voluerit, ipse prædicator sine fructu non fuerit, quoniam ei a Domino pro labore sui operis merces recompensabitur.

2. Post prædicatam vero et postulatam pacem, legatio vestræ fraternitatis hujusmodi erit conditionis, ut isdem rex nobis, et utinam Deo, semper amabilis, ad missorum indulgentiam consequatur.

3. Videlicet si se de omnibus quæ per eum malitiosorum hominum persuasione atque seductione in parochiis nostris fratrumque nostrorum perpetrata sunt veraciter recognoverit, sicut scriptum est : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Et : *Sacrificium Deo est spiritus contribulatus;* quoniam cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Et sicut hi qui ficte Deum quæruut, invenire nunquam merentur, ita prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate.

4. Et si post veram recognitionem puriter confessus fuerit; quia iterum dicit Scriptura : *Qui abscondit scelere sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*

5. Post puram autem confessionem, si promiserit quæ male gesta sunt, per dignos pœnitentiæ fructus, præveniente, adjuvante, et subsequente divina gratia, se pro viribus emendaturum, quia scriptum est, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, ut tanto majora quærat bonorum operum quisque lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam; quoniam et illi beati quorum tecta bonis operibus sunt peccata, et ut scriptum est, quia peccavit, et populum peccare fecit, tanta sint bona quæ tanta operiant mala.

6. Deinde si spoponderit ad pacem et concordiam præsentaliter in toto corde et ore, et quantocius rationabiliter et possibiliter atque convenienter ex communi consensu fieri poterit, etiam præsentia corporis ad pacem et concordiam cum fratre suo Karolo se rediturum, et in pace ac caritate Deo placita eum præfatis principibus nostris Karolo atque Hlothario, si ipsi eandem pacem et concordiam erga eum servaverint, permansurum, et in se peccantibus debita dimiserit, sicut sua a Deo debita sibi cupit dimitti. Quia itidem Scriptura dicit : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit*

Deum. Et cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, tantum est discordiæ malum, quæ nisi extincta funditus fuerit, bonum nullatenus sequi, evangelio teste, permittat ; et caritas est quæ operit multitudinem peccatorum, sine qua etiam si quis corpus suum tradat ad ignem, nihil ei nisi ad damnationis judicium proderit. Et Dominus dicit : *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.*

7. Post hæc si promiserit, quod jam ulterius tale vel simile schisma in hac sancta Dei ecclesia atque in ista christianitate non reiteret. Unde scriptum est : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?* Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato ; sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lacrymas repetit. Et iterum scriptum est : *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti ;* quia qui peccatum post pœnitentiam repetit, quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, vitæ munditiam subtrahit, ipsas etiam lacrymas ante Dei oculos sordidas facit.

8. Tunc demum promittat se ab illorum perditorum hominum tuitione atque favore, per quos tam graviter Deum offendit, disjungere. Et qui quasi ad ejus fidem, sed potius infideliter ad eum venerunt, ad rectam rationem in proximo placito ante fratrem suum Karolum et nepotem suum Hlotharium, sicut, Deo teste, jam apud Marsnam propria manu firmaverat, venire, si potuerit, faciat. Et quemcumque illorum recta ratio dignificaverit, digne honore suo fruatur. Et qui per rectam rationem erga seniorem suum justificari non potuerit, et rationabilem misericordiam pro eo expetierit, eandem rationabilem misericordiam illi obtineat. De illo vero quem recta ratio et justum judicium condemnaverit, ut rex christianus cum rege regum Christo concordet, et alienæ perditioni se non commisculet ; quia, ut Paulus dicit, *non solum qui faciunt, sed etiam qui male facientibus consentiunt, digni sunt morte.* Unde sanctus Innocentius dicit, quia non multum interest inter committentis animum et consentientis favorem. Addo amplius, plerumque dediscit errare cui nemo consentit. Et iterum sanctus Paulus cum talibus hominibus nec cibum sumere permittit. Et sanctus David, dum totum se ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur, quod cum malis concordiam non teneret, dicens : *Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos etiam Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare ; mores pravorum premere, vitæ prodesse. Hinc Finees peccantem civem coeuntem cum Madianite perculit, et iram Dei iratus placavit. Et Josaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis pene periturus increpatur ; cui a Domino per prophetam dicitur : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris. Et idcirco iram quidam Domini mereberis ; sed bona opera inventa sunt in te.* Hinc sacri canones a sancto promulgati Spiritu dicunt, ut hi qui post excommunicationem vel interdictum cum excommunicatis communicaverint, condemnati anathema habeantur. Et sanctus Cyprianus regis ministerium esse dicit, impios de terra perdere, homicidas, perjuros, adulteros, veneficos, sacrilegos non sinere vivere. Et in libro regum scriptum est, dicente Domino per prophetam : *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius.* Et quam noxia sit indebita erga iniquos misericordia, monstratur in opere Saul ac Samuelis ; quoniam cui Saul pepercit offendens Dominum, Samuel propheta in frusta concidit. Nam sicut quisque in se peccantibus debet propter Deum dimittere, ita in Deum peccantes, et ecclesiam conculcantes, et regni pervasores, et in christianitatis depopulatores, et in pacis perturbatores, et in patriæ proditores debet minister Domini rex debitam vindictam propter Deum exercere. Quapropter sciat rex nobis amabilis, quia sicut infirmus sanari non potest qui a medico coquitur, quandiu ferrum ignitum in illius tenetur corpore, ita et nemo sanari potest a peccato quandiu in peccato manserit, vel quandiu in peccato manenti scienter et libenter communicaverit.

9. Tandem si se promiserit adjutorem et cooperatorem Dei pro viribus de cætero et rationabiliter futurum, qualiter ecclesia Dei quæ in suo regno ac regnis nostrorum principum una est, sicut et unum sacerdotium, secundum qualitatem periculosi temporis in unoquoque ordine restituatur, et sacerdotes Dei debita privilegia et ecclesiasticum vigorem obtineant, et populus justitiam et pacem habeat, congregatis vobis et nostro immo divino spiritu, qui est remissio omnium peccatorum, per ecclesiasticam apostolicæ auctoritatis potestatem illi peccata in nostris parochiis per illum et ab illo commissa ecclesiastica pietate et canonico more dimittite, eique indulgentiam postulanti donate, atque illum sacræ communioni, qua ipse se privaverat excommunicatis communicans, restituite.

10. Et licet multorum annorum, secundum præfixos a sacris canonibus gradus, pœnitentiæ hæc perpetrata facinora indigerent, tamen confisi de Dei misericordia, apud quem non sic acceptatur mensura temporis ut doloris, nec abstinentia ciborum sicut mortificatio vitiorum, non præjudicantes patrum sententiis quæ de hujusmodi decreverunt, sed potius eorum sequentes humaniorem diffinitionem, hæc scribimus. Ait sancta synodus Africana : *Pœnitentibus, secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora discernantur.* Et sanctus Leo apostolicæ sedis pontifex : *His*, inquit, *qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio*

denegnnda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei spiritu per prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Et item: *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque donis Dei non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque neglegere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus pœnitentiam, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Et sanctus Gregorius in evangelii homelia dicit: *Veniat foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.*

11. His perpensis, fratres carissimi, si, ut diximus, jam dictum regem a nobis amabilem ita contemperatum divinæ voluntati et sacræ auctoritati inveneritis, secundum ministerium vobis a Deo traditum cum nostra unanimitate absolvite. Sin alias, vos nullo modo cum eo, quem absolvere non poteritis, ligare nolite; quoniam nec coram Deo, nec in synodo nos inde auctores habebitis, si agere aliter, quod absit, præsumpseritis; vosque et in synodo et coram Deo pro facto irrito dabitis rationes.

Et si ipse, quod Deus longe faciat, ea quæ egit, unde illum nunc commonere vos mittimus, reiteraverit, omnia et ante divinos oculos et ad ecclesiastica judicia redivivo vulnere curanda vel amputanda noverit revenire. Si quid quoque contra sanctam auctoritatem præsumptum vel subreptum sive extortum fuerit, non solum in divinis examinationibus, verum nec in divinis legibus quippiam prævalebit. Et non sit de cætero immemor idem rex gloriosus quod dicit sanctus Gregorius: *Sciendum est,* inquit, *quia quisquis inlicita nulla commisit, huic jure conceditur ut licitis utatur; sicque pietatis opera faciat, ut tamen, si noluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. Quilibet vero tanto a se licita debet abscidere, quanto se meminit et inlicita perpetrasse. Neque enim par fructus esse boni operis debet ejus qui minus et ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui in nullis et ejus qui in quibuslibet facinoribus cecidit. Sed tanto quisque majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.* Unde a vobis nostra, quin potius Dei voce, commoneatur ut sic studeat præteritorum pœnitens, et imminentia atque futura cavens, Deo militare in regno terreno, quatenus mereatur conregnare Christo in regno cœlesti.

Hæc quæ sequuntur, peracta legatione, renuntiarunt episcopi.

(*An.* 859, *Jun.* 4.)

De indulgentia sua nobis Hludowicus rex pridie Nonas Junias in Wormatia dixit: *Volo vos precari, ut si in aliquo vestros animos offendi, ut hoc mihi perdonetis, ut inantea securus vobiscum loqui possimus.* Ad hæc Hincmarus, qui primus in ordine ex sinistra parte illius stetit, respondit dicens: *Ista causa cito ad effectum pervenire potest; quia quod nos offerimus, hoc vos petitis.* Et monente Grimoldo (128) ac Theodorico episcopo (129), iterum ipse Hincmarus dixit: *Nihil contra me fecistis unde noxium rancorem in mente contra vos teneam, quia si facerem, ad altare, ut Domino sacrificarem, accedere non auderem.* Iterum monentibus eisdem Grimoldo et Theodorico ac Salomone (130), dicente ipso Theodorico hæc verba: *Facite sicut senior noster precatur, parcite illi,* respondit ipse Hincmarus hæc eadem verba: *Quod in me, id est in mea persona, offendistis, et peperci et parco. De hoc autem quod in ecclesia mihi commissa et in populo male est factum, voluntarie vobis dono consilium, et secundum Deum præsto auxilium ut inde salvi sitis, si vobis placet.* Et præfati viri responderunt: *Certe bene dicit.* Et cæteri fratres nostri in hæc verba et senserunt et prosecuti sunt. Tanta et talis indulgentia illi largita fuit, et non altera, neque amplius. De scripto autem quod confirmatum nobis est traditum, nec ipse a nobis quiddam quæsivit, nec nos illi aliquid diximus, quoniam necdum cum illo ex hujusmodi in ratione eramus. Ipse autem post hæc et alia dixit nos egisse quod non egimus, ex hoc materiam sumens, quod Guntharius illi familiariter, ut eum instrueret et ad satisfactionem provocaret, scriptum relegit ita inquiens: *Vos mihi transmisistis vestram epistolam cum capitulis: vos venistis cum causa facta. Nos non sumus hic nisi duo vel tres, qui sine aliis huc exilivimus: in illas causas intrare non possumus, antequam cum nostris episcopis inde tractemus; quia, Deo gratias, nihil sine illorum consilio feci; et postea inde respondeam.* Nos autem expectabamus, ut consilium a nobis de sua salute oblatum ipse quæreret, et tunc ei secundum illud scriptum donaremus consilium. Ipse autem de suo gradu respondit, quod in illud scriptum non intraret, antequam cum suis episcopis consideraret. Et sic quicquid in generali causa ecclesiæ et populi egit, penes illum remansit.

KAROLI II ET HLOTHARII II ATQUE KAROLI FRATRUM, CONVENTUS APUD SAPONARIAS.

(*An.* 859, *Jun.* 14.)

Ex actis conventus Saponariensis supersunt libellus synodo a Carolo rege contra Wenilonem archiepiscopum Senonensem porrectus, et capitula promulgata. Illum Pithœus inter Scriptores coætaneos et Gol-

NOTÆ.

(128) Abbate sancti Galli et archicapellano.
(129) Mindensi.
(130) Constantiensi.

dastus, utraque Baronius tom. X, p. 170, ex codice Antonii Augustini, tum Sirmondus, et iterum, adhibito codice Bellovacensi, Baluzius ediderunt.

Libellus proclamationis domni Caroli regis adversus Wenilonem, archiepiscopum Senonum, electis judicibus Remigio Lugdunensium, Eirardo Turonorum, Weniloni Rothomagensium, et Rodulpho Biturigum archiepiscopis in sancta synodo duodecim provinciarum apud Tullensem parochiam, in suburbano ejusdem urbis quod dicitur Saponarias, propria ipsius manu porrectus anno incarnationis dominicæ 859, *indict.* VII, XVIII *Kal. Julias.*

1. Quia, sicut dicit sanctus Gregorius, et ex consuetudine olitana cognoscitis, in Francorum regno reges ex genere prodeunt, mihi a domino et genitore meo piæ memoriæ Hludowico augusto pars regni inter fratres meos reges divina dispositione est tradita. In qua parte regni vacabat tunc pastore metropolis Senonum, quam, juxta consuetudinem prædecessorum meorum regum, Weniloni tunc clerico meo in capella mea mihi servienti, qui more liberi clerici se mihi commendaverat, et fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum episcoporum ipsius metropolis ad gubernandum commisi, et apud episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem archiepiscopum ordinarent obtinui.

2. Post hæc de divisione regni inter me et fratres meos ratio est exorta notissima, unde partem divisionis cum mutuis, nostris scilicet nostrorumque fidelium, sacramentis, sicut etiam primores regni totius invenerant, tenendam et gubernandam suscepi. Quam divisionem inter me et fratres meos de cætero a me substantialiter tenendam, sicut et alii qui ibi adfuerunt episcopi, Wenilo mihi fratribusque meis propria manu juravit : pacem etiam et mutuum adjutorium inter me et præfatum fratrem Hludowicum Wenilo sacramento firmavit.

3. Sed et post hoc, electione sua aliorumque episcoporum, ac cæterorum fidelium regni nostri voluntate, consensu et acclamatione, cum aliis archiepiscopis et episcopis Wenilo in diœcesi sua, apud Aurelianis civitatem, in basilica sanctæ crucis, me secundum traditionem ecclesiasticam regem consecravit, et in regni regimine chrismate sacro perunxit, et diademate atque regni sceptro in regni solio sublimavit. A qua consecratione vel regni sublimitate supplantari vel projici a nullo debueram, saltem sine audientia et judicio episcoporum quorum ministerio in regem sum consecratus, et qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, et per quos sua decernit judicia; quorum paternis correptionibus et castigatoriis judiciis me subdere fui paratus, et in præsenti sum subditus.

4. Denique cum seditiones in regno nostro per homines irreverentes cœperunt crebrescere, consensu episcoporum ac cæterorum fidelium nostrorum chirographum invicem conscripsimus, qualiter ego erga eos, cooperante Domino, agere vellem, et qualiter mihi consilio et auxilio iidem fideles nostri ab A inde postmodum solatium ferre debuissent. Cui scripto Wenilo apud Bajernam villam propria manu subscripsit, sicut in præsenti videre potestis.

5. Deinde cum contra paganos ad insulam loci qui Oscellus dicitur cum fidelibus nostris, et terreno itinere ac navigio, sicut scitis, perrexi, quidam a nobis deficientes fuga lapsi sunt. Wenilo autem se pro infirmitate sua illuc ire non posse dicens, ad sedem suam reversus est. Dum autem in procinctu eo nos infirmi degeremus, frater noster Hludowicus, sicut scitis, cum manu hostili et seditiosis hominibus ex regno suo regnum nostrum irrupit. Ad cujus colloquium sine mea voluntate atque licentia Wenilo venit, quem supplantatorem meum esse cognovi; quod nemo episcoporum ex regno nostro alius fecit.

B 6. De cætero, cum contra prædictum fratrem meum et inimicos meos, ac vastatores ecclesiæ et depopulatores regni qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac nostris perrexi, nec per se ipsum nec per debitum solatium quod antecessores mei reges et ego ipse ex ecclesia illi commissa habere solitus eram, aliquid adjutorii præbuit, præsertim cum hoc devote ab illo petierim.

7. Cum autem ratio et necessitas mihi accidit, de villa Breona ut a prædicto fratre meo secederem, et ipse frater meus Hludowicus ad hoc rediit in partem regni mei ut mihi meum nepotem subriperet, et homines meos mihi subtraheret, ac fideles meos vastanter imprimeret [791], Wenilo cum quo potuit solatio ad prædictum fratrem meum Hludovicum in C meam contrarietatem venit; cum quo erant excommunicati istius regni et seditiosi, de quorum excommunicatione coepiscoporum suorum litteras accepit, et missas publicas fratri meo, cum quo ipsi seditiosi erant, in palatio meo Attiniaco, et parochia et provincia alterius archiepiscopi fidelis nostri, sine sua licentia ac coepiscoporum consensu, Wenilo excommunicatis vel excommunicatorum participibus celebravit. Et in eo concilio atque consilio fuit, quo nepos meus Hlotharius per mendacia, quantum ex seductoribus suis, subriperetur, et debitum ac sacramento promissum solatium atque adjutorium ex illo mihi subtraheret.

8. Prædictis nihilominus fratris mei consiliariis, D et publicis ac secretis tractatibus, Wenilo cum specialibus familiaribus et inter priores ejus familiariter cum episcopali judicio, ut diximus, excommunicatis et judicio regni dijudicatis interfuit, quatenus partem regni quam idem frater meus et Wenilo mihi juraverant, et in qua Wenilo me regem sacraverat, sæpe fatus frater meus obtineret, et ego illam perderem.

9. Wenilo in eo consilio et tractatu fuit, ut episcopi qui mihi fidei promissæ debitores erant, et

VARIÆ LECTIONES.

[791] opprimeret? Bal.

consilium atque auxilium manu propria confirmatum A ferre debuerant, deficerent et ad fratris mei Hludowici obsequium et subditionem se verterent.

10. De abbatia sanctæ Columbæ et rebus vel honoribus regni mei apud Hludowicum, fratrem meum, præceptum obtinuit, et litteras ad missos, quo eandem abbatiam revocarent, Echardum et Theodoricum impetravit. Sed in eisdem litteris ad præfatos missos jussionem fratris mei Hludowici Wenilo obtinuit, ut de muro castelli Meloduni, quod jus regiæ est potestatis, petras haberent licentiam prendere. Unde constat, quod in plebe istius regni mihi a Deo collati eum studebat colere et satagebat tenere.

11. Wenilo in eo consilio et tractatu cum præfatis excommunicatis fuit, ubi consideratum est, quatenus illi homines qui mihi fideles erant et mihi sacramento fidelitatem promiserant, sive nolentes sive volentes, fratri meo Hludowico jurarent ut ei adjutorium ferrent, qualiter regnum meum contra me obtinere potuisset. Et non solum consilio Wenilo interfuit, sed et ipse hoc idem consilium fratri meo Hludovico contra meam fidelitatem, quam mihi promisit sacramento, donavit.

12. Wenilo per se et per familiares suos, supradictos scilicet excommunicatos, apud fratrem meum Hludowicum obtinuit, ut vacans episcopatus, Bajocacensis scilicet civitatis, propinquo suo clerico meo nomine Tortoldo, qui mihi se commendavit et fidelitatem sacramento promisit, donaretur, qui eundem episcopatum in mea infidelitate et contra fidelitatem mihi promissam consensu Hludowici, fratris mei, accepit.

13. Tandem postquam mihi Deus vires recuperandi mei per solatium fidelium meorum contra fratrem meum donavit, parrexi prope de civitate Wenilonis, qui me contra fratrem meum ad recuperandum regnum meum pergere scivit, et nullum adjutorium vel per se, promisso ac subscripto consilio, vel per militiam, quæ ex ecclesia sibi commissa solet exire, adjutorium aliquod præstitit.

CAPITULA.

Hæc ventilata, definita, atque obtenta sunt in synodo duodecim provinciarum quæ habita est anno incarnationis dominicæ 859 [792], *indictione* VII, *in territorio Tullensi, sub principibus Karolo, Illothario, et item Karolo.*

1. Ut caritas fraterna et concordia pacis reformetur inter fratres, principes scilicet gloriosos reges nostros Hludowicum et Karolum; qualiter schisma quod ortum est nuper in ecclesia, ad unitatem benignitatis valeat redintegrari, et status ecclesiæ pene conlapsus restitui, et pax ac justitia in populo christiano valeat procurari; et qui a fidelitate debita defecerunt, judicio et justitia per rectam rationem et rationabilem misericordiam possint sal- A vari, et a perverso conamine ad salubriora converti.

2. Episcopi namque secundum illorum ministerium ac sacram auctoritatem uniti sint, et [793] mutuo consilio atque auxilio reges regnorumque primores atque populum sibi commissum in Domino regant et corrigant; et nemo se a solatio mutuo subtrahat, sed [794] synodales conventus secundum jussionem canonicam frequentare procurent: quatenus ordo ecclesiasticus, qui quasi obliteratus jam fuerat, quoniam synodi propter discordiam regum frequentari non poterant, episcopali collatione ad necessarium ac debitum statum reduci prævaleat. Unde etiam consensum apud reges expetitum obtinuerunt.

3. Reges nihilominus ac principes nostri Karolus, B Hlotharius, atque item Karolus ad Dei voluntatem atque sanctæ ecclesiæ statum, suamque salutem et populi salvationem, gratias Deo, uniti et in eadem salutari unitate firmati sunt.

4. Perventum est ante conventum episcoporum, quendam diaconum, cui Tortoldus nomen est, episcopalem potestatem in urbe Bajocacensium occupasse, et pollicitationibus ac minis sollicitare multos ac perturbare. Unde definivit sancta synodus, ut Wenilo, Senonum archiepiscopus, cujus diaconus fuit, adjunctis secum tribus aliis, memoratum diaconum evocatum audiant, et secundum auctoritatem canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali potestate venire ad audientiam compellatur. Quod si hanc quoque C declinaverit, anathemate feriatur.

5. De quodam etiam subdiacono Anscario, qui vivo et incolumi episcopo civitatis Lingonum sedem pervasit, simili est sententia definitum. Sed intervenientibus legatis ejusdem subdiaconi, humanior est prolata sententia; videlicet ut sacramento confirmet, se nunquam talia hujusmodi præsumptione facturum. Cujus sacramenti tenorem huic capitulo subnectere dignum existimavimus: *Ego Anscarius, subdiaconus, confiteor coram Domino et sanctis angelis ejus, reverentiæ sanctæ paternitatis vestræ, contra Dei voluntatem et contra canonica statuta temere me fecisse in Isaac venerabilem pontificem, usurpando sedem ecclesiæ sanctæ sibi commissæ Lingonicæ, et sollicitando clericos et vassallos ejus omnemque familium. Atque ideo pro tantæ præsumptionis excessu, per sacri ministerii vestri vobis largitam a Domino potestatem, veniam mihi pœnitenti largiri suppliciter deprecor. Deinceps vero nec in eundem antistitem, nec in alium quemlibet, nec in illa nec in alia ecclesia hujusmodi præsumptionem facere tentabo, et neque illi aut alicui suorum clericorum aut laicorum in aliqua re impedimentum faciam pro hac causa, quia me graviter deliquisse confiteor. Neque insidias eis ullius inquietudinis parabo, neque per me neque per aliquem*

VARIÆ LECTIONES.

[792] DCCCLVIII SIRM.. [793] *Sirmondus manu correxit* ut *B*. [794] *Sirmondus*, et synodales: *at manu posuit* sed synodales. *B*.

meorum, propinquorum, nec per quemcumque hominem; sed potius adjutor pro viribus et intelligentia ipsi suisque ero, prout sibi placuerit. Et qui sibi pro hoc ipso inimici sunt, quos ipse voluerit, si potuero, eidem conciliare [795] *procurabo. Sic me Deus adjuvet, et istæ sanctæ sanctorum reliquiæ.* Statuit etiam sancta synodus, ut nunquam ad eandem Lingonensem ecclesiam, sive ad Januacensem [796], quam jam pridem pari modo adfixerat, debeat adspirare. Et si ita ut præmisimus jussis episcopalibus obedire refugerit, sententiam superius diacono datam incurrat.

6. Deinde gloriosus rex dominus Karolus sacræ synodo libellum appellationis electorumque judicium inter se et Wenilonem, Senonum archiepiscopum, qui ab eo defecerat, et proclamationis diploma porrexit. Unde secundum sacram auctoritatem, et induciæ ac dierum dilatio est concessa, et certa accusatio per episcopos et synodicas litteras præfato archiepiscopo est intimata atque concessa secundum regulas divinitus promulgatas.

7. Mota est etiam quæstio de Attone, Virdunensium episcopo, quod oblatione regulari, unde petitio ibidem est præsentata, in monasterio sancti Germani Antissiodorensium extiterit, et contra regulas ecclesiasticas inde discedens, minus provise quam sacra auctoritas doceat, ad ordinem episcopalem pervenerit. Unde etiam definitum est, dari sibi commeatum veniendi ad aliam synodum, sicut sacra sancit auctoritas.

8. Ad episcopos siquidem Brittonum qui se contra auctoritatem a metropoli sua moliuntur discindere, synodus litteras secundum auctoritatem sacram direxit, quatenus ad suam metropolim redeant, eique debito jure se subdant, nec a canonica et episcopali communione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacræ decernunt regulæ nequaquam communicent, et Salomonem commoneant, ut promissam fidem glorioso regi Karolo observet, et ipse et Brittones excommunicatis communicantes, ipsi se sacra communione non privent.

9. Ad memoratos quoque excommunicatos sancta synodus litteras direxit, eisque usque ad futuram proximam synodum corrigendi spatium tribuit, monens ecclesiastica pietate, ut convertantur et vivant; quia, nisi se correxerint, in futura synodo generali unanimitate anathemate terribili ferientur.

10. Relecta sunt denique in eadem synodo quædam capitula, super quibus quorundam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter episcopos, ut Deo favente, pace ac tranquillitate recuperata, simul conveniant, et prolatis sanctarum scripturarum atque catholicorum doctorum sententiis, quæ saniora sunt concordi unanimitate sequantur.

11. Tandem postulavit humiliter synodus generalis, se ad terram usque prosternens ante Karolum regem et Rodulfum Biturigum archiepiscopum, obsecrans et adjurans per crucem et Christi sanguinem, ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente rege præfato firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat qui præfatam abbatiam inregulariter tenebat, ratum et inconvulsum servare studerent. Quod si [797] abbas negligens et sacris regulis inconveniens per directos missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, et alius qui dignus repertus fuerit substituatur, et privilegii regularis auctoritas [798] in eodem monasterio quacumque occasione non destituatur.

12. Hæc de præcipuis in eadem sacra synodo fuere statuta. Cæterum specialia de quibusque parochiis, prout visum fuit, secundum ecclesiasticam auctoritatem definita, et episcopis in propriis parochiis sunt ad exsequendum commissa.

13. Placuit omnibus, ut creditur instinctu divino, qui ad universale concilium in vicinia Tullensium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quo invenirent aliquid, ubi consolationis gratia respirarent. Statuerunt itaque, ut pro se invicem omnes, dum adviverent, preces hujusmodi frequentarent; scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas, feria quarta, missam celebrarent. Post vocationem autem cujuslibet eorum, superstites obtineant, ut pro eo qui decesserit, in sedibus septenæ missæ totidemque vigiliæ Domino persolvantur, a presbyteris autem monasteriorum sive villarum tres missæ totidemque vigiliæ dependantur. Exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat. Præsentes etiam abbates in tam profutura societate recepti, eadem se conditione junxerunt.

HLOTHARII II REGIS SYNODUS AQUENSIS.

(*An.* 860, *Jan.* 9.)

Exstat in libro Hincmari De divortio Lotharii et Theutbergæ reginæ, editionis Parisiensis an. 1645, tom. I, pag. 573, 574.

1. Postquam domnus noster Hlotharius serenissimus ac gloriosissimus rex Tetbergam cum consensu et voluntate fidelium suorum ad conjugium more regali sibi sociavit, et discordiarum querelæ inter eos cœperunt exoriri, dictum est eidem principi a quibusdam, quomodo memorata Tetberga seclus

VARIÆ LECTIONES.

[795] *sic Bellov.* conligare eidem *Sirmondus. B.* [796] Januensem *Bellov. S.* [797] *Sic Sirmondus: at manu correxit* Et, si *B.* [798] *In cod. Bellov. legitur* status. *Sic manu correxit Sirmondus. B.*

quoddam horribile ac nefas patratum, vulnus occultum in animo sive in corpore haberet, in quo Deum graviter offensum haberet, pro quo etiam illi non esset digna, neque liceret vel eum deceret ad conjugium eam amplius habere.

2. Ex opinione vero præmissa, quæ de illa per ora quorumdam volitabat, præfatus rex in conspectu fidelium suorum secrete ac manifeste frequenter conlocutus fuit, et cum eis rationes habuit, unde judicium postea per ipsorum consilium extitit factum, sed non divina pietas indulgens rei veritatem manifestare voluit; sed cum postmodum ad fratrem suum Hludowicum imperatorem in Italiam devenisset, illuc apertius patratum scelus est illi manifestatum.

3. Proinde ne suspicio ista et nequissima fama de uxore regia diutius inexaminata aut improbata maneret, quatenus item dominus noster certior securiorque effectus de hac causa, cum quæ illi agenda erant more regali liberius exsequerentur, convenerunt jussu ejusdem principis, anno videlicet incarnationis dominicæ 860, et regni ejus 5, indictione 8, 5 Idus Januarii, Aquis palatio Guntharius summus capellanus et Teotgaudus archiepiscopi, Adventius et Franco episcopi, Hegil et Odelingus abbates, sive alii fideles ejus. Quibus omnia superius inserta referens, jubendo monuit præscriptos episcopos atque abbates, dirigens ad illam, ut de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, sicuti et fecerunt. Nam ipsa confessa est eis coram Deo et angelis ejus omnia quæque in illa erant, omneque secretum juxta exortam famam penitus apparuit illis, ipsique reversi nuntiaverunt prædicto regi, quod ad uxorem non liceret illi eam habere.

4. Primus Guntharius dixit: *Confessa est Deo et nobis, quod vulnus in se haberet interius, non tamen sua sponte, sed violenter sibi inlatum, pro quo indignam se esse omnino judicavit ad regalem sive maritalem torum jam ulterius accedere, et nullatenus posset pro prædicto scelere, quod turpe est dicere, conjugium famulare cum eo, vel cum quolibet amplius habere: et ideo deprecata est, licentiam sibi dari mutandi sæcularem habitum, et a virili commixtione discedendi, nulla interveniente fraude iracundiæ, vel etiam voluntate quam contra eundem regem haberet, sed ut illa discedente, ipse animo et corpore solaretur, et ipsa quod inique egit, per Dei misericordiam et eorumdem episcoporum orationes deflere potuisset.*

5. Adventius dixit: *Hoc me facinus et factum hactenus latuit, et nefas est illud, ut deinceps more maris et feminæ simul conveniatis, et si tamen, ut prius fuit, vobis esset amabilis et dilecta, darem vobis consilium secundum ministerium mihi commissum et probarem omnino, ne ulterius lateri vestro sociaretur sicuti conjux, sed juxta petitionem ejus velum accipere et habitum mutare hoc vermitteretis.*

6. Similiter Teotgaudus archiepiscopus dixit atque consensit.

7. Egil abba, vice ejusdem Tetbergæ, ita faciendum suasit, et petiit, ut quia non sua sponte, sed vi oppressa rem nefandam perpetraverat, tribueretur ei facultas velandi, et locus quo patratum vulnus sanaret, quod vero simpliciter, et nullo incumbente timore aut qualibet occasione vel voluntate, sed pro Dei amore et animæ suæ solutione petebat.

HLOTHARII II REGIS SYNODUS AQUENSIS II.

(*An.* 860, *Febr.*)

Fragmentum actorum ejus delibavimus ex libro Hincmari De divortio Lotharii et Theutbergæ reginæ, editionis Parisiensis an. 1645, tom. I, pag. 573-575.

Anno ab incarnatione Domini 860, indictione 8, mediante Februario mense, decernentibus gloriosis regibus Hludowico, Carolo, atque Hlothario juniore, in generali conventu optimatum ex regno almi Hlotharii actum est concilium episcoporum Aquisgrani palatio, Guntharii Agrippinensis, Theotgaudi Treverensis, Wenilonis Rotomagensis, Franconis Tungrensis, Hattonis Virdunensis, Hildegarii Meldensis, Hilduini Aviniensis.

15. Ad locum de femina unde agitur, ita scriptum reperimus: *Porro illa, nulla securitate hoc celandi aut superandi fulta, primo regi ordinem perpetrati reatus, ut fama fuerat, enarravit. Deinde quibusdam episcoporum simul et laicorum idipsum enucleavit: postea quoque chartulam suæ confessionis, suo rogatu conscriptam, in nostra omnium et multorum laicorum præsentia, in manu gloriosi regis Hlotarii porrexit, moxque coram omnibus palam locuta: Domine mi rex, inquit, propter Deum rogo, et propter vestram mercedem, ut mihi pœnitentiam agere liceat, quoniam et verbis et scripto confiteor, me conjugalem copulam non mereri, ideoque prostrata suppliciter expostulo, ut mihi jam nunc et deinceps non denegetis quod meæ saluti posthac succurrere potest.* Textus itaque illius scripturæ hæc verba et hunc sensum continebat, *Ego Thietbrihc quam feminei sexus imprudentia et fragilitas fefellit humana, et conscientia delicti mordet, propter spem salutis animæ meæ, et propter fidelitatem erga seniorem meum, veram confessionem coram Deo et sanctis angelis ejus, ac venerabilibus episcopis, sive nobilibus laicis, sic profiteor, quia germanus meus Hucbertus clericus me adulescentulam corrupit, et in meo corpore contra naturalem usum fornicationem exercuit, et perpetravit. Hoc testificor, teste mihi conscientia mea, non aliqua malivola suggestione persuasa, neque violenti necessitate compulsa, sed sim-*

plici voluntate rei veritatem sicuti est professa. Sic me adjuvet Dominus, qui peccatores salvare venit, et peccata simpliciter ac veraciter confitentibus veram indulgentiam promisit, si nihil fingo, si vera propria voce pronuncio, et litterarum chirographo rem gestam confirmo: quia tolerabilius est mihi, imprudenti ac deceptæ feminæ, coram hominibus culpam simpliciter confiteri, quam ante tribunal Domini erubescere atque æternum væ habere.

16. Hoc itaque recitato, adstantium animos horror pariter ac dolor perculit, ac de tanta licentia diabolicæ fraudis sacerdotum pectora gemitus complevit. Sed quamvis ista ejus confessio credibilis appareret, tamen ne forte pro aliqua deceptione aut pro timore alicujus sæpe dicta mulier mentiretur, denuo memoratum regem alloquentes, magnis eum obtestationibus adstrinximus, ut nobis confiteretur, si eam suasione aut comminatione ad seipsam fallaciter criminandum compulisset. Econtra ipse cum maximis attestationibus nobis declaravit, solam rei veritatem illam confiteri se persuasisse, nec in ea causa industriose aliquid amplius egisse. Referebat etiam nobis in ipsa hora, quomodo postquam primum infandam rem audivit, et veram credidit, quantum inde doluit, quantumque sibi inopinatum malum, et minime optata fors displicuit; qualiter denique rem fœdam patienter ferre, et nisi jam tantum fama cucurrisset, occultare voluit, et quantum potuit fecit. Unde et falsum judicium se sciente pro verifica examinatione suscepit et toleravit, ut si fieri posset tanta turpitudo incredibilis appareret, et sic in mundo evanesceret, ipseque coram sæculo in tam ignominiosa macula et ruinosa offensione non remaneret. Postquam autem revelata pestis latere non potuit, ac ipse pondus tanti opprobrii ferre nequivit, maxime cum partibus Burgundiæ atque Italiæ discurrens nimis diffamatam ac divulgatam fœditatem exhorruit, non est passus hanc causam sine episcoporum examine diutius subsilere. Revera lacrymosis suspiriis multipliciter id sibi de memorata femina inculcatum, et in hoc etiam regno a plurimis affirmatum non sine gemitu repetebat.

17. Nos igitur rursus eandem mulierem, primum secreto, deinde coram laicis adivimus, eamque cum adjuratione divina monitis pluribus exhortati sumus, ne sibi ullo modo falsum crimen inferret, æternarum quoque pœnarum minis, si hoc faceret, deterrere curavimus: iterumque de nostro consilio et auxilio tuitione ac defensione contra omnes insidias vel violentias securam reddidimus, tantum ut nobis jam tunc fidenciaiter confiteretur, utrum persuasa an compulsa ad seipsam criminandum fuisset. Ad hæc illa aspero intuitu nos redarguens: *Putatis*, inquit, *ut meipsam pro aliqua re in mundo ita perdere voluissem? Sicut enim confessa fui, sic confiteor, et sic confitebor. Tantum obsecro propter Dei amorem, ut meis precibus desideratam misericordiam jam modo concedatis.* Hinc nostra sollicitudo requisivit, an ipsa ulterius inde aliquam vellet querimoniam movere, aut aliquas aliquando insidias moliri, si suæ petitioni fieret satisfactum; cujus obligationem et nostra illico unanimitas ita prosecuta est: *Scias, o filia, quia si nostram in te tuamque confessionem sententiam expectabis, ut te divinæ et canonicæ comprehendat auctoritatis censura, et indissolubilis incipiat ligare sacerdotum catena, unde adhuc potes recuperare, si tamen potes, ulterius, ut æstimamus, non recuperabis.* Sic et laici plurimum eam admonuerunt, maxime ipsius familiares et amici admodum illam, ne se deciperet, pulsando increpabant. Ipsa tamen, veluti si ejus conscientiæ secretum intuentium oculis visibiliter appareret, immobilis in sua confessione perduravit.

18. Quid longius immoremur? Jam omni dubietate remota, et rei veritate comperta, novum auditu scelus, nefandaque pollutione horrendum, præsertim cujus fœtorem jam diu per innumeros longe lateque fama disperserat, ne præsentibus ac futuris pestiferam corruptionem inferat, nisi severius diligentiusque evellatur, nulla levi cura vel indulgentia tractandum visum est. Non enim dubium est, quia naturalis inter fratrem et sororem concubitus veniam temporalis non meretur honoris, et nihil aliud restat, quam vindicta et pœnitentia, nec habet ulterius progrediendi occasionem damnabile crimen, quod statim a prævaricatoribus multa quæ fuerant licita penitus amputat: ideoque hoc eo rarius a sæculo contigit, quo constat, quia nullus inde exemplum sibi præsumpsit, quod nunquam veniale apud mundi gloriam esse potuit. Sed cum quilibet aliquotiens in hanc miseriam lapsi sunt, non de exemplo alterius accidit, sed de antiqua diaboli fraude et simili fragilitatis impulsu ac præcipitio recens et quasi nova ruina fuit. Istud autem contagionis genus, quod nunc incipit esse novum et antea nobis erat inauditum, cavendum est, ne morbosam pestem et incurabilem luem generi transmittat humano, ut ita videlicet origo perniciosa funditus extirpetur, quo nullum exemplum nullamque fragilibus relinquat occasionem, ne forte, quod absit, talis consuetudo inolescat, qua naturalem consanguinitatis concubitum quis devitet, et fornicari contra naturam in proprio genere, leve hoc æstimans malum, licentius assuescat.

19. His ergo consideratis et diligenter perspectis, lugendam incesti pollutionem, in publicum exhalatam, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandam decrevimus.

HLUDOWICI. KAROLI, HLOTHARII CONVENTUS IN BASILICA SANCTI CASTORIS APUD CONFLUENTES [799].

(*An.* 860, *Jun.*)

Conventus regum in ecclesia sancti Castoris Confluentiæ a Ruodolfo et Prudentio in Annalibus memoratur; et Ruodolfus formam sacramenti a Hludovico rege præstiti servavit. Ampliora tamen conventus acta primus Baronius in Annalibus suis ad an. 860 edidit, in codice Antonii Augustini ex veteri Mureti exemplari descripto reperta, quæ tamen multis in locis non bene descripta fuisse liquet. Sirmondus ex codicibus Laudunensi, Bellovacensi et 3b) Metensi Caroli regis adnuntiationem proposuit, Baluzius adhibito codice 3c) Palatino Sirmondi editionem repetiit. Nos ope codicis 3) regii Parisiensis inter Supplementa Latina n. 75 *bis*, et adhibita Baronii editione, textum recognovimus. Codices 3, 3b, 3c, nonnisi capitula ab omnibus observanda, procerum nomina et sacramentum Ludovici regis exhibent. Quæ proxime sequuntur Caroli regis capitula post reditum a Confluente missis suis tradita, quomodo pactum Confluentinum exsecutus sit ostendunt, atque licet in Baronii quoque codice haberentur, a Sirmondo tamen primum edita sunt.

Adnuntiatio [800] *domni Karoli.*

Vos scitis, quomodo aliquanti homines, minus quam necesse fuerat Deum timentes, nostrum fratrem Hludowicum quasi sub bona intentione hoc anno sollicitaverunt, ut in regnum nostrum taliter veniret, sicut ipsi scitis: unde nos Deus et vestra fidelitas sic adjuvavit, sicut et bene cognoscitis. Post hoc laboravit adjuvante Domino iste carissimus nepos noster, ut inter nos pax fieret, sicut per rectum esse debet, et ut monentibus episcopis ad illam caritatem et fraternam concordiam rediret, sine qua nullus christianus salvus esse non potest. Propterea transmisit ad nos suos missos, et mandavit nobis primum tale missaticum quod nobis impossibile visum fuit. Deinde, quia illud missaticum non suscepimus, aliud missaticum nobis sui missi dixerunt; quod quia et secundum Deum salubre et secundum seculum utile nobis videtur, volumus vobis illud dicere; et si vobis ita sicut et nobis videtur, cum vestro consilio volumus illud recipere, et quod Deus concesserit, ad necessarium effectum perducere [801].

Hæc sunt nomina episcoporum qui anno [802] incarnationis dominicæ 860, Nonis Juniis, in secretario basilicæ sancti Castoris consideraverunt cum nobilibus ac fidelibus [803] laicis firmitatem quam gloriosi [804] reges nostri Hludowicus et Karolus atque Hlotharius inter se fecerunt 7 Idus [805] Junias in eodem monasterio, et qui hæc capitula ab omnibus conservanda [806] acceptaverunt. Hincmarus, Guntharius [807], Altfridus, Salomon, Adventius [808], Hatto [809] (131), Franco [810] (132), Theudericus [811], Leuthertus, Gebehardus, Christianus [812] (133), Vulfadus abbas (134), Witgarius [813] abbas. Hæc nomina laicorum. Chuonradus [814], Evrardus [815], Adalardus [816], Arnustus [817], Warnarius [818], Liutfridus [819], Hruodulfus [820], Erkingarius [821], Gislebertus [822], Ratbodus [823], Arnulfus, Hugo [824], item Chuonradus [825], Liutharius [826], Berengarius [827], Matfridus [828], Boso, Sigeri, Hartmannus [829], Liuthardus [830], Richuinus [831], Wigricus, Hunfridus [832], Bernoldus [833], Hatto [834], Adalbertus [835], Burchardus [836], Christianus [836], Leutulfus [837], Hessi, Herimannus [838], item Hruodulfus [839], Sigehardus [840].

Sacramentum [841] *firmitatis Hludowici regis.*

Amodo et quamdiu vixero, istum fratrem meum Karolum, et nepotes meos Hludowicum, et [842] Hlotharium atque [843] Karolum, ad Dei voluntatem et sanctæ ejus [844] ecclesiæ statum et honorem atque defensionem, et ad nostram communem salutem et honorem, et ad populi christiani nobis commissi salvamentum et pacem, et ad legis ac justitiæ atque rectæ rationis conservationem, quantum mihi Deus scire et posse donaverit, et ipsi me obaudierint, et a me ipsi quæsierint, vero consilio, et secundum quod [845] mihi rationabiliter et salubriter possibile

VARIÆ LECTIONES.

[799] Anno incarnationis domini nostri Jesu Christi 860 hæc sunt capitula venerabilium regum hlotharii, hludowici et karoli quæ inter se firmaverunt 2. idus junias in pago trejectinse juxta ipsum locum trejectum. Ut omnium præteritorum malorum, etc. *media desunt.* 3. 3*b*. 3*c*. *Ea vero non ad Trejectum sed apud Confluentes pacta fuisse, ex annalibus Ruodolfi et Prudentii, atque ex capitulis Karoli post reditum datis patet.* [800] *hæc tota adnuntiatio deest in codd.* 3. 3*b*. 3*c*. *et apud Baronium.* [801] *Quæ in sequentibus ante* « Capitula » *leguntur, in codd.* 3. 3*b*. 3*c*. *eis subjecta sunt.* [802] a. i. d. 860 *desunt* 3. 3*b*. 3*c*. [803] ac. f. *deest apud Baronium.* [804] gloriosissimi *Baron.* [805] octavo idus *Baron.* [806] observanda *Baron.* [807] iuntherius *Bar.* [808] adventus 3. [809] Atto *Bar.* [810] *deest* 3. *Bar.* [811] deodericus 3. [812] cristianus 3. [813] withgarius 3. [814] chonradus 3. conradus *Bar.* [815] euerardus *Bar.* [816] adelardus 3. *deest Bar.* [817] *deest Bar.* [818] vicarnarius *Bar.* [819] l. hr. *desunt Bar.* [820] hrodulfus 3. [821] erchingarius 3. exstangarius *Bar.* [822] g. r. *desunt Bar.* [823] rathbodo 3. [824] h. i. ch. *desunt Bar.* [825] conradus 3. [826] d. l. *Bar.* [827] beringarius *Bal.* [828] mathfridus 3. m. b. s. h. *desunt Bar.* [829] harmannus 3. [830] *deest* 3. luthardus *Bar.* [831] richonius 3. r. w. *desunt Bar.* [832] hunfriardus *Bar.* [833] bernolfus 3. *deest Bar.* [834] *deest Bar.* [835] adelbertus 3. [836] b. ch. *desunt Bar.* cristianus 3. [837] leuthulphus, hernodulphus, adalardus, luitfridus, gislebertus, huto, matfridus, boso, rithuenus, bernoldus, burchardus, hessi, arnustus, hynodulphus, ratbotus, item chuanradus, sigeri, harmainus, wigricus, atto, christianus, herimannus, sigardus. *Bar.* [838] eyrmannus 3. [839] rodolfus 3. [840] *Sirmondus*, Sigeardus. [841] *habetur et in Ruodolfi Annalibus Mon. G. SS. I. p.* 373. *inscriptio deest* 3. [842] *deest* 3. *B.* [843] et 3. [844] *deest in Ann. Ruodolfi.* [845] ut 3.

NOTÆ.

(131) Virdunensis.
(132) Tungrensis.
(133) Antissiodorensis.
(134) Resbacensis.

fuerit, sincero auxilio adjutor ero ad regnum illorum continendum, et nec in vita [845], nec in membris, neque in regno illorum eos forconsiliabo, in hoc, ut ipsi erga me similem promissionem faciant et conservent [846]. Sic [847] me Deus adjuvet, et istæ sanctæ reliquiæ.

Capitula ab omnibus conservanda.

1. Ut omnium præteritorum malorum et contrarietatum, et supplantationum ac malarum machinationum, atque molitionum [848] seu nocimentorum invicem actorum, abolitio ita inter nos et apud nos [849] fiat, et a nostris cordibus penitus avellatur cum omni malitia et rancore, ut [850] nec in memoriam ad retribuendum duntaxat mali vel contrarietatis, atque exprobrationis seu improperii [851], de cætero exinde quiddam [852] veniat.

2. Ut tanta inter nos, Domino cooperante, veræ caritatis benignitas abhinc inante semper maneat de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, sine dolo et simulatione, ut nemo suo pari [853] suum regnum aut suos fideles, vel quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regium [854] pertinet, discupiat aut forconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detractiones acceptet.

3. Ut unusquisque fideliter suum parem [855], ubicumque necessitas illi fuerit, et ipse potuerit, aut per se aut per filium, aut per fideles suos, et consilio et auxilio adjuvet, ut regnum, fideles [857] prosperitatem, atque honorem regium debite valeat obtinere. Et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret, quia in paris [858] sui adversitate, si evenerit, fraterno modo contristetur, et in prosperitate illius lætetur. Et talem fidem sicut inter nos modo abhinc in ante conservaturos confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, ille [859] qui superfuerit conservabit.

4. Et quia per vagos et [860] tyrannica conspetudine inreverentes [861] homines pax et tranquillitas regni [862] perturbari solet, volumus, ut [863] ad quemcumque nostrum talis venerit [864] ut [865] de [866] his quæ egit rationem et justitiam subterfugere [867] possit, nemo ex nobis illum ad aliud [868] recipiat vel retineat [869] nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem [870] perducatur. Et si rationem rectam [871] subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequamur [872], donec ad rationem perducatur aut de regno deleatur.

5. Similiter et [873] de eo agendum est qui pro aliquo capitali et publico [874] crimine a quolibet episcopo corripitur vel [875] excommunicatur, aut [876] de excommunicatione crimen faciens, regnum et regis regimen mutat [877], ne debitam pœnitentiam suscipiat, aut [878] susceptam legitime peragat. Interdum etiam incestam [879] propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat [880] habere, fugiens secum ducit. Hic [881] talis, cum episcopus ad cujus curam pertinebit [882] nobis notum fecerit, diligenter perquiratur [883], ne morandi vel latendi [884] locum in regno [885] alicujus nostrum inveniat, et Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat [886]; sed [887] a nobis vel ministris rei publicæ constringatur, et ut simul cum diabolica præda, quam secum duxit, ad episcopum suum redeat, et de quocumque [888] crimine publico debitam pœnitentiam susoipiat [889], aut susceptam legitime peragat, compellatur.

6. [890] Ut nemo episcoporum hominem peccantem ab ecclesia et christiana communione alienet, donec illum secundum evangelicum præceptum, ut ad emendationem et pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui [891] peccans, si commonitus inobediens et incorrigibilis permanserit et ad emendationem redire noluerit, regiam vel rei publicæ potestatem per se episcopus vel per ministros suos adeat, ut constringatur, et ad emendationem ac pœnitentiam peccator redeat. Qui etiam si ita ad correctionem perduci nequiverit, tunc secundum leges ecclesiasticas medicinali separatione a communione ecclesiastica segregetur.

7. Ut illis hominibus qui in talibus perturbationibus, sicut in his præteritis annis acciderunt, in Deum et in sanctam ecclesiam atque in nos peccaverunt, si se ex veritate recognoscentes [892] petierint, et deinceps nobis veraciter fideles esse voluerint, et in regnis nostris pacifici ac quieti et legibus ac justitiæ obedientes extiterint, rationabilis misericordia impendatur, non solum in indulgentia commissorum et in concessione proprietatum, verum etiam et in largitione honorum secundum nostram rationabilem possibilitatem.

8. Ut de rapinis ac deprædationibus, et de conspirationibus atque seditionibus, et de raptis feminarum, sicut ecclesiasticæ et christianæ leges atque progenitorum nostrorum capitula continent, ita in omnibus et ab omnibus conserventur [893].

9. Ut alia etiam capitula eorundem progenitorum,

VARIÆ LECTIONES.

[845] via 3. [846] *hic finit Ruodolfus.* [847] si 3. [848] monitionum 3. [849] vos 3. [850] et *Bar.* [851] imperii et de 3. [852] quidquam *Bar.* [853] fratri *Bar.* [854] regum *Bar.* [855] parem suum 3. suum fratrem *Bar. quæ lectio est codd.* 3*b*. 3*c*. [857] fidele *Bar.* [858] pari 3. fratris *Bar.* [859] *deest Bar.* [860] et t. c. i. *desunt* 3. [861] irruentes *Bar.* [862] *deest* 3. [863] ut si ad *Bar.* [864] evenerit 3. [865] ut *usque* possit *desunt* 3. [866] in *Bar.* [867] s. non p. *Bar.* [868] illum aliter 3. [869] v. r. *desunt* 3. [870] et d. e. *desunt* 3. [871] r. r. *desunt* 3. [872] venit i. persequantur *Bar.* [873] *deest Bar.* [874] et p. *desunt* 3. [875] c. v. *desunt* 3. [876] a. de e. c. f. *desunt* 3. [877] regimen regis immutat 3. [878] a. s. l p. *desunt* 3. [879] incertam 3. [880] liceat 3. [881] Hi tales 3. [882] pertinet c. 3. [883] perquirantur 3. [884] v. l. *desunt* 3. latitandi *Bar.* [885] in r. a. n. inveniant locum 3. [886] inficiant 3. [887] sed *usque* redeat *desunt* 3. [888] quoque 3. [889] suscipere compellantur. 3. *media desunt.* [890] *capp.* 6—9 *non edita fuerant ad Marsnam.* [891] quia 3. [892] r. veniam p. *Bar.* [893] conservetur 3.

nostrorum de sanctæ ecclesiæ honore et immunitate ac conservatione, et de regio etiam honore atque vigore [894], et populi nobis commissi lege ac justitia, in omnibus et ab omnibus conserventur.

10. Ut nostri fideles, unusquisque in suo ordine et statu, veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc inantea contra legem [895] et justitiam, vel auctoritatem ac justam rationem, aut dampnabimus aut [896] dehonorabimus, aut opprimemus vel indebitis machinationibus adfligemus, sed [897] illorum scilicet veraciter [898] nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem et [899] commune salvamentum, ad restitutionem sanctæ Dei ecclesiæ et [900] statum regni, et ad honorem regium atque pacem populi commissi nobis [901] pertinenti, adsensum præbebimus; in [902] hoc, ut illi non [903] solum non sint nobis contradicentes [904] et resistentes ad ista exequenda, verum etiam sic sint nobis [905] fideles et [906] obedientes, ac veri adjutores atque [907] cooperatores vero consilio et sincero auxilio ad ista peragenda quæ [908] præmisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et [909] statu suo principi et [910] suo seniori [911] esse debet.

11. Ut sic simul conjuncti, et nos fratres ac nepos noster ad invicem, et nos cum fidelibus nostris, et [912] fideles nostri nobiscum, et omnes simul cum Deo nos [913] reconjungamus, et [914] ut nobis sit propitius illi [915] pro devoto munere offeramus. Et unusquisque omnium [916] nostrum absque sua propria [917] excusatione vel justificatione [918] recognoscamus, in quibus aut singillatim aut communiter contra illius mandata [919] et decreta suorum sanctorum fecimus aut consensimus [920] in ordine ecclesiastico et [921] statu regni, et per singula in medium illa [922] producamus. Et nemo nostrum suo aut [923] amico, aut [924] propinquo vel [925] confœderato, immo nec sibi ipsi [926] seculariter parcat, ut [927] spiritaliter et salubriter parcere possit; quin, sicut præmisimus in præcedenti capitulo, vero consilio et [928] sincero auxilio illa in commune certatim emendare [929] totis viribus [930] procuremus [931], quantocius rationabiliter [932] poterimus.

12. Et si aliquis ex [933] subditis, in quocumque ordine et statu [934], de hac convenientia exierit aut [935] se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, seniores cum veraciter [936] fidelibus suis hæc secundum Dei voluntatem et legem ac justam rationem, velit nolit ille qui divino consilio et decreto [937] et huic convenientiæ resistens [938] et contradicens fuerit, exequantur [939]. Et si aliquis de senioribus de hac convenientia exierit [940] aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cum plures seniorum [941] nostrorum fideles [942] et regnorum primores in unum convenerint [943], eorum qui hæc [944] observaverint seniorum [945] consilio, et [946] episcoporum judicio ac communi consensu, qualiter de eo qui debite admonitus incorrigibilis perseveraverit agendum sit, faciente [947] Domino decernatur. Et ut obnixius [948] suprascripta capitula a nobis auxiliante Domino inviolabiliter observentur, et nos illa observaturos certius [949] credatur, manibus propriis [950] subter firmavimus [951]. Annuntiationes [952] domini Illudowici regis apud Confluentem [953], lingua Theothisca [954].

1. Vos scitis, quid in isto regno evenit. Et ideo huc convenimus, ut de Dei voluntate et sanctæ ecclesiæ statu, et de nostra ac vestra communi salute atque honore, et de pace populi christiani, cum Dei adjutorio et fidelium nostrorum consilio tractaremus.

2. Et misimus hoc super episcopos et ceteros fideles nostros, ut illi hoc invenirent, qualiter nos ad hæc quæ diximus exequenda adunaremus. Et volumus ut sciatis, quia sicut illi invenerunt et scripto nobis ostenderunt [955], ad invicem adunati sumus, sicut fratres per rectum esse debent, et nos simul cum isto nepote nostro et ille nobiscum. Et etiam suos fratres [956], nepotes nostros, in hac adunationis firmitate nobiscum recepimus, ita tamen, si et [957] ipsi hanc firmitatem erga nos fecerint et observaverint.

3. Et sciatis, quia non volumus, ut ullus inter nos abhinc in antea alia verba portet nisi talia quæ Deo sint placita, et quæ ad nostram communem salutem et nostrum honorem pertineant; ut sic simus sicut fratres in invicem, et patrui cum nepotibus, et nepotes cum patruis, esse debent. Et si aliquis fuerit qui hoc facere tentaverit, producatur in medium ad rationem, et taliter inde castigetur, ut nemo alius similia [958] agere tentet.

4. Et [959] volumus, ut ecclesiæ et casæ Dei, et episcopi et Dei homines, clerici et monachi et nonnæ, talem mundeburdem et honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

5. Et volumus, ut vos et ceteri homines fideles

VARIÆ LECTIONES.

[894] a. v. *desunt Bar.* [895] et i. v. a. a. i. v. a. *desunt* 3. [896] a. d. *desunt* 3. [897] et *Bal.* [898] v. n. f. *desunt* 3. [899] et c. s. *desunt* 3. [900] et st. r. et a. h. r. *desunt* 3. [901] n. p. *desunt* 3. [902] i. h. *desunt* 3. [903] n. s. *desunt* 3. [904] c. et *desunt* 3. [905] *deest* 3. [906] et o. *desunt* 3. [907] a. c. *desunt* 3. [908] q. p. *desunt* 3. [909] et st. *desunt* 3. [910] *deest* 3. [911] *deest* 3. [912] et f. n. n. et o. *desunt* 3. [913] *deest* 3. [914] *deest* 3. [915] i. p. d. m. o. *desunt* 3. [916] *deest* 3. [917] *deest* 3. [918] v. i. *desunt* 3. [919] et d. s. s. *desunt* 3. [920] c. aut f. 3. [921] seu 3. [922] *deest* 3. [923] *deest* 3. [924] vel 3. [925] v. c. i. *desunt* 3. [926] *deest* 3. [927] ut s. et s. p. p. *desunt* 3. [928] et. s. a. *desunt* 3. [929] emendari *Bar. B.* [930] t. v. *desunt* 3. [931] curemus 3. [932] *deest* 3. [933] de *B.* [934] et st. *desunt* 3. [935] a. s. r. *desunt* 3. [936] *deest* 3. [937] et d. *desunt* 3. [938] r. et *desunt* 3. [939] f. hæc sequatur 3. [940] a. s. r. v. h. c. d. q. a. c. *desunt* 3. [941] s. n. *desunt* 3. seniorum *usque* seniorum *desunt Bar.* [942] f. regni nostri in 3. [943] c. et e. 3. [944] *deest B.* [945] *deest B.* [946] ac communi e. 3. [947] faciente 3. S. *B.* favente *Bar.* [948] firmius 3. [949] *deest* 3. [950] nostri 3. [951] *reliqua desunt in* 3. [952] adnuntiatio *S. B.* [953] confluentes *S. B.* [954] theodisca *constanter S. B.* [955] nuntiaverunt *Bar.* [956] f. et n. n. *Bar.* [957] ut si *Bar.* [958] similiter *Bar.* [959] *deest Bar.*

nostri talem legem et rectitudinem et tale salvamentum in regnis nostris habeatis, sicut antecessores vestri tempore antecessorum nostrorum habuerunt [960]; et nos talem honorem et rectam potestatem in nostro regio nomine apud vos habeamus, sicut nostri antecessores apud vestros antecessores habuerunt; et justitia et lex omnibus conservetur; et pauperes homines talem defensionem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum lex et consuetudo fuit, et sicut hic [961] fideles nostri communiter consenserunt et scripto nobis demonstraverunt, et nos cum illorum consilio consentimus et observari [962] communiter volumus. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo nostrum recipiatur, nisi ut aut [963] ad rectam rationem aut ad [964] rationabilem indulgentiæ concessionem deducatur.

6. Sed et [965] de istis rapinis et deprædationibus, quas jam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die et deinceps de Dei banno et de [966] nostro verbo [967] bannimus, ut nemo hoc amplius præsumat. Sed unusquisque infra patriam cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistat, et in hostem vel ad placitum sive ad curtem veniens, de suo sic warnitus [968] (135) et de domo sua moveat, ut cum pace venire et nobiscum stare, et ad domum suam redire possit. Et qui hoc transgressus fuerit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo [969] fuit, et in illorum capitulis continetur, volumus ut hoc in illis transgressoribus emendetur.

7. Similiter et de conspirationibus, et de raptis feminarum, tam viduarum quam et puellarum atque nonnarum, bannimus ex Dei et nostro verbo, ut nullus hoc in regnis nostris agere præsumat. Et si quis hoc præsumpserit, secundum legem, et sicut in capitularibus progenitorum nostrorum continetur, sic hoc emendare cogatur.

Hæc eadem domnus Karolus Romana lingua adnuntiavit, et ex maxima parte lingua Theothisca recapitulavit.

Post hæc domnus Hludowicus ad domnum Karolum fratrem suum lingua Romana dixit : Nunc, si vobis placet, vestrum verbum habere volo de illis hominibus qui ad meam fidem venerunt.

Et domnus Karolus excelsiori voce lingua Romana dixit : Illis hominibus qui contra me sic fecerunt sicut scitis, et ad meum fratrem venerunt, propter Deum et propter illius amorem, et pro illius gratia, totum perdono quod contra me misfecerunt [970], et illorum alodes de hereditate et de conquisitu, et quod de donatione nostri senioris habuerunt, excepto illo quod de mea donatione venit, illis concedo, si mihi firmitatem fecerint quod in regno meo pacifici sint, et sic ibi vivant sicut christiani in christiano regno vivere debent. In hoc si frater meus meis fidelibus, qui contra illum nihil misfecerunt [971], et me quando mihi opus fuit adjuvaverunt, similiter illorum alodes, quos in regno illius habent, concesserit. Sed et de illis alodibus quos de mea donatione habuerunt, et etiam de honoribus, sicut cum illo melius considerabo, illis qui ad me se [972] retornabunt, voluntarie faciam.

Et domnus Hlotharius lingua Theothisca in supra adnuntiatis capitulis se consentire dixit, et se observaturum illa promisit.

Et tunc domnus Karolus iterum lingua Romana de pace commonuit, et ut cum Dei gratia sani et salvi irent, et ut eos sanos reviderent oravit, et adnuntiationibus [973] finem imposuit.

KAROLI CAPITULA POST REDITUM A CONFLUENTIBUS MISSIS SUIS CONTRADITA.

Hæc quæ sequuntur domnus Karolus, reversus a Confluente, cum consilio fidelium suorum per regnum suum denuntianda et observanda direxit

Hæc missi nostri discurrentes faciant.

1. Omnibus in suo missatico firmitatem quæ inter nos et carissimum fratrem nostrum atque dilectos nepotes nostros facta est, notam faciant.

2. Capitula etiam quæ apud Confluentes accepta sunt a nobis et communibus fidelibus nostris, adnuntient.

3. Sed et illa capitula quæ ante per regnum nostrum observanda misimus, cum capitulis episcopalibus et progenitorum nostrorum imperatorum adcognitent (136); et cognitamentum (137) quod modo apud Confluentes fecimus omnibus innotescant; et firmitatem ab omnibus qui ita contra nos misfecerunt sicut notum est, et de quibus carissimus frater noster petiit, qui alodes in regno nostro habere volunt, sicut in cognitamento nostro scriptum est, firmamentum recipiant. Ita tamen, ut si majores homines voluerint, ad nos veniant, et in præsentia nostra ipsam firmitatem faciant; homines vero illorum ante missos nostros eandem firmitatem faciant.

4. Ut missi nostri eis qui firmitatem fecerint, alodes illorum quos de hereditate, et de tali conquisitu qui de nostra donatione non venit, habuerunt, et quos senior noster domnus imperator eis dedit, si præcepta illius ostenderint, quantum in ipsis præceptis inde continetur, illis reddant.

5. Ut omnes qui firmitatem fecerint, et quibus

VARIÆ LECTIONES.

[960] habuerunt *usque* habuerunt *desunt Bar.* [961] *deest Bar.* [962] *deest Bar.* [963] ut aut *desunt Bar.* [964] *deest Bar.* [965] *deest Bar.* [966] *deest Bar.* [967] *deest Bar.* [968] de suo scuvarintæs *Bar.* [969] *deest Bar.* [970] nimis fecerunt *Bar.* [971] nihilominus fecerunt *Bar.* [972] *deest Bar.* [973] annuntiationi *Bar.*

NOTÆ.

(135) *guarm.*
(136) Id est adnuntient.
(137) Adnuntiationem.

alodes reddiderint, diligenter inbrevient. Et si aliqui eam facere noluerint, similiter inbrevient et nobis renuntient.

6. De rapinis autem et violentiis, et ceteris injustitiis quas in istis præteritis annis, postquam ista perturbatio exorta est, in regno nostro fecerunt, quantum rationabiliter potuerint, missi nostri pacificare procurent. Et si de ipsa pacificatione wadii ad nostram partem venerint, ex toto, sicut frater noster carissimus nos petiit, ex nostra auctoritate perdonent, in hoc ut talia de cetero non faciant.

7. De pacificatione vero illorum qui in regno nostro consistentes, postquam Deus suam nobis ostendit gratiorem misericordiam, per illorum indebitam præsumptionem, rapinas et violentias, atque alias injustitias fecerunt, si wadii ad nostram partem exierint, missi nostri inbrevient, et nobis renuntient, ut nos inde commendemus quid nobis tunc visum fuerit.

8. Et ut pax in regno nostro per illorum missaticum, sicut nos adcognitavimus, et capitula a nobis directa commendant, omnibus modis observetur, diligenter provideant; et qualiter eam quisque observaverit, absque respectu alicujus personæ, ut veritatem inde nobis renuntient, diligenter inspiciant. Et quicquid exinde quod commendamus per se adimplere non potuerint, ad missos majores per ipsum missaticum constitutos referant, ut cum illorum consilio et auxilio omnia impleant.

Firmitas autem, quam a prædictis hominibus missi nostri debent recipere, ista est : « De ista die in ante, Karoli, Hludowici imperatoris filii, regnum illi non forconsiliabo, neque werribo. Sic me Deus adjuvet, et istæ sanctæ reliquiæ. »

Confirmatio seniorum nostrorum regum modo apud Confluentes facta ista est.

Quod ad Dei voluntatem, et sanctæ ejus ecclesiæ statum et honorem atque defensionem, et ad illorum communem salutem et honorem, et ad populi christiani illis commissi salvamentum et pacem, et ad leges ac justitiæ atque rectæ rationis conservationem, quantum illis Deus scire et posse donaverit, vero consilio, et secundum quod illis rationabiliter et salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adjutores sibi invicem ad regnum illorum continendum erunt, et nec in vita, nec in membris, neque in regno aliquis eorum suum parem forconsiliabit.

Adnuntiatio autem illorum ista est.

1. Quia (138) secundum quod in prædicta firmitate continetur, deinceps observare volunt, et Domino adjuvante observabunt.

2. Et (139) non volunt, ut aliquis inter eos alia aliqua verba portet, nisi quæ Deo sint placita, et ad communem salutem et honorem sint pertinentia. Et si aliquis aliter præsumpserit, in medium adducatur, et taliter inde castigetur, ut nemo alius similia agere tentet.

3. Et (140) volunt, ut ecclesiæ et causæ Dei, et episcopi et Dei homines, clerici, monachi, et nonnæ, talem mundeburdem et honorem habeant, sicut tempore antecessorum suorum habuerunt.

4. Et (141) volunt, ut fideles illorum talem legem et justitiam et tale salvamentum in regnis illorum habeant, sicut antecessores eorum tempore antecessorum illorum habuerunt; et ipsi reges talem honorem et rectam potestatem habeant, sicut ipsorum antecessores habuerunt, et justitia et lex omnibus conservetur. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo eorum recipiatur, nisi ut aut ad rectam rationem aut ad rationabilem indulgentiæ concessionem deducatur.

5. Et (142) ut illi homines qui in isto regno contra seniorem nostrum domnum Karolum mispriserunt, si se recognoverint, propter Deum et propter fratris sui deprecationem, quicquid contra eum misfecerunt eis vult indulgere. Et sicut præscriptum est, alodes illorum de hereditate et de conquisitu, quod tamen de donatione sua non venit, sed et illos alodes quos de donatione domni imperatoris Hludowici habuerunt, eis concedit, si talem firmitatem ei fecerint, sicut prædiximus.

6. Sed (143) et de rapinis et deprædationibus, et de conjurationibus et de conspirationibus, et de raptis feminarum, tam viduarum quam et puellarum atque nonnarum, firmiter banniverunt, ut amodo et deinceps nullus præsumat : et qui præsumpserit, secundum leges divinas et humanas, et secundum capitula imperatorum ac prædecessorum suorum, hoc emendare cogatur. Et (144) ut unusquisque infra patriam cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistat; et in hostem vel ad placitum sive ad curtem veniens, de suo sic warnitus de domo sua moveat, ut cum pace venire, stare et ad domum suam redire possit.

Summa capitulorum quæ apud Confluentes modo acceptata sunt a senioribus nostris regibus et illorum fidelibus, hæc est.

1. De (145) illorum concordia et fraterna conjunctione atque mutuo adjutorio, sicut in cognitamento illorum continetur.

2. Et (146) de illorum indulgentia qui in isto regno mispriserunt, si se recognoverint, et deinceps a talibus se cavere voluerint, et in regno pacifici esse voluerint, sicut in cognitamento illorum continetur.

NOTÆ.

(138) Vide supra, col. 671-73, cap. 12.
(139) Ibid. c. 3.
(140) Ibid. c. 4.
(141) Ibid. c. 5.
(142) Ibid. in fine professio Karoli.
(143) Ibid. c. 6, 7.
(144) Ibid. c. 6.
(145) Ibid., c. 1-6.
(146) Ibid. c. 7.

3. De (147) lege et justitia omnibus unicuique in suo statu et ordine conservanda.

4. Ut (148) a rapinis ac deprædationibus, atque a conjurationibus et conspirationibus, et seditionibus et a raptis feminarum, se omnes caveant: et qui deinceps talia præsumpserit, sicut in cognitamento illorum continetur, secundum leges ecclesiasticas et mundanas, et secundum capitula prædecessorum regum, hoc emendare cogetur, et in compositione, et in harmiscara, et in pœnitentia ab episcopo parochiæ ejus suscipienda.

Capitula autem imperatorum domni Karoli et domni Huldowici de talibus rebus, ut de multis pauca hic ponamus, ista sunt.

(Bened. II, 383.) Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit, legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero a comite ante nos adducatur, et in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidecunt. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctæ matris ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ.

Et item. (Ansegis. III, 65.) Si quis in exercitu infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infrangere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptiose factum fuerit, sexaginta solidos, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subjaceat, et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit nec custodivit ut talia non perpetraret; quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

Et item. (Bened. II, 382.) Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit vel furaverit, secundum legem eam illi cujus domus fuerit infracta et spoliata, in triplum componat, et insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, et insuper secundum legem suam compositionem faciat. Si quislibet homo aliquod tale damnum alicui fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in wadio pro servo dare studeat usque dum plenam compositionem adhibeat.

De capitulis autem a nobis per regnum nostrum directis ista excerpta sunt.

Ut unusquisque missus in missatico provisionem habeat, ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens vel commanens rapinas vel deprædationes, aut talia inlicita fecerit de quibus Deus offendi solet et populus pro oppressione gemere, quatenus hoc subtiliter et veraciter investiget, et secundum legem emendari faciat, nobisque renuntiet; qualiter inde nos sic ordinemus, ut nec ipsum nec alium hoc agere delectet.

Et item. Ut missi in illorum missaticis curam habeant ne homines nostri aut alii quilibet vicinos suos, majores vel minores tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hyemis, quando marascalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos majores vel minores deprædentur. Et si egerint, hoc etiam, ut prædiximus, veraciter missi nostri investigent, et legaliter emendatum nobis renuntient; ut in seniore hoc sic emendemus, quatenus homines suos in potestate habeat, et contenti sint debitis, et indebita injuste non appetant.

Volumus [a] etiam, ut de beneficiis destructis et sylvis venditis, tam ex re publica, quam ex rebus ecclesiasticis, missi nostri omnes admoneant, ut de cetero qui illa habent exinde se caveant, et hoc quod male actum est, quantum potuerint, emendare procurent, ne vindictam secundum capitularia prædecessorum nostrorum sustinere cogantur.

Capitula autem legum divinarum atque mundanarum et imperatorum, de raptis feminarum, et de conspirationibus, et de conjurationibus, et de ecclesiarum infracturis, atque clericorum dehonorationibus, et de comitibus qui in comitatibus suis injusta faciunt, hic non adnotavimus, quia cognita sunt, et majori districtione indigent; de quibus omnes admonere atque omnes ex Dei banno et nostro cavere præcipimus. De his interim missi nostri discurrentes cum consilio majorum missorum, ut præmisimus, studeant, donec plenitudinem capitulorum et adnuntiandam et observandam ad communem omnium nostrum salutem et pacem per regnum nostrum, adjuvante Domino, disponamus.

KAROLI II EDICTUM DE TRIBUTO NORDMANNICO.

(*An.* 861. *Mai. Jun.*)

Hincmarus in Annalibus pacti meminit, quo Welandus dux sub pretio sibi a Carolo solvendo, Nordmannos Sequanam tenentes regno ejicere promisit. Edictum ea de solutione emissum, quod apud Sirmondum et Baluzium edicto posteriori ad an. 877 conjungitur, hic statuendum decrevimus; et memorare juvat, annis 861 et 877 pensionis quantitatem, scilicet 5000 libras argenti, et modum impositionis eumdem fuisse, cum collatio anni 866, qualis apud Hincmarum legitur, alio modo distributa fuisset.

Hæc exactio a Nortmannis, qui erant in Sequana tempore Karoli regis, de suo regno fuit facta, ut ab ipsius regno recederent.

Unusquisque episcopus qui habet abbatiam, aut abbas qui similiter habet abbatiam, aut comes qui æque habet abbatiam, de suo manso indominicato, similiterque et de vassallorum, accipiat de manso indominicato denarios duodecim; de manso ingenuili

VARIÆ LECTIONES.

[a] *Capitulo isto hæc præmittit Baluzius:* Duo capitula sequentia pertinent ad titulum præsentem, et non sunt repetita ex superioribus.

NOTÆ.

(147) Col. 671-73, c. 9, 10.

(148) Ibid., c. 8.

quatuor denarios de censu dominicato, et quatuor de sua facultate; de servili vero duos denarios de censu, et de sua facultate duos. De omnibus vero ecclesiis, unusquisque episcopus vel abbas de sua solummodo potestate accipiant, de presbyteris a quocumque plurimum solidos quinque, et de unoquoque juxta quod possibile fuerit; ita ut a quo plurimum, quinque solidos, a quo minimum, quatuor denarios. De ecclesiis vero quas comites et vassalli dominici habent, seu de illis qui cum seniore nostro pergere debent, sive qui remanserint, episcopus in cujus parrochia consistunt secundum prætaxatum modum accipere procurabit. De ecclesiis vero imperatricis episcopus similiter accipiet prætaxato modo.

KAROLI II EDICTUM CARISIACENSE.

(*An.* 861. *Jul.*?)

Constitutio hæc de moneta ope codicum Laudunensis et Bellovacensis mutili a Sirmondo edita et a Baluzio repetita est.

Hoc edictum constituit domnus Karolus in Carisiaco, anno incarnationis Dominicæ 861.

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis. Karolus, gratia Dei rex, omnibus regni nostri fidelibus. Pervenit ad nos, quia quod ad timorem inculiendum, ne aliquis bonum denarium, id est merum et bene pensantem, reicere audeat, more prædecessorum nostrorum pro generali utilitate regni nostri commendavimus, aliqui missi ad hoc constitutum exequendum, minus intelligentes devotionem voluntatis nostræ, et obsequentes intentioni suæ voluntatis, quasdam adinventiones, quod multum Dominus detestatur, et in mallatione et in exactione intromittunt; cum in eo quod ad regni utilitatem jubetur et agitur, non privata contra generalem utilitatem commoditas, neque aliquod turpe lucrum, quod in christiana religione et in regia dignitate aut in missorum fidelium sinceritate non condecet, se debet ullo modo miscere. Propterea necessarium duximus ut commendationem nostram ex hoc scribere rogaremus, quæ ex more in nostro palatio apud cancellarium retineatur, et inde per missos nostros dirigatur; ut nemo per ignorantiam, nemo per industriam ab ea valeat deviare. Unde volumus quia et timor utilis et consideratio misericors et discretio moderata in hac commendatione nostra est necessaria propter paupertatem hominum, quia necesse fuit in istis temporibus conjectum de illis accipere et ad navium compositionem, et in Nortmannorum causa, pro regni, sicut res conjacet, salvamento, ut omnes cognoscant, qui non quæstum inhonestum, sed publicam regni utilitatem quærimus. (Anseg. IV, 30.) salva constitutione et inpostmodum jure firmissimo permanente, quæ in capitulari avi et patris nostri ex hoc scripta habetur, quilibet Francus homo convictus quia bonum denarium, id est, merum et bene pensantem, post hunc bannum nostrum ejecerit, medietatem Francilis banni componat. De colonis autem et servis cujuslibet potestatis, si in civitatibus vel mercatis aliis deprehensus aliquis fuerit denarium reicere, missus rei publicæ provideat, ut si non invenerit illum denarium merum et bene pensantem, ut cambiare illum mercanti jubeat. Si autem illum denarium bonum invenerit, consideret ætatem et infirmitatem et sexum hominis, quia et feminæ barcaniare (149) solent, et aut ictibus, prout viderit competere, aut minutis virgis cum ratione et discretione illum qui denarium bonum rejecit, castiget; quatenus et ceteri timorem habeant, et homo crudeliter non damnetur. Et qui post hunc præsentem bannum inventus fuerit pro tali correptione non castigatus, habeat missus rei publicæ in civitatibus et in mercatis denarium sic affectatum, ut deprehensum in fronte denario calefacto salvis venis taliter coquat, ut ipse homo et ceteri castigentur, et homo non pereat, et videntibus signum castigationis ostendat. Missi autem nostri colonos et servos pauperes cujuslibet potestatis non mallent nec bannum Francilem solvere cogant; sed advocatus eorum, non cum aliqua nova adinventione, sed quia de sua advocatione coloni vel servi contra bannum nostrum bonum denarium, id est, merum et bene pensantem, rejecerint, sicut lex est malletur. Et unusquisque advocatus pro omnibus de sua advocatione, si suo sacramento eos inculpabiles de hoc banno nostro reddere non potuerit, unum tantum integrum bannum componat, in convenientia, ut cum ministerialibus de sua advocatione, quos invenerit contra hunc bannum nostrum fecisse, sicut supra diximus, cum necessaria et moderata discretione castiget. Et si causa exegerit, ut advocatus de uno solo colono vel servo malletur quia contra bannum nostrum fecerit, nolumus, quia nec lex est, ut, sicut audivimus aliquos interprendere, advocatus Francus suam legem, sed coloni vel servi de sua advocatione legem componat; nisi forte ipse eum in hoc induxerit qui contra nostrum fecerit bannum. Hanc autem nostram de præsenti tempore constitutionem, salva inpostmodum, ut diximus, ex hoc prædecessorum nostrorum constitutione, et in palatio nostro et in civitatibus, et in mallis atque in placitis seu in mercatis, relegi, adcognitari et observari mandamus.

NOTÆ.

(149) Anglice *to bargain*; Gall. *barguigner*, licitando cunctari.

KAROLI II SYNODUS PISTENSIS.

(*An.* 862. *Junio ineunte.*)

Editionibus Sirmondi et Baluzii adhibuimus codices 3) bibl. regiæ Paris. inter Supplementa Latina n. 775 et 4) bibl. ejusdem n. 4761, Baluzii Divionensem.

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis, Karolus, gratia Dei rex, et episcopi, abbates quoque, et comites, ac ceteri in Christo renati fideles, qui ex diversis provinciis super fluvium Sequanam, in locum qui Pistis dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquandiu sedes fuit Nortmannorum, convenimus anno incarnationis Dominicæ 862[978], anno vero 22[978a] regni domni nostri Karoli regis gloriosi, indictione 10.

1. Reges et episcopi qui ante nos fuerunt, ducti amore et timore divino, cum ceterorum fidelium Dei consilio atque consensu plura statuerunt capitula, providentes qualiter sancta Dei ecclesia statum debitum et honorem, et regni habitatores in omni statu et ordine haberent legem atque justitiam. Nos etiam, pro qualitate rerum et oportunitate temporum, quædam huic causæ convenientia capitula superaddidimus. Sed diabolo satagente supervenientibus perturbationibus, tam a paganis quam a nomine tenus christianis miserabiliter excitatis, incepta bona defecerunt, et in tantum in hoc regno mala horribilia increverunt, ut in nobis videamus et sentiamus completum quod olim est per prophetam prædictum : *Terram vestram in conspectu vestro alieni devorant, et erit sicut in vastitate hostili*, et pervenit gladius usque ad animam; *quoniam alieni insurrexerunt* in nos, *et fortes quæsierunt animas* nostras, *et non proposuerunt Deum ante conspectum suum;* contra quos defensionem paravimus, sed defensionis auxilio, sicut necesse fuerat, hactenus adjuti non sumus. Unde compellente cordis dolore nobis est exclamandum quod rex bonus, obsidionis angustia tribulatus, exclamavit, dicens : *Dies tribulationis et blasphemiæ dies iste. Venerunt filiæ usque ad partum, et vires non habet parturiens.* Hæc omnia vidimus, sensimus et dolemus; quia cum hostes irruerunt, defensores nostri parati sunt, sed ad præparata non convaluerunt : quia illum Spiritum sanctum, qui requievit super adjutorem in oportunitatibus, in tribulatione, Christum dominum[976] nostrum, et[976a] quem per impositionem manus episcopalis in consignatione accepimus, contristatum malignis operibus a nobis effugavimus, spiritum scilicet consilii et fortitudinis; quem quia ita ut nobis necesse fuerat non habemus, ideo contra inimicos nostros stare viriliter et vincere fortiter non valemus. Quæ utraque sibi necessario sunt conjuncta, quia neque virtus sine consilio, nec consilium sine virtute utilis esse potest. Quid igitur prosunt qui per consilium præparantur, dum ad prælium per fortitudinem non procedunt? Filiæ quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt; sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia concipit, hæc ad utilitatem aliquantam per partum operis non producit. Videmusque impletum quod a Domino est ante prædictum populo contra voluntatem suam facienti : *Anathema in medio tui : non poteris stare coram inimicis tuis.* Qui contra placatus placentibus sibi dixit : *Nullus stabit contra vos.* Sed et ideo terram nostram in conspectu nostro alieni devorant, quoniam alienos a Deo diabolos, effugata gratia sancti Spiritus, in animas nostras recepimus. Ideo terra nostra deserta est sicut in vastatione hostili, quia flores et fructus fidei, spei, et caritatis, et humilitatis, et castitatis, et sobrietatis, ac ceterarum virtutum ab agro[977] cordis nostri devastavimus, et pro illis spinas vitiorum et urticas peccatorum, et cicutas[977a] vanitatis in nobis ipsis, etiam laborantes ut inique agamus, non increscere solum, sed incrementare cum studio fecimus. Ideo habitatores terræ occisi et fugati sunt, quia nos ipsos peccati gladio occidimus, et omnia bona quæ nobis Dominus sive in intellectu naturali, sive in doctrina, sive in divitiis, sive in honoribus, sive in familiaritatibus quas nobis contulit apud nobis potentiores, ad carnis voluptates convertimus, et nos et omnia quæ nobis Dominus dedit, ab illius voluntate, pro qua nobis facienda illa donavit, avertimus. Quod unusquisque potest in seipso recognoscere, si etiam de singulis membris suis cogitaverit quid fecit et quid facit, quod Deus ad operandam suam salutem donavit. Et sicut de membris corporis inveniet apud seipsum, ita de membris animæ poterit invenire, quæ per spiritalia vitia dispergit atque disperdit, et spiritales in se virtutes a Deo sibi conlatas aut effugat aut conculcat. Ideo ecclesiæ et villæ incensæ sunt, quia ignis avaritiæ et rapacitatis, atque invidiæ, et adulteriorum, ac ceterarum immunditiarum, non solum per naturalem sexum, sed etiam per eum sexum qui est contra naturam, sine pœnitentia et sine resipiscentia in nobis exarsit et ardet. Et quoniam illum spiritum qui super humilem et quietum, et sermones suos trementem, requiescit, per superbiam et inobedientiam ac præsumptionem a nobis expulimus, ideo sanctorum ac protectorum nostrorum corpora de sepulchris suæ requietionis effossa sunt. Et quia nos spiritui maligno juxta[978] Dei permissionem potestatem habenti et super nos ascen-

VARIÆ LECTIONES.

[978] DCCCLXIII. 3. 4. [978a] *igitur ante diem* 20 *Junii.* — XXIII. 3. 4. [976] J. 3. [976a] *ita* 3. 4. vel *S. B.* [977] *ita* 3. 4. ara *S.* [977a] cunctas *Met.* [978] justa Dei permissionem *S.*

denti non æstimus ut fugiat a nobis, idcirco servi et ancillæ Dei de locis suis expulsi sunt, et nos de quiete cœlestis paradisi et de consortio cœlestis ecclesiæ, id est angelorum sanctorum, ejecti sumus, risi per dignos pœnitentiæ fructus ad hæc unde cecidimus redeamus. Et quia nos tales efficimus de qualibus Dominus per prophetam dixit: *Causa viduæ non ingreditur ad eos;* quia sic apud nos est facta venalis justitia, ut ad eam nemo possit pervenire, nisi viam ei aperuerint munera, ideo vota fidelium et pretia peccatorum, quæ sacris locis conlata fuerunt, propter peccata nostra de hoc regno sunt penitus exportata, et vendentes justitiam et veritatem, et in his scilicet ipsum Christum qui est nobis a Deo factus justitia, et qui dixit: *Ego sum veritas,* nisi digne pœnituerint, cum Juda traditore Christi, æterna expectant incendia. Et quia sanguis sanguinem tetigit, id est, culpæ culpis adjunctæ sunt, et sicut scriptum est, *adulterium et homicidium, et mendacium et furtum et perjurium, inundaverunt,* et iniquitates nostræ supergressæ sunt capita nostra, ideo nobiles nostri et de episcopali ordine et de aliis ordinibus interierunt, et capti cum maximo detrimento et regni et ecclesiæ sunt aut redempti aut interempti. Et quia nos per peccata nostra a terra viventium peregrinati sumus, idcirco, sicut scriptum est: *Propheta et sacerdos ierunt in terram quam ignorabant.* Et post hæc omnia pius pater, cujus multis miserationibus non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus, materna pietate nos flagellat, et expectat ut ipsa vexatio donet intellectum auditui nostro, quia illa credere noluimus quæ per scripturas nobis se illaturum promisit, si illius voluntatem non fecerimus. Et ostendit nobis in exterioribus vastationibus quæ de interioribus depopulationibus intelligere debeamus, et intellecta ad illum redeamus et credamus quia iterum nobis in scriptura multipliciter promisit. Inter quæ veraciter sicut veritas dixit: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos;* et: *Quare moriemini in peccatis vestris?* Et quia non credidimus promittenti, credamus tandem aliquando vel juranti: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Et nisi conversi fuerimus, sicut jam videmus, gladium suum vibravit [978a], arcum suum, id est vindictam, tetendit, et paravit ad exercendam duriorem vindictam. Sicut item de reprobis dictum est: *Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Et hoc quod videmus et sentimus, pars et vindictæ; quia majora et plura et graviora venient super nos, nisi fuerimus conversi, ut scriptum est: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Unde, sicut dicit Apostolus: *Sicut exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato ad serviendum immunditiæ et iniquitati, ita exhibeamus membra nostra servire justitiæ in sanctificationem.* Quia A stipendia, id est retributio peccati, mors, gratia autem Dei pro nobis operibus ipsa donata est vita æterna. Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus reverti ad mansiones nostras detonsi et delavati cum drappis et calciamentis depannatis, et tunc nos reficimus et reparamus, ita vel nunc reparemus nos per cor contritum et humiliatum, et per confessiones ex puro corde, et per benignitatem mentis, et per concordiam cum Dei voluntate; quia per discordiam et regnum istud temporale imminutum et pene desertum, et æternum regnum perditum habemus. Quia nec omnes reges esse possumus, nec regem super nos a Deo constitutum, quia, sicut scriptum est, imposuit homines super capita nostra, habere sustinemus, non attendentes quia, sicut dicit B Apostolus, *Non est potestas nisi a Deo; et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quoniam Deus, qui essentialiter est rex regum et dominus dominantium, participatione nominis et numinis Dei, id est potestatis suæ, voluit et esse et vocari regem et dominum pro honore et vice sua regem in terris. Et sicut archangelus, qui nunc est diabolus, cum suis sequacibus, quia per humilitatis subjectionem conditori suo subditus esse noluit, et per æqualitatem caritatis coangelis suis socius esse despexit, de cœlo cecidit, ita et illi qui potestati a Deo constitutæ propter Deum et in Deo subjecti esse nolunt, et pares vel coæquales in regno habere non sufferunt, per quam debitam subjectionem et parilem æqualitatem Dei amici et angelorum consortes esse poterant, C subjecti diabolo et Dei inimici constituuntur. Quapropter de diabolo scriptum est: *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Et illius subjectis Dominus, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, quandiu in ipso malo perseverant, semper in Evangelio dicit: *Vos ex patre diabolo estis;* non quia a diabolo sint facti aut generati, sed quia diabolum sunt imitati. Reparemus ergo nos per pœnitentiam et confessionem, et per eleemosynas, unusquisque secundum possibilitatem suam; et quantum quisque se recognoscit a Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suæ lacrymas. Et tunc proficient in aqua ista quas facimus [979] firmitates, si per bona opera restruxerimus [979a], quas in nobis destruxerunt peccata, virtutum munitiones. Quæ et tunc D proficient, si mala quæ fecit quis prius, prout potuerit emendaverit, aut rapta solvendo, aut per indulgentiam deprecando, aut mala cetera per dignam pœnitentiam abolendo. Et tunc proficient, si in ante se custodierit, ne de illis se sordidet de quibus se emundavit, quia scriptum est: *Lavamini, mundi estote. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus. Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Quia qui se bonis operibus, et lacrymis, et orationibus a peccato mundat, et iterum gravia peccata perpetrat, talis est, ut san-

VARIÆ LECTIONES.

[978a] vibrabit *S.* [979] *Sirmondus manu posuit* fecimus *BAL.* [979a] *Sic manu posuit Sirmondus: at legit tantum* si restruxerimus *BAL.* si bona destruxerimus 3.

ctus Petrus dicit, sicut porcus qui se lavat [950] in luto, et sicut canis qui remanducat vomitum suum; et timere debet, ne ipsas lacrymas in conspectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit a peccatis. Quæ non dicimus, ut si iterum aliquis ceciderit post confessionem in peccatum, ut in peccatis quasi desperatus jaceat, sed ut a peccatis quantum potest se caveat. Et si fragilitate ceciderit, quia scriptum est : *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat?* dicat, *Nunc cœpi*, et per immutationem dexteræ excelsi semper per pœnitentiam resurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, et sine fine perditus fiat.

2. Unde quia solent medici, quando generalis infirmitas [950a] vel morbus in terram venit, generalem medicinam conficere, unde omnes possint sanari, ita nunc communiter hanc medicinam, cooperante et mediante Domino, statuimus ad recuperandam et conservandam sanitatem nostram, ne et in isto seculo gravius affligamur, et in futuro seculo, quando de isto corpore exierimus, æternis tormentis cruciemur. Id est, ut unusquisque episcopus in sua parochia, et missi in illorum missaticis, et comites in illorum comitatibus, cum maximo studio et summa diligentia curam habeant ut quicunque raptores et deprædatores ibi sunt, cujuscunque homines sint, ad rationem deducantur, ut secundum legem quæ ibi male facta habent, emendent, aut [951] solvant secundum legale placitum, aut per indulgentiam sibi impetrent perdonari. Et episcopi, secundum qualitatem et quantitatem peccatorum, absque acceptione personarum, rapacibus et his similibus vitiis nominatis et convictis pœnitentiæ leges injungant, inspecta discretione et qualitate, prout cuique ad salutem viderint expedire. Ad quæ specialiter exequenda quædam de pluribus capitulis prædecessorum regum, et synodalium hic ponere dignum et necessarium duximus; commonentes episcopos, missos et comites, ut illa capitula quæ inde ante hos annos in unum collecta fuerunt, et in Carisiaco [951a] episcopis et missis nostris per universum regnum nostrum ad exequendum donavimus, sed et illa quæ consensu fidelium nostrorum fieri jussimus quando cum fratre nostro Hlothario, glorioso imperatore, apud Valentianas loquuti fuimus, et fidelibus nostris denuntiari et observare præcepimus, ad præsentiam reducant, et illa relegant. Et quia hæc pauca hic brevitatis causa subscripsimus, in talibus rebus quæ eis advenerint ad emendandum, et hic inde capitula non invenerint, per illa et per alia capitula regia et synodalia, quæ emendanda sunt et emondanda perviderint, emendare procurent. Si vero et juxta diabolicam calliditatem, et secundum humanam fragilitatem, nova quæcunque acciderint, quia nova morborum genera nova quærunt medicamentorum experimenta, morem sequentes prædecessorum nostrorum, sancti Spiritus gratia illustrati, contra venena diaboli ministrare curabimus medicinalia antidota Christi.

3. Communi placito constituimus, ut usque ad missam sancti Remigii, id est Kalendas Octobris, spatium habeant illi qui in istis temporibus istas deprædationes et alia malefacta criminaliter et publice fecerunt, ut inde et [952] apud Deum et apud eos quibus male fecerunt, se pacificent. Et quisquis hoc non fecerit, bannum nostrum dupliciter componat. Scilicet ut [952a] quia [953] postquam illas [953a] rapinas et alia malefacta in Carisiaco, et postea apud Confluentes cum dilecto fratre nostro Hludowico, glorioso rege, et nepote nostro Hlothario, forbannivimus, et post istum bannum per consensum omnium factum illa emendare, sicut eis spatium dedimus, noluerunt, et omnia quæ commiserunt legaliter componere compellantur, et per publicam pœnitentiam secundum sacros canones Deo et ecclesiæ in quam peccaverunt satisfaciant. Quibus si obedire noluerint, aut per fidejussores ad præsentiam nostram perducantur, aut omnia quæ in regno nostro habent, in bannum nostrum mittantur, et episcopali auctoritate a communi ecclesiastica et omnium fidelium societate excludantur.

4. De honore autem ecclesiarum ac servorum Dei, et de rapinis atque aliis malis seu præsumptionibus ab ista die et in reliquum compescendis, capitula avi et patris nostri temporibus constituta hic subjungere, et ut omnimodis observentur ex banno nostro præcipere dignum et necessarium duximus. Scriptum est enim in illis capitulis (*Bened.* II, 97) : « Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit, legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero ante nos a comite adducatur, ut in bastonico vel in alio carcere trusus usque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam; quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerint, gravius inde judicentur; quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Exiorres namque a liminibus sanctæ matris ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ. » Et item sanctus Paulus, per quem loquutus est Christus, dicit quia neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Et item, si quis fornicator est, aut adulter, aut rapax, aut homicida, cum hujusmodi nec cibum sumere Christi discipulo, id est

VARIÆ LECTIONES.

[950] jactat 3. [950a] genera infirmitatum 3. i. v. *desunt* 4. [951] *manu Sirmondi* et solvant Bal. [951a] parisiaco 3. [952] *deest* 3. [952a] et 3. 4. [953] *deest* 4. [953a] illis 3.

christiano, licet ante satisfactionem, id est correctionem ac emendationem et dignam pœnitentiam. Et sanctus Johannes apostolus talem salutare aut in domum recipere vetat. Et sacri canones Spiritu sancto per eos dictati, qui in cœlo cum Deo regnant et in terris miraculis coruscant, constituerunt dicentes : Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat, et is contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur donec audiat et reddat aliena. Et de rebus ac facultatibus ecclesiasticis dicunt : Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Et item in capitulis avi et patris nostri scriptum est de his qui in exercitu quoscunque secum ducunt, quod et nos infra patriam volumus observare. (Anseg. II, 15.) *Deinceps omnibus denuntiare volumus ut unusquisque cognoscat omnes qui in suo obsequio sunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum; et quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere : ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro, dignas pœnas persolvat, et senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit aut non potuit ut nostram jussionem servaret, et insuper in regno nostro prædas facere non timuerit, pro illius neglegentia, si ante eum ac his non admonuerit, et postquam neglegentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere; sicut decet, neglexerit, honore suo privetur; ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat.* Vos [985] autem episcopi, evangelica et apostolica atque episcopali auctoritate seniorem et quemlibet regni potentem, si commonitus juxta evangelicum præceptum se suosque homines corrigere noluerit, et licet ipse talia non faciat, tamen si sui vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, et emendari quæ faciunt non obtinuerit, eosque ad pœnitentiam non perduxerit, ipse excommunicetur secundum sacros canones, donec suos homines ad emendationem et pœnitentiam reducat; quia melius judicavimus illum excommunicari per cujus fortiam sui talia faciunt, quam omnes illos qui nec Deum timent, nec episcopos neque missos rei publicæ propter ejus fortiam reverentur, et excommunicati ipsi non corriguntur, et alios suo morbo inficiunt : quia, dicente Apostolo, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Non est liber a consensu qui quod emendare potest, emendare neglegit : quapropter sine dubio peccati se participem facit. Si autem ipse potens vel senior satisfecerit episcopo et missis regiis, quia suos homines ad emendationem et ad pœnitentiam non potest adducere, sed seipsum vult aut a talibus immunem ostendere aut digne satisfacere, et hujusmodi maleficos a suo obsequio reicere, et ut Dei inimicos persequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur. Et item in capitulis imperatorum scriptum est (Anseg. II, 23) : *Comites vero ministris ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius et de nostris, et de se, et de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque prima et secunda vice de his a comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem comitem ejus neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro capitulari continetur, subire cogatur.* Et item (II, 14) : *De pace in exercitali itinere servanda usque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi inlati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat et accipiat.* Et item (Ben. I, 341) : *Si quis in exercitu vel infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora [986] majora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptiose factum fuerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fuerit, sententia capitali subjaceat, et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit nec custodivit ut talia non perpetraret : quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiant.* Similiter et collectas quas Theotisca [987] lingua herizuph [988] appellant, et infractiones immunitatum, et incendia, et assalituras in domos, et conjurationes, et conspirationes, et seditiones, et raptus feminarum, sicut et divinæ et humanæ leges prohibent, et prædecessores nostri reges prohibuerunt, firmiter ex banno nostro et nos prohibemus.

Nos quoque episcopi, auctoritate Dei et sacrorum canonum, sicut sancti pontifices 630 in Chalcedonensi concilio conspirationem fieri prohibuerunt, et sicut cætera concilia episcoporum hujusmodi perniciosa facta vetuerunt, et nos prohibemus; quia facientes illa per eorum judicium qui cum Deo jam in cœlo regnant, et a cœlesti ecclesia et a christianorum societate separati sunt, nisi per dignos pœnitentiæ fructus ad hoc redeant ut sanctæ ecclesiæ possint readunari. Similiter ut hæc capitula, quæ hic annotata sunt, ita per hæc et illa omnia quæ in suprascriptis locis, scilicet in Carisiaco, et apud Valentianas, collecta et constituta sunt, observari præcipimus et omnes communiter confirmamus.

Si autem aliquis quiscunque inobediens extiterit,

VARIÆ LECTIONES.

[985] *ita* 3. Nos *B*. [986] *al.* corpora *B*. pecora 3. [987] teotisca 1. [988] herisub 3. herisnp 4.

cum summa festinatione episcopi, comites et missi nobis notum facere curent, ut quantocius ad nostram præsentiam illum venire jubeamus, et dignam ultionem secundum judicium fidelium nostrorum sustineat. Et si, quod absit, talis emerserit qui Dei timorem postponat, et ecclesiasticam auctoritatem contemnat, et regiam potestatem refugiat, sciat quiscunque ille fuerit, quia et secundum canonicam auctoritatem ab omnium christianorum cœtu et a sanctæ ecclesiæ consortio, et in cœlo et in terra, alienus efficietur, et regali potestate atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei et ecclesiæ inimicus et regni devastator, persequetur usque dum a regno exterminetur. Et si aliquis comes fuerit qui hoc in suo comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, aut ipse illa non emendaverit, aut nobis nota non fecerit ut nostra auctoritas talia corrigat, sciat quia talem sententiam inde sustinebit sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit. Episcopus autem, secundum Toletani concilii capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi qui talia contra Deum et ecclesiæ pacem faciunt, si eos quolibet munere vel favore aut neglegentia admonere noluerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de ecclesia reiciat, excommunicatus a collegio cæterorum episcoporum habebitur quousque emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur. Quoniam nisi communiter certaverimus ut in omnibus justitia omnibus conservetur, nec rex pater patriæ, nec episcopi propitiatores et reconciliatores populi ad salutem æternam, nec qui participatione nominis Christi christiani vocantur, hoc quod humano ore dicimur, in divinis oculis esse valemus. Ut autem hæc quæ observanda supra scripsimus ac prænominavimus, nunc et de cætero certius et expressius a nobis atque a successoribus nostris inconvulsa serventur, propriis manibus his subscribere communi consensu decrevimus; ea conditione servata, ut quia omnes in cunctis ordinibus a regia ditione sibi expetunt competentia legis jura servari, regiæ quoque potestati in cunctis ordinibus lex juris debiti et honor ab omnibus obedienter et fideliter, cooperante Domino, conservetur.

Post hæc omnia relecta et conlaudata, communi consensu decrevimus, ut si aliquis homo propter mala facta, quæ emendare et per legem et per pœnitentiam noluerit, seniorem suum dimiserit, aut ab illo propter hæc ejectus fuerit, ab alio non recipiatur donec illa quæ male fecit emendet, et per legalem compositionem, et per ecclesiasticæ satisfactionis pœnitentiam.

HLUDOWICI KAROLI ET HLOTHARII CONVENTUS AD SABLONARIAS.

(*An.* 862. *Nov.* 3.)

Acta hæc primus Baronius ex Augustini apographo codicis Muretiani edidit; nos editiones anteriores, adhibito codice 3) bibliothecæ regiæ Parisiensis, inter Supplementa Latina n. 75, recognovimus.

Anno incarnationis Dominicæ 862, *quando Hludowicus Karolo mandavit ut cum eo simul et Hlotharium reciperet ad osculum atque conloquium, misit Karolus per eum, et per Altridum, atque per Salomonem, et per Adventium, et per Hattonem episcopos, Hlothario hæc quæ sequuntur capitula, dicens quia pro his causis ei non auderet communicare, nisi ita perficeretur sicut ibidem scriptum est. Renuntiantibus autem ex parte Hlotharii Hludowico et præfatis episcopis Karolo et Hincmaro, itemque Hincmaro et Hodoni atque Christiano episcopis, quod ita se velle et se facturum esse fuerat professus Hlotharius, sub hac convenientia receperunt eum ad osculum atque conloquium Karolus atque episcopi qui cum eo fuerunt* [987].

1. Posteaquam proxime [988] apud Confluentes nos invicem mutua indulgentia, annuente Deo [989], communi fidelium nostrorum consilio reconciliavimus, et sacramento de observanda inter nos pace et de præstando alterutrum adjutorio nos confirmavimus, et capitula a communibus fidelibus nostris dictata et nobis relecta nos observaturos promisimus, et publice communibus fidelibus nostris adnuntiavimus, vobis, unice et carissime frater, reputare non volo, ut illa quæ invicem nobis promisimus, hactenus erga me observata non habeatis; nec spero ut vos aut aliquis alius mihi reputare possit aut velit, ut similiter erga vos illa observata non habeam. Quod si quis fecerit, paratus sum inde vobis certam reddere rationem, et dignam facere satisfactionem. Et si aliquis mihi reputare voluerit, quod quantum ex me est, illa quæ debeo nepoti nostro Hlothario observata non habeam, similiter paratus sum certam reddere rationem et congruam facere satisfactionem. Qualiter autem ea quæ mihi promisit ille, erga me observata habeat, non solum ego, sed et plures alii sciunt

2. Sed et sicut nobis tunc ibi convenit, ut tempore statuto ad locum condictum cum primoribus regnorum nostrorum conveniremus [990], ut ibi quæque in regnis nostris emendatione digna et necessaria erant, et in sancta Dei ecclesia et in nostro ac populi salvamento, tractaremus, et nos erga fideles nostros, et fideles nostri erga nos, emendaremus, et observanda de cetero statueremus, et semel et secundo ad hæc exequenda paratus fui, et ad hoc etiam nunc conveni, sicut sæpe mihi per communes fideles nostros mandastis.

VARIÆ LECTIONES.

[987] *hæc desunt* 3. [988] proximo 3. [989] domino 3. [990] convenerimus 3.

3. Pro quibus autem causis cum præfato nepote nostro antea loqui non volui, quam vobiscum inde acciperem consilium, quædam volo hic designare, quædam vero postea congruo loco et convenienti modo vobis innotescere.

4. Quando altera vice pro his quæ dixi tractandis ad Tusiacum veni, adportavit mihi et episcopis regni nostri Boso ex parte domni apostolici epistolas quasdam nepoti nostro et episcopis regni sui mittendas, quas illis secundum mandatum domni papæ transmisimus, quasdam autem nobis legendas et observandas, quarum et hic textum habemus : in quibus [991] invenimus nos [992] increpatos cur fornicarios in regno nostro immorari permitteremus, et non solum ipsam feminam, sed et omnes [993] faventes facinori ejus, a corpore et sanguine Domini excommunicatos, usque dum ipsa mulier ad virum suum rediret. Et scimus, sicut sanctus dicit Gregorius, quoniam [994] qui resecanda, si potest, non corrigit, ipse illa committit. Nos autem audivimus prædictam feminam in regno nepotis nostri commorari, et hanc sententiam postea non audivimus immutatam. Et qui gravamur nostris, timemus alienis etiam communicare peccatis, communicando excommunicatis.

5. Filiam nostram Judith viduam, secundum leges divinas et mundanas sub tuitione ecclesiastica et regio mundeburde constitutam, Balduinus sibi furatus est in uxorem : quem post legale judicium episcopi regni nostri excommunicaverunt secundum sacros canones et diffinitionem sancti Gregorii papæ, qui dicit : *Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, ipse et consentientes ei, anathema sint.* Quæ et verbis et litteris nos et episcopi regni nostri nepoti nostro Hlothario innotuimus. Nos etiam, sicut scitis, consilio et consensu fidelium nostrorum communiter confirmavimus, ut nemo nostrum hujusmodi hominem in regno suo recipiat, neque immorari permittat, sed ad rectam rationem reddendam et ad pœnitentiam agendam, sicut statutum est, illum redire cogat. Qualiter autem nepos noster Hlotharius non solum erga nos et consanguinitatem nostram, verum et contra Deum et sacram auctoritatem et communem christianitatem inde egerit, spero quia vos non latet quod est plurimis cognitum. Et sanctus Paulus, per quem loquutus est Christus, dicit : *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.*

6. Nota est vobis causa de uxore nepotis nostri Hlotharii, unde et a nobis et ab episcopis regni nostri, sed et ab aliis episcopis præsentibus nobis consilium quæsivit et audivit : sed secundum illud consilium exinde non fecit. Scimus etiam quia et ad domnum apostolicum pro hoc transmisit, et ab illo epistolas exinde recepit. Negare quoque non volumus A nos scire, quid domnus apostolicus et illi et quibusdam episcopis inde mandavit; et scimus, quod negare non possumus nec volumus, quoniam non debemus, quia domni apostolici commendatio ab evangelica veritate et ab apostolica atque canonica auctoritate in nullo discordat; et secundum mandatum illius de hoc facto executum non audivimus nec videmus. Illa etiam sancta et prima in toto orbe terrarum sedes, per divinum Paulum, cœlestem scilicet tubam, qui ad tertium cœlum et ad paradisum raptus hoc ab ipso Domino didicit, nobis et omnibus christianis semper in omni mundo clamat, cum hujusmodi nec cibum sumere. Et per beatum Joannem apostolum, qui de æterno et vivo Christi pectoris fonte in cœna, quando sacramenta redemptio- B nis [995] nostræ sunt celebrata et tradita, super eo recumbens hausit quod redemptis omnibus propinavit, manifestissime sedes apostolica interdicit hujusmodi hominem non debere quemquam in domum suam recipere, nec ave ei dicere : quia qui dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis. Et per beatum Gregorium papam in homeliis Ezechielis [996] dicit, quia sicut ille qui fide a Deo recedit, apostata est, ita et ille qui a Deo recedit opere, sine dubio apostata est. Quoniam, sicut dicit Apostolus, *Fides sine operibus mortua est.* Et item, sicut alius [997] dicit Apostolus : *Sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et ipse Dominus dicit de semel et secundo ac tertio legaliter commonito [998] et non C correcto, ut sit nobis sicut gentilis et publicis criminibus implicatus, cum quo et apostolica et canonica auctoritas nec cibum sumere, ut præmisimus, nobis concedit.

7. Propterea, unice et frater carissime, et vobismetipsis consilium [999] accipite, et mihi consilium date, et ipsi nepoti nostro suæ salutis et honoris date consilium, et præstate auxilium, quia et ego ad hoc, quantum mihi Dominus scire et posse donaverit, sum paratus simul vobiscum agere, si voluerit ipse recipere.

8. Quod autem consilium ego cum episcopis et ceteris fidelibus nostris, sollicitus et pro nostra communi, vestra scilicet et mea, sed et pro ipsius nepotis nostri salute et honore, et pro communi omnium fidelium nostrorum indemnitate et salvatione, nunc D proxime et in synodo et in placito nostro accepi, vobis cui nullum bonum negare, sed omne bonum meum paratus sum participare, dico si placet, et si ita vobis bene visum fuerit, bene [1000] accipiamus illud communiter. Et si melius nobis per rationem et auctoritatem divinam et humanam nostræ salvationi et christianitati congruentem ostenderitis, paratus sum illud cum omni devotione accipere, et vobiscum, Deo cooperante et communium fidelium

VARIÆ LECTIONES.

[991] i. q. *desunt* 3. [992] *deest* 3. [993] omnibus facientibus *corr.* consencientibus 3. [994] q. si quis res ea causas si 3. [995] in redemptionis 3. [996] omeliis jezechielis 3. [997] alibi 3. [998] excommunicato 3 [999] *. cest* 3. [1000] *ita* 3. *deest B.*

nostrorum consilio et auxilio adminiculante, libentissime sequi et exequi.

9. Quia scriptum est, dicente bono rege, qui tamen deliquit ut homo et recognovit se ut felix, *ex voluntate mea confitebor illi*, profiteatur idem nepos noster coram vobis et coram episcopis qui vobiscum fuerint, et remandet nobis per vos et per illos, quia vult secundum domni apostolici et episcopale immo divinum consilium, ad placitum convenire cum episcopis et fidelibus atque amicis Dei et nostris ac suis, quoniam hæc causa generalis est omnibus christianis, et aut ostendere, quia secundum legem divinam et humanam christianis congruam hoc factum de uxore sua habeat executum, aut secundum Dei consilium, et legem christiano regi convenientem, hoc et illa duo quæ præmisimus emendare velit et debeat. Et paratus sum cum tali caritate et honorabilitate illum recipere, sicut christianus rex christianum regem, et sicut diligens patruus dilectum nepotem debet recipere, et in illius amicitia ad illius salvationem et honorem, si ita fecerit, permanere. Et constituatur tempus congruum et locus oportunus quando simul pacifice conveniamus, et hanc causam, sicut de nobis ipsis, quia sicut Scriptura dicit, *os nostrum et caro nostra* [1001] *est*, ad communem nostram et fidelium nostrorum salvationem et honorem diffiniamus; ne, qui fidelibus nostris et omnibus christianis in bono exemplum esse debemus, et [1002] perditionis exemplum donamus, [1003] et qui malorum correctores esse debemus, caput malorum, quod absit, fiamus. Sed et ea quæ, ut supra diximus, apud Confluentes promisimus nos tractaturos et observanda constituturos, tractemus et statuamus; ut qui undique propter peccata nostra et malum discordiæ quod in regnis nostris manet percutimur, placato Deo misericordiæ illius solatium consequi mereamur. Et non sit nepoti nostro hoc agere in mente sua durum; quia scriptum est : *Qui mentis est duræ, corruet in malum.* Sed timeat Deum, et compescat istud [1004] scandalum, quod tam grande in ista christianitate sine ulla necessitate est generatum et propagatum, cum per rationem et auctoritatem potuisset ad debitum effectum perduci, quod multis hominibus videtur sine plena ratione et auctoritate debita executum. Et quia scriptum est : *Beatus homo qui semper est pavidus*, et Dominus dicit : *Diligentes me diligo*, pro amore et timore Dei honoret se, et suam christianitatem, et suum nomen regium, et exuat [1005] se et nos omnes ab ista calumnia quæ illum sequitur, et per illum ac propter illum nos propinquos illius; et honoret inde [1006] Deum, sciens Dominum dicere : *Honorantes me honorabo; et qui contemnunt me, erunt ignobiles.*

10. Et si ita noluerit, faciat quod judicaverit faciendum. Ego in vestra amicitia et debita fraternitate persistere, et omni debito obsequio illam promereri cupiens, qui non quæro quæ illius sunt, sed illum, si eum salubriter habere non possum, me Deo pro illius amicitia tollere nolo. Nec ad malum alicui præstare auxilium volo; quia legimus in scriptura Dominum dixisse cuidam regi : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt me amicitia jungeris : idcireo iram* [1007] *Domini mereberis quidem*, et sicut ibidem in reliquo scriptum est. Et item legimus, quia de quacumque impietate quiscumque [1008] impius conversus fuerit, et ex corde suo [1009] se converti velle dixerit, jam non inter impios computatur, sed a piis pie recipi debet et salubriter potest, dicente Scriptura : *Verte impios, et non erunt :* non quia non erunt in essentia, sed non erunt in impietatis culpa. Hæc autem diximus, non ut nepotem nostrum in numero impiorum computari cupiamus, quem piorum numero sociari a Domino exoptamus.

Sequuntur adnuntiationes quas tres reges apud Sablonarias adnuntiare debuerunt.

Adnuntiatio domni Hludowici. — 1. Sicut scitis qui ibi adfuistis quando proxime apud Confluentes nos adjuvante Domino conjunximus, et capitula a nobis et a fidelibus nostris observanda statuimus, convenit nobis, ut congruo tempore et oportuno loco iterum simul conveniremus, et cum Dei adjutorio, et fidelium nostrorum consilio, quæ in statu sanctæ ecclesiæ et in nobis et in regnis nostris, atque in nostris fidelibus emendanda erant, emendaremus, et ut emendata de cetero observarentur [1010] statueremus. Et ad hæc agenda jam per tres vices et tempus et locum condiximus; sed aut mihi aut fratri meo aut communi nepoti nostro tales causæ acciderunt, pro quibus hoc quod condiximus [1011] implere non potuimus.

2. Interea pervenit ad me, quia meus frater et communis nepos noster ita inter se non erant, sicut tunc fuerunt quando nos simul conjunximus. Et ideo ad hoc veni, ut inter eos privatus mediator existerem, et ipsi sic inter se sint, sicut per rectum esse debent. Unde frater noster per me et per episcopos nostros ac per episcopos nepotis nostri, et scripto et verbo tales causas nepoti nostro mandavit, pro quibus illi sic privatus (150) non erat sicut antea fuerat; quas [1012] si ille emendare vellet sicut ei mandabat [1013], voluntarie illi erat sicut diligens patruus dilecto nepoti, et christianus rex christiano regi esse per rectum debet. De quibus causis nos et episcopi qui nobiscum fuerunt ex parte nepotis nostri, fratri nostro et episcopis qui cum eo erant tale responsum reddidimus : quia illas causas quas ei reputabat,

VARIÆ LECTIONES.

[1001] *deest* 3. [1002] *deest* 3. [1003] *lege* donemus. [1004] illud 3. [1005] erunt 3. [1006] honore in 3. [1007] i. q. d. m. 3. [1008] quicumque 3. [1009] *deest B.* [1010] observentur 3. [1011] diximus 3. [1012] quia si ita se e. v. 3. [1013] emendabat 3.

NOTÆ.

(150) Id est familiaris.

paratus erat aut emendare, aut de illis certam reddere rationem, et dignam facere satisfactionem. Quod responsum frater noster et episcopi libenter receperunt; et, Deo gratias, sunt ita modo frater et nepos noster, sicut per rectum esse debent.

3. Et volumus, ut sicut nobis convenit, ut inter nos fideles missi discurrant, et quæ in uniuscujusque nostrum regno emendanda sunt, et alter alteri innotuerit, emendentur, et casæ Dei et sacerdotes ac servi Dei legem et honorem debitum habeant, et unusquisque fidelium nostrorum in regnis nostris, cujuscumque nostrum sit homo, legem et justitiam et in se et in suis proprietatibus et in suis honoribus habeat, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt, et sicut inter nos jam convenit [1015], et in illis capitulis est constitutum quæ antecessores [1016] nostri reges constituerunt, et sicut nos apud Marsnam firmavimus, et sicut nunc proxime apud Confluentes statuimus; donec, adjuvante Deo, congruo tempore et oportuno loco iterum simul conveniamus, et una cum communi fidelium nostrorum consilio quæ perfecta non fuerint, pacifice tractemus atque perficiamus [1016], et ita nos ad invicem adjuvemus, ut cum Dei adjutorio nos et fideles nostros salvemus, et oppressoribus sanctæ ecclesiæ resistamus. Et hanc adcognitationem ideo scribi communi consensu fecimus, ut unusquisque nostrum illam habeat, et certius sciat, quid et qualiter exinde observare expressius debeat; quia non decet, ut rex a sua cognitatione deviet, sicut non convenit, ut episcopus a sua recta prædicatione discordet.

Adnuntiatio domni Karoli. — 1. Hoc quod dilectus frater noster dixit nos proxime apud Confluentes constituisse, quantum ex me fuit, hactenus observavi, et observare cupio, si et erga me ita fuerit observatum; et ei reputare non volo, ut ipse similiter erga me illa observata non habeat. Credo etiam, quia nec ille velit, nec aliquis alius mihi reputare possit, ut erga eum illa observata non habeam. Quod si aliquis fecerit, paratus sum aut illa quæ emendanda sunt emendare, aut de hoc quod mihi reputatum fuerit, certam reddere rationem.

2. Et si hic communis nepos noster fecerit, sicut frater noster et episcopi qui cum eo inter nos mediatores fuerunt, mihi et episcopis qui mecum erant ex parte illius nuntiaverunt, et frater noster nunc dixit, et ita mihi fami iaris et amicus atque adjutor secundum rationabilem possibilitatem extiterit, sicut nepos patruo et christianus rex christiano regi esse per rectum debet, sic ei privatus et amicus atque adjutor secundum rationabilem possibilitatem esse volo, sicut diligens patruus dilecto nepoti et sicut christianus rex christiano regi per rectum esse debet.

3. De fidelibus autem missis inter nos discurren-

A dis, et de his quæ in regnis nostris emendanda sunt emendandis, et de statu atque honore ecclesiarum et sacerdotum ac servorum Dei, et de lege ac justitia conservanda unicuique fidelium nostrorum in regno nostro, cujuscunque nostrum sit homo, et in illo et in suis proprietatibus, et in suis honoribus, et de capitulis observandis, sicut frater noster nunc dixit, ita et ego per omnia cupio observare.

Adnuntiatio Hlotharii. — 1. Postquam iste patruus meus Hludowicus me in sua bonitate in filii loco suscepit, sic erga me semper in sua merce le fecit, sicut et illum decuit et mihi necesse fuit. Unde paratus sum illi debitum obsequium exhibere, sicut per rectum debeo facere.

2. Et de his quæ patruus meus Karolus proxime
B nunc, quando primum simul convenimus, mihi mandavit, sic observare cupio, sicut patruus meus Hludowicus et episcopi qui cum eo inter me et patruum meum Karolum mediatores fuerunt, ex mea parte illi et episcopis qui cum eo erant nuntiaverunt. Et si ipse mihi ita privatus et amicus atque adjutor, secundum rationabilem possibilitatem, exstiterit, sicut patruus nepoti et christianus rex christiano regi esse per rectum debet, ita et illi et familiaris et amicus atque adjutor, secundum rationabilem possibilitatem, esse volo, sicut diligens nepos dilecto patruo et christianus rex christiano regi esse per rectum debet.

3. De fidelibus autem missis inter nos discurrendis, et de his quæ in regnis nostris emendanda sunt
C emendandis, et de statu atque honore ecclesiarum et sacerdotum ac servorum Dei, et de lege ac justitia conservanda unicuique fidelium nostrorum in regno nostro, cujuscumque nostrum sit homo, et in illo et in suis proprietatibus et in suis honoribus, et de capitulis observandis, sicut isti mei patrui nunc dixerunt, ita et ego per omnia cupio observare.

Quoniam istas, quæ præcedunt, adnuntiationes Hludowicus et Hlotharius cum illorum sequacibus, postquam coram omnibus, qui adfuerunt, trium regum consiliariis fere ducentis, tam episcopis quam abbatibus et laicis, relectas penitus rejecerunt, ne populo legerentur, ut causa Hlotharii penitus taceretur, hanc quæ sequitur adnuntiationem domnus Karolus istis ipsis verbis jam vesperi adnuntiavit apud Sablonarias, anno incarnationis Dominicæ 862, *indictione* 11, 3
D *Nonas Novembris, in ipsa casa ubi relectæ sunt præcedentes adnuntiationes, in quam pauci alii intraverunt quam qui antea fuerunt, quoniam fere plena de ipsis erat.*

Adnuntiatio Karoli. — Sicut ego verbis et scriptis per fratrem meum et per episcopos nepoti meo mandavi, et illi de sua parte mihi renuntiaverunt, sic illi amicus esse et illum salvare volo, sicut avunculus per rectum nepotem salvare debet, si ille, sicut nepos per rectum avunculum salvare debet, me et meos salvaverit.

VARIÆ LECTIONES.

[1015] c. i. 3. [1016] intercessores *B*. [1016] *reliqua omnia desunt* 3.

KAROLI II EDICTUM PITENSE.

(*An.* 864. *Jun.* 25.)

Capitulare hoc prolixum a Sirmondo et Baluzio vulgatum, ope codicis 3) bibl. regiæ Parisiensis inter Supplementa Latina n. 75 recognovimus, retentis tamen fere ubique Baluzii lectionibus, quod codex noster, cui 3b) S. Vincentii Mettensis et 3c) Palatinus consentiunt, pro alia totius edicti recensione, paulo breviori scilicet, habendus sit. Habetur etiam in codice bibliothecæ Parisiensis sæculi X, n. 5095, et excerpta in codice n. 3878; quibus tamen ex integro conferendis cum editis otium nostrum non suffecit.

Adnuntiatio domni Karoli apud Pistas.

1. Multas gratias vobis agimus de vestra fidelitate et de vestra bona voluntate quam semper erga nos in omni adjutorio et obsequio demonstratis, sicut vestri antecessores erga nostros antecessores demonstraverunt, et quia pacem, quam jam præterito tertio anno hic communiter confirmavimus et adcognitari fecimus, secundum quod causa in quibusdam locis conjacuit, etsi non omnes, sicut desideravimus, tamen ex majori parte observastis, et quia pleniter et cum pace ad hoc nostrum placitum convenistis.

2. Et quia bonam voluntatem vestram in istis et in aliis videmus et experti sumus, fiducialius vos commonemus, ut et de ipsa pace observanda, et de istis operibus quæ contra Dei et sanctæ ejus ecclesiæ et nostros communes inimicos Nortmannos incepimus, sine defectu et lassatione viriliter laboretis, scientes qualiter nobis placuisset, si istas firmitates hic factas habuissemus, quando in tali angustia sicut experti estis ad Meldis contra eos communiter laboravimus, unde nos Deus, sicut suæ misericordiæ placuit, manifesto suæ clementiæ indicio adjuvavit.

3. Et quoniam illa quæ jam tertio anno hic una cum consensu et consilio fidelium nostrorum constituimus et vobis adcognitari fecimus, libenter audisse et suscepisse comperimus, quæ nunc etiam ad nostram communem salutem et pacem, atque honorem, hic fidelium nostrorum consensu atque consilio constituimus, vobis per scriptum nota facere volumus, ut illa plenius audire et ad illud scriptum recurrendo, quod in singulis comitatibus dari et relegi atque haberi præcipimus, firmius retinere et certius observare possitis. Quæ etiam ab episcopis vel eorum ministris per singulos comitatus de eorum parochiis aperto sermone, ut ab omnibus possint intelligi, tradi volumus.

Karolus gratia Dei rex. Notum esse volumus omnibus Dei et nostris fidelibus, quoniam hæc quæ sequuntur capitula nunc in [1017] isto placito nostro, anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi 854, anno videlicet regni nostri ipso propitio 25°, indictione 12 [1018], 7 Kalend. Julias, in hoc loco qui dicitur Pistis, una cum fidelium nostrorum consensu atque consilio constituimus, et cunctis sine ulla refragatione per regnum nostrum observanda mandamus.

1. Primo consideravimus de honore ecclesiarum et sacerdotum ac servorum Dei et immunitate rerum ecclesiasticarum, ut nullus sibi de ipsis rebus contra auctoritatem præsumat; et comites episcopis et ministris ecclesiæ in eorum ministeriis adjutores in omnibus fiant, sicut in capitulari prædecessorum ac progenitorum nostrorum continetur, in secundo libro, capitulo 23. Et quicunque comitum vel ministrorum rei publicæ hæc quæ mandamus, observare neglexerit, si prima et secunda vice de his admonitus non se correxerit, volumus ut neglegentia comitis ad nostram notitiam per episcopos et per missos nostros deferatur, et aliorum neglegentia per comites ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in capitulari prædecessorum nostrorum continetur subire cogantur.

2. Post hæc de orphanorum et viduarum causis, et de regalibus justitiis, et summopere de raptoribus puellarum et viduarum et sanctimonialium, et de his qui presbyteros flagellare præsumunt, et qui eos de ecclesiis sine episcoporum consensu cicere vel recipere, aut censum de manso vel ex his quæ domnus et genitor noster in suis capitularibus ecclesiis in immunitate concessit exigere non timent, et qui censa de rebus ecclesiasticis ad ecclesias persolvere detrectant, ut firmiter a missis et comitibus nostris inquirantur, et acriter distringantur, et plena justitia inde fiat, secundum quod in capitularibus avi et patris nostri statutum habetur, et ipsi contemptores legum, divinæ scilicet et humanæ, ad nostram præsentiam legaliter perducantur, ut inde consilio fidelium Dei ac nostrorum commendemus, quid de talibus hominibus sit faciendum, qui nec Deum timent, nec contra sanctos canones facere nec legem et præceptum regium infringere pertimescunt; salva censura ecclesiastica et episcopalis pœnitentiæ vindicta.

3. Ut lex et justitia unicuique in suo ordine omnibus conservetur, et pacem quam proxime teste Deo propriis manibus communi consensu confirmavimus, quando hic placitum nostrum habuimus, sic omnes et infra patriam, et quando ad placitum unusquisque venerit, et quando redierit, et quando necessitas nobis evenerit ut hostem nostrum adnuntiemus, usque constituta loca secundum consuetudinem et capitula prædecessorum nostrorum observare procuret. Et qui contra hanc confirmationem per contemptum venerit, aut quantocius, quod contra hanc confirmationem excessum fuerit, emendare

VARIÆ LECTIONES.

[1017] *decst* 3. [1018] *ita S. B. et codd. Paris.* 5095 *et* 3878. VII. Kal. 3.

neglexerit, ab episcopis et missis ac comitibus nostris hoc nobis nuntiari mandamus; quatenus tantum Dei et nostrum ac totius christianitatis contemptum, sicut secundum leges divinas et humanas invenerimus, emendare curemus, ne ipso nostro judicio a Deo, quod absit, condemnati simus. Et videant episcopi et missi ac comites nostri, ne si contra nostram communem confirmationem aliquis per contemptum fecerit, et emendare noluerit, per alium quam per illos qui ad hoc constituti sunt hunc contemptum sciamus; quoniam si per alium quam per illos hoc, sicut non convenit, audierimus, sicut nec ipsi immunes a peccato erunt, sic nec ab ultione immunes existent.

4. Volumus et expresse mandamus comitibus nostris, ut sicut in 24 capitulo secundi libri capitulorum decessorum nostrorum continetur, vassalli nostri nobis et nostræ conjugi famulantes condignum apud omnes honorem habeant, sicut a genitore nostro et a nobis sæpe admonitum est; et sicut ipsi volunt se a nobis honoratos tenere, ita et nobis famulantibus, sicut consuetudo fuit tempore antecessorum nostrorum, debitum honorem exhibeant.

5. Volumus et expresse comitibus nostris mandamus, ut villæ nostræ indominicatæ, sed et villæ de monasteriis quæ et conjugi nostræ et filiis ac filiabus nostris concessa atque donata habemus quæque sub immunitate consistunt, cum salvamento et debita reverentia in comitatibus illorum consistant. Sed et quæ homines nostri ac illorum illarumque, qui sine ulla differentia et nostri sunt [1019], cum salvamento et debito honore habere possint. Et non ignorent neque obliviscantur comites ac missi nostri, nos scire quod dominorum Dominus de se dicit: *Honorificantes me honorificabo; et qui contemnunt me, inhonorati erunt.*

6. Et quoniam humana fragilitas proclivior est ad contra justitiam [1020] faciendam quam ad justitiam exequendam, et diabolus semper certat, ut fragilitati humanæ oculos mentis claudat, ne castigationem Dei videat et semetipsam [1021] emendet; sicut ad nos perventum est, quod [1022] quidam leves homines de istis comitatibus qui devastati sunt a Nortmannis, in quibus res et mancipia et domos habuerunt, quia nunc ibi mancipia et domos non habent quasi licenter malum faciunt; quia [1023], sicut dicunt, non habent unde ad justitiam faciendam [1024] adducantur: et quia non habent domos ad quas secundum legem manniri et banniri possint, dicunt quod de mannitione vel bannitione legibus comprobari et legaliter judicari non possunt. Contra quorum malas insidias consensu et consilio fidelium nostrorum statuimus, ut comes missum suum ad illam terram in qua domos quis habuit [1025], mittat, et eum [1026] bannire et mannire jubeat. Et quoniam lex consensu populi fit et constitutione regis, Franci jurare debeant [1027], quia secundum regium mandatum nostrum [1028] ad justitiam reddendam vel faciendam legibus [1029] bannitus vel mannitus fuit; et sic ipsæ res illi [1030] judicio scabiniorum in bannum mittantur, et si necesse fuerit, ipse in forbannum mittatur qui [1031] ad justitiam reddendam venire noluerit. Et mandet comes qui hoc executus fuit, alteri comiti in cujus comitatu res et mancipia habet, quid inde factum habeat; et ex nostro verbo illi mandet, ut per illa quæ in suo comitatu habet, illum distringat, quatenus ad justitiam reddendam [1032] vel faciendam in suum comitatum redeat.

7. Audivimus etiam, quia hujusmodi leves homines in aliis comitatibus deprædationes et injustitias faciant, et ad illum comitatum in quo commanent, et in quo illas malitias non faciunt, factis malitiis in aliis comitatibus reveniunt. Unde mandamus et [1033] comitibus nostris expresse præcipimus [1034], ut illi comites in quorum comitatibus tales homines justitias faciunt [1035], illis comitibus hoc mandent in quorum comitatibus refugium habent, et una mente, unoque consensu, et uno certamine ad tales homines comprehendendos se erigant, et decertent, ut ecclesiæ Dei et ministri ejus, et servi Dei ac populus, pacem et quietem habere possit.

8. Ut denarii ex omnibus monetis meri ac bene pensantes, sicut in capitulari prædecessorum ac progenitorum nostrorum regum, libro quarto, 32 capitulo continetur, in omni regno nostro non reiciantur usque ad missam sancti Martini. Et in omnibus civitatibus et vicis ac villis, tam nostris indominicatis quam et in his quæ de immunitate sunt vel de comitatibus atque hominum nostrorum, sive cujuscunque sint per omne regnum nostrum, a judicibus nostris, et ab eis quorum villæ sunt, una cum ministris rei publicæ, secundum quantitatem locorum et villarum, tanti ac tales de ipsis incolis et inibi [1036] manentibus constituantur, qui inde providentiam habeant, ne boni denarii rejiciantur et non nisi meri et bene pensantes accipiantur.

9. Ut illi qui ex hac causa providentiam habebunt, sacramento jurent, quod sicut eis ex hac causa injunctum fuerit, quantum scierint et potuerint, debeant fideliter observare, et illum hominem quem scierint merum et bene pensantem denarium reicere, non debeant celare, sed ministris rei publicæ eum debeant notum facere. De quo sacramento quicunque comprobatus fuerit perjuratus, et secundum legem mundanam ut perjurus puniatur, sicut in capitulari decessorum ac progenitorum no-

VARIÆ LECTIONES.

[1019] nostris 3. [1020] ad injusticiam 3. [1021] semetipsum 3. [1022] *deest* 3. [1023] f. eo quod non habeant 3. [1024] *deest* 3. [1025] d. habent 3. [1026] eos 3. [1027] debent 3. [1028] *deest* 3. [1029] legaliter 3. [1030] *deest* 3. [1031] *Sic Sirmondus legit: at manu posuit legendum* quia ad justiciam, *BAL.* quia justiciam reddere noluit 2. [1032] r. v. *deest* 3. [1033] *deest* 3. [1034] *deest* 3. [1035] faciunt uno consensu *media desunt* 3. [1036] ibi commanentibus 3.

strorum continetur in fine capituli decimi ex tertio libro, et secundum legem ecclesiasticam [1037] publicæ pœnitentiæ subigatur.

10. Ut ab ipsa missa sancti Martini per omne regnum nostrum, non nisi istius nostræ novæ monetæ meri et bene pensantes denarii accipiantur. Et quicumque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, a comite et a [1038] ministris ejus auferatur [1039] ab eo; sicut in libro Capitulorum secundo, decimo octavo capitulo, continetur.

11. Ut in denariis novæ nostræ monetæ ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro et in medio nostri nominis monogramma, ex altera vero parte nomen civitatis et in medio crux habeatur.

12. Sequentes consuetudinem prædecessorum nostrorum, sicut in illorum capitulis invenitur, constituimus, ut in nullo loco alio [1040] in omni regno nostro moneta fiat, nisi in palatio nostro, et in Quentovico [1041] ac Rotomago [1042], quæ moneta ad Quentovicum ex antiqua consuetudine pertinet, et in Remis, et in Senonis, et in Parisio, et in Aurelianis, et in Cavillono [1043], et in Metullo, et in Narbona [1044].

13. Ut hi in quorum potestate deinceps moneta permanserit, omni gratia et cupiditate seu lucro postposito fideles monetarios eligant, sicut Dei [1045] et nostram gratiam volunt habere. Et ipsi monetarii jurent quod ipsum ministerium, quantum scierint et potuerint, fideliter faciant. Et mixtum denarium et minus quam debet pensantem non monetent nec monetari [1046] consentiant. Et sine ulla fraude et absque malo ingenio contra eos quorum argentum ad purgandum acceperint, ipsum argentum exmerent, et sine fraude tam in pensa quam in purgatione denarios concambient. Contra quod sacramentum si quilibet fecisse reputatus [1047] fuerit, judicio Dei se examinet [1048]: et sicut contra hoc fecisse comprobatus fuerit, — quia non majorem fraudem facit si mixtum denarium et minus quam debeat pensantem monetaverit [1049], quam si in purgatione et concambio argenti per malum ingenium fraudem de argento [1050] rei publicæ, et [1051] de argento rerum ecclesiasticarum, et de facultate pauperum fecerit, — sicut constitutum est de falsis monetariis in libro IV Capitulorum, 33 capitulo, manum perdat, et ut sacrilegus ac pauperum spoliator publicæ pœnitentiæ judicio episcopali subiciatur. In illis autem regionibus in quibus secundum legem Romanam judicia terminantur, juxta ipsam legem culpabilis judicetur.

14. Ut in proximis Kalendis Julii per hanc duodecimam indictionem habeat in Silvanectis civitate unusquisque comes in cujus comitatu monetam esse jussimus, vicecomitem suum cum duobus aliis hominibus qui in ejus comitatu res et mancipia vel beneficia habeant, et suum monetarium cum ipsis habeat [1052]; quatenus ibi accipiant per manus suas de camera nostra ad opus uniuscujusque monetarii de mero argento cum pensa libras quinque, ut habeat unde initium monetandi possit incipere; et pensam argenti quam ex camera nostra acceperit [1053], per manus eorum per quas [1054] illud accepit, sabbato ante initium quadragesimæ in monetatis denariis in præfato loco et [1055] cum ipsa pensa [1056] cum qua argentum acceperat, unusquisque monetarius in nostra camera reddat.

15. Ut nullus more solito pro ullo lucro vel avaritia hoc leviter accipiat; sed omnes ab ipsis Kalendis Julii argentum suum in constitutis monetis concambiari faciant, scientes quia post missam sancti Martini nulli alii denarii in regno nostro nisi istius novæ nostræ monetæ recipientur, et ab ipsis Kalendis Julii ipsi novi denarii ab omnibus accipiantur. Et quicumque liber homo [1057] ab ipso die denarium merum novæ nostræ monetæ in regno nostro rejecerit, sicut in præfato libro et capitulo regio continetur, bannum nostrum, id est solidos sexaginta, componat. Si vero servi ecclesiastici aut comitum aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, quia in præfato capitulari continetur ut sexaginta ictibus vapulent, et hac occasione indiscreti homines [1058] modum in disciplina faciebant, constituimus cum fidelium nostrorum consensu atque consilio [1059], ut quorumcumque coloni et servi pro hoc convicti fuerint, non cum grosso fuste, sed nudi cum virgis vapulent; et in civitatibus [1060] atque vicis seu villis episcopi per suos ministros [1061] vel presbyteros providentiam una cum rei publicæ ministris accipiant, ne et in hac causa modus disciplinæ transgrediatur, sed taliter fiat qualiter et homines castigentur, et quasi [1062] pro intentione vel occasione castigationis disciplinam facientes [1063] peccatum non incurrant, et disciplinam sustinentes in corpore suo [1064] debiliores non fiant. Quod si quis hoc mandatum nostrum transgressus fuerit, nobis ab episcopis nuntietur; quatenus taliter castigetur, ne deinceps mandatum nostrum quemquam delectet contemnere. Et si dominus vel magister [1065] quilibet [1066] aut advocatus talium hominum, eos vel comiti vel misso nostro

VARIÆ LECTIONES.

[1037] sanctam 3. [1038] *deest* 3. [1039] a..merces ab eo. 3. *reliqua capitis desunt.* [1040] a. I. 3. [1041] quantovico *constanter* 3. [1042] rotomagno 3. [1043] cavillonum 3. [1044] arbona 3. *Quæ lectio sententiam meam delectione Ann. Guelferbytanorum et Nazarianorum a.* 756. (Mon Germ. SS. I. p. 29) confirmat. [1045] s. et D. et 3. [1046] nec aliis monetariis 3. [1047] repertus 3. [1048] dei examinatus si comprobatus fuerit quia (*corr.* qui non) majorem (*corr.* minorem) denarium minusque quam 3. [1049] m. et in p. et in c. 3. [1050] de a. *de sunt* 3. [1051] et ecclesiarum et p. f. intulerit 3. [1052] habeant 3. [1053] acceperint 3. [1054] quos i. acceperint 3. [1055] *deest* 3. [1056] impensa 3. [1057] l. h. *desunt* 3. [1058] in discretis hominibus 3. [1059] a. c. *desunt* 3. [1060] comitatibus 3. [1061] m. hec eadem faciant vel 3. *media desunt.* [1062] et qui in protentione occasione 3. [1063] faciunt 3. [1064] i. c. s. *desunt* 3. [1065] v. m. *desunt* 3. [1066] *ita S. et* 3. 3b. 3c. qui liber est *B. ex Bellor.*

ad disciplinam sustinendam contradixerit vel misso nostro jussus præsentare noluerit, prædictum bannum sexaginta solidorum componat, sicut in prædicto capitulari habetur.

16. Ut si aliquis homo a [1067] proximis Kalendis Julii de hac nova nostra moneta mixtum vel minus quam debeat pensantem denarium invenerit, constringat eum qui ipsum denarium ad negotiandum protulit, et ipse dicat, a quo eum accepit; et sic de manu ad manum veniat, usque dum ad falsitatis auctorem perveniatur. Et inventus mixti vel minus quam debeat pensantis denarii monetator, in illa terra in qua judicia secundum legem Romanam terminantur, secundum ipsam legem judicetur; et in illa terra in qua judicia secundum legem Romanam non judicantur, monetarius, sicut supra diximus, falsi denarii manum dexteram perdat, sicut in quarto libro Capitulorum continetur, capite 33. Et qui hoc consenserit, si liber est, 60 solidos componat; si servus vel colonus, nudus cum virgis vapulet [1068].

17. Ut diligenter comites et ministri rei publicæ per [1069] suos comitatus ac ministeria provideant, ne in aliquo loco occulta vel fraudulenta moneta fieri possit. Et si inventus ac comprobatus quilibet fuerit [1070] fraudulentam monetam percutiens [1071], sicut constitutum est de falso monetario, ex præfato capitulari prædecessorum nostrorum, manus ei amputetur [1072]. Et qui hoc consenserit, si liber est, sexaginta solidos componat; si servus vel colonus, nudus cum virgis vapulet.

18. Et si falsus monetarius, aut [1073] de illis locis in quibus monetam fieri jussimus, aut occulte monetam percutiens, aut denarium falsum de nova moneta ad negotiandum proferens, ut [1074] constringi et puniri non possit [1075], sicut est constitutum, in fiscum nostrum vel in quamcumque immunitatem, aut alicujus potentis potestatem vel proprietatem [1076], confugerit, si in nostrum confugerit fiscum, requiratur a ministro nostro. Et si ille eum defenderit aut occultaverit, nuntietur nobis, quatenus ita [1077] in eo secundum capitulare regium vindicetur, ne ullus alius unquam falsitatem nostra auctoritate vel potestate consentire [1078] aut defendere audeat. Si autem in immunitatem vel potestatem aut proprietatem alicujus potentis confugerit, secundum quod in tertio libro Capitularis, 26 capitulo, continetur, de eo qui furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fugerit, inde fiat; id est, « mandet comes vel publicæ rei minister episcopo vel abbati, vel illi quicumque locum episcopi vel abbatis vel abbatissæ tenuerit, vel potentis hominis in cujus potestatem vel proprietatem confugerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit et eum reddere noluerit, in prima contradictione solidis quindecim culpabilis judicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidis culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quidquid reus damni fecit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur, et ipse comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicumque eum invenire potuerit. Si autem in prima inquisitione comiti responsum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, juret quod ipse eum ad justitiam cujuslibet disfaciendam fugere non fecisset, et sit ei in hoc satisfactum. Si vero intranti in ipsam immunitatem, vel in cujuslibet hominis potestatem vel proprietatem, comiti collecta manu quilibet resistere tentaverit, comes hoc ad regem vel principem deferat, et ibi judicetur. Et sicut ille qui in immunitate damnum fecit, sexcentis solidis componi debet, ita qui comiti collecta manu resistere præsumpserit, sexcentis solidis culpabilis judicetur. »

19. Ut melius et commodius hæc providentia de bonis denariis non reiciendis et de monetæ falsæ denariis custodiri possit, volumus, ut unusquisque comes de comitatu suo omnia mercata imbreviari faciat, et sciat nobis dicere, quæ mercata tempore avi nostri fuerunt, et quæ tempore domni et genitoris nostri esse cœperunt, vel quæ illius auctoritate constituta fuerunt, vel quæ sine auctoritate illius facta fuerunt, vel quæ tempore nostro convenire cœperunt, vel quæ in antiquis locis permanent, et si mutata sunt, cujus auctoritate mutata fuerunt. Et ipsum brevem unusquisque comes ad proximum placitum nostrum nobis adportet, ut decernere possimus, quatenus necessaria et utilia et quæ per auctoritatem sunt maneant, quæ vero superflua, interdicantur, vel locis suis restituantur. Et mercata die Dominico in nullo loco habeantur, sicut in primo libro Capitularium, capitulo 136 [1079], habetur.

20. Ut comes et rei publicæ ministri ac ceteri fideles nostri provideant, quatenus justus modius æquusque sextarius secundum sacram scripturam et capitula prædecessorum nostrorum in civitatibus et in vicis et in villis ad vendendum et emendum fiat, et mensuram secundum antiquam consuetudinem de palatio nostro accipiant, et non pro hac occasione a mansuariis vel ab his qui censum debent, major modius, nisi sicut consuetudo fuit, exigatur. Et ipsi homines qui per villas de denariis providentiam jurati habebunt, ipsi etiam de mensura, ne adulteretur, provideant, sicut in libro tertio Capitularium, capitulo 90, continetur. Et si quis reputatus fuerit

VARIÆ LECTIONES

[1067] *deest* 3. [1068] cædatur 3. 3b. [1069] *deest* 3. [1070] f. q. 3. [1071] f. m. p. *desunt* 3. [1072] abscidatur 3. 3b. [1073] *deest* 3. [1074] *deest* 3. [1075] potest eo quod in fisco nostro 3. [1076] v. p. *desunt* 3. [1077] *deest* 3. [1078] consonare 3. [1079] *in Sirmondo legitur* 145; *legendum vero est* 139. *BAL.*

mensuram adulterasse, et cum majori modio vel sextario annonam vel vinum accepisse, et cum minori mensura venundare, si liber homo est, aut secundum suam legem se inde sacramento idoneum reddat, aut si hoc fecisse [1080] vel fieri jussisse aut consensisse comprobatus fuerit, hoc unde mensuram adulteravit, id est vinum et annona, a ministris rei publicæ tollatur ab eo; insuper et bannum nostrum, id est solidos sexaginta, componat. Si autem colonus vel servus inde reputatus fuerit, aut judicio Dei se inde examinet, aut si inde convictus fuerit, hoc, ut supra diximus, unde mensuram adulteravit, perdat, insuper et virgis nudo corpore [1081] vapulet. Et sive liber sive colonus vel servus de hoc convictus fuerit, post legalem emendationem episcopole judicium suscipiat, quia contra tale interdictum Domini fecit, dicentis : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram;* unde regnum Dei sibi clausit, et infernum sibi aperuit. Quod peccatum inter illa criminalia peccata computatur de quibus dicit Apostolus, quod qui ea fecerit, cum hujusmodi nec cibum sumere christiano licet; et inde sacri Nicæni canones clericos gradus perdere jubent. Et de tali causa unde seculares homines vitam perdunt, inde clerici ecclesiasticum gradum amittunt. Ministri autem rei publicæ se caute custodiant, ne pro hac occasione ducti cupiditate per aliquod malum ingenium a liberis hominibus, vel colonis, seu servis, sua injuste tollant; quia si inde ad nos clamor venerit, et inde convicti fuerint, sic injustitiam istam exsolvent, sicut illi qui in suo ministerio tortum faciant. In illis autem regionibus in quibus secundum legem Romanam judicantur judicia, juxta ipsam legem committentes talia judicentur; quia super illam legem vel contra ipsam legem nec antecessores nostri quodcumque capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus. Similiter per civitates et vicos atque per mercata ministri rei publicæ provideant, ne illi qui panem coctum aut carnem per denerata, aut vinum per sextaria, vendunt, adulterare et minuere possint. Sed quantos mensurabiles panes in unaquaque civitate de justo modio episcopi vel abbatis [1082] seu comitis [1083] ministeriales [1084] a pistoribus suis recipiunt, tantos mensurabiles panes de æquo modio a pistoribus qui panem vendunt, fieri faciant : quos si inventi fuerint adulterare vel minorare, ut supra diximus, secundum suum modum culpabiles judicentur. Homines etiam qui providentiam super hoc [1085] habere debebunt ne mancæ mensuræ fiant, si [1086] de perjurio quod juraverunt, quia hoc consentire non debuissent, revicti fuerint, secundum legem puniantur, sicut in fine capituli decimi ex libro tertio Capitulorum habetur, et postea ab episcopo publicam pœnitentiam de perjurio accipiant.

21. Ut quia per tres jam annos bannum pro rejectione bonorum denariorum perdonavimus, volumus ut modo, secundum discretionem quam missis nostris commendavimus, rewadiatum persolvatur, et ubi rewadiatum non est, rewadietur et solvatur : quatenus et ex hoc et ex disciplina constituta ita constricti, deinceps cessent denarios bonos reicere. Et quoniam audivimus, occasione accepta pro rewadiato banno quosdam plus a pauperibus accepisse quam bannus levet, hoc a missis nostris diligenter requiri volumus. Et quicumque plus ab eis acceperint [1087] quam jussimus, cogantur illis restituere, et illos absque ulla excusatione ad præsentiam nostram missi nostri adducant; quatenus per nostram harmiscaram [1088] ita castigentur, ne ulterius tali conludio [1089] eos delectet opprimere pauperes.

22. Ut a colonis qui jam pro rejectione bonorum denariorum flagellati vel flagellandi [1090] sunt, nulla alia exactio requiratur; et si ab aliquo eorum aliquid inde acceptum fuit, a missis nostris cogatur restitui. Et qui beneficia vel alodes [1091] in duobus vel tribus aut quatuor comitatibus habent, et non habent in unoquoque comitatu unde plenum bannum valeant solvere [1092], vel qui in uno tantum comitatu alodem vel beneficia habent, et non tantum ibi habent unde plenum bannum valeant solvere, missis nostris hoc notum faciant, et hoc ab eisdem missis nostris diligenter inbrevietur, et nobis renuntietur, ut nostra discretione decernamus, qualiter et castigatio ex compositione fiat, et homines ultra mensuram et indebite non graventur : quia, sicut sancta Scriptura dicit, non inde requirimus datum, sed fructum, id est non inde requirimus inhonestum lucrum, sed regni ex castigatione profectum. Turpe [1093] vel inhonestum est lucrum, ut Augustinus exponit, per varias circumventiones et occasiones lucrandi causa inhoneste res quaslibet congregari. Et non solum in pauperioribus, sed etiam in ditioribus, considerare volumus discretionem quam decessores nostri reges in quarto libro Capitulorum posuerunt, capitulo 57 [1094] decernentes : *Ut de debito, inquiunt, quod ad opus nostrum fuerit rewadiatum, talis consideratio fiat, ut is qui ignoranter peccavit, non totum secundum legem componere cogatur, sed juxta quod possibile visum fuerit. Is vero qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.*

23. Ut nullus deinceps in regno nostro mixturam auri vel argenti ad vendendum facere vel consentire præsumat : et nullus a missa sancti Remigii, id est a proximis Kalendis Octobris, aurum vel argentum

VARIÆ LECTIONES.

[1080] reddat quod si l. 3. [1081] *sic Sirmondus : At manu correxit* nudo Corio *quæ lectio est codicum Bellov. et Palat. BAL.* [1082] v. a. *desunt* 3. [1083] comitus 3. [1084] *deest* 3. [1085] s. h. *desunt Bal.* [1086] si hoc consentisse revicti fuerint 3. [1087] *ita* 3. acceperunt *B.* [1088] armiscaram 3. [1089] conludio 3. [1090] v. f. *desunt* 3. [1091] alodos 3. [1092] solvere *usque* solvere *desunt* 3. [1093] turpe—congregari *desunt* 3. [1094] LVI, 3.

ad vendendum vel emendum [1095] nisi purificatum proferat. Et si quis post præfatas Kalendas inventus fuerit aurum vel argentum, vel quodcumque fabricinium ex auro vel argento [1096] mixtum, ad vendendum vel emendum [1097] portare, a ministris rei publicæ ipsum quod portaverit ab eo tollatur, et ipse per fidejussores, si res et mancipia in illo comitatu non habet, ad præsentiam nostram cum ipso auro vel argento adducatur, ut nos inde commendemus qualiter culpabilis judicetur. Si vero res et mancipia vel mobile, per quæ distringi legaliter possit, in ipso comitatu habuerit, secundum legem ad nostram præsentiam venire jubeatur. Et si quisquam inventus fuerit suum aurum vel argentum, vel quodcumque fabricinium ex auro vel argento, portare ad fabrum ut purgetur, provideant rei publicæ ministri, ne hac [1098] occasione ab eo quod suum fuerit tollant. Quod si fecerint, et ad nos inde reclamatio venerit, sicut ille qui tortum in suo comitatu vel ministerio fecerit, in nostra vel fidelium nostrorum præsentia culpabilis judicabitur. Faber vero qui post præfatas Kalendas comprobatus fuerit aurum vel argentum ad vendendum vel emendum adulterasse vel misculasse [1099], in illis regionibus in quibus judicia secundum legem Romanam [1100] terminantur, juxta illam legem puniatur; in aliis autem regionibus regni nostri, secundum capitulare regium [1101], sicut falsam monetam percutiens, manum perdat. Et liber homo qui hoc consenserit, sicut in prælato continetur capitulo, bannum nostrum, id est solidos sexaginta, componat; colonus vel servus, nudus [1102] cum virgis flagelletur [1103]. Si vero Judæus fuerit, ipsum quod mixtum protulerit, perdat; et bannum nostrum, sicut tempore prædecessorum nostrorum consuetudo fuit, componat.

24. Ut in omni regno nostro non amplius vendatur libra auri purissime cocti, nisi duodecim libris argenti de novis et meris denariis. Illud vero aurum quod coctum quidem fuerit, sed non tantum ut [1104] ex eo deauratura fieri possit, libra una de auro vendatur decem libris argenti de novis et meris denariis. Et omnimodis provideant tam comites, quam ceteri omnes ministri rei publicæ, ne aliqua adjetione vel fraude per occasionem aliquid amplius vendatur, sicut de suis honoribus volunt gaudere. Et quicumque hanc commendationem nostram aliquo ingenio infirmare vel fraudare seu aliter immutare inventus fuerit, si liber homo fuerit, bannum nostrum, id est sexaginta solidos, componat; colonus seu servus, nudus [1105] cum virgis flagelletur.

25. Et quoniam in præfatis capitulis continetur in libro tertio [1106] capitulo 75, ut nullus sine permissu regio bruniam vel arma extraneo dare aut vendere præsumat, et in eodem libro capitulo 6 designata sunt loca regni usque ad quæ negotiatores brunias et arma ad venundandum portare et vendere debeant, quod si inventi fuerint ultra portantes aut venundantes, ut omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero medietas inter missos regios et inventorem dividatur; quia peccatis nostris exigentibus in nostra vicinia Nortmanni deveniunt [1107], et eis a nostris bruniæ et arma atque caballi aut [1108] pro redemptione dantur, aut pro pretii cupiditate venundantur; cum pro redemptione unius hominis ista donantur, vel pro pauco pretio venundantur, per hoc auxilium illis contra nos præstitum [1109] et regni nostri maximum fit detrimentum, et multæ ecclesiæ [1110] Dei destruuntur, et quamplurimi christiani deprædantur, et facultates ecclesiasticæ et regni exhauriuntur, propterea una cum consensu atque consilio nostrorum fidelium constituimus, ut quicumque post proximas Kalendas Julii hujus duodecimæ indictionis Nortmannis quocumque ingenio, vel pro redemptione, vel pro aliquo pretio, bruniam vel quæcumque arma aut caballum donaverit, sicut proditor patriæ et expositor christianitatis ad perditionem gentilitati sine ullâ retractione vel redemptione de vita componat. Quæ omnia omnibus citissime a missis nostris et comitibus nota fiant, ne de ignorantia se excusare valeant.

christianitatis, et adjutor gentilium erroris. Igitur pro tali venditione et suum temerario volumus, ut venditor de vita componat et omnes res ejus infiscentur. Ecclesiasticus vero aut Deo sacrata perpetuo exilio dampnentur. 3. 3 b.

26. Ut pagenses Franci qui caballos habent vel habere possunt, cum suis comitibus [1111] in hostem pergant; et nullus per violentiam, vel per aliquod malum ingenium, aut per quamcumque indebitam oppressionem [1112], talibus Francis suas res aut caballos tollat, ut hostem facere et debitos paraveredos secundum antiquam consuetudinem nobis exsolvere non possint, neque comes neque aliquis minister rei publicæ. Quod si fecisse aliquis eorum comprobatus fuerit, sic hoc cogatur componere, sicut de illis est constitutum in capitularibus regiis qui tortum in suo comitatu vel ministerio faciunt.

27. Ut juxta regium capitulare quod domnus et genitor noster, anno 16[1113] regni sui capitulo 7[1114] constituit, comites vel missi nostri diligenter inquirant, quanti homines liberi in singulis comitatibus maneant qui per se possunt [1115] expeditionem facere, vel quanti de his quibus unus alium adjuvet, quanti eiam de his qui a duobus tertius adjuvetur vel præparetur [1116], necnon de his qui a tribus quartus adjuvetur et [1117] præparetur, sive de his qui a qua-

VARIÆ LECTIONES.

[1095] v. e. *desunt* 3 [1096] ex a. v. a. *desunt* 3. [1097] v. e. *desunt* 3. [1098] *deest* 3. [1099] nusculas 3. [1100] r. l. 3. [1101] regum c. 3. [1102] nudi 3. [1103] flagellentur 3. [1104] *deest* 3. [1105] nudi c. v. flagellentur 3. [1106] t. l. 3. [1107] devenerunt 3. [1108] *deest* 3. [1109] prestatur 3. [1110] e. et 3. [1111] armis 3. 3b. [1112] quamcumque cupiditatem aut oppressionem 3. 3b. [1113] VII. 3. [1114] II. 3. [1115] possint 3. [1116] v. p. *desunt* 3. [1117] ut 3.

tuor quintus adjuvetur et præparetur ut expeditionem exercitalem facere possint, et eorum summam ad nostram notitiam deferant; ut illi qui in hostem pergere non potuerint, juxta antiquam et aliarum gentium consuetudinem ad[1118] civitates novas et pontes ac transitus paludium operentur, et in civitate atque[1119] in marcha[1120] wactas faciant; ad defensionem patriæ omnes sine ulla excusatione veniant. Et qui de talibus hostem dimiserint, heribannum juxta discretionem quæ[1121] in progenitorum nostrorum tertio libro Capitulorum, capitulo 14, continetur, persolvant. Et qui ad defensionem patriæ non occurrerint, secundum antiquam consuetudinem et capitulorum constitutionem judicentur.

28. Ut illi Franci qui censum de suo capite vel de suis rebus ad partem regiam debent, sine nostra licentia ad casam Dei vel ad alterius cujuscumque servitium se non tradant, ut res publica quod de illis habere debet, non perdat. Quod si aut seipsos aut res suas ad casam Dei aut ad alterius cujuscumque servitium sine licentia nostra tradere voluerint[1122], sicut in capitulari avi nostri continetur de his qui pro furto se in servitium tradere cupiunt, comites vel vicarii hoc eis non consentiant, sed ex banno nostro prohibeant. Quod si contra bannum nostrum fecerint, ipsi qui eos receperint bannum nostrum, id est solidos sexaginta, componant. Et si ipsos in servitio suo habere voluerint, vel illorum res[1123] de quibus census ad partem regiam exiebat, tenere voluerint, censum quem ipsi[1124] Franci debebant[1125], vel qui de illorum rebus exire solebat, ad nostram regiam partem[1126] componant, sicut in præfato Capitulorum libro tertio, capitulis 15 et 86, et in libro IV, capitulo 36, habetur. Et quia, sicut in sacris[1127] ecclesiasticis regulis invenitur, prior observatio durior, posterior autem exigente causa inclinatior fuit, post hæc præfata capitula decessorum et progenitorum nostrorum, hujusmodi sicut prædiximus Francis hominibus res suas ad casam Dei vel aliis tradere ac vendere, eosque ad divinum servitium converti, si vellent, non prohibuerunt, sicut in capitulis libri primi, capitulis 132[1128] et 134, et in libro II, capitulo 31[1129], et in libro IV[1130], capitulo 19, continetur. Si quis de talibus Francis de suis rebus tradere vel vendere voluerit, non prohibemus. Tantum ut jus regium, quod sibi debetur, sine ratione non perdat: quia injustas consuetudines noviter institutas imponere cuique non volumus, quas in quarto libro eorundem Capitulorum prohibitas, cap. 47[1131], legimus. De illis autem qui secundum legem Romanam vivunt, nihil aliud nisi quod in eisdem continetur legibus definimus.

29. Ut illi coloni, tam fiscales quam et ecclesiastici[1132], qui, sicut in polypticis[1133] continetur et ipsi non denegant[1134], carropera et manopera ex antiqua consuetudine debent[1135], et margilam[1136] et alia quæque carricare[1137], quæ illis non placent, rennunt[1138], quoniam adhuc in illis antiquis temporibus forte margila[1139] non trahebatur, quæ in multis locis tempore avi ac domni et[1140] patris nostri trahi cœpit[1141] et de manopera in scuria battere nolunt, et tamen non denegant quia manoperam[1142] debent; quicquid[1143] eis carricare præcipitur de[1144] opera carroperæ quando illam facere debent, sine ulla differentia carricent; et quidquid eis de opera monoperæ, quando illam facere debent, præcipitur, similiter sine ulla differentia faciant[1145].

30. Ut quoniam in quibusdam locis coloni, tam fiscales quam et de casis Dei, suas hereditates, id est mansa[1146] quæ tenent, non solum suis paribus[1147], sed et clericis canonicis ac villanis presbiteris et aliis quibuscumque hominibus vendunt et tantummodo sellam retinent, et hac occasione sic[1148] destructæ fiunt[1149] villæ, ut non solum census debitus inde non possit exigi, sed etiam quæ terræ de singulis mansis fuerunt[1150], jam non possint agnosci; constituimus ut præcipiatur a nostris ministerialibus, et a ministris ecclesiasticis, ut hoc nullo modo de cetero fiat, ne villæ destructæ atque confusæ fiant: et quicquid de singulis mansis sine licentia dominorum vel magistrorum per quoscumque venditum est, recipiatur, et singulis mansis[1151] de quibus terræ venditæ sunt, et de quibus census decidit[1152] propter eorum impossibilitatem qui[1153] mansa deservire non possunt, restituatur; et juxta qualitatem vel quantitatem terræ, vel vinearum ad singulos mansos pertinentium, postquam restaurati fuerint, ab unoquoque manso census ad partem dominicam exigatur.

31. De adventitiis istius terræ, quæ a Nortmannis devastata[1154] est, constituimus, ut sicut in capitulari avi nostri Karoli imperatoris habetur, unusquisque comes de suo comitatu et nomina eorum, et qui sunt[1155] eorum seniores[1156], describi faciant, et ipsos advenas, qui a tempore avi nostri atque a tempore domini et[1157] patris nostri in illorum comitatibus commanent[1158], secundum consuetudinem quæ illorum temporibus fuit, eos ibi manere permittant. Illos vero qui propter persecutionem Nortmannorum nuper de istis partibus in illas partes confugerunt,

VARIÆ LECTIONES.

[1118] *deest* 3. [1119] *aeest* 3. [1120] marka 3. [1121] quam 3. [1122] tradiderint s. 3. [1123] v. i. r. *desunt* 3. [1124] *deest* 3. [1125] v. q. d. i. r. e. s. *desunt* 3. [1126] *deest* 3. [1127] *deest* 3. [1128] CXXXIIII et CXXXVI. 3. [1129] XXXII. 3. [1130] V. cap. XVIII. 3. [1131] XLV. 3. [1132] Ut c. et f. et e. 3. [1133] polipticis 3. [1134] denegent 3. [1135] *deest* 3. [1136] margilla *corr.* argillam 3. [1137] *deest* 3. [1138] placent non rennuant licet in illis 3. [1139] margillam non traherent 3. [1140] *deest* 3. [1141] cepit (*in loco raso* debeat) etiam in scuria batere et tamen non denegant 3. [1142] manopera. 3. [1143] q. etiam eis 3. [1144] de o. c. q. i. f. d. *de unt* 3. [1145] et omne opus quando eis præcipitur sine u. d. f. 3. [1146] mansas 3. [1147] paris 3. [1148] *deest* 3. [1149] sunt 3. [1150] fuerint 3. [1151] *deest* 3. [1152] debuit 3. [1153] q. m. d. n. p. r. et i. q. *desunt* 3. [1154] vastata 3. [1155] e. sint 3. [1156] *deest* 3. [1157] *deest* 3. [1158] n. hic commanent 3.

episcoporum missi cum missis rei publicæ taliter de illis[1159] partibus in istas[1160] partes venire faciant, ut non opprimantur, nec aliquis[1161] census vel quæcumque exactio ab illis exigantur; et habeant licentiam, quæ in illis partibus suo servitio promeruerunt vel quocumque justo ingenio adepti sunt[1162], commendandi. Et illi qui nullum lucrum de opere in vineis sperant, Kalendis Septembris unusquisque ad locum suum[1163] jam perventus sit. Et qui lucrum de vineis in illis partibus promeruerit[1164], octo dies post missam sancti Remigii in istas partes[1165] jam sit perventus, et sibi in istis partibus in futurum provideat, et suo seniori serviat. Et si necesse illi[1166] fuerit, ad missam sancti Martini ad suum conductum in illas partes redeat, et usque ad Kalendas Aprilis ibidem immorandi[1167] licentiam habeat[1168]; indeque ad terram suæ nativitatis et ad senioratum[1169] suum unusquisque redeat, et usque ad medium Maium propter seminationem ibidem maneat[1170]; indeque, si illi[1171] necessitas fuerit, ad suum conductum redeat; et inde ad messiones in terram suam unusquisque redeat[1172], et de cetero ibidem permaneat[1173]. Si autem de istis partibus in illis partibus femina maritum aut maritus feminam accepit, illud conjugium, quia non est legale neque[1174] legitimum, sicut Leo in suis decretis et sanctus Gregorius in suis epistolis monstrant, dissolvatur; et cujus mancipium vir vel femina fuerit[1175], suum quæque potestas recipiat, et suæ potestatis homini conjungere faciat. Et si infantes inde nati sunt, secundum legem et[1176] antiquam consuetudinem[1177] nostram[1178] infantes matrem sequantur. In illis autem regionibus quæ legem Romanam sequuntur, secundum eandem legem[1179] fieri exinde[1180] decrevimus.

32. Ut conlimitanei et vicini comites in una die, si fieri potest, mallum[1181] non teneant, maxime post octavas paschæ, propter Francos homines et advocatos, qui ad utraque malla non possunt occurrere; sed mittant sibi invicem missos. Et si unus die Lunis mallum habuerit, alter die Jovis aut die Lunis sequentis hebdomadæ mallum habeat. Et ne grave ei sit qui suum mallum interjecit, qui uno anno primus tenuerit mallum, sequenti anno consentiat alteri primum tenere. Et si sacramenta legalia in primo die Lunis post pascha juranda devenerint, aut in aliis feriis quando mallum tenere debuerat[1183], mittat unusquisque comes missum suum, qui ipsa sacramenta[1184] auscultet, ne ipsi homines jectivi[1185] inveniantur. Et ipse sic mallum suum teneat, ut barigildi ejus et advocati qui in aliis comitatibus rationes habent, ad[1186] suum mallum occurrere[1187] possint.

33. Et quia sacramenta post quadraginta noctes legaliter juranda accipiuntur, et in præfatis prædecessorum et progenitorum nostrorum capitulis invenitur, ut postquam comes et pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super 40 noctes[1187] sit bannus resisus, quod in lingua Theodisca[1188] scastlegi[1189], id est armorum depositio, vocatur, multi inde contendunt, et se[1190] inter se[1191] jectiscunt. Alii enim suum sacramentum quadragesimo die, in quo illud accipiunt, jurare volunt; et in tantum contendunt, ut etiamsi intra quadragesimam sacri jejunii quadragesimus dies advenerit, suum sacramentum se jurare debere contendant[1192], et contra causatores[1193] suos, si ad hoc audiendum non venerint, jectiscant[1194]. Numerant enim dies, et non numerant cum eis noctes; sicut[1195] numerantur dies et non numerantur noctes a Nativitate Domini usque ad Purificationem sanctæ Mariæ et a Resurrectione Domini usque ad Ascensionem Domini. Quadragesimo enim die et purificatio sanctæ Mariæ a nativitate Domini, et quadragesimo die a resurrectione Domini, quæ est in Dominica die, ascensio Domini celebratur, quæ evenit quinta feria, id est Jovis die. Et de diebus sine memoria noctium[1196], Dominus per Jonam prophetam dicit: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Et quadraginta dies simul cum noctibus in jejunio Heliæ prophetæ, et Moysi[1197] quando legem secundo accepit, et ipsius Domini jejunio computantur. In quibus sex septimanæ, id est quadraginta et duo dies, fiunt usque ad resurrectionem Domini, quæ fit in Dominica die, sicut et initium Quadragesimæ. Et hæc non sine Dei mysterio[1198] fiunt, per quem conditores legum justa decernunt. Unde, sicut in quibusdam regionibus[1199] rectius tenere comperimus, una cum consensu et[1200] fidelium nostrorum consilio[1201] constituimus, ut ab ipso die quo sacramentum accipitur, post quadraginta dies et quadraginta noctes, id est, quadragesimo secundo die de[1202] sex septimanis[1203], ipsa feria qua illud sacramentum accepit, sicut[1204] Pascha ipsa feria fit qua initium Quadragesimæ accipitur, qui sacramentum legaliter accipit[1205] legaliter in locis constitutis juret, sicut in Capitulorum libris decessorum et progenitorum nostrorum continetur. Et amodo nulla dissensio vel retractatio in regno nostro a quolibet ex hoc fiat. Quod mandatum nostrum si quis contemnere præsumpserit, bannum nostrum, id est sexaginta solidos, componat. Et si ipsa dies intra Quadragesimæ sacra

VARIÆ LECTIONES.

[1159] istis 3. [1160] illas 3. [1161] *deest* 3. [1162] fuerint 3. [1163] s. revertatur et qui 3. [1164] sperant 3. [1165] p. revertantur 3. [1166] *deest* 3. [1167] commorandi 3. [1168] habeant 3. [1169] seniorem 3. [1170] *maneant* 3. [1171] *dees:* 3. [1172] redeant 3. [1173] permaneant 3. [1174] l. n. *deest* 3. [1175] p testatem habeat recipiendi et sibi conjungendi et si 3. 3b. [1176] *deest* 3. [1177] *deest* 3. [1178] *deest* 3. [1179] l. e. 3. [1180] *deest* 3. [1181] *ita* 3. malum *B.* [1182] debuerit 3. [1183] ipsum sacramentum 3. [1184] *loco vacuo relicto manus ipsa in codd.* 3. *inscripsit* fugitivi *ita et* 3b. [1185] h. et (*deletum*) ad 3. [1186] non (*deletum*) possunt 3. [1187] dies 3. 3b. 3c. [1188] teodisca 3. [1189] scastlei 3. [1190] se inter *in loco raso* 3. [1191] *deest* 3. [1192] contendunt 3. [1193] accusatores 3. [1194] jectiscunt 3. [1195] s. n. d. et n. n. n. *desunt* 3. [1196] noctis memoria 3. [1197] moisi 3. [1198] ministerio 3. [1199] *deest* 3. [1200] *deest* 3. [1201] *decs:* 3. [1202] post 3. [1203] septimanas 3. [1204] si pasca id ipsa 3 [1205] accepit 3.

jejunia evenerit, nemo illud sacramentum quod accepit in quadragesima jurare præsumat; quia ex hoc jam etiam [1206] manifestam Dei vindictam vidimus et audivimus. Et si quis [1207] præsumpserit, similiter bannum nostrum componat, et inde pœnitentiam episcopali judicio faciat. Ipsam autem quadragesimam a quarta feria, id est a capite jejunii, cum ipsa quarta feria, qua publice pœnitentes pœnitentiam accipiunt, observari usque ad sanctam resurrectionem secundum consuetudinem antiquam præcipimus. Sed expectet qui sacramentum ante quadragesimam servatum accepit, si quadraginta dies et quadraginta noctes ante illam [1208] quadragesimam non habuit, sine ulla [1209] legali compositione vel jectitione [1210] usque ad diem Lunis post octavas [1211] Paschæ; et tunc quod legaliter accepit, legaliter et [1212] perficiat.

34. Notum fieri volumus omnibus Dei et nostris fidelibus, quoniam [1213] quidam comites nostri nos consuluerunt de illis Francis hominibus qui censum regium de suo capite sed et de suis rescellis (151) debebant, [1214] qui tempore famis, necessitate cogente, seipsos ad servitium vendiderunt. Unde cum episcopis et ceteris Dei ac nostris fidelibus tractavimus quid nobis esset agendum; et quod cum eis inde invenimus [1215] ac constituimus, præsenti edicto decrevimus [1216]. Id est, quia non in lege Salica ex hoc expressius quiddam [1217] invenimus, continetur tamen in tertio Capitulorum libro capitulo 29 de homine libero qui se loco wadii tradidit in alterius potestatem, et ibi constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, ut is qui eum loco wadii suscepit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo productum amittat, perdens simul debitum propter quod eum pro wadio suscepit; et qui damnum fecit, dimissus juxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam feminam habuerit, et usque dum in pignore extitit filios habuerint, liberi permaneant. Et in lege digito Dei scripta legimus, ut si attenuatus fuerit frater noster et se in servitium tradiderit, sex annis serviet illi qui eum emit, et septimo liber egredietur gratis. Quæ sacra historia et observantes moraliter ædificat, et altiori sensu intelligentes inluminat. In lege etiam quam prædecessores nostri et nominatissimi imperatores constituerunt de his qui filios suos, fame aut alia aliqua necessitate cogente, vendunt, plura habentur capitula quæ omnia hic [1218] non necesse duximus ponere. Tamen illud capitulum quod cum sanctis ecclesiasticis regulis ex maxima parte concordari invenimus, hic [1219] ponere necessarium duximus, in quo dicit: « Ut quicumque ingenui filios suos, quod et de ipsis liberis hominibus qui se vendunt observari volumus, qualibet necessitate seu famis tempore vendiderint, ipsa necessitate compulsi, emptor si quinque solidi emit, sex recipiat: si decem, duodecim solidos similiter recipiat: aut [1220] si amplius, secundum suprascriptam rationem augmentum pretii consequatur. » Sanctus [1221] etiam Gregorius de his qui liberi a paganis capti fuerint, si aliquis eos redemerit, ipsi qui redempti sunt procurent, ut tantum pretium redemptori suo donent sicut ab eo redempti fuerunt, et in sua libertate permaneant. Si autem ecclesia eos redemerit, gratis sine aliqua compositione liberi fiant. Quod et nos per regnum nostrum, una cum consensu et [1222] fidelium nostrorum consilio [1223], observari regia auctoritate præcipimus. Et si quis dixerit qui [1224] non vult, aut tempore famis, aut pro alia necessitate pretium suum dare pro libero homine, si semper illum servum habere non debet, adtendat quid ei Dominus per apostolum suum dicat: *Qui habuerit, inquiens, substantiam hujus [1225] mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, non manet caritas Dei in eo.* Et qui non habet hanc caritatem, etiamsi ad martyrium et ad ignem se tradiderit, sine ista caritate remissionem peccatorum suorum habere non poterit, et nullatenus in regnum Dei intrabit, quia pro Deo suos denarios vel suam annonam, quæ a Deo accepit, dare non indurat, cum Deus seipsum et sanguinem suum pro eo in cruce, clavis et lancea transfixus, fudit. Et quia hominum ingenia qui Deum non timent, diabolo suadente, multa mala excogitant, potest fieri, ut qui tales homines liberos, necessitate ut diximus cogente, in servos suscipiunt, in alteras partes illos dispendant et vendant. Propterea una cum consensu et [1226] fidelium nostrorum consilio [1227] constituimus, quod in antiquis legibus decretum invenimus, ut si hujusmodi personas aliqui aut ad extraneas gentes aut ad transmarina loca transferre aut venundare præsumpserint, ipse qui hoc contra statuta præsumpserit, constitutionem regii banni componat. Et si talis homo antea liber, usque dum in tali servitio fuerit, de libera femina filios habuerit, ipsi filii liberi permaneant, sicut in præfato 29 capitulo 3 [1228] libri capitulorum prædecessorum ac progenitorum nostrorum habetur de eo qui se loco wadii in alterius potestatem commiserit: salva constitutione legis Romanæ in eis qui secundum illam vivunt.

35. Et sciant comites nostri, quia per singulos comitatus missos nostros dirigemus, qui specialiter de his quæ nunc constituimus inquirant, qualiter in his nostram jussionem adimplere certaverint, sicut in secundo libro capitulorum prædecessorum ac proge-

VARIÆ LECTIONES.

[1206] i. e. *desunt* 3. [1207] Et qui 3. [1208] illud quadragesima *Sirm.* [1209] *deest* 3. [1210] jectione 3. [1211] octabas 3. [1212] *deest* 3. [1213] quia 3. [1214] c, et rescellis debeant (*corr.* debent) 3. [1215] i. constituere 3. [1216] d. eo quod in lege 3. [1217] q. non i. Continetur 3. [1218] *deest* 3. [1219] id 3. [1220] quod 3. [1221] Sanctus autem Gregorius, etiam de his, *Sirm.* [1222] *deest* 3. [1223] *deest* 3. [1224] quia nolo prætium tempore famis dare pro libero homine si semper illum habere servum non debeo, attendat 3. [1225] *deest* 3. [1226] *deest* 3. [1227] *deest* 3. [1228] quarti 3.

NOTÆ.

(151) Id est rebus parvis.

nitorum nostrorum continetur, capitulo 18. Et quicumque neglegens inde inventus fuerit, præcipiemus ut ante nostram præsentiam venire jubeatur, et rationem reddat, utrum hoc quod jussimus facere noluerit, aut non potuerit; aut si aliqua re prædiente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non adnuntiavit. Quia si ipse hoc non voluit, aut suæ negligentiæ causa non potuit, nos talem invenire volumus, qui hoc quod jubemus servare velit aut possit.

36. Volumus, ut sicut in secundo libro capitulorum decessorum ac progenitorum nostrorum continetur capitulo 24, hæc capitula quæ nunc et alio tempore consultu fidelium nostrorum a nobis constituta sunt, a cancellario nostro archiepiscopi et comites eorum [1329] de propriis civitatibus, modo aut per se aut per suos missos accipiunt; et unusquisque per suam diœcesim ceteris episcopis, abbatibus, comitibus, aut [1330] aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, et in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio et voluntas nota fieri possit. Cancellarius autem noster nomina episcoporum et comitum qui ea accipere curaverint, notet, et ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat.

37. Et quoniam fideles nostri in istis qui in Sequana fiunt et in aliis operibus laborant, et heribergum nostrum, quod præterito anno hic fieri jussimus, homines de illa parte Sequanæ in istas partes venientes, et de istis partibus in illas partes euntes destruxerunt per occasionem, quia in illo contra debitam reverentiam manere cœperunt, et nunc istud heribergum non sine labore et dispendio fidelium nostrorum fieri fecimus, volumus et expresse mandamus, ut sicut nec in nostro palatio, ita nec in isto heribergo [1331] aliquis alius [1332] sine nostra jussione manere præsumat, nec [1333] illud aliquis destruat. Quod si aliquis præsumpserit, et a custodibus quos ad hoc deputatos habemus, nobis notum factum fuerit, non sine debita vindicta præsumptor evadet. Quia semper parati esse volumus, et vos paratos esse jubemus, ut in istis partibus, et in aliis quibuscumque nobis necesse fuerit, et contra paganos et contra alios quoscumque, sicut consuetudo fuit, et vestri antecessores nostris antecessoribus auxilium præbuerunt, et vos nobis debitum et necessarium adjutorium exhibuistis, ita nunc et semper communiter ad Dei voluntatem et sanctæ Ecclesiæ atque istius christianitatis defensionem, et nostram communem salutem et pacem obtinendam et defendendam in omnibus, quantum Deus auxilium præstare dignatus fuerit, parati [1334] semper et in omnibus simus.

Et post hæc omnia lecta.

1. Monemus fidelitatem vestram, ut hæc firmiter observetis, et semper sicut Dei et nostri dilecti fideles parati sitis, ut si necessitas nobis evenerit, aut contra paganos aut contra quoscumque alios, ut statim quando unicuique nuntius venerit aut nobis necesse audierit, sine ulla dilatione hostiliter præparatus in Dei et nostrum servitium ad communem utilitatem possit movere et certissime nobis occurrere. Et volumus et expresse mandamus, ut quicumque istis temporibus castella et firmitates et halas sine nostro verbo fecerunt, Kalendis Augusti omnes tales firmitates disfactas habeant; quia vicini et circummanentes exinde multas deprædationes et impedimenta sustinent. Et qui eas disfacere non voluerint, comites in quorum comitatibus factæ sunt eas disfaciant. Et si aliquis eis contradixerit, ad tempus nobis notum facere curent. Qui si hoc, sicut mandamus, adimplere neglexerint, sciant, quia sicut in istis capitulis et capitularibus prædecessorum nostrorum continetur; tales comites quæremus et in illorum comitatibus constituemus, qui nostrum mandatum facere velint et possint.

2. Et qui interpellatus est ut hic aliquam causam debeat diffinire, hic stet, usquequo diffinita sit ratio de qua interpellatus habetur. Et qui pro sua causa hic demorandi habet necessitatem, et ipse nobiscum stare poterit quantum ei necessitas fuerit. Sed et vassalli nostri cum tantis hominibus sicut eis commoditas fuerit, nobiscum remaneant et nobiscum pergant.

3. Vos autem alii, sed et ipsi qui nobiscum remanebunt, in eundo, et in patria remanendo, et ad nos redeundo, pacem a nobis communiter confirmatam servantes, ite cum Dei et nostra gratia. Et Deus nobis concedat ut cito et per plures annos sani et læti nos invicem videamus, et de Dei super nos misericordia et gratia gaudeamus.

HLUDOWICI GERMANICI ET KAROLI II PACTUM TUSIACENSE.

(*An.* 865. *Febr.* 19.)

Mentionem ejus faciunt Annales Hincmari mense Februario an. 865, et Annales Fuldenses, qui tamen illud ad mensem Septembrem anni 864 referunt. Sirmondus illud ex codice Laudunensi, Baluzius ope codicis Rivipullensis edidit.

Anno [1335] incarnationis Dominicæ 865 *Kalend. Martii, hæc quæ sequuntur Hludowicus et Karolus reges in Tusiaco villa populo adnuntiaverunt.*

Sicut vos et plures alios audisse credimus, jam secundo et tertio in isto tempore convenire insimul proposuimus : sed variis occupationibus prædedientibus, hoc usque modo implere nequivimus. Nunc quia, Deo gratias, insimul convenimus, ro-

VARIÆ LECTIONES.

[1329] nostri 3. [1330] et 3. [1331] istum heribergum 3. [1332] *deest* 3. [1333] ne destruatur. Quod 3. [1334] prata s. intentione sitis. 3. *reliqua omnia desunt.* [1335] *Rivip. habet tantum* : Capitula Karoli regis atque Ludovici fratris ejus.

lumus vos scire, quoniam ad nullius deceptionem vel condemnationem, neque pro ulla indebita cupiditate insimul convenimus. Propter quæ autem, excepto debito ac fraterno desiderio ut nos invicem dilectione mutua videremus, noster conventus fuerit, vobis nota facere volumus, et quæ Deo placita et nobis ac fidelibus nostris salubria et proficua sunt, una cum Dei adjutorio et vestro ac ceterorum communium fidelium nostrorum consilio et auxilio, tenere immutabiliter et augere utiliter volumus.

1. Primo nostras et sanctæ Dei Ecclesiæ ac regni nobis commissi necessitates, fraterne et sincera mente ad invicem exposuimus.

2. Illa quæ nuper cum fidelium nostrorum consilio apud Confluentes inter nos confirmata fuerunt, diligenter rememoravimus, quæ inviolabiliter adjuvante Domino conservabimus.

3. Sicut Deus hoc in corde nostro videt, volumus et vos scire, quoniam de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta adunati, id est unanimes effecti sumus, quantum ipse dederit a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, ad Dei voluntatem, et nostrum communem honorem et salvamentum, et ad sanctæ Dei Ecclesiæ statum, et sacerdotum ac servorum ejus debitum honorem et vigorem, ac regni nobis a Deo commissi soliditatem restituendam et conservandam; ut Ecclesia et regnum, quod Deus in manus progenitorum nostrorum adunavit, et nobis misericordia sua commisit, in nostro tempore necessariam defensionem et tuitionem, et honorem atque soliditatem habeat.

4. Quoniam, sicut dicit sancta Scriptura, qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior, consideravimus et confirmavimus in fide nostra inter nos de uxoribus et filiis nostris, qui ita fideliter nobis subditi et obedientes fuerint sicut filii patribus et suis senioribus esse debent, ut unusquisque nostrum alterius filios sicut proprios in vera dilectione habeat; et qui superstes de nobis alteri fuerit, illius qui decesserit uxori et filiis, sicut inter nos convenit debitum et necessarium adjutorium præstet et fidem conservet.

5. Consideravimus et statuimus ut communes fideles nostri, quorum consilio et auxilio sanctam Dei Ecclesiam et regnum nobis commissum gubernare debemus, debitum honorem et salvamentum habeant. Et ipsi ad Dei voluntatem, et ut nostrum debitum honorem et vigorem et salvamentum, et ad sanctæ Dei Ecclesiæ statum, et ad regni soliditatem et defensionem, qualiter populus in regno nostro legem et justitiam et pacem ac tranquillitatem habeat, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, fideli consilio et auxilio nobis sint in omnibus adjutores. Et si aliquis, quod absit, ab hoc deviare tentaverit, unanimiter ut ad hoc redeat illum convertere decertemus. Et si ad hoc reduci non potuerit, unanimiter studeamus, ut vel sibi soli noceat; et contra hoc quod salubriter conservare debemus, non possit damnabiliter agere. Et omnes, tam nobis amici, quam et contrarii, certissimum teneant, quoniam qui contra quemlibet nostrum quiddam adversi machinatus vel molitus fuerit, apud alium locum familiaritatis et amicitiæ non habebit.

6. Vos scitis qualiter nepos noster Hlotharius per suam juventutem, et per levium hominum consensum et hortamentum, et etiam per eorum favorem qui illum salvare debuerant, fecit et facit contra illam legem, quam Deus primo in paradiso primis hominibus dedit, et quam in evangelio per præsentiam carnis cum hominibus habitans renovavit et confirmavit, quæ ad omnes homines pertinet qui secundum Deum legitimo utuntur conjugio. Unde et universalis Ecclesia Dei pulsatur, et sacerdotes sunt dehonorati, et populus Christianus sicut de mali morbi contagio est maculatus. Propterea quod Deus dixit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et sicut scriptum est: *Ipse os nostrum et caro nostra est*, et ecclesia nobis et illi commissa et regnum unum est, et populus ac christianitas una est, consideravimus, ut ad illum missos nostros mittamus, et ei tale consilium mandemus qualiter et ipse coram Deo salvus et coram seculo honoratus esse valeat, et ecclesia et regnum, quod illi ad salvationem commissum est, solidum esse possit, et populus Dei salvus sit, et legem ac justitiam et pacem ac tranquillitatem habeat.

7. Quia etiam ipse suos missos ad nos transmisit quasi consilium quærens, per nostros missos et de his unde nobis mandavit, quantum nobis Dominus dedit, ei verum et sincerum concilium remandamus, et talem voluntatem nostram esse erga eum sicut vobis dicimus, illi per eosdem missos nostros mandamus.

KAROLI CAPITULA MISSIS DATA.

(*Ann.* 865. *Febr.*)

Excipiunt pactum superius in codice Landunensi, unde ea Sirmondus publici juris fecit. Baluzius ea ope codicum a nobis etiam adhibitorum 4) *bibl. regiæ Parisiensis n.* 4626 *sæc.* x, *olim Bigotiani, et* 5) *bibl. ejusdem n.* 4761, *olim Divionensis, emendavit.*

Hæc quæ sequuntur capitula misit domnus rex Karolus in Burgundiam exequenda per Gauslenum [1226] *et Fulconem et per Waltarium et Lantwinum* [1227], *de Tusiaco, anno incarnationis Dominicæ* [1228].

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis. Karolus gratia Dei rex, omnibus episcopis, abbatibus,

VARIÆ LECTIONES.

[1226] *Sirmondus*, Gauslinum: *at manu posuit* Gaussenium Bal. [1227] *Sirmondus*, Lantvinum: *at manu correxit* Lantuvinum Bal. [1228] *hæc non habent* A. S.

abbatissis, comitibus, et vassis nostris, seu cunctis Dei et nostris fidelibus in regno Burgundiæ consistentibus, salutem. Volumus[a] et expresse præcipimus ut in his quæ subjuncta [1319] sunt exequendis, et in aliis quæ ad Dei voluntatem et sanctæ Ecclesiæ statum, atque ad nostram fidelitatem et ad nostrum honorem, ac ad regni soliditatem, necnon ad commune fidelium nostrorum salvamentum pertinent, unusquisque secundum quod suo ordini et suæ personæ competit, istis missis nostris obedientes et adjutores in omnibus existatis.

1. Ut sicut nostri infideles et communes contrarii nostri se invicem confirmaverunt ad nostram contrarietatem, ut nullus de his quæ consideraverint suum parem discooperiat vel prodat, neque ad illa quæ adimplere volunt dimittat, ita fideles nostri se confirment ad Dei voluntatem et nostram fidelitatem, et ad honorem et sanctæ Ecclesiæ statum, et regni utilitatem, et illorum commune adjutorium et salvamentum. Et nullus fidelium nostrorum cuicumque infideli nostro quocumque modo se conjungat, aut in aliquo faveat, vel in quacumque causa in qua illum impedire potuerit illi parcat, nisi statim ad fidelitatem nostram se convertere voluerit. Et si pro certo cognoscere potuerit, qui contra istud capitulum fecerit, non nobis celet. Et si aliquis audierit, quod pari suo fideli nostro necessitas evenerit aut evenire debeat ad resistendum infideli nostro, non expectet ut illi hoc mandetur, sed statim sit præparatus, sicut Dei fidelis et noster, ad suum parem in nostra fidelitate adjuvandum, et quantum potuerit pergere festinet.

2. Ut omnes qui fidelitatem nobis adhuc promissam non habent, fidelitatem nobis promittant; sicut in capitulis avi et patris nostri continetur.

3. Ut qui fidelitatem nobis promiserunt, et post illud sacramentum ad infideles nostros in nostrum damnum se conjunxerunt, proprietas illorum in nostrum indominicatum recipiatur, donec ipsi per fidejussores in nostram præsentiam veniant.

4. Ut nullus infidelium [1320] nostrorum, qui liberi homines sunt, in nostro regno immorari vel proprietatem habere permittatur, nisi fidelitatem nobis promiserit, et noster aut nostri fidelis homo deveniat.

5. Ut illæ traditiones injustæ et a nostris antecessoribus atque a nobis prohibitæ, quæ factæ sunt aut mulieribus aut matribus aut quibuscumque personis, ut liberius ipsi traditores nostram infidelitatem perficere possint, aut ut justitiam in comitatibus non reddant, tanquam factæ non fuerint, pro nihilo habeantur. Et sicut ipsi ipsos alodes in sua manu tenuisset, ita de ipsis alodibus fiat. Et si nec ita ad fidelitatem nostram aut ad justitiam reddendam adduci potuerint, ipsi alodes in nostrum dominicatum recipiantur, et certa illorum descriptio nobis adportetur. Ipsi autem infideles nostri in nostro regno locum habere non permittantur. Similiter et de commendationibus quarumlibet facultatum vel pecuniarum fiat; et si ad casam Dei aliquid commendatum habent, ipse episcopus vel rector ecclesiæ ubi commendatæ sunt, aut illis præsentaliter in præsentia missorum nostrorum reddant qui eas commendaverunt, aut coram missis nostris sigillentur, et sub sigillo custodiantur, donec ipsi veniant qui eas commendaverunt, et coram missis nostris illas recipiant, et perinde distringantur, ut ad fidelitatem nostram et ad pacem ecclesiæ ac regni revertantur.

6. Ut de injustis commutationibus quæ ad casas Dei factæ sunt sine regia auctoritate, missi nostri inquirant, et eas [1321] dissolvant, sicut in capitularibus avi et patris nostri continetur. Et si mortua manus vel præceptum regium super eas interjacet, describantur diligenter atque fideliter qualiter factæ sunt, et nobis missi nostri renuntient; et signatis ipsis præceptis, sicut lex Romana præcipit, ad nostram præsentiam deferri faciant, sicut in capitularibus progenitorum nostrorum continetur.

7. Quia, ut comperimus, plures nobis petierunt alodes, et petentes parum, plus inde acceperunt, volumus ut missi nostri hoc diligenter inquirant et describant, et ipsos homines cum præceptis ad nostram præsentiam venire faciant.

8. Ut missi nostri de omnibus censibus vel paraveredis quos Franci homines ad regiam potestatem exsolvere debent, inquirant, et ubi per neglectum dimissum est, exsolvi faciant, et diligenter de singulis comitatibus cuncta describant, et nobis renuntient. Similiter et de terris [1322] censalibus, et de rebus ad casas Dei traditis, unde census ad partem regis exivit antiquitus. Et si aliquis aliquam auctoritatem regiam inde ostenderit, ad nostram præsentiam ipsam auctoritatem deferri faciant.

9. (Anseg. iv, c. 48.) Ut missi nostri de locis ad claustra canonicorum vel monachorum, ubi necesse fuerit, nostra auctoritate exsequantur, sicut in capitularibus avi et patris nostri continetur.

10. (*Cap.* 49.) Ut de nonis et decimis ad casas Dei reddendis missi nostri exsequantur, sicut in præfatis capitularibus continetur.

11. (*cap.* 85.) Ut de uno manso ad ecclesiam dato nullus census neque caballi pastus a senioribus de presbyteris requiratur, sicut in præfato capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco sepulturæ ad easdem ecclesias datis, neque de decimis, sicut in canonibus et in præfatis capitularibus continetur. (*Cap.* 84.) Et ubi inventum fuerit et a missis nostris, quod seniores sine conscientia episcoporum presbyteros de ecclesiis ejiciunt vel in ecclesiis statuunt, missi nostri sicut in præfatis capitularibus continetur, inde faciant. Et episcopi de

VARIÆ LECTIONES.

[1319] subjecta 4. [1320] nulli fidelium 4. [1321] requirant, ut eas *Sirm.* [1322] ceteris 4.

clericis hominum nostrorum ita faciant, sicut in eisdem capitularibus continetur.

12. Ut missi nostri justitias, quantum temporis qualitas permiserit, omnibus indigentibus faciant; et quod modo pro qualitate vel brevitate temporis facere non potuerint, comitibus commendent, ut tempore congruo eis legem et justitiam faciant. Et in suis memorialibus adnotent de quibus comitibus commendaverunt; ut si iterum illi homines se reclamaverint quod justitiam habere non potuerunt, nos ipsi investigemus et decernamus quare hoc ipsi comites demiserunt.

13. Ut si infideles nostri se adunaverint ad devastationem regni nostri, fideles nostri, tam episcopi, quam abbates, et comites, et abbatissarum homines, sed et ipsi comites ac vassi nostri, seu ceteri quique fideles Dei ac nostri, de uno missatico se in uno adunare procurent. Et missi nostri de ipso missatico providentiam habeant, qualiter unusquisque episcopus, vel abbas, seu abbatissa, cum omni plenitudine et necessario hostili apparatu, et ad tempus, suos homines illuc transmiserit cum guntfanonario [1153] (152) qui de suis paribus [1154] cum missis nostris rationem habeat; et qualiter ipsi comites et vassi nostri seu ceteri quique Dei fideles ad hoc occurrerint, nobis scripto renuntient. Et si de uno missatico ad hoc prævalere non potuerint, ad alium missaticum celeriter missos suos dirigant, et omnes, sicut prædiximus, de alio missatico ad illos qui indigent præparati occurrant. Et si illi duo missatici ad hoc non suffecerint, nobis ad tempus hoc mandent, qualiter aut per nos, aut per filium nostrum, aut sicut viderimus, eis necessarium solatium transmittamus, quatenus in regno nostro nullus noster infidelis vel contrarius locum nocendi habeat.

14. Ut quia, sicut audivimus, quidam in domibus suis resident quamdiu pacem habere possunt, et cum necessitas venit, dicunt se in nostrum venire servitium, nolumus ut aliquis de his qui in illa terra manent, et eam contra inimicos nostros defendere debent, deinceps hanc occasionem habeat; sed cum necessitas fuerit, sicut prædiximus, ad missos nostros et ad pares suos occurrant. Et si nos eum [1155] specialiter ad nos venire mandaverimus, aut ipse nobis necessariam causam de nostra fidelitate nuntiare voluerit, plenitudinem hominum [1156] suorum illic ad nostram fidelitatem exsequendam dimittat, et missis nostris vel paribus suis hoc notum faciat. Aliter autem in nullam partem de illa terra pergat, nisi cum communi consilio vel commendatione [1157] missorum nostrorum aut reliquorum fidelium nostrorum qui illam terram defendere debent. Et missi nostri cum episcopis et comitibus ac vassis nostris, qui super aquas commanent per quas infideles nostri ad regnum nostrum transeunt, ordinent qualiter illæ naves custodiantur, ne infideles nostri ad regnum nostrum devastandum transire possint. Et per cujus neglectum ipsæ naves postea bene custoditæ non fuerint, nobis renuntietur, ut nos decernamus qualiter de illo contemptore præcepti nostri, quasi de proditore patriæ, agi debeat.

15. Ut si missi nostri talem causam in illa terra invenerint, quam ad debitum finem nec per ista capitula, nec per capitula progenitorum nostrorum, neque per legalia capitula perducere possint, nobis rationabiliter et veraciter remandare procurent, ut nos illis remandemus qualiter inde agere debeant.

16. Ut ministri comitum in unoquoque comitatu dispensam missorum nostrorum, a quibuscumque dari debet, recipiant, sicut in tractoria nostra continetur; et ipsi ministerialibus missorum nostrorum [1158] eam reddant. Missi autem nostri provideant, ne pro hac occasione inde ministri comitum amplius, nisi quantum in tractoria nostra continetur, inde exigant [1159].

HLOTHARII II SACRAMENTUM DE THEOTBERGA RECIPIENDA.

(*An.* 865. *Aug.* 3.)

Sacramentum a duodecim hominibus ex parte Hlotharii præstitum, servatur in Annalibus Hincmari Monum. Germ. SS. Tom. I, p. 468, 469, *Patrologiæ* tom. CXV, unde illud hic repetendum censuimus.

Juraps promitto ego talis per hæc quatuor sancta Christi evangelia, quæ manibus meis tango, atque istas sanctorum reliquias, quia senior meus Hlotharius rex, filius quondam piæ recordationis Hlotharii serenissimi imperatoris, amodo et deinceps accipiet Theodbergam uxorem suam pro legitima matrona, et eam sic habebit in omnibus, sicut decet regem habere reginam uxorem. Et propter jam fatas dissensiones neque in vita, neque in membris, neque a prædicto seniore meo Hlothario, neque a nullo hominum ipso instigante aut auxiliante vel etiam consentiente aliquod malum habebit; sed eam sic habe-

VARIÆ LECTIONES.

[1153] gunt fanonario 4. [1154] partibus *corr.* paribus 5. partibus 4. [1155] si quem *Sirm.* [1156] omnium 5. [1157] consilio et commendatione *Sirm.* [1158] ministrorum nostrorum : *at manu posuit* missorum nostrorum *Sirmond. Bal.* [1159] *reliqua desunt* 4. 5.

NOTÆ.

(152) Vexilifer, dux. Sirmond.

bit, sicut regem decet habere uxorem legitimam : ea tamen ratione, ut sic se amodo custodiat, sicut decet uxorem suo seniori in omnibus observare honorem. Hæc sunt nomina eorum qui hoc juraverunt : De comitibus Mi'o, Ratharius, Erlandus, Theutmarus, Weremboldus, Rocolfus comes. De vassalis Erleboldus, Vulfridus, Eidulfus, Bertanundus, Nithardus, Arnostus. Hoc juratum est super quatuor Dei evangelia atque pretiosissimum lignum sanctæ Dominicæ crucis et alias sanctorum reliquias, in loco qui dicitur Vindonissa, die tertia mensis Augusti, indictione 13. Hoc factum est temporibus domni ter beatissimi et coangelici Nicolai apostolici, mediante et constituente Arsenio venerabili episcopo, misso et apocrisiario summæ sanctæ catholicæ atque apostolicæ sedis, apostolicam habente auctoritatem et legato ejusdem domni Nicolai apostolici. Nomina episcoporum in quorum præsentia et qui interfuerunt, hæc sunt : Harduicus archiepiscopus Besintionensis, Remedius archiepiscopus Laudunensis, Ado archiepiscopus Biennensis, Rodlandus archiepiscopus Arelatensis, Adventius episcopus, Mettensis, Atto episcopus Bardunensis, Franco episcopus sancti Landberti, Rataldus episcopus Stratiburgensis, Fulericus capellanus et missus imperialis. De regno autem Karoli Isaac episcopus Linguinensis, Erkanraus episcopus Catalaunensis, de quorum manibus ex parte Karoli regis suscepta est Theodberga regina ab Arsenio, venerabili episcopo et legato apostolicæ sedis, una cum prænominatis archiepiscopis et episcopis ; adstantibus vero in eodem loco de diversis regnis nobilibus viris cum multitudine populi publice hæc videntibus et audientibus, quorum nomina per omnia non valuimus huic inferre paginæ.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CONSTITUTIO DE EXERCITU BENEVENTUM PROMOVENDO,

(*An.* 866.)

Editam a Camillo Peregrinio in Historia principum Langobardorum tom. I, p. 99 101, ex codice unico Casinensi, ope ejusdem codicis n. 353 membr. sæc. x, iterum a nobis evoluti emendatiorem sistimus. Distinctionem capitum in codice haud obviam Balæzius introduxit.

Constitutio promotionis exercitus observationis partibus Beneventi, sub indictione quinta decima.

1. Quicumque de mobilibus widrigild suum habere potest, pergat in hoste. Qui vero medium widrigild habet, duos juncti in unum qualitatem instruant, ut bene ire possint. Pauperes vero personæ ad custodiam maritimam vel patriæ pergant ; ita videlicet, ut qui plus quam decem solidos habet de mobilibus, ad eandem custodiam vadant. Qui vero non plus quam decem solidos habet de mobilibus, nil ei requiratur. Si pater quoque unum filium habuerit, et ipse filius utilior patre est, instructus a patre pergat. Nam si pater utilior est, ipse pergat. Si vero duos filios habuerit, quicumque ex eis utilior fuerit, ipse pergat ; alius autem cum patre remaneat. Quod si plures filios habuerit, utiliores omnes pergant ; tantum unus remaneat, qui inutilior fuerit. De fratribus indivisis, juxta capitularem domini et genitoris nostri volumus, ut si duos fuerint, ambo pergant. Si tres fuerint, unus qui inutilior apparuerit, remaneat ; ceteri pergant. Si quoque plures omnes utiliores apparuerint, pergant ; unus inutilior remaneat. De qua condicione volumus, ut neque per præceptum, neque per advocationem, aut quamcumque occasionem excusatus sit, aut comes aut gastaldus vel ministri eorum ullum excusatum habeant ; præter quod comes in unoquoque comitatu unum relinquat qui eumdem locum custodiat, et duos cum uxore sua. Episcopi ergo nullum laicum relinquant. Quicumque enim contra hanc institutionem remanere præsumpserit, proprium ejus a missis, quod [1330] subter ordinatum habemus, præsentaliter ad nostrum opus recipere jussimus, et illum foras ejicere.

2. Omnibus enim notum esse volumus, quia jam a prioribus nostris juxta hanc institutionem tultæ fuerunt, sed pro misericordia recuperare meruerunt. Nunc autem certissime scitote, cujuscumque proprietas tulta fuerit, vix a nobis promerebitur recuperatione.

3. A fluvio Pado usque Trebia sit missus Iotselmus. Inter Padum et Ticinum Eriulfus. Inter Ticinum et Adda Erembertus. Inter Adda et Addiza Landebertus. Ab Addiza usque Forum Julii Teodoldus. Petrus et Arthemius episcopi, junctis secum missis episcoporum et comitum, Pisa, Luca ; Pistoris et Lunis Teutmundus ; Florentia, Volterra et Aritio Rodselmus ; Clusio et Sena Andreas. In ministerio Witonis, Rimmo et Joannes episcopus de Forcona. In ministerio Verengari, Hiselmundus episcopus. In littore Italico, Ermefridus, Macedo, et Vulfericus.

4. Hi volumus ut populum ejiciant, et custodiam prævideant, et populum in castella residere faciant, etiam et cum pace. Nam si missus aliquis ausus fuerit prætermittere, quin ominibus [1331] (153) remanserint, præsentaliter proprium tollant, et eum foris ejiciant. Et si inventus fuerit ipse missus, proprium suum perdat. Et si comes aliquem excu-

VARIÆ LECTIONES.

[1330] *lege* secundum quod e. o. h. [1331] *ita correxi* qui nominibus.

NOTÆ.

(153) i. e. homines.

satum, aut bassalum suum, præter quod superius diximus, dimiserit, honorem suum perdat. Similiter eorum ministri, si aliquem dimiserint, et proprium et ministerium perdant.

5. Quod si comes aut bassi nostri aliqua infirmitate detenti remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint, aut abbates vel abbatissæ si plenissime homines suos non direxerint, ipsi suos honores perdant, et eorum bassalli et proprium et beneficium amittant. De episcopis autem cujuscumque bassallus remanserint, et proprium et beneficium perdant.

6. Si quoque episcopus absque manifesta infirmitate remanserit, pro tali neglegentia ita emendet, ut in ipsa marcha resideat, quousque alia vice exercitus illuc pergat.

7. Et ut certissime sciatis quia hanc expeditionem, in quantum Dominus largire dignatus fuerit [1232], plenissime explere volumus, constituimus ut episcopus, comes, aut bassus noster, si in infirmitate incerta detentus fuerit, episcopus quippe per suum missum, quem meliorem habet, comes vero et bassi nostri per se ipsos hoc sub sacramentum affirment, quod pro nulla occasione remansissent, nisi quod pro certissima infirmitate hoc agere non potuissent.

8. Omnes enim volumus ut omni hostili apparatu secum deferant, ut cum nos hoc prospexerimus [1233] et inbreviare fecerimus, non neglegentes appareant, sed gratiam quoque nostram habere mereantur.

9. Vestimenta autem habeant ad annum unum, victualia vero quousque novum fructum ipsa patria habere poterit. Fagidis (154) enim quicumque eundo et redeundo commotionem fecerit, vitæ incurrat periculum.

10. Et quia etiam temporis congruentia imminet quadragesimale, in quo studenda sunt præcepta Dei, constituimus ut quicumque ecclesiam Dei fregerit, adulteria et incendia fecerit, vitæ incurrat periculum. Quicumque caballum, bovem, friskingas, vestes, arma, vel alia mobilia tollere ausus fuerit, triplici lege componat; et liberum [1234] armiscara, id est sella ad suum dorsum, ante nos a suis senioribus dirigatur, et usque ad nostram indulgentiam sustineat. Servi vero flagellentur et tundantur, et illorum domini, quæ ipsi tulerunt, restituant. Quod si clamor ad seniores venerit, et ipsi talia non emendaverint, tunc horum seniores ipsam compositionem faciant, et eadem armiscara, quamdiu nobis placuerit, sufficere compellantur.

11. Et hoc constituimus ut ex utraque parte justitia servetur. Videlicet nostri sicut circavicini, quæ necessaria sunt, emenda. Vicini autem nullatenus carius quam suis circavicinis vendere præsumant.

12. Qui vero homicidia indiscrete et præsumptiose fecerit, vitæ incurrat periculum.

13. Iter enim erit nostrum per Ravennam, exin mediante mense Martio in Piscaria, et omnis exercitus Italicus nobiscum. Tuscani autem, cum populo qui de ultra veniunt, per Romam veniant ad Pontem-curvum, inde Capuam, et per Beneventum descendant nobis obviam Luceria octavo Kalendas Aprilis.

CORONATIO HERMINTRUDIS REGINÆ,

QUANDO SACRATA EST ANNO 866, MENSE AUGUSTO, IN SYNODO SUESSIONENSI.

Formulam ex codice S. Laurentii Leodiensis a Sirmondo editam hic iterum proponimus.

Adlocutio ducrum episcoporum in ecclesia sancti Medardi quando Hermintrudis fuit consecrata in reginam.

Volumus vos scire, fratres, quia domnus et senior noster Karolus rex gloriosus nostræ humilitatis petiit devotionem, ut auctoritate ministerii nobis a Deo conlati, sicut ipse in regem est unctus et consecratus episcopali auctoritate, unctione sacra et benedictione, veluti in Scripturis legimus Dominum præcepisse ut reges ungerentur et sacrarentur in regiam potestatem, ita uxorem suam dominam nostram in nomine reginæ benedicamus, sicut et a sede apostolica et a nostris decessoribus antea de aliis factum comperimus. Et ut non vobis sit mirum quare hoc petat, fraternitati vestræ rationem reddere maturamus. Videlicet quia, sicut multis est cognitum, Deus omnipotens sua gratia istud regnum in manus suorum antecessorum mirabiliter adunavit. Quod ipsi decessores sui nobiliter gubernaverunt, et per successiones sua progenies usque ad hæc tempora rexit. Et isti nostro seniori Deus filios, sicut vobis notum est, dedit: in quorum nobilitate ad sanctam ecclesiam et regnum, quod Deus illi ad regendum commisit, fideles illius spem maximam se habere sunt gratulati. De quibus ipse aliquos Deo obtulit, ut etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret. Aliquos Deus adhuc ætate immatura sua gratia de hoc seculo rapuit, ne, ut scriptum est, malitia mutaret corda eorum. Aliquibus autem, quod vos non latet, suo judicio talem passionem permisit incur-

VARIÆ LECTIONES.

[1232] In q. d. l. d. fuerit et ut c. s. q. h. expeditionem plenissime explere volumus *c. Ego sententias transponendas duxi.* [1233] propspexerimus c. [1234] *lege* liber cum a.

NOTÆ.

(154) i. e. faidis.

rere, sicut fideles illius agnoscuntur dolere. Propterea petit benedictionem episcopalem super uxorem suam venire; ut talem sobolem ei Dominus de illa dignetur donare, unde sancta Ecclesia solatium, et regnum necessariam defensionem, et fideles illius desiderabile adjutorium, et ista Christianitas optabilem tranquillitatem et legem atque justitiam, dum illis quos adhuc habet, annuente et cooperante Domino, possit habere. Et de hoc in sanctis Scripturis habemus auctoritatem, quia sicut Dominus ad Abraham dixit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, cui jam centenario de nonagenaria uxore Isaac filium dedit, ita et ipsum Isaac uxorem sterilem accipere fecit, ut et in hoc, sicut in multis solet facere, misericordiæ suæ largitatem ostenderet. Et inde dicit Scriptura, quia *deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis*, et concepit. Et non sit vobis mirum, cur antea hoc non fecit. Quia, sicut sacra Scriptura dicit, in primordio conjunctionis masculi et feminæ dixit Dominus ad Evam: *Ad virum tuum erit conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Et cum jam essent moribus in legitima conjunctione maturi et provectæ ætatis Abraham et Sarra, et, ut sanctus Petrus dicit, *Sarra obediebat Abrahæ, dominum eum vocans*, dixit Dominus ad Abraham, quod antea nec ipsi nec alio homini legimus illum dixisse: *Omnia quæ dixerit tibi Sarra, audi vocem ejus.* Jam enim et Abraham presbyter merito vocabatur, et defecerant muliebria, id est omnis lascivitas Sarræ; et tunc acceperunt benedictionem seminis benedicti a Domino, in quo benedicuntur omnes gentes. Amen. His ergo fulti auctoritatibus, in dispensandis Dei donis, qui ab illo ministri ejus sumus ad hoc constituti, ut Leo dicit, non debemus esse difficiles, nec devotorum petitiones negligere; maxime si ipsas petitiones evidentibus indiciis ex Dei viderimus inspiratione conceptas. Quia multiplex misericordia Dei ita saluti humanæ subvenire decrevit, ut præcipue sacerdotum supplicationibus ipsa salus debeat obtineri. Cui operi, ut in sacris literis legimus, ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest quæ ministris suis exsequenda commisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Et si quid per servitutem nostram bono ordine et gratulando implemus affectu, ut Leo dicit, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Et ideo, fratres, quoniam ita est, et nostra pro vobis ministratio, et vestra erga nos conjuncta devotio, ut una fiat apud Dominum supplicatio, sicut legimus, quia ad hoc constituti sunt sacerdotes, ut prius pro suis, deinde pro populi orent peccatis, et oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro, id est pro omni episcoporum choro, orantibus nobis pro communi nostra, immo pro totius ecclesiæ ac populi necessitate atque salute, commune votum etiam vestra communis prosequatur oratio apud eum qui facit unanimes habitare in domo, et vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Oratio. Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, et dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ac femineo corpori de virili dedisti carne principium, docens quia quod ex uno placuit tibi institui, non liceat ab homine separari, respice propitius super hanc famulam tuam maritali junctam consortio, quæ tua se expetit protectione muniri. Sit in ea jugum dilectionis et pacis. Fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longæva et fidelis ut Sarra. Nihil in ea ex actibus suis auctor prævaricationis usurpet. Nexa fidei mandatis permaneat, uni thoro juncta contactus inlicitos fugiat. Muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita. Sit fœcunda in tibi placita sobole, sit probata et innocens. Percipiat per hanc sacram misericordiæ, et lætitiæ, et exultationis olei unctionem sanitatem mentis, incolumitatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, plenitudinem caritatis. Corona eam, Domine, corona justitia, corona eam fructibus sanctis et operibus benedictis. Sit meritis et nomine atque virtute regina, adsistens in hoc seculo fide recta et operibus bonis, et in futuro honore et gloria coronata a dextris regis, in vestitu bonorum operum, circumdata virtutum varietate. Fac illam talem sobolem generare quæ ad paradisi tui pertineat hereditatem. Præsta, Domine, huic famulæ tuæ tantum caritatis affectum et misericordiæ studium atque religionis augmentum, ut tuum jugiter promereatur auxilium. Callidi serpentis ab ea venena repelle, et lorica fidei indutam scuto salutis eam defende, actus ejus corrige, vitam emenda, mores compone, et eam in senectute bona ad cœlestia regna digneris perducere. Per eundem Dominum nostrum.

Coronet te Dominus gloria et honore et sempiterna protectione. Qui vivit et regnat.

Deus omnipotens, qui benedixit Adam et Evam dicens: *Crescite et multiplicamini*, et patriarcharum benedixit conjugia, quique cum Tobia misit Raphael angelum suum, cujus ministerio dæmonium effugavit a Sarra uxore ipsius, benedicat te et illam futuram uxorem tuam, ut secundum præceptum Domini effecti duo in carne una, quod Deus jungit, homo non separet, et det vobis benedictionem de rore cæli et de pinguedine terræ. Benedicimus enim vobis in nomine Domini: qui mittat angelos suos bonos, ut vos custodiant semper, et omnem phantasiam et nequitiam atque versutiam omnium malignorum spirituum et hominum a vobis depellant, et ab omni inquinamento omnis adulterii, omnibusque insidiis humanis et diabolicis protegant, muniant, et defendant. Gratia domini nostri Jesu Christi, qui amorem et timorem suum jugiter cordibus vestris infundat; ut consenescatis pariter in senectute

bona, et videatis filios filiorum vestrorum florentes in voluntate Domini, et pax vobiscum permaneat, atque in fide recta, ac bonis operibus, et concordia bona, et amore conjugali sincero, necnon et in confessione sanctæ trinitatis et Ecclesiæ catholicæ communione perseverantes, ad vitam perveniatis æternam. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

HLUDOWICI ET KAROLI CONVENTUS METTIS.

(*An.* 868. *Jun. exeunte vel Jul.*)

Sirmondus, primus sacramenti ejus ex codice Laudunensi ut videtur editor, et Baluzius anno illud 868 adsignaverunt; et ex inscriptione post diem 20 Junii quo Caroli annus 29 incipit, et ante Kalendas Septembres quibus indictio prima explicit, collocandum est. Conventus hujus Hincmarus mentionem non fecit; quem enim anno 867 refert, haud apud Mettis factum esse inde redire videtur, quod Karolum a Hludowico reducem per Hlotharium in Arduenna consistentem rediisse, et inde Hlotharium a Mettis Francofurtum petiisse dicat.

Anno incarnationis Dominicæ 868, *indictione prima, Mettis civitate apud sanctum Arnulfum, hæ pactiones inter Hludowicum et Karolum gloriosos reges factæ sunt, his præsentibus. Hincmaro archiepiscopo, Liutberto archiepiscopo, Altfrido episcopo, item Hincmaro episcopo* (155), *Witgario episcopo* (156), *Odone episcopo* (157), *regni Karoli gloriosi regis* 29.

Amodo et deinceps ad Dei voluntatem, et sanctæ Ecclesiæ restaurationem et honorem atque defensionem, et ad nostrum communem honorem et salvamentum atque profectum, et ad salvationem ac pacem Christiani populi nobis commissi, isti fratri meo Karolo et consilio et auxilio in vera fraternitate, quantum Deus mihi scire et posse dederit, fidelis adjutor ero. Et si Deus nobis amplius adhuc de regnis nepotum nostrorum donaverit, et in acquirendo ac in dividendo, sicuti plus æqualiter aut nos aut nostri communes fideles invenerint quos communi consensu elegerimus, et in ipsa divisione consentiendo, et in habendo, et in conservando atque defendendo, tam istud quod habemus quam et quod nobis de præfatis regnis Dominus concesserit, absque dolositate aut deceptione vel superabreptione illi sincerus auxiliator et cooperator ero, sicut verus frater vero fratri per rectum esse debet; in hoc, ut ipse similiter erga me conservet. Mundeburdem autem et defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ pariter conservabimus; in hoc, ut Romani pontifices nobis debitum honorem conservent, sicut eorum antecessores nostris antecessoribus conservaverunt. Sic me Deus adjuvet et isti sancti.

Similiter et Karolus Hludowico promisit.

KAROLI II CONVENTUS APUD PISTAS.

(*An.* 869. *Jun. exeunte, Julio.*)

Sirmondi et Baluzii editiones repetimus.

Hæc quæ sequuntur capitula constituta sunt a domno nostro Karolo, rege glorioso, cum consilio et consensu episcoporum ac ceterorum Dei et suorum fidelium qui adfuerunt in loco qui dicitur Pistis, anno incarnationis Dominicæ 869, *anno autem regni sui* 30, *indictione secunda, et ab eo denuntiata sunt a se et ab omnibus fidelibus suis secundum uniuscujusque ordinem et personam inviolabiliter conservanda.*

1. De honore et cultu Dei atque sanctarum ecclesiarum in regno nostro decernimus, ut sicut tempore avi et patris nostri excultæ et honoratæ fuerunt, et sicut a nostra largitate honoratæ et ditatæ sunt, vel deinceps fuerint, salva æquitatis ratione, ita sub immunitate permaneant. Archiepiscopi quoque et episcopi et ceteri sacerdotes ac servi et ancillæ Dei, quique vel quæque in ordinis sui dignitate, honorem atque immunitatem secundum sacras leges et canones habeant.

2. Ut ab archiepiscopis et episcopis et ab aliis fidelibus nostris honor regius et potestas ac debita obedientia, atque adjutorium ad regnum nostrum continendum et defensandum, nobis in omnibus et ab omnibus secundum uniuscujusque ordinem et dignitatem atque possibilitatem, sicut tempore antecessorum nostrorum juste et rationabiliter consueverat, exhibeatur.

3. Ut omnes nostri fideles veraciter sint de nobis securi, quia quantum sciero et juste ac rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque secundum sui ordinis dignitatem et personam honorare et salvare et honoratum ac salvatum conservare volo, et unicuique eorum in suo ordine secundum sibi competentes leges, tam mundanas quam ecclesiasticas, rectam rationem et justitiam conservabo: et nullum fidelium nostrorum contra legem et justitiam, vel auctoritatem ac justam rationem, aut damnabo aut dehonorabo, aut opprimam, aut indebitis machi-

NOTÆ.

(155) Laudunensi.
(156) Augustano.
(157) Bellovacensi.

nationibus affligam; et legem, ut prædiximus, unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore antecessorum meorum habuerunt, in omni dignitate et ordine, adjuvante Domino, conservaturum perdono, cuilibet duntaxat ex eis qui mihi fideles et obedientes ac veri adjutores atque cooperatores juxta suum ministerium et personam, consilio et auxilio secundum suum scire et posse, et secundum Deum ac secundum seculum fuerint, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu regi suo et suo seniori esse debet. Et capitula quæ avus et pater noster pro statu et munimine sanctæ Dei Ecclesiæ ac ministrorum ejus et pro pace ac justitia populi et quiete regni constituerunt, et quæ nos cum fratribus nostris regibus et nostris ac eorum fidelibus communiter constituimus, sed et quæ nos consilio et consensu episcoporum ac ceterorum Dei et nostrorum fidelium, pro suprascriptis causis in diversis placitis nostris conservanda statuimus, permanere inconvulsa decernimus.

4. Ut quia regia nostra potestas hoc, adjuvante Domino, exequi per omnia cupit, regni ministri, quantum Deus scire et posse illis donaverit, episcopis et ceteris sacerdotibus ac servis et ancillis Dei, ut suum ministerium implere possint, sicut ab antecessoribus nostris imperatoribus et regibus et a nobis constitutum est, adjutorium præstent, et sanctis ecclesiis et sacerdotibus ac servis et ancillis Dei, secundum sacras leges tam mundanas quam ecclesiasticas, et secundum capitula avi et patris nostri ac nostra, debitum honorem et immunitatem conservent et exhibeant, ut quiete pro stabilitate regni ac nostra et illorum salute Dominum exorare possint.

5. Ut episcopi comitibus, missis, et vassis nostris, sed et ipsis suis subditis, tam clericis quam laicis, et comitum ac vassallorum nostrorum hominibus, paternam benignitatem secundum suum ministerium, et debitum honorem ac legem et justitiam, unicuique secundum suum ordinem ac dignitatem impendant et conservent, sicut sacræ leges tam mundanæ quam ecclesiasticæ, et capitula avi et patris nostri decernunt, et sicut in capitulis a nobis et a fratribus nostris regibus ac communibus fidelibus nostris est constitutum, et sicut temporibus avi et patris nostri justa et rationabilis consuetudo fuit. Similiter comites et missi ac vassi nostri episcopis ac presbyteris debitam reverentiam, et vassallis episcoporum legem et justitiam et debitum honorem impendant, secundum præfatas leges et præfata capitula ac præfatam consuetudinem.

6. Ut si episcopi suis clericis injuste fecerint, secundum quod sacri canones et sacræ leges, quas ecclesia catholica probat et servat, præfigunt, hoc eorum judicio, quorum interest, emendare procurent.

7. Ut si episcopi suis laicis injuste fecerint, et ipsi laici se ad nos inde reclamaverint, nostræ regiæ potestati secundum nostrum et suum ministerium ipsi archiepiscopi et episcopi obediant, ut secundum sanctos canones, et juxta leges quas ecclesia catholica probat et servat, et secundum capitula avi et patris nostri, hoc emendare curent, et sicut temporibus avi et patris nostri justa et rationabilis consuetudo fuit.

8. Ut presbyteri parochiani suis senioribus debitam reverentiam et competentem honorem atque obsequium secundum suum ministerium impendant, sicut in legibus sacris et in præfatis capitulis continetur, et sicut temporibus avi et patris nostri justa et rationabilis consuetudo fuit. Quod si ipsi presbyteri non fecerint, seniores illorum episcopis, non per occasionem aut malitiam, sed per rationem et veritatem, hoc innotescere studeant; et episcopi presbyteros secundum suum ministerium et leges ecclesiasticas taliter castigent, ut hoc illos emendare delectet; qualiter cum necessaria benignitatis concordia et illi pro senioribus suis orare, et seniores illorum sacra officia et divina mysteria puro corde per illos suscipere possint.

9. Ut si abbates vel abbatissæ, aut comites seu vassi nostri, aut ceteri laici clericos probabilis vitæ et doctrinæ episcopis canonice consecrandos suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos episcopi vel ministri eorum rejiciant; et episcopi prævideant quem honorem presbyteri pro ecclesiis suis senioribus suis tribuere debent. Et episcopi parochias et decimas antiquis ecclesiis servent; et seniores immunitatem de manso ad ecclesiam dato conservent: et non sine auctoritate vel consensu episcoporum, presbyteri in quibuslibet ecclesiis constituantur vel expellantur, sicut in primo libro capitulorum avi et patris nostri, et sicut in capitulis patris nostri, anno 16 imperii ejus factis, continetur. Et senioribus presbyterorum hoc sufficiat, et amplius per ingeniosas machinationes a presbyteris non exigant vel exquirant, nisi sicut in eisdem capitulis avi et patris nostri ac nostris est constitutum, ne Deum offendant, et pro lucro terreno, quod absit, suas animas perdant, et nostram offensam incurrant, ac post debitam emendationem dignam harmiscaram a nobis dispositam sustineant. Et episcopi tam seniores presbyterorum quam presbyteros, sed et seipsos, custodiant, ne laici per ignorantiam, et presbyteri per necessitatem, et ipsi episcopi vel ministri eorum per cupiditatem et avaritiam, quod absit, in Simoniacam hæresim cadant; quia, ut sanctus Gregorius dicit, qui præmio vel gratia aut supplicatione indebita ad sacros ordines accedit vel promovetur, hæreticus a Domino deputatur, tam ille qui promovetur, quam ille a quo taliter promovetur, et cujus interventu taliter promovetur; et qui pro tali ordinatione inlicita quolibet malo ingenio, quod Deum latere non potest, aliquid dederit vel acceperit, vel mediator factus fuerit, a Deo, sicut canones Dei spiritu conditi demonstrant, condemnatur per illorum judicium qui cum Deo in cœlis regnant et in terris miraculis coruscant. Damnantur

utique in præsenti seculo, comburendi igne perpetuo, tales negotiatores pravi, cum quod juste bene meritis dare gratis debent, justitiam, sicut Judas Christum, qui, ut dicit Apostolus, factus est nobis a Deo justitia, vendidit, ita et isti Deum patrem omnipotentem, et eandem justitiam Christum, atque consubstantialem illis sanctum Spiritum, qui per impositionem manuum sacerdotalium hominibus tribuitur, quoniam sanctæ Trinitatis una est natura, voluntas, et operatio, gradus ecclesiasticos temporali commodo dantes vel accipientes vendunt; et qui pretium proinde donant, emunt peccatum, et hæretici fiunt; et qui præmium proinde accipiunt, sicut idem sanctus demonstrat Gregorius, facti et ipsi hæretici eos malitiæ suæ gladiis occidunt quos vivificare orationis suæ intercessione debuerunt.

10. Ut nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent, et donec illum qui peccavit, et inde aut sponte confessus aut aperte convictus fuerit, secundum evangelicum [1356] præceptum, ut ad emendationem et pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccator si commonitus de certa et manifesta causa ut ad emendationem et correptionem redeat, inobediens et incorrigibilis permanserit, et ad emendationem redire noluerit, et excommunicationem canonicam de causis designatis et manifestis parvipenderit, regiam vel rei publicæ potestatem per se vel per ministros suos aut per litteras suas episcopus adeat, ut constringatur, quatenus ad emendationem ac pœnitentiam isdem peccator redeat; ne dicatur nobis a Domino quod olim populo veteri ab eo legimus dictum: *Anathema in medio tui. Non poteris stare coram inimicis tuis.* Si autem idem peccator de manifesta et comprobata vel a se sponte confessa causa ad pœnitentiam venire voluerit, sed ipsam pœnitentiam propter fidam secundum canones suscipere et quiete agere non potuerit, episcopus per se vel per ministros aut per litteras suas regiam nostram vel rei publicæ nostræ potestatem adeat, ut ipsa fida secundum constitutionem avi et patris nostri legaliter pacificetur, aut juxta leges secundum quas in aliis regionibus quilibet vivunt sedetur (Anseg. IV, 25). Et tunc peccator medicinam pœnitentiæ secundum sacros canones, cum pia et salubri discretione, secundum regulas sacras suscipiat et peragat, et reconciliationem atque communionem percipiat, sicut in eisdem sacris regulis discretissime et misericorditer continetur.

11. Ut comites et missi ac vassi nostri et ministeriales regni nostri, unusquisque secundum ordinem et dignitatem ac possibilitatem suam, pacem et justitiam in suis ministeriis faciant, et juste omnes sub Dei respectu judicent, attendentes quod Dominus omnibus judicantibus dicit: *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Et: *Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore.*

12. Ut episcopi atque abbates, et comites ac vassi nostri, et omnes fideles laici, concordi dilectione et unanimi voluntate ad Dei et sanctæ ecclesiæ ac nostrum et regni nostri honorem et statum atque communem nostram salvationem, sine invidia et malivolentia atque indebita contentione, communiter decertare procurent, ut pax et justitia, et vera cum Dei voluntate concordia, inter nos omnes et in regno nostro maneat; quia, sicut sancta Scriptura dicit: *Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum.* Et ubi non est vera cum Dei voluntate concordia, ibi nisi ad judicium non habitat Deus, qui, sicut psalmus dicit, *facit unanimes habitare in domo*, id est, in sancta ecclesia. In qua fideliter consistentibus spiritum caritatis infundit; qui propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis; et cum essemus mortui in peccatis nostris, convivificavit nos in semetipso, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, et simus sectatores bonorum operum, in quibus cum fide recta perseverantes perveniamus omnes, ipso præveniente adjuvante et subsequente, ad regna cœlorum.

13. [1356] Episcopi privilegia Romanæ sedis et regum præcepta ecclesiis suis confirmata vigili solertia custodiant, ut exinde auctorabili firmitate tueantur. Nonas et decimas, unde statutum est, absque alicujus contradictu recipiant. De terris censalibus et potestate ecclesiæ suæ et culturis indominicatis et absitatibus et manufirmatis major ecclesia, quæ caput episcopatus est, decimam recipiat: similiter et de carruca [1357] indominicata. De mansis hereditariis presbyter parochiæ, sicut constitutum est, decimum consequatur. Et ne de hoc contentio oriatur, summopere cavendum est.

Adnuntiatio Karoli regis.

1. Volumus vos scire quia secundum consuetudinem antecessorum nostrorum consideravimus in hoc placito cum episcopis et ceteris fidelibus nostris de honore sanctæ ecclesiæ et episcoporum ac ceterorum servorum Dei, ut debitum honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt. Et hominibus fidelibus nostris, unicuique in suo ordine, legem et justitiam conservabimus, sicut eorum antecessores tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

2. Et volumus atque jubemus ut vassalli episcoporum, abbatum et abbatissarum, atque comitum et vassorum nostrorum, talem legem et justitiam apud seniores suos habeant, sicut eorum antecessores apud illorum seniores tempore antecessorum habuerunt. Et si aliquis episcopus, abbas aut abbatissa,

VARIÆ LECTIONES.

[1355] ecclesiasticum *cod. Bigot.* Baluz. [1356] *Caput istud decst in Sirmondo; a Baluzio restitutum fuit ex uno codice Rivipullensi.* [1357] *f.* curte. Bal.

vel comes ac vassus noster, suo homini contra rectum et justitiam fecerit, et se inde ad nos reclamaverit, sciat, quia sicut ratio et lex atque justitia est, hoc emendare faciemus.

3. Et volumus atque jubemus, ut episcopi atque abbates, comites ac vassi nostri, concordi dilectione et unanimi voluntate ad Dei et sanctæ Ecclesiæ ac nostrum et regni nostri honorem et statum atque communem nostram salvationem decertare procurent, ut pax et justitia et vera cum Dei voluntate concordia inter nos omnes et in regno nostro maneat, et omnes ita sint semper parati, ut si nobis necessitas evenerit, ad defensionem patriæ contra paganos aut contra alios Dei et nostros inimicos, sicut consuetudo fuit tempore antecessorum nostrorum, absque mora, statim ut eis nuntiatum fuerit, possint venire.

4. Et volumus ut sciatis, quia commendamus, ut unusquisque de sua opera tale certamen habeat, sicut scit necesse esse ad defensionem istius sanctæ Dei Ecclesiæ, secundum nostram commendationem. Gratias vobis agimus, quia fideliter secundum nostram commendationem in nostro venistis servitio. Et ite cum Dei gratia sani et salvi, et Deus nobis concedat, ut iterum cum sanitate et gaudio ad suam voluntatem reconjungamur.

KAROLI II CORONATIO IN REGNO HLOTHARII.

(*An.* 869. *Sept.* 9.)

Sirmondi et Baluzii editiones repetimus.

Ordo qualiter Karolus rex fuit coronatus in Mettis civitate anno 869 *in mense Septemb.* v *Idus Septemb. quæ evenit die Veneris, cum istis episcopis, videlicet Hincmaro archiepiscopo, Adventio, Hattone, Arnulfo, Francone, Hincmaro, et Odone, quando quondam rex Hlotharius, filius Hlotharii imperatoris, fuit mortuus in Placentia civitate.*

Anno incarnationis Dominicæ 869, indictione secunda, v Idus Septembris, Mettis civitate in ecclesia sancti Stephani martyris, hæc quæ sequuntur capitula Adventius, episcopus ipsius civitatis, coram rege et episcopis qui adfuerunt, populo et scripto et verbis denuntiavit.

1. Vos scitis, et multis in plurimis regnis est cognitum, quantos et quales eventus tempore senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinuimus, et quanto dolore quantaque angustia de illius infausta morte nuper cordibus perculsi sumus. Unde unicum refugium et singulariter salubre consilium, rege et principe nostro destituti ac desolati, nobis omnibus esse consideravimus, ut jejuniis et orationibus ad eum nos converteremus qui est adjutor in oportunitatibus, in tribulatione, et cujus est consilium ac cujus est regnum, et ut scriptum est, cui voluerit dabit illud, et in cujus manu corda sunt regum, et facit unanimes habitare in domo, solvens medium parietem, et faciens utraque unum; deprecantes ipsius misericordiam, ut daret nobis regem ac principem secundum cor suum, qui in judicio et justitia nos in omni ordine ac professione regeret, salvaret, atque defenderet juxta voluntatem ejus, et corda omnium nostrorum unanimiter in eum inclinaret atque uniret, quem ipse ad salutem et profectum nostrum præscitum et electum atque prædestinatum habebat secundum misericordiam suam.

2. Quia denique voluntate Dei, qui voluntatem timentium se facit et deprecationes eorum exaudit, in concordi unanimitate nostra videmus hunc regni hujus heredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, dominum videlicet præsentem regem ac principem nostrorum Karolum, ut nobis præsit et prosit, videtur nobis, si vobis placet, ut sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstremus, quia illum a Deo electum et nobis datum principem credimus, et eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati; sed gratiarum actiones illi referentes, oremus, quatenus et eum nobis ad salutem et defensionem sanctæ suæ ecclesiæ, et ad auxilium atque profectum omnium nostrum cum salute ac pace et tranquillitate nobis conservet diutius; et nos fideli devotione illi obsequentes, atque optata salvatione fruentes, sub illius administratione in suo gubernet servitio.

3. Et si illi placet, dignum ipsi et necessarium nobis esse videtur, ut ex ejus ore audiamus, quod a Christianissimo rege fideli et unanimi in servitio illius populo, unicuique in suo ordine, convenit ac devota mente suscipere.

Post hæc rex Karolus hæc quæ sequuntur per se in eadem ecclesia cunctis qui affuerunt denuntiavit.

Quia sicut isti venerabiles episcopi unius ex ipsis voce dixerunt, et certis indiciis ex vestra unanimitate monstraverunt, et vos acclamastis, me Dei electione ad vestram salvationem et profectum atque regimen et gubernationem huc advenisse, sciatis me honorem et cultum Dei atque sanctarum ecclesiarum, Domino adjuvante, conservare, et unumquemque vestrum secundum sui ordinis dignitatem et personam, juxta meum scire et posse, honorare et salvare et honoratum ac salvatum tenere velle, et unicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges, tam ecclesiasticas quam mundanas, legem et justitiam conservare; in hoc, ut honor regius et potestas, ac debita obedientia, atque adjutorium ad regnum mihi a Deo datum continendum et defensandum, ab unoquoque vestrum secundum suum ordinem et dignitatem atque possibilitatem mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, juste et rationabiliter, meis antecessoribus exhibuerunt.

Et post hæc Hincmarus, Remorum episcopus, hæc quæ sequuntur capitula, jubente ac postulante Adventio, ipsius civitatis episcopo, ac ceteris episcopis Trevirorum provinciæ, Attone scilicet ecclesiæ Viridunensis episcopo, et Arnulfo Tullensis civitatis episcopo, Francone Tungrensis civitatis episcopo, conbibentibus provinciæ Remorum episcopis, coram episcopis et rege cunctisque qui publice adfuerunt in eadem ecclesia publice denuntiavit.

1. Ne alicui forte videatur incongrue ac præsumptiose, me ac provinciæ nostræ venerabiles coepiscopos facere, quoniam de altera provincia ordinationi et causis hujus provinciæ nos immiscemus, sciat nos contra canones sacros non agere, quoniam Remensis et Treverensis ecclesiæ in hac regione Belgica cum sibi commissis ecclesiis sorores et comprovinciales habentur, sicut auctoritas ecclesiastica et antiquissima demonstrat consuetudo. Ac per hoc unanimi consensu et synodalia judicia exercere, et quæ a sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custodire; hac privilegii conditione servata, ut qui prior de Remensi et Treverensi episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.

2. Et lex divinitus inspirata præcipit dicens: *Si transieris per messem amici tui colligens spicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas, vel falce non metas.* Messis est populus, ut Dominus monstrat in Evangelio dicens: *Messis quidem est multa, operarii autem pauci. Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam;* quia vos pro nobis episcopis debetis orare, ut vobis digna possimus loqui. Messis autem amici est populus in provincia alteri metropolitano commissa. Unde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem et vestram salutem in corpus unitatis ecclesiæ valemus et debemus trajicere. In parochianos autem provinciarum aliis metropolitanis commissarum falcem judicii non mittimus, quia nec est unde, nec nostrum esse consideramus.

3. Est et alia causa, quia isti venerabiles domini et confratres nostri provinciæ istius episcopi, non habentes metropolitanum episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut et in specialibus nostris exusis, nos fraterna caritate jubent et commonent agere. Est ita, domini fratres? *Et responderunt ipsi episcopi:* Ita est.

4. Præter ea quæ domnus episcopus et frater noster Adventius vobis ex sua et ceterorum suorum ac nostrorum fratrum et venerabilium episcoporum voce dixit, in hoc etiam animadvertere potestis voluntatem Dei esse, ut præsens domnus et rex noster, qui in parte regni quam hactenus tenet et tenuit, et nobis ac ecclesiis nostris et populo sibi commisso utiliter præest ac præfuit, et salubriter prodest et profuit, inde ad hunc locum Domino ducente pervenerit, quo etiam vos ejus inspiratione confluxistis et ipsi vos sponte commendastis, cujus instinctu animantia omnia in arcam Noe, significantem ecclesiæ unitatem, nullo cogente convenerunt, quia sanctæ memoriæ pater suus domnus Hludovicus, pius imperator augustus, ex progenie Hludowici regis Francorum inclyti, per beati Remigii Francorum apostoli catholicam prædicationem cum integra gente conversi, et cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis et mulieribus, vigilia sancti Paschæ in Remensi metropoli baptizati, et cœlitus sumpto chrismate, unde adhuc habemus, peruncti et in regem sacrati, exortus per beatum Arnulfum, a cujus carne idem Hludovicus pius augustus originem duxit carnis, et a Stephano papa Romano ante sanctæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ altare Remis in imperatorem est coronatus, et demum factione quorumdam terreno imperio destitutus, in prædictam regni partem unanimitate episcoporum et fidelis populi ante sepulchrum sancti Dionysii, eximii martyris, ecclesiæ sanctæ est redditus, et in hac domo, ante hoc altare protomartyris Stephani, cujus nomen interpretatum resonat coronatus, per Domini sacerdotes, acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, corona regni est imperioque restitutus. Et quia, ut in historiis sacris legimus, reges quando regna obtinuerunt, singulorum regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur istis venerabilibus episcopis, si vestræ unanimitati placet, ut in obtentum regni, unde vos ad illum sponte convenistis et ei vos commendastis, sacerdotali ministerio ante altare hoc coronetur, et sacra unctione Domino consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. *Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem episcopus:* Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes, *Te Deum laudamus.*

Et post hæc ab episcopis cum benedictione sacerdotali est idem rex coronatus.

BENEDICTIONES SUPER REGEM KALORUM ANTE MISSAM ET ALTARE SANCTI STEPHANI.

Adventius episcopus Mettensis. Deus, qui populis tuis indulgentia consulis et amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ, qui dedisti regimen disciplinæ, ut tibi toto corde devotus, et in regni regimine maneat semper idoneus, et in bonis operibus perseverans, ad æternum regnum te duce valeat pervenire. Per Dominum, etc.

Hatto Virdunensis. Gratiæ tuæ, quæsumus, Domine, huic famulo tuo tribue largitatem; ut mandata tua te operante sectando, consolationem præsentis vitæ percipiat et futuræ. Per Dominum, etc.

Arnulfus Tullensis. Nostris, quæsumus, Domine, in regimine istius famuli tui propitiare temporibus; ut tuo munere dirigatur et nostra securitas et devotio christiana. Per Dominum.

Franco Tungrensis. Da, quæsumus, Domine, huic famulo tuo salutem mentis et corporis; ut bonis operibus inhærendo, tua semper mereatur virtute defendi. Per Dominum.

Hincmarus Laudunensis. Benedictionem tuam, Domine, hic famulus tuus accipiat: qua corpore salvatus et mente, et gratam tibi semper exhibeat

servitutem, et propitiationis tuæ beneficia semper A inveniat. Per Dominum.

Odo Bellovacensis. Conserva, quæsumus, Domine, hunc famulum tuum, et benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, ut eruditionibus tuis semper multiplicetur et donis. Per Dominum.

Benedictio Hincmari archiepiscopi. Extendat omnipotens Dominus dexteram suæ benedictionis, et effundat super te donum suæ propitiationis, et circumdet te felici muro custodiæ suæ protectionis, sanctæ Mariæ et omnium sanctorum intercedentibus meritis. Amen.

Indulgeat tibi mala omnia quæ gessisti, et tribuat tibi gratiam et misericordiam quam humiliter ab eo deposcis; liberetque te ab adversitatibus cunctis et ab omnibus visibilium et invisibilium inimicorum B insidiis. Amen.

Angelos suos bonos semper et ubique, qui te præcedant, comitentur, et subsequantur, ad custodiam tui ponat: et a peccato, seu gladio, et ab omnium periculorum discrimine te sua potentia liberet. Amen.

Inimicos tuos ad pacis caritatisque benignitatem convertat, et apud odientes te gratiosum et amabilem faciat. Pertinaces quoque in tui insecta ione et odio confusione salutari induat. Super te autem sanctificatio sempiterna efflioreat. Amen.

Ad ista verba, Coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus archiepiscopus de chrismate ad dextram auriculam, et in fronte usque ad sinistram auriculam, et in capite.* C

Coronet te Dominus corona gloriæ in misericordia et miserationibus suis, et ungat te in regni regimine oleo gratiæ Spiritus sancti sui, unde unxit sacerdotes, reges, prophetas, et martyres, qui per fidem vicerunt regna, et operati sunt justitiam, atque adepti sunt promissiones; eisdemque promissionibus gratia Dei dignus efficiaris, quatenus eorum consortio in cœlesti regno perfrui merearis. Amen.

Victoriosum te atque triumphatorem de visibilibus atque invisibilibus hostibus semper efficiat; et sancti nominis sui timorem pariter et amorem continue cordi tuo infundat; et in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat; et pace in diebus tuis concessa, cum palma victoriæ te ad perpetuum D regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere regem, et in præsenti seculo felicem et æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare; quo divinis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, et in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad ista verba, Coronet te Dominus, *miserunt illi episcopi coronam in capite.*

Coronet te Dominus corona gloriæ atque justitiæ; ut cum fide recta et multiplici bonorum operum fructu ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cujus est regnum est imperium in secula B seculorum.

Ad ista verba, Det tibi Dominus velle, *dederunt illi palmam et sceptrum.*

Det tibi Dominus velle et posse quæ præcipit, ut in regni regimine secundum voluntatem suam proficiens, cum palma perseverantis victoriæ ad palmam pervenias gloriæ sempiternæ. Gratia Domini nostri Jesu Christi, qui vivit.

Orationes in missa. Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Gorgonii martyris tui veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Quæsumus, omnipotens, ut famulus tuus, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, a te virtutum etiam percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra vitare, et ad te, qui via veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire. Qui vivis et regnas cum Deo.

Super oblata. Respice, Domine, munera populi tui sanctorum festivitate votiva, et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica; ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et Karolo regi nostro ab obtinendam animæ corporisque salutem, te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem.

Post communionem. Sacramentorum tuorum, Domine, communio sumpta nos salvet, et in tuæ veritatis luce confirmet. Per Dominum.

Hæc, Domine, communio salutaris famulum tuum D ab omnibus tueatur adversis: quatenus et ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post istius temporis decursum ad æternam perveniat hæreditatem. Per Dominum.

HLUDOWICI GERMANICI ET KAROLI II PACTIO AQUENSIS.

(*An.* 870. *Mart.* 6.)

Edimus eam ex Sirmondo et Baluzio; eadem formula exstat in Annalibus Hincmari Mon. Germ. SS. T. I. p. 487.

Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 870, indictione III, pridie Nonas Martii, anno 32 Karoli gloriosi regis, Aquisgrani palatio hæ pactiones inter ipsum et Hludowicum regem fratrem ipsius factæ sunt.

Ingelramnus comes ex parte Karoli regis.

Sic promitto ex parte senioris mei, quod senior meus Karolus rex, fratri suo Hludowico regi, talem portionem de regno Hlotharii regis consentit habere, qualem aut ipsi justiorem et plus æqualiorem, aut

communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forconsiliabit, si frater suus Hludowicus eandem firmitatem et fidelitatem, quam ex parte senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Hludowicus seniori meo ex parte sua, quandiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

Item Leutfridus comes ex parte Hludowici regis.

Sic promitto ego ex parte senioris mei, quod senior meus Hludowicus rex, fratri suo Karolo regi, talem portionem de regno Hlotharii regis consentit habere, qualem aut ipsi justiorem aut plus æqualiorem, aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forconsiliabit, si frater suus Karolus eandem firmitatem et fidelitatem quam ex parte senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Karolus seniori meo ex sua parte, quandiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

Hæc eadem tertius Theodoricus comes ex parte gloriosi regis Karoli, et quartus Radulfus comes ex parte Hludowici prosecuti sunt.

Isti præsentes fuerunt : Leutbertus archiepiscopus, Altfridus episcopus, Odo episcopus, Adalelmus comes, Ingelramnus comes, Liutfridus comes, Theodoricus comes, item Adalelmus comes.

HLUDOWICI GERMANICI ET KAROLI II DIVISIO REGNI HLOTHARII.

(*An.* 870. *Aug.* 9.)

Divisionis istius formulam primus edidit Petrus Pithœus in SS. coætaneis p. 488, ea scilicet ratione, ut Ludovici portionem ex codice Bellovacensi, ex suo autem lectiones aliquot et portionem Karoli exprimeret. Alteram editionem habemus in Aimoino tom. II Corporis historiæ Francicæ, curante Frehero et Sirmundo; tertiam in Annalibus Hincmari et Baluzio. Locorum explicationem videsis in Mon. Germaniæ. SS. tom. I, p. 488-490 (*Patrologiæ* tom. CXXV, col. 1255 et seqq.).

Anno incarnationis Dominicæ 870, regni Karoli 33, indictione 3, 6 Idus Augusti, inter gloriosos reges Karolum et Hludowicum fuit hæc divisio regni facta in Procaspide super fluvium Mosam.

Et hæc portio quam sibi Hludowicus accepit.

Coloniam, Treviris, Uttrecht, Strastburg, Basulam; abbatiam Suestre, Berch, Niu-Monasterium, Castellum, Indam, sancti Maximini, Ephterniacum, Horream, sancti Gangulfi, Faverniacum, Pollemniacum, Luxoium, Luteram, Balmam, Offonis villam, Meieni monastérium, sancti Deodati, Bodonis monasterium, Stivagium, Romerici montem, Morbach, sancti Gregorii, Mauri monasterium, Eboresheim, Hoinowa, Masonis monasterium, Hoinborch, sancti Stephani Strastburch, Erenstein, sancti Ursi in Salodoro, Grandivallem, Altam petram, Lustenam, Vallem Clusæ, Castellum Carnonis, Heribodesheim, abbatiam de Aquis, Hoenchirche, Augstchirche; comitatus Testrabani, Batua, Hattuarias, Masau subterior de ista parte, item Masau superior quod illa parte est, Liugas quod de ista parte est, districtum Aquense, districtum Trectis, in Ripuarias comitatus quinque, Megenensium, Bedagowa, Nitachowa, Sarachowa subterior, Blesichowa, Selme, Albechowa, Suentisium, Calmontis, Sarachowa superior, Odornense quod Bernardus habuit, Soloccnse, Basiniachum, Elischowe, Warasch, Scudingum, Emaus, Basalchowa in Elisatio comitatus duos, de Frisia duas partes de regno quod Lotharius habuit. Super istam divisionem propter pacis et charitatis custodiam superaddimus istam adjectionem : civitatem Mettis cum abbatia sancti Petri et sancti Martini et comitatu Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quam et vassallorum ; de Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bislanc et Tumbas, ac decurrit in Mosam, et sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes nostri missi rectius invenerint — excepto quod de Condrusto est ad partem orientis trans Urtam — et abbatias Prumiam et Stabolau, et omnibus villis dominicatis et vassallorum.

Et hæc est divisio quam Karolus de eodem regno sibi accepit.

Lugdunum, Vesontium, Vienna, Tungris. Tullum, Viridunum, Cameracum, Vivarias, Ucetiam, Montemfalconis, sancti Michaelis, Gillini monasterium, sanctæ Mariæ in Bisantione, sancti Martini in eodem loco, sancti Augentii, sancti Marcelli, sancti Laurentii Leudensi, Sennonem, abbatiam Niellam, Molburium, Laubias, sancti Gaugerici, sancti Salvii, Crispinno, Fossas, Marilias, Hunulficurt, sancti Servatii, Maalinas, Ledi, Sunniacum, Antonium, Condatum, Mesrebecchi, Tidivinni, Lutosa, Calmontis, sanctæ Mariæ in Deomant, Echa, Andana, Wasloi, Altum-Montem; comitatus Texandrum, in Brachanto comitatus quatuor, Cameracensem, Hainoum, Lomensem, in Hasbanio comitatus quatuor, Masau superior de ista parte Mosæ, Masau subterior de ista parte, Liugas quod de ista parte est Mosæ et pertinet ad Veosatum, Scarponinse, Viridunense, Dulmense, Arlon, Wavrense comitatus duos, Masminse, Castricium, Condrust, de Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bislanc et Tumbas ac decurrit ex hac parte in Mosam, et sicut recta via ex hac parte occidentis pergit in Bedensi, secundum quod missi nostri rectius invenerint; Tullense, aliud Ordonense quod Tetmarus habuit, Barrense, Portense, Salmoringum, Lugdunense, Viennense, Vivarias, Uccericium, de Frisia tertiam partem.

KAROLI II CONVENTUS APUD GUNDULFI VILLAM.

(*An.* 872. *Sept.* 9.)

Loquitur de eo Hincmarus in Annalibus an. 872. Editionem Pithœi in SS. coætaneis p. 509 exceperunt Baroniana, tom. X, et Sirmondiana, quibus inscriptionis pars suppletur, generale vero sacramentum omissum erat. Baluzius utraque usus meliorem patravit, quam nos hic exprimendam duximus.

Anno incarnationis dominicæ 872 [1258] indictione quinta, quinto idus Septembris, in placito generali apud Gundulfi villam, — cum [1259] Hludowicus sacramenta superius scripta disrupisset et æquivoco suo itidem Hludowico imperatori se conjunxisset, et sacramenta quæ superius scripta sunt fieri jussisset Ingilberga regina et legatis sedis apostolicæ, Formoso scilicet et Gaderico [1260], præsentibus, — hac tempestate urgente, episcopi omnes ex regno gloriosi regis Karoli hanc professionem infra scriptam fecerunt, et omnes laici hoc sacramentum similiter infra scriptum juraverunt.

Professio episcoporum.

Quantum sciero et potuero, adjuvante Domino, consilio et auxilio secundum meum ministerium fidelis vobis adjutor ero, ut regnum quod vobis Deus donavit vel donaverit, ad ipsius voluntatem et sanctæ ecclesiæ ac debitum regium honorem vestrum et vestram fideliumque vestrorum salvationem habere et obtinere et continere possitis.

Sacramentum laicorum.

Quantum sciero et potuero, adjuvante Domino, et auxilio fidelis vobis adjutor ero, ut regnum quod habetis ad Dei voluntatem et sanctæ ecclesiæ et vestrum honorem atque ad vestram salvationem continere possitis, et quod Deus adhuc vobis concesserit, adquirere et contra omnes homines defendere valeatis.

Generale omnium fidelium.

Sic promitto ego, quia de isto die inantea isti seniori meo, quandiu vixero, fidelis et obediens et adjutor, quantumcumque plus et melius sciero et potuero, et consilio et auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero, absque fraude et malo ingenio, et absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione, et absque respectu alicujus personæ; et neque per me, neque per missum, neque per litteras, sed neque per emissam seu intromissam personam, vel quocumque modo ac significatione contra suum honorem et sanctæ ecclesiæ atque regni illi commissi quietem et tranquillitatem atque soliditatem machinabo vel machinanti consentiam, neque unquam aliquod scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contrarium vel nocivum esse possit. Sic me Deus adjuvet et ista sanctorum patrocinia.

KAROLI II CAPITULARE CARISIACENSE.

(*An.* 873. *Jan.* 4.)

Sirmondi et Baluzii editiones, recepta tantum quæ potior est (cf. et Hincmari Annales an. 873 ineunte) codicis Laudunensis inscriptione, iterum expressimus.

Anno incarnationis Dominicæ 873, *indictione* VI, *pridie Nonas Januarii hæc quæ sequuntur capitula domnus rex Karolus in Carisiaco palatio cum fidelium suorum consilio decrevit, et per suum regnum denuntiari et observari mandavit* [1261].

Quia necesse est, ut quod male reincrescit, iterum recidatur, de constitutionibus antecessorum nostrorum et nostris, quæ in illorum et nostris capitulis constitutæ sunt, ad resecanda mala quæ specialiter iterum remergunt, missis et comitibus nostris firmiter exequenda proponimus, id est, ut quando missi vel comites nostri latronem vel aliquem malefactorem vel infidelem nostrum forbannierint, hoc nobis in nostro palatio et aliis missis et comitibus scire faciant, ut si ad nostram curtem venerit, inde faciamus quod nostrum est. Et si de uno missatico vel comitatu in aliud missaticum vel comitatum fugerit, missus vel comes in cujus missaticum fugerit, per fidejussores constringat, ut velit nolit illuc reveniat, et ibi malum emendet ubi illud perpetravit. Et si fidejussores non habuerit, sub custodia illum habeat, donec ad illum comitem, in cujus comitatu forbannitus fuerit, illum revenire faciat. Et si alodem habuerit vel in illo comitatu unde fugit, vel in illo comitatu ad quem fugit, comes ipsum alodem in fiscum recipiat. Et qui talem forbannitum receperit, secundum quod constitutum est in capitularibus avi et patris nostri in libro tertio, si Francus est, cum duodecim similibus Francis juret quod ipsum latronem vel forbannitum esse non scisset, licet pater ejus sit, aut frater aut propinquus. Si hoc jurare non potuerit, vel ab alio convictus fuerit quod latronem vel malefactorem aut infidelem nostrum forban-

VARIÆ LECTIONES.

[1258] DCCCLXXIII. *Pith.* [1259] cum *usque* jussisset *desunt Pith.* [1260] Haderico SIRM. [1261] *ita codex Laudunensis. Bellovacensis vero et codex Antonii Augustini, atque editiones Baronii, Sirmondi et Baluzii hæc habent:* Anno incarnationis dominicæ 873. regni vero domni Karoli 33. indictione 5. hæc capitula quæ sequuntur, ab eodem rege statuta sunt in placito generali apud Carisiacum, omnium cum voluntate et consensu, et a præfato rege et ab omnibus qui præsentes fuerunt confirmata.

nitum in hospitio suscepisset, sicut ipse forbannitus et ut infidelis judicetur.

2. Ut comites et missi nostri maximam curam adhibeant, quatinus in illorum comitatibus et missaticis populus justitiam et pacem habeat, et de latronibus exturbandis maximum certamen habeant. Et si talis malefactor aut infidelis noster emerserit, ut per se illum comprehendere comes in suo comitatu non possit, accipiat homines tam nostros quam episcoporum vel abbatum et abbatissarum in suo comitatu commanentes, et sic illum persequatur donec comprehendat. Et qui ad talem malefactorem accipiendum vocatus fuerit, et se inde retraxerit ut ad hoc adjutorium non præstet, si liber homo fuerit, bannum dominicum componat; et si colonus fuerit sexaginta ictus accipiat. Et si talis malefactor in illa persecutione occisus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non solvat, et nullus illi inde faidam portare præsumat. Quod si quis facere præsumpserit, per certos fidejussores ad nostram præsentiam perducatur.

3. De illis liberis hominibus qui infames vel clamodici sunt de testejis vel latrociniis et rapacitatibus et assalturis vel de infidelitate nostra, et cum furto non comprehenduntur, si eis jam vita perdonata est propter aliquod malefactum, fiat de illis sicut in capitulari avi et patris nostri continetur in libro 3. capitulo 47. et si jam de latrocinio revicti sunt, fiat de illis sicut de revictis. Si autem illis adhuc vita perdonata non fuit, et revicti non sunt, et res et mancipia vel mobile habent, fiat de illis sicut in quarto libro Capitulorum capitulo 29 dicitur, cum ad mallum comitis venerint. Si autem ad mallum non venerint, banniantur, et per res et mancipia vel mobile [1262] distringantur ut veniant. Si autem non venerint, fiat de illis sicut in capitulari continetur. Et si post secundam comitis admonitionem ad mallum venire noluerint, rebus eorum in bannum missis venire et justitiam reddere compellantur. Et si talis est quem aut parentes aut propter faidam homines accusare noluerint aut ausi non fuerint, et cum malefacto comprehensus non fuerit et negaverit, juret cum duodecim talibus Francis, quorum testimonium leges publicæ non rejiciunt, quod testejam vel latrocinium aut rapinam non fecerit; et post hæc juret ipse tantum, quod deinceps testejam vel latrocinium non faciet, neque facienti consentiet, et si scierit qui hæc fecerit, illis ministris nostris, per quos talis causa emendari debet, non celet. Et qui res et mancipia vel mobile non habent per quæ distringi possint ut ad mallum veniant, et ibi aut se legaliter, ut præmisimus, excondicant [1263], aut si se excondicere non potuerint, quod male fecerint legaliter emendent. Post secundam bannitionem comitis si ad mallum non venerint, comprehendantur secundum præfatum capitulare libri tertii capitulo 56, quo dicitur de latronibus qui magnam habent blasphemiam. Quicumque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur. Comprehensus autem, si fidejussores habere potuerit, per fidejussores ad mallum adducatur; si fidejussores habere non potuerit, a ministris comitis custodiatur, et ad mallum perducatur. Et si aliquis eum accusaverit, fiat de illo secundum præfatum capitulum libri capitularis. Si autem eum nullus accusaverit, excondicat se prædicto modo, et juret, quod deinceps testejam vel latrocinium non faciet, neque facienti consentiet, et si scierit qui hoc faciet, non celet ministris regni per quos talis causa emendari debet. Si vero tales, ut prædiximus, ad mallum adduci non potuerint, in forbannum mittantur, et de his missi vel comites, sicut supra diximus, faciant; et de illis qui tales receperint, sicut præscripsimus, fiat. Si autem fiscalinus noster ita infamis in fiscum nostrum confugerit, vel colonus de immunitate in immunitatem confugerit, mandet comes judici nostro vel advocato cujuscumque casæ Dei, ut talem infamem in mallo suo præsentet. Et si talem præsentaverit, si aliquis eum comprobare voluerit, faciat: et si nullus eum comprobare voluerit, tamen suam infamiam ad Dei judicium purget, et per illud Dei judicium aut liberetur aut condemnetur. Si autem judex noster vel advocatus de casa Dei commonitus talem blasphemum comiti in mallo suo non præsentaverit, fiat inde secundum capitulare libri tertii, capitulo 26. Et si servus alicujus ita clamosus est, comes dominum servi commoneat, ut eum in mallo præsentet, et præsentatum, si aliquis comprobare voluerit, faciat. Et si nullus eum comprobare voluerit, ad Dei judicium prædicto modo se examinet, et per illud Dei judicium aut liberetur aut condemnetur. Si autem dominus servi eundem servum suum comiti in mallo præsentare noluerit, fiat inde secundum capitulare libri tertii capitulo 46.

4. De illis hominibus qui cum Carlomanno præteritis annis tanta mala et tanta scelera in regno nostro fecerunt, sicut tunc et verbis et scriptis præcepimus, ita comites et missi nostri exequantur in eos in quibus nostra jussio, quam consilio fidelium nostrorum jussimus, executa non est. Id est, ut fidelitatem nobis promittant, sicut tunc scarivimus [1264], et scriptam comitibus nostris dedimus. Et cui aliquid abstulerunt, aut emendent aut deprecentur, et pœnitentiam faciant, sicut tunc constitutum fuit. Et qui seniores, sicut tunc præcepimus, acceptos non habent, per fidejussores ad nostram præsentiam perducantur, et alodes quos habent comites, in quorum comitatibus sunt, in fiscum recipiant.

5. Ut unusquisque comes in suo comitatu provideat, ut qui fidelitatem nobis adhuc promissam non habent, fidelitatem nobis promittant, sicut in capitulis avi et patris nostri continetur.

VARIÆ LECTIONES.

[1262] v. m. *desunt Sirm.* [1263] i. e. excusent. [1264] distribuimus, instituimus.

6. Ut unusquisque comes in comitatu suo magnam providentiam accipiat, ut nullus liber homo in nostro regno immorari vel proprietatem habere permittatur cujuscumque homo sit, nisi fidelitatem nobis promiserit.

7. Et quia audivimus, quod malefici homines et sortiariæ per plura loca in nostro regno insurgunt, quorum maleficiis jam multi homines infirmati [1365], et plures mortui sunt; quoniam, sicut sancti Dei homines scripserunt, regis ministerium est, impios de terra perdere, maleficos et venefícos non sinere vivere, expresse præcipimus, ut unusquisque comes in suo comitatu magnum studium adhibeat, ut tales perquirantur et comprehendantur. Et si jam inde comprobati masculi, vel comprobatæ feminæ sunt, sicut lex et justitia docet, disperdantur. Si vero nominati vel suspecti, et necdum inde comprobati sunt, vel per testes veraces inde comprobari non possunt, Dei judicio examinentur; et sic per illud Dei judicium aut liberentur aut condemnentur. Et non solum tales istius mali auctores, sed et conscii ac complices illorum, sive masculorum, sive feminarum, disperdantur, ut una cum eis scientia tanti mali de terra nostra pereat.

8. Quia, sicut et per scripturas et per auctoritatem et per rationem manifestum est, duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, regia potestas et pontificalis auctoritas, et in libro capitulorum avi et patris nostri conjuncte ponitur, ut res et mancipia ecclesiarum eo modo contineantur sicut res ad fiscum dominicum pertinentes contineri solent, juste et rationabiliter de rebus et mancipiis quæ in regia et in ecclesiastica vestitura fuerunt, uniformiter et uno modo tenendum est (Bened. *c. ult.*). Ut sicut quæcumque res et mancipia in regia vestitura avi et patris nostri et nostra fuerunt, et nunc ab aliis detinentur, demonstretur, qualiter de regia vestitura avi et patris nostri et nostra exierunt, quia plures inde per mendacium quædam obtinuerunt, et quidam plura per fraudem obtinent, ita et de rebus quæ in ecclesiarum vestitura fuerunt, unde quæstio fuerit, demonstretur, qua auctoritate in proprietatem eas quisque obtineant. Et quoniam quidam non contradicunt quod res et mancipia quæ tenent, in vestitura nostra vel antecessorum nostrorum sive ecclesiarum Dei non fuissent, sed patres illorum morientes eis in hereditatem dimiserunt, ideo non volunt inde ullam auctoritatem ostendere, sed suam hereditatem probare, contra illos dicitur quia potest fieri ut aliquis de fisco regio vel de rebus ecclesiæ aliquid proprindat aut per fraudem obtineat, et mortuo illo filius ejus aut filia illas res tenere in hereditatem velit. Propterea per capitula avi et patris nostri, quæ Franci pro lege tenenda judicaverunt, et fideles nostri in generali placito nostro conservanda decreverunt discernendum est, de quali hereditate auctoritas non debet requiri, sed legitima hereditas ab aliquo approbari. Ostenditur enim in eis capitulis ubi de rebus alienis alicui per malum ingenium venditis vel datis loquitur, quæ sit unicuique legitima hereditas, cum dicitur inter alia: « Similiter de omnibus justitiis ad eum pertinentibus rationem reddere compellatur, excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime evenire debuit. » Et de hac legitima hereditate non est auctoritas requirenda. Sed si interpellatio inde fuerit, legitima hereditas approbanda. Quia vero de rebus ex fisco regio et de rebus ecclesiasticis, quæ ita ut in eisdem capitulis habetur contineri debent, sicut res ad fiscum dominicum pertinentes contineri solent, auctoritas est requirenda, per quam auctoritatem quisque illas retineat, in ipsis capitulis demonstratur, cum dicitur: *Ubicumque commutationes tam tempore nostro quam tempore genitoris et avi nostri legitime et rationabiliter atque utiles ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant. Ubicumque vero inutiles et incommodæ atque inrationabiles factæ sunt, dissolvantur, et recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa quæ rationabilis* [1366] *esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, et ad nostram notitiam perferatur.* Sed et justum atque rationabile videtur, ut si rectores ecclesiarum negligenter res quas acceperunt in commutationem neglexerunt, et commutantes commutatas excoluerunt, non compensentur excultæ et neglectæ æqualiter: sed sicut tunc fuerunt compensentur quando commutatæ fuerunt. Et ita compensatio ad nostram notitiam perferatur, et nostro ac fidelium nostrorum judicio, utrum permanere an dissolvi debeant istæ commutationes, decernatur.

9. (Bened. *Add.* IV, 105.) Ut sicut in capitulis avi et patris nostri continetur, missi nostri, ubi boni scabinei non sunt, bonos scabineos mittant; et ubicumque malos scabineos inveniunt, ejiciant, et totius populi consensu in locum eorum bonos eligant; et cum electi fuerint, jurare eos faciant ut scienter injuste non judicent.

10. (*Cap.* 107.) Volumus ut secundum capitulare avi et patris nostri, quicumque de scabineis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam injuste judicasse, per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat. Et omnibus scabineis denuntietur, ne quis etiam justum judicium vendere præsumat.

11. (*Cap.* 106.) Volumus ut secundum capitulare avi et patris nostri, in comitatu omni hi qui meliores et veraciores inveniri possunt, eligantur a missis nostris ad inquisitionem faciendam et rei veritatem

VARIÆ LECTIONES.

[1365] informati Sirm. [1366] rebellis. Sirm.

discendam, et ut adjutores comitum sint ad justitias faciendas.

12. (Ansegis. IV, 26.) Volumus ut secundum capitula avi et patris nostri et nostra mallus neque in ecclesia neque in porticibus, aut atrio ecclesiæ, neque in mansione presbyteri juxta ecclesiam habeatur : quia non est æquum ut ibi homines ad mortem judicentur et dismembrentur et flagellentur, ubi si confugerint, secundum aliud capitulum pacem habere debent. Domus vero, sicut in capitulis avi et patris nostri continetur, a comite in loco ubi mallum tenere debet construatur, quatenus propter calorem solis et pluviam publica utilitas non remaneat. Minora vero placita comes, sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, excepto in ecclesia, et porticibus, atque atrio ecclesiæ, et mansione presbyteri, habeat, sicut in eisdem capitulis continetur.

KAROLI II CONVENTUS ATTINIACENSIS.

(*An.* 874. *Jul.* 1.)

Ex actis conventus ejus servatum est episcoporum consilium de reclamatione episcopi Barcinonensis, Karolo regi datum, et a Sirmondo publici juris factum.

Anno incarnationis Dominicæ 874 *hæc quæ sequuntur capitula domnus rex Karolus in Attiniaco Kalendis Julii statuit.*

1. Episcopus Barcinonensis [1867] se reclamavit, quod Tyrsus presbyter Cordubensis in ecclesia intra muros ipsius civitatis sita seorsim conventus agens, pene duas partes ex decima ipsius civitatis sibi usurpat, et sine illius licentia missas et baptisteria in eadem civitate præsumit celebrare, et convocatos ab episcopo ad matrem ecclesiam, etiam in solemnitatibus paschæ ac nativitatis Domini, ad se revocat, atque contempto episcopo eis communionem largitur. Unde sacrum Nicænum concilium dicit : *Quicumque temere ac periculose, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes ecclesiarum regulam, discedunt ab ecclesia presbyteri aut diaconi vel quicumque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam ecclesiam recipi : sed omnem necessitatem convenit illis imponi ut ad suas parochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari.* Hoc de Tyrso, qui inregulariter a sua civitate discessit, decretum est. Ceterum de ipso et de aliis contemptoribus Antiochenum concilium dicit : *Si quis presbyter aut diaconus episcopum proprium contemnens, se ab ecclesia sequestravit, et seorsum colligens altare constituit, et commonenti episcopo non adquieverit, nec consentire vel obedire voluerit semel et iterum convocanti, hic damnetur omnimodo, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quod si ecclesiam conturbare et sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.* Hinc etiam Africæ provinciæ canones decreverunt. Sed tantum hoc capitulum de Antiocheno concilio posuisse sufficiat. De basilicis autem et decimis sacri canones decreverunt, ut omnes basilicas, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, secundum priorum canonum regulam in ejus episcopi, in cujus territorio positæ sunt potestate consistant. Et sanctus Gelasius in decretis suis : *Quatuor*, inquit, *tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones : quarum una sit pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis interierit integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis adtributa sunt, huic operi veraciter prorogata locorum doceat instauratio manifesta sanctorum : quia nefas est, si sacris ædibus destitutis in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen, juxta quod scriptum est, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.* Et hæc quidem de reditibus illis oblationibus fidelium decreta sunt quæ specialiter ad episcopos ecclesiarum in illis regionibus pertinent, quæ non abundant rebus, sed tantum de fidelium decimis ac votis subsistunt. Ceterum de rusticanis parochiis, quantum episcopus in partibus Septimaniæ atque Galliciæ a presbyteris exigere debeat, Bracarense concilium capitulo secundo, et Toletanum concilium capitulo quarto demonstrant. De his autem qui contra auctoritatem et Barcinonensis episcopi voluntatem Tyrsum presbyterum in ecclesia Barcinonæ civitatis retinent, capitulare augustorum domni Karoli et domni Hludowici decernit hoc modo : *De his qui sine consensu episcopi presbyteros in ecclesiis constituunt, vel de ecclesiis ejiciunt, vel ab episcopo vel a quolibet misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, et per fidejussores ad palatium nostrum venire jubeantur : et tunc nos decernamus, utrum nobis placeat ut aut illum bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant.* Quia vero longum est istos ad præsentiam regis adducere, vel periculosum est longius a marcha eos abducere, domnus rex commendabit suo marchioni qualiter eos distringat atque castiget. De decimis vero quæ in potestate et dispositione episcopi esse debent, quas illi a ma-

VARIÆ LECTIONES.

[1867] *fortasse* Frodoinus. Sirmond.

tre ecclesia abstrahunt, et pro suo libitu alibi donant, idem capitulare dicit : *Quicumque decimam abstrahit de ecclesia ad quam per justitiam debet dari, et eam præsumptiose vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad aliam ecclesiam dederit, a comite vel a misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.* Et item : *De his qui noxas et decimas jam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per missos nostros constringantur, ut secundum capitularem priorem solvant unius anni nonam et decimam cum sua lege, et insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicumque hanc negligentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona et decima persolvi debuit amissurum se sciat.*

2. De hoc quod se reclamavit, quoniam castrum Terracinense suæ subditum potestati, factione Bajonis, per presbyteri insolentiam suo resultat ministerio, definitio præfati Antiocheni concilii sequenda est in causa insolentis presbyteri. Contra factionem autem Bajonis sequendum est capitulum Carthaginensis concilii, quo dicitur : *Visum est universis ab imperatoribus postulari defensores, propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum episcoporum provisione delegentur.* Sequendum est etiam supra positum capitulum ex capitulari augustorum, de his qui sine consensu episcopi presbyteros in ecclesiis suis constituunt, vel de ecclesiis ejciunt.

3. De hoc quod se reclamavit, quia Gothus quidam Madascius fraude atque subreptione per præceptum ecclesiam sancti Stephani nobilem et antiquam impetravit; ubi, postposito Dei cultu, fœda efficitur conversatio rusticorum, et similiter Ricosindus Gothus fraude et subreptione agrum sanctæ Eulaliæ per præceptum obtinuit, jussio regia hæc per fideles missos diligenter ac veraciter inquirere jubeat, et ipsam inquisitionem per fidelium custodiam sub sigillo ad notitiam suam perferri faciat. Et si inventum fuerit, quod prædicta ecclesia sancti Stephani et ager sanctæ Eulaliæ a præfatis Gothis per præcepta obtenta sunt, ipsa præcepta secundum legem sigillentur, et una cum ipsa inquisitione ad præsentiam regiam perferantur; ut secundum jura forensia, qui in precibus fuere mentiti, non illis prosint quæ impetraverunt, et ibi careant ipso scriptorum beneficio quo perducentur rescripta, et regia magnificentia recipiat quod est sui juris Barcinonensis ecclesia.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CAPITULA DIVERSA.

(*An.* 875.)

Exstant capitula hæc in codice Ambrosiano, eorumque nonnulla in codicibus etiam Florentino, Vindobonensi, Veronensi et Estensi. Codicis Ambrosiani lectionem Blumio nostro debemus, eamque in restituendo textu præcipue secuti sumus. Videntur ad episcoporum quoddam rescriptum consultationis promulgata fuisse, cujus rei vestigia capite 29 in vocibus *super quibus necesse est ut vestra celsitudo comitibus præcipiat* ex relatione episcoporum ad imperatorem exstant. Subjicimus capitula duo in codicibus sæculi XI Ludovico II imperatori ascripta, quæ certo alicui anno assignare nequivimus.

Incipit capitula secunaum Lodoici imperatoris [1368], *filius Lothari imperatoris* [1369].

1. De incestis conjunctionibus hic præcipimus, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propincus abuit, uxorem ducat.

2. Ut omnimodis diligentissima examinatione secundum scriptam legem, quam diutissime fieri possit [1370] justo judicio, omnibus usus juramenti proibeatur, ut Deo donante, consuetudo pessima [1371] perjurii a christiano populo auferatur. Tamen omnino [1372] fiant, universi [1373] nullathenus hoc consentire volumus. Sed si quis in perjurio fuerit comprobatus, aut manum dexteram [1374] perdat, aut eam secundum scriptam legem redimat, et numquam amplius in nullo judicio ad [1375] sacramentum venire permittatur [1376].

3. Comperimus, quod ab his qui secundum mundanam legem viduarum et orfanorum tutelam sibi vendicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur; quibus ecclesiastica sollicitudine succurrendum esse censemus. Et si hujusmodi oppressores ad episcopalem admonitionem corrigi voluerint, gratulandum his est. Sin autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum clementissimo imperatori, quatenus ipse efficacem tutorem eis tribuat; ut et illi remuneratio reddatur a Deo, et de inutili silentio sacerdotalis ordo non damnetur.

4 [1377]. Ut nullus ecclesiasticus femina secum habere præsummat. Si presbyter fuerit, aut diaconus, aut episcopus, ab ordine deponatur. Si clericus, nudus ad palum vapuletur; et femina quæ eum consensit, similiter vapuletur et capud [1378] tondantur; quia sic dicit Scriptura Dei : membra Christi noli tangere meretricis.

5. De episcopis, presbyteris, diaconibus vel ceteris interdixit [1379] per omnia magnum sinodum, ut nulli presbytero atque diacono sive clerico introducta non licead [1380] abere mulierem, simul nec ancillam, nec aliam, quæ in opinionem adulterii manent aut difamantur, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam. Simul nec et in ipsa casa, ubi ipsas manent, esse non debent. Et qui oc facere

VARIÆ LECTIONES.

[1368] IMPEFRIS *cod.* [1369] IMPHR *cod.* [1370] poxit *c.* [1371] pexima *c.* [1372] omi nox fiat *c.* [1373] *ita cod. Legendum esse videtur* : si universi hoc consentire volunt. [1374] destram *c.* [1375] a. *c.* [1376] permitatur *c.* [1377] *caret in margine codicis suppletum, numero caret.* [1378] *vox superaddita.* [1379] interdixi *c.* [1380] licad *c.*

ausus fuerit, bannum nostrum a parte nostra componat.

6. Ut unusquisque presbyter res suas quas [1281] post diem consecracionis adquisierint, propriæ ecclesiæ relinquant.

7. Homo de statu suo pulsatus, si is qui eum pulsat, ad vincendum illum procinctos habuerit, adhibeat sibi octo legitimos juratores ex ea parte unde pulsatur, sive illa paterna sive materna sit, et quatuor aliunde non minus legitimos; et jurando vindicet libertatem suam. Quod si procincti defuerint, assumat undecumque 12 liberos homines, et jurando ingenuitatem suam defendat.

8. Placuit nobis ut ec [1283] capitula [1283] quæ excerpsimus [1284] de capitulare avii [1285] nostri Karoli, ed domni genitori [1286] nostri Ludovici imperatoris, his omnibus et fidelibus nostris et sanctæ ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus per legem teneantur et serventur. Et quicumque horum capitulorum contemtor extiterit, 60 solidos componat [1287].

9 [1288]. Dictum est nobis, ut in quibusdam locis episcopus et comes [1289] ab incestuosis et ab his qui decimas non dant, guadias [1290] accipiant, et a presbyteris quibusdam negligentibus, et inter se pecunias dividant [1291]; quod penitus abolendum decernimus, ne forte avaritiæ locus detur. Et constituimus, ut incestuosus juxta canonicam sententiam pœnitentia mulctetur. Qui vero decimam post tres ammoniliones et prædicationem sacerdotum dare neglexerit, excommunicetur. Juramento vero eum constringi nolumus, propter periculum perjurii.

10. Statuimus de decimis, unde jam inter episcopo seu reliquis sacerdotibus, et comitibus et vassis et reliquis fidelibus nostris multas [1292] audivimus intentiones: set si edem sive in sua proprietate habeat, sicut in capitulare constitutum est, ipsa decima de suo domo coltile rebus in eadem ecclesia concedimus: ipse sacerdos qui ibi ordinatus fuerit, ipsa decima dispenset pro luminaria, sive elemosinis distribuad. Statuimus de suos manentes, qui in eadem parochia commanentes [1293] sunt, ipsa decima a plebe donetur. Et si contradixerint ea [1294], publice distringantur, sicut in capitulare nostro constituimus.

11. De propincuas [1295] non accipiendas in conjugio [1296], quod uxoris [1297] parentella sit viro sicut et propria parentella.

12. (158) Ut episcopi in rebus ecclesiæ circa propinquos suos expedendi reprehensionem caveant et discretionis modum teneant. Quoniam multi episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis suo aut quolibet amicorum nomine prædia et mancipia emunt, et ut in suorum propinquorum jus conducantur statuunt. Et ob hoc jura ecclesiastica convelluntur et ministerium sacerdotale fuscatur, imo ab subditis detrahitur [1298] et contemnitur. Placuit itaque nobis omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur; fixumque abbinc et in perpetuum mansurum esse decrevimus, ut episcopus de rebus sui juris, quas ante episcopatum aut certe in episcopatu hereditaria successione adquisivit, secundum auctoritatem canonicam quidquid vult faciat [1299], et cui vult conferat. Postquam autem episcopus factus est, quascumque res de ecclesiæ facultatibus aut suo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum, sed in ecclesiæ cui præest jura deveniant. Similiter de presbyteris vel diaconibus, qui de ecclesiarum rebus quibus præsunt prædia et mancipia eo modo emunt, faciendum statuimus; quoniam multos presbyteros occasione taliter emtarum rerum ecclesias quibus præsunt disparasse et offendisse et spoliasse, et suum ministerium multis modis exorbitasse, et diabolo se mancipasse, et hac occasione multos laicorum in scandalum damnationis et perditionis deperisse, comperimus. Et ideo non debemus ante tempus per suspectionem judicari, sed patienter expectari, donec ipsa veritas manifesta fiat, utrum [1300] magis audiendi an improbandi simus.

13. Consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, nullus audeat in conjugio copulare.

14. Si quis huic tali nefario conjugio se conjunxerit, et in eo permanserit, sciat se episcopali auctoritate anathematis vinculo esse innodatum, ut nullus sacerdos ei tribuat communionem.

15. Si vero conversus divisusque fuerit ab illicita copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

16. Ecclesiæ vel qualibet pia loca destructa jacencia, præcipimus ex his quæ suscipere [1301] solent, reformata constitucione proprio [1302] dispendio restaurentur [1303]; nec sufficiente vero necessario [1304], a populo plebis [1305] auxilientur [1306], ut domus onorifice videatur existere [1307].

VARIÆ LECTIONES.

[1281] *deest in c.* [1283] *i. e.* hæc. [1283] capitule *c.* [1284] exersimus *c.* [1285] auuu *c.* [1286] jenitori *c.* [1287] *Hic in codice legitur præfatio Ottonis III usque* « legis edictum » *pro capitulo VIII, computata, sed adjecta glossa* non debet scribi cap. isto *et caput sequens itidem numero VIII. insignitur.* [1288] *Caput habetur et in codd. V. et Vn. et Est. apud Murat. c.* 1. *In Lombarda Hlotharii adscribitur.* [1289] episcopi et comites *V. Vn. edd.* [1290] uadia *V Vn.* [1291] pecuniam diuidunt *V. Vn.* [1292] multa *c.* [1293] parohia comanentes *c.* [1294] a *c.* [1295] propincus *c.* [1296] conjungio *c.* [1297] uxori parentella *c.* [1298] decontrahitur *V. Vn.* [1299] f. vel conferat *Vn.* [1300] verum *V. Vn.* [1301] suxipere *c.* [1302] propio *c.* [1303] restarentur *c.* [1304] necessario *c.* [1305] plebem *corr.* plebis *c.* [1306] ausiliantur *c.* [1307] esistere *c.*

NOTÆ.

(158) In codd. V. Vn. et Est. inter Ludowici II leges cap. 7 legitur; est tamen canon 16 concilii Parisiensis an. 829.

17. Nulli episcoporum licead res inmobiles de subjectis [1308] plebibus vel aliis quibuslibet locis in proprio usu abere, ne majores locuplectentur, et minores tali facto pauperiores factæ inveniantur [1309]. Contra agens canonica auctoritate [1310] coartatus desistat.

18. Femina vero quæ habitum religiosum aut velamen obtentu [1311] religiositatis susceperit, cum esset vero potentes viros sociare non permittantur [1312], set elegentes monasterio regulariter vivant, aut in domibus susceptum abitum observent. Contra autem turpes inventæ, providencia episcopi emendetur.

19. Res litigosa nullathenus potest dare neque vendere, antequam elitigetur.

20. Quicumque homo alteri debitor [1313] fuerit, ipsum debito negare voluerit, et postea convictus fuerit, ipsum debitum in dublum persolvad.

21. Similiter et ille homo qui res vendiderit et exinde cartam fecerit, si minus dederit quam ipsa carta scriptum fuerit, in dublo ei qui acceperit restituad.

22 [1314]. Ut postquam oc capitulo notare [1315] jussimus [1316], et per regnum [1317] nostrum usquam de nostra jussione [1318] commandatum fuerit, et alio modo fecerit nisi [1319] quod nobis [1320] et nostris fidelibus placitum est, quicumque nostra jussione [1321] in dispectione [1322] abuerit, bannum nostruin [1323] a parte nostra componat, et postea ipse reus apparead [1324] in sanctam [1325] sinodum, et secundum canones judicetur.

23. Constat enim omnis homo observare, ut die dominico nullus audead operaciones [1326] mercacionesque peragere, præter in cibalibus rebus pro itærantibus, ita ut vivere possint [1327]. Et debent dominico die, secundum possibilitatem, omnes ad ecclesiam concurrere, et in sola omnipotenti Dei oracione vacare, ut qui christiano vocabulo nuncupantur, opera peragere videantur.

24. De monasterio [1328] vel oratorio quod a proprio domino soli edificatum est, monemus ut [1329] constructum a domino [1330] constructori invito non auferatur; liceadque illo presbitero cui voluerit pro sacro officio — qui illius diocesis [1331] et bonæ auctoritatis dimissoriæ [1332] cum consensu episcopi sui nec malus existat — commendare [1333], ita ut placita justicia ipsius episcopi obedienter sacerdos requirad.

25. Si quispiam invasor comprobatus, dicad pro A parte ecclesiæ egisse [1334], de privato sibi re pertinente ab ipso suoque crede resolvatur invasio. Sacerdos [1335] denique pro tali culpa reus perinventus, a proprio [1336] canonice judicetur episcopo, ut non ecclesia [1337] sibi commissa damnum sustinead.

26. In sacris canonibus præfixum est ut decimæ [1338] justa episcopi disposicione distribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis vel in beneficiis suis abent basilicas, contempta episcopi dispositionem, non ad ecclesiam ubi baptismum [1339] et prædicacionem manus inposicionem et alia [1340] Christi sacramenta percipiunt [1341], decimas suas dant [1342], sed propriis [1343] basilicis vel suis clericis [1344] pro suo libitum tribuunt; quod omnismodis divinæ legis et sacris canonibus constat esse contrarium. Unde B vestram potestatem, ut eos corrigatis, exspetimus.

27. Quamquam sacerdotis testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit.

28. Si autem causa eventus aliquid audierint aut viderint, ubi nullæ idoneæ seculares personæ inveniantur, ne veritas occultetur et malum in bonum æstimetur, in providentia episcopi proprii sit, ita ut coram se aut competentibus judicibus aut aliter veritatem honorifice tollant.

29. Quia sunt in plerisque locis parricidæ [1345] et ceteri homicidæ, vel reliquis criminibus implicati, qui penitentiam publicam agere contemnunt, qui C utique rei publicæ utilitatibus inutiles sunt; super quibus necesse [1346] est, ut vestra celsitudo comitibus præcipiad, quatenus episcopis adjutorium [1347] ferant, ut eos canonicæ pœnitentiæ subdere valeand [1348].

30. De justiciis ecclesiarum Dei, viduarum, et orfanorum, pupillorum [1349], ut in publicis judiciis non dispiciantur clamantes, set diligenter audiantur [1350].

31. De homicidas et ceteris malefactoribus qui legibus [1351] morire debeant, nemo eis ad exscusacione in ecclesia sua introire permittat. Si absque voluntate patroni [1352] ibidem introierit, tunc ipse cujus ecclesia fuerit, nullum victum eum donet. nec alii dare permittat.

32. Ut nemo præsumat [1353] alterius servum ministrum ecclesiæ constituere vel benedicere, antequam D a domino [1354] suo tradatur in manu pontificis in libertate integra persistendum omnibus diebus; nec possit dominus post illum diem ullum dominacionis

VARIÆ LECTIONES.

[1308] sujectis *c.* [1309] inveniatur *c.* [1310] auctoritate *c.* [1311] obtinente religiiositatis *c.* [1312] permitantur *c.* [1313] debito *c.* [1314] *cod. Florent. fol.* 104 *hoc caput exhibet inter leges Karoli M.* [1315] anotare *Fl.* [1316] juximus *c.* [1317] jussimus ut peregrinus noster cuiquam nostra jussione commendatus fuerit *Fl.* r. n nostrum susquam *c.* [1318] juxione *c.* [1319] nixi *c.* [1320] vobis *c.* [1321] juxione *c.* [1322] dispecione *c.* [1323] n. dupliciter ad partem nostram *Fl.* [1324] aparead *c.* [1325] sancta sinodo *Fl.* [1326] auperaciones *c.* [1327] poxint *c.* [1328] monesterio v. oretorio *c.* [1329] monerũ *c.* [1330] ad d. *c.* [1331] diocessi *c.* [1332] octoritatis dimisorie *c.* [1333] comendare *c.* [1334] egisæ *c.* [1335] sacerdo *c.* [1336] propria *c.* [1337] ecclesie s. comissa *c.* [1338] decima *c.* [1339] batismum *c.* [1340] ad alia *c.* [1341] perciunt *c.* [1342] dent *c.* [1343] proprias baxllicis *c.* [1344] *ita emendavi, codex* vel suis scli *legit.* [1345] paracide *c.* [1346] necessa *c.* [1347] ajutorium *c.* [1348] valead *c.* [1349] pupilorum *c.* [1350] audiatur *c.* [1351] leibus *c.* [1352] *ita Murat. correxit, cod.* patnis. [1353] præsummat *c.* [1354] ad d. *c.*

jus in eum exercere; et tunc, sicut domini et voluntas, ad [1358] sacrum ordinem accedat.

33. Ut episcopi, abbates et [1359] presbiteri res ecclesiæ sibi commissæ, inter parentes et proximos [1360] suos non amplius quam canonica sancxit licencia dividant, ut acceptæ plebi vel eis qui res suas ibidem offerunt, murmur vel detraccio auferantur.

34. Ut liberi omines nullum opsequium comitibus faciant, nec vicariis, neque in prato neque in messe, neque in aratura aut in vinea, et quongestum illum vel residium non solvant, excepto aribannatoribus, vel missatico qui legacionem ducunt.

35. Statuimus de presbiteris et diaconibus ecclesiastico [1361] onore privatis, ut redigantur [1362] penitenciæ, sicut canones præcipiunt. Et si episcopus aut abbas [1363] in sua parrochia abuerit monasteria [1364], ibi mittantur; tunc præcipiad ipsi episcopus, ut ibi tales incident ipsam plebem [1365] unde sint, ut si res propria abuerint, eligantur sibi tali patrono qui de ipsis rebus victum et vestimentum eis ministret; ita tamen, ut nulla abeant licencia vagandi [1366] aut discurrendi, sive per placita sive ad palatium [1367] seu ad ipsas quas proprias ante abuerint [1368], sine licencia sui episcopi; et in eodem [1369] loco ubi constitutum est, sua penitencia jugiter agatur. Quod si hoc non conservaverit, primum verberibus coerceatur; quod [1370] si nec sic [1371] se castigaverint, tunc in tali loco deducatur [1372]. . . .

36 [1373]. De viduis et pupillis et orfanis, et cœcis et claudis, tuicionem atque amminiculum habere imperciamus juxta possibilitatem nostram vel vires, sicut in præcepto domni regis continetur.

37 [1374]. Volumus, ut omnis inquisitio de rebus ecclesiasticis vel [1375] ad jus fisci nostri pertinentibus quæ facienda est, non per testes qui producti fuerint, sed qui in eo comitatu meliores et veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat, et juxta quod illi testificati fuerint, vel contineantur vel reddandur ipsæ res.

38. Placuit nobis de orfanis et pauperibus qui debite vel indebite dicuntur amisisse [1376] ereditatem paterni vel materni juris ad se pertinentibus, si alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter A tradiciones illorum exeredes fecerint, aliorum silicet suasionibus [1377] aut peticionibus vel aliquo [1378] ingenio, omnino volumus atque [1379] decrevimus emendari quantum ad nos vel ad [1380] nostram pertinet potestatem juxta [1381] voluntatem Dei et nostram voluntatem, sancta amonicione et consideracione, ut si forte extra oficium [1382] nostrum alicubi inventum fuerit, ammonere nostra clemencia audeamus [1383] ut emendetur.

39 [1384]. Sancitum est, ut nullus quislibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi aut propinqui hæc inconsulta oblatione rerum propriarum exheredari possent. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ex hac re a synodali et imperiali sententia omnimodis feriatur, B et res ad exheredatos redeant.

40. Si liber homo de furtum accusatus [1385] fuerit, et res proprias abuerit, in mallo in [1386] præsencia comitis se arramiet. Et si res non abuerit, fidemjussore donet, qui eum arramire [1387], et in placidum [1388] [adduci faciat. Et liceat ei prima vice per sacramentum se] secundum legem idoneare, si potuerit. Et si alia vice [1389] duo [1390] vel tres eum de furto accusaverint [1391], licead ei contra unum [1392] ex eis cum scuto et fuste in campo contendere. Quod si servus [1393] de furto accusatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum cum sacramenta excuset, nisi tale furtum perpetratum abead propter quod ad supplicium [1394] tradi debead (159).

41. Statutum est, ut nullus canonica [1395] aut regulare institucione [1396] constitutus, aliquem [1397] consecrare propter res adipiscendas deinceps persuadeat [1398]. Et qui hoc facere tentaverit, sinodalis vel imperiali sentencia modis omnibus feriantur. C

42. Si de una causa plures fidejussores [1399] dati fuerint, et unus [1400] ex ipsis fidejussoribus [1401] mortuus fuerit [1402], ut proinde causam suam non perdat, set pro eo qui de illis [1403] fidejussoribus [1404] vivi [1405] sunt, solvatur quod promisit [1406].

43. Sancitum est de villis novis ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decimas de ipsis villis ad easdem [1407] ecclesias conferantur.

VARIÆ LECTIONES.

[1358] a *c.* [1359] et abates *c.* [1360] prosimos *c.* [1361] ecclesiasticos *c.* [1362] redicantur *c.* [1363] abas . . . parrohia *c.* [1364] monesteria i. mititur *c.* [1365] tales atent ut ipsa plebe *c.* [1366] vacandi a. disscurrendi *c.* [1367] a palacio *c.* [1368] abuerit *c.* [1369] eadem *c.* [1370] eo *c.* [1371] si *c.* [1372] *reliqua supplenda sunt ex lin.* 33 *pag.* 360. [1373] *in V. Vn. E. inter Hludowici I. leges cap.* 2. *in Lombarda Hlothario adsignatur.* [1374] *in V. Vn. E. inter Hludowici II. leges cap.* 6. *Desumta est ex Hludowici I. cap. Wormatiensi supra pag.* 354 *cap.* 2. [1375] e. v. *desunt in cap. a.* 829. [1376] amise *c.* [1377] suaxionibus *c.* [1378] alico injenio *c.* [1379] sq. *c.* [1380] a c. [1381] justa *c.* [1382] exstra oficium *c.* [1383] adeamus *c.* [1384] *v. supra Hludowici I. cap. a.* 817. *c.* 7. *adest et in V. Vn. et Est. inter Hludowici II. leges cap,* 5. [1385] acusatus *c.* [1386] a *c.* [1387] artimire *c.* [1388] *hæc desunt in c.* [1389] vimdice *c.* [1390] duos *c.* [1391] acusavit *c.* [1392] unus *c.* [1393] servo *c.* [1394] p. q. a suplicium *c.* [1395] cannonica *c.* [1396] istitucione *c.* [1397] aliquit cause *c.* [1398] adibiscendas d. persuadat *c.* [1399] fidejusores *c.* [1400] unû *c.* [1401] fidejusoribus *c.* [1402] mortui fuerint *c.* [1403] illi *c.* [1404] fidejusoribus *c.* [1405] f. qui vivi *c.* [1406] promisi *c.* [1407] eadem *c.*

NOTÆ.

(159) Hoc loco codex caput 39 iterum habet, mutatis initio vocibus *Sancitum est ut* in *Statuimus ut*, etc.

HLUDOWICI II IMPERATORIS CAPITULA DUO.

(*An.* 875.)

De [1505] judicio autem judicis ideo tam frequenter rememoramus, quia omnino consuetudinem judicandi injuste judicibus auferre [1506] volumus. Sed tantum secundum scripturam judicent, ut nullatenus audeant secundum arbitrium suum judicare; sed discant A pleniter legem scriptam. De quo autem non est scripta, hoc nostro consilio [1507] offeratur [1508].

2. De [1509] conjunctionibus quæ secundum canones aut ædictum copulatæ esse non possunt, placuit nobis ut separentur ab invicem[1510].

KAROLI II CONVENTUS TICINENSIS.

(*An.* 876. *Febr.*)

Carolo Roma redeunte, conventus mense Februario anni 876 Ticini habitus est, in quo Langobardiæ proceres Carolo subditi et capitula aliqua promulgata sunt. Quorum editionem in actis concilii Pontigonensis servatam, Pithœus in SS. cœtaneis p. 506, Goldastus, Sirmondus et Baluzius publici juris fecerunt. Sæculo decimo octavo in bibliotheca Ambrosiana inter schedas Fontanæ apographum et excerpta codicis cujusdam acta synodi Ticinensis sola continentis reperta et in Muratorii SS. tom. II, p. II, p. 145 seqq. edita sunt; cui formulas sacramentorum a primoribus regni et a Karolo ipso præstitorum debemus; lectiones tamen ejus apographi sæculo decimo sexto confecti, quæ Ansberti archiepiscopi Mediolanensis singularem inter omnes Italici regni proceres locum attinent, ita comparatæ sunt, ut eas contra fidem documenti synodo Pontigonensi propositi et codicis Vindobonensis in textu recipere omnino dubitarem. Nec minus Fontanæ excerpta capitulorum a Muratorio et Cancianio recepta rejicienda erant, ipsis capitulis exstantibus; quibus in edendis usi sumus præcipue codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis inter libros Juris canonici n. 106. Lectiones ejus foll. 117 et 118 depromptas, a V. Cl. Stephano Endlicher adjutus, benignissime transmisit Kopitarius noster.

Gloriosissimo et a Deo coronato, magno et pacifico imperatori, domino nostro Karolo perpetuo augusto, nos quidem [1511] omnes episcopi, abbates, comites, ac reliqui qui nobiscum convenerunt Italici regni optimates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta, perpetuam optant [1512] prosperitatem et pacem. Jam quia divina pietas vos beatorum principum apostolorum Petri et Pauli interventione per vicarium ipsorum, domnum videlicet Johannem summum pontificem et universalem papam spiritualemque [1513] patrem vestrum, ad profectum sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque omnium invitavit [1514], et ad imperiale culmen sancti Spiritus judicio provexit, nos unanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrum [1515] eligimus, cui et gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus, et C omnia quæ nobiscum [1516] ad profectum totius sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque omnium salutem decernetis et sancietis [1517], totis viribus, annuente Christo concordi mente et prompta voluntate observare promittimus.

B

Et subscripserunt illi qui in Italia adfuerunt.

Anspertus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. Joannes sanctæ Aretinæ ecclesiæ humilis episcopus subscripsi. Johannes episcopus sanctæ Ticinensis ecclesiæ subscripsi. Benedictus Cremonensis episcopus subscripsi. Teudulfus [1518] Tertonensis [1519] episcopus subscripsi. Adalgaudus Vercellensis episcopus subscripsi. Azo Eporediensis episcopus subscripsi. Gerardus exiguus in exigua Laudensi ecclesia episcopus subscripsi. Hilduinus Astensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Ratbornus [1520] sedis Augustanæ episcopus subscripsi. Leodoinus Mutinensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Hildradus Albensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Bodo humilis sanctæ Aquensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Sabbatinus Jennensis [1521] ecclesiæ episcopus subscripsi. Eilbertus [1522] Comensis episcopus subscripsi. Adelardus servus servorum Dei Veronensis episcopus subscripsi. Ego Paulus sanctæ ecclesiæ Placentinæ [1523] episcopus subscripsi. Ego Andreas sanctæ Florentinæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Reginerius [1524] abbas subscripsi. Signum Bosonis inclyti ducis et sacri palatii archiministri atque imperialis missi. Signum Richardi [1525] comitis. Signum Walfridi [1526] comitis. Signum Liutfridi [1527] comitis. Signum Alberici comitis. Signum Supponis comitis. Signum Hardingi comitis. Signum Bodradi comitis palatii.

VARIÆ LECTIONES.

[1505] *in codd. V. Vn. Est. apud Murat. cap. 4. cf. Karoli M. capit. a.* 802 *supra pag.* 94 *cap.* 26 (*Patrol. t. XCVII*). [1506] *offerre V. Vn.* [1507] nostrum consilium *Est.* [1508] habeatur in quibusdam *V. Vn. E. Subjicimus textum codicis Londinensis, in quo hæc lex Hlothario adscribitur:* De judicii consuetudine. Ut consuetudinem injuste judicandi judicibus omnino volumus auferre. Sed tantum ut scriptura judicent, et nullatenus audeant aliter secundum arbitrium suum judicare, nisi sit judicium legibus consentaneum. Sed discant pleniter legem scriptam et ita judicent. Quæ autem scriptæ non sunt, nostro auxiliu• offerantur. [1509] *in codd. Flor. fol.* 129 *V. Vn. E. cap.* 8. [1510] i. et qui de nostris judicibus neglexerit causam istam ad judicandum aut distringendum componat guidrigild suum. *Est.* [1511] q. Ansbertus cum omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, ac reliquis qui nobiscum convenerunt Italici regni optimates Mur. [1512] optamus *M.* [1513] s. p. *desunt Mur.* [1514] incitavit *M.* [1515] n. et italici regni regem e. *M.* [1516] *deest. Bal.* [1517] decernitis et sancitis *M.* [1518] theudulphus *M.* [1519] dertonensis *S.* [1520] ratbonus *M.* [1521] januensis *M.* [1522] filbertus *M.* [1523] placentiæ *B.* [1524] ragniensis *M.* [1525] ricardi *M.* [1526] walfredi *M.* [1527] luitfredi *M.*

Signum Cuniberti comitis. Signum Bernardi comitis. Signum Airboli comitis.

Acta [1548] sunt hæc in palacio Ticinensi anno Domini 876, regni domni imperatoris Karoli, Hludowici augusti piæ memoriæ filii, in Francia 36, imperii primo, indictione IX.

Juramentum Ansperti archiepiscopi.

Sic promitto ego, quia de isto die in antea isti seniori meo, quamdiu vixero, fidelis et obediens et adjutor, quantumcumque plus et melius sciero et potuero, et concilio et auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude et malo ingenio, et absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione, et absque respectu alicujus personæ, et neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam vel intromissam personam, vel quocumque modo vel significatione, contra suum honorem, et suam ecclesiæ atque regni sibi commissi quietem et tranquillitatem atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam, neque aliquod umquam scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contraria vel nociva esse possit. Sic me Deus adjuvet et [1549] patrocinia.

Quod rex Karolus juravit [Ansperto archiepiscopo, atque [1550]] obtimatibus regni Italici.

Et ego quantum sciero et rationabiliter potuero, Domino adjuvante, [te sanctissime ac reverendissime archiepiscope, et [1550]] unumquemque vestrum, secundum suum ordinem et personam honorabo, et salvabo, et honoratum et salvatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione conservabo, et unicuique competentem legem ac justitiam conservabo, et qui illam necesse habuerint, et rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare, et salvare, et unicuique competentem legem et justitiam in unoquoque ordine conservare, et indigentibus et rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malevolentiam vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem [1551], et si per fragilitatem contra hoc mihi surreptum fuerit, cum recognovero, voluntarie illud emendare studebo, sic, etc.

CAPITULA.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Incipiunt capitula quæ domnus imperator Karolus, Hludowici augusti [1552] piæ memoriæ filius, una cum consensu et suggestione [1553] venerabilium episcoporum et illustrium optimatum reliquorumque fidelium suorum [1554], ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ et ad pacem ac profectum totius imperii sui fecit anno incarnationis domini nostri Jesu Christi 876 [1555], regni vero sui in Francia 367, imperii autem sui primo, indictione 9, mense Februario, in palacio Ticinensi.

1. Ut sancta Romana ecclesia, sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur; neque quisquam contra jus et potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

2. Ut honor domno et spiritali patri nostro Johanni, summo pontifici et universali papæ, ab omnibus conservetur; et quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit [1556], cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur.

3. Et licet in omnibus id observari [1557] velimus, præcipue tamen sanccimus, ut in termino [1558] beatorum Petri et Pauli apostolorum principum nemo in eundo et redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem et deprædationem facere præsumat; et quæ ipsius sanctæ Dei [1559] ecclesiæ propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione sine voluntate ipsius sacri pontificis sibi vindicare præsumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis male præsumptis, immunitatem ipsius ecclesiæ persolvat, et bannum nostrum tripliciter compônat.

4. Ut ecclesiasticus honor, et sacerdotalis atque clericalis reverentia, debita competentique sinceritatis religione ab omnibus amplectatur, et in [1560] omnibus custodiatur, sicut [1561] avi et genitoris nostri monent edicta.

5. Ut imperialis honor ab omnibus fideliter observetur; et quæ ab eo seu per epistolam seu per legatos præcipiuntur [1562], a nullo impune audeant [1563] violari.

6. Ut episcopi ministerium suum secundum sacros et sancto Spiritu promulgatos canones peragant, parrœchias suas absque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, et confirmando circumeant; et hoc in [1564] agendo nullus eis contraire et quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis parrœchiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat; sed adjutor, si oportuerit, invitatus a pontifice quisque ecclesiæ filius existat; ut liceat eis criminalia scelera et alia quæque corrigenda [1565] inquirere, discutere, et dijudicare canonice. Quod qui temerare proterve præsumpserit, triplicem legem et triplex [1566] bannum nostrum persolvat [1567].

7. Ut episcopi secundum sacram jussionem do-

VARIÆ LECTIONES.

[1548] *formula hæc integra deest apud M. cujus loco juramenta Ansperti et Karoli subjiciuntur.* [1549] *lege* et hæc sanctorum patrocinia. [1550] *uncinis inclusa pro spuriis habeo.* [1551] dederit *supplendum.* [1552] *deest M.* [1553] s. reverendissimi ac sanctissimi domini Ansperti archiepiscopi sanctæ Mediolanensis ecclesiæ necnon venerabilium e. *M.* [1554] s. in regno italico ad *M.* [1555] DCCCLXXVII *codd. et edd* [1556] decrevit ! *Vind.* [1557] *ita V.* observare *edd.* [1558] terminio *Vind.* [1559] *ita V. deest in edd.* [1560] ab *V.* [1561] s. a. et g. n. m. e. *desunt V.* [1562] recipiuntur *V.* [1563] audeat *V.* [1564] in hoc *edd.* [1565] corrigendo *V.* [1566] triplicem *V.* [1567] exsolvat *V.*

mini nostri Jesu Christi prædicationem per se vel A per [1548] suos congruenter exerceant, et presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent. Et ut seculares et fideles laici diebus festis, qui in civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant : et qui in villulis et possessionibus sunt, ad publicum officium in plebe [1549] festinent. Et nullus latibulosa missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia [1550] episcopi.

8. Ut episcopi in civitatibus suis proximum ecclesiæ suæ [1551] claustrum instituant, in quo ipsi cum clero suo [1552] secundum canonicam regulam Deo militent [1553]; et sacerdotes suos ad hoc constringant, ut ecclesias non relinquant et aliubi habitare præsumant. Sint etiam subjecti proprio episcopo secundum canonicam auctoritatem, nec per contumatiam ab eorum potestate dissiliant [1554], neque seculari potestati [1555] ad hoc eis commendare se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, ut [1556] contra canonicas leges et debitam [1557] episcopi potestatem quodammodo defensentur. Hujusmodi vero sacerdotes episcopalis [1558] illico censura disciplinis ecclesiasticis subdat [1559]. Nec fas est omnium eorum sollicitudinem episcopos non gerere, quibus in committendis sacris ordinibus dignum visum est communicasse.

9. Ut a [1560] domibus sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio feminarum penitus tollatur; neque illi in domos earum intrare indiscrete præsumant, ne nomen Dei, quod absit, per illos C blasphemetur per quos laudari pie et jugiter debet. Venationem quoque nullus tam sacri ordinis exercere præsumat; neque arma militaria pro qualicumque seditione portare audeat, aut habitum [1561] quemlibet tantum apicem sacerdotii [1562] non decentem assumat.

10. Ut res ecclesiasticas tam mobiles quam et immobiles nemo invadere vel auferre præsumat; et quæ a rectoribus ecclesiæ actenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario vel enfiteoticario [1563] jure dolose et cum damni detrimento ecclesiæ amissæ [1564] videntur, ad pristinum jus revertantur : quatinus liceat illis quibus earum cura commissa est, quieto et pacifico ordine eas tenere, et pro nobis ac regno nobis a Deo commisso orare, pauperibusque debita D stipendia erogare, familiam ecclesiæ juste [1565] et rationabiliter regere et gubernare. Transgressoribus autem indicimus injuste præsumpta restituere, et sicut superius præfixum est, triplicem legem et triplex [1566] bannum nostrum persolvere.

11. Ut decimæ conlaborationum [1567] et animalium secundum sacra præcepta Domino absque fraude et aliqua retractione [1568] offerantur; et in potestate episcopi maneat, qualiter a [1569] presbyteris dispensentur canonice. Et ut ecclesias baptismales, quas plebes appellant, secundum antiquam consuetudinem ecclesiæ filii instaurent.

12. Ut episcopi comites et vassos nostros in parrœchia eorum manentes paterno amore secundum ecclesiasticum ministerium diligant; ipsi vero comites et vassalli seu reliqua generalitas prædictos episcopos ut sanctos patres honorent et venerentur, et ad ministerium illorum peragendum, ubicumque potuerint, eos adjuvare decertent. Si vero, quod non optamus, eis infesti, quo minus [1570] quæ Dei sunt exercere possint, reperti fuerint, aut ipsi contra leges officia sua violaverint, et [1571] eos quos venerari B debent inquietaverint, secundum capitulare avi et genitoris nostri emendent. Qualiter quoque presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipsius capitularis forma doceantur. Ipsi nihilominus episcopi, singuli in suo episcopio, missatici nostri potestate et auctoritate fungantur.

13. Ut episcopi et comites in suis ministeriis commorantes in suis consistant domibus cum suis vassallis, neque præsumant occasione ospitii in pauperioris cujuspiam vicini domo, nisi rogati, commorari; quia ob hoc maxime deprædationes et discordias actenus pululasse manifestum est. Prævideant quoque, secundum ministerium unusquisque suum, ne in potestate illorum prædæ et devastationes fiant. Et si aliqui hoc facere temptaverint, omni [1572] sua virtute illis resistant. Et si ipsi per se constringere ad emendationem illos non potuerint, constitutis missis nostris renuntient, ut ipsorum judicio legaliter secundum capitulare avi et [1573] genitoris nostri emendent. Quod si et ipsi hoc emendare nequiverint, ad nostram notitiam perducant.

14. Ut quotiens divinum judicium aliquem ecclesiæ præsulem e sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, et ad jus suum transferat; sed erogatariis et eleemosynariis ecclesiasticis, cum ipsius ecclesiæ constituto œconomo, liberum sit, canonico more, juste rationabiliterque deputata successori futuro reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere. Quod qui iniqua cupiditate transgredi præsumpserit, ut superius prælibatum est, inrefragabiliter multetur.

15. Ut nemo fidelium nostrorum quodammodo aliquem celet quem nostrum scierit infidelem esse, neque ei sustentationem quamcumque præstare pertentet, si eum ad nostram fidelitatem revocare ne-

VARIÆ LECTIONES.

[1548] *deest V.* [1549] plebem *edd.* [1550] licentiæ *V.* [1551] *ita V. deest in edd.* [1552] *ita V. deest in edd.* [1553] militant *V.* [1554] dissilient *V.* [1555] potestate ad hoc commendare sed l. *V.* [1556] *ita V.* aut *edd.* [1557] debitum *V.* [1558] epistolas *V.* [1559] *deest V.* [1560] *deest in edd.* ad omnibus *corr.* ab omnibus *V.* [1561] abitum *V.* [1562] sacerdotum *V.* [1563] enfiteocario *V.* [1564] *ita recte V.* amisisse *edd.* [1565] *hinc pagina codicis Vind. ultima vix legi potest ob detritum KOPITAR.* [1566] *ita et V.* [1567] conlaborationem *V.* [1568] retractatione *edd.* [1569] *deest in edd.* [1570] cominus *V.* [1571] et c. q. v. d. i. *desunt V.* [1572] omnis *V.* [1573] *reliqua omnia desiderantur in Vindobonensi.*

quiverit. Quicumque autem contra hæc fecerit, præ-
decessorum et progenitorum nostrorum judicium
experietur.

Ansbertus archiepiscopus subscripsi. Johannes humilis Aretinæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Adalardus servus servorum Dei sanctæ Veronensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Adalgaudus Vercellensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Azo Eporediensis episcopus subscripsi. Benedictus episcopus Cremonensis subscripsi. Hildradus Albensis episcopus subscripsi. Gerardus exiguus ecclesiæ Laudensis episcopus subscripsi. Johannes humilis episcopus sanctæ Ticinensis ecclesiæ subscripsi. Teudulfus Terdonensis episcopus subscripsi. Hilduinus Astensis episcopus subscripsi. Sabbatinus humilis Jenuensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Signum Bosonis ducis et missi Italiæ atque sacri palatii archiministri. Signum Bernardi comitis. Signum Bodradi comitis. Signum Ricardi comitis. Signum Airboldi comitis. Signum Cuniberti comitis. Signum Supponis comitis. Signum Alberici comitis. Signum item Bernardi. Signum Hardingi comitis. Signum Berardi comitis [1373].

KAROLI II SYNODUS PONTIGONENSIS.

(*An.* 876. *Jun.* — *Jul.*)

Historia synodi hujus ab Hincmaro in Annalibus (*Mon. Germ.*, SS. I, p. 499, 500 [*Patrolog.* CXV,]) prolixius enarratur. Actorum ejus pars superest, scilicet petitio Hincmari archiepiscopi adversus Ludovicum regem, confirmatio actorum conventus Ticinensis pridie Kalendas Julii edita una cum formula sacramenti a proceribus omnibus præstiti, definitio de Adelgaudo presbytero pridie Idus Julii, capitula ab Odone Bellovacensi episcopo XVII Kal. Augusti in synodo lecta, sed Hincmaro monente auctoritate carentia, demum Leonis Sabinensis et Petri Forosimproniensis episcoporum, Joannis papæ ad determinanda Ludovici Germaniæ regis et Caroli negotia legatorum, auctoritas, qua soluta synodo Romam properantes, vices suas Joanni Tuscanensi et Joanni Aretino episcopis committunt; quæ hic ex Sirmondo et Baluzio, ordine tamen quo evenisse videntur, proponimus.

ECCLESIÆ REMENSIS PETITIO.

Paternis magisteriis instruimur, ut si qua majora negotia vel majores causæ exortæ fuerint, ad sedem apostolicam, prout auctoritas docet et mos antiquus obtinuit, semper referantur. Ideoque quia imperialem excellentiam vestram synodo præesse et vicarios sedis apostolicæ præsto nobis adesse gaudemus, calamitates et miserias ecclesiæ nostræ ac filiorum nostrorum, quas hoc anno ab Hludowico rege, itemque Hludowico filio ejus et complicibus eorum, cædes videlicet, homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, et cetera flagitia quæ nullus enumerare potest, ecclesia nostra perpessa est, vestræ serenitati innotescimus, obsecrantes ut pro Dei omnipotentis amore, et pro ingenita vobis benignitate, ac pro ministerio imposito, nobis et ecclesiæ nostræ ac filiis nostris secundum pervulgatam omnibus vestram sapientiam consulatis pariter ac succurratis, ne de cetero talia ac tanta mala ecclesia nostra ac regnum patiatur qualia hactenus passa est.

CONFIRMATIO ACTORUM CONVENTUS TICINENSIS.

Synodus quæ fuit acta apud Ticinum palatium anno incarnationis Dominicæ 876, *indictione* IX, *mense Februario; et postea fuit confirmata ipsa synodus apud Pontigonem, cum missis domni apostolici Joannis aliisque multarum provinciarum episcopis. Electio Karoli imperatoris ab Italici regni episcopis et ceteris confirmata.*

Gloriosissimo, etc. *ut supra col.* 761 *usque* indictione IX.

Confirmatio Cisalpinorum.

Sicut domnus Johannes apostolicus et universalis papa primo Romæ elegit atque sacra unctione constituit, omnesque Italici regni episcopi, abbates, comites, et reliqui omnes qui cum illis convenerunt, domnum nostrum gloriosum imperatorem Karolum augustum unanimi devotione elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse, ita et nos qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria, ac Provincia, pridie Kalendas Julii in loco qui dicitur Pontigonis anno 37 in Francia, ac imperii primo, jussu ejusdem domni et gloriosi augusti convenimus, pari consensu ac concordi devotione eligimus et confirmamus.

Et subscripserunt omnes Cisalpini episcopi qui adfuerunt, et quorum nomina subter sequentia capitula, quæ confirmaverunt, tenentur adscripta.

Juramentum Hincmari archiepiscopi et reliquorum procerum.

Sic promitto ego, quia de isto die in antea isti seniori meo, quandiu vixero, fidelis et obediens et adjutor, quantumcunque plus et melius sciero et potuero, et consilio et auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero, absque fraude et malo ingenio et absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione et absque respectu alicujus personæ. Et neque per me, neque per missum, neque per litteras, sed neque per emissam vel intromissam personam, vel quocunque modo ac significatione, contra suum honorem et suam, ecclesiæ, atque regni illi commissi quietem et tranquillitatem atque soliditatem machinabo vel machinanti consentiam. Neque unquam aliquod scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contrarium vel nocivum esse possit. Sic me Deus adjuvet et ista sancta patrocinia.

In nomine Patris, et Filii, etc. *ut supra col.* 763 *usque* signum Berardi comitis.

Johannes Tuscanensis episcopus, legatus sanctæ

VARIÆ LECTIONES.

[1373] *Subscriptiones omnes quæ præcedunt in Sirmondo desunt, relatæque fuere in istius operibus variis, post illum editis, ex cod. Bellovacensi.* BALUZ.

sedis apostolicæ et domni Johannis summi pontificis et universalis papæ, in his quæ supra scripta sunt interfui, consensi, et subscripsi. Ansegisus Senonum metropolis episcopus, sanctæ et apostolicæ sedis per domnum Johannem summum pontificem papam vicarius, interfui, consensi, et subscripsi. Johannes Aretinus episcopus, sanctæ sedis apostolicæ legatus, interfui, consensi, et subscripsi. Hincmarus Remorum archiepiscopus subscripsi. Frotarius archiepiscopus consensi et subscripsi. Aurelianus Lugdunensis ecclesiæ episcopus in Christi nomine roboravi [1378]. Ottramnus Viennensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Johannes Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. Bertmundus Ebredunensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. Ragenelmus Tornacensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Walterus humilis Aurelianensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Gerboldus Cabillonensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Gislebertus Carnotensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Hildeboldus Suessionensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Rostagnus sanctæ Arelatensis ecclesiæ humilis episcopus subscripsi. Isaac Lingonensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Lantbertus Matiscensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Ingelwinus sanctæ Parisiacensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Geroldus Ambianensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Abbo Nevernensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Johannes Cameracensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Hadebertus Silvanectensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Odo Belgivacorum episcopus in Christi nomine subscripsi. Ratbertus Valentinæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Bernarius Gratianopolitanæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Angenulfus Gabalitanensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Birico Wapincensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Alduinus Avinionensis [1376] ecclesiæ episcopus subscripsi. Wido Vallavensis [1377] ecclesiæ episcopus subscripsi. Hildebrannus Sagensis episcopus subscripsi. Willebertus humilis Catalaunorum episcopus subscripsi. Ragenfridus Meldensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Heirardus Lixoviensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Sigenandus Constantiensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Ætherius Vivariensis episcopus subscripsi. Erchambertus Bajocensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Hedenulfus Laudunensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Agilmarus Arvernensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Anselmus Lemovicensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Adalbertus Morinensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Willelmus Cadurcorum ecclesiæ episcopus subscripsi. Lupus Albiensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Ottulfus sanctæ Trecassinæ ecclesiæ humilis episcopus subscripsi. Berardus Viridunensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Arnaldus Leucorum ecclesiæ episcopus subscripsi. Franco Tungrensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Theodoricus Vesontiorum ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. Wala Antisiodorensis episcopus subscripsi. Adalgarius Augustidunensis episcopus subscripsi. Hemico Diensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Aimarus Ruthenensium ecclesiæ episcopus subscripsi. Theotarius Gerundensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Hugo abba. Albustus abbas ex monasterio quod vocatur Bethleem sive Ferrarias. Hilduinus abbas et bibliothecarius. Vulfardus abba scripsit et subscripsit. Gauzlenus abba et archicancellarius.

DEFINITIO DE ADALGAUDO PRESBYTERO.

Pridie Idus Julii, in loco qui vocatur Pontigonis, ita de Adalgaudo presbytero a legatis sedis apostolicæ, Leone apocrisiario sanctæ sedis Romanæ, Petro, Johanne, itemque Joanne, legatis memoratæ sanctæ sedis, ac Ansegiso vicario ejusdem sanctæ sedis, et ab omni concilio definitum est, ut illi propria ecclesia reddatur, et a præfatis Kalendis quatuor mensium dilatio ad famam suam purgandam illi concedatur. Si post quatuor menses purgare se canonice non potuerit, nulla ejus vox postea penitus audiatur.

CAPITULA AB ODONE PROPOSITA.

Sancta synodus quæ in nomine Domini vocatione domni Johannis ter beatissimi ac universalis papæ, et jussione domni Karoli perpetuo augusti congregata est in loco qui vocatur Pontigonis, anno incarnationis dominicæ 876, indictione 9, regni præfati invictissimi imperatoris 37, imperii autem primo, 17 Kalendas Augusti, hæc capitula quæ subter adnexa sunt instituit.

1. Obeunte Hludowico qui Romani imperii jura regebat, domnus Johannes ter beatissimus papa per Gadericum Veliternensem, Formosum Portuensem, Johannem Aretinum venerabiles episcopos, domnum Karolum tunc regem ad limina beatorum apostolorum invitavit, eumque ecclesiæ ipsius defensorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum præ cunctis solum et specialem eligens qui Romani imperii sceptra teneret. Cujus sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse instituit instituimus, et quod ipse confirmavit pari consensu omnes firmamus.

2. Congregata igitur in Romana urbe sancta synodo, ante adventum prædicti domni imperatoris, misit cum consensu omnium epistolas Hludowico regi, filiis quoque ipsius, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac reliquis primoribus regni sui, monentes eos apostolica auctoritate more paterno servare quæ pacis sunt, ne videlicet aliquam inreptionem in regno præfati augusti facile tentarent, usque dum simul ad mutuum colloquium venirent, et ipse inter eos et de pace conservanda et de jure regnorum secundum sibi a Deo ministerium creditum decerneret pariter et discerneret. Quas epistolas per Odonem Bellovacorum venerabilem episcopum sibi desti-

VARIÆ LECTIONES.

[1378] *In Sirmondo subscriptio Aureliani præcedit subscriptionem Frotarii* Bal. [1376] Avenionensis *S.* [1377] Vellavensis *S.*

natas et bis delatas omnino recipere renuerunt.

3. Ipse vero apostolica et paterna monita parvipendens, et fraterna fœdera disrumpens, hostili manu tyrannico more fraternum regnum depopulando invasit; homicidia, stupra, adulteria, sacrilegia, et innumera mala quæ enumerari nequeunt, auctoritas facientium perpetravit.

4. Hæc mala audiens ter beatissimus papa perpetrata esse in regno spiritalis filii sui domni Karoli semper augusti, tactus dolore cordis acceleravit mittere missos suos, Johannem videlicet et Johannem, venerabiles episcopos, cum aliis suis epistolis, volens eum monere, ut a tanto malo pœnitudinem de præteritis ageret, et tandem fraternum regnum invadere desineret. Quorum legationem secundo commonitus necdum recipere voluit.

5. Post hos denique misit iterum alios legatos, Leonem scilicet sanctissimum Gabinensem episcopum et sanctæ Romanæ ecclesiæ missum et apocrisiarium, pariterque et Petrum Forosemproniatem venerabilem episcopum, hæc eadem obsecrando, monendo protestans. Quorum monita utrum recipere velit, adhuc ambiguum constat.

6. Verum quia præfatus Leo Gabinensis reverentissimus episcopus et sanctæ Romanæ ecclesiæ missus et apocrisiarius, seu et Petrus Forosemproniatis episcopus, pro quibusdam utilitatibus ecclesiasticis morari hic diutius nequeunt, neque episcopos de longinquo venientes fatigare longius dignum est, decreverunt Johannem Tuscanensem et Johannem Aretinum venerandos episcopos, qui legationem præfatorum pariter cum priori legatione suscipientes, ea quæ peragenda sunt, cum ceteris episcopis, quos communi consensu elegerint, vice omnium episcoporum, quicquid seu in evocando seu in contemptoribus feriendo definierint, apostolica auctoritate libere definiant, et quicquid ipsi deliberaverint, et domnus apostolicus cum omni sancta Romana ecclesia determinabit et in perpetuum mansurum statuet et firmabit.

7. Sicut domnus papa Johannes sanxit, connivente et consentiente et condecernente domno et gloriosissimo Karolo imperatore semper augusto, Ansigisum venerabilem episcopum, Senonum archiepiscopum, suam vicem tenere, et primatum ei Galliæ et Germaniæ contulit in evocanda synodo et definiendo canonice si quælibet insurrexerint necessaria, et ut graviora ad ipsius notitiam referat, et nos unanimiter omni devotione laudamus, et ut ita ipse primatum teneat Galliæ et Germaniæ decernimus et sancimus.

8. Synodum quam domnus Johannes apostolicus et universalis papa super quorundam depositionem, Formosi scilicet Portuensis episcopi, et Gregorii nomenculatoris, seu et Stephani secundicerii, et Georgii vesterarii, ceterorumque suorum complicum, sicut in epistola ipsius ad nos missa continetur, nuper instituit, et nos secundum jussionem ipsius, in nullo a capite dissidentes, consentiendo decernimus, omnibusque apostolicis illius sanctionibus per omnia parentes, sicut decet, obedimus.

9. Censuram vero quam domnus apostolicus super nefandissima acta Hludowici regis et complicum ejus, nisi resipuerint et debitam obedientiam sedi apostolicæ exhibuerint, statuit et firmavit, omnes nos qui ad præsentem synodum convenimus, unanimiter decernimus atque firmamus.

LEONIS ET PETRI LEGATORUM AUCTORITAS.

Quia domnus noster Johannes sanctissimus et ter beatissimus papa, nos quidem, me scilicet Leonem Gabinensem episcopum et sanctæ Romanæ ecclesiæ missum et apocrisiarium, et Petrum venerabilem Forosemproniatem episcopum, ad hoc in has partes direxit, ut ceu pridem per venerabiles episcopos, Johannem videlicet et Johannem, mandaverat, vestra sanctitate adgregata, de negotiis quæ inter utrosque fratres hoc anno emerserant determinaremus, sed nos ob quasdam sanctæ Romanæ ecclesiæ utilitates quia diutius morari nequimus, et vestram beatitudinem longius fatigare nolumus, hos fratres nostros, Johannem videlicet Tuscanensem et Johannem Aretinum venerabiles episcopos, vobiscum morari decrevimus, usque dum res unde agitur optatum finem divina favente gratia accipiat : qui quicquid seu in evocanda synodo, seu in definiendo, seu in contemptoribus feriendo definierint, apostolica auctoritate libere definiant, et quicquid ipsi deliberaverint, et domnus apostolicus cum omni sancta Romana ecclesia determinabit et in perpetuum mansurum statuet et firmabit.

KAROLI II IMPERATORIS EDICTUM DE TRIBUTO NORDMANNICO.

(*An.* 877. *Mai.* 7. *Compendii.*)

Edictum Hincmaro referente apud Carisiacum mense Junio, sed ex inscriptione Compendii promulgatum, post Sirmondum et Baluzium edimus. Consentit cum eis quæ Hincmarus in Annalibus de solutionum singularum quantitate refert.

Anno incarnationis dominicæ 877, Nonis Maii, in Compendio palatio, de aliqua sed non de tota parte regni quod domnus imperator Karolus habuit antequam junior Hlotharius defunctus fuisset, hæc constituta est exactio Nortmannis, qui erant in Sequana, tribuenda, ut a regno ejus recederent.

Episcopi, abbates, comites, ac vassi dominici ex suis honoribus de unoquoque manso indominicato donent denarios duodecim; de manso ingenuili quatuor denarios de censu dominicato, et quatuor de facultate mansuarii; de servili vero manso, duos denarios de censu indominicato, et duos de facultate mansuarii. De omnibus vero ecclesiis, unusquisque episcopus de suo episcopatu, vel abbas de sua solummodo abbatia, in cujuscumque episcopi sint parrochia, accipiant cum misso episcopi in cujus parro-

chia sunt, de presbyteris secundum possibilitatem, quinque solidos, vel quatuor, vel tres, vel duos, vel unum solidum. A quo plurimum, quinque solidos; a quo minimum, quatuor denarios. De ecclesiis vero imperatoris et imperatricis et comitum ac vassallorum imperialium, tam de illis qui cum imperatore pergent, quam et illis qui remanserint, episcopus in cujus parrochia consistunt secundum prædictum modum conjectum accipiat. De negotiatoribus autem, vel qui in civitatibus commanent, juxta possibilitatem, secundum quod habuerint de facultatibus, conjectus exigatur.

KAROLI II IMPERATORIS CONVENTUS CARISIACENSIS.

(*An.* 877. *Jun.* 14.)

Capitula ab imperatore proposita et conventus responsa Sirmondo et Baluzio præeuntibus, capitula deinde promulgata cum codice bibl. regiæ Parisiensis n. 4761, s. x, collata evulgamus.

Hæc capitula constituta sunt a domno Karolo, glorioso imperatore, cum consensu fidelium suorum apud Carisiacum anno incarnationis dominicæ 877, regni vero ipsius 37, imperii autem 2, XVIII Kalendas Julias, indictione X; de quibus quædam ipse definivit, et de quibusdam a suis fidelibus responderi jussit.

CAPITULA PROPOSITA CUM RESPONSIS CONVENTUS.

1. De honore et cultu Dei atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis domni et genitoris nostri excultæ et honoratæ atque rebus ampliatæ fuerunt, et quæ a nostra liberalitate honoratæ atque ditatæ sunt, de cetero sub integritate sui serventur; et sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant; et eisdem principalis potestas et inlustrium virorum strenuitas, seu rei publicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter et juste concurrant. Et filius noster hæc suprascripta similiter Deo juvante conservet.

RESP. Primum capitulum, sicut Deo inspirante decrevistis, omnes conlaudamus et conservare volumus.

2. Ut monasterium a nobis Compendio in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructum, a filio nostro et fidelibus nostris eo tenore quo cœpimus honoretur, et privilegium a domno papa et ab omnibus episcopis confirmatum, imperiale etiam decretum, ab omnibus fidelibus pro Dei et nostro amore benignissime atque inviolabiliter conservetur, et a filio nostro firmetur.

RP. De secundo similiter respondemus.

3. Ut tales a vobis eligantur, exceptis illis quibus commendatum habemus, quorum speciali consilio et adjutorio in præsenti itinere utamur.

RP. De tertio vos, sicut melius Deo inspirante vidistis, regni vestri defensionem atque tuitionem, et filii vestri custodiam per fideles vestros, tam per episcopos, quam abbates et comites, dispositum habetis, et necessarium esse cognoscimus. Ipsam dispositionem nos disordinare non possumus, nec debemus; et qualiter illam melius disponere possimus, non sapimus.

4. Quomodo securi esse possimus, quousque Deo donante huc revertamur, a nullo regnum nostrum inquietari posse, quantum Deus vos adjuvare voluerit et vestrum posse extiterit, et quomodo nos de filio nostro et de vobis securi esse possimus, et vos de filio nostro securi esse possitis, et ipse de vobis, et ut vos ad invicem credere possitis.

RP. De quarto, in quo scriptum est, quomodo vos de filio vestro securi esse possitis, respondemus, quia, Deo gratias, vos eundem filium vestrum et generastis et nutristis, et sub nutrimento vestro Deus ad hanc ætatem illum perduxit; et nemo nostrum illum amplius salvare potest, vel debet, aut sapit, quam vos, et in vestro consilio et auxilio ac dispositione illius salvatio et honor post Deum et sanctos ejus consistit. Et qualiter ad Dei voluntatem et sanctæ ecclesiæ et regni vestri utilitatem securi de illo esse possitis, in vestra dispositione manet. Et de hoc quod ibi scriptum est, quomodo de nobis securi esse possitis, qualiter usquedum Deo donante huc revertamini, ut a nullo regnum vestrum inquietari possit, quantum Deus nos juvare voluerit et nostrum posse extiterit: respondemus, quia sunt sacramenta quæ vobis fecimus, et est professio quam vobis et clerici et laici in Carisiaco fecimus et subscripsimus, et est perdonatio quam dominatio vestra nobis fidelibus vestris et perdonavit et subscripsit, et est professio et sacramentum quæ in Gundulfi villa pro novis causis emergentibus ex morte Hlotharii et missatico domni apostolici Hadriani et missatico Hludowici nepotis vestri vobis fecimus. Est etiam professio quam Remis et de vestra fidelitate et de vestri regni dispositione ac defensione et de uxore vestra et de filio vestro quem habetis, et si Deus adhuc etiam alterum dederit, professi fuimus. Quæ omnia hactenus conservavimus et conservamus, et adjuvante Deo usque ad finem vitæ nostræ conservare volumus. Unde pro certo nos veraciter credere potestis. Si autem aliquis a præfatis sacramentis vel professionibus deviavit, hoc secundum rationem et auctoritatem atque consuetudinem emendet et de cetero conservet. Si autem talis est de vestris fidelibus qui has professiones non fecit, si necesse fuerit faciat, et de cetero conservet. Fideles etiam vestri post mortem fratris vestri ad vos venerunt. Quale sacramentum vobis fecerunt, vos scitis. Qui autem de illis illud sacramentum hactenus conservavit, de cetero conservet. Et si aliquis ab illo sacramento deviavit, secundum rationem et auctoritatem atque consuetudinem hoc emendet, et deinceps conservet. De hoc quod ibidem scriptum est, qualiter nos securi de filio vestro esse possimus,

respondemus, quia de filio vestro, quem per Dei gratiam et vestram dispositionem futurum seniorem post vos habere volumus, nullam firmitatem aliam quærimus, nisi hoc quod vos in capitulari vestro statuistis et decrevistis, nobis unicuique in suo ordine et persona conservet. De hoc quod ibidem scriptum est, qualiter ipse de nobis securus esse possit, respondemus, quod et Remis (160) respondimus, quia si Deus et vos illum in regni regimine sublimaveritis, et in parte denominata illum designaveritis, sic ei fideles esse cupimus sicut per rectum esse seniori debemus. De hoc quod ibi scriptum est, et nobis verbis dixistis, ut ad invicem nos credere possimus, verbis fideliter nos confirmavimus, ut ad Dei voluntatem et vestram fidelitatem et honorem et sanctæ ecclesiæ ac regni vestri utilitatem ac fidelium vestrorum salvamentum Deo mediante adunati simus, quantum unusquisque nostrum in suo ordine et persona per Dei gratiam scire et posse habuerit, ut ad invicem nos credamus et mutuo adjuvemus.

5. Ut ea quæ per largitatis nostræ præcepta dilectæ conjugi nostræ in proprium habere concessimus, filius noster ante nos confirmet; et ex omnibus quæ illi jure beneficiario concessimus sive concesserimus, si obitus noster evenerit et illa nos supervixerit, quomodo securi sumus, quatinus illam et sua omnia filius noster et fideles nostri condigno honore studeant conservare.

RP. De quinto capitulo, in quo scriptum est de dilectæ conjugis vestræ dominæ nostræ honore et salvamento, et de conservatione earum rerum quas illi dedistis vel dederitis, et de confirmatione a filio vestro exinde facienda, et filius vester ad hoc paratus est sicut jubetis, et nos, quantum scierimus et potuerimus, ad hoc parati erimus.

6. De filiabus nostris, cum quo honore secundum Dei voluntatem, et quali salvamento aut adjutorio consistere debeant. Quod etiam parvulæ nostræ filiæ datum habemus aut deinceps dederimus, cum quali securitate tenere possit. Et si Deus eam ad perfectam ætatem venire donaverit, in matris suæ sit potestate, et a nullo contra ipsius voluntatem vel marito tribuatur, vel sacrum ei velamen imponatur.

RP. Similiter et de filiabus vestris, et etiam de parvula filia vestra, sicut in capitulo vestro continetur, et filius vester paratus est conservare, et ad hoc conservandum, quantum scierimus et potuerimus, adjutorium præstabimus.

7. De ordinandis scaris, et si nepotes nostri, sui patris imitantes vestigia, contra nos, aut in itinere aut postquam ad dispositum locum Deo duce venerimus, aliquid nobis mali aut regno nostro machinari voluerint, quomodo illis, Deo juvante, plenissime resistatur.

RP. De sacris ordinandis, et de adjutorio, si aliquis de nepotibus vestris aut inter vias aut in Italia A vobis aliquod impedimentum facere voluerit, in vestra dispositione erit qui in isto regno remaneant, vel qui post vos in vestrum adjutorium pergant.

8. Si antequam redeamus, aliqui honores interim aperti fuerint, considerandum quid exinde agatur.

RP. Si antequam, juvante Domino, revertamini, aliquis archiepiscopus defunctus fuerit, vicinus episcopus ipsius dioceseos cum comite ipsam sedem prævideat usque dum obitus ipsius archiepiscopi ad vestram notitiam perveniat. Si aliquis episcopus interim obierit, archiepiscopus ipsi sedi visitatorem secundum sacros canones deputet, qui una cum comite ipsam ecclesiam, ne prædetur, custodiat usque dum ipsius episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat. Si abbas vel abbatissa obierit, episcopus in B cujus parochia monasterium illud est, una cum comite illud monasterium custodiat usque dum vestra jussio inde fiat.

9. Si comes obierit, cujus filius nobiscum sit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet de his qui illi plus familiares et propinquiores fuerint, qui cum ministerialibus ipsius comitatus et episcopo ipsum comitatum prævideat usque dum nobis renuntietur. Si autem filium parvulum habuerit, isdem cum ministerialibus ipsius comitatus et episcopo in cujus parochia consistit eundem comitatum prævideat donec ad nostram notitiam perveniat. Si vero filium non habuerit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet qui cum ministerialibus ipsius comitatus et episcopo ipsum C comitatum prævideat donec jussio nostra inde fiat. Et pro hoc nullus irascatur, si eumdem comitatum alteri cui nobis placuerit dederimus quam illi qui eum hactenus prævidit. Similiter et de vassallis nostris faciendum est. Et volumus atque expresse jubemus, ut tam episcopi quam abbates, et comites, seu etiam ceteri fideles nostri, hominibus suis similiter conservare studeant; et tam de episcopatibus quam et de abbatiis vicinus episcopus et comes prævideant, ne aliquis res ecclesiasticas vel facultates diripiat, et nullus ad eorum eleemosynam faciendam impediat. Quod si præsumpserit, et secundum leges humanas hoc componat, et secundum leges ecclesiasticas inde ecclesiæ quam læsit satisfaciat, et nostram harmiscaram secundum modum D culpæ et ut nobis placuerit sustineat.

RP. Cetera capitula responsione non egent, quoniam a vestra sapientia sunt disposita et diffinita.

10. Si aliquis ex fidelibus nostris post obitum nostrum, Dei et nostro amore compunctus, seculo renuntiare voluerit, et filium vel talem propinquum habuerit qui rei publicæ prodesse valeat, suos honores, prout melius voluerit, ei valeat placitare. Et si in alode suo quiete vivere voluerit, nullus ei aliquod impedimentum facere præsumat, neque aliud aliquid ab eo requiratur, nisi solummodo ut ad patriæ defensionem pergat.

NOTÆ.

(160) Ubi Hincmaro teste in præsentia procerum regni, exceptis Hugone abbate et Bernardo comite Arvernensi, de Hludowici successione in regno post patris obitum dispositum fuit. Simmond.

11. Si aliqua occasione filio nostro aut fidelibus nostris de nostro obitu nuntiatum fuerit, non facile credatur : sed conveniant simul fideles nostri, et rationabiliter secundum Dei voluntatem omnia a nobis ordinata disponant.

12. Si nos in Dei sanctorumque ipsius servitio mors præoccupaverit, eleemosynarii nostri, secundum quod illis commendatum habemus, de eleemosyna nostra decertent. Et libri nostri, qui in thesauro nostro sunt, ab illis, sicut dispositum habemus, inter sanctum Dionysium et sanctam Mariam in Compendio et filium nostrum dispertiantur. Id est, Hincmarus venerabilis archiepiscopus, Franco episcopus, Odo episcopus, Gauzlinus abba, Arnulfus comes, Bernardus comes, Chuonradus comes, Adalelmus comes. Similiter de his quæ ad eleemosynam conjugis nostræ pertinent, si ipsa obierit, faciant. Quæ vero superfuerint, ab ipsis salventur usque ad nostram, Deo dante, interrogationem

13. Inveniendum, qualem partem imperii, si obitus noster evenerit, sibi decernendam sperare filius noster debeat; et si Deus alterum filium nobis interim donare voluerit, quam ipse habeat. Et si aliquis ex nepotibus nostris ad hoc se dignum exhibuerit, vel si non fecerit, secundum quod nobis tunc, et cui placuerit, censeatur.

14. Ut filius noster talem se et talitter præparet, quatenus cum Deo juvante reversi fuerimus, Romam ire valeat, et ibi Dei et sanctorum apostolorum, quandiu necesse fuerit, servitium agere, et ibi Deo adminiculante in regem possit co- nari.

15. Qualiter et quo ordine filius noster in hoc regno remaneat, et qui debeant esse quorum auxilio utatur, et vicissitudine cum eo sint. Videlicet ex episcopis assidue sint cum illo aut Ingilwinus, aut Reinelmus, sive Odo, seu Hildeboldus. Ex abbatibus, si alia necessitas non evenerit, assidue sint cum eo Welpho, Gauzlinus, et Folco. Ex comitibus vero, aut Teudericus, aut Balduinus, sive Chuonradus, seu Adalelmus, alternatim cum illo consistent, et, quanto sæpius pro nostra utilitate potuerint, Boso et Bernardus. Si versus Mosam perrexerit, sint cum eo Franco episcopus, Johannes episcopus, Arnulfus comes, Gislebertus, Letardus, Matfridus, Widricus, Gotbertus, Adalbertus, Ingelgerus, Rainerus, una cum prædictis. Si ultra Sequanam perrexerit, Hugo abba, Waltherus episcopus, Wala episcopus, Gislebertus episcopus, et ceteri nostri fideles illius partis, una cum prædictis. Sed et de aliis fidelibus nostris, secundum quod in unaquaque parte regni necesse fuerit.

16. Si subito evenerit in aliqua parte regni necessitas, videtur nobis, ut, quia Deo gratias filius noster juvenis est, non omnes fideles nostros æqualiter faciat laborare; sed sicut nos jam, Deo juvante, sæpissime fecimus, acceptis secum strenuis viris ex fidelibus nostris, inimicis nostris insperate superveniat, et eos viriliter perterreat; et qui cum eo ire non potuerint, mittant cum eo electos viros prout necessitas fuerit.

17. Adalardus comes palatii remaneat cum eo cum sigillo. Et si ipse pro aliqua necessitate defuerit, Gerardus, sive Fredricus, vel unus eorum qui cum eo scariti sunt, causas teneat; et vel una die in septimana ipse causas teneat; et ubicunque fuerint, de pace prævideant.

18. Comites quoque per suos comitatus de raptoribus et malis hominibus prævideant, qualiter pax fiat, et malla teneant, et omnibus qui hostem debent, denuntient ut parati sint, quatinus, si necessitas fuerit, in Dei et nostrum servitium pergere valeant. Et missi nostri qui per omne regnum nostrum constituti sunt, missaticum nostrum, prout eis opportunum fuerit, agere non negligant.

19. Si werra in regno surrexerit, quam comes per se comprimere non possit, filius noster cum fidelibus nostris eam quantocius comprimere studeat, antequam malum in regno nostro accrescere possit.

20. Ut filius noster cum fidelibus nostris in illa parte regni moretur ubi major necessitas fuerit, et nemo in villis nostris vel in villis uxoris nostræ mansionaticum accipiat, et nullus homines nostros sive alios deprædari audeat, et eorum qui nobiscum vadunt beneficia et villæ sub immunitate maneant. Quod si aliquis præsumpserit, in triplo componat, sicut ille qui in truste dominico committit. Et qui in villas episcoporum, abbatum, vel aliorum fidelium nostrorum deprædationes fecerint, sicut in capitularibus antecessorum nostrorum et in nostro continetur emendent.

21. Ut nemo despiciat litteras nostra auctoritate aut filii nostri nomine signatas, vel eorum quos in hoc regno cum illo dimittimus, neque inobedi ens sit quæ sibi mandata fuerint. Quod si præsumpserit, ita multetur sicut in capitulari avi et domni ac genitoris nostri continetur.

22. Monendum quoque et hortandum, ut fidelium nostrorum, qui cum filio nostro remanserint, nullus in consilio tardus appareat; sed unusquisque ut sibi melius visum fuerit loquatur, et post omnium locutiones, quod melius visum fuerit eligant.

23. Qualiter regnum quod necessitate Brittonibus quondam juramento confirmatum fuerat, quia de illis quibus firmatum est nullus superstes est, a fidelibus nostris recipiatur.

24. De regno Aquitanico.

25. Ut post nos cum his quæ nobis ferenda sunt, pergat primum Willebertus episcopus, deinde Arnoldus episcopus, et deinde Wala episcopus. Et ut filius noster et alii nostri fideles ad hoc studeant, ut nihil novi aut mali in hoc regno surgat quod aut per equites aut per cursores pedites non sciamus; quia de vestra prosperitate sicut de nostra semper solliciti erimus. Et si nepotes nostri, filii fratris nostri, sui patris imitantes exempla, post

nos pergere et contra nos insurgere voluerint, non expectetur ut commendemus fidelibus nostris ut nobis occurrant; sed prout plenius potuerint, statim ut hoc cognoscere potuerint, nobis in adjutorium, prout citius potuerint, veniant, et ad hoc omnes semper warniti sint.

26. Ut castellum de Compendio, a nobis cœptum, pro nostro amore et vestro honore perficiatur in testimonium dilectionis vestræ erga nostram benignitatem.

27. De civitate Parisius et de castellis super Sequanam et super Ligerim ex utraque parte, qualiter et a quibus instaurentur, specialiter etiam de castello sancti Dionysii.

28. De Vulframno et Gauzmaro et Hadeberto aurifice, sicuti statuimus, ita permaneant.

29. De monetis.

30. Qualiter hoc perficiatur et ad effectum perveniat, quod Nortmannis dari debet de conjecto.

31. De honoribus Bosonis, Bernardi, et Widonis, et aliorum illarum partium. Et de cappis (161) et aliis negotiatoribus, videlicet ut Judæi dent decimam, ut negotiatores christiani undecimam.

32. In quibus ex nostris palatiis filius noster, si necessitas non fuerit, morari vel in quibus forestibus venationem exercere non debeat. Carisiacus penitus cum forestibus excipitur. Silvacus cum toto Laudunensi similiter. Compendium cum Causia similiter. Salmonciacus similiter. In Odreia villa (162) porcos non accipiat; et non ibi caciet nisi in transeundo. In Attiniaco parum caciet. In verno porcos accipiat tantum. Arduenna penitus excipitur, nisi in transeundo. Et villæ ad servitium nostrum similiter. In Ligurio porcos et feramina accipiat. Aristallium cum foreste penitus excipitur. In Lens et Wara et Astenido et feramina et porcos capere potest. In Rugitusit [1478], in Scadebolt, in Launif, tantummodo in transitu, et sicut minus potest. In Crisiaco similiter. In Lisga porcos tantum accipiat.

33. Ut Adelelmus de forestibus diligenter sciat, quot porci et feramina in unaquaque a filio nostro caciata fuerint.

CAPITULARE.

An. 877, *Jun.* 16.

16. *Kalend. prædicti mensis, postquam domnus imperator Karolus adnuntiavit generaliter in populum de suo itinere Romam, et quia ordinatum habebat, qualiter filius suus in regno isto consistat, et quorum in specialibus et generalibus causis utatur consilio et adjuvetur auxilio, et quia ordinatum habebat, quomodo Nortmanni de isto regno expellantur, et postea defendantur, et si werra de quacumque parte in isto regno surrexerit, comprimatur, vel defendatur, et* A *quia de generalibus et specialibus causis generalia et specialia capitula habebat disposita, quæ filio suo et fidelibus suis, qui in isto regno remanebant, data habebat, et secum portabat, dixit quia de ipsis capitulis quædam capitula excerpta habebat, quæ in illorum omnium notitiam recituri volebat. Et tunc jussit Gauzlenum cancellarium, ut hæc sequentia capitula in populum recitaret.*

Hæc capitula fecit domnus Karolus imperator et adnuntiari jussit novissime apud Carisiacum.

1. De honore et cultu Dei atque sanctarum ecclesiarum quæ auctore Deo sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis domni et genitoris nostri excultæ et honoratæ atque rebus amB pliatæ fuerunt, et quæ a nostra liberalitate honoratæ atque ditatæ sunt, de cetero sub integritate sui serventur, et sacerdotes atque servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant [1479], et eisdem principalis potestas et illustrium [1480] virorum strenuitas, seu rei publicæ administratores, ut suum ministerium competenter [1481] exsequi valeant, in omnibus rationabiliter et juste concurrant. Et filius noster hæc supradicta similiter, Deo juvante [1482], conservet.

2. Ut omnes nostri fideles veraciter sint de nobis securi, quia, quantum potuerimus et juste et rationabiliter scierimus, unumquemque secundum sui ordinis dignitatem et personam honorare et salvare et honoratum ac salvatum conservare volumus. Et C unicuique eorum in suo ordine secundum sibi competentes [1483] leges, tam ecclesiasticas quam mundanas, rectam rationem et justitiam conservabimus; et nullum fidelium nostrorum contra legem vel justitiam aut auctoritatem et justam rationem aut damnabimus aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus; et legem, ut prædiximus, unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore antecessorum nostrorum habuerunt, in omni dignitate et ordine nos, adjuvante Domino, servaturos perdonamus, illis videlicet qui nobis fideles et obedientes atque adjutores et cooperatores juxta suum ministerium et personam consilio et auxilio secundum suum scire et posse et secundum Deum ac secundum seculum fuerint, sicut D per rectum unusquisque in suo ordine et statu imperatori suo et suo [1484] seniori esse debet. Et capitula quæ avus et pater noster pro statu et munimine sanctæ Dei ecclesiæ et ministrorum ejus et pro pace ac justitia populi ac quiete regni constituerunt, et quæ nos cum fratribus nostris regibus et nostris et eorum fidelibus communiter constituimus, sed et quæ nos consilio et consensu episcoporum ac [1485] ceterorum

VARIÆ LECTIONES.

[1478] *fortasse legendum est* : porcos capere potest in rugitu, sic in Scadebolt. In Launif tantummodo in transitu, *etc.* [1479] optineant 4761. [1480] industrium 4761. [1481] competentur 4761. [1482] adjuvante 4761. [1483] competentes 4761. [1484] sui 4761. [1485] et 4761.

NOTÆ.

(161) i. e. circumcisis, Judæis.

(162) Audriaca villa inter Ambianos et Atrebates. S.

Dei et nostrorum fidelium pro suprascriptis causis in diversis placitis nostris conservandas statuimus, et manere inconvulsa decernimus, similiter et a filio nostro inconvulsa conservari volumus et mandamus [1486].

3. Si comes de isto regno obierit cujus filius nobiscum sit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet de his qui eidem comiti plus familiares propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius comitatus, et cum episcopo in cujus parochia fueri. ipse comitatus, ipsum comitatum prævideant, usque dum nobis renuntietur, ut filium illius qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus. Si autem filium parvulum habuerit, isdem filius ejus cum ministerialibus ipsius comitatus et cum episcopo in cujus parochia consistit, eundem comitatum prævideant, donec obitus præfati comitis ad notitiam nostram perveniat, et ipse filius ejus per nostram concessionem de illius honoribus honoretur. Si vero filium non habuerit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet, qui cum ministerialibus ipsius comitatus et cum episcopo proprio ipsum comitatum prævideat, donec jussio nostra inde fiat. Et pro hoc ille non irascatur qui illum comitatum prævideri, si eundem comitatum alteri, cui nobis placuerit, dederimus quam illi qui eum eatenus prævidit. Similiter et de vassallis nostris faciendum est. Et volumus atque præcipimus, ut tam episcopi quam abbates et comites seu etiam ceteri fideles nostri hoc erga homines suos studeant conservare.

4. Volumus etiam et expresse præcipimus, quod si aliquis episcopus vel abbas aut abbatissa, vel comes aut vassallus noster obierit, nullus res ecclesiasticas aut facultates diripiat, vel comitis aut vassalli nostri aut alicujus defuncti res aut facultates invadere vel usurpare præsumat, vel uxoribus defunctorum laicorum ac filiis quamcumque violentiam inferat, et nullus ad illorum eleemosynam faciendam eleemosynarios eorum impediat. Quod si aliquis præsumpserit, et secundum leges mundanas hoc cum banno nostro componat, et secundum leges ecclesiasticas inde ecclesiæ quam læsit satisfaciat. Insuper nostram harmiscaram, secundum modum culpæ, et ut nobis placuerit, sustineat.

Post hæc lecta capitula, dedit omnibus licentiam cum Dei gratia et sua redeundi ad provria, exceptis his quos specialiter pro specialibus causis considerandis vel pro dona liberanda secum aliquantis diebus manere præcepit.

HLUDOWICI II, KAROLI F. CORONATIO.

(*An.* 877. *Nov.* 30, *Dec.* 8.)

Sequentia excepto ipso coronationis ordine in Hincmari Annalibus habentur; petitio episcoporum et promissio regis in cod. Parisiensi n. 4761 exstat; ordinem Sirmondus ex codice S. Laurentii Lodiensis edidit.

COMMENDATIO PROCERUM.

Commendatio Ansegisi episcopi et aliorum episcoporum qui adfuerunt apud Compendium, quando benedixerunt Hludowicum filium Karoli imperatoris.

Me ac ecclesiam mihi commissam vobis commendo ad debitam legem et justitiam conservandam et defensionem exhibendam, sicut rex episcopos ecclesiæ suæ justo judicio conservare et exhibere debet.

Professio ipsorum.

Ego ille ipse sic profiteor, de ista die et deinceps isti seriori et regi meo Hludowico Karoli et Hermentrudis filio, secundum meum scire et posse et meum ministerium, auxilio et consilio fidelis et adjutor ero, sicut episcopus recte seniori suo debitor est, in mea fide et meo sacerdotio.

Ad suprascriptam vero episcoporum petitionem hæc quæ sequuntur rex Hludowicus professus est episcopis, et istam ipsam perdonationis scripturam manu sua eis dedit in Compendio II Kalendas Decembri

Promissio Hludowici regis.

Ego Hludowicus, misericordia domini Dei nostri et electione populi rex constitutus, promitto, teste ecclesia Dei, omnibus ordinibus, episcoporum videlicet, sacerdotum, canonicorum, monachorum, atque sanctimonialium, regulas a patribus conscriptas et apostolicis attestationibus roboratas ex hoc in futurum tempus me illis ex integro servaturum. Polliceor etiam me servaturum leges et statuta populo qui mihi ad regendum misericordia Dei committitur, per commune consilium fidelium nostrorum, secundum quod prædecessores mei imperatores et reges gestis inseruerunt, et omnino inviolabiliter tenenda et observanda decreverunt. Ego igitur Hludowicus rectitudinis et justitiæ amore, hanc spontaneam promissionem meam relegens, manu propria firmavi.

CORONATIO.

Ordo qualiter Hludowicus rex, anno incarnationis dominicæ 877, VI *Idus decembris, ab Hincmaro archiepiscopo fuit coronatus in Compendio palatio;*

VARIÆ LECTIONES.

[1486] *reliqua desunt* 4761.

quando et hæc quæ sequuntur ab episcopis petita sunt apud regem, et ab eo promissa episcopis.

Petitio episcoporum. A vobis perdonari nobis petimus, ut unicuique de nobis et ecclesiis nobis commissis, secundum primum capitulum quod novissime in Carisiaco domnus imperator pater vester a se et a vobis servaturum, consentientibus fidelibus suis ac vestris atque apostolicæ sedis legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam conservetis, et defensionem exhibeatis, sicut rex in suo regno unicuique episcopo et ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

Promissio regis. Promitto et perdono vobis, quia unicuique de vobis et ecclesiis vobis commissis, secundum primum capitulum quod novissime in Carisiaco domnus imperator pater meus a se et a me servaturum, consentientibus fidelibus illius ac nostris atque apostolicæ sedis legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam conservabo, et defensionem, quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut rex in suo regno unicuique episcopo et ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

Hoc est capitulum quod hic commemoratur.

De honore quoque et cultu, *vide supra col.* 773 *et* 780 *usque* conservet.

Benedictiones super Hludowicum regem factæ. Deus, qui populis tuis virtute consulis et amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ; ut tibi toto corde devotus, in regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiæ dirigatur, et in tranquillitate devotio christiana permaneat. Per Dominum.

acri olei infusio. Omnipotens sempiterne Deus, creator et gubernator cœli et terræ, conditor et dispositor angelorum et hominum, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilem quoque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis et de manu bestiæ atque Goliæ, sed et de gladio maligno Saul et omnium inimicorum ejus liberasti, et Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti, respice, quæsumus, ad preces humilitatis nostræ, et hunc famulum tuum virtutibus quibus præfatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, et in regni regimine sublimiter colloca, et oleo gratiæ Spiritus sancti tui perunge, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas, et martyres, qui per fidem vicerunt regna, et operati sunt justitiam, atque adepti sunt promissiones. Cujus sacratissima unctio super caput ejus defluat, atque ad interiora ejus descendat, et cordis illius intima penetret, et promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi reges, gratia tua dignus efficiatur; quatenus et in præsenti seculo feliciter regnet, et ad eorum consortium in cœlesti regno perveniat. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, et virtute crucis potestates aerias debellavit, tartara destruxit, regnumque diaboli superavit, et ad cœlos victor ascendit. In cujus manu victoria omnis, gloria et potestas consistunt, et tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

Impositio coronæ. Coronet te Dominus corona gloriæ atque justitiæ honore et opere fortitudinis; ut per officium nostræ benedictionis, cum fide recta et multiplici bonorum operum fructu, ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

Sceptri traditio. Accipe sceptrum, regiæ potestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis: qua te ipsum bene regas, sanctam ecclesiam, populum videlicet christianum tibi a Deo commissum, regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos ut viam rectam tenere possint tuo juvamine dirigas: quatenus de temporali regno ad æternum regnum pervenias, ipso adjuvante cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Benedictiones. Dominus Deus omnipotens, qui dixit ad Moysem servum suum, loquere ad Aaron fratrem tuum, et ad filios ejus dicens, sic benedicetis populo meo, et ego benedicam ei, benedicat tibi, et custodiat te. Amen.

Illuminet faciem suam super te, et misereatur tui. Amen.

Convertat vultum suum ad te, et donet tibi pacem. Amen.

Extendat dexteram suæ benedictionis, et effundat super te donum suæ propitiationis, et circumdet te felici muro custodiæ suæ protectionis, sanctæ Mariæ et omnium sanctorum intercedentibus meritis. Amen.

Indulgeat tibi mala omnia quæ gessisti, et tribuat tibi gratiam et misericordiam quam humiliter ab eo deposcis, liberetque te ab adversitatibus cunctis et omnibus visibilium inimicorum insidiis. Amen.

Multiplicet in te copiam suæ benedictionis, et confirmet in spe regni cœlestis. Amen.

Actus tuos corrigat, vitam emendet, mores componat, et te ad cœlestis paradisi hereditatem perducat. Amen.

Talique intentione repleri valeas quæ ei in perpetuum placeat. Amen.

Angelos suos bonos semper et ubique, qui te præcedant, comitentur, et subsequantur, ad custodiam tui ponat; et a peccato, seu gladio, et ab omnium periculorum discrimine de sua potentia liberet. Amen.

Inimicos tuos ad pacis caritatisque benignitatem convertat, et odientibus te gratiosum et amabilem

laciat. Pertinaces quoque in tui insectatione et odio confusione salutari induat. Super te autem sanctificatio sempiterna efloreat. Amen

Victoriosum te atque triumphatorem de visibilibus atque invisibilibus hostibus Dominus semper efficiat, et sancti nominis sui timorem pariter et amorem continue cordi tuo infundat, et in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat, et pace in diebus tuis concessa, cum corona victoriæ ad perpetuum te regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere regem, et in præsenti seculo felicem et æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare : quo divinis monitis parentes, adversitatibus cunctis carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, et in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

HLUDOWICI JUNIORIS ET HLUDOWICI KAROLI F. CONVENTUS FURONENSIS.

(*An.* 878. *Nov.* 1.)

Conventio quæ inter gloriosos reges, Hludowicum filium Karoli imperatoris, itemque Hludowicum filium regis Hludowici, in loco qui vocatur Furonis, Kalendas Novembris, ipsis et communibus fidelibus ipsorum parentibus et consentientibus, facta est, anno incarnationis dominicæ 879, *indictione* II, *dicente rege Hludowico filio Karoli :*

Sicut inter patrem meum Karolum et patrem vestrum Hludowicum regnum Hlotharii divisum fuit, volumus ut ita consistat. Et si aliquis nostrorum fidelium de regno paris sui ex hoc aliquid purprisum habet, jussu nostro illud dimittat.

De regno vero quod Hludowicus imperator Italiæ habuit, quia nec dum ex illo aliqua divisio facta est, quicumque modo illud tenet, ita teneat, donec Domino volente iterum simul venientes, cum communibus fidelibus nostris inveniamus et diffiniamus quid ex hoc melius et justius nobis visum fuerit.

De regno autem Italiæ, quia modo nulla ratio esse potest, omnes sciant, quia partem nostram de illo regno et requisivimus et requirimus, et Domino auxiliante requiremus.

CAPITULA.

Ista sequenti die statuta sunt.

1. Ut quia firmitas amicitiæ et conjunctionis nostræ modo, quibusdam præpedientibus causis, esse non potuit, usque ad illud placitum, quo simul ut conveniamus statutum habemus, talis enim amicitia inter nos manebit Domino auxiliante de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, ut nemo suo pari vitam, regnum aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regni pertinet, discupiat aut forsconsiliet.

2. Ut si in cujuscumque nostrum regno pagani sive pseudochristiani insurrexerint, unusquisque veraciter suum parem, ubicumque necesse fuerit et ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum aut per suos fideles et consilio et auxilio prout melius potuerit adjuvet.

3. Ut si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Hludowicum adhuc parvulum et alios filios vestros quos vobis Dominus donaverit, ut regnum paternum hereditario jure quiete tenere possint, et consilio et auxilio, prout melius potuero, adjuvabo. Si autem vos mihi superstites fueritis, filios meos Hludowicum et Karolomannum, et allos quos divina pietas mihi donare voluerit, ut regnum paternum quiete tenere possint, similiter et consilio et auxilio, prout melius potueritis, ut adjuvetis rogo.

4. Ut si aliqui susurrones et detractores, et qui paci nostræ invident et quietum regnum esse non patiuntur, inter nos lites et contentiones atque discordias seminare voluerint, nullus nostrum hoc recipiat aut libenter acceptet, nisi forte hoc ad rationem coram nobis utrisque et communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si vero hoc noluerit, cum nullo nostrum aliquam societatem habeat, sed omnes illum, sicut mendacem et falsatorem et inter fratres volentem seminare discordias, communiter a nobis abiciamus, ne de cetero quisque talia mendacia auribus nostris inserere audeat.

5. Ut communiter, prout citius potuerimus, missos nostros ad Karolomannum et Karolum, gloriosos reges, dirigamus, qui eos ad placitum quod octavo Idus Februarii statutum habemus invitent, et, ut nullatenus venire differant, obsecrent; et si secundum quod optamus venire voluerint, communiter nos ad Dei voluntatem et sanctæ ecclesiæ salvationem, ac communem honorem nostrum ac profectum, atque salvamentum totius populi christiani nobis commissi, Domino cooperante ita conjungamus, ut de cetero in eo qui unus est, unum simus et unum velimus, et idipsum dicamus, secundum Apostolum, et faciamus omnes, et non sint in nobis ulla schismata.

6. Si autem illi, obsecratione nostra vocati et invitati, aut missi eorum ad præfatum placitum venire distulerint, nos, secundum quod statutum habemus, illuc omnino venire, et nos secundum Dei voluntatem conjungere omnimodis non omittamus, nisi forte talis inevitabilis necessitas evenerit, pro qua id fieri nullatenus possit. Et si hoc acciderit, ad tempus quisque pari suo hoc rescire faciat; et propterea amicitia nostra nec minuatur nec immutetur, donec Domino jubente congruo tempore perfecte confirmetur.

7. Ut res ecclesiarum in cujuscumque regno caput fuerit, tum de episcopatibus quam de abbatiis, sine

nulla contradictione rectores ipsarum ecclesiarum illas possideant; et si aliquid ibi mali factum a quoquam est, in cujuscumque regno illæ res consistunt, legaliter exinde justitiam reddere faciat.

8. Et quia per vagos et in tyrannica consuetudine inreverentes homines pax et quies regni perturbari solet, volumus, ut ad quemcumque nostrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem et justitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno expellatur vel deleatur.

9. Volumus, ut hi qui merito proprietatem illorum in regno nostro perdiderunt, ita judicentur, sicut temporibus nostrorum antecessorum inventum fuit; qui vero dicunt injuste se proprietatem illorum perdidisse, veniant in nostram præsentiam, et sicut justum est, ita illis judicetur, et sua recipiant.

BOSONIS REGIS ELECTIO.

(*An.* 879. *Oct.* 15.)

Edita primum a Paradino in Annalibus Burgundiæ acta conventus Mantalensis, Sirmondus Tom. III Conciliorum, adjectis ex Paradini relatione episcoporum subscriptionibus, atque Bouquetus tom. IX, p. 304, iterum vulgaverunt.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

Cum convenissent sancti patres in nomine Domini salvatoris nostri, conventum celebraturi apud (163) Mantalam territorii Viennensis, de multis ecclesiæ negociis tractaturi, et sanctæ sollicitudinis secretarium penetraturi, multis emergentibus, et suimet consideratione cogentibus, sacerdotalis affectus ex antiquo patrum cordibus infusus evidenter dictavit ei personæ curam gerere, cujus adminiculo tam in veteri testamento, quam et in novo, consuevit populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam jam olim ejusdem personæ præsidiis tam ipsi patres, quos gratia divina episcopos vocari concessit, quam principes et totum vulgus carentes, nullis compatientis fulciebantur vel juvabantur auxiliis, præsertim cum, rege communi morte recepto, nullus in eos sua viscera per caritatis largitatem extenderit, anxiari plurimum compulsi sunt, quia non solum in internis per invisibilem inimicum, sed etiam in apertis per visibiles inimicos, etiam ex his, quos ipsa Christi peperit sancta mater ecclesia, pessumdari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem usquequaque verterent, et simul cum nobilioribus ad hanc necessitatem submovendam idoneas personas considerarent, non invenientes qui sui consultationi respondere vellent, utpote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei et sanctorum ejus et matris ecclesiæ sumere, omnes inflammati Deum omnium principem pro hac angustia medullitus exoraverunt, ut is qui curam singularem habet mortalium, et cujus dispositio curricula vergit omnium seculorum, et rectum daret consilium, et evidens consilii promeret indicium. Denique cui patet omne cor, et omnis voluntas loquitur, fatigatos majorum et minorum inspiciens animos, quoddam clarescere fecit solatium, et quodammodo præsentavit suffragium. Sane omnibus unum sapientibus et per divinam visitationem idem indivisibiliter ambientibus, cordi fuit exhibitus homo, jamdudum in principatu domni Karoli defensor et adjutor necessarius : cujus post se filius ejusdem imperatoris, cernens ejus insignem prudentiam, amplificare delegerat domnus rex Ludowicus. Ipse etiam non tantum in Galliis, sed et in Italia cunctis enituit, ut domnus apostolicus Joannes Romensis, instar filii complexus, ejusdem sinceritatem multis præconiis extulerit, et ad suam tutelam, revertens ad sedem propriam, delegerit. Ergo nutu Dei, per suffragia sanctorum, ob instantem necessitatem, et eam, quam in eo compererunt, expetibilem utilitatem et prudentissimam atque providentissimam sagacitatem, communi animo, parique voto, et uno consensu, clarissimum principem dominum Bosonem, Christo præduce, ad hoc regale negotium petierunt, et unanimiter elegerunt. Qui etsi consideratione tanti laboris renuerit et abdixerit, oppositis his quæ Dei sunt et ejus ecclesiæ, tandem obedienter colla promittendo submisit. Electus autem Deo statuitur, preces funduntur, domini nostri Jesu Christi gratia, quæ præcessit in velle, in certo perfecto satis efficax postulatur. Et ut hæc electio præsentibus et futuris certius innotescat, omnium episcoporum subscriptio luce clarius indicat. Actum apud Mantalam publice, anno incarnationis dominicæ 879, Idibus Octobris

Et subscripserunt episcopi, Ottramnus archiepiscopus Viennensis, Aurelianus archiepiscopus Lugdunensis, Teutrannus archiepiscopus Tarantasiensis, Rothertus archiepiscopus Aquensis, Radbertus episcopus Valentiæ, Bernarius episcopus Gratianopolitanus, Helias episcopus Vasionensis, Hemico episcopus Diensis, Adalbertus episcopus Mauriennæ, Biraco episcopus Wapicensis, Eustorgius episcopus Tolonensis, Girbaldus episcopus Cabilonensis, Hieronymus episcopus Lausanensis, Richardus episco-

NOTÆ.

163) Nunc est vicus pagi Viennensis in Allobrogibus, Viennam inter et Valentiam situs, vocatusque Gallice *Mantaille*. Bouq.

pus (164) Agathensis, Guntardus episcopus Matisconensis, Rostagnus archiepiscopus Arelatensis, Theodericus archiepiscopus Vesontionensis, Aetherius episcopus Vivariensis, Leodoinus episcopus Massiliensis, Germardus episcopus Arausicensis, Ratfridus episcopus Avenionensis, Walefridus episcopus Uceticensis, Edoldus episcopus Regiensis.

Synodi ad Bosonem regem designatum legatio.

Sacra synodus Mantalensis territorii Viennensis, in nomine Domini nostri congregata, simul cum primoribus, inspirante divinitate summæ majestatis, sincera devotione vestram prudentiam, clarissime princeps, adit, petens addiscere vestra certissima responsione, qualem vos velitis in principatu, quo vos sublimari per divinam misericordiam optamus, omnibus ostendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis et dilectionem in fide catholica veraciter quæsituri estis, et ecclesiam illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus, sicut boni principes qui vos præcesserunt, et quorum formam litteris et fama nostis, legem, justitiam et rectum concedere et servare; tenentes humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, cum patientia, et animo sereno, humillimo, ad damnandum incondito, sed in omnibus juste promissis stabili et certo, bene per Dei gratiam præparato et ornato, sobrietate competenti venusto. Qui sitis accessibiles omnibus recta suggerentibus, et pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodesse quam præesse, sequentes vestigia sanctorum principum, caleantes iram, sævitiam, duritiam, avaritiam, cupiditatem, indignationem et superbiam : justus patricius vestris majoribus et minoribus apparentes, veritatem ore et opere præferentes, salubre consilium libenter audientes, monstra vitiorum declinantes et persequentes, virtutes amantes, defensionem et mamburgium [1587] singulis exhibentes. Ut neque eadem sancta synodus et primates vestri cum ea sentientes, nunc de vobis in bonitate maledicantur vel detrahantur in futuro, neque sacro vestro principatui nobis, ut credimus, profuturo juste derogetur : sed sit pax et veritas sanctorum suffragiis, per divinam gratiam, prælatis et subditis, sacerdotibus et illis commissis primatibus, dum eis auctoritatem evangelicam et apostolicam cum justa lege humana consenseritis et observaveritis, ut per omnia et in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam sacerdotalis et laicalis fidelitas, ut faciat vestra prudentia unumquemque in vestra domo suum vas possidere in sanctificatione et honore.

Bosonis regis electi ad synodum responsio.

Sacratissimæ synodo et cunctis primoribus nostris fidelibus humilis Christi vernaculus Boso. Primum vestræ sincerissimæ devotioni gratiarum actiones corde et ore rependo, quod licet immerito, sola vestra benevolentia, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me visceribus vestris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quod fervor vestræ caritatis ad id officium me promoveri divinitus optat, ut mea parvitas matri meæ, quæ ecclesia Dei vivi est, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conscius meæ conditionis et figmenti fragilis, imparem me judicans tanto negotio, omnimodis abnuissem, nisi per Dei nutum vobis cor unum datum, et animam unam in unum consensum advertissem. Obediendum itaque pro certo cognoscens inspiratis a Deo tam sacerdotibus quam nostris amicis et fidelibus, non reluctor, nec audeo, vestris jussionibus. Quod vero requisistis, qualem me præbere vellem in committendo per Dei misericordiam in regimine futuro, et simul ostendistis normam, et instruxistis dogmate sacro, libentissime suscipio. Amplector catholicam fidem, in qua et nutritus sum, quam purissimo corde teneo, ore veracissimo pronuncio, pro qua paratus sum impendi et superimpendi, si sic placuerit domino Deo nostro. Ecclesiarum privilegia, juvante domino nostro Jesu Christo, restaurare et conservare, et justitiam per vestrum commune consilium curabo. Omnibus, ut monuistis, legem, justitiam et rectum mamburgium, auxiliante Deo, conservabo et impendere curabo : quo sequens præcedentium bonorum principum vestigia, tam sacris ordinibus quam vobis, nostris fidelibus, consulere certem, æquitatem servando. De moribus meis, licet me peccatorem præ omnibus sciam, voluntatem meam hanc esse veraciter assero, ut per omnia morigerum bonorum, et in nullo malorum ostendam. Si autem, quoniam homo sum, contra quemlibet animo excessero, secundum vestrum consilium corrigere curabo. In quo precor reverenter, ut quod justius et rationabilius inveneritis, mihi congrue pro tempore et loco suggerentes, vos ipsos in me honoretis : quoniam et ego, si quis vestrum in me deliquerit, emendationem rationabiliter accessibilis factus exspectabo. Evangelicam et apostolicam auctoritatem cum justa lege sequar humana, ut ipso præduce et comite, per omnia et in omnibus benedicatur Deus. De domo nostra, sicut me monuistis, quia Deus in sanctis habitat, sollicitudinem adhibebo, et ut decenter quisque incedat, studiosissime procurabo. Igitur, domini mei, sacrosancti pontifices, ecclesiæ summi Dei nostri præsules, et vos omnes nostri fideles, primates et subprimates, confisus de Dei gratia et auxilio, per sanctorum ejus suffragia, quia vestris jussionibus faveo, precor vos et obsecro, ut per ipsum et cum ipso, tam piis ad ipsum interventibus, in tanto subeundo labore meam necessitatem et humilitatem

VARIÆ LECTIONES.

[1587] mundeburdium.

NOTÆ.

(164) Corrigendum, *Aptensis*. Et certe tunc temporis Alaricus Agathensis erat episcopus, nec unquam in Septimania regnavit Boso. Bouq.

juvetis, quam etiam humanis adminiculis et auxiliis pro posse suffragari mihi certetis. Quod si cui displicet, et aliter animo tenet, quæso patenter edicat, et se nobiscum in nullo decipiat. Simulque precor per caritatem qua fervetis, ut communi faventes utilitati, triduanis solemniter precibus dominum Deum nostrum cum plebibus vobis commissis exoretis, ut propter peccata mea, vel levitatem meam, vos aut me ad deceptionem populi sui nequaquam errare permittat, sed suam ex hoc voluntatem misericorditer ostendat.

KARLOMANNI, HLUDOWICI II F., GALLIÆ REGIS, PROMISSIO APUD CARISIACUM.

(*An.* 882. *Sept.* 9.)

Capitulum hoc Karlomanni « quando post mortem Ludowici fratris integrum regnum sortitus est anno 882 mense Septembri » ex codice Rivipullensi primus edidit Baluzius. Desiderabatur in codice mensis, sed Baluzius, Karlomannum a proceribus fratris mense Augusto defuncti evocatum, mense Septembri in portione fratris commoratum esse observans, eum isto quoque mense in regno fratris coronatum fuisse conjecit.

Petitio episcoporum ad domnum Karolomannum regem, quando ei se commendaverunt in Carisiaco v Idus Septembris, anno 882.

A vobis perdonare petimus, ut unicuique de nobis et ecclesiis nobis commissis, secundum primum capitulum quod novissime in Carisiaco domnus imperator avus vester a se et a Patre vestro servaturum, consentientibus fidelibus illius ac patris vestri atque apostolicæ sedis legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam conservetis, et defensionem exhibeatis, sicut rex in suo regno unicuique et episcopo et ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, et quemadmodum continetur in scripto quod in Ferrariorum monasterio coram altare sancti Petri perdonastis, et manu propria una cum fratre vestro confirmastis.

Promissio domni Karolomanni regis ad supradictam petitionem.

Promitto et perdono vobis, quia unicuique de vobis et ecclesiis vobis commissis, secundum primum capitulum quod novissime in Carisiaco domnus imperator avus meus a se et a patre meo servaturum, consentientibus fidelibus suis ac patris mei atque apostolicæ sedis legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam conservabo, et defensionem, quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut rex in suo regno unicuique episcopo et ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, et quemadmodum continetur in scripto quod in Ferrariorum monasterio coram altare sancti Petri perdonavi. In hoc, ut vos mihi secundum Deum et secundum seculum sic fideles adjutores et consilio et auxilio sitis, sicut vestri antecessores boni meis melioribus prædecessoribus extiterunt, secund[um] scire et posse.

KARLOMANNI CAPITULA IN BROILO COMPENDII.

(*An.* 883. *Febr.* 22.)

Sirmondi et Baluzii editiones repetimus.

Hæc capitula quæ sequuntur, sunt promulgata a domno glorioso rege Karlomanno anno incarnationis dominicæ 883, VIII *Kal. Martias, feria* 6, *anno regni sui in Francia primo, in broilo Compendii palatii, de rapinis.*

1. Communi fidelium nostrorum consilio statutum habemus, ut rapinam nullus deinceps faciat, aut facienti consentiat.

2. Ut rapina quæ retro est acta, cum omni diligentia emendetur, et condignam pro hoc harmiscaram is qui eam fecit sustineat.

3. Ut si quis post hunc conventum et bannum nostrum rapinam faciens inventus fuerit, is cujus homo eam fecerit, eum ad legalem emendationem in præsentiam nostram adducat. Quod si eum adducere non potuerit, pro eo secundum statuta legum emendet. Eum autem qui justitiam fugerit, sciant omnes esse forbannitum, ita ut nullus eum nisi ad præsentandum recipiat.

KARLOMANNI CAPITULA APUD VERNIS PALATIUM.

(*An.* 884. *Mart.*)

Capitula a Sirmondo ex codice 3b) sancti Vincentii Metensis edita, a Baluzio ex codice 3c) Palatino recognita, tertia demum vice ope codicis 3) bibl. regiæ Parisiensis inter supplementa Latina n. 75, sæc. x, vulgamus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karlomannus, gratia Dei rex, omnibus venerabilibus episcopis, abbatibus, comitibus, judicibus, omnibusque sanctæ Dei ecclesiæ et nostris fidelibus. Cum ad palatium Vernis anno dominicæ incarnationis 884, anno autem regni nostri quinto, indictione secunda, mense Martio convenissemus, et pars fidelium nostrorum nobiscum, placuit ut quædam

statuta sacrorum canonum necnon quædam capitula antecessorum nostrorum renovarentur; quia graviter et moleste ferimus, quod peccatis impedientibus et malitiis perversorum hominum exuberantibus, ultra modum vilescunt atque pene adnullata existunt, præcipue illa quæ contra malum rapinæ et deprædationis a sanctis patribus sunt promulgata, et a christianissimis regibus auctoritate regia confirmata. Siquidem ita passim longe lateque hoc venenum diffusum et dispersum est, ut quasi libere jam male abutantur omnes infecti et corrupti corpore et anima hoc tam sceleratissimo atque mortifero morbo, non recogitantes hoc quod Paulus dicit, immo Deus omnipotens per ipsum : *Rapaces regnum Dei non possidebunt.* Neque illud quod alibi Apostolus ait, quia si nosmetipsos comedimus et consumimus, id est deprædamur, cito deficiemus. Completur ergo in nobis, immo per nos, quod omnipotens Deus per Isaiam prophetam improperat dicens : *Unusquisque carnem brachii sui vorabit*, id est, substantiam fratris sui diripiet. Carnem enim brachii sui devorat, et sanguinem brachii sui bibit, qui substantiam proximi sui tollit, unde caro sustentari debuit. Non est autem mirum, si pagani et exteræ nationes nobis dominantur nobisque bona temporalia tollunt, dum unusquisque proximo suo per vim tollit unde vivere debet. Ideo juste convenit nobis illud quod omnipotens Deus per Isaiam prophetam minatur dicens : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?* Nos vero prædamur fratres nostros, et idcirco pagani merito nos nostramque substantiam deprædantur. Quomodo igitur securi poterimus pergere contra inimicos sanctæ Dei ecclesiæ et nostros, cum rapina pauperis inclusa est in domo nostra? et non solum domi reclusa est, verum etiam plerumque evenit, ut pleno ventre rapina in hostem quidam proficiscantur. Et quomodo poterimus inimicos nostros devincere, cum sanguis fratrum nostrorum ab ore nostro distillat, et manus nostræ plenæ sunt sanguine, et brachia pondere miseriarum et rapinarum gravantur, totaque virtus animi corporisque debilitatur? Preces nostræ a Deo non recipiuntur, quia clamores et ploratus altaque suspiria pauperum et orphanorum, pupillorum atque viduarum præoccupant et præveniunt preces nostras, quæ crudis carnibus fratrum nostrorum gravatæ raucitudinem acceperunt, nullam sonoritatem virtutum habentes. Et sunt multi qui ex ipsa rapina videntur eleemosynas facere, non intellegentes, quod de talibus dicit Esaias : *Qui offert Domino de rapina oblationem, quasi qui mactet filium ante patrem.* Et sunt nonnulli qui de homicidiis, adulteriis, perjuriis, incendiis consilium et pœnitentiam quærunt, et malum rapinæ pro nihilo ducunt, non intellegentes quia quot pauperes quis exspoliat et fame ac nuditate periclitari facit, tot homicidia perpetrat : quia tunc proximum suum interficit, dum unde vivere debet ei tollit. Et scimus, dicente Paulo apostolo, quia omnis homicida non habet vitam in regno Dei, et homicidas et adulteros judicabit Deus. Quia ergo rapaces regnum Dei non possidebunt, nisi ea reddiderint quæ tulerint, et insuper pœnitentiam egerint, fugiamus hoc tantum malum, unde tot ac tanta alia mala procedunt, et diligamus proximos sicut nosmetipsos, adimplentes legem quæ dicit : *Non concupiscas rem proximi tui, nec omnia quæ illius sunt.* Quia aliter neque inimicis nostris poterimus resistere, neque regnum Dei possidere.

1. Volumus itaque, ut palatium nostrum, more prædecessorum nostrorum, et Dei cultu, et regali honore, sed et religionis habitu, et unanimitatis concordia, atque pacis ordine stabiliatur, et in eodem palatio nostro pax prædecessorum nostrorum sanctionibus servata, per omne regnum nostrum exequenda proferatur.

2. Decernimus igitur, ut omnes in palatio nostro commanentes, et illud undique adeuntes, pacifice vivant. Quod si aliquis corrupta pace rapinam exercuerit, per nostram regiam auctoritatem et missi nostri jussionem ad palatinam adducatur audientiam; ut secundum quod in capitulis antecessorum continetur, legali multetur judicio, tripla compositione peracta cum dominico banno.

3. Si quis vero absque seniore aut infra palatium aut circa illud degens hoc idem fecerit, hunc missus noster adeat, et ad ipsum palatium jussu nostro eum venire præcipiat. Quod si ausu temerario venire contempserit, vi ad nostram præsentiam adducatur, subdendus prædecessorum nostrorum sanctionibus. Si autem et nos et missum nostrum contempserit, et ad nos venire noluerit, et se defendendo ibi occisus fuerit, et aliquis parentum aut amicorum ejus inde faidam fidelibus nostris qui eum occiderint portare voluerit, potestative eam jurare faciemus, et fideles nostros regia auctoritate exinde adjuvabimus.

4. Placuit etiam nobis et fidelibus nostris, ut quicumque infra regnum nostrum aliquid rapuerit aut deprædatus fuerit, omnia in triplum componat, et bannum dominicum persolvat, et insuper publicam pœnitentiam inde faciat, sicut in capitulari antecessorum continetur. Si autem colonus aut servus fuerit, similiter omnia in triplum componat, aut dominus pro eo sexaginta ictus bene pressos accipiat, et insuper publicam pœnitentiam inde agat; cujus modus erit in consideratione episcopi, secundum quantitatem facti : quia fornicationes et adulteria atque homicidia, necnon incendia, ebrietates aliaque quamplura vitia exinde prodeunt. Si quis autem negaverit factum, si comprobatus non fuerit, propria manu juramento se excondicat [1583]; excepto nostris vassis dominicis, pro quibus illorum homines meliores juramentum persol-

VARIÆ LECTIONES.

[1583] se abscondat 3.

vent. Hoc vero cum summa diligentia tali modo procurabitur.

5. Episcopus in cujus parrochia aliquis consistens aliquid deprædatus fuerit, semel et bis atque tertio, si necesse fuerit, vocabit illum sua admonitione per suum presbyterum canonice ad emendationem [sive ad compositionem [1489]] et ad pœnitentiam, ut Deo et ecclesiæ satisfaciat quam læsit. Si autem despexerit atque contempserit ejus [1490] admonitionem atque saluberrimam invitationem, feriat illum pastorali virga, hoc est sententia excommunicationis, ut a communione sanctæ ecclesiæ omniumque christianorum sit separatus usque ad congruam satisfactionem et [dignam [1491]] emendationem. Quam excommunicationem debebit idem episcopus seniori illius notam facere et omnibus suis coepiscopis, ne eum recipiant usque ad [dignam [1492]] satisfactionem.

6. De illis autem qui infra parrochiam beneficia et alodum non habent, et alterius episcopi parrochiani sunt, et dum ad curtem pergunt aut de loco ad locum iter faciunt, rapinas et deprædationes infra parrochiam faciunt, placuit nobis ut si ita prope episcopum, ut ei deprædatio illorum nota fieri possit, antequam parrochiam ejus exeant, mittat strenuum et prudentem presbyterum, qui sua vice rationabiliter illos ad emendationem vocet. In quo superior modus compositionis et emendationis servabitur, si vocati venire noluerint. Si vero vocationem atque ammonitionem episcopi superbe contempserint, simili sententia excommunicationis feriantur qua et illi qui infra parrochiam res aut beneficia habent; et insuper excommunicentur, ne extra parrochiam exeant antequam superius statuta adimpleant. Quorum excommunicatio seniori illorum et proprio eorum episcopo significanda est, ne eos recipiant antequam illuc redeant ubi rapinam fecerunt, ibique pleniter emendentur.

7. Et quoniam episcopi, qui nostris et suis et communibus ecclesiæ atque totius regni necessitatibus occupati sunt, non valent cuncta soli [1493] prospicere quæ infra fines parrochiæ illorum perpetrantur, statuimus, ut quotiescumque episcopi a propria civitate digrediuntur, tales adjutores unusquisque in sua civitate relinquat qui hæc omnia in sua civitate prudentissime peragant, et pauperes sanguine Christi redempti semper in civitate præsentem inveniant a quo responsum et consolationem accipiant. In vicis autem et villis longe a civitate remotis, constituat unusquisque episcopus reverendos et cautos atque prudentia [morum [1494]] tempera-

A tos presbyteros, qui sua vice superius statuta [modeste] perficiant, et ad quos alii presbyteri juniores et minus cauti suam causam referant.

8. Placuit nobis [et fidelibus nostris [1495]] pro communi utilitate et instanti necessitate, ut nullus episcoporum graviter ferat, si ejus parrochianum pro huiusmodi causa deprædationis alter episcopus excommunicaverit.

9. Et quia ad tantum malum funditus eradicandum [atque tollendum [1496]] et tantum bonum plantandum [atque statuendum] necesse habet episcopalis auctoritas judiciali potestate adjuvari, placuit nobis nostrisque fidelibus in commune, ut missi dominici suis in locis ex hoc fideliter adjuvent, et comes præcipiat suo vicecomiti suisque B [vicariis atque] centenariis ac reliquis ministris rei publicæ, necnon Francis hominibus mundanæ legis documentis eruditis, ut pro amore Dei omnipotentis ac pace sanctæ ecclesiæ et fidelitate nostra ex hoc adjuvent, quantum melius potuerint [tam per se quam cum ministris ecclesiæ (163)], quoties episcopi aut ministri illorum, sive etiam ipsi pauperes, [super hac re] eos appellaverint; ita ut ministri ecclesiæ habeant auctoritatem sui episcopi, et ministri comitis auctoritatem nostram et sui comitis.

10. Volumus autem, ut si episcopalem aut [497] regiam auctoritatem ausu temerario aliquis pro nihilo duxerit, in comitatu consistens, aut iter faciens, si quod injuste abstulerit, legaliter [498] emendare contempserit, et rebellis existens, si ibi occisus fuC rit, nulli fidelium nostrorum qui eum occiderit aliquis faidam portet, neque pro ejus morte aliquid componat. Si vero aliquis parentum [aut amicorum] ejus aliquam [inde] faidam portare voluerit, potestative eam jurare faciemus, et fideles nostros regia auctoritate exinde adjuvabimus.

11. De nostris quoque dominicis vassallis jubemus, ut si aliquis prædas egerit, comes in cujus potestate fuerit, ad emendationem eum [venire] vocet. Qui si comitem aut missum illius audire noluerit, per forciam illud emendare cogatur, prout lex docet et quemadmodum in capitularibus regum [antecessorum nostrorum] tenetur insertum, in eodem loco ubi præda commissa fuerit. Quod si proclamaverit, se D ante præsentiam nostram velle distringi potius quam ante comitem, per credibiles fidejussores aut per sacramentum melioris hominis ante nos venire permittatur, ut ibi talis ratio finem accipiat. Honorem enim talem nostris vassis dominicis concedimus, ut ipsi non sicut reliqui manu propria sacramentum jurent, sed melior homo illorum et credibilior illud

VARIÆ LECTIONES.

[1488] s. a. c. *addunt* 3c. *atque Regino Burchardusque; desunt in* 3. 3b. [1490] *deest* 3. [1491] *addunt iidem; deeet in* 3. 3b. [1492] *addunt iidem; deest in* 3. 3b. [1493] sibi 3b. S. [1494] *hæc addunt* 3c. *et Regino, desunt in* 3. 3b. [1495] et f. n. *addunt* 3 c. *et Regino; decst* 3. 3b. [1496] *uncis inclusa unus* 3c. *habet.* [1497] a. etiam r. a. 3c. [1498] l. q. i. a. e. c. 3c.

NOTÆ.

(163) Hic et infra uncis inclusa unus 3 c. habet.

agere non differat. Si autem quæ supra diximus despexerint, et nullo modo emendare voluerint, et in contemptu permanentes ibi occisi fuerint, nullam contra ipsos qui eos occiderint iracundiam tenebimus unquam. Quod si aliquis parentum [aut amicorum eorum] inde faidam portare voluerit, [potestative eam ei jurare faciemus, sicut superius dictum est, et] nostra regia auctoritate [1499] exinde eum [1500] juvabimus. Si vero dixerint, quod eis comes non secundum legem fecerit, sed pro aliqua [1501] iracundia [aut invidia] quam [ante] contra illos tenebat, [illud fecerit], hoc comes eis ante nos satisfaciat, [secundum quod nobis placuerit], quod non ob aliud quam pro rapina sit actum.

12. Ut autem omnis occasio rapinæ tollatur, volumus, ut presbyteri, qui bonum exemplum [caritatis] omnibus ostendere debent, hospitales existant, sicut Apostolus dicit : *Hospitales invicem sine murmuratione*. quam [1502] præbeant iter facientibus, quia per illam [1502] placuerunt quidam Deo, angelis hospitio susceptis [1503].

13. Placuit nobis [et nostris fidelibus], ut presbyteri suos parrochianos admoneant, ut et ipsi hospitales existant, et nulli iter facienti mansionem denegent. Et ut omnis occasio rapinæ tollatur, nihil carius vendatur [1503] transeuntibus, nisi sicut in mercato accipiunt [1504]. Quod si carius vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, et illius jussu cum humanitate eis vendant.

14. Volumus ut presbyteri et ministri comitis villanis præcipiant, ne collectam faciant quam vulgo geldam [1507] vocant contra illos qui aliquid rapuerint. Sed causam suam ad illum presbyterum referant qui episcopi missus est, et ad illos qui in illis locis ministri comitis super hoc existunt, ut omnia prudenter et rationabiliter corrigantur.

ODONIS REGIS ELECTIO.

(*An.* 888. *Dec. vel* 889 *Jan.*)

Ex actis ejus exstat nonnisi promissio regis a Baluzio tom. II, 291, hoc titulo edita : « Capitulum Odonis regis quando unctus est a Walterio archiepiscopo Senonensi anno 888. »

Promitto et perdono unicuique vestrum et ecclesiis vobis commissis, quia canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam conservabo, et contra deprædatores et oppressores ecclesiarum vestrarum et rerum ad easdem pertinentium defensionem secundum ministerium meum, quantum mihi posse Deus dederit, exhibebo; et jus ecclesiasticum et legem canonicam vobis ita conservabo, et res ecclesiarum vestrarum, tam a regibus, vel imperatoribus, quam a reliquis Dei fidelibus collatas, sub integritate et immunitate absque aliqua inhonoratione permanere concedam, quas modo juste et legaliter vestræ retinent ecclesiæ; et eas augmentare et exaltare secundum debitum uniuscujusque servitium, prout scire et posse mihi Deus rationabiliter dederit et tempus ditaverit, studebo, sicut mei antecessores, qui hoc bene et rationabiliter observaverunt, vestris prædecessoribus; in hoc, ut vos mihi secundum Deum et secundum seculum sic fideles adjutores et consilio et auxilio sitis, sicut vestri antecessores boni meis melioribus prædecessoribus extiterunt, secundum scire et posse. Et quæ retro malo sunt ingenio depravata, in meliorem et pristinum gradum, adjuvante me divina clementia, reformabo cum vestro et aliorum nostrorum fidelium concilio et auxilio. *Confirmatio Odonis regis.*

WIDONIS REGIS ELECTIO.

(*An.* 888 *exeunte vel* 889 *ineunte.*)

Acta ejus edidit Muratorius ex membrana ejus ævi in celeberrimo monasterio Bobiensi asservata, primum in SS. Ital. tom. II, p. 416 sqq. tum lectionibus nonnullis emendatis in Antiquitatibus Italiæ, tom. I. Dies, secundum paucas quæ supersunt Widonis chartas et annales ejus temporis, aut in ultimos anni 888 menses aut in Januarium vel primos Februarii dies, ante d. 21 ejus mensis, anni 889 incidit.

ELECTIONIS CAPITULA.

Post bella horribilia cladesque nefandissimas, que meritis facinorum nostrorum acciderunt huic provincie, disponente jura regni hujus cum tranquillitate, sopitis hostibus suis, insigni rege et seniore nostro Widone, in aula Ticinensi nos humiles episcopos ex diversis partibus Papiæ convenientibus, pro ecclesiarum nostrarum ereptione et omnis christianitatis salvatione quæ pene jam ad interitum desolationis inclinata erat, annuente nobis eodem principe in uno congregati sumus collegio, ea videlicet ratione, ut his per quos homicidia, sacrilegia, rapine, et cetera facinora perpetrata erant, dignam penitentiam ad capiendam salutem, subtractis eis a male cepto negotio, per veram confessionem Deo adjuvante imponeremus; ac ne ulterius tantum nefas excrescere aut vires sumere valeret, pastorali provisione et auxilio regio compescendum decrevimus.

VARIÆ LECTIONES.

[1499] *vocem adjeci ex* 3. [1500] illos 3c. [1501] *ita* 3. aliquo *Bal.* [1502] et hospitalitatem p. 3c. [1503] hospitalitatem 3c. [1504] receptis 3c. [1505] vendant 3c. *Regino.* [1506] nisi quanto in mercato vendere possunt 3c. *Reg.* [1507] geldeam *corr* geldam 3.

1. In primis oramus, optamus operamque damus, ut mater nostra sancta Romana ecclesia in statu et honore suo cum omnibus privilegiis et auctoritatibus, sicut ab antiquis et modernis imperatoribus atque regibus sublimata est, ita habeatur, teneatur, et perhenniter custodiatur illesa. Nefas est enim, ut hec quæ totius corporis ecclesiæ caput est, et confugium atque relevatio infirmantium, a quoquam temere propulsari vexarive permittatur, presertim cum sanitas ipsius nostrorum omnium sit salubritas. Ipse quoque summus pontifex a cunctis principibus et christiani nominis cultoribus digno semper veneretur honore, debitaque precellat reverentia.

2. Singulorum episcoporum ecclesiæ cum suis privilegiis et possessionibus tam interioribus quam exterioribus inconvulse et incorrupte, absque aliqua sui deminoratione vel quorumlibet pravorum hominum injusta vexatione permancant, sicut præcepta regum et imperatorum sibi collata continent. Rectoresque earum libere pontificalem exerceant potestatem, tam in disponendis ecclesiasticis negotiis, quam in comprimendis legis Dei transgressoribus universis.

3. Sancimus etiam, ut neque in episcopatibus neque in abbatiis vel in senedochiis aut ullis Deo sacratis locis, ulla violentia aut novæ conditionis gravamina imponantur, sed secundum antiquam consuetudinem omnes in suo statu suoque privilegio perpetuo mancant.

4. Ut sacerdotum omnium et ministrorum Christi unusquisque in suo ordine condigno veneretur honore et reverentia, et cum omnibus rebus ecclesiasticis ac familiis ad se pertinentibus sub potestate proprii episcopi quietus et inconcussus permaneat, salva ecclesiastica disciplina.

5. Plebei homines et universi ecclesiæ filii libere suis utantur legibus. Ex parte publica, ultra quam legibus sancitum est, ab eis non exigatur, nec violenter opprimantur; quod si factum fuerit, legaliter per comitem ipsius loci emendetur, si suo voluerit deinceps potiri honore; si vero ipse neglexerit, vel fecerit, aut facienti prebuerit assensum [1508], a loci episcopo usque ad [1509] dignam satisfactionem excommunicatus habeatur.

6. Palatini qui in regio morantur obsequio, pacifice sine depredatione regi deserviant, suis contenti stipendiis.

7. Hi vero qui tempore placiti diversis ex partibus conveniunt, nullam pertranseuntes in villis seu civitatibus rapinam exerceant, sibi necessaria antiqua consuetudine digno pretio ementes.

8. Quicumque ab exteris provinciis adventantes, depredationes atque rapinas infra regnum hoc exercere presumunt, hi cum quibus morantur, aut ad audientiam eos adducant aut pro eis emendent, neque eos ulterius in talibus ausis sua potestate defendere audeant; quod si fecerint, inter excommunicatos habeantur quousque resipiscant.

9. Preterea quia gloriosus rex Wido dignatus est nobis promittere, conservaturus se prescripta capitula necessitate non minima confecta et quæ in eis continentur, curam habens, Deo inspirante, suæ nostræque salutis, sicut apertis inditiis jam demonstrat; ideo nobis omnibus complacuit, eligere illum in regem et seniorem atque defensorem, quatinus amodo et deinceps, illo nos secundum regale ministerium gubernante, singuli nostrum in suo ordine obœdientes et adjutores pro posse existamus illi ad suam regnique sui salvationem.

ELECTIONIS DECRETUM.

Post obitum recordandæ memoriæ domni Karoli, gloriosi imperatoris et senioris nostri, quot quantaque pericula huic Italico regno usque in presens tempus supervenerint, nec lingua potest evolvere nec calamus explicare. Ipsis denique diebus quasi ad certum signum supervenerunt, qui pro hoc regno, ut sibi volentes nolentesque adsentiremus, minis diversis et suasionibus inretitos [1510] furtive ac fraudulenter adtraxerunt. Sed quia illi, superveniente perspicuo principe Widone, bis jam fuga lapsi, ut fumus evanuerunt, nosque in ambiguo reliquerunt tamquam oves non habentes pastorem, necessarium duximus ad mutuum colloquium Papie in aula regia convenire; ibique de communi salute et statu hujus regni sollicite pertractantes, decrevimus uno animo eademque sententia, præfatum magnanimum principem Widonem ad protegendum et regaliter gubernandum nos in regem et seniorem nobis eligere et in regni fastigium Deo miserante prefigere, pro eo quod isdem magnificus rex, divino ut credimus protectus auxilio, de hostibus potenter triumphavit, et hoc non sue virtuti [1511], sed totum divinæ misericordiæ prudenter [1512] adtribuit, insuper etiam sanctam Romanam ecclesiam ex corde se diligere et exaltare, et ecclesiastica jura in omnibus observare, et leges proprias singulis quibusque sub sua ditione positis concedere, et rapinas de suo regno penitus extirpare, et pacem reformare et custodire se velle, Deo teste professus est. Pro his ergo et aliis multis ejus bonæ voluntatis inditiis, ipsum, ut prelibavimus, ad regni hujus gubernacula ascivimus, eique toto mentis nisu adhesimus, seniorem piissimum et regem excellentissimum pari consensu ex hinc et in posterum decernentes.

VARIÆ LECTIONES.

[1508] a. p. *SS.* [1509] *deest in* SS. *adest in Antiqq.* [1510] *ita Antiqq.* inlectos *SS.* [1511] virtutis *SS.* [1512] miserationis providentia *SS.*

WIDONIS REGIS LEGES.

(*An.* 889. *Mai* 1.)

Capitula in editionibus legum Langobardorum vulgata, ope codicum Ambrosiani, Londinensis, Vindobonensis, Veronensis, Estensis apud Muratorium, recognovimus annoque suo adsignavimus.

Incipiunt [1313] *kapitula quæ domnus Wido imperator addidit in Kalendas Madii civitate Ticinensi, anno imperii ejus primo, indictione* VII [1314].

1. Placuit nobis eciam summopere [1315] statuere, ut episcopi et comites uniti sint in suis parœchiis et comitatibus pro pace et salvatione in omnibus hominibus [1316] honoribus [1317] suis habitantibus, ita ut nullum prædonem, raptorem vel incestum permittant morari in suis sedibus vel concessis honoribus. Et si intellexerint [1318], ex aliqua parte per eorum terminos velle aut debere transire exteros ad istius regni vastationem, obviam eis missos communitorios dirigant, ut pacifice sine præda per eorum transeant terram. Vendere autem eis quæ necessaria sunt faciant, non plus [1319] carum, sed secundum usum et consuetudinem terræ. Si vero noluerint adquiescere, sed prædas et rapinas exercuerint, quicquid alteri rapuerint, legaliter cum banno nostro ab episcopo et comite ejusdem loci emendare cogantur. Quod si exequi noluerint, statim ab episcopo excommunicentur. Postea vero si contigerit, ut comes loci populusque terræ super ipsos prædones venerint, et eos impedierint, et mortui fuerint, neque faida inde præcipimus crescat, neque compositio aliquando requiratur pro his qui ibidem occubuerint. Et si comes ejusdem loci hoc adimplere neglexerit, proprio honore privetur. Et si oportuerit et necesse fuerit ut in suo auxilio vicinum suum advocet comes [1320], et ille se subtraxerit, similiter proprio privetur honore, et insuper 30 libras argenti comiti [1321] persolvat.

2. Quicumque igitur ex laicali ordine tam liberi quam servi homines in comitatu commanentes, a proprio comite vel a publica parte, id est ab his qui rem publicam agunt, ammoniti fuerint, si se subtraxerint ab adjutorio sui proprii comitis, et eum non adjuvaverint infra ipsum comitatum contra supervenientes prædones in suo comitatu, tertiam partem liberi ex suis mobilibus componant, servi autem 60 ictos vapulentur; si tamen probatum fuerit quod ipsis denuntiatum fuisset.

. Nemo comes neque loco positus ejus [1322] neque A sculdasius [1323] ab arimannis suis aliquid per vim exigat, præter quod legibus constitutum est. Sed neque per suam forciam in mansione arimanni sui applicet [1324], aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si vero de prædictis personis publicis [1325] hoc irritum fecerit, honore proprio sive ministerio privetur, et secundum legem emendet [1326].

4. Si igitur ex præcepto imperiali comes loci ad defensionem patriæ suæ suos [1327] arimannos hostiliter properare [1328] monuerit aut per se aut per suum missum, et aliquis eorum remanserit, exceptis [1329] his quos episcopus in sua [1330] elegerit necessitate aut comes dimittere voluerit, nisi aliquis [1331] sunnis et ceteris impedimentis quæ legibus continentur detentus fuerit, widrigild suum com- B ponat. Et hoc nullus comitum aut actor [1332] publicus [1333] potestatem habeat exigendum, nisi cum misso de palatio imperatoris.

5. De cartis vero interdicimus, nemini liceat alienas res præsumtive invadere occasione cartulæ ab eo factæ, qui vestituram legitimam non habens dignoscitur [1334] invasisse. Sed si quis adquisitor extiterit, non antea invadere alienas [1335] res, ecclesiæ vel cujuspiam liberi [1336] hominis, præsumat, antequam auctor cartulæ legali et judiciali diffinitione eas vendicet, et tunc demum cui vult liberam tradendi habeat facultatem. Et si quis ipsas [1337] sine lege invaserit, non solum ipsas [1338] res amittat, sed insuper bannum nostrum componat

6. [1339] De cartis etiam vel quibuscumque scriC ptionibus [1340] quæ a quibusdam personis falsæ appellantur, statuimus, si notarius supervixerit [1341] et testes, ut idem notarius cum legitimis sacramentalibus 12, simul et [1342] cum ipsis testibus qui in eadem carta scripti sunt, ipsam cartam veram [1343] faciat. Similiter et cartæ ostensor cum 12 sacramentalibus sicut legitime jurare valeat, ipsam cartam veram et idoneam faciat. Interpellator autem primum juret, quod se sciente nihil aliud nisi verissimam et justam in omnibus rationem exquirat. Si autem notarius se subtraxerit, et cartam suo scri-

VARIÆ LECTIONES.

[1313] *hæc inscriptio habetur nonnisi in codd. Ambr. et Lond. Contra Vind. Veron. et Est. habent* · Imperat ista bonis regalis sermo Gidonis. *Goldastus* Dat. Papiæ Kalendis Maii anno imperii nostri primo. [1315] IIII. *A.* [1318] sumopereque *A.* [1316] *deest A.* [1317] h. in suis *V. Vn.* [1318] i. ut ex *L.* [1319] amplius *L.* [1320] comitem *V. Vn.* [1321] *deest in textu A. sed glossa interlin.* comiti cui denegaverit osilium id est ani. [1322] *deest V. Vn. E. deletum in L.* [1323] sculdascius *A.* [1324] amplicet *A. V. Vn. Glossa interlin. Ambr.* id est albergat. Applicare *est* divertere. [1325] p. aliquis *V. Vn. E.* [1326] c. hoc quod ei fecit *V. Vn. E.* [1327] *deest L.* [1328] *glossa* ambulare *A.* [1329] excepto *A.* [1330] in s. *deest A.* [1331] aliquod *A.* [1332] *vocem inserui; alia medela V. Vn. E. usi* publica potestas licentiam habeat *scripserunt.* [1333] publice *corr.* publicam *A.* [1334] *glossa Lond.* id est ipse homo facit ipsam cartam [1335] *deest L.* [1336] *deest A.* [1337] i. res *L.* [1338] *deest L.* [1339] *caput hoc deest apud Heroldum.* [1340] inscriptionibus *L.* [1341] vixerit *A.* [1342] similiter *A.* [1343] v. et idoneam *V. Vn.*

ptam [1844] nomine idoneam minime potuerit confirmare, nulla redemtio ei concedatur, sed manum propriam amittat; et ostensor ipsius cartulæ post rerum amissionem widrigild suum componat [1845]. Et si [1846] notarius defuerit, et testes supervixerint, ipse ostensor cartæ cum ipsis testibus et cum 12 sacramentatibus, sex suis propinquis, et ipse sit septimus, et quinque aliis idoneis, ostensis primum duabus aliis cartis manus collatione [1847] ab eodem notario descriptis, ipsam tertiam cartam per sacramentum veram et idoneam [1848] faciat [1849].

7. Volumus præterea atque sancimus, ut si quis liber [1850] homo legitimæ uxori suæ dum vixerit [1851] res suas per scriptum ad usumfructum dederit, et filios duos vel plures habuerit, et unus ex ipsis vel duo mortui fuerint, et filios [1852] vel filias reliquerit, æqualiter ipsas res, quas usufructuario [1853] prædicta uxor habuerit filii defuncti cum patruis suis, sicut ceteram hereditatem, ita [1854] usumfructum dividant.

8. Concedimus etiam, ut sicut [1855] mulieres cum viris suis venumdare et donare res suas possunt, ita et commutare valeant, ac familiam suam liberam facere.

9. Si quis judicibus nostris in judicio residentibus minas aut etiam convicia intulerit, eosque verbis aut factis turpiter dehonestaverit, widrigild illi componat quem læserit. Si vero aliquis ex ipsis judicibus nostris pro ipso judicio falsidicos dixerit, vel pro ipsa intentione et [1856] causa quemlibet hominem [1857] interfecerit, quinquaginta libras auri optimi componat, medietatem primam heredibus interfecti judicis et alteram medietatem cameræ nostræ.

Codex Ambrosianus in margine hæc addit: Ut mulier Langobarda, si vero abuerit non potest facere nullum scriptum qui pertinet ad hereditandam sine interrogaciones parentes, et [si] viro non abuerit, potest facere cum consensu mundoaldo, sine interrogacione parentes; et si fuerit Romana et viro non abuerit, potest facere sola.

LUDOVICI REGIS ARELATENSIS ELECTIO.

(*An.* 890. *Aug. exeunte.*)

Acta ejus in Paradini annalibus Burgundiæ primum edita, a Chesnio tom. II, p. 530, et Bouqueto tom. IX, p. 315, repetita sunt. Promulgata fuisse medio vel exeunte mense Augusto, ex indictione et diplomate Ludovici pro Isaac episcopo Gratianopolitano III Idus Augusti an. 894, indict. XII, regni IV, edito apud Bouquetum tom. IX, p. 675, constat.

Anno incarnationis dominicæ 890, indictione VIII, religiosus atque satis venerabilis Bernoinus sacræ sedis Viennensis archiepiscopus, pro quibusdam ecclesiæ suæ sive generalibus totius regni necessitatibus sedem adiens apostolicam, consultu ipsius domni apostolici, cui cura et sollicitudo instat omnium ecclesiarum, digno quoque suo relatu de perturbatione hujus regni retulit, quomodo post gloriosissimi Karoli imperatoris obitum aliquamdiu sine rege et principe existens, valde undique afflictaretur, non modo a propriis incolis, quos nulla dominationis virga coercebat, sed etiam a paganis: quoniam ex una parte Nortmanni cuncta penitus devastantes insistebant, ex alia vero Sarraceni Provinciam depopulantes, terram in solitudinem redigebant. His et aliis hujusmodi causis ab eo auditis, reverendus dominus Stephanus apostolicus ad lacrymas usque compunctus, tam verbis quam scriptis generaliter ad omnes Galliarum cisalpinarum tam archiepiscopos quam et reliquos venerabiles antistites directis, suo sanctissimo commonuit hortatu, ut unanimes atque concordes omnes in Ludovico, nepote quondam Ludovici gloriosissimi imperatoris, consentientes, hunc super populum Dei regem constituerent. Cum igitur diligenter comperissemus, quod assensus sanctæ catholicæ et apostolicæ matris nostræ huic faveret electioni, simul convenimus in civitatem Valentiam, domnus scilicet Aurelianus Lugdunensis sedis archiepiscopus, necnon et domnus Rostagnus urbis Arelatensis archiepiscopus, venerabilis quoque Arnaldus Ebrodunensis archiepiscopus, ipse quoque Bernoinus Viennensis archiepiscopus; cujus relatu voluntatem domni apostolici venerabiliter accepimus, cum aliis compluribus coepiscopis tractaturi, atque secundum Dei voluntatem quæsituri, exploravimus, si hunc digne et rationabiliter secundum monita domni apostolici, cujus scripta præ manibus habebantur, super nos regem constituere deberemus. Assensus itaque in eo omnium fuit, ut nullus melius rex fieri debuisset, quam ille qui ex prosapia imperiali prodiens, bonæ puer indolis jam coalescebat. Cujus etsi ætas idonea

VARIÆ LECTIONES.

[1844] c. cum suo subscriptam *L.* [1845] c. et si ostensor parentes non habuerit, tamen non debet perdere causam suam, sed cum aliis sacramentalibus juret. Si autem notarius nunquam scripserit chartam antea et sit illa prior, fiat comparatio etiam ex altera sua scriptura ut legitur in Novellis. similiter intelligitur de charta libertatis, et si ostensor non solvat widrigild. *Est.* [1846] Si autem n. *L.* [1847] coleccionis *A.* collationis *L.* [1848] i. f. Si notarius est absens vel aliqua causa in judicium impeditus; venire faciat ostensor, quod debet facere, si notarius est mortuus per usum *Est.* [1849] *in fine hujus capitis codices V. Vn., in fine capitis noni Londinensis, argumentum hujus capitis pro lege scribunt:* De cartis quæ a quibusdam personis falsæ appellantur, constituimus si testes fuerint mortui, et notarius supererit, cum duodecim juratoribus veram et idoneam ipsam cartam faciat. *Codd. V. et Vn.: ut — faciat, juret.* [1850] quislibet longobardus homo *V. Vn. E.* [1851] scil. uxor *L.* [1852] f. legitimos *V. Vn. E.* [1853] u. nomine *L.* [1854] i. ipsum u. *L. V. Vn. E.* [1855] s. longobardæ m. *V. Vn. E.* [1856] i. vel alia causa *L.* [1857] judicum. *L.*

ad reprimendam barbarorum sævitiam minus sufficere videretur, tamen nobilium principum istius regni, quorum non parvus est numerus, consilio et fortitudine, Deo juvante, comprimerentur. Maxime inclyti Richardi ducis eximiique principis fulta juvamine, quin etiam dominæ Hirmengardis gloriosissimæ reginæ, utilitatis regni, insita sibi acutissima atque profundissima a Deo prudentia, adjuncto sibi supradictorum episcoporum digno hortatu, procerumque totius regni consilio, secundum Dei timorem decentissime administrabitur. Denique freti et tanta sublevati fiducia, per Dei, ut credimus, voluntatem supradictum Ludovicum, excellentissimi Bosonis regis filium, elegimus, atque in regem ungendum decrevimus: judicantes illum ad hoc dignum, cui præstantissimus Karolus imperator jam regiam concesserat dignitatem; et Arnulfus, qui successor ejus extitit, per suum sceptrum, perque suos sagacissimos legatos, Reoculfum videlicet episcopum et Bertaldum comitem, fautor regni auctorque in omnibus esse comprobatur. Hac tanta talique fulti auctoritatis licentia, communi omnes in jam dictam civitatem advenientes consensu, hanc regiam fieri decrevimus conscriptionem, manibusque insuper propriis ratam, perennibusque eam temporibus felicem vigere præoptantes, roboravimus, singulique subscripsimus [1558].

ARNULFI CONCILIUM TRIBURIENSE.

(*An.* 895. *Mai.*)

Ex actis Triburiensis concilii, anno 1524 a Cochlæo ex codice Brixinensi primum editi, nonnisi epistolam generalem, regis constitutionem de excommunicatis capite 3 exstantem, et episcoporum subscriptiones ope codicis Cæsarei Vindobonensis inter libros Juris canonici n. 99, mbr., sæc. XI, emendatas, proponendas censuimus.

Cum constet omnibus, divinam legem tractantibus, post evangelia et limpidissima Novi Testamenti fluenta, beatorum canonibus apostolorum, et sanctorum patrum apud Niceam Bithyniæ congregatorum constitutis, nec non et apostolicorum Romanæ sedis pontificum decretis, satis occurrisse, restitisse, et oppugnasse, sive hæreticis, sive schismaticis, et omnibus veræ fidei oppugnantibus regulas; sed antiquus serpens, qui dicitur diabolus et satanas, inimicus humani generis, nova venena malitiæ suæ dulci poculo sancti Spiritus admiscere, et bono semini sancti evangelii zizania suæ pravitatis et profanæ iniquitatis subseminare non desinit. Sicut in Matthæo, cum bonæ messi zizania fuissent inserta, scriptum est: *Inimicus homo hoc fecit.* Et de ejus satellitibus, sub squamarum specie, in Job perhibetur: *Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.* Unde necesse est, ejus perversissimis machinationibus et satellitum suorum insecutionibus ex autentica potestate contraire, et novum paradigma veræ assertionis opponere. Quapropter rex regum, *cujus regnum*, ut Psalmista canit, *regnum est omnium sæculorum*, omnibus ecclesiasticæ sublimitatis ordinibus, nec non et sæcularis potentiæ dignitatibus, novum principem Arnulfum regem pacifico ordine perpetuæ tranquillitatis præferre dignatus est. Cujus cor sancti Spiritus ardore inflammare et zelo divini amoris voluit accendere, ut totus cognoscat mundus, non ab homine, neque per hominem, sed per ipsum Dominum eum esse electum. Considerans enim idem sapientissimus rex profundæ mentis intuitu, abundantem in se sancti Spiritus gratiam, quia quos repleverit ardentes in se, pariter et loquentes facit de se: anno incarnationis Jesu Christi domini nostri 895, regni vero sui 8, indictione 13, mense Maio, ejusdem sancti Spiritus instinctu et primatum suorum consultu, venit in villam regiam, videlicet Triburiam, in terra Francorum consistentem, cum episcopis infra conscriptis, abbatibus, comitibus et omnibus regni sui principibus, nec non convenientibus ecclesiasticorum et sæcularium innumeris turbis: quatenus infatigabili perseverantia, divina et humana tractarentur, atque emergentia mala comprimerentur, ut eo liberius sancta Dei ecclesia suo potiretur honore. Cum autem sapientissimus rex concilium sacrum continuari decrevisset, placuit sibi et universo clero, ut peracto triduano jejunio, litaniis et orationibus super se de cœlis promissum invitarent adjutorium: sicut ipse salvator ascendens in cœlum, discipulis suis promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* ut futura concilia in ipso inchoarentur et per ipsum finirentur, qui est initium et finis, et supplementum legis, ut Apostolus Romanis scribens ait: *Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Quo peracto, pergens ad palatium, regale sedit solium, indutus veste splendidissima quam texit sapientia, repletus est prudentia, erectus et potentia, pro sua magnitudine stipatus multitudine, tractans practice de statu regni, et theorice de ordine et stabilitate ecclesiarum Christi, et qualiter boni quiete viverent, et mali inulte non peccarent. Interim episcoporum sacer conventus in basilica prædictæ villæ post communes orationes et preces finitas, honorificentissime infulati, pontificalibus sedibus suffulti, mentibus serenati, prudentia præditi, sacrosanctum ingressi sunt synodale colloquium. Inter alia namque, quibus divina et humana tractaturi erant, communi voto et pari consensu, de collegio sanctorum sacerdotum gnaros et idoneos direxerunt mediatores ad præfatum pium regem, inquirentes, quo studio vel qualibenignitate secundum sapientiam et possibilitatem ab ipso Deo sibi datam, ecclesiam Christi, illi per

VARIÆ LECTIONES.

[1558] *Subscriptiones desiderantur.*

regalem potestatem, et ipsis per sacerdotalem eminentiam, comissam defendere, et ministerium illorum amplificare et sublimare dignaretur. Proponentes ei propriam regis eminentiam, id est, ut misericordia et modestia omnes præcellat, et non secundum personam judicet, atque juxta Salomonem, *justitiam, judicium et æquitatem diligat*. Addentes insuper sacrarum exempla litterarum, quibus sapientia alumnos suis laboribus educatos instruens, ait: *Meum est consilium et æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo : per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt : per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Et item : *Rex qui judicat in veritate, thronus ejus in æternum firmabitur.* Præferentes etiam ei institutiones Martini episcopi ad Mironem regem, quibus cum ad honestatem vitæ et pietatem morum ordine rationis instituens, ait: « Prudentis proprium est, examinare consilia : atque subjunxit : si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur. Præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Et sermo tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. » Quibus rex theologiam quasi ab alto disserentibus, ab augusta mentis suæ sede, quia ut Sapientia ait : *Cor regum inscrutabile est*, arcanum mysterii sui revelans, in hæc verba prorupit : « O pastores ecclesiarum Christi, et clarissima lumina mundi, agite, quæ vobis imposita est, curam pastoralem. Et juxta Apostolum : *Instate opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate, in omni patientia et doctrina*, ut vigili cura et admonitione sedula, oves Christi ad caulas æternæ vitæ introducere mereamini. Habetis me, omnibus ecclesiæ Christi adversantibus, et vestro sacerdotali ministerio renitentibus, oppositissimum bellatorem. Quia, ut Apostolus Romanis scripsit : *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Et item : *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei*, et unanimitate sancta, beatissimi patres. » Gratulantes igitur beati, qui missi sunt, sacerdotes, congredientibus quibusdam optimatibus, de throno regis, causa justæ legationis et veræ unanimitatis, ad sanctam synodum directis, reversi sunt ad eos qui miserant illos. Perambulantes igitur, et sacrum conventum inrumpentes, et ecclesiam illic congregatam consolatoria responsione lætificantes, siluerunt, et quid deinceps acturi essent, taciti expectare cœperunt. Exorgentes igitur de sedibus suis reverentissimi patres, cum astanti clero, ter quaterque proclamantes, et divinæ majestati supplicantes : *Exaudi, Christe, Arnulpho magno regi vitam!* et sonantibus campanis, *Te Deum laudamus*, concinentibus cunctis, glorificantes, et Jesum Christum conlaudantes, qui in servis suis consolabitur, qui ecclesiæ suæ sanctæ tam pium et mitem consolatorem tamque strenuum adjutorem ad honorem nominis sui condonare dignatus est. Et peractis divinæ majestati precibus, inclinantes se, coram pii principis astantibus missis, gratificantes, et magno principi laudes debitas persolventes, deinde recto ordine consederunt, et prævio sancto Spiritu, quædam capitula magis necessaria, ex canonicis institutionibus subscripserunt. Errata corrigere, superflua abscidere, recta via regia coartare. Post hæc prudentissimus rex regnorum sacrosanctis divinæ religionis interfuit mysteriis, et sancti patres secretis palatinis. Et concordia erat in cunctis, ad laudem Jesu Christi domini nostri, cui sit laus et gloria per infinita sæculorum sæcula....

Cap. 3. Nos igitur, quibus regni cura et solicitudo ecclesiarum Christi commissa est, aliter regnum et imperium jure ecclesiastico regere et gubernare non possumus, nisi hos, *Qui ecclesiam Christi, non habentem*, ut Apostolus ait, *maculam neque rugam*, conturbant, zelo fidei persequamur. De quo rex David testatur, *Nonne, qui oderunt te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Et cum Evangelium legeretur audivimus : *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Et alibi : *Qui percutit malos in eo quod mali sunt, minister Domini est.* Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes, præcipimus, et auctoritate nostra injungimus omnibus regni nostri comitibus, postquam ab episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, et tamen ad pœnitendum non inclinantur; ut ab ipsis comprehendantur, et ante nos perferantur : ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur. Unde per quendam sapientem dictum est : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Si enim tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, et in tali temeritate interfecti fuerint, judicio episcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia : et præcepto nostro, weregeldi nulla ab eis extorqueatur compositio. Constringanturque proximi et eorum cognati cum juramento, ne in illis eos vindicent, sed pacem ad eos et concordiam servent....

In hoc sancto et universali concilio præcidente et adjuvante pio principe Arnolfo gloriosissimo rege, consederunt, qui convenerant, sancti patres et venerabiles ecclesiarum pastores, et quæ catholica fide promulgaverunt, pari professione confirmaverunt, et unanimes subscripserunt.

Hatto, sanctæ Mogontiacensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. Herimannus sanctæ Agrippinensis quæ et Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, subscripsi. Ratbotus Treverensis ecclesiæ archiepiscopus, subscripsi. Waldo, Frigisingensis ecclesiæ episcopus, subscripsi. Erchanbaldus, Eihstatensis ecclesiæ episcopus, subscripsi. Tuto, Radasponensis episcopus. Adalpero, Augustensis episcopus. Salomon, Constantiensis episcopus. Theodulfus, Curiensis episcopus. Iringus, Basiliensis episcopus. Baldrammus, Strazburgensis episcopus.

Cothethancus, Spirensis episcopus. Theotelaus, Wormacensis episcopus. Adalgarius, Bremensis[1559] episcopus. Dado, Wirdunensis episcopus. Wigbertus, Hiltinesheimensis episcopus. Ruodulfus Wirziburgensis episcopus. Sigimundus, Halvarastatensis[1560] episcopus. Ruodbertus, Mettensis episcopus. Druogo, Mimidensis episcopus. Biso, Padarbrunnensis episcopus. Engilmarus, Osnebruggensis episcopus.

ARNULFI IMPERATORIS CORONATIO.

(*An.* 896 *April.* 18.)

Diem ejus, cum Arnulfus nonnisi quindecim diebus Romæ moratus sit, aut die 18, aut 25 Aprilis fuisse Boehmerus noster in Regestis Carolorum observavit. Quos inter priori magis assentio, quod coronationem expugnata Urbe statim narrant Annales Fuldenses, qui etiam formulam juramenti a Romanis præstiti servaverunt.

Juramentum Romanorum.

Juro per hæc omnia Dei mysteria, quod, salvo honore et lege mea atque fidelitate domno Formoso papæ, fidelis sum et ero omnibus diebus vitæ meæ Arnulfo imperatori, et nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo; et Lantberto filio Agildrudæ, vel ipsi matri suæ ad secularem honorem nunquam adjutorium præbebo: et hanc civitatem Romam ipsi Lantberto, vel matri ejus Agildrudæ, vel eorum hominibus per aliquod ingenium aut argumentum non tradam.

LAMBERTI IMPERATORIS CONVENTUS RAVENNAS.

(*An.* 898 *Oct.*?)

Conventus hujus, præsente Joanne IX papa celebrati, acta primus ex cod. Antonii Augustini, codicis Mureti apographo, edidit Baronius annoque 904 ascripsit. Quod cum, Lamberto tunc haud amplius superstite absonum videretur, Goldastus tomo tertio Constitutionum capitula ab imperatore promulgata Berengario assignavit. Sed virum industrium ea in re fefellisse Baluzius in præfatione ad Capitularia, tom. I, p. 15, monuit, in codice veteri bibliothecæ Thuaneæ excerpta haberi professus, in quibus hac inscriptione: *Item ex legibus Romanis a domno Lamberto imperatore promulgatis capitul.* XI caput primum petitionis imperatori porrigendæ. *Si quis sanctorum Patrum regulas*, etc.; et caput legum mundanarum nonum *Ut omnis decimatio*, etc., legerentur. Canciani utrasque leges ad annum 898 pertinere putavit, nec tamen eas unius ejusdemque conventus acta esse animadvertit; quod quidem ex capitulis supra laudatis et ex parvo spatio quo obitum Lamberti præcesserunt sequi videtur. Nam cum Joannes IX pontificatum mense Julii an. 898 intravisset, Lambertus vero mense Octobri aut initio Novembris ejusdem anni obierit, tam parvo spatio temporis præter Romanum concilium et conventum Ravennatem tertium conventum habitum fuisse vix credi potest. Textum ex Baronio proferimus, aliquot locis, prout res poscere videbatur, emendatum.

CAPITULA SYNODALIA.

Prælocutio pontificis.

Quia divina inspirante misericordia, vestra nobiscum convenit fraternitas, ut nutu sancti Spiritus, qui suis numquam deest fidelibus, communi omnium vestrum consultu, fratres carissimi, ea quæ necessaria sanctæ Dei ecclesiæ prævidimus, una cum spirituali filio nostro, gloriosissimo videlicet imperatore Lamberto, et vestro sancto collegio, et quæ nocivo surculo pullulare conabantur in agro sanctæ ecclesiæ, canonico sarculo eradicare studeamus, quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur, et examinata, manibus omnium pro futura memoria roborentur, ne ulli umquam sine status sui periculo eadem violare liceat, sed rata et firma in perpetuum consistant ad statum et munimen sanctæ Dei ecclesiæ, ad salvationem omnium fidelium per Dei misericordiam.

Responsio.

Immensas Deo salvatori nostro laudes referimus, qui talem vos suæ præfecit ecclesiæ, ejus opportunitatem decernere, ut omne ab ea zizanium eradicare conemini, prout in hac sancta synodo cunctis nationibus apertis declaratur indiciis. Capitula etiam quæ pro generali omnium cautela ad robur et munimen sanctæ ecclesiæ conscripta sunt, si vestræ placet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur, quæ observare, vel quæ cavere debeamus, ne in aliquo a regulis sanctorum patrum, quod Deus avertat, deviare inveniamur.

Petitio synodi.

1. Si quis sanctorum patrum regulas contempserit, et gloriosissimorum imperatorum, Karoli videlicet magni imperatoris, et Hludowici atque Hlotharii, necnon et filii ejus Hludowici, quæ de ecclesiasticis decimis in eorum capitularibus statuta atque sancita sunt, non observaverit: et qui dat et qui recipit, auctoritate sanctæ sedis apostolicæ et sanctione sanctæ synodi excommunicationi subjaceat.

2. Si quis Romanus, cujuscumque sit ordinis, sive de clero, sive de senatu, seu de quocumque ordine, gratis ad [vestram (166)] imperialem majestatem venire voluerit, aut necessitate compulsus ad [vos] vo-

VARIÆ LECTIONES.

[1559] brumensis c. [1560] haluarastanensis c.

NOTÆ.

(166) Hic et infra uncis inclusa ita correxi: *nostram... nos... nostros... nostram... nobis... nostris .. nostri* editi.

luerit proclamare : nullus eis contradicere præsumat, et neque eorum res quispiam invadere vel deprædari, aut eorum personas in eundo vel redeundo vel morando inquietare præsumat, donec liceat imperatoriæ potestati eorum causas, aut personas, aut per missos [vestros] deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo, vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre : postquam per [vestram] misericordiam se proclamaverint, imperialis ultionis indignationem incurrat.

3. Ut privilegium sanctæ Romanæ ecclesiæ, quod a priscis temporibus per piissimos imperatores stabilitum est atque firmatum, ita nunc a [vobis] firmetur, et diebus [vestris] sicut condecet immutilatum servetur, et sancta Romana ecclesia mater nostra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad imperii [vestri] est.

4. Ut synodus quæ vestris temporibus in basilica beati Petri apostoli pro nonnullis malis eradicandis, et maxime pro causa domni Formosi sanctissimi papæ acta est, vestro imperiali consensu, et venerabilium episcoporum et optimatum vestrorum roboretur, ac perpetualiter stabilita servetur. Quæ non invidiæ zelo, sed rectitudinis gratia canonice peracta.

5. Ut tantæ impietates, pro quibus nos ad vos venissemus, quas etiam per territoria nostra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis, et, violentiis, a vobis diligentissime inquirantur, et, prout necesse est, legaliter emendentur, quoniam tanto dolore perculsi sumus talia contemplantes, quod magis mori cupieramus, quam talia in nostris diebus cernissemus [1361], de quibus, si emendata non fuerint, vos et nos a summo judice distincte quæremur. Ideo petimus, et per Christum dominum adjuramus, ut talia impunita non dimittatis.

6. Ut pactum quod a beatæ memoriæ vestro genitore domno [1362] Widone, et a vobis, piissimis imperatoribus, juxta præcedentem consuetudinem factum est, nunc reintegretur, et inviolatum servetur.

7. De locis autem atque rebus quæ in eodem pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta sunt, quæ petimus ut in eadem synodo terminentur, et quæ non recte facta præcepta sunt, corrumpantur.

8. Ut patrimonia, seu suburbana, atque massæ et colonitiæ, necnon civitates quæ contra rationem, quasi per præcepta largita sunt, petimus reddantur, ipsaque..... [1363].

9. Vestræ igitur majestati non manet incognitum, qualiter illicitas conjunctiones Romani et Longobardi, simul et Franci, contra apostolicam et imperialem voluntatem facere præsumpsere in territoriis beati Petri apostolorum principis : petimus, ut sicut a vestris antecessoribus imperatoribus prohibitum est, ne quoquo modo fierent, ita amodo vestro augustali decreto omnimodis prohibeantur, et synodaliter, ne amodo ac deinceps fieri tententur, in perpetuum firmiter statuatur atque firmetur.

10. De hoc sane præ omnibus condolemus, quia ad tantum apostolicum culmen gratia Christi provecti, cum ecclesiam Domini salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, destructam cerneremus : direximus pro illius aliqua restauratione ad trabes incidendas ; sed qui directi sunt a nobis, quæ necessaria erant ad malitiosorum hominum infestationem facere nullo modo valuerunt. Super quibus omnibus, carissime fili, videte nobiscum, et quantum sit indecens, quantamque violentiam sancta mater Romana ecclesia sit passa, medullitus considerate, et ut amodo et deinceps vestro imperiali studio ad optatum vigorem perducatur, sicut dilectissimus ejus filius et imperator sublimissimus, operam date. Sed hoc scire vos volumus, quoniam sancta Romana ecclesia tantum est ad nihilum deducta, quod et eleemosynæ quæ pauperibus pro sospitate vestri imperii distribui solebant, et stipendia clericorum ac famulorum ejus omnimodis sunt evacuata ; pro quibus vero ad stabilitatem imperii vestri magis vos oportet cum vestris fidelibus prudenter tractare, ut sicut prædiximus, alicui restaurationi ipsius, quæ nimium est afflicta, operam detis.

His lectis, papa ad episcopos conversus sic perorat.

Quia vestra omnium fraternitas concordi voce sibi placere profitetur, quæ Christi Dei nostri gratia inspirante præfiximus, hortamur, ut secundum debitam solicitudinem commissæ sibi a Deo ecclesiæ curam unusquisque vestrum agere studeat, et gregem Christi sanguine redemptum bonis exemplis ac salutaribus documentis instruat, habens semper præ oculis illum tremendum judicem, qui suum sacratissimum sanguinem pro omnibus fudit, ut cum ante ipsius tribunal steteritis, unicuique vestrum dicat : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium domini tui. Cumque Deo auxiliante ad propria veneritis, jejunium indicite, litaniam celebrate, rogantes et obsecrantes pium et misericordem Dominum, ut furorem mitiget, iram a populo avertat, pacem tribuat, schismata et seditiones comprimat, discordiam auferat, retroacta peccata tergat, et miserando aboleat ; quatenus, indultis omnibus delictis, misericordiam rogantibus largiatur, et ad protectionem et exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ spiritualem filium nostrum, excellentissimum scilicet imperatorem Lambertum conservet, et superbarum gentium illi colla subjiciat sua potenti dextera Jesus Christus dominus noster, cui est cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LAMBERTI IMPERATORIS CAPITULARE.

1. Ut comes inter honores suos, rapinam exercitus legi subjiciat.

2. Ut imperiales homines ad colloquium sive ser-

VARIÆ LECTIONES.

[1361] *al.* crevissemus Baronius. [1362] domino *edd.* [1363] *aliqua excidisse videntur.*

vitium imperatoris properantes, suis stipendiis sint contenti.

3. Ut nullus comitum arimannos in beneficia suis hominibus tribuat.

4. Ut homines comitum nullatenus in domibus arimannorum resideant, sed domos rei publicæ instaurent, ibique resideant.

5. Ut scriptoribus publicis nullatenus interdicatur res arimannorum transcribere, si quando eis fuerit opportunum. Quod si occasione vitandi exercitus aut placitum venditæ fuerint, et ipsi eas pendere supersederint, exigatur ab eis utrumque, sicut ante transcriptionem.

6. Ut ipsi arimanni frequentius quam in lege statutum est, ad placitum ire non cogantur, nec a comitibus nec a sculdalisiis.

7. Ut bannum missi exercitus imperialis solummodo exigant.

8. Ut pastus imperatoris ab episcopis et comitibus, secundum antiquam consuetudinem solvatur. Quod si novo tempore fiscus comitialis in jus ecclesiasticum conversus est, augeatur stipendium imperiale ab ecclesia, juxta quod res publicæ fuerint minoratæ.

9. Ut omnis decimatio ab episcopis, vel his qui ab eo substituti sunt præbeatur, nullasque eam ad suam capellam, nisi forte concessione episcopi, conferat. Quod si fecisse contigerit, primum legibus subjaceat humanis, postea excommunicatione populi constrictus, ad ultimum ipsa capella, quæ magis contentionem quam utilitatem aliquam præstat, destruatur.

10. Ut plebes ecclesiæ nullatenus aut comitibus, aut episcoporum vassallis, aut ullis laicis in beneficia tribuantur.

11. Ut in domibus ecclesiarum neque missus, neque comes, vel judex quasi pro consuetudine neque placitum neque hospitium vendicent, sed in publicis vicis domos constituant, in quibus placitum teneant, et secundum antiquam consuetudinem hospitentur.

12. Ut singulæ plebes archipresbyterum habeant. Propter assiduam ergo populi Dei curam singulis plebibus archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi solicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuntient. Nec obtendat episcopus non egere plebem archipresbytero. Quod si ipse gubernare valeat, quia est valde idoneus, decet tamen ut partiatur onera sua, et sicut ipse matrici præest, ita presbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica solicitudo. Cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.

KAROLI III CAPITULA DE TUNGRENSI EPISCOPATU.

(*An.* 920.)

Edidit ea Sirmondus ex codice S. Mariæ Virdunensis. Rei actæ seriem legimus in Flodoardi Annalibus, atque paulo ampliorem in Richeri Historiarum libro primo.

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis. Karolus vir illustris, divina propitiante clementia rex Francorum, omnibus archiepiscopis et episcopis in regno nobis a Deo commisso constitutis, pax et salus ab eodem Deo æterno.

1. Quia divinæ propitiationis beneficia, quæ ab ipso ab ipsis crepundiis experti sumus, nullatenus enumerare possumus, idcirco laudem Domini loquetur os meum, et benedicet nomen sanctum ejus in seculum seculi. Unde quia, pluribus nostris exigentibus meritis, multotiens adversa quæque sustinuimus, credimus non hoc ad nostræ damnationis meritum, sed ad gratiam suæ reconciliationis nobis fore permissum: ut flagellis ejus eruditi, discamus perversa cavere, et in cunctis ejus voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum est, cum olim quidam nostri fideles, a nostra debita fidelitate exorbitantes, vitam et regnum nobis auferre moliti sunt, euntes post inimicos nostros, eisque familiariter inhærentes, res et episcopia nostri regni ab ipsis dari sibi concupierunt. Ut ergo de multis taceamus, unum, qui nobis nostris visceribus serpentinum virus infudit, vestræ sanctitati propalabimus, Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens potestatem, contra quoque apostoli dicta, ubi dicitur: *Deum timete, regem honorificate;* et: *Non est potestas nisi a Deo;* et: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Non est enim potestas nisi a Deo;* et adversus citharœdi David dicta, ubi ad Dominum loquitur: *Imposuisti homines super capita nostra*, quique ultra Rhenum ad inimicos nostros proficiscens, minimeque reminiscens sacramentorum suorum nobis promissorum, eaque retro dorsum abjiciens, ab Heinrico inimico nostro episcopium Tungrensis ecclesiæ expetiit, suaque damnatione contra omnia statuta tam sacrorum patrum quam regum videlicet antecessorum nostrorum usurpavit. De qualibus in libro regum capitulari ita dicitur: *Si quis præsumpserit quam non meruit a principe vel seniore justo dignitatem, sacrilegus habeatur.* Et beatus Gregorius: *Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel qui importunus se ingerit, proculdubio est repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promoretur.*

2. Cum quidam pestiferi viri, ut supra memoravimus, a nostra fidelitate deviarent, convocavimus archiepiscopos præsules 16 nostri regni, nonnullos etiam proceres, marchiones, et comites, optimatesque, ut eorum consilio, auctoritate, atque virtute, tantæ vesaniæ resistereimus. Inventum est, ut nova gibborum genera novis medicationibus secarentur

ac sanarentur, pellentes eos episcopali auctoritate sacrorumque canonum constitutione a cœtu et consortio christianorum. Quorum præsumptioni ac nefandæ tyrannidi Hilduinus se intumescens, datis Heinrico suisque proceribus complurimis auri argentique ponderibus, non solum cum eis scienter participavit, sed etiam ex thesauris ecclesiæ Tungrensis, quos instinctu diabolico rapuerat vel furatus fuerat, quibusdam minis ac terroribus egit, ut Herimannus Agrippinæ civitatis archiepiscopus per violentiam Heinrici suorumque fidelium illum in pontificem consecraret. Nam si non fecisset, sicut ipse venerabilis archiepiscopus nobis postea in præsentia plurimorum retulit, sibi vitam resque ecclesiasticas auferret, omnemque familiam trucidaret, ac illorum bona diriperet. Ideoque absque legitimorum antecessorum auctoritate eum consecravit, ut ipse adhuc testatur, sed tantis terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Unde in Nicæno concilio ita ad locum invenitur : *Si quis ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam ipse privetur communione, tanquam qui regulas confundit.* Quæ longe lateque in diversis conciliis et capitularibus regum de excommunicatis inveniuntur.

3. Idem etiam Hilduinus res nostri regni ex præfato episcopio invasit, diripuit, et pro libito abduxit, agens contra statuta Anacleti papæ, ubi dicitur : *Sanctus Anacletus, qui ab ipso Petro apostolo ordinatus est presbyter, postea in sede Romana successor illius factus episcopus cum totius mundi sacerdotibus judicavit. Qui abstulerit*, inquit, *patri vel matri aliquid, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est. Mater vero nostra Ecclesia est, quæ nos in baptismo regeneravit. Ergo qui pecunias Christi et ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida in conspectu justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, et ut sacrilegus judicandus est.*

4. Præfatus denique Hilduinus thesauros ecclesiæ Tungrensis et Aquisgrani palatii juxta beati Lamberti martyris corpus in quadam arca positos avida cupiditate rapuit, eosque inimicis nostris, suis videlicet fautoribus, contulit, et ecclesiæ abstulit. De quo quibusque hujuscemodi sacri canones ita decernunt : *Si quis inventus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiæ vendidisse vel abstulisse, sacrilegium commisit. Placuit eum in ordine ecclesiastico non haberi.* Unde et beatus Augustinus 47 evangelii homilia Johannis dicit : *Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas; et ne contemnas, fur hic sacrilegus est, non qualiumcumque fur locorum, sed dominicorum; locorum, sed sacrorum.* Et post pauca : *Quicumque aliquid de ecclesia aufert vel fraudatur, Judæ proditori comparatur.*

5. Hos ecclesiæ thesauros episcopis et comitibus et fautoribus pro sua ordinatione dedit, non præ oculis habens statuta Africani concilii, quibus præcipitur ut nullus per pecunias ordinetur, ita inquiens : *Si quis episcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, deiciatur, modis omnibus abiciatur, sicut Simon magus abscissus est a Petro.* Item in concilio Chalcedonensi : *Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus sub pretio Spiritus sancti gratiam obtinere voluerit, proprii gradus periculo subjacebit; et nihil ex hac ordinatione vel promotione quæ est per negotiationem facta proficiat, sed anathematizetur.*

6. Jam dictus Hilduinus ad cumulum suæ damnationis ante venerabilis Herimanni præsentiam veniens, super sacra nefande juravit, quod ego Karolus episcopium Tungrense dederim (167), et quosdam ex clericis et laicis jurare compulit. Quod quam sit absurdum quamque vitandum, sparsim sanctarum scripturarum testimonia approbant.

7. Memoratus præterea Hilduinus per domnum Herimannum episcopum tertio vocatus ad synodum, ut contra hæc quæ sibi obiciuntur responderet, si justam causam haberet, aut si non posset, canonum feriretur spiculis. Qui quoniam quidem venire distulit, incidit sententiam Bonifacii papæ ita dicentis : *Probat vera esse illa quæ adversus se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et ne dubitet, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit.* Et post pauca : *Confitetur enim de omnibus, quisquis subterfugere judicium posse dilationibus putat.* Item ipse : *Si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat. Quod si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur.*

8. Omnes tam clerici quam laici supradictæ ecclesiæ nostram adeuntes sublimitatem, luctuosis vocibus innotuerunt, quod jam memoratus Hilduinus cum suis prædonibus bona illorum diripuit, omnemque illorum facultatem et supellectilem abstulit, nihil illis remansit, unde saltem sibi victus sufficientiam adhiberent. Addentes etiam in precibus, ut vestro consilio citius ageretur, ne amplius prædæ et direptioni paterent; sed illis ad ordinandum daremus pontificem Richerum, quem concorditer elegerunt. De quibus videlicet omnibus hic capitulatim insertis vestrum precamur pontificium, ut propter Deum et debitam quam nobis polliciti estis fidelitatem, pro viribus exinde adjuvetis, ut noster honor in hujusmodi negotiis amplius non decrescat, et status sanctæ Dei ecclesiæ stabiliatur.

NOTÆ.

(167) Quod ita fuisse ex Flodoardo et Richero constat.

HEINRICI I ET KAROLI CONVENTUS CONFLUENTIÆ.

(*An.* 922.)

Acta hujus conventus, a Burchardo memorata, in libro viri cl. M. Liberi Baronis de Freyberg, tabularii regii Monacensis præfecti, *Historische Schriften und Urkunden* tom. IV, ex codice regio Monacensi prodierunt, unde ea repetenda simulque fragmentum a Schannato ex Codice bibliothecæ Vaticanæ n. 4227 descriptum et ab Harzheimio tom. II, p. 600, vulgatum, proponendum duximus.

Anno Dominicæ incarnationis 922 apud Confluentiam jussu venerabilium principum, Karoli videlicet et Heinrici regum reverentissimorum, congregati sunt episcopi numero 8, Herimannus Agrippinæ archiepiscopus, Herigerus Mogontiæ archiepiscopus, Thiado Wireiburgensis episcopus [1564-65], Liutharius Mimidanensis episcopus, Dodo Osnebruggensis episcopus, Richgauwo Wormaciensis episcopus, Rihwinus Strazburgensis episcopus, Unwano Paderbrunnensis [1566] episcopus, cum abbatibus aliisque sacri ordinis viris quam plurimis (168).

1. Qui, ipso cooperante et sententias eorum confirmante domino Christo, in synodali residentes conventu, multa utilia ac sanctæ Dei Ecclesiæ profutura saluberrimo tractantes consilio, inter cætera quæ statuerunt, hoc maxime necessarium et instanti-pro dolor! tempore per abusionem frequentissimum, cognationis incestum summa cautela vitandum firmaverunt; hoc est, ne ullus christianus infra quintam [1567] generationem nuptias copulare præsumat.

2. Item placuit, ut sicut præcedentium sententiis patrum firmatur, nullus proprium filium vel filiam a fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium aut filiam ad confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, separentur.

3. De eo, ut non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus sive vir sive mulier. In confirmationibus quoque id ipsum fiat.

4. (*Conc. Tribur.* c. 51.) Si mulier vivente legitimo viro ab altero fortassis contra fas adulterata fuerit, non liceat illi adultero, fortassis si legitimus vita decesserit, illam quam prius stupravit mœcham legitimo sociare conjugio, sed si hoc fecerint, separati pœnitentiæ subjaceant.

5. Ut æcclesiasticarum rerum judicia ad solos pertineant episcopos.

6. Hoc quoque statutum est, quatinus æcclesiæ quorumcunque monachorum in singulis parrœchiis sitæ, episcoporum ut decet divinitus subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis æcclesiasticæ curæ negotiis sollicite exhibeant. Ipsi procul dubio monachi episcopis suis in omnibus obediant [1568].

7. Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit, qui christianum hominem vendiderit. Responsumque est ab omnibus, homicidii reatum ipsum hominem sibi contrahere.

8. Si quis vero laicus vel clericus seu utriusque sexus persona proprietatis suæ loca vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum priori æcclesiæ legitime assignatum, inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere temptaverit, talis traditio irrita prorsus ducatur, et ipse ad emendationem ecclesiastica coerceatur censura.

9. Perlatum est quoque ad eandem sacram synodum, quosdam seculares inracionabiliter aliquibus presbiteris suas æcclesias commendasse et pro libitu suo cum voluerint auferre. Quo circa unanimiter firmari convenit, ut nullus presbyter deinceps aliquam suscipiat æcclesiam, nisi in presentia episcopi vel ejus vicariorum, nec habeat quilibet laicus ullam potestatem eam auferendi [1569] sine judicio episcopi aut ejus archipresbiterorum. Si enim isdem presbyter ratione justitiæ perventus [1570] fuerit, quod eam minus provide in æcclesiasticis procuraret officiis, auferatur ab eo. Sin autem, indemnis laboris sui utatur commodo. Cum vero defunctus fuerit, nullum dominium [1571] in substantiæ illius possessionibus sibi ecclesiæ dominus vindicet, sed duæ partes in elemosinam pro ipsius largiantur anima, tertia autem pars æcclesiæ cui servivit profutura relinquatur. Si quis præter hæc fecerit, æcclesiasticis correptionibus subjaceat.

10. Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum sollemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus sibique respondentibus ipse tertius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicitur: *Dominus vobiscum*, et illud in secretis: *Orate pro me*, aptissime convenit, ut et pluraliter ipsius reo spondeatur salutationi [1572].

VARIÆ LECTIONES.

[1564-65] episcopus *hic et in seqq. deest in cod. Frising. a. cl. Föringer in usum nostrum iterum exscripto, adest vero viro cl. monente in Collectione canonum legi Baiuwariorum in Codice Tegernseensi Cimel.* IV. 3 *a. manu sec. X. ex. aut XI. in. adjecta, ubi fol.* 24. *lib. VIII. cap.* 94. *introitus et cap.* 1. *concilii istius leguntur. idem:* Wirziburgensis, Mindanensis, Doto Osnebrugensis, Rigouuo, Rihuulnus. Padebrunensis, *habet, omisso Herigero arch. Mogontino.* [1566] R. S. U. P. *in margine suppleta.* [1567] sextam *c. Teg.* [1568] obediant. *manu posteriori* oboediant. [1569] conferendi *Theiner.* [1570] præventus *Th.* [1571] dominum *Th.* [1572] *caput ab Harzheim p.* 600. *adjectum, vir cl. Föringer referente cl. Kunstmann. Th. D. in codice regio*

NOTÆ.

(168) Præf. et app. 3, 6, 7, 8. Vide apud Burchard. VII, 50; III, 210; VI, 49; III, 211, cap. 9 in cod. Palat.; IV, 131, apud Theinerum loc. cit.

HEINRICI I CONVENTUS DIUSBURGENSIS.

(*An.* 929.)

Rubricas canonum a V. Cl. Föringer in codice Monacensi repertas nec ad aliam facile synodum tam apte referendas proponimus.

1. De episcopis Einhardo et Benedicto. 2. De monasteriis. 3. De decimis. 4. De Eginone. 5. De Geheharto. 6. De Thiotmaro. 7. De Asiche. 8. De A Thiedriche. 9. De Hartmanno. 10. De Buosen. 11. De Luove [1373]. 12. De falsis testibus. 13. De clericis et ecclesiasticis rebus.

HEINRICI I CONVENTUS ERFORDIENSIS.

(*An.* 932, *Jun.* 1.)

Capitula a Baronio tom. XI, p. 803, 804, corrupte edita, beneficio V. Cl. Föringer ex codice regio Monacensi correcta sistimus.

Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi 932 [1374], anno etiam domini Heinrici regis christianissimi XIV, indictione V, sub die Kalendarum Juniarum congregata est apud Erphesfurt sancta et universalis synodus, ut rex sapientissimus cum consilio primatum suorum decrevit, inspirante omnium Salvatoris clementia pro utilitate et statu sanctæ matris ecclesiæ. Cujus rei [1375] solertiam prudentissimi viri Hiltiberti archiepiscopi studium [1376] gubernabat, considentibus [1377] religiosissimis sacerdotibus, id est Ruoperto [1378] sanctæ Treverensis sedis [1379] archiepiscopo, Unni sanctæ Hammaburgensis æcclesiæ archiepiscopo [1380], Adalwardo [1381] Fardunensis sedis episcopo, Riquino [1382] Argentinæ civitatis episcopo, Notingo [1383] Constantiensis [1384] æcclesiæ episcopo, Unwano Padarbrunnensis sedis episcopo, Uodalricho [1385] Augustudunensis æcclesiæ episcopo, Bernhardo Halvarastetensis sedis episcopo, Burchardo Wirziburgensis æcclesiæ episcopo, Tuotone [1386] Osneburgensis sedis episcopo, Rumaldo Mimigartenovurdensis [1387] æcclesiæ episcopo, Eberiso [1388] Mimidensis æcclesiæ episcopo, necnon et abbatibus, aliisque sacri ordinis viris. Porro cum eorum unanimitate ac primum Deo favente capitula infra notata, tam pro nostra [1389] quam pro populi christiani correctione, collecta sunt.

Cap. 1. Ut deinceps natalitia 12 apostolorum summa veneratione solemniter celebrentur; et in vigiliis antiquitus statutis atque hactenus ab antecessoribus nostris servatis jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus; quia quos cœlitus sublimioris meriti scimus, hos et amplioris dignitate honoris a nobis colendos esse non dubitamus.

2. Placita sæcularia dominicis vel aliis festis diebus, seu etiam his [1390] in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum canonicam institutionem minime fieri volumus. Insuper quoque gloriosissimus rex ad augmentum christianæ religionis concessit, B ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat christianos sua auctoritate ad placitum bannire 7 diebus ante natalem Domini, et a quinquagesima usque ad octavas paschæ, et 7 diebus ante nativitatem sancti Joannis Baptistæ, quatenus adeundi ecclesiam orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

3. Præcipimus namque, ut nullus christianus ecclesiam pro reverentia petendo, ibique manendo, indeque revertendo, alicujus publicæ potestatis banno ibidem constringatur, ne forte, dum ad ecclesiam causa orationis [1391] properat, per bannum impediatur pro salute animæ devote insistere.

4. Si quis presbyter aut diaconus, negligens vitæ suæ, mala de se suspicari permiserit, et ejus infamia coram episcopo canonice denotatur, admoneatur ab episcopo semel, bis, ac tertio, ut vel prodendo reatum culpabilem se esse cognoscat, et sic justæ C correptionis sententiam excipiat, aut adhibitis secum collegis juramento se expurgando innocentem se esse demonstret.

5. Ut nemo nisi consentiente proprio episcopo, aut ejus misso, jejunium sub optentu [1392] religionis sibi imponat, unum diem [1393] præ aliis excipiendo, omni modo interdicimus. Quod et factum displicet, et in futurum fieri prohibemus, quia plus causa riolandi esse dinoscitur [1394] quam supplementum catholicæ legis.

D.

VARIÆ LECTIONES.

Monacensi inter Ratisp. S. Emmerammi G. XII. *sec. XI. in farragine canonum reperit, unde jam textum emendatiorem sistimus:* « Ex concilio [conciliis, *cod. Emm.*] apud Confluentiam cui interfuere Henricus et Carolus. Emunitas sexcentis solidis solvitur et novem capitibus. Sacrilegium novem novigeldis componatur [componendum est *Harzh.*]; aut si quis negare voluerit, cum [in *H. et codex*] 24 testibus [totis *H.*] nominatis atque electis viris super altare juret; aut aliis non nominatis tamen ingenuis 72 super altare juret; [servus et ignobilis ferro ignito » *c. E.*] [1373] *ita* luone *legi, cl. Föringer, impressa jam pagina* 851, *iterum a me interrogatus, respondit; an* Ivone? [1374] *annum* et *diem eosdem habent diplomata Heinrici Erfurdiæ data, unde Ann. Hildesh. et Continuatorem Reginonis annum* 933 *et* 936 *referentes errasse constat. Capita* 2. 3. 5. *v. apud Burchardum XIII.* 21. 28. 27. [1375] regis *Baronius.* [1376] *deest B.* [1377] gubernat consilium. Residentibus r. *B.* [1378] R. *B.* [1379] ecclesiæ *ita sæpius, B.* [1380] episcopo *B.* [1381] adalhuarto *corr.* adaluuardo *codex.* adalguardo *B.* [1382] ricuino *B.* [1383] nodtingo *B.* [1384] Constantiæ *B.* [1385] augustitudunensis *codex, haud deleto* ti. Othilrico A. ecclesiæ ap. *proxime sequenti loco scribitur B.* [1386] Duodone *B.* [1387] memigernafurdensis *B.* [1388] eburgiso nimidonensis *B.* [1389] t. p. n. *desunt B.* [1390] *deest B.* [1391] orationum *B.* [1392] optentu *c.* [1393] *deest B.* [1394] cognoscitur. *B.*

TRIUM OTTONUM
CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ

(Pertz. *Monum. Germ. hist.*)

OTTONIS MAGNI CONSTITUTIONES.

SYNODUS INGELHEIMENSIS.

(*An.* 948.)

Conventus Ottonis atque Ludovici regum in palatio Ingelheimensi celebrati causas atque historiam Richerus monachus uberrime exposuit, unde plurima Trithemius abbas Spanheimensis in Historiam Hirsaugiensem transcripsit; succinctam de rebus in eo gestis narrationem Flodoardus Annalibus suis ad an. 948, et Historiæ Remensi inseruit. Acta prodierunt in Canisii Lectionibus ex codice bibliothecæ Weingartensis, male transcripto, cujus vestigia in bibliothecis regia Stuttgardiensi et Fuldensi quæ codices Weingartenses inter se partitæ sunt, necnon in regia Parisiensi, viris clarissimis D. Mosero Hauck et Guérard operam suam præstantibus, explorare, casso tamen labore, studui; seriem tandem episcoporum reperi in codice Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis in catalogo juris canonici n. 99, fol. 87, mbr., sæc. x. Ex quibus ea quæ acta ipsa exprimere videntur, hic referimus. Richerus, sæculi noni exeuntis auctor, prolixa conventus ipsius acta ante oculos habuisse videtur, sed diversa ab iis quæ Flodoardus et codex Weingartensis referunt, ita ut cuinam potius in tempore conventus constituendo fides habenda sit, chartis Ottonis ea de re silentibus, vere ambigi possit.

Prælocutio Rotberti Trevirici metropolitani in synodo.

Multa sunt, Patres reverendi, quibus hic apud serenissimos reges, in unum coacti residemus. Plurima etiam quæ vestra probitate ordinanda videntur. Totius pene Galliæ rem publicam pravorum temeritate turbatam, magnisque subjacere periculis constat. Unde et leges divinæ atque humanæ indiscrete a malivolis contempnuntur, cum is cui regnorum jura debentur, et imperandi potestas transfusione paterna credita est, suorum insectatione captus, ergastuloque immaniter trusus sit, suorum adhuc gladiis infestetur, Remorum quoque metropolim absque pastore fures atrocissime insectentur, cultus divinus vilescat, religio canonica pro nihilo sit. His ergo, Patres, vehementissime insistendum arbitror, multaque nobis diligentia enitendum, qui gratia sancti Spiritus hic in unum confluximus, quatinus res ante dissolutæ sic in fœdus redeant, ut et domno ac serenissimo regi libera regnandi reddatur potestas, et per eum ecclesiæ Remensi debitus suus restituatur honor.

Responsio Marini Romanæ sedis legati.

Optime atque utiliter frater ac coepiscopus Rotbertus rerum seriem tenuit. Etenim cum divinas leges humanis præponendas ipse pernoscat, consideratą tamen rerum fortuna, regiæ dominationis imperium ante dixit restaurandum, ut ejus vigore firmato, ejusque potentia utiliter restituta, ejus post liberalitate, ecclesiarum Dei honor consequenter recrescat, ejus patrocinio agente, virtus bonis quibusque redeat. Quod ut Deo annuente fieri queat, in primis audienda atque strenuissime disponenda videtur causa domni ac serenissimi regis, si id quoque vestri judicii paciatur censura.

Synodus dixit : *Audiatur.*

Conquestio Ludovici regis apud Ottonem regem et synodum regni.

Quanto Hugonis instinctu, quantoque ejus impulsu conqueri cogor, testis est ille, cujus gratia vos hic congregatos paulo ante relatum est. Pater ejus, ut a principio exordiar, patri meo regnum invidens, dum ei domi militiæque servitium deberet, regno illum immaniter privavit et usque ad vitæ ejus suprema ergastulo inclusum esse fecit. Me vero parvum in fasciculo farraginis a meis dissimulatum, in partes transmarinas et prope in Rifeos fugere compulit. Patre autem extincto et me in exilium deportato, iste cum reminisceretur sui patris, ob insolentiam interfecti, regni curam suscipere formidabat. Nobis itaque invidens, Rodulfum promovit. Sed divinitas res illius sicut et cetera determinans, ei quando voluit finem regnandi dedit. Dum item regnum vacaret, consilio bonorum me a partibus peregrinis exulantem revocavit, ac omnium conibentia in regnum promovit, nihil mihi præter Laudunum relinquens. Promotusque cum ea quæ regii juris videbantur, repetere niterer, id invidissime ferebat. Factus ergo latenter adversarius, amicos si quos habebam, pecuniis subvertebat, inimicos in odium amplius incitabat. Tandem urgente invidia, apud piratas egit,

ut ab eis dolo caperer, regnum in se posse refundi arbitrans, si id fieri contigisset. Nec defuit insidiis effectus. Captus fui, carcerique mancipatus. Ille vero, me eripere simulans, filios meos jure obsidum dandos petebat. At iis qui mihi fide adjuncti erant omnes dari reclamantibus, dimisso uno, a piratis me recepit. Jam libertatem sperans, quo animus impelleret ire volebam. Verum aliter provenisse manifestum est. Nam captum mox in vincula conjecit, ac annuali carceri mancipavit. Unde cum a cognatis et amicis meis indignantibus sese impetendum adverteret, libertatem spopondit si Laudunum acciperet. Hoc tantum claudebar, hoc solo cum uxore et natis recipiebar. Quid facerem? Castro vitam præposui; pro castro libertatem merui. Et en omnibus privatus, omnium opem deposco. Iis si dux contraire audeat, nobis tantum singulariter congrediendum sit.

Oratio Rotberti pro Ludovico.

Quoniam domni atque serenissimi regis satis breviter ac dilucide digestam, optime ut arbitror conquestionem percepimus, consequens videtur, ut ejus causam in quantum fas est determinemus. Dux ergo quia omnia pene regni jura in sese transfudit, eique viribus reniti non valemus, mitius hoc attemptandum arbitror, ut qui Deum non metuit, et hominem non reveretur, multa ratione multaque rerum consideratione, ad normam Deo juvante reducatur. Igitur juxta Patrum decreta, et canonum regulam, inprimis ad satisfactionem fraterne monendus est, verbisque suasoriis ad id modestissime revocandus. Quod si post blandam revocationis ammonitionem resipiscere noluerit, omnium anathemate feriatur, hoc habentes præsidio, quod jam a domno papa correctus sit, jussusque a domini sui insectatione quiescere.

Responsio Marini legati pro eodem.

Reminiscor domnum papam ante hunc annum anathema in reos misisse qui hunc dominum et regem Francorum insectabantur, epistolam quoque suasoriam, ut ab eo non deficiant, bonis quibuslibet delegatam, atque conquestionem de eadem re litteris expressam, iis quibus sanior mens erat delegatam fuisse. Unde et opinor justissime dictum, cum ante a papa vocatus atque correctus sit, nunc quoque caritatis gratia revocandus est, et diligentissima suasione ut a malis quiescat commonendus. Et post omnium anathemate dampnandus. Et non solum ille, verum omnes qui ei in malis favere faventque. Sed hanc solum a nobis accipiet opem. Numquid vero ab alio quicquam opis accipiet? Ejus conquestio in sua clausula, opem omnium postulat. Sed si a nobis ei succurritur, a domno Ottone rege quid accipiet? Et decretalia sancta acclamant, postquam tirannis anathema dampnationis ab episcopis injectum est, a bonis quoque potentibus vim inferendam, ut si ecclesiasticis correctionibus ad normam redire nolunt, saltem potentium vehementi violentia ad bonum redire cogantur, ut vel invitis bona præstentur.

Oratio Ottonis regis pro eodem.

Multa sunt, Patres, beneficia, quæ a vobis domno ac serenissimo regi Ludovico utiliter accommodari valebunt. Etenim si ejus insectatores armis divinis adoriamini, consequenter aut facili tumultu devicti labascent, aut si quid impetendum relinquetur, facilius nostris armis infirmabitur. Vos ergo, jubente domni papæ legato, vestri ordinis instrumenta exerite, ac tanti regis adversarios anathematis gladio transverberate. Contra quæ si cervicem postea erigere audeant, et dominicis interdictis resistere non formidant, nostrum exinde erit, quibus commissum est in hac mundi parte sanctam Dei ecclesiam tueri, ut in tales arma sumamus, hujusmodi debellemus. Et si necessitas adurgeat, strictis gladiis usque ad immanissimam cædem perditissimorum hominum deseviamus, habita in illos justissimæ indignationis causa, quod illicita aggrediantur, et pro illicitis ammoniti, non corrigantur. Vos itaque tantum vestris insistite : et post modestiam vestram, virtus nostra sequetur.

Epistola a synodo ad Hugonem delegata.

Sancta sinodus in palatio Angleheim sub domnis atque orthodoxis regibus Ludovico et Ottone utiliter habita, Hugoni duci. Quantis malis, quantaque persecutione vexaveris illam venerabilem Remorum metropolim, quanta quoque crudelitate debacchatus sis in dominum tuum regem, ora omnium locuntur, apud omnes agitatur. Quod quam sceleratum, et quam pernitiosum sit, divinæ atque humanæ leges copiosissime produnt. Unde et tibi compatientes, ab talibus te quiescere monemus, et ad dominum tuum, multa mansuetudinis humilitate quantotius reverti hortamur. Quod si contempseris, priusquam in diversa referamur, anathemate sine dubio te perstringemus, donec aut satisfacias, aut Romam apud domnum papam ratiocinaturus petas. Cujus litteris jam bis monitus es, et a tanto facinore prohibitus. Unde et nos post illum, tercio jam te ad correctionem revocamus.

ARTOLDI LIBELLUS SYNODO PORRECTUS.

Sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis vicario domno Marino, universæque sanctæ synodo apud Engulenheim congregatæ, Artoldus, divina propitiante clementia Remorum episcopus. Domnus Agapitus papa litteras nobis et ceteris coepiscopis nostræ diœcesecos direxit, in quibus præcepit, ut ad hoc vestræ sanctitatis concilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus, ut rei veritas miseriarum nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium cœperit litis hujus, quæ adhuc inter me et Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo archiepiscopo, Seulfum, qui archidiaconatus urbis nostræ a tunc officio fungebatur, ad præ-

sulatum ejusdem sedis elegimus. Qui pontifex ordinatus assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti comitis, quam dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit eo tenore, ut post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti. idem vero comes fratrem Herivei præsulis, et nepotes ipsius a participatione rerum Remensis episcopii separaret. Quibus patratis, insimulati sunt iidem propinqui Herivei præsulis a consiliariis Seulfi episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto comite cum pluribus suis jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt atque deducti per Heribertum comitem ad Rotbertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Rotberti. Tertio demum sui episcopatus anno Seulfus episcopus, ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Remensem adiit, et ecclesiæ milites, clericorum quoque quosdam de rectoris electione ad suum consilium, ceu juratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore, ut tam clericis quam laicis debitum honorem concederet et conservaret, nec injustitiam alicui faceret: sed ipsum episcopium æquo jure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eamdem urbem regressus, res episcopii prout sibi placuit fautoribus suis divisit, cæteris abstulit, et absque ullo judicio vel lege, quos voluit rebus expoliavit, vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare præcepit. Sicque per annos sex et eo amplius idem episcopium suo dominio vendicavit, pro libitu proprio illud tractans, et in sede præsulis residens tam ipse quam conjux sua, donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum et regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone et Bosone fratre suo cæterisque pluribus tam episcopis quam comitibus Remorum obsidet urbem, succensentibus sibi episcopis, et conquerentibus adversus eum, quod tam diuturno tempore contra divinæ legis auctoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex, admonet clerum et populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem et sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis, tam clericis quam laicis, qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum qui clausi tenebantur in idipsum faventibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus quam civibus portas urbis regi Rodulfo, et episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis qui aderant decem et octo, et suscipientibus nostram humilitatem tam clero universo quam reliquis civibus, inibi inthronizatus ab episcopis nostræ diœcesecos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi, ordinans per diœcesim episcopos octo, et in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos, quousque nono postmodum anno, postquam Ludovicum regem, favente Hugone cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram et sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo comes iracundia, quod ei consentire vel conjungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite et Willelmo Nordmannorum principe, Remensem obsidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ. Sicque derelictus ab his, ad Hugonem et Heribertum compellor exire, a quibus coarctatus et conterritus, cogor memet episcopali procuratione abdicare, et ita me propellentes, in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autisiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt, et civitate potiuntur. Ludovicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, et assumens secum, simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus et Hugo: solutaque obsidione oppidum ingredimur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed et laici quidam, pessime ab Heriberto tractantur, et quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem licite perpetrantur. Interea convocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone et Heriberto, satagentibus et quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium episcopum cum aliis quibusdam legatis, mandantes ut ad eos venirem, ad consentiendum scilicet hujus ordinationis perversitati. Quibus remandavi, quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, ubi adversarii et inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus advenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, veniensque prosternor coram ipsis, obsecrans ut propter amorem et honorem Dei, tam mihi quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, et hoc omnimodis suadere, ut

eis in hac ordinatione consensum præberem, promittentes res nonnullas episcopii mihi se impetraturos. At ego postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod ceperant perseverantes, surgens interdixi, palam cunctis audientibus excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, ut nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in episcopali honore, me vivente, manus imponeret, sed nec ullus eamdem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem apostolicam eos provocabam. Illis inde furentibus, ut possem exire de medio eorum, et Laudunum reverti, temperavi responsum : dicens ut mitterent mecum, qui eis renunciaret, quid consilii reperire valerem super hac re in domina mea regina, et fidelibus ejus, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, et coram domina regina et fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exurgens præfatæ modum excommunicationis in eosdem episcopos jaculatus sum : vocationem quoque ad sedem apostolicam iterare curavi, excommunicans ipsum hunc Deroldum, id ut eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, parvipendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt, et quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt, quidam vero se subduxisse sciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille scitur angustias pertulisse, secum pertuli : et quando eum bello aggressi sunt Hugo et Heribertus, cum ipso eram, et vix mortis evasi periculum. Prolapsus itaque, auxilio et protectione Dei, de medio inimicorum, profugus et vagabundus loca invia quæque silvasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo et Heribertus affati quosdam nostros amicos sibi subditos, suadent, ut me requirentes ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, et rebus quas ipsi petissent ditaturos. Requirentes ergo me amici, reperiunt per diversa vagantem, et ita perducor a fratribus meis et amicis ad præfatos comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, ut eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, et sacerdotali me ministerio penitus abjurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore hujus vitæ præsentis, attestor. Districtus igitur et coangustiatus ab eis, episcopii tandem rebus abrenunciare compellor : sicque rursus ad sanctum Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuncios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nunciis hujusmodi pavefactus et impulsus, locum deserui, et abdita lustra silvarum vagabundus repetii, horisque silentibus, et itinere devio Laudunum revertor, ibique susceptus a rege, secum manere constituor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus ejus, expectans et deprecans misericordiam Dei, donec ipse dignatus est in cor domni regis Othonis mittere, ut ad subventionem senioris mei regis, et nostram, properaret in Franciam. Denique postquam domina nostra regina Laudunum, propter absolutionem domni regis, reliquerat, egressus inde ad domnum regem Othonem cum seniore meo deveni rege, simulque Remos accessimus. Cingitur itaque urbs exercitibus, et episcopi qui aderant, me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a domno rege Othone, ut egrediatur, et pervasam deserat urbem. At ille nutans aliquamdiu et pro posse, ubi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subvenire, decernit exeundum, quærens ut liber cum suis dimittatur abscedere. Permittitur itaque sanus exire, cum omnibus qui secum voluere comitari, et quæcunque secum voluit ferre, nullo contradicente, asportavit. Sicque cum regibus introgressus urbem, præcipior loco nostro et honori restitui. Susceptus igitur a domnis archiepiscopis Rotberto Trevirensi, et Frederico Magontiacensi, comitantibus ceteris et congratulantibus, tam clericis ecclesiæ nostræ, quam reliquis civibus, ab ipsis restituor cathedræ episcopali. Hugo vero Remis egressus, Mosomum castrum cum suis occupat, et muniens contra fideles regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, seniorem meum videlicet ac domnum Othonem, super Charam fluvium, convenimus ad illud, tam ego quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis hujus ab episcopis auditur : protulitque litteras ad sedem Romanam, quasi ex nostra persona datas, excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis episcopii nostri : quas me nunquam dictasse, neque vel subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum, atque protestor. Et quia tunc synodus convocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis, altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda Virduni utriusque partis episcopis annuentibus denunciatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur : idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante scilicet vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum, regis inimicum et regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remensis episcopii contiguas urbi devenit, et omne pene vinum ex his colligens in diversos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, et ecclesiæ nostræ homines captivi abducti, et ad redemptionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem circa medium mensis denunciata, Virduni celebratur, præsidente Rotberto præsule Trevirensi, præcepto domni papæ Romani, præsente quoque domno Brunone, cum episcopis et abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone et Gozlino, venire contempsit. Universa vero synodus mihi Remense regendum decernit episcopium. Indicitur que iterum synodus habenda die

Iduum mensis Januarii, quæ et aggregatur, ut denunciatum fuerat, in ecclesia sancti Petri ante prospectum castri Mosomi, a domno Rotberto, convenientibus ceteris quoque Trevirensis diœceseos episcopis, et aliquibus Remensis. Veniens autem illuc æmulus noster Hugo, et locutus domno Rotberto, synodum noluit ingredi : litteras vero quasi ex nomine domni papæ direxit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remense redderetur episcopium. Quibus recitatis, ineuntes episcopi consilium cum abbatibus et ceteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Frederico præsule Magontiacensi, coram regibus et episcopis tam Galliæ quam Germaniæ susceperat, et partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator noster exhibebat : immo quod regulariter cœptum fuerat, ut canonice pertractaretur, unanimiter censent : præcipiturque recitari capitulum Carthaginensis concilii nonum decimum de accusato et accusatore. Quo recitato, judicatum est juxta diffinitionem ipsius capituli, ut communionem et parochiam Remensem me retinente, Hugo, qui ad duas jam synodos evocatus interesse contempserat, a communione et regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum, quæ indicebatur, sese purgaturus vel rationem redditurus præsentaret. Ipsumque capitulum mox in charta episcopi coram se describi fecerunt, subnectentes hanc etiam definitionem suam, et eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem chartam eamdem Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans : quod ipsorum judicio nequaquam obediturus esset. Sicque absoluto concilio, ipse Mosomum contra mandata regum et episcoporum retinet, et ego Remos regressus, reclamationis meæ querelas ad sedem Romanam per legatos domni regis Othonis destinavi, præstolans mandata ipsius sanctæ sedis, ejus decretis et universalis hujus sancti concilii vestri judiciis parere paratus.

ACTA SYNODI EX CODICE WEINGARTENSI.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, anno ab incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo octavo, indictione 6, 7 Idus Januarii. Anno serenissimi regis Ottonis 13, ipso quoque cum illustrissimo rege Ludovico in præsentia manente, sancta ac generalis synodus apud Engilenheim in ecclesia sancti Remigii confessoris Christi, in pago Nagawi dicto collecta est, præsidente videlicet domni Agapiti papæ apocrisiario [1], venerabili Polimarciensis ecclesiæ episcopo, Marino [2], et considentibus archiepiscopis, Wichfredo sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo; Frithurico sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopo; Rhotberto sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopo; Ardoldo sanctæ Rhemensis ecclesiæ episcopo; Adaldago [3] sanctæ Hammaburgensis [4] ecclesiæ archiepiscopo; Richgawone Wangionensis ecclesiæ archiepiscopo; Heroldo sanctæ Juvavensis [5] ecclesiæ archiepiscopo, Udalrico Augustensis ecclesiæ episcopo; Bernardo Halbarstetensis [6] ecclesiæ episcopo; Thiedhardo [7] Hildinesheimensis ecclesiæ episcopo; Dudone Padebrunnensis ecclesiæ episcopo; Cuonrado Constanciensis ecclesiæ episcopo; Starcando Eistettensis ecclesiæ episcopo; Reginbaldo Nemetensis ecclesiæ episcopo; Bobbone Wirciburgensis ecclesiæ episcopo; Adalberone Metensis ecclesiæ episcopo; Gozlino [8] Tullensis ecclesiæ episcopo; Berengero Virdunensis ecclesiæ episcopo; Balderico Trajectensis ecclesiæ episcopo: Wichardo Basilensis ecclesiæ episcopo; Duodone Osneburgensis ecclesiæ episcopo; Eberiso Mimidonensis ecclesiæ episcopo; Hildiboldo Mimigardevurdensis ecclesiæ episcopo; Varaberto Tungrensis ecclesiæ episcopo; Volgberto Camaracensis ecclesiæ episcopo; Rudolfo Lugdunensis ecclesiæ episcopo; Michaelo Radesbonensis ecclesiæ episcopo; Adalberto Lauriacensis ecclesiæ episcopo; Liopdago Ripuensis ecclesiæ episcopo; Oredo Slesvicensis [9] ecclesiæ episcopo; Reginbrando Arusuensis ecclesiæ episcopo; cum cœtu abbatum, canonicorum, nec non et monachorum; unius spiritus amore ferventium, quatenus cœlitus adminiculati zizania divini cultus agro ab inimica manu supersita, canonicarum sarculis sententiarum radicitus exstirparentur.

Igitur recitato primitus evangelio, oramineque finito, et sanctorum canonum quam plurimis institutionibus linguarum clavibus coram reclusis, mis-

VARIÆ LECTIONES.

[1] apocrifario *C.* [2] *codex Cæsareo Vindobonensis N.* 99 *Juris canonici præmissis* Michabel (*Ratisponensis*) Starchandus rubilocensis, *hæc episcoporum nomina exhibet :* Marinus. Fridaricus mogonciacensis ae Vuicfredus agrippinensis. Ruodpertus treverensis. Adaltac han mapuregensis. Heroldus. archiepiscopi Chuonradus constantiensis. Paldricus tauentracensis *superscript.* trajectensis. Tuoto osnepruggensis. Rinhardus *corr.* Wichardus Basiliensis. Adalpertus pataviensis. Diothardus hiltinesheimensis. Peringarius Wirdunensis. Reginzo Spirensis *superscr.* nemetensis. Tuto padarprunneusis. Pernhardus haluarastanensis Rihgouo wormacensis. Artolfus *corr.* Artoldus remensis. Hiberis mindensis. Poppo Wirzipurgensis. Adalpero metensis. Gozlinus tullensis. Hiltipald Mimigernefordunensis. Uaperi Uarapertus liuticensis. Lioptacus ribunensis Horat. Scleoswicensis. Fulpertus camaricensis. Reginprant Arunensis (*Arusiensis*). Ruodolfus laudanensis *et hæc fragmenta :* Hæc excommunicatio acta est in ingelenheim ab episcopis infrascripttis. Marinus episcopus vicarius domini mei beatissimi atque apostolici universalis ecclesiæ pape agapiti urbis romæ synodo præsidens statui consensi et subscripsi. *Tum alia manu* : Si autem progenies tota defecerit. ab antiquioribus et veneratioribus adque veratioribus quibus eadem lex vel propinquitas nota sit. episcopus canonice perquirat, et si inventa propinquitas fuerit separentur. [3] adalgago *C.* [4] hainmeburgensis *C.* [5] keroldo s. juvanensis *C.* [6] habalrestensis *C.* [7] ihiedardo *C.* [8] Gochlino *C.* [9] suenuicensis *C.*

sus apostolicæ sedis chartam suæ legationis honorifice protulit; in qua pro debitæ reverentiæ dono Romano pontifici exhibendo commoniti sunt, ut universalis ecclesiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui secura succedat, seque procelloso tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum est autem in ejusdem recitaminis sententia, prædictum præsulem Marinum ab ipso universali papa tali tenore ad nostros fines directum fuisse, quo in omni ecclesiasticarum legum discussioni ipsius existens vicarius, quæcunque liganda essent, apostolica auctoritate ligaret; et quæ solvenda viderentur, parili solveret potestate. Hujusmodi proculdubio affaminis tam salubri missatico gloriosissimi reges præfati cum pontificibus omniumque clero congratulantes, ut dignum fuit, se in omnibus consentire et obedire professi sunt. A quibus, auctorante et confirmante legato apostolico, capitula subsequentia statuta sunt.

Dehinc ex sessionis suæ loco se subrigens inclytus rex Ludovicus ad præsentiam serenissimi regis Ottonis totiusque sanctissimi concilii unanimitatem, satis lacrymosi conquestus protulit querimoniam, videlicet quod regia privaretur potestate a quodam principe Hugone nominato, quondamque sibi subjecto, cujus anxietati et multimodæ reclamationi condolentes, in unitate spiritus coadunati sanctissimi patres, ejusmodi super hac re sententiam protulere.

1. *Reclamatio Ludovici, qualiter Hugo comes illum de regno suo privavit.* Nullus deinceps regiam potestatem præsumat populari, seu aliquam perfidiæ maculam sibi fallaciter exhibere. Decrevimus enim Toletani concilii judicium exequendo, Hugonem, regis Ludovici regni invasorem et raptorem, excommunicationis gladio feriendum, nisi forte tempore statuto ad synodale concilium veniat, et a tam nefaria protervitate satisfaciendo resipiscat.

2. *Item reclamatio Ardoldi episcopi, qualiter Hugo pseudoepiscopus sedem suam illicite invasit.* Ardoldus Remensis ecclesiæ archiepiscopus, propria de sede expulsus, ex canonica auctoritate in pristinum honorem inthronizatus, Hugo autem, qui ejus sedem contra fas sibi usurpat, anathematis est mucrone multatus; ejusque ordinatores, et qui ab eo sunt ordinati, nisi 6 Idus Septbr. Treviris veniant, et ibi pro epratibus dignam satisfaciendo pœnitentiam subeant, similem excommunicationis sententiam sustineant.

3. *Item reclamatio Rudolfi Lugdunensis ecclesiæ episcopi.* De antedicto Hugone comite, qui Ruodolphum Lugdunensis ecclesiæ episcopum propria de sede, non causa alicujus criminis, sed pro fidelitate Ludovici præfati regis proprii senioris expulit, decrevimus in sancta synodo eum pro hac re, sicut de præscripta, excommunicandum, nisi veniendo satisfecerit.

4. Ut laici sine episcopali licentia presbyteris ecclesias dare vel dimittere non præsumant.

5. Ut nullus laicorum presbyterum flagitare seu fatigare [10], vel aliquam sibi injuriam inferre audeat.

6. Ut paschalis hebdomada festive tota celebretur; et in pentecosten 2, 3, 4 feria non minus quam dies dominicus sollemniter honorentur.

7. In letania majore jejunium, sicut in rogationibus ante ascensionem Domini, exerceatur.

8. Ut oblationes fidelium quater [11] altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant potestatem, dicente Scriptura: Qui altario deserviunt, de altario participentur.

9. Ut decimæ, quas Dominus præcipit in horreum suum deferri, si ecclesiis Dei non fuerint redditæ, sed nefaria cupiditate, quæ sævior Ætnæ ignibus ardet, a secularibus fuerint retentæ, sæcularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiatur causis, sed in sancta synodo ab ipsis sacerdotibus, quorum deputatæ sunt usibus, quid exinde debeat actitari certis difliniatur promulgationibus.

10. Ut evangelica auctoritate et sacrorum canonum institutione [12] ...., pœnasque proponere divini judicii, ut nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe, quod de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur apostolus. Quod planius exponere prætermimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quam admoneri videatur.

CONSTITUTIO FRANCOFURTANA.

(*An.* 951.)

Ediderunt eam Baluzius ex codice Oratorii Parisiensis sec. x vel xi, in Reginone De ecclesiasticis disciplinis appendice i, cap. 53; Eccardus in Legibus Francorum, p. 198, ex codice Gothano sæc. xi, fol. 145[v]; et Harzheimius in conciliis Germaniæ II, p. 621, ex Schannati apographo codicis membranacei Palatino-Vaticani n. 583. Novam editionem, codice Gothano cum editionibus Baluzii et Harzheimii collato, instituimus.

Anno incarnationis Domini 951 [13], indict. 9 [14] constitutum est in Franconofurt a rege gloriosissimo Ottone, anno illius 15, consentientibus episcopis, comitibus, aliisque fidelibus compluribus, canonum sanctorumque patrum auctoritate, nec non capitularium præcedentium regum institutis coram positis,

VARIÆ LECTIONES.

[10] flagellare? [11] quæ? [12] *hic aliqua desunt.* [13] *codex, Appendix et Harzheim* DCCCCLII, *quod correxi, quum et indictio* 9. *et regni annus* 15. *in annum cadant* 951, *quo et Otto mense Januario Francofurti moratus est. Harzheim indictionem X. edidit, sed correctio potius esse videtur quam codicis lectio, quum annus regni idem habeatur.* [14] X *Harzh.*

ne oppressio virginum aut viduarum, vel raptus, ab ullis hominibus fiat; et ut qui rapiunt eas sub nomine simul habitandi, cooperantes et connivентes [15] raptoribus, siquidem clerici sunt, decidant a gradu proprio; si vero laici, anathematizentur; et raptores sine spe conjugii perpetuo maneant [16]. Quod si post hæc jungere se præsumpserint, utrique anathematizentur.

2. Inventum est etiam a præfato rege, ut nulla abbatia quæ per se electionem habet, ad monasterium nec alicui in proprium dari possit; illæ vero quæ electione carent, regis donatione et privilegio ad aliud [17] monasterium quod sub ejus mundiburdio consistit subrogari possint [18]

CONVENTUS AUGUSTANUS.

(*An.* 952, *Aug.* 7.)

Conventus hujus, in quo, continuatore Reginonis teste, Berengarii et Adalberti Italiæ regum causa tractata est, nonnisi ecclesiastica capitula servata sunt. Debemus ea codici Weingartensi jam deperdito, cujus igitur editionem principem a Canisio in Lectionibus antiquis institutam repetere oportet.

Cum excellentissimus piissimusque Otto rex, superna attractus clementia, non minus de negotio spiritali, quam de statu christiani imperii tractare disponeret [19], imprimis pontificum, aliorumque primatum suorum communi consilio fretus, anno incarnationis 952, indictione 10, anno vero regni ejus 16 sub die 7 Id. Aug., placitum conventumque synodalem Augustæ fieri decrevit, quatenus concordi diligentia, tam sancti cleri quam populi ecclesiæ stabilitatis profectus et totius christianitatis utilitates tractarentur. Cujus divinæ rei dispositionem per reverentissimi atque prudentissimi Frithurici Maguntinæ sedis archiepiscopi industriam maxime gubernari deliberavit. Heroldo etiam Juvavensis [20] ecclesiæ archiepiscopo, Manase quoque Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopo, Petro Ravennati archiepiscopo, cæterisque Italiæ, Galliæ, Germaniæ, subnotatis pontificibus huic discussioni operam exigentibus: Udalrico Augustensis ecclesiæ episcopo; Annoni Wangionensis ecclesiæ episcopo; Starcando Eihstetensis [21] ecclesiæ episcopo; Cunrado Constantiensis ecclesiæ episcopo; Poponi Werziburgensis ecclesiæ episcopo; Godefrido Nemetensis ecclesiæ episcopo; Harberto Curiensis ecclesiæ episcopo; Uodoni [22] Argentinensis ecclesiæ episcopo; Lantberto Frisingenensis ecclesiæ episcopo; Hugone Brixiensis [23] ecclesiæ episcopo; Michael Radesbonensis [24] ecclesiæ episcopo; Adelberto Pataviensis [25] ecclesiæ episcopo; Luidfrido Ticinensis [26] ecclesiæ episcopo; Gisibrando Terdonensis ecclesiæ episcopo; Antonio Bricsiensis ecclesiæ episcopo; Waldone [27] Cumano episcopo; Deodato Parmensis ecclesiæ episcopo; Wittone Mutinensis ecclesiæ episcopo; Adelhardo Regenensis ecclesiæ episcopo; Sigolfo Placentinæ ecclesiæ episcopo; Adalgiso Aquensis [28] ecclesiæ episcopo; cum eorum unanimis diligentia huic ecclesiastico negotio vigilanter instaret, omnibus ratum putabatur, principem regni beatæ matris ecclesiæ devotum filium postulare, quatenus ibidem divina discutientibus interesse dignaretur. Tum die præfinito eo veniens, dulcisona modulationum jocunditate, honorifice, uti regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus [29], missæ celebratione [30] finita, satisfaciendo pontificum petitioni cum insigni privatim turba synodum intravit. Interim reverendus Mogontinæ sedis archiepiscopus Frithuricus se e solio erigens, humiliter, strenueque sermonem regulari studio congruentem protulerat; deinde cuncta, quæ de jure ecclesiastico juxta canonicam auctoritatem et imitanda sanctorum patrum decreta erant ventilata pronuncians, in hisce omnibus huic rei necessariis se in commune ejus præsidium sentire postulabat. Quibus rex, superni amoris igne succensus et zelo divini amoris animatus, mentis corporisque nisu ecclesiasticarum rerum auxiliatorem, defensorem promptissimum, se esse promittendo certificavit. Hac videlicet promissione audita regali, prælibatus archiepiscopus residens, communi cæterorum assensu capitula subsequentia titulari præcepit.

1. Si quis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorumque uxorem acceperit, a sibi injuncto officio deponendus est, sicut in concilio Carthaginensi tenetur cap. 25.

2. Episcopos, presbyteros, vel aliquem de clero, canes venandi amore vel accipitres habere non licet, sicut in concilio legitur Toletano cap. 10. Quisquis autem personarum hujusmodi in hac voluptate delectatus [31] fuerit, quamdiu in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni ecclesiastico officio cesset.

3. Episcopus, presbyter, aut diaconus aleæ vacans, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in canone apostolorum habetur capitulo quadragesimo secundo, deponendus erit.

4. Nullus in clericatus officio manens mulierem

VARIÆ LECTIONES.

[15] *ita App.* convenientes *Goth. Harzh.* [16] c. permaneant *App.* [17] illud *G. Harzh.* [18] posse *Harzh.* [19] *vox hæc excidisse videtur, deest apud Canisium.* [20] *ita correxi* juvanensis *Canis.* [21] *ita correxi;* eibstensis *C.* [22] Vudoni *C.* [23] *ita correxi;* Aritiensis *C. sed hic inter episcopos dioceseos Salisburgensis non de Aritiensi in Italia, sed de Brixiensi episcopo sermonem esse patet. Suffraganei ecclesiæ Moguntinensis ab Augustensi incipiunt, Salisburgensis a Frisingensi, Mediolanensis a Ticinensi.* [24] Radesboriensis *C.* [25] Patavensis *C.* [26] Picinensis *C.* [27] *ita correxi;* vultoni *C.* [28] aquenensis *C.* [29] receptus? [30] celebrate *C.* [31] *ita correxi;* denadatus *C.*

subintroductam secum habitare permittat. Si vero aliqua suspicionum maculis adspersa contra hæc agere tentaverit, ab episcopo vel ejus misso virgis cæsa detondeatur. Si autem sæcularis potestas hoc fieri prohibuerit, regia potestate fœmina coacta prælatæ sententiæ subjaceat.

5. Diversa sæcularis vitæ negotia fugientes, et monasticæ institutionis normam aggredientes, extra claustrum sine licentia proprii abbatis ire non licet: sed tantummodo jejunio et orationi vacare, in locis quibus renunciaverunt seculo permanentes, sicut in concilio Chalcedonensi præcipitur.

6. Oportet etiam episcopum, in cujus diœcesi cœnobium situm est, monachorum providentiam gerere, et si aliquid correctione dignum repperit, corrigere festinet.

7. Clericis monachicum habitum sequi cupientibus, et pro remuneratione divina sæcularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo denegetur, sed potius cum in tali conversatione perstare exhortari conetur, sicut in concilio Toletano habetur cap. 50.

8. Sanctimonialis, quæ spontanea voluntate, strictiori vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum, ab episcopo impediatur.

9. Ut laici presbyteros sine conscientia et consensu proprii episcopi ab ecclesiis eis canonice commendatis non ejicere præsumant, nec alios locum eorum subire faciant; quia ut ab episcopis ordinantur, ita necesse est ab ipsis ecclesias procurandas accipiant, sicut in concilio habetur Arelatensi cap. 4.

10. Ut omnis decimatio in potestate episcopi sit, et si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram episcopo ejusve misso corrigatur.

11. Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, ut in multis conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

CORONATIO ROMANA.

(*An.* 962, *Febr.* 2.)

Juramenta ex parte Ottonis ante coronationem præstita exscripsi ex codicibus 1) bibliothecæ publicæ Babenbergensis C. n. 47 membr. sæc. x exeuntis vel xi, Isidori Mercatoris canones continente, 2) bibl. Vaticanæ n. 3853 mbr. in fol, 139[1] sæc. xii ineuntis, cardinalis Deusdedit canonum collectionem exhibente, ubi fol. 139[1] hæc in margine leguntur: *Hoc sacramentum invenit scriptor hujus libri in Saxonia in monasterio quod dicitur Iuneburg.* Juramentum Ottonis ipsius exscripsi ex 3) duobus codicibus Cencii Camerarii de censibus R. E. in tabulario secretiori Vaticano exstantibus, scilicet ex codice sancti Angeli, sæc. xiv, fol. 560, et codice Avinionensi, sæc. xv ineuntis, fol. 278 ubi narrationi succinctæ de historia Johannis XII papæ inseritur. Haberi illud et in codice Cencii bibliothecæ Vaticanæ et in Gratiano Distinct. 63, cap. 33, Baronius ad a. 960 observavit.

Juramentum quod facere fecit suos fideles Otto Augustus antequam Romam adiret.

Tibi domno Johanni papæ ego rex Otto promittere et jurare facio per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per hoc lignum vivificæ crucis, et per has reliquias sanctorum, ut si permittente Deo Romam venero, sanctam Romanam æclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse; et numquam vitam aut membra neque ipsum honorem quem nunc habes et per me habiturus eris, mea voluntate aut meo consensu aut meo consilio aut exortatione perdes. Et in Roma nullum placitum neque ordinationem faciam de omnibus quæ ad te vel ad tuos Romanos pertinent, sine tuo consilio. Et quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem venerit, tibi reddam. Cuicumque autem regnum Italicum commisero, jurare tibi faciam illum, ut adjutor tui sit, ad defendendam terram sancti Petri secundum suum posse.

Juramentum futuri imperatoris.

Domno Johanni pape duodecimo rex Otto [32] per nos mittit, et jurat per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per hoc lignum vivifice crucis, et has reliquias sanctorum, quod si permittente Deo Romam venerit, sanctam Romanam æcclesiam et eundem domnum Johannem papam rectorem ipsius exaltabit secundum suum posse, si vivum invenerit. Sin autem, eum qui legabiliter illi succedet. Et nunquam vitam, aut membra neque ipsum honorem quem habet, et qui eum habiturus est sua voluntate, aut suo consensu, aut suo consilio, aut sua exhortatione perdet, neque ipse, neque aliquis successorum ejus. Et in Roma nullum [33] placitum, aut ordinationem faciet de omnibus quæ pape et Romanis pertinet, sine consilio domni pape. Et quicquid de terra sancti Petri ad ejus potestatem venit vel veniet, Romane æcclesiæ restituet. Cuicumque autem regnum Italicum committet, jurare faciet illum, ut adjutor sit domno pape et successoribus ejus ad defendendam terram sancti Petri secundum suum posse. Sic adjuvet Deus eundem domnum regem Ottonem, et hec sancta evangelia, et hec sacrosancta sanctuaria.

Juramentum corporaliter præstitum.

Tibi dompno pape Johanni ego rex Otto promitto et juro per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per hoc lignum vivifice crucis et per has sanctorum

VARIÆ LECTIONES.

[32] octo *cod.* [33] *ita correxi*; romanum *cod.*

reliquias, quod si permittente Deo Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, et numquam vitam aut membra neque ipsum honorem quem habes, mea voluntate aut consensu aut mea exhortatione perdes. Et in Romam [a] nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad te aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio; et quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem venerit tibi reddam. Cuicumque regnum Ytalicum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendam sancti Petri terram secundum suum posse.

OTTONIS MAGNI PACTUM CUM JOHANNE XII (1).

(*An.* 962, *Febr.* 13.)

Defensio Romanæ Ecclesiæ per pactum a Karolo majoredomus cum Gregorio III ictum generi Karolorum hæreditario jure oblata, atque patriciatus sive consulatus titulo ab eo suscepta, patricium æque ac pontificem mutuis sacramentis obligabat (2). Patricio competebat defensio papæ et Ecclesiæ, summum imperium, suprema jurisdictio, et jus suum in pontifice eligendo. At, suscepta imperatoris dignitate, Karolus Magnus et hæredes ejus papam æque ac reliquos Romanos et incolas patrimonii B. Petri juramento fidelitatis sibi obstrinxerunt, defensionis tamen officio integro, et possessionibus Ecclesiæ, æque ac reliquarum imperii ecclesiarum, intactis. Quod quidem juramentum anno 800 Karolo præsente prima vice præstitum fuisse crediderim, cum imperator in Franciam redux illud a cæteris quoque regni sui populis exegerit; et Romam inter metropoles imperii primam computatam esse ex testamento Karoli constat. Ex eo igitur tempore reges Francorum ut antea patriciatum, jam imperium atque patriciatum jure hæreditario adepti, coronam Romanam aut in Francia (3) aut Romæ suscipiebant; e contra papa ex antiqua consuetudine (4) a clero populoque Romano electus, nonnisi electione sua per imperatorem aut missum ejus examinata, et approbata, erat ordinandus. Susceptis imperio vel pontificatu, papa cum universo populo Romano imperatori fidelitatis juramentum præstitit, imperator pactum prædecessorum suorum cum pontificibus anterioribus et privilegia Romanæ ecclesiæ confirmavit. Quod ita fuisse, ex historicis noni decimique sæculi colligitur (5), et chartæ quoque in tabulario Vaticano adservatæ fidem facturæ essent, nisi omnes quæ sæculum undecimum duodecimumve antecedunt interiissent. Nam nec chartæ per Ludovicum I an. 816 Stephano IV (6) et an. 817 Paschali (7) I, anno 876 ut videtur (8) per Karolum II, anno 888 per Wido[illegible]em (9) et Lambertum, anno 898 per Lambertum (10), anno 916 per Berengarium (11), pontificibus Romanis concessæ, nec quas a reliquis imperatoribus editas fuisse haud dubie conjicimus, amplius exstant; eas tamen tum officium defensionis ab imperatore susceptæ, tum possessiones Ecclesiæ Romanæ singulas, prout in donationibus Pippini et Karoli atque in pacto Carisiacensi continebantur, expressisse, adjectis fortasse inde ab anno 824 præcipuis constitutionis Lotharii I sententiis, quas vel sæculo XII et XIII in legibus Langobardorum servatas esse videmus, haud absimile videri potest. Adest etiamnum in tabulario Vaticano purpurei coloris membrana, aureis litteris conscripta, accessu quidem difficili mihique negato, qua Ottonis I confirmatio anno 962 Joanni XII promissa (12) legi dicitur; quam aut pro autographo aut pro apographo ejus ævi habitam V. Ill. Marinus Marinius, tabularii Vaticani præfectus, in libro supra pag. 7 laudato pag. 111-120

VARIÆ LECTIONES.

[a] *ita uterque codex.*

NOTÆ.

(1) Fredegarii chron. c. 110.

(2) Vita Adriani I, c. 39. Quid de pacto isto sæcula subsequentia senserint, tum Leonis VIII constitutio, tum locus in libro tertio Collectionis canonum tripartitæ, tempore Urbani II scriptæ, docet, qui et in Ivonis Decretum lib. VIII, c. 134, et in Sigeberti Gemblacensis Chronicon ad an. 774 transiit, quemque hic ex codice Ivonis Cæsareo Vindobonensi inter Salisburgenses n. 323, fol. 104, sæc. XI exeuntis aut XII, a Kopitario nostro transscriptum sistimus: « Adrianus papa Romam venire Karolum regem ad defendendas res Ecclesiæ postulavit. Karolus ergo Romam (*a*) veniens Papiam obsedit, ibique relicto exercitu, in sancta Resurrectione ab Adriano papa Rome honorifice susceptus est. Post sanctam vero Resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium regem. Deinde Romam reversus, constituit ibi synodum cum Adriano papa in patriarchio (*b*) Laterani in ecclesia sancti Salvatoris; que synodus celebrata est a centum quinquaginta tribus religiosis episcopis et abbatibus. Adrianus autem papa cum C universa synodo tradiderunt Karolo jus et potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoque patriciatus (*c*) ei concesserunt. Insuper archiepiscopos, episcopos, per singulas provincias ab eo investituram accipere diffinierunt, et ut nisi a rege laudetur et investiatur episcopus a nemine consecretur. Et quicunque contra hoc decretum esset, anathematis eum vinculo innodaverunt, et nisi resipisceret, bona ejus publicari præceperunt. » Cf. et Theodericum de Niem De privilegiis et juribus apud Schardium in B Syntagmate pag. 248, 249.

(3) Ludovicus I anno 813 Aquisgrani, et iterum an. 816 a Stephano IV Remis.

(4) Quæ jam sub imperatoribus Constantinopolitanis obtinebat.

(5) De juramento papæ, cardinalium, procerum totiusque cleri populique Romani cf. anno 816 Theganum, an. 824 constitutionem Lotharii et sacramentum Romanorum, an 844 Sergii II Vitam, n. 15, an. 896 sacramentum Romanorum, an. 963 et 964 concilia Romana apud Liutprandum. De modo electionis papæ cf., an. 817, Eginhardi Annales, an. 824 constitutionem Lotharii et sacramentum Romanorum, an. 827 Eginhardi Annales, an. 844 Prudentii Annales, an. 883 Annales Fuldenses, an. 898 Joannis IX Constitutionem in concilio Romano, cap. 10 et 36. Privilegium Ludovici spurium de confirmatione electionis silet, cum tamen ipse Paschalis cui concessum fuisse fingitur, excusatoriam epistolam de consecratione sua antequam confirmatus fuisset, ad Ludowicum misisset, ex Eginhardi Ann.

(6) Ermoldus L. II, p. 483, 486.

(7) Eginhardi Ann.

(8) Conventus Ticin. Benedictus sancti Andreæ in appendice Eutropii; et Joannis VIII epistola 9. Cf. ep. 119, 216.

(9) Mon. Germ. T. III.

(10) Ibid. p. 563, c. 3, 6.

(11) Panegyricus in Bereng. lib. IV.

(12) Vide Liutprandum l. VII.

(*a*) *lege* Italiam. (*b*) patriarcha *c*. (*c*) patriarchatus *g*.

typis iterum dedit commentarioque donavit, cum antea rarius ex ipso quam ex apographis sæculorum posteriorum sæpissime edita atque a doctissimis æque impugnatoribus ac defensoribus, Muratorio præcipue et Borgia, amplis commentariis illustrata fuisset. Antiquissima ipsius atque chartarum Ludovici et Heinrici II apographa in codicibus Vaticanis n. 1984 et 3833 manu sæculi XII ineuntis inveni, unde et in librum censualem Cencii Camerarii transcriptas esse animadverti (13). Pactum secunda sui parte præcipua constitutionis Lotharii an. 824 capitula una cum formula sacramenti Romanorum confirmat. Prima vero pars continet confirmationem possessionum Ecclesiæ Romanæ, tum earum quas ex antiquo jure, donationibus Pippini et Karoli, et ex pacto Carisiacensi et jure Karolo Magno probato repetebat, necnon earum quas a meridie lineæ a Lunis usque ad Montem Silicis porrectæ pontifices affectasse nec tamen evincere potuisse supra diximus, adjecta ecclesia sanctæ Christinæ prope Papiam, tum vero aliarum, quas ab imperatoribus collatas esse nullibi fere nisi hic atque in ficto Ludovici diplomate et Heinrici legimus. Nam licet appendix Historiæ Eutropii a Flacio Illyrico edita, quam Benedicto S. Andreæ ad Soractem monacho tribuendam esse censeo, Karolum II pacto cum Romanis, id est cum Ecclesia Romana, renovato, ei monasteria Salvatoris et B. Mariæ et S. Andreæ ad Soractem, tum patrias Samniæ (Samnii) et Calabriæ simul cum omnibus civitatibus Beneventi, insuper totum ducatum Spoletinum cum duabus civitatibus Tusciæ, Aricio et Clusio contulisse (14) et regiæ legationis assiduitatem vel præsentiam in electione removisse dicat, et Joannes VIII in epistola nona Capuam a Karolo Ecclesiæ Romanæ juri potestatique commissam memoret, ejusmodi tamen donationem, si vere contigerit, haud ultra Karoli II usurpatoris præsentiam durasse, nec a successoribus coronæ legitimis agnitam fuisse, per se patet. Imperatoribus enim regibusque Germanorum etiam legitimis, bona et possessiones imperii regnive nonnisi in vitæ suæ tempus conferendi jus competisse, ita ut donatore defuncto res ipso jure ad rem publicam reverterentur, inter omnes antiquitatis Germaniæ guaros constat. Multo magis autem usurpatoris acta, potentia ejus collapsa, in irritum cecidere. Cujus sententiæ et Ottonem III imperatorem fuisse, charta donationis octo comitatuum ab eo Silvestro II indulta evincit, quam vel sæculo XVI in tabulario Vaticano asservatam (15), et anno 1339 auctoritate Benedicti XII papæ ex originali bulla plumbea Ottonis, quales complures in tabulario regio apud nos exstant, munito transumptam, Baronius Annalibus suis an. 1191, pag. 847, inseruit, unde eam hoc potissimum loco repetendam esse censuimus.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto servus apostolorum, et secundum voluntatem Dei Salvatoris Romanorum imperator augustus.

« Romam caput mundi profitemur, Romanam ecclesiam matrem omnium ecclesiarum esse testamur, sed incuria et inscientia pontificum longe suæ claritatis titulos obfuscasse. Nam non solum quæ extra Urbem esse videbantur vendiderunt, et quibusdam colluviis a lare sancti Petri alienaverunt, sed quod absque dolore non dicimus, si quid in hac nostra Urbe regia habuerunt, ut majori licentia evagarentur, omnibus cum vindicante pecunia in commune dederunt, et sanctum Petrum, et sanctum Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt, et pro reparatione semper confusionem duxerunt. Confusis vero papaticis legibus, et jam abjecta ecclesia Romana, in tantum quidam pontificum irruerunt, ut maximam partem imperii nostri apostolatui suo conjungerent, jam non quærentes quæ et quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt; sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata, dimittentes, quasi culpam suam in imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est, ad nostra et nostri imperii maxime, migraverunt. Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis inventa, quibus Joannes diaconus, cognomento digitorum mutius, præceptum aureis litteris scripsit, sub titulo magni Constantini longa mendacii tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quemdam Carolum [35] sancto Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil dare jure potuisse, utpote jam a Carolo meliore [36] fugatum, jam imperio privatum, jam destitutum et annullatum. Ergo quod non habuit, dedit : sic dedit, sicut nimirum dare potuit, utpote qui male acquisivit et diu se possessurum non speravit. Spretis ergo commenticiis præceptis et imaginariis scriptis, ex nostra liberalitate sancto Petro donamus quæ nostra sunt, non sibi, quæ sua sunt, veluti nostra conferimus. Sicut enim pro amore sancti Petri dominum Silvestrum magistrum nostrum papam elegimus, et Deo volente, ipsum serenissimum ordinavimus et creavimus : ita pro amore ipsius domini Silvestri papæ sancto Petro de publico nostro dona conferimus, ut habeat magister quod principi nostro Petro a parte sui discipuli offerat. Octo igitur comitatus pro amore magistri nostri domini Silvestri papæ sancto Petro offerimus et donamus, ut ad honorem Dei et sancti Petri cum sua et nostra salute habeat et teneat, et ad incrementa sui apostolatus nostrique imperii ordinet. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus : Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrunum, Callium, Esium et Ausimum, ut nullus umquam ei et sancto Petro audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare. Quicumque vero præsumpserit, omnia quæ habuerit, amittat, et sanctus Petrus quæ sunt sua recipiat. Ut hoc autem in æternum ab omnibus conservetur, hoc præceptum manu nostra diu, Domino adjutore, victura confirmavimus, et nostro sigillo præcepimus insigniri, ut sibi suisque successoribus valeat.

« Signum domini Ottonis invictissimi Romanorum imperatoris augusti. »

VARIÆ LECTIONES.

[35] Calvum [36] Krasso.

NOTÆ.

(13) Cf. Annales nostros *Archiv.*, etc. T. V, pag. 84, 88, 94.

(14) Cui consonat, quod civitatem utramque in donatione portæ basilicæ S. Petri argenteis litteris inscripta legi Petrus Mallius dicit.

(15) Index scripturarum archivi arcis S. Angeli in *Aretins Beyträgen* tom. II, fasc. 2, p. 80, n. 158.

Charta hæc Karoli II (Calvi) donationem Karoli III (Crassi) victoria ad nihilum redactam profitetur; nec ob titulum imperatoris nec ob formulas impugnanda, litteris aliis Ottonis ad Gerbertum datis illustratur. Namque scribit imperator Italiam relicturus et Germaniam appetens, epistola 158 apud Chesnium pag. 826 : *vestroque solatio atque subsidio primores Italiæ relinquimus. Hugonem Tuscum vobis per omnia fidum, S. comitem Spoletinis et Camerinis præfectum, cui* OCTO COMITATUS QUI SUB LITE SUNT *vestrum ob amorem contulimus nostrumque legatum eis ad præsens præfecimus, ut populi rectorem habeant, et vobis ejus opera debita servitia adhibeant.* Hæc anno 999, circa mensem Novembrem, Romæ scripta esse existimaverim. Cum igitur Caroli II donatio a posterioribus imperatoribus pro irrita habita sit, sententia Benedicti de S. Andrea, qui ipsa donationis Ottonianæ verba exscripsit, minime tenere potest, cum Caroli II donatione potentiam imperatorum imminutam esse statuit (16). Nec hoc tantum, sed aliud quoque Ottonis charta docemur, scilicet quod sæculo decimo exeunte Romæ falsæ donationum imperialium chartæ a Joanne quodam fictæ aureisque litteris conscriptæ habebantur.

Licet igitur minime dubitari possit, Ottonem I æque ac antecessores ejus, imperatores inde a Carolo Magno omnes, pactum et privilegia Romanæ Ecclesiæ renovasse, chartæ tamen, quæ sub nomine ejus in tabulario Vaticano hodie habetur, partem aliquam, scilicet a vocibus *in partibus Campaniæ Soram, Arces*, etc., usque *Cajetam et Fundum cum omnibus eorum pertinenciis*, gravi suspicione attingi confitemur. De alia parte *Insuper offerimus tibi beate Petre* usque *Terranem cum pertinentiis suis*, quid certi statuamus, non habemus, quandoquidem nonnisi generatim, Ottonem Joanni papæ restitutionem terræ sancti Petri promisisse, legimus.

Quibus exceptis, si pactum Ottonis charta ista proponitur, in aliquibus tamen a genuina forma discedit; nam Pippinum *imperatorem* vocatum, annum *Ottonis imperii* XXVII, loco *regni* XXVI, *et imperii* I, scriptum, tum *Preterea alia minora huic operi inserenda previdimus* et cruci imperatoris : † *Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris ac suorum episcoporum abbatum et comitum* ascriptum fuisse, cum signa singula episcoporum aliorumque testium subsequerentur, ea non diploma authenticum, sed apographum quoddam incertæ auctoritatis produnt. Mirari quoque aliquis posset cur imperator dicat pontificem haud consecrandum priusquam talem promissionem faciat *qualem domnus et venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dinoscitur*, cum nec Leonem VII promissionem aliquam Ottoni fecisse constet, nec Leonem VIII Joanni XII posteriorem fuisse ambigi possit; nisi verba ista ex Ludovici I pacto cum Stephano IV in pactis sequentium imperatorum revetita statuere velimus, quod certe haud multum abs re cadere videretur.

Ut igitur rem uno verbo absolvam, chartam genuinum quidem Ottonis et Joannis XII pactum, sed superaddita donatione vitiatum, forma etiam haud omnino sincera, referre censeo. Eam inde ab exeunte sæculo undecimo pro genuina venditam, in codices Vaticanos transcriptam, sensimque fidem populorum nactam, inde a dissidio Philippi, Ottonis IV et Friderici II imperatoribus quoque creditam, demumque a Rudolfo I et successoribus ejus confirmatam fuisse, omnibus notum est. Ecce textum ab Ill. Marino Marinio propositum :

« In nomine domini Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego Otto Dei gratia imperator Augustus una cum Ottone glorioso rege filio nostro divina ordinante providentia, spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostre, tibi beato Petro principi apostolorum, et clavigero regni cœlorum, et per te vicario tuo domno Johanni summo pontifici et universali XII pape, sicut a predecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque dicione tenuistis et disposuistis civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis suis, atque viculis omnibus et territoriis ejus, montanis ac maritimis, litoribus ac portibus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis Tuscie partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutriam, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis, id est majore et minore, Pulvensim, Narniam, et Utriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus : nec non exarcatum Ravennatem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis et castellis, quæ piæ recordationis domnus Pipinus et domnus Karlus A excellentissimi imperatores, predecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo et predecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam contulerunt : hoc est civitatem Ravennam, et Emeliam, Bobium, Cesenam, Forumpopoli, Forumlivii, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, et Adrianis atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis, terra marique ad supradictas civitates pertinentibus : simul et Pentapolim, videlicet Ariminum, Pensaurum, Phanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsimpronii, Montemfeltri, Urbinum, [37] et territorium Balnense, Callis, Luciolis et Eugubium, cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a domno Karlo imperatore, antecessore nostro, beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate facte; [38] in partibus Tuscie Longobardorum Castellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum regis, Ferenti, Viterbium, Orthem, Marcam, Tuscanam, Suanam, Popolonium, Roselles, cum suburbanis atque viculis omnibus et territoriis ac maritimis, oppidis, ac viculis seu finibus

B

VARIÆ LECTIONES

[37] Urbanum MARINI. [38] i. Item in *codd.*

NOTÆ.

(16) « Cuncta illis (Karolus II) contulit quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa quæ nec recte acquiruntur nec possessura sperantur. Fugato itaque isto Carolo præ metu alterius Caroli qui veniebat, infirmatur antequam de regno egrederetur Italico. Egressus namque vix, defunctus est. Ab illo autem die honorificas consuetudines regiæ dignitatis nemo imperatorum, nemo regum acquisivit, quia aut virtus defuit, aut scientia, pro multis regni contentionibus et assiduis divisionibus. »

omnibus. Itemque a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berteto, exinde in Parma, deinde in Regia, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis atque provincia Venetiarum et Istria: necnon et cunctum ducatum Spoletanum ac Beneventanum, una cum ecclesia sanctæ Cristinæ posita prope Papiam juxta Padum, quarto miliario. *Item in partibus Campanie, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Teanum, et Capuam; necnon et patrimonia ac potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum et patrimonium Neapolitanum, atque patrimonia Calabriæ superioris et inferioris. De civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis suis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur, necnon patrimonium Siciliæ, si Deus nostris illud tradiderit manibus, simili modo civitatem Cajetam et Fundum cum omnibus earum pertinenciis. Insuper offerimus tibi beate Petre apostole vicarioque tuo domno Johanni papæ et successoribus ejus, pro nostre anime remedio, nostrique filii et nostrorum parentum, de proprio nostro regno civitates et oppida cum piscariis suis, idest Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Balvam, et Marsim, et alibi civitatem Terranem cum pertinentiis suis.* Has omnes suprascriptas provincias, urbes et civitates, oppida atque castella, viculos ac territoria, simulque et patrimonia, pro remedio animæ nostræ et filii nostri sive parentum nostrorum ac successorum nostrorum et pro cuncto a Deo conservato atque conservando Francorum populo, jam dictæ ecclesiæ tuæ, beate Petre apostole, et per te vicario tuo spiritali patri nostro domno Johanni summo pontifici et universali papæ, ejusque successoribus usque in finem seculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, principatu, atque dicione. Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes quas piæ recordationis domnus Pipinus rex et postea domnus Karlus excellentissimus imperator beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt; necnon et censum vel pensiones seu ceteras daciones que annuatim in palacium regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia sive de ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur, et inter sanctæ memoriæ Adrianum papam et domnum Karlum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano et Spoletano, suæ auctoritatis preceptum confirmavit, eo scilicet modo ut annis singulis predictus census ad partem ecclesiæ beati Petri apostoli persolvatur; salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione et illorum ad nostram partem et filii nostri subjectione. Ceterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant jure, principatu atque dicione, et neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aud a vobis inde aliquid subtrahatur, de suprascriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis, atque patrimoniis, necnon et pensionibus atque censibus; ita ut neque nos ea facturi simus neque quibuslibet ea facere volentibus consenciamus, sed potius omnia que superius leguntur, id est provinciæ, civitates, urbes, oppida, castella, territoria, et patrimonia, atque insulas, censusque et pensiones, ad partem ecclesiæ beati Petri apostoli atque pontificum in sacratissima sede illius residentium, nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc, ut ea in illius ditione ad utendum et fruendum atque disponendum firmiter valeant optineri; salva in omnibus potestate nostra et filii nostri posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et confirmatione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis successorumque illius continetur. Id est [50] ut omnis clerus et universi populi Romani nobilitas, propter diversas necessitates et pontificum inrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas, sacramento se obliget, quatinus futura pontificum electio quantum uniuscujusque intellectus fuerit, canonice et juste fiat. Et ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecrari [50] fiat pontifex, priusquam talem in presentia missorum nostrorum vel filii nostri seu universæ generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conservatione, qualem domnus et venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dinoscitur. Preterea alia minora huic operi inserenda previdimus, videlicet ut in electione pontificum neque liber neque servus ad hoc venire presumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram institutionem ire presumpserit, exilio tradatur. Insuper etiam, ut nullus missorum nostrorum [51] cujuscumque impeditionis argumentum componere in prefatam electionem audeat, prohibemus. Nam et hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione domni apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis in quemquam illorum qui hoc promeruerint violare presumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Illud etiam confirmamus, ut domno apostolico justam in omnibus servent obedientiam seu ducibus ac judicibus suis ad justitiam faciendam. Huic enim institucioni hoc necessario adnectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti, qui

VARIÆ LECTIONES.

[50] idem *MARINI*. [50] consecratus *pag.* 240. *et codd.* [51] nostrum *MARINI*.

annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, A qualiter singuli duces ac judices populo justitiam faciant, hanc imperialem constitucionem quomodo observent. Qui missi decernimus, ut primum cunctos clamores qui per negligentiam ducum seu judicum fuerint inventi ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat, aut statim per eosdem missos fiant ipsæ necessitates emendatæ, aut misso nostro nobis renunciante per nostros missos a nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ et nostris firmum esse credatur, propriæ manus signaculo et nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roboravimus et bullæ nostræ impressioni adsignari jussimus. † Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris ac suorum B episcoporum abbatum et comitum. † Signum Adaldagi Hamaburgiensis ecclesiæ archiepiscopi. Signum Hartberti Curiensis ecclesiæ episcopi. Signum Druogonis [45] Osnabrugguensis ecclesiæ episcopi. Signum Uotonis Argentenensis ecclesiæ episcopi. Signum Otwini Hiltinesemensis ecclesiæ episcopi. Signum Landwarti Mindonensis ecclesiæ episcopi. Signum Otgeri Nemetinensis ecclesiæ episcopi. Signum Gezonis Tortunensis ecclesiæ episcopi. Signum Hucberti Parmanensis ecclesiæ episcopi. Signum Widonis Mutunensis ecclesiæ episcopi. Signum Hattonis Fuldensis monasterii abbatis. Signum Gunthari Herolfesfeldensis monasterii abbatis. Signum Eberharii comitis. Signum Guntarii comitis. Signum Burgharii comitis. Signum Utonis com'tis. Signum Conrates comitis. Signum Eruustes. Signum Thietheres, Ricdages, Lupen, Hartuiges, Harnolves, Inghilthies, Burchartes, Retinges, anno dominicæ incarnationis 962, indictione 5, [46] mense Februario, 13 die ejusdem mensis, anno vero domni Ottonis imperii invictissimi imperatoris 27, facta est hec pactio feliciter. »

SYNODUS ROMANA.

Acta ejus alias deperdita, Liutprandus Historiæ suæ libro septimo inseruit unde ea quæ authenticam formam præferebant depromta, ope codicis olim Spanheimensis, jam Bruxellensis, emendavimus.

Litteræ synodi ad Joannem XII papam. C

Summo pontifici et universali papæ, domno Joanni, Otto divinæ respectu clementiæ imperator augustus, cum archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Frantiæ, in Domino salutem. Romam ob servitium Dei venientes, dum filios vestros, Romanos scilicet episcopos, cardinales, presbyteros et diaconos, insuper et universam plebem de vestri absentia percontaremur, et quid causæ esset, quod nos ecclesiæ vestræ vestrique defensores videre noluissetis, talia de vobis tamque obscœna protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, nobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub brevitate describimus : quoniam si cuncta nominatim exprimere cupimus, dies nobis non sufficit unus. Noveritis itaque, non a paucis, sed D ab omnibus tam nostri quam et alterius ordinis, vos homicidii, perjurii, sacrilegii, et ex propria cognatione, atque ex duabus sororibus, incesti crimine esse accusatos. Dicunt et aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amore vinum bibisse; in ludo aleæ Jovis Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque paternitatem vestram obnixe, ne Romam venire atque ex his omnibus vos purgare dissimuletis. Si forte vim temerariæ multitudinis formidatis, juramento vobis adfirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data 8 Idus Novembris.

Joannis papæ apologeticus.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis. Nos audivimus dicere, quia vos vultis alium papam facere : si hoc facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam nullum ordinare et missam celebrare.

Synodi rescriptum ad papam.

Summo pontifici et universali papæ domno Joanni, Otto divinæ respectu clementiæ imperator augustus, sed et sancta synodus Romæ Dei ob servitium congregata, in Domino salutem. Præterita synodo, quæ celebrata est 8 Idus Novembris, litteras vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ detinebantur. Rogavimus etiam eisdem litteris magnitudinem vestram, quem admodum justum est, Romam venire seque ex his quæ obiciuntur purgare. Recepimus autem litteras a vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum hominum vanitas exposcit. Non veniendi ad synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed et præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuntii interesse, qui aut ægritudinis, aut certe difficultatis causa satisfacerent, sanctam vos synodum declinasse. Est et aliud vestris in litteris scriptum, quod non episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret. Excommunicastis etenim omnes, ut non haberent licentiam canendi missas, ordinandi ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ sedi constitueremus episcopum. Ita enim scriptum erat, « non habeatis licentiam nullum ordinare. » Nunc usque putavimus, immo vere credimus, duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra autoritas priscorum sententias infirmaret autorum. Nos vero intentioni vestræ non verbis respondemus. Si ad synodum venire et objecta purgare non differtis, autoritati vestræ proculdubio obedimus. Sed si, quod absit, venire et objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, quum præsertim vos nihil venire impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo,

VARIÆ LECTIONES.

[45] drisogonis *MARINI.* [46] *hic desinit Cod. Vatic.* 1984. *addito:* Item in partibus Tusciæ Reatæ, cum pertinentiis suis.

itineris longitudo : tunc excommunicationem vestram parvipendemus, eamque potius in vos retorquebimus, quoniam quidem juste facere possumus. Judas Domini nostri Jesu Christi proditor, imo venditor, cum ceteris prius ligandi atque solvendi potestatem a magistro in hæc verba acceperat : Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlis, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis. Quamdiu enim bonus inter condiscipulos fuit, ligare atque solvere valuit : postquam vero cupiditatis causa homicida factus, vitam omnium occidere voluit, quem postea ligatum solvere, aut solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulavit? Data 10 Kalend. Decembr. Jet missa per Adrianum cardinalem presbyterum, et Benedictum cardinalem diaconem.

Ottonis oratio ad synodum.

Expectavimus adventum ejus, ut præsente eo, quod nobis egerit, quereremur : verum quoniam eum non adfuturum certo scimus, quam perfide nobiscum egerit, ut diligenter agnoscatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus, archiepiscopis, episcopis [44] presbyteris, diaconibus, reliquoque clero, necnon et comitibus, judicibus, omnique plebi, quod idem Joannes papa oppressus a Berengario atque Adalperto, rebellibus nostris, misit nobis in Saxoniam nuntios, rogans, ut ob amorem Dei in Italiam veniremus, et ecclesiam sancti Petri ac seipsum ex eorum faucibus liberaremus. Nos vero, adjuvante Deo, quantum fecerimus, non est necesse dicere, ut impræsentiarum videtis. Ereptus vero mea opera ex eorum manibus, et honori debito restitutus, oblitus juramenti et fidelitatis, quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eundem Adelpertum Romam venire fecit, et contra me defendit, seditiones fecit, et videntibus nostris militibus, dux belli factus, lorica et galea est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat.

Synodi responsum.

Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus soli sibi, et non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti hujus facti sunt imitatione incesti? Quot probi hujus exemplo conversationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem imperii vestri, monstrum illud nulla virtute redemptum a vitiis, a sancta ecclesia pelli, aliumque loco ejus constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis præesse valeat, et prodesse sibi : recte vivat, ac bene vivendi nobis exemplum præbeat.

Ottonis consensus.

Placet quod dicitis, nihilque gratius nobis, quam ut talis, qui huic sanctæ et universali sedi præponatur, inveniri possit.

Electio Leonis papæ.

Leonem venerabilem, sanctæ Romanæ ecclesiæ protoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem eligimus, ut sit summus et universalis papa Romanæ ecclesiæ, reprobato ob improbos mores Joanne apostata.

OTTONIS I IMPERATORIS ET OTTONIS II REGIS EDICTUM.

(*An.* 967. *Oct.* 29.)

Post anteriores editiones hic ope codicum Ambrosiani, Florentini, Londinensis, Vindobonensis, Veronensis et Estensis apud Muratorium recognitum, auctori suo temporique restituitur.

Incipit [45] *kapitula quæ instituit domnus Otto gloriosissimus imperator et item Otto filius ejus gloriosus rex, una cum summis principibus, id est episcopis abbatibus judicibus, seu cum omni populo.*

Antiquis [46] est institutum temporibus, ut si cartarum inscriptio [47], quæ constabat ex prædiis, falsa ab adversario diceretur, sacrosanctis evangeliis tactis veram esse ab ostensore probabatur, sicque sibi prædium deliberatione judicum vendicabat. Qua ex re mos detestabilis in Italia improbusque non imitandus inolevit, ut legum specie jure [48] jurando acquireret, qui Deum [49] non timendo minime perjurare formidaret. Tempore igitur quo piissimus rex Otto Romæ unctionem suscepit imperii, residente [50] in synodo summo [51] et universali papa [52] domno [53] Johanne [54] tercio decimo anno (17), ab Italiæ proceribus est adclamatum, ut imperator sanctus mutata lege facinus indignum destrueret, per quod, si corpore quisquam dives fieret, anima [55] vero pereunte pauper in æternum maneret. Judicio [56] itaque domni papæ piissimique augusti expectatum est ad illam usque synodum quæ parva post intercapedine (18) habita est Ravennæ. Cumque ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur, ob quorumdam

VARIÆ LECTIONES.

[44] *vocem supplevi.* [45] *hæc inscriptio extat nonnisi in L.* [46] *Præfatio hæc deest in A.* Antiquitus *Fl.* [47] inscriptio *V.* adscriptio *Vn.* [48] *jam deletum in L.* [49] dominum *L.* [50] residentis *V. E.* residens *Vn.* [51] summa *L. V. Vn. E.* [52] papæ *V. Vn. E.* [53] donne *V.* donni *Vn.* domni *E.* [54] johannis *V. E.* johanne *corr.* johannis *Vn.* [55] anime *L.* anima periret et pauper *V. Vn. E.* [56] Judicium *L.*

NOTÆ.

(17) Locus corruptus, codicum ope non sanandus. Anno 962 Joannes XII anno septimo sedit, anno vero 967 Joannes XIII. Muratorius legendum esse conjicit *Johanne* XII, i *anno, scilicet anno* i *imperii Ottonis Magni.* Cui tamen adversatur quod auctor præfationis hujus Joannem XII et XIII infra non distinguit, sed Joanni XIII et Ottonis coronationem et synodum Ravennatam assignare videatur.

(18) An. 967, mensibus Martio aut Aprili.

procerum absentiam usque ad id tempus est expectatum, quod [87] gloriosissimi [88] augusti Ottonis [89] rex Otto gloriosus filius, et Chuonradus Burgundiæ rex Italiam properantes, Veronæ colloquium cum omnibus Italiæ proceribus habuerunt. In hoc itaque cum ab omnibus imperatoriæ aures magnis quæstibus pulsarentur, ut mutata lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus vel [90] consentientibus cunctis, legem hujusmodi secundum inferiora promulgavit capitula [91].

1. Si de prædiis [92] contentio emerserit, et utraque pars sive altera cartis seu scriptionibus [93] prædium sibi vendicare voluerit, si ipse qui cartam falsam appellaverit, per [94] pugnam declarare voluerit, ut ita decernatur. Sin aliter, secundum priora capitula determinetur edicimus (19).

2. De ecclesiarum rebus, ut oer advocatos fiat, similiter jubemus.

3. De investitura prædii si contentio fuerit, similiter ut per pugnam decernatur edicimus.

4 [95]. Si quis per se ipsum, aut suum nuntium quicquam alicui deposuerit, et depositum cupiditate victus negaverit [96], si viginti solidorum pretium fuerit, ut [97] per pugnam veritas [98] decernatur præcipimus.

5 [99]. Si quis dixerit quod per vim de prædio cartam alicui fecerit [70], ut per pugnam veritas decernatur edicimus.

6. De furto aut scacho [71], si ultra sex solidos fuerit, similiter ut [72] per pugnam veritas inveniatur præcipimus.

7. Si quis equum suum vel cetera animalia sive rem suam super aliquem reppererit, et ipse warentem dare se dixerit, statim juret ut ad certum warentem eum conducat, et super [73] tertium warentem et [74] tertium comitatum non procedat. Et si hoc [75] facere noluerit, rem perdat, et secundum legem componat.

8. Laicorum vero nullum præter comites [76] in solis ecclesiasticis rebus advocatorem habere ullum permittimus.

9. Quacumque lege, sive etiam Romana, in omni regno Italico homo vixerit, hæc omnia, ut in his capitulis per pugnam decrevimus, servare [77] præcipimus; ita tamen, ut si eorum unum aut juvenilis aut decrepita ætas seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem imponere, et alterum similiter facere [78].

10. Ecclesiæ [79] et comites seu viduæ lites suas de his [80] quæ in suprascriptis capitulis continentur, per consimiles advocatos [81] pugna dirimant. Ceteri homines natura liberi, secundum legem pristinam per semetipsos respondeant et determinent.

11. Diaconorum, presbiterorum, episcoporum filios, notarios, sculdasios [82], comites, judices fieri, omnibus modis [83] prohibemus.

Actum [84] sub urbe [85] Veronense, in [86] loco qui dicitur insula sancti Zenonis, 4 Kalendarum Novembrium, anno dominicæ incarnationis 967 [87], imperii domni Ottonis [88] serenissimi imperatoris augusti sexto, regni vero filii ejus domni Ottonis sexto, inditione undecima.

OTTONIS MAGNI MANDATUM DE INTHRONIZATIONE ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS.

(*An.* 968. *Oct.-Nov.*)

Ex actis institutionis archiepiscopatus Magdeburgensis apud Sagittarium (v. Boysen, *histor. Magazin*, fasc. 1) a Boehmero nostro cum authenticis et cum diplomatario sæc. XIII collatis, litteras imperatoris ad proceres Saxoniæ de intronizando Adalberto, primo Magdeburgensi archiepiscopo, seligimus, loco reliquis inter diplomata assignato. Autographum asservatur in tabulario regio Berolinensi; editum est post consecrationem Adalberti, quæ Romæ die XV Kal. Nov. contigit. Manu ejusdem ævi inscribitur : *Qualiter Adalbertus archiepiscopus in episcopalem sedem primus intronizatus est.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus, omnibus fidelibus nostris, episcopis scilicet et comitibus ceterisque comprovincialibus, æternam in Domino salutem et omne bonum.

Quoniam augmentum divini cultus salutem et statum esse regni vel imperii nostri credimus, idcirco cunctis, quibus posse suppetit, modis hoc amplificare tendimus et desideramus. Igitur Magadaburgensi civitate, sicut omnium vestrorum novit

VARIÆ LECTIONES.

[87] quo *V. Vn. E.* [88] gloriosissimi augusti ottonis regis otto gloriosus filius *corr.* gloriosissimus augustus otto rex et otto gloriosus ejus filius *L.* [89] scil. primi *glossa V. Vn.* [90] c. cunctis et c. *V. Vn. E.* [91] c. Otto secundus *V.* Nos belli dono ditat rex maximus Otto *V. Vn. E.* [92] scil. alodum *glossa L.* [93] *ita A. L. V. E.* (*L. corr.* inscriptionibus) descriptionibus *Vn.* [94] et a. A. ad *V. Vn.* [95] *Lond. hoc caput sequenti submittit.* [96] convictus denegaverit *L.* [97] *deest A. V.* [98] *deest A.* [99] *Codex Fl. hoc caput sequenti submittit.* [70] faceræ *A.* faceret *V.* fecisset *Vn.* [71] scasco *A.* [72] *deest L. V.* [73] supra *L.* [74] aut *L.* [75] hæc *L.* [76] comitem *L.* com. *Vn.* (*corr.* comite) comes *E.* [77] servari *L.* [78] facere. Si dubitatio sit de infirmitate, juret quod talem infirmitatem habet propter quam pugnare non valet *V. E.* [*in marg.* per usum] *Vn.* [79] De ecclesias *A.* [80] eis *A.* [81] advocatos (*corr.* advocatores) *L.* advocatores *V. Vn. E.* [82] sculdaxios *A.* sculdascios *V. Vn.* (*inserto* c) [83] omnimodo *L.* [84] *hæc extant nonnisi in codd. Fl. et Londinensi, qui tamen ea capitulis præmittit.* [85] urbem *L.* [86] *deest L.* [87] DCCCC. LXVIII. *Fl.* [88] ottonis *usque* ottonis *deest L.*

NOTÆ.

(19) Caput hoc in placito Romæ die 2 Decembris, an. 999, coram Ottone III et Silvestro habito, apud Muratorium SS. tom. II, p. II, p. 501, quoad sententiam, non tamen vocibus ipsis prolatis, laudatur.

caritas, archiepiscopalem sedem fieri desiderantes, oportunum etiam nunc temporis ad hoc peragendum tempus invenientes, consilio venerabilis archiepiscopi Hattonis (20) et Hildewardi (21) episcopi, ceterorumque fidelium nostrorum, virum venerabilem Adalbertum episcopum, Rugis olim prædicatorem destinatum et missum, archiepiscopum et metropolitanum totius ultra Albiam et Salam Sclavorum gentis, modo ad Deum conversæ vel convertendæ, fieri decrevimus pariter et elegimus, quem et Romam pro pallio a domno papa suscipiendo direximus. Et ut hec nostra electio firmior et subnixior fiat, eum vestræ caritati dirigimus, et ut a vobis omnibus et vocum acclamatione et manuum elevatione electus, suæ sedi intronizetur, omnimodis desideramus. Ne vero hæc ejus electio vel intronizatio futuris, quod absit, temporibus aliquorum valeat invidia molestari, tres ab illo episcopos, unum Merseburgo, alterum Citicæ (22), tertium Misnæ (23), in præsentia legatorum domini papæ et vestra, volumus ordinari, ut hæc eadem præsentia vestra ante Deum et sanctos ejus intentionis nostræ sit testis futura. Et quia vir venerabilis Bouso multum jam in eadem Sclavorum gente ad Deum convertenda sudavit, inter Merseburgensem et Citicensem ecclesiam, quam velit, electionem habeat. Altera vero A secundum convenientiam nostram in dispositionem archiepiscopi nostri cedat. Vos autem marchiones nostros, Wigbertum scilicet, Wiggerum et Guntherium, fidelitate nobis debita obtestamur et admonemus, ne quid in hac ordinatione archiepiscopo nostro in vobis obsistat, sed secundum disposicionem nostram et suam, ut vobis dixerit, fiat. Et quæcumque ab illo audieritis, nos velle sciatis. Ne vero idem episcopi qui ordinandi erunt, pauperes et villanis similes æstimentur, volumus caveatis et consilio archiepiscopi et eorum, qui cum illo in natale Domini erunt, episcoporum et comitum, qualiter sustententur inveniatis. Quicquid enim illis impenditur, pro nostra Deo salute offertur, vestraque per hoc merces apud Deum non minorabitur. Super hæc B domni episcopi Dudo (24) et Doudelinus (25) in archiepiscopi nostri electione volumus ut subscribant, et fidem subjectionemque illi promittant.

Et ut hæc nostra vestraque postmodum electio firma et stabilis perseveret, cartam vel noticiam hanc in ecclesia Magadaburgensi perpetualiter permansuram, et eorum quæ prædiximus testem jugiter futuram, scribi jussimus, et manu propria subtus firmavimus, et anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domini Ottonis (L. M.) magni et invictissimi imperatoris augusti. (L. S.)

CONVENTUS PAPIENSIS.

(*An.* 971.)

Unicum ejus vestigium habemus in codice Institutionum sæc. XI bibliothecæ Bambergensis a cl. Rosshirt in libro *Beiträge zum Römischen Recht* I, 7, vulgatum; quod quantum ad sententiam a capitulo primo anni 967 vix differre videtur.

Capitulum Ottonis magni Romanorum imperatoris Augusti datum Papia anno incarnationis Domini 971.

Si inter ecclesias vel alios ingenuos vel liberos homines, aut inter ecclesiam vel hominem de prediis seditio vel certamen sit, pugna decernatur. Si non audeat, res suæ infiscentur, et ecclesiæ vel homini cui justitia pertinet, res suæ reddantur.

OTTONIS II IMP. PAX CUM VENETIS.

(*An.* 983. *Jun.* 7. *Veron.*)

Exscripsi eam ex (1 libro Blanco, ab Andrea Dandulo duce Venetiarum circa an. 1340 confecto, qui hodie una cum 2) codice Trevisano s. XVI in tabulario imperiali Vindobonensi asservatur.

Pacificatio et confirmatio Ottonis cum Venetis. In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Omnibus nostris fidelibus presentibus ac futuris notum esse volumus, eo quod orta fuit dissensio inter nos et Veneticos. Unde nos divina pietate commoti, et interventu nostre serenissime Adheleidæ dominæ matris augustæ, ac Theophanu dilectæ conjugis nostræ nostrique imperii consortis, deliniti, precibusque D pauperum ipsius gentis sedati, pacem et fedus inter nos inivimus, eo tenore, quatenus de hac dissensione ita nos quam nostri heredes ne molestiam nec inquietudinem nullo ipsius gentis homini inferant, et a nobis et a nostris heredibus hujus [a] similem dissensionem post hac sine juditio, quod in pacto quod illis constituimus continetur, non [b] recipiant; sed inlesi et securi omnium hominum molestia remota in perpetuum permaneant. Et ut verius credatur, diligen-

VARIÆ LECTIONES.

[a] habuimus 1. [b] *vocem inserui.*

NOTÆ.

(20) Moguntini.
(21) Halberstadensis.
(22) Hugonem.
(23) Burchardum.
(24) Havelbergensis.
(25) Brandenburgensis.

tiusque ab omnibus observetur, sigilli nostri impressione subtersignari jussimus.

Signum (L. M.) domini Ottonis secundi imperatoris et invictissimi augusti.

Adelbertus cancellarius ad vicem Petri episcopi et archicancellarii recognovi et scripsi.

Securitas Venetorum prestita [91] *per Ottonem imperatorem.*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Anno dominice incarnationis 983, indictione undecima, anno vero regni secundi Ottonis 26°, imperii autem ejusdem 16, 7 Idus Junias. Residentibus cum Ottone piissimo imperatore ac invictissimo augusto Adheleida matre sua, cum Theuphanu conjuge ejus, seu principibus ultramontanis et Italicis, Willigiso Maguntino archipresule, et Gislario Magdiburgensi [92], seu Ecberto Treveriensi archipresulibus, Petro Ticinensi [93] et Petro Cumano episcopis, Deodrico Mettensi, Albino Bresenono episcopis, Ezulo duce Baioariorum, Ottone Wilelmo [94] comitibus, aliisque A quam pluribus majoris et inferioris ordinis nobilibus hominibus, imperialem adierunt celsitudinem Venetici, ostendendo precepta et confirmationes quas antecessores eorum a regibus et ab imperatoribus habuerunt, quatenus pacem et fœdera tam firma et rata per imperialem paginam dignitas imperialis constitueret, ut liberi et securi absque ulla læsione per totum suum imperium habirent. Ob quam gratiam consultum est ab omnibus ecclesiasticis viris et secularibus propter divinum amorem et recompensationem regni cælestis, congruum esset efficere, quod iidem Venetici petebant. Idcirco jussit majestas imperii hujuscemodi [95] scriptum scribere, et cum confirmatione suæ propriæ manus sigilli sui impressione corroborare, ut deinceps talis dissensio B nunquam inter se et illos aut suos heredes oriatur, ut majores et minores illius Venetiæ populi patriæ per suum imperium, orientem versus meridiem occidentem et septentrionem, libere et secure ambulent.

OTTONIS III IMPERATORIS EDICTUM.

(*An.* 996? *Mai.*)

Ope codicum Ambrosiani, Florentini, Londinensis, Vindobonensis, Veronensis, et Estensis apud Muratorium recognitum, primo Ottonis III imperatoris conventui ascripsimus, cum Romæ coronatus Romanos, Francos, Bajoarios, Saxones, Alsatienses, Suevos, Lotharingos secum congregasset.

Incipit [96] *kapitulum domni Ottonis tercii imperatoris piissimi Augusti.*

Cotidie contra leges agitur, cotidie mali male [97] facere non verentur. Ideo hac lege omne per ævum, divinitate propicia, valitura edicimus [98], ut toto anni tempore liceat judicibus causas agere, lites dirimere, tumultus quæstionum [99] terminare et diffinire, ut qui cotidie leges [100] offendunt, cotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messium [101] vel vindemiarum legis edictum debent effugere, qui [102] nullo tempore peccare desierunt [103]. Bene enim facere, verum dicere, justiciam amare, rectum [104] judicare, omni tempore [105] licet, semperque licebit, quia a C bonis numquam, a malis autem operibus semper requiescendum esse catholice didicimus et jugiter conservandum, Deo auctore et imperiali majestate, decrevimus. David autem rex et propheta dicit: *Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore.* In natale vero Domini, in epiphania [106], in pascha, in ascensione Domini [107], in pentecosten, in diebus dominicis et in festis præcipuis [108] et in constitutis jejuniorum diebus judiciarios motus exequi, publicas quæstiones appeti, ut cum omni vigilantia solennitates christianorum [109] celebrentur, penitus prohibemus [110].

OTTONIS III CONSTITUTIO TICINENSIS.

(*An.* 998. *Sept.* 20.)

Chronico Farfensi insertam Holstenius, Labbeus, et Muratorius SS. Ital. tom. II, p. 207, et tom. II, p. 496, 497, ediderunt, unde et nos eam iterum proferimus. Nonnulla tamen in ea haberi, exempli gratia, sententiam

VARIÆ LECTIONES.

[91] prestitam 1. [92] magiburgensi *codd.* [93] ucinensi 1. [94] uuielmo *ec.* [95] hujus 1. hujusce 2. [96] *ita L.* Incipiunt capitula ottonis tertii imperatoris *Fl. Adest versus in L. hic* Romæ syndonico rex invidet tercius Otto. *In Estensi:* Romæ sindonico rex tertius invidet otto. *Vind. et Veron.:* Festorum placito rex tertius invidet Otto. *Ambrosianus pro capite XII constitutionum a.* 967 *numerare videtur.* [97] mala *L.* malum *V. Vn.* [98] e. id est ut *L.* [99] quæstiones *A.* [100] legi *L. V. Vn.* [101] messis *L.* [102] q. in n. *A.* [103] desierint *L.* [104] recte *L. V. Vn.* [105] o. t. omnibus 1. *L.* [106] e. et in statutis jejuniorum diebus in diebus quadragesimalibus *edd.* e. in diebus quadragesimalibus *V. Vn.* [107] *deest L.* [108] principalibus *L.* [109] s. quod ch. *A.* s. quod ch. est *V. Vn. E.* [110] *Codices Vindobonensis, Vn. Est. hæc addunt:* Hæc sunt festivitates præcipuæ in anno, quæ per omnia venerari debent. Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Johannis evangelistæ, Innocentium, octavæ Domini, octavæ Epiphaniæ, purificationis sanctæ Mariæ, pascæ dierum octo, letaniæ majoris, ascensionis Domini, pentecostes, sancti Johannis baptistæ, octavæ apostolorum, maxime tamen sanctorum Petri et Pauli, dedicationis sancti archangeli Michahelis, sancti Martini, assumtionis sanctæ Mariæ.

sive presbyteri sunt et annum pontificis, quæ de integra constitutionis fide suspicionem aliquam movere possit, haud diffitemur.

Incipit constitutio decretalis sacræ legis domni Ottonis piissimi imperatoris.

Otto Dei gratia Romanorum imperator augustus, consulibus [111] senatus populique Romani [112], archiepiscopis [113], abbatibus, marchionibus, comitibus et cunctis judicibus intra Italiam constitutis in perpetuum. Comperimus, quod episcopi et abbates ecclesiarum, possessionibus abutantur, et per scripta quibuscumque personis attribuant, et hoc non ad utilitatem ecclesiarum, sed pecuniæ, affinitatis et amicitiæ causa. Dumque eorum successores et pro domorum Dei restauratione ac pro rei publicæ officio nostroque obsequio commonentur, suarum ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur, seque imperata non posse perficere, re vera demonstrant. Proinde quia status ecclesiarum Dei annullatur, nostraque imperialis majestas non minus patitur detrimentum, dum subditi nobis debita [114] non possunt exhibere obsequia, constituimus et imperiali edicto confirmamus, ut omnia scripta, sive si libelli nomine sive si emphitheusis prolatum fuerit, quod de ecclesiis Dei sive aliquo modo effici non possit, obeunte actore obeat, solusque detrimentum habeat, qui se ei scripto obligavit atque vinxit, nec omnino ad eum suprascripta damna pertineant, qui ei in regimine successit; sed sit ei libera facultas, omnia quæ per libellos vel alia quælibet scripta abalienata fuerint, A in proprium jus ecclesiæ revocare, et ita ordinare, ut Deo et nobis debitum obsequium valeat exhibere. Nam cum regibus et imperatoribus ea quæ regni et imperii sunt, nisi se viventibus [115], dare non liceat, exceptis ecclesiis, quomodo abbatibus et episcopis res ecclesiarum per tempora suorum successorum distribuere liceat? Omne quippe jus, sive lex, sive quodlibet scriptum, vel quælibet consuetudo, si contra ecclesiæ utilitatem fuerint, in irritum deducenda sunt; nec nostra auctoritate debent firmari, quæ contra imperii auctorem et propagatorem probabuntur inferri. Hoc ergo solum scriptum pro lege in talibus causis habeatur, quod ecclesiæ Dei prosit et nullo modo obesse possit. Quod si aliquis contra hanc constitutionem nostram ire tentaverit, tamquam B rebellis judicetur, et sit ei anathema maranatha, nisi resipiscat, ab universis episcopis qui huic imperii nostri edicto subscripserunt vel assensum præbuerunt, sive præsbyteri sunt. Amen.

Actum [116] 12 Kalendas Octobris, indictione 12 anno 3 domni Gregorii quinti papæ pontificatus, promulgata per manus Gerberti sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopi, in ea synodo in qua Mediolanensi episcopo Arnulfo nomine papatum ablatum est, in basilica beati Petri quæ vocatur ad Cœlum aureum; et subscripserunt omnes qui adfuerunt episcopi.

VARIÆ LECTIONES.

[111] c. s. p. r. *desunt apud Labbeum.* [112] *lege* senatui populoque romano. [113] *excidit sine dubio* episcopis. [114] *deest apud Mur. II. b.* [115] *ita Mur. II. p.* 207. nisi servientibus *Mur. II. b.* [116] *excidit* Ticini. MUR.

MONUMENTA LITURGICA.

HENRICI DENZINGER

IN UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

DE MISSIS GALLICANIS UNDECIM

A cl. MONE detectis

DISQUISITIO CRITICA.

Cum nuper vir in re diplomatica versatissimus Franciscus Josephus Mone, archivio, Magni Ducis Badensium præfectus, rescriptum codicem Reichenaviensem (1) bibliothecæ in Carlsruhe perquireret, missas Gallicanas vetustissimas undecim detexit, quæ sub commentarii Hieronymiani in Matthæum charactere latitabant; quas et publici juris fecit, additis insuper disquisitionibus liturgicis et palæographicis aliisque liturgiarum fragmentis aliunde a se congestis (2), oportebat quidem viro doctissimo eas

(1) Cod. 253.

(2) *Lateinische und griechische Messen aus dem zweiten bis sechsten Jahrh herausgegeben von Fr. J. Mone, Archivdirector zu Karlsruhe.* Frankfurt, C. B. Lizius, 1850.

partes concedere, ut, qui monumentum istud non exigui sane momenti detegendo optime de re catholica meruit, hac in bibliotheca edendo et ipse præluderet. Verumtamen, cum ea quæ de missarum tempore ipse, utpote minus in theologicis versatus, statuit, eruditis non æque probata fuerint, prolixioresque tractatus, qui minus ad rem hanc nostram faciant, huc inserere non juvet : integram quæstionem adhibitis omnibus, quæ ab ipso Cl. Mone vel ab aliis (3) hac de re scripta fuere, retractare suscepimus.

Reliquiæ sacræ, quas viro bene merentissimo debemus, ex quadraginta quinque foliis missarum Gallicanarum consistunt, quarum tamen nulla integra remansit. Forma foliorum est in quarto, quod dicunt, minori, unde codex recte *libellus* dici potest, ut Gregorius Turonensis Sacramentaria Gallicana missæ sacrificio inservientia vocare assolet (4). Missæ nostræ ex illarum numero sunt, quæ sub missarum quotidianarum et Dominicalium in Sacramentariis Gallicanis cæteris adjungantur. Ex quarum integra serie duæ tantum desunt, eum tertia in manuscripto codice numerum V, quarta numerum VI super scriptum habeat. Falsus est autem Mone cum inde conclusit, alias Sacramentarium nostrum præter duas supra undecim superstites non habuisse. Missa porro ultima S. Germani numerum VII habet, cui respondet numerus III missæ septimæ, ita ut et aliæ deperditæ videantur. Missa octava metrica, nona et undecima ad sanctos referuntur. Aliquam inter missas pro defunctis referendam esse, ut autumat Mone, vix rationibus effici poterit. Canonem Romanum in usu nondum fuisse, inde sequitur quod oratio brevissima *post sanctus* continuo ad illa verba *qui pridie* perducat, sicut et in missali Gothico-Gallicano Mabillonii videre licet. Sane ad puriorem illum et antiquiorem ritum Gallicanum, quem Gothico-Gallicanum appellavit Mabillonius, generatim referendæ sunt missæ nostræ. Lingua, qua conscriptæ sunt, est *rustica* Galliarum, in multis propria, de quibus egregie disseruit Mone (5). Quod ad tempus attinet, exemplar istud Sacramentarii infra sæculum VII reponendum præprimis non est. Nam ejus, qui superscriptus est, commentarii initium eo charactere descriptum est, ut sæculi VII exeuntis esse videatur, proindeque ab ipso S. Germinio monasterii Reichenaviensis fundatore (6), ex patria Austrasia huc delatus præsumi possit. Quod et eo ex capite confirmatur, quod in fine commentarii recentiori manu addita fuerint verba hæc : « Benedicat Deus Iohanne episcopo et congregatione nostræ. « Est autem Joannes iste secundus nominis episcopus Constantiensis, qui et abbas Reichenaviensis fuit et ab anno 760 ad 781 usque illi Ecclesiæ præsedit.

Verumtamen longe altius ascendendum nobis est. Postremum Sacramentarii folium orationes duas exhibet charactere Merovingico sæculi VI descriptas, quæ alienarum gentium hostilem incursum concernunt. Illa ergo tempora attingunt missæ nostræ, imo superant, cum ipsas adjectas orationes non exiguo annorum spatio excedere oporteat. Porro missis ipsis superaddita reperitur missa de S. Germano Antissiodorensi episcopo, quæ manu paulo recentiori descripta esset quam illa fuit, quæ missarum libellum præformaverat. Quod aliunde deducendum non est, nisi ex eo, quod jam absoluto codici primario, invalescente illius sancti cultu, addita fuerit recentior liturgia, quæ ejus nomen præseferret. Cum autem beatus ille Germanus anno Christi 448 ad superas conscenderit, decem priores missas non longo ab ipsius obitu tempore transcriptas fuisse oportet.

Denique vix infra Chalcedonensis synodi tempora reponenda videtur liturgia, quæ, cum orthodoxis inservierit, eo tamen de persona Christi modo, quo nostra loquitur. Nimirum in secunda contestatione missæ sextæ Verbum dicit e cœlo missum, « quod humani corporis *immixtione* concretum perditas sæculi partes et vulnera antiqua curaret. » Vix enim quis in animum inducat post lata in Eutychetem anathemata ejusmodi formulam ex publica liturgia non fuisse amotam, quæ hæresiarchæ illius erroribus favere videatur (7).

Habemus igitur terminum ad quem descendere nobis liceat, sæculum quintum medians; quæritur terminus a quo in statuenda libelli epocha incipiendum nobis erit. Si Cl. Mone audiamus ad ea tempora ascendendum est, quæ Lugdunensis et Viennensis Ecclesiæ celebratissimam illam persecutionem consecuta sunt. Proferantur documenta, expendantur rationes! Ait vir clarissimus ea in missis suis reperiri, quæ adhuc grassatas fuisse persecutiones innuant et antiquissimam illam specialius non obscure indigitent. In missæ quartæ oratione *ante nomina* hæc nempe decantari : « Præsta veraciter te credere, rationabiliter confiteri, si tentatio ingruat, non negare. » In septimæ præfatione : « Afflictos pœnis et vexationibus... exaudire dignetur. » Præprimis vero contestationis quintæ missæ verba adhibet, quæ sequuntur : « Nullæ quidem nobis adhuc citharæ personant. Sancti tui, qui bestiam sæculi hujus concordia virtutum perseverante vicerunt. (Hic verbum deesse, vel particulam *qui* abundare ait). Nullum de nobis Moysi canticum, qui inter fluctus adhuc istius sæculi volutamur. Nulla vox angelorum nisi forte laudare nos possunt, (hic *possumus* legendum esse autumat) cum Filii tui dilectissimi corpus sacramus et sanguinem, sed pia cura pro populo et sancta pro salute plebis oratio et mens cultui intenta divino, si non potest majestatem tan- operis explicare, nititur tamen usum concessi muneris frequentare. » Ex his certissime censet, cum conit fecta est liturgia, adhuc viguisse persecutiones, Christianos Judæis æquiparari, Babylonica vel Ægyptiaca captivitate detentis, fideles majestatem cultus divini *explicare*, hoc est publice sacris vacare, Deumque angelorum, hoc est alta voce laudare non potuisse.

Verum neque nos neque alii in allatis verbis ea vidimus, quæ detegere sibi visus est vir cæteroquin benemerentissimus, neque nisi subtilitates venari vimque textibus inferre velimus, videre possumus. Captivitates Babylonica et Ægyptiaca hic loci vitæ præsentis tantum figuræ sunt, in qua nobis Deum sicut in illa beatissima futuri sæculi requie laudare non est concessum. Nihilo secius tamen nitendum esse monet liturgia, ut quod possumus id saltem præstemus. Nondum quidem nobis resonare citharas, cœlestis nempe Jerusalem, sanctos nondum Moysi canticum nobis decantare, qui adhuc fluctibus

(3) H. Denzinger, *Fuebinher Quartalschrist* 1850 3 tes Heft. J.ʳ G. Müller, *Theologische Monatschrist von Hildesheim*, 1850, 4 tes Heft.

(4) Zaccaria *Bibl. Ritual.* 1, 75, primus hanc vocabuli vim indigitavit. Cf. Gregor. Turonen. de Vit. Patr., 16 : « Quadam Dominica ad missarum celebranda solemnia invitatur, dixitque fratribus : Jam oculi mei caligine obteguntur, nec possum *libellum* aspicere. » — *Hist. Francorum* II, 22 : « Ablato sibi nequiter libello per quem sacrosancta solemnia agere consueverat ita paratus a tempore cunctum festivitatis opus explicuit ut ab omnibus miraretur. » Hæc Cl. Mone.

(5) Capite 4 sui operis, p. 39 sqq.

(6) Erexit monasterium Reichenaviæ circa annum 724 Pirminius et ad superos anno 754 evasit.

(7) Ejusmodi termino, licet minus distincto, usos tamen et orthodoxos PP. vide ap. Petav. de Inc. l. III, c. 2, n. 8 sqq.

hujus vitæ jactamur. Sancti nimirum locum Moysis hic tenent et cum populus nondum mare hujus sæculi transierit, nondum pericula evaserit, triumphalem hymnum de nobis decantare non possunt. Nondum ita pergit contestatio, angelorum cœlestes voces audiuntur, quæ nos de parta victoria laudent, nisi forte nos laudare possunt propter eximium ac divinum plane opus quo fungimur, angeli qui sacrosancto sacrificio astant. Digne igitur opus Dei non possumus conficere neque majestatem tanti sacrificii explicare, hoc est verbis exponere atque extollere; nihilominus frequentare usum concessi muneris nitamur oportet, ne Deo cultus, populo gratia desit. En manifestum loci istius sensum. Quod ad alterum utrumque attinet, fatendum est ad persecutiones et perversionis periculum inde exortum respicere, maxime cum in septimæ missæ præfatione inter diversos ordines, pro quibus Deum exorat sacerdos, nulla adhuc Christianorum principum mentio fiat. Nihil tamen inde sequitur, nisi quod partes quædam liturgiæ antiquissimæ sint et persecutionum tempore conscriptæ; nullo tamen modo legitime inde concludas, formam istam liturgiæ integram, qualem exhibet exemplar Reichenaviense ad ejusmodi tempora referendam esse. Nam et in missis Mabillonii ambabus similia prosunt (8), cum tamen harum missarum epocha certissime multo magis adhuc deprimenda sit. Denique nec sæculo v deerant persecutiones ab Arianis barbaris motæ, nec perversionis periculum inde exortum.

His præstitutis vix operæ pretium erit, fusiori calamo ea perstringere ex quibus Mone speciatim ad primam et celebratissimam in Galliis Ecclesiæ calamitatem allegata verba referre studuit. Vix enim sunt, quæ in omnibus persecutionibus facta non fuerint, vel nonnisi mutata lectione contortisque interpretationibus ad editoris sensum inflecti possint. Tot sunt denique documenta sequioris ætatis eaque manifestissima, ut in his diutius immorari non conveniat.

Habes præprimis formulas dogmatum, quæ a sæculi II vel III, non dico doctrina, loquendi tamen modo discedant. Vox *Triadis* vel *Trinitatis* vix non in quavis pagina occurrit, cum ejus usus sæculo Ecclesiæ III parcus admodum exstiterit: prima vice apud Antiochenum Theophilum, postea vero apud Tertullianum invenies. Tertiæ missæ collectio τὸ ὁμοούσιον Nicænum exhibet his verbis: « Filium cum Patrem semper exstantem, omnia sæcula *consubstantialiter* et æqualiter dominantem. » Contestatio vero ejusdem missæ Spiritum sanctum dicit ex Patre *et Filio* mystica processione subsistentem. Hæc vero additio ad symbolum facta est eo tempore quo incurrentes barbari Arianæ factioni dediti Gallias et Hispaniam devastabant, ut adversus eorum errorem Spiritus sancti divinitas definiretur, inter omnes prima synodus Galleciensis anni 447 ejusmodi additamentum adhibuit. Proinde ante sæculi V initium vix ejusmodi controversia in Galliis mota fuisse videtur et vix in publica liturgia ejusmodi formula adhibita; imo antiquissimum forsan ejusmodi formulæ monumentum in nostris missis adesse, postea apparebit.

Nos, nisi fallimur, ex quibusdam illius quintæ missæ contestationis verbis alterum momentum detexisse nobis videmur, ex quo perspicue satis sequatur, non ante sæculi V initium conscriptam fuisse liturgiam nostram. Nimirum ait liturgus, hominem utpote limum indignum quidem esse, qui Deum laudet, sed ipsum Deum huic limo mentem immortalem inspirasse, legem prophetasque dedisse, hoc limo Salvatorem in cruce triumphasse; denique addit: « Quid loquar, ad horum cineres martyrum torqueri incorporeas potestates: urit hic limus, quos flamma non tangit; torquet favilla, quos ungulæ pœna non invenit; auditur gemitus, quorum tormenta non cernimus. » Hæc sane videntur ad facta quædam spectatissima, quæ liturgiæ tempora præcesserint, pertinere. Vix enim post generica illa, quibus hominis dignitatem extulerat, tam speciale factum retulisset auctor liturgiæ, nisi ejusmodi fuisset, quod exiguo ante conscriptam liturgiam tempore omnium animos perculisset. Atqui similia apud Gregorium Turonensem reperimus qui l. II De gloria martyrum, c. 30, de miraculis sanctissimi martyris Juliani disserens, narrat quæ sequuntur: « Energumeni vero cum advenerint, plerumque evomunt in sanctum Dei convicia, cur sanctos alios ad sua convocet festa, ipsosque nominatim confitentes eorum fatentur virtutes et merita. Aiunt enim: Sufficiat tibi, Juliane, nos propria virtute *torquere*. Ut quid reliquos provocas? Quid invitas extraneos? Ecce Martinum Pannonicum inimicum jugiter nostrum, qui tres a nostris cavernis repulit mortuos. Adest Privatus ex gabalis, qui oves suas barbaris, nostra instigatione commotis, tradere noluit. Advenit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, incolis præsidium misit. Quid Symphorianum Æduum, quid Saturninum vocas Tolosanum? Aggregasti concilium, ut nobis ingeras infernale tormentum. Hæc et his similia dicentibus, ita sanctos Dei humanis mentibus repræsentant, ut nulli sit dubium eos inibi commorari: multi tamen ab his infirmi curantur et sani recedunt. » Energumenum narrat (9) coram Juliani reliquiis « percussis palmis cœpisse debacchando clamare vel dicere quod martyris Juliani virtute *exureretur*, » postea vero tactu pignoris sacri fuisse liberatum. Porro cum Turrone (10) reliquiæ Juliani deferrentur ad basilicam in ejus honorem exstructam, conquestum energumenum, quod Martinus Juliano se junxerit. Jam vero quam crebro hæc acta sint, ex iis conjicere licet, quibus narrationem hanc conclusit Gregorius: « Jam exinde tempore procedente quanti ibi energumeni, frigoritici vel diversis morbis oppressi martyris virtute sanati sint, nec nomina retineri, nec numerus potuit colligi. » Atqui ipse Julianus sub Diocletiano martyrium subiit; hæc porro omnia in ejus basilica Brivatensi acta sunt, quæ, ut ex ipso Gregorio (11) conjicere licet, eo tempore exstructa est, quo Burgundiones in Galliam vix irruerant, sæculo igitur V ineunte.

Hæc ipsa nos movent, ne cum Cl. J. G. Mueller, professore Hildesiensi, qui cæteroquin Moniana sphalmata egregie ac iisdem fere ac nos rationibus solvit, liturgiam nostram in alteram sæculi IV partem referamus. Nam et ea quæ ex Juliani Vita retulimus, et ea quæ de Spiritus sancti processione habentur ejusmodi libelli ætatem non admittunt. Accedit denique character codicis, quem Cl. Mone, hac in re judex competens, partis mediæ prioris sæculi V esse evicit. Nempe missa S. Germani adjecta eodem fere charactere scripta est ac codex canonum Darmstadianus anni 535, neque junioris ætatis esse potest, cum seriores codices jam in multis divergant. Character vero decem missarum sæculi IV esse posset, nisi *d* minus occurreret unde in priorem partem sæculi V reponendum esse, jure censet.

(8) Lit. Gallican. l. III, p. 243, 244. Patrologiæ nostræ t. LXXII, col. 27 A, *Oratio pro exsulibus*. Mus. Italicum, t. I, p. 320, Patrol. t. LXXII, col. 497. C *Oratio pro his qui custodiarum vinculis et captivitate detenti Pascha interesse non possunt*.

(9) C. 44.

(10) C. 34.

(11) C. 7 et 9

1-4. Ex decem primis missis. — 5, 6. Ex missa S. Germani Antissiod. — 7. Orationes additæ manu sæculi VI. — 14-18. Ex decem missis.

RESGRATIAE DEBITORES.

1. HIC CONTINUATIONE HENE

2. CATOSCO NOMINE SUO IU

3. SPOSCO NOMINE IHCON

4. RCUIUS TULIT IMPIETUS

5. RIUS DOCTRINAE RELIGIONIS

6. UELOCITER LIBERAUIT QUO

7. [illegible] RIT CRUCE

ALIAS ORATIO DE NATAL

8. Adesto dne supplicationibus nostris et populum tuum quite factorem conde

EODEM DIE NATAL SCI

9. FELICISSIMI FTAGAPITI.

10. Familiam tuam dñe propitius
inuere et apostolicis defende
et fun de super hanc oratio
nem domum bene dictio
nem tuam.

11.

12. Nec per ozoza
lia peccati poena
nec per diluuii est
ecb lecta sententia;

13. [illegible] maxime.

14. [illegible]

Quo semel statuto, missas nostras, si forsan minutissima quædam excipias, antiquissimum Gallicanæ liturgiæ monumentum esse exsurgit. Nam missa Gothico-Gallicana, a beato Joanne Maria cardinali Thomasio (12) edita, post annum 687 reponenda est, cum S. Leodegarium hoc ipso anno mortuum commemoret, et sæculi VIII ineuntis esse videatur. Alterum Sacramentarium Gothico-Gallicanum, quod Mabillonius Museo suo Italico inseruit (13), sæculi VI exeuntis vel VII ineuntis est, cum Martinum et Benedictum in canone recenseat et B. Sigismundum, a. 523 ab Arianis occisum, celebret.

Præter venerandam antiquitatem, traditionis ecclesiasticæ monumenta, quæ hac nostra liturgia continentur, celebranda sunt, quæ ex dictis ad sæculi V partem priorem referenda sunt. Habes missæ sacrificium (14), orationem pro defunctis (15), cultum sanctorum (16) et reliquiarum (17), pœnitentiæ sacramentum (18), missæ fructum pro defunctis (19). Quod vero imprimis notandum, transsubstantiationis documenta insignia prosunt. Missa tertia Deum invocat, « ut suæ potestatis sanctificationem largita, hæc oblatio in Christi corpore et cruore *conversa* proficiat » ; porro, « ut his creaturis altario tuo superpositis spiritus sanctificationis infundas, ut per transfusione cælestis adque invisibilis sacramenti panis hic *mutatus* in carne et calex translatus in sanguine sit totius gratia, » etc. Quarta denique missa, « ut fiat nobis legitima eucharistia in *transformatione* corporis et sanguinis Domini. » Hæc sane vox *transformationis* non ut apud nos fieri assolet, de mutatione formæ cujusdam exterioris tantummodo est interpretanda. Nam forma, μορφή, apud antiquos idem valebat atque οὐσία, præeunte Apostolo, qui Phil. II, 6, ait Christum, cum in forma Dei esset, formam servi accepisse. Quare Patres non raro utramque in Christo naturam formæ appellatione designarunt (20) unde et Psellus : Οὐσία μὲν οὖν καὶ μορφὴ καὶ φύσις ἐν τῷ Λόγῳ.

Denique de ipsa methodo, qua cl. Mone textum typis excudi curavit, hæc prænotanda sunt, quæ ipse monuit. Vetustum comma, quod cifræ J simile est, moderno signo reddidit. Interpunctionem, quam dicunt, codicis retenuit ; quæ cum a nostra mirum quantum divergat, signa potius cantus quam dividendi sensus videntur. Missarum numerum uncis inclusum et litteris cursivis impressum ipsemet addidit, similiter et orationum nomina ad instar Sacramentarii Gothici apud Mabillonium. Tituli vero orationum et numeri missarum, qui in codice superstites exstabant, majoribus et stantibus characteribus redduntur. Foliorum codicis numerus in margine additur et cujusque folii finis verticali lineola indicatur. Notas Moneanas, quantum fieri oportuit, retinuimus, pauca addidimus.

(12) Codices sacramentorum, Romæ 1680, p. 263. Patrol. t. LXXII.
(13) Mus. Ital. t. I, p. 278.
(14) Missa 2, oratt. ad pacem, post mysterium ; missa 4, collectio ; missa 5, post secreta.
(15) In oratt. post nomina missarum 2. 3. 4. 5. 8.
(16) Missa 9, 11.
(17) Missæ 5 in contestatione.
(18) Miss. 4, cont. 2.
(19) Missa 8, orat. post nom.
(20) Petav. l. VII de Inc., c. 8, n. 3, 9 ; l. IV de Trin., c. 3, n. 2 : « Iis quæ celebratissimus auctor contulit, addere licet Ovidium, qui initio operis μεταμόρφωσιν non aliter se intelligere indicat, quam essentiæ mutationem » :

> In nova fert animus mutatas dicere formas
> Corpora.

Id interpretibus usus antiqui ignaris tam peregrinum visum est, ut Scaliger *principium infelix admodum* vocaret, Vossius hypallagen admitteret. Acutius rem suspicatus est de Saint-Ange, Gallicanus Ovidii interpres. (*Œuvres de Saint-Ange*, t. II, Paris, 1823, p. 148.) Porro allegandus est Tertullianus adversus Praxeam (c. 22), qui, ut Verbum assumpta humanitate immutatum non fuisse ostenderet : « Deum, inquit, immutabilem et *informabilem* credi necesse est, ut æternum. *Transfiguratio* autem interemptio est pristini. Omne enim quodcunque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat..... Sermo autem Deus et sermo Domini manet in ævum, perseverando scilicet in sua *forma*..... si enim Sermo ex *transfiguratione* et *demutatione substantiæ* caro factus est, una jam erit *substantia* Jesu ex duabus. »

MISSÆ GALLICANÆ UNDECIM

A F. J. MONE

ARCHIVIO MAGNI DUCIS BADENSIUM PRÆFECTO

DETECTÆ.

(*Lateinische und Griechische Messen aus den zweiten bis sechsten Jahrhundert* herausgegeben von Franz Joseph Mone, Archivdirector zu Karlsruhe.)

(*MISSA* I.)

(*ante orationem dominicam*)... cato sancto nomine suo iubeat liberari et iam eos nostris praecibus adiuuemus. qui ignorantes adhuc iter uerum a diabulo in erroribus saeculi detinentur. ut omnes agnitione suae maiestatis inluminet per Jhesum Christum dominum nostrum cujus mandata retenentes (21) oramus et dicimus.

(*post orationem dominicam.*) Libera domine libera nus ab omni malo. et constitue nos in omni opere

(21) Apud Mabillon, 202, *praecepta retinentes.*

bono (22) qui uiues et regnas cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. amen.

(*post communionem.*) Spirita- | li esca haustuque recreati (23) omnipotentem deum patrem debita gratiarum actione ueneremur per dominum nostrum Jhesum Christum filium suum uiuentem manentemque secum cum spiritu sancto in aeterna saecula saeculorum. amen.

(*collectio.*) Exaudi nos Deus pater omnipotens et praesta quae petimus per dominum Jhesum Christum filium tuum qui uiuet (24) regnat deus in saecula seculorum (25).

(*benedictio.*) Sit domine meseratio tua digna misericordia uox petentum cunctus (26) | respiciens jn singulus non repelles. hoc uotiuum nobis faciens. quod necessarium esse cognusces. ne aliut nostra intemperantia studeat petere. quam tua praesciat potentia conuenire. p. d.

(*MISSA* II.)

(*collectio.*) Deum fidelium saluatorem, conseruatoremque credentium. deum aeterne. inmortalitatis auctorem. fratres dilectissimi. unianimiter dominum depraecemur. ut nobis pietatis suae dono spiritali | misericordiam indeficienter inperciat p. d.

(*collectio ante nomina.*) Deus qui pro magnitudinem tuam per uniuersa deffunderis et ubi (27) tamen totus adsistis. discriteus (28) omnium uoluntatis qualitatebus locis temporibus adque personis. uotorum omnium capax. propiciatus exaudi. dum ad cunctus adspices foues (29) omnebus misereris. p. d.

(*post nomina.*) Recitata nomina dominus benedicat et accep- | ta sit domino uti huius oblatio. nostrisque praecebus intercessio suffragetur. spiritibus quoque karorum nostrorum laetis sedibus conquiiscant. et primi (30) resurrectionis gaudia consequantur. p. d. nm.

(*ad pacem.*) Exaudi nos deus salutares (31) noster. et in consortio nos diuinorum sacrificiorum dignanter admitte. hac (32) pacem tuam benignus largire. p. d.

(*contestatio.*) Dignum et iustum est. equum et iustum est ut te sancte pater omnipotens æterne deus. omnibus locis. omnibusque temporibus. per omnia momenta ueneremur. tibi supplices simus. tibi deferamus praecis (33), te totis stodiis et effectibus (34) adoremus. deus qui ultra omnibus (35) uirtutis. ultra omnis es potestatis. deux uniuersorum arbiter. judex secretorum. quem caeli et terra. quem angeli | et archangeli. quem throni et dominationis. quem cherubin. et serafin. incessabili uoce proclamant dicentes. SS. SCS. SS.

(*contestatio.*) Dignum et iustum est. nos tibi gratias agere domine deus per Xpm Jhm filium tuum. qui cum deus esset aeternus. homo fieri pro nostra salute dignatus est. O unice singulare. et multiplex saluatoris nostri mysterium. nam unus idemque et deus summus et homo perfectus, | et pontifex maximus, et sacrificii sacratissimum. secundum diuinam potentiam creauit omnia. secundum humanam conditionem liberabit (36) hominem. secundum uim sacrificii expiauit conmaculatus (37). secundum jus sacerdocii reconciliauit offensus. O unice redemptionis. mysterium singulare. in quo uetusta illa uulnera. nova domino (38) medicina sanauit. et primi hominis praeiudi- | cia. salutares nostri praeuiligia resciderunt ille concupiscentiae exagitatus stimolis. hic oboedientiae, confixus est clauis. ille ad arborem manus incontinenter extendit. iste ad crucem pacienter abtauit. ille uoluptate inlecitus gustus explebit. iste cruciatu indebite dolores (39) afflictus est. ideo merito poena innocentiae facta est absolutio debetores jure. etenim obnoxii demittuntur debita | quae pro eis ille qui nihil habebat absoluit. quod singulare mystirium. non solum homines in terris. uerum etiam. angeli uenerantur in caelis. cui me (40).

(*post sanctus.*) Uere sanctus. uere benedictus dominus noster Jhs Xps filius tuus (41). qui pridie.

(*post mysterium.*) Domini ac dei nostri sempeterni gloriam depraecemur. orantis (42) uti hoc sacrificium tua benedictione. benedictas et sancti spiritus tui rore perfundas. ut accipientibus uniuersis. legitima sit eucharestia (43) per Jhm Xpm filium tuum deum ac dominum conseruatoremque nostrum. cui

(22) Mabillon, 192, *libera nos ab omni malo, et custodi nos in omni opere bono.* P. 189. *libera nos a malo et custodi nos in bono.* Cf. pp. 294, 297 Constitut. apostol. VIII, 8 : Δεηθῶμεν ὅπως ἀποστραφέντες πᾶν ἔργον ἀθέμιτον, προσοικειωθῶσι πάσῃ πράξει ἀγαθῇ. Missa S. Basilii ap. Goar, Rit. Graec. p. 148 : Ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ ἀπόστησον παντὶ δὲ ἔργῳ ἀγαθῷ σύναψον. Ex Epist. ad Titum III, 1.

(23) Mabillon, 190, *cœlesti cibo potuque recreati.* 203, *refecti spiritali cibo et cœlesti poculo reparati.* 296, *spiritalibus pasti epulis.*

(24) Est tempus præsens, sicut et *vives*, ad modum linguæ rusticæ.

(25) Eadem oratio in missa 6 habetur.

(26) Hoc est *cunctos.*

(27) Mendum amanuensis. Leg. *ubique.*

(28) Hoc est *discretius.*

(29) *Faves.*

(30) *Primæ*, sicut apud Mabill. 292, *in prima anastasi cum sanctis et electis tuis* ; p. 299, *in prima resurrectione* Apoc. XX, 5 ; I Thess. IV, 16.

(31) Hoc est *salutaris.*

(32) *Hanc.* Omissum est abbreviationis signum.

(33) Hoc est *preces.*

(34) *Affectibus.*

(35) *Omnes.*

(36) Est tempus perfectum, sicut et infra *explebit.*

(37) Est accus. plur., sicut et *offensus.*

(38) *Domini.*

(39) Hoc est *doloris*, sicut infra *debetores.*

(40) Tota clausula est et apud Mabill., pag. 195-200.

(41) Post *sanctus* sequitur in Constit. apost. VIII, 12, similis oratio, cujus initium hoc est : Ἅγιος γάρ εἶ ὡς ἀληθῶς-σοῦ Υἱὸς ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ χριστός. Cf. missam S. Basilii apud Goar Rit. Græc., p. 142, et liturgiam S. Jacobi ap. Renaudot, II, 31.

(42) Est nom. plur.

(43) *Eucharistia legitima* etiam apud Mabill. 202, 251, 296. Ita in missa 4 et in 5, cum prædicato *veræ*, *puræ*, *legitimæ*.

est aput te domine cum spiritum sanctum (44) regnum sempiternum perpetua diuinitas in sæcula seculorum amen (45).

(*MISSA* III.)

(*collectio.*) Omnipotentem deum in trinitatem (46) uenerabilis subsistentem patrem diuinitatis. auctorem. filium cum patrem semper extantem omnia sæcula. consubstantialiter et | aequaliter dominantem. fratres karissimi (47). dilectionis plinitudinem depraecemur. ut sinsus nostri terrensis actibus segregati. illi inseparabiliter. copolentur. a quo se intellegunt. accepisse quod uiuunt. et cum auctore suo se humiliando. mens deuota subdederint reparatur noster exaltet. inclinata. maiestatis potentiam quos redemit. p. d.

(*ante nomina.*) Deus qui exuberantem fontem misericor- | diae. tardus ad uindicta (48). celeriter ad ueniam. quem peccatorum nostrorum non ignorantia reuocat. sed patientia clementer expectat. propiciosa a (49) nobis te indulge. intellectum. dilige dilectum inrepraehinsibiliter. emitari. ut uitantis. qui morimur ualeamus accidire (50) te praeuio quo uiuamus. p. d. nm.

(*post nomina.*) Propiciatorem nostris facinoribus fratres amantissimi uene- | rabiliter supplicis exoremus. ut recitatis nominibus defunctorum (51) dignanter munera respiciat offerentum. ut suae potestatis sanctificationem (52) largita. haec oblatio in Xpi corpore et cruore conuersa proviciat, defunctis ad requiem fiat. offerentibus ad mercidem maniat. sumentibus ad salutem, p. d. nm.

(*ad pacem.*) Deus uniuersalis creaturæ dominatur (53) et conditur. quem agnuscere lux est. et colere salus | desiderare corona est. suscipere humilitatis nostrae libenter. et tribuae diuinitatis tuae dignanter indulta. ut qui munira tui honoris offerimus. culpae nostrae debita non luamus. depraecantes ut quicumque junguntur ad osculum. magis inlegentur (54) affectu téneantur (55) hoc pectore quod ore profertur. p, q. I. Xm.

(*contestatio.*) Dignum et iustum est. uere equum et iustum est. nos tibi gratias agere omnipotens. aeterne deus, | pater unigenite spiritus sancte. ex patre et filio mystica processione. subsistens. una eademque in sanctam trinitatem trium personarum substantiam. coaeterna essent. et non discreta concordia. aequalis potentia. uoluntas unita. ipsa apud se permanens. ante tempora uniuersa uel saecula nihil ultra se habens. nihil intra se nesciens. cuncta supereminens. et se cunctis infundens, loca continens. et locis excedens. nullius | indigens. et omnia complens. sermone ineffabilis. uirtute efficax. etsi uoce non capax solo praecepto potentiae. caelum terram maria cum suis formis in generibus procreasti. sed inter reliquas animantium creaturas et (56) peculiarius in tua laude uiuerint (57) hominem ad imaginem in similitudinem beatissima trinitatis condedisti ut conlocatus in suauitate paradyssi creaturi seruiens, creaturis reliquis imperarit. | et tibi fedeliter famolando haberit in aliis generibus dominatum. sed culpa (58) praeuarecatione admissa. homine proiecto. de uita. paradissi successit mors de poena. peccati. et iacebat in tenebris, tuae lucis. iussa contemnens. inter hoc nullus erat. qui caeco lumen ostenderit. postramanuu (59) porregerit (60). exoli patriam redderit. sepulto uitae munera reformarit. tu autem climens et conditor condo- | lens tuo homini praeualuisse. culpam peccati, ut iacens potuissit erigi. ad illum inclinata potentia discendisti. in hoc enim personam (61) unigeniti fili humana (62) carnis absoluit. et quod omnipotens dedit per pietatem humilis reformanit formis. igitur digne proferat. quod indignis praestetit diuinae clemen_ tiae. et deum admirabiliter. uniretur divinitas. et homini per deo trebuetur aeternitas (63), cui me.

(*contestatio.*) Dignum et iustum est. uere equum et iustum est. et sanctum est. nos tibi gratias agere. domine sancte patei omnipotens aeterne deus. praecem fundere te confetiri. in tuis laudibus gloriari. qui omnem (64) uerbum. iubes sapientia. sapientia disponis uirtutem. (65) confirmas, rationem dispensas, digne igitur ac iuste. te laudare quem omnis angeli cumlaudant, et astra mirantur, maria be- | nedicunt, terra ueneratur. ininferna (66) suscipiunt, cui cyruphym et seraphym non cessant. clamare dicentes :

(*post sanctus.*) Benedictus deus et clementi proposito. pro erudiendis (67). mortalitatis nostræ fa-

(44) Loco ablativi.
(45) Hæc missa non est integra, nam desunt orationes post consecrationem. Duplicem porro habet præfationem sicut et aliæ ex sequentibus.
(46) Hic plures accusativi loco ablativi sequuntur.
(47) In codice habeo F KI. Hic alloquendi modus in antiquissimis Sacramentariis et Homiliariis habetur. Cf. Mabill. 190, 204, 283. Missale Francum sæpius formula *dilectissimi fratres* utitur, quæ tamen et in nostris missis occurrit. Epitaphia Romana etiam scribendi modo hoc *karissimus* utuntur, et est hic siglus, quem dicunt, lapidaris.
(48) *Vindictam.* Deest abbreviationis signum.
(49) Locus usque finem corruptus.
(50) *Accedere.*
(51) Mab. 218, *nominum serie relata aequinctorum.*
(52) Loco ablativi.
(53) *Dominator.*
(54) *Illigentur.*
(55) *Teneant.*
(56) *Ut.*
(57) *Viveret.*
(58) *Culpæ.*
(59) *Prostrato manum.*
(60) *Porrigeret.*
(61) *Persona.*
(62) *Humanæ*
(63) Ejusmodi orationes, quæ de creatione ac fine hominis, peccato Adæ ac redemptione tractant, in liturgiis Orientalium ante consecrationem crebro reperiuntur. Cf. Constit. apost, VII, 35, 36 ; Liturg. Copt. S. Basilii, S. Gregorii et al. apud Renaudot.
(64) *Omne.*
(65) *Virtute,* sicut postea *ratione.*
(66) Mendum amanuensis pro *inferna.*
(67) *Eradicandis.*

cinoribus, infertis (63) ipse (69) etiam unigenitus pro parte quae (70) caro factus est. abitus (71) est. mortalis ultro se subdens ludibriis. et colomna sui corporis, dilectionis nostrae ruinas fulcirit | ac sui casus condere (72) hostes arma conterens forciore rubore (73) quam ecclesiam ruiramus (74) erigit. p. d. Qui pridie.

(*post secreta.*) Recolentes igitur. et seruantes praecepta (75) unigeniti. depraecamur pater omnipotens. ut his creaturis altario tuo superpositis spiritus sanctificationis infundas, ut per transfusione caelestis. adque inuisibilis sacramenti. panis hic mutatur, in carne (76), et | calex translatus in sanguine (77), sit totius gratia, sit sumentibus medicina. p. d.

(*MISSA* IV.)

POST PROFETIAM (78). Dum profitica dicta, nostrae deuotionis cometamur obsequiis. et benedictionem reddimus gratias, et uecessitudinem pro uisitatione desoluemus, et quia omnipotens plebi suae fecit in domo Dauid cornu erecturus. et gaudio adsignans, post spacia temporum, uaticinia profetarum, gressusque nostros. | et uia uaces dirigens, et salutes p. d. nm. Ihm. Xpm.

VI. (79) (*praefatio.*) (80) Unum deum patrem et filium hac spirito sancto, diuisis personarum nominibus, indiuisa diuinitate confessi. fratres. karissimi. totis mentibus depraecemur, ut in omni loco. uel tempore, cuncti fidem rectam uitam habiant innocentem, auctorem conditionibus suae (81) ac redemptiones agnuscant resurrecturus se, ac secundum sua opera iudi- | candus intellegant. et quia ex uiciate naturae, contacto nostrae uoluntatis habit fragilitas, ut laedatur suae benignitatis praestit pietas ut placetur. p. d. nm.

(*ante nomina.*) Deus cuius tam inmensa est. bonitas, quam potestas, praesta quod iustis polliceris. accepire quod reis minaris, euadere, ueraciter te credere, rationabiliter confetiri, salubriter conuersari (82), sit quies. adridat, | te colere, si timptatio ingruat non negare, temporariae uitae, necessariis abundare. aeternis gaudiis non carere p. d.

(*post nomina.*) Sanctifica tua omnipotens deus ea quae a te ordinata sunt, plagabilitate dignatur. libens suscipe. quod offeremus, et clemins indulgeat, quod laetamus, sanctorum tuorum nos gloriosa merita. ne in poena (83) ueniamus. excusent, defunctorum fedilium. animae quae beate- | tudinem (84) gaudent, nobis opetulentur, quae consolatione indigent, ecclesiae praecibus. absoluantur, quorumque oblatio, quorum ante altarem (85) tuum, nomina recitantur. ita sit in tuis oculis placita, ut illis sit in beneficiis copiosa p. d. nm.

(*ad pacem.*) Dona nobis domine deus noster, in custodienda. pacem tuum donum, tuumque depositum custudire, et sic in nominibus sequi quam ipsi (86), | jubias. et trebues caritate, ut in aliquibus culpas noueremus odisse. non animas, finem optare crimine, non salute si cunctis, concordia sit amori. ut discordia. nec inferre ulli liceat. nec referre p. d.

(*contestatio.*) Dignum et iustum est. omnipotens pater. tibi semper gratias agere, te super omnia diligere, pro omnibus te laudare, cujus munera (87) cunctis homenibus. imaginis tuae, dignitas concedetur. in natu- | ra. aeternitatis facultas dignatur. in anima libertas arbitrii praestatur in uita filicitas baptismi offertur. in gratia hereditas. caeli promittetur in innocentia. utelitas remedii seruatur. in paenitentia bonitatis ueniam. (88) iniqnitatis poenam. proponetur. ut habundantius in omnes homines dei pietas, nec in militia uellit degenere (89) quos condedit, nec in ignorantia perire. quos docuit. nec in supplicio permanere quos diliget. nec a regno discedere | quos redemit, ante cujus conspectu. (90) omnes angeli non cessant clamare dicentes. SSS.

ITEM CONTESTATIO. Dignum et iustum est. nos tibi semper gratias agere, trinitas deus. cujus nos potestas uerbo creauit, per (91) mereto nostro offensa damnauit, per filio (92) pietas liberauit. per baptismum et paenitentia. ad caelos uocauit. cui m. omnes. SS.

POST SANCTUS DICES. Deus qui nos caelestium numquid hymnum tibi uis offerri sed meretum et

(68) *Illatis.*
(69) Hoc est *ipsi.*
(70) *Qua.*
(71) *Habitus.*
(72) *Pondere.*
(73) *Robore.*
(74) Hic aliquid deesse videtur.
(75) *Recolimus passionem* Mab., p. 192, 222. *Hæc igitur præcepta servantes* 227.
(76) Loco accusativi sicut inferius, *sanguine.*
(77) Sic et in liturgiis Orientalium adhibetur ἐπίκλησις Spiritus sancti ut elementa immutet.
(78) Hunc titulum nonnumquam et Mabillonius habet (p. 190, 251). In ejusmodi missis sequens oratio post prec. dicitur. Notetur porro numerum V post hanc orationem haberi. Unde concludere licet orationem *post prophetiam* non in omnibus missis fuisse. Nam alioquin oportuisset eam ad præcedentem bricam adjicere.
(79) Ex hoc numero concludendum est duas missas ex hoc ordine deesse. Alias plane in Missali non præcessisse minus dextere inde conclusit cl. Mone. D.
(80) Hæc oratio sæpius in Missali Gothico occurrit, sed absque titulo. Utrum *præfatio* an ad solitum *collectio* dicenda sit dubium videtur.
(81) *conditionis.* Dialectus amanuensis genitivum casum tertiæ declinationis in *es* habebat. Formam *is* nonnunquam dativum pluralem esse opinatus est, atque in *ibus* immutavit, sicut in fine missæ hujus, *benedictionis* loco dativi *benedictionibus* positum occurrit.
(82) Mab., 219, *salubriter conversari*
(83) *pœnam.*
(84) Loco ablativi.
(85) *altare.*
(86) *ipse.*
(87) *munere.*
(88) Loco nominativi.
(89) *Leg.* degenerare.
(90) Loco accus.
(91) *pro.*
(92) *filium.*

sacrum, angelorum tam | loca tenere quam carmena dona qui supernarum uirtutum concentum. in tua praedicationem (93) sumemus etiam superiores uitae affectum. ex correctione. sumamus. illa domini nostri Ihū Xpi que in memoria (94) passionis suae tradedit uerba dicturi p. d. Qui pridie.

COLLECTIO. Deus Abraham. deus Isaac. deus Jacob deus et pater domini nostri Ihū Xpi tu de caelis tuis. propitius affauens. hoc sacrificium nostrum. indullentissima pietate prosequere. discendat | domine plenitudo. magistatis. diuinitatis, pietatis. uirtutis, benedictionibus (95) et gloriae tuae. super hunc panem. et super hunc calicem. et fiat nobis. legitima eucharistia in transformatione (96) corporis et sanguinis domini. ut quicumque et cotienscumque ex hoc panem. et ex hoc calice libaberimus. sumamus nobis. monimentum, fidei. sincerem dilectiones. tranquilla (97) spem resurrectionis. adque inmortalitatis aeterne in tuo filique tui. hac....

(*MISSA* V.)

(*contestatio.*) res gratiae debitores, iugi continuatione (98), ueneremur, seu cum publica praece sacra adolemus altaria, siue cum secretis mentium penetralibus ineffabilia dicta quae feceris, aestimantes tacito fouemus adfectu, justae enim uox (99) tuae rex gentium. quis non timebit. et magnificabit nomen tuum. nullae quidem nobis adhuc cythare personant. sancti tui. qui bestiam saeculi hujus. concordia uirtutum perseverante uicerint (100) | nullum de nobis Moysi canticum. qui inter fluctus adhuc istius saeculi uolutamur. nulla uox angelorum nisi forte laudare nos possunt, qui adesse nobis possent, cum filii tui dilectissimi corpus sacramus et sanguinem, sed pia cura pro populo. et sancta pro salute plebis oratio. et mens cultui intenta diuino si non potest maiestatem tanti operis explecare, nititur tamen usum concessi muneris, frequentare, quis enim | possit perfuncturio sensu, diuina tua praeterire munera, tu corruptibili. limo lutoque solubili spiritu (101) uitae insufflare dignatus es, hominem fecisti esse quod limos est. (102) materiamque mortalem, ad imaginem similitudinemque tuam spiritali uiuificasti uigore naturae, ut pigram humum hebetemque limum igneus uigor. intus animaret. agilisque motu uenae tepentis. caro nostra uiuesceret, quid sumus. et quantum eruemus | huic limo leges. huic limo profetarum oracula (103) angelorum ministeria militarunt, huic limo ipse dominus Ihesus

(93) Loco aolat.
(94) *memoriam.*
(95) *benedictionis.*
(96) Hac de voce vide Prolegomena nostra. D.
(97) Loco accus.
(98) Nempe iterata sanctissimi sacrificii celebratione. Verba sequentia *secretis* et *tanto* ad Canonem missæ respiciunt, quem inde voce remissa tunc etiam recitatum fuisse concludas : ineffabilia dicta sunt verba institutionis eucharistiæ. MONE. — Forsan legendum erit *dictu*. D.

A labores miseratus humanos. cruce sui corporis triumfauit, quid loquar ad tuorum cineres martyrum torqueri incorporeas potestates, urit hic limus quos flamma non tangit, torquet faulla quos ungulæ poena non inuenit. auditur gemitus quorum tormenta non cernimus, et haec quam magna parui laboris prae- | mia, infilex uoluptas quod eicit misera caro. quid sibi inuidet. de caelo se reuocat, et luto reddit. nec hoc mirum si terra praeponderat. sed quia tu domine deus pater omnipotens. in tui unigeniti leuatus corpore caelum nos separare (104) iussisti. ne quaeso. patiar ui perire, nobis misericordiam tuam satis sit quod inclusa corpore anima in leges misera transit aßenas generisque poena communi pro errore unius est persoluta | amiserimus certe
B proerogatiuam naturae non amittamus redemptionis tuae gratiam, mercem igitur domine tuam tibi serua, quam fili tui dilectissimi tibi corpore conparasti, nihil huic carni debemus et sanguini (105) jussumque dominicae redemptionis. ut quemadmodum scriptum est. simus eius qui a mortuis resurrexit, merito tibi.

ALIA CONTESTATIO. Dignum et iustum est. aequum et iustum est, nos tibi gratias agere | sancte pater omnipotens deus qui quamuis magnitudinis tuae meritum digno sermone non ualemus attingere, laudis tamen debitum libentissime confitemur, cujus nomen inuictum regit caelum, terram maria, et cum ex te omnia tu in omnibus inueniris, es enim
C tam excellens. ut celsa possedeas, tam dignabilis ut terrena non deseras, sic etiam pius ut nec inferis desis, namque cum totus semper et ubique sis, clementia maiestatis tuae, | nota sideribus patefacta terrenis apud inferos manifestata perclaruit, quia miseratione qua polles. sic fidem credentium pascis, ut hoc tam copioso profetarum numerum (106) spiritus sanctus semper operatus sit, nec discrepans. alter ab alio sed potius deum unum et dei dona. omnis profetia consona voce testetur, ut eo sit nobis manifesta fides. qui abundantius profetarum numero et testimonio perhibetur. incrementum ma | ius habitura credulitatis (107) intentio cum conlatis, hinc et inde fidei membris plenitudo corporis inuenitur. nec frustra in nobis per saecula nuntiantur, uidelicet
D ne inopinantibus accederet caeleste beneficium. et difficile ignorantia crederet quod statim deberet, fides inluminata suscipere, traditis itaque legis ordinibus et inspiratis profetarum uocibus indicia cucurrerunt, ut cum caelesti beneficio gratularemur,

(99) Leg. *viæ*. MUELLER.
(100) *Sancti tui de persecutoribus suis et diabolo triumpharunt.* Mab. 198.
(101) Loco accusativi. Deest abbreviationis signum.
(102) *erimus.*
(103) Mab., 190, *oracula vatum.*
(104) Videtur mendosum.
(105) Rom. VIII, 12.
(106) *numero.*
(107) Mab., 280, *muro credulitatis inclusit.* Cre-

beneficiorum etiam | confiteremur auctorem qui dei clementiam uenerati praecolorata singula uideremus in Xpo, qualiter signa praemissa indicium mox futurae passionis ostenderent, ut captiuitatem generis humani triumphus passionis euinceret cum deus noster aduersarium mortis destruxerit qui mortis obtinuerat potestatem, cui merito.

OR. POST. SCS. Hic inquam Christus dominus noster. et deus noster qui sponte mortalibus | factus adsimiles (108) per omne (109) hunc aeui diem. inmaculatum tibi corpus ostendit. ueterisque delecti (110) idoneus expiator. sinceram inuiolatamque peccatis exhibuit animam, quam sordentem rursus sanguis elueret (111), abrogataque in ultimum lege moriendi. in caelo corpus perditum atque ad patris dexteram releuaret. p. d. im. Qui pridie.

POST SECRETA. Addit etiam istud edictum. ut quotienscumque corpus ipsius sumeretur. et sanguis. | commemoratio fierit dominicae passionis, quod nos facientis Jhesu Christi fili tui domini ac dei nostri. semper gloriam praedicamus, rogamus uti hoc sacrificium tua benedictione benedicas et sancti spiritus rore perfundas, ut accipientibus uniuersis, sit eucharia pura uera legitima, per Jhesum Christum filium tuum dominum ac deum nostrum qui uiuet et regnat tecum cum spiritu sancto in aeterna saecula saeculorum amen.

ITEM ORATIO. Oremus deum nostrum ut oblationem quam...

(*MISSA VI.*)

(*oratio ante nomina.*) ... (*po*) pulo. adsto (112) imperata seruicia. persoluenti sit saltim obidientia. pro meretum quia polloetur, conscientia. per reatum obteneatque ueniam quatrata confessio. quia amisit gloriam scelerata conuersatio. et quod in nobis stimolis carnalibus petolans culpa contraxit. purgent suspiria. per dolorem, quod perpetrasse caro cognuscetur uoluptate p. d.

POST (*nomina*) Offerentum nun- | copatione conpertamque etiam dantum. accipiendumque personas. nota uocabolorum. designatione, monstrauit ad delictam (113). praecum reuertamur officia, sperantes de potentiam trinitatis inminse ut et superstitum confirmi uota. et defunctorum laxit ergastola. ut uiuis praestans gratiam. pariter et sepultis. et os (114) exaudiat cum inuocauerint. et illus quia condam inuocauerunt non condemnet p. d.

(*ad pacem.*) Exaudi nos deus pater omnipotens. et praesta que petemus. p. d. pax domini sit.

(*contestatio.*) Dignum et iustum est. te laudare trinitas deus, qui hominem tuum limi glotino. quoagolante constrictum. et ad imaginis tuae. speciem concordantium. liniamentorum officio nurmali ratione plasmatum. effeceras. de terra sidereum. de puluere sempeternum, nam spiritum tuum infundens protenus per mem- | bra turpentia. caluit sanguis in uinis. (115) uigor in neruis. et ad caelestis *creatoris* (116) imperio mox meruit. terra. animam. anima spiritum. spiritus rationem (117). cui cuncta. operis tui elementa committens, sicut eum plasmaueras praestanciorem membris. ita uolueras esse sublimiorem et meretis. sed misire carnis. inlicebrosa uoluptate. flammatus concessa perdedit. dum inlicita concupiuit, nam dum dissimiles (118) fieri. per edulia in- | terdicta contendit, accepit confertim (119) pro aeternitatem mortim, pro edacitate ieiunium. pro praesumcione supplicium cunctisque mortalibus. conformis effectui meruit per culpam. quod non acceperat in naturam. sed formae tuae imaginis. miseratur. tibi doluit perire quod feceras. cum ille nescirit, se perdedisse quod dederas. igetur cum ipse captiuitates nescirit uinculum, tu raedemptionis | distenas (120) modum. mittendum (121) nobis. unigenitum tuum dominum ac deum nostrum Jhesum Christum. qui in se et per se nostrum nexus exsolueret. debetorum. qui mortem nostram. sua morte prosterneret et ulneres sui cruore pariter lymfaque perfusus purgaret. baptismo martyrio (122) coronarit. fieritque nobis praeuius in paradyso, raedemptor in tartaro doctor in mundo, inuitatur in caelo. cui merito.

ITEM CONTESTATIO. Dignum et iustum est. aequum et iustum est. hic et ubique tibi gratias agere domine sancte pater. aeterne deus. qui nos ex morte perpetua. adque ultimis inferorum tenebris euulsisti, materiamque mortalem luto solubili. congregatam filio tuo aeternitatique donasti, quis in laudibus tuis gratus relator, quis operum tuorum copiosus adsertor, te omnis lingua miratur, tuam cuncti | extollunt gloriam sacerdotes, tu chaos confusisque principiis, et nantum rerum. caliginem sempiternam, admira-

(108) *similis; ad* abundat.
(109) *omnem.*
(110) *delicti.*
(111) Hic aliquid deesse videtur. MONE. Vel saltem locus obscurus ac mendosus est. Sensus ejusmodi esse videtur ut voces *animæ* et *corporis* generice sint sumendæ tum de anima et corpore Christi, tum de cæterorum hominum. Hanc igitur animam in se immaculatam ostendit Christus Patri ut si rursus sordesceret in hominibus, sanguine ipsius iterum abluerétur. D.
(112) Videtur esse mendosum atque legendum *adesto*, ut apud Mabill. 210, *adesto tuæ plebi.*
(113) *dilecta.*
(114) *hos.*
(115) *venis.*
(116) Desunt litteræ cursivo charactere impressæ et a Mone ita suppletum est vocabulum.
(117) Similem climacom habes apud Mabill., 298, *propitiatus aspicias, aspiciendo sanctifices, sanctificando benedicas.* MONE. — Distinctio corporis, animæ et spiritus cum ratione ad Platonicam illam anthropologiam non est referenda, quæ trinam in homine substantiam admittebat, sed anima et spiritus distinctæ tantum sunt ejusdem substantiæ facultates. D.
(118) Mone, *dissimiles.* Cl. vero Mueller egregie animadvertit legendum esse *dis*, hoc est *diis similes.*
(119) *confestim.*
(120) *destinas.*
(121) *mittendo.*
(122) *martyrii.*

biles formas elementis, stupentibus addidisti, cum solis ignibus tener mundus (123) erubuit. et lunare commercium rudis terra mirata est, hac ne haec omnia nullus habitator ornaret, solisque rebus uacuis orbis intenderet, facta est de limo manibus tuis figura. praestantior. quam sacer ignis | intus animaret, pigrasque per partes agilis anima uiuesceret, scrutari non licet pater interiora mysteria, tibi soli operis tui nota maiestas, quid illud in homine quod pauidus artus. terraque uiuentem, clausus in uenis sanguis. interluit quod solutae corporum. species neruis rigentibus colliguntur, et in terris sola uisceribus. ossa redolescunt, sed unde tantum miseris bonum, ut filio tuo tibique si- | miles fingeremur, et aliquid de terra esse aeternum. beatae maiestates tuae praecepta perdidimus, mortalesque rursum in terram ex qua ueneramus inmersi deflebamus, aeterna doni tui amissa solacia, sed tua multiplex bonitas. inaestimataque maiestas, salutare uerbum misit e caelo, quod humani corporis inmixtione concretum. perditas saeculi partes. et uulnera antiqua curaret, ipsum igitur omnes angeli cum multiplici. turba sanctorum. incessabili uoce conlaudant dicentes. SSS.

(*post sanctus.*) Hanc in excelsis gloriae tuae laudem supernarum creaturarum uoce resonante, nobis quoque famulis tuis cognitam fieri pietas tua uoluit, et haec praecunia sedebus celebrata. sidereis. magnificentiae tuae donum. non solum noscendam famulis tuis. sed etiam himetandam (124) patuerunt, Qui pridie.

| (*post secreta.*) Respice igitur clementissime pater. filii instituta ecclesiae mystiria credentibus munera, a supplicantibus oblata et eroganda supplecantibus p. d. nm.

(*ante orationem dominicam.*) indigni quidem sumus nomina filiorum omnipotens deus sed iouente (125) te (126) domino nostro Jhesu Christo filio tuo. licet tripidantes tamen oboedientes, humili mente oramus et dicemus.

(*post orationem dominicam.*) Libera nus a malo nos- | tra libertas, quia tibi suli. licet augere merita. et demitti peccata. euacua nos ultiis. et reple nos uirtutibus, ut sanctificata atque auxta. sanctificet corda dum creditur. deleat peccata dum sumetur, ut hic et in aeternum salui esse mereamur p. d. nm.

(*post communionem.*) Refesti (127) esca caelesti. poculo domini recreati deo patri omnipotenti laudes et gratias referamus p. d.

(*benedictio.*) Exaudi nos domine et praesta quae te petimus, pacem tuam | perfectam de caelis. da nobis hodie pacificum quoque hunc diem. et citeros dies uitae nostrae praesta pacem p. d. nm.

III, (128) (*MISSA VII.*)

(*praefatio.*) Supplicantes. humili praece. dei patris, et domini nostri Jhesu Christi. maiestatem ubique dominantem. humili praece depraecemur, commemorationem facientes, pro omnibus epyscopis, praesbiteris diaconibus subdiaconibus omnibusque menistris suis. uti eos sancto spiritu regat. deuotum sibi ac dicatum | uirginum podorem. et continentium propositum integrum in omnibus intemeratumque concedat uiduarum laboriosam. tolerantiam sua miseratione confoueat, orfanis quoque open. paternæ pietatis indulgeat (129), misericordibus misericordiam largiatur, aegrotis medellam tribuat, ubertatem quoque terrae et frugum copiam sumministret, adflictos poenis. ac uexationibus. piasque omnium praeces exaudire dignetur p d. (130)

(*collectio.*) Exaudi nos deus pater omnipotens et praesta que petimus per unigenitum et primogenitom Jhesum Christum filium tuum dominum et deum nostrum uiuentem manentemque tecum. cum spiritu sancto in aeterna saecula saeculorum. amen

(*ante nomina.*) Oremus carissimi pro fratribus nostris. qui offerunt deo nostro spiritalia munera, petentes ut oblationis illorum. accepto ferre dignetur. restituat illis. pro modicis | ...

(*MISSA VIII.*)

(*praefatio.*)

Siderea de sede nitens bone conditur orbis,
te pietate probans non nostra hic crimina pinsas (131)
expositas admitte preces, et iudice libra
mitior aequali non reddens pondere poenam,
errores ignosce gregis pastorque fidilis
ereptis obibus (132) paradissi pabola reddas. p. d. n.

(*collectio.*)

Summe satur rerum, qui spinis cultor ad- | imptis (133)
catholicae ecclesiae plantaria fida locasti,
plecte (134) oculos ad uota pius. age mente serena,
haec ut apostoleco fodeatur uinea rastro,
adridens foliis, uiuaci palmite uernans,

(123) Proba Falconia, vers. 130 : *tener mundi orbis.*
(124) *imitandam.*
(125) *jubente.*
(126 *te* abundat. Mone. Forsan legendum est *te et.* D.
(127) *refecti.*
(128) Mone putat duas cifras deesse, nempe VI. ita ut missa ordine nona sit. Si tamen a numero VII missæ S. Germani regrediendo numeres, concordat numerus III cum illo VII, ita ut alius missarum ordo esse videatur, ex quo missæ quædam desint. D.
(129) Mab., 253, *devotum ac dicatum sibi virginalem pudorem et continentiæ propositum gloriosum atque beatum in omnibus custodiat ; viduarum laboriosam continentiam sua miseratione confoveat ; orphanis opem pietatis paternæ impertiat.*
(130) Cf. orationem apud Mabill., 294.
(131) *pensas.*
(132) *ovibus.*
(133) Mab., 251, *Deus qui, evulsis superstitionum spinis, in Ecclesia tua plantaria fidei alta radice posuisti, respice de cælo et visita vineam istam, et præsta ut, te irrigante, fructum accipiat in ubertate, quæ te plantante incrementum accepit in germine.*
(134) *plecte* pro *flecte.*

ruscida fonte tuo, nullo cruciata uapore,
nutriat aeternus (135) filici germine fructus,
fertiles (136), et placeat largo uindimiae (137) partu.

(*ante nomina.*)

Adnuae (138) rector opem, uultuque aduerte se-
[cundo,
quae damus acci- | piens, quod poscimus, ipse re-
[pendens;
et quamuis trepidet proprio mins tacta reatus (139),
uel sacra reddentes commendet causa redimptus,
hoc speciale bonum tribuens, ut corde fidili
uiuamus domino, moriamur crimine mundo (140),
[p. d.

POST NOMINA.

Quod poscit diuinus honor, quod funus amantum
obsequio reddente deo solemni (141) tributum,
suppliciter dominum per uota gemella praece-
[mur (142),
ut quos culpa praemit, pietas miserata relaxit (143)
| atque interventu sacri libamini (144) huius
uita superstitibus detur, indulgentia functis. (145)
[p. d.

(*ad pacem.*)

Arbiter orbis, apex rerum, spis una reorum,
tardus uindictae, uiniae celer, inmemor irae,
qui loca perquiris, miseris ubi parcere possis
inuitans ad dona magis, ne crimina damnis (146),
necte fidem populis, pacem serere (147) pectora
[iunge
ut teneant animo, quod blanda per os- | cula pro-
[dunt. p. d. nr

CONTESTATIO.

Dignum et iustum est, nos gratias tibi dicere dignas
summe deus semperque manens dominatur (148)
[ubique,
et qui cuncta potens propriis animata figuris
artefice (149) sermone f.cis, quique edita cer-
[nens (150)
ante uidens rerumque creans (150) per nomina for-
[mas.

(135) hoc est æternos.
(136) *fertilis.*
(137) Leg. *vindemia.*
(138) *adnue, annue.*
(139) Leg. *reatu.*
(140) Cf. Rom. VI, 2, 10; VIII, 12. Hinc Mone concludit *crimine* loco dativi casus positum et per asyndeton *et* omissum. Melius forsan diceretur *crimine* ablativum esse idque innuere in quo vel quo moritur Christianus, partem secundum quam vivere desinit, *mundo* vero dativus esset, indicans illum cui moritur, cui per mortem, desertionem aufertur. D.
(141) *solemne.*
(142) *precemur.*
(143) *relaxet.*
(144) *libaminis.*
(145) Mab., 191, *ut superstitibus vitam, defunctis requiem tribuas.* Male ex hac oratione conclusit Mone missam esse pro defunctis, non autem, ut ex præfatione patet, in honorem SS. Innocentium, cum tamen in singulis missis oratio *Post nomina* vivos et defunctos attingat. D.
(146) Hoc est *damnes.*
(147) Leg., *sere.*
(148) *dominator.*

A cum fierent, uox semen erat (151), nec distulit ortus
imperium natura sequens; mox spiritus oris (152)
aethera curuavit sola ††), nec suetaequora fudit,
materiamque operis sola est largita uolontas
Ne defurme iugum similis portarit imago,
tigmine seruile latuit regnator (153) Olimpi,
ut sua gentiles (154) implerent coepta furoris.
Quis dolus Herodis, cum tristia bella moueret,
infantum, mandata neci? quos ubire raptus (155)
uulnera suscipiunt paruis errantia membris,
uix habitura locum, saeuoque iubente thiranno
nasci poena fu- | it, cujus tulit impitus aeuum.
quem nesciuit agi, qui perdedit. o noua mortis
condicio, solus uitam pro fine subire.
et cum prima dies atque ultima sit simul una,
B posse magis quam scire mori. Quis lumine sicco
aut gemetu cessante queat memorare Pilati,
quod deflent elimenta, nefas? quod judice (156) Chri-
[stus
subdere pro mundi uoluit sua membra periclis,
ut carnalem (157) malum caro soluerit et feros ho-
[stis,
cuius ab injenium (158) | fluxerunt tela ueneni,
perderet antiqui lacrimosa piacola belli,
materia superante pari; nec criminis ultra
per subolem proderit (159) onus. damnatio justi
libertas est facta reis. Da semina uerbi
per tua dona, colis (160) signisque noualibus usa,
collegat ista manus te fructificante manipolus (161),
de quibus ipse tui conponas horrea caeli
C triticiamque fidem luto pereunte coronis (162).
Per quem cuncta tibi, quae sunt caelestia, | semper
uirtuisque toas (163) sacro modolamine carmen
angelorumque chorus resonant his uocibus hymnum:
quaesumus ut jubeas nunc nos audire canentes
et tibi sint placitae, laudes cum dicimus istas

CUI SS SS SS

(*ontestatio.*)

Dignum aequum ac iustum est, tibi nos piae (164)
clangere laudes,

(149) *artefice*, sicut infra *servile* pro *servili.*
(150) Loco participiorum *cernens* et *creans* sensus exigit indicativum *cernis, creas.*
(151) Mab., *quod seminavit verbo.*
(152) *necsuet*, hoc est *nexuit* legendum esse optime notavit cl. Mueller. Mone, cum hoc non vidisset, putavit elisionem esse, pro *sueta æquora*, et *sola* in *solida* vel *solidata* mutandum. Est autem *sola* num. plur. usitatissimæ vocis *solum.* D
(153) Desunt characteres duo posteriores. Hic forsan legebantur *regnatur*, sicut supra, *dominatur.*
(154) Cum et ethnici ad necem infantium contulerint, occisores *gentiles* vocantur.
(155) Hoc est *raptos.*
(156) *quo judice.*
(157) *carnale*, ferus.
(158) Leg. *ingenio.*
(159) Hoc est *prodiret.*
(160) *per tua dona colis* conjungendum est; *colis* forsan loco futuri *coles* positum est. D.
(161) *maniplos.*
(162) *lolio. . . corones.*
(163) *tuas*, virtutes.
(164) Loco vocativi *pie.*

lux, uia, uita, decus, spis, fons, sator, arbiter, [auctor
gratia, dulcido, sapientia, gloria regnum,
qui sine prin- | cipio praestas (165) sine fine per [eum (166).
cujus trinus apex statuit tria maxime (167) rerum.
sol, luna, astra, polus radiarunt lumine mundum,
funs, pecus, herba, frutex terras uariauit honore,
piscis, concha, lapis, sal, murex aequora com- [plet (168)
sic hominem genitor finxisti ductile (169) limo
atque reformasti post crimina fonte lauacri.
unde tibi merito rerum deus una triades (170)
uocibus angelicis haec carmine sancta resultat | [cui m.

(*post sanctus.*)

Uere terribilis, sanctus, metuendus, amandus,
conditur, instructor, modiratur, tutor, operatur,
qui proprium genitum, per ouem uirtutem pater- [nam (171)
tunc adoliscentes (172) formas:i exortia mundi,
mittere sede poli demum dignatus es orbi,
qui reparatur (173) adest nostrarum animarum.
p. d. n. qui pridie.

(*post secreta.*) Misirere domine supplecibus tuis. et peticionis humiliate | tibi plebis placatus intellege, moueat te ad misericordia, inmenens nobis te, deserente discrimen, aspice quaesomus. lacrimas nostras. ubertate fletuum. uix cadentis audi. singultebus. interpellata suspiria, et praesta in iudicio liberos quos uides in confessione conpunctus. et quos aspices humilis per reatum. erictus munerare digneris in præmio, mitigans | . . .

(*MISSA IX.*)

(*ad pacem.*) . . . spirito sancto nomine, in communione, omnium. sanctorum remissionem. omnium. nostrorum. criminum. credemus domine quod hæc nobis fessa (174) credulitate poscentibus praestabis p. d.

CONTESTATIO. Dignum. et iustum, et aequum et iustum. est. nos tibi semper gratias agere. domine sancte pater omnipotens aeterne deus, qui in sanctorum tuorum patriarcarum Heliam famosissimo. dare dignatus es uatem discurrebat inter deum | et homines uirus legatus, castitatis balteo cinctus, ad propiciandam diuinam potentiam. stabat fidelissimus seruus. redundabat cupiens. gens cernicatam, et inter dapsilis. dapes patriam neglixerat. jura unius mulieres inpudice, purtentuosae (175) colebantur figmenta. et ad sacrorum uolumenum. legalia contemnebantur praecepta. conflagrat at Helias, supernum zelum accensus, | aduersus indometa (176) plebem, mox imperat aelementis, caelos præcepit ac nubebus. ne ros darent ne pluuias, lugebat tellus steriles. ueduata rosceda prata. et terrena sacries pallebat ora ieiuna (177). placabiles exorat dinuo, et inbrium cataractae, reserantur. et aetherio a sacra jobet discendere ignem. ut inpuluta (178) hostia. siderea uectat ad side ' ' ' (179) quid fuit inquid illum (180) mirificum. summum- | que prodigio ut quod prius pulsauerat. infernum. et morteferum. jam antrum defunctum, unicum filium suaeque matri reddedit uiuum. his uirtutebus septus, ad angelorum uita pergit serus. raptatur carruca flammegera. et igniis uallatis equis. uolat per astra. ascendit angelorum cuniis circumdatus, jn cujus translatione unus testis est. Helisaeus gloriosum. | nunc fruetur chorum. (181) conlaudat regem sedentem in tronum, merito.

CONTESTATIO. Dignum et iustum et. aequum et iustum est. nos tibi semper gratias agere, domine sancte pater omnipotens aeterne deus, tu in sanctis laudibus gloriaris, tu in caelis regnaris, tu agnus immaculatus tu pater (182) sempeternus es filius, tu splendor sacrum, tu martyrum coronatur omnium animarum protectur. orfanorum, | pastor. viduarum. gobernatur. caecorum inluminatur. peccatorum ueniam promissor captiuorum liberatur (183), languentium saluatur, mortuorum suscitatur. paradyssi plantatur, maris stabilitur. caeli et terrae fabricatur, genti'us intellectum, catecuminus ad baptismum pronocatur, presbiteris sacerdotium, episcopis apostolatum datum, tu domine caelestia possedes, terrestria iudicas, inferna suscitas, aeterna | moderaris, merito tibi domine omnes angeli. N. SS. SS. SS.

(*MISSA X.*)

Post PROFETIAM Deus sancte eclisiae constitutur, qui stans in medio discipolorum tuorum, uenerationis huius sacramenta docuisti, praesta ori meo

(165) *perstas.*
(166) Hoc est *ævum* Forma hæc *eum* pro *ævum* a illuc sæcule VII poetæ Franci utebantur. Verbi gratia :

Irradietque domum non extinguenda per eum.
(MARTEN., *Thes. Anecd.* III, 1635.)

(167) *maxima*, sicut in ultimo hujus contestationis versu, *carmina.*
(168) Hæc sunt *tria maxima* rerum quæ SS. Trinitati in divinis respondent : cœlum, terra, mare.
(169) *ductili.*
(170) *triades*, hoc est trias, sicut in serioribus hymnis *theoteta*, loco *theotes* habetur. Quæ ex ignorantia linguæ Græcæ orta sunt.
(171) Leg. *virtute paterna.*
(172) *adolescentis.*
(173) *reparator.*
(174) *fixa.*
(175) *portentosa.*
(176) Loco accus.
(177) Hæc vix non versus sunt : *Lugebat tellus riduata roscida prata, et terrena sacris pallebant ora jejuna.* MONE. — Forsan legendum *jejunis*, hoc est *jejuniis.* D.
(178) *impolluta.*
(179) Sic in codice habetur. Legendum videtur *sedes.*
(180) *inquam illud.*
(181) *fruitur choro.*
(182) Loco genitivi.
(183) Mab., 190, *tribue captivis redemptionem, cæcis visum, peccantibus remissionem.*

divinitatis gratiam ut quae acceptabilia sunt in laude tua verba labiorum meorum inueniant, inlumina faciem tuam super seruum tuum ut de meis oneribus absolutus, recte etiam tibi pro populo tuo rogaturus adsistam, p. dnm, nm. Ihm.

(*collectio*) | Misericors et miserator domine, qui si nobis quod meremur rependeris. nullum tuis dignum remissionibus inveneris, multiplica super nos indulgentiam tuam, ut ubi abundavit peccatum. gratia remissionis exuberet. (184) p. d. (185)

VII. (186) (*MISSA XI.*)

(*De s. Germano episcopo Autissiodorensi* (187).

(*Collectio.*) Unianimes (188). fratres karissimi domino depraecemur ut haec nobis sollemnitas beatissimi patris nostri Germani episcopi. meretis inchoata ipso interueniente, plebi suae pacem tribuat, fidem augeat, corda pure- | ficit, lumbus accingat, et ianuam salutis. aperiat. p. d.

(*ante nomina.*) Exaudi nus domine sancte pater omnipotens aeterne deus, et meritis, siue intercessionibus sancti antestitis tui, Germani episcopi hanc plebem tuam tuae miserationis costudi. benignitate conserua, pietate saluifica. p. d.

COLL POST (*nomina.*) Oremus, fratres karissimi. ut hanc oblatio nostra. accepta sit domino. ut quos in honorem summi sacerdotis sui Germani episcopi uidet esse deuotus. ita sibi beneplacito esse concedat ut defunc- | torum spiritibus et requiem tribuat. et beatitudinem largiatur. p. d.

(*ad pacem.*) Praesta domine ut intercedente sancto antestite tuo Germano, cuius hodie in conspectu maiestatis tuae beatitudinis gloriam dignis laudibus exultamus, ut omissis, odiis in pace, quia nobis daturi sumus, pura tibi ac pacifica corda nostra pandamus. p. d. pax domini sit.

CONTESTATIO. Dignum et iustum est deus noster, uere dignum est, majestati tuae semper gratias agere atquae in laudibus, | tuis cum laetitia et exultatione sanctorum tuorum praeconia dicere; laudes adtollere eorumque jugiter exultare (189) uirtutis, nam beatissimi, patris nostri, antestitis tui Germani episcopi. cuius hodie annua, ac praecipua dispositionis (190) festa celebramus, cuius tantus erga te fuit amor domine, tanta dilictio ut tam praesentes saeculi seductione calcata, ad futuram beatitudinem mirabile uirtute tetenderit nec potuerit peccatorum funibus inligari, aut gladiis, uel sagittis, antiqui, | hostis attingi, quem per luricam justitiae et scutum fidei, protectio tua, ouibus suis liberum ac securum fecerat. esse pastorem, pro quibus, utique obibus in elymosinis in ieiuniis, in uigiliis, omni tempore. constitutus, pastor egregius, mori potius desiderait. quam lupi rapacis potuerit in aliquo morsibus superari fuit etiam eclisiae iustissimus judex, sapientiæ primus. spiritali instructione praecipuus, humilitate magnus, affabilitate, suauis. patientia fortis distrione necessa- | rius doctrinae. religionis pater, dilectione frater, fidei amicus, misericordiae proximus, coepyscopus suos, oratione iuuit, consilio suppleuit. auctoritate monuit. praesbiteros diaconos omnemque clerum totaque (191) plebem tuam domine uelut sua membra dilexit, erexit obpressos, indefessos fouit dissidentes fecit esse pacificus. discordes docuit seruare concordiam, reddedit caecis uisum, clodis gressum, febricitantibus medicinam. et occubatas, ab inmundissimis spiritibus animas | uelociter liberauit, quo igitur interueniente. supplicis (192) tui pietates (193) tuae misericordiam postulamus. omnipotens domine, ut qui eius meritis aequari non possumus, psaltim (194) peccatorum nostrorum ueniam consequi mereamur, angelica te exultatione laudantes, cui merito angeli et clamant dicentes.

1.... io..... erat... nes

peccamina se imparibus nostris. iniuste egemus iniquitatem fecimus omnia hereditates tuae dona perdedemus. Confusio nostrorum labe peccaminum : domus nostra aliginigenus (195) hostis inuasit. subiecti facti sumus serui dominantibus nobis. addicti uinculo dilectorum (196) : Conuerte nus domine ad seruiendum tibi. renovas tui operatione (197) mandati. p. d. n.

2. Exaudi domine quaeso. gemitum populi tui : ne plus aput te ualeat offensio delinquentium. quam miseratio : semper indultu fletebus supplecantium. P. d. no.

(184) Mab., 258, *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* Cf. 370. Rom. v, 20.

(185) Hæc missa completa non est, nihil tamen in codice deest, sed undecima immediate sequitur.

(186) Hic numerus cifræ III in initio missæ 7 respondet.

(187) Missa S. Germani apud Mabill., 329 multo longior est, unde et recentior videtur.

(188) Hæc forma vocabuli et apud Mab., 243, 244, 246 habetur.

(189) *exaltare.*

(190) *Depositionis.*

(191) *Totamque.*

(192) *Supplices.*

(193) *Pietatis.*

(194) *Saltem.*

(195) *Alienigenus.*

(196) *Delictorum.*

(197) *Renova operationem.*

LITURGIÆ GALLICANÆ FRAGMENTA

Litteris maximis in Ambrosiano palimpsesto scripta.

(Apud Maii, Script. vet. nov. Collect. tom. III, p. 247.)

. . . . *quis* non diligat, cujus filium scit pro sui redemptione suspensum? Quis non metuat, quem scit in judicii majestate venturum? Debemus in*terim* timere, quod dominus est; et amare, quod pater est: utriusque satisfactione subnexi [1], filiorum affectu, et servitute famulorum. Per Dominum nostrum.

Invitemos [2], fratres karissimi, redemptoris nostri serenus [3] oculos, et benignus auditos.

Contestatio. Dignum et iustum est, vere aequum et iustu [4] est, nos ingenitae bonitatis tuae profunda laudare, domine sancte pater omnipotens aeterne Deus, qui detersis tenebris. . .

. . . . et in praesenti requiem, et in prima resurrectione participes. Per Dominum nostrum.

Praesta nobis, Domine, in domo tua sancta unanimitate viventibus pacem habere quam tradimus, pacem servare quam sumimus (1). Maneat in nobis et sine osculis pax dummodo oscula sine pace non maneant. Per D.

Sancte Domine, semper tuis exorabilis, *qui* numquam pias tuorum praeces fidelium asperaliter [5] intueris famulorum, orationem familiae tuae per. . . sanctae ecclesiae membra dispersae tutius soliditatis prospiritate [6], concorpora; et quod praecantium sollicitudine fuit varium, fiat donante tuae misericordiae liberalitate. . . . .

. . . . . Sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine situ praesentem, sine ambitu omnia continentem [7], sine loco ubique totum, sine tempore sempeternum [8] sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihili patientem. In hac ergo natura tibi patri spirituque tuo suoque conformis et consubstantialis unigenitus, abiectionem pulveris nostri, celsitudinem tuae maiestatis. . . . .

Debitas tibi omnipotens sancte pater referemus gratias, quia sive vivemus, sive morimur, tui sumus. Tu enim perditionis legem supra humanum genus, peccato vastante et dominante, per unigenitum tuum reconciliatus co. . . as; et hominem qua potestate ex humili materia figurasti, eadem de sinu terrae suscitabis. . . sanguine filii tui hereditas acquisita, et alomna [9] paradisi, candedata [10] caeli turba concluditur: ubi secuturus agnum dextri ordinis [11] numerus adgregatur; ubi illa primitivorum ecclesia, de qua fugiet dolor et gemitus, tuis in aeternum laudibus militaret [12], adscribitur. Pacem tuam da nobis, sancte pater omnipotens Deus; pacem tuam relinque nobis; omnia enim dedisti nobis. Per Dominum nostrum. . . . *sacer*dotis; quem adnumerandum apostulis [13], martyribus adgregandum. Quicumque gratulamur meritis, suffragiis eregamor [14]: ferat plebiculae, praesenti sacrificio indefessae orationis effectu, patrocinii perennis auxilium (2); eamque inserat gratiam mentibus sensibusque cunctorum, ut cujus apostolica veneratione perfecta suscepimus . . . . a te mereamur ejus saltim [15] consequi fidei aemulatione virtutem. Per D. N.

Post nomina, auditis nominibus offerentum [16]. Omnipotentis Domini misericordiam depraecemur, ut acceptum referat divina dignatio quidquid altaribus suis infert humana sedulitas. Ratas faciat praeces et vota cunctorum: et quod devotio inpendit ad gratiam, poscentibus profeciat [17] ad salutem.

. . . . . ad quem redi [18] reviviscere: quem nemo amittit, nisi errore deceptus; nemo quaerit, nisi ratione commonitus; nemo invenit, nisi corde conpunctus Intentis, fratres karissimi, praecibus exoremus ut mentibus nostris studium requirendi. . . . . Per D. N.

. . . . relaxatas cultui suo tanto liceat adstringi; et solo negotio [19] quod et hic et in aeternum proderit occupari.

Post nomina. Nominibus recensitis. . . . consecrandis in. . . . . libaminibus imploremos [20], ut omnium sanctorum suorum intercessione nos protegat, et reatum delinquentiae nostrae, eorum depraeca. . . . .

. . . . sacramenta. . . . calicem bebere [21] quem tradebat. . . . o ingenae dominicae caedis desiderium caritatis!

. . . . occidi velle post Dominum; occisi amorem inter homicidas fateri noveram. . . . . .

VARIÆ LECTIONES.

[1] ita cod. *e* pro *i*. [2] ita cod. Et in seqq. [3] ita cod. [4] ita cod. quia videlicet *m* liquescebat ante vocalem. [5] ita videbatur in cod. [6] ita cod. [7] cod *habitu omnia continens*. [8] ita cod. [9] ita cod. [10] ita cod. [11] cod. *ordines*. [12] ita cod. [13] ita cod. [14] ita cod. [15] ita cod. [16] ita cod. [17] ita cod. [18] ita cod. [19] Cod. *solum negotium*. [20] Ita cod. [21] Ita cod.

NOTÆ.

(1) En antiquissimum morem, adhuc apud nos vigentem, pacem invicem in missa impertiendi; quanquam pax nunc per amplexum, non per oscula, datur.

(2) En sanctorum invocationem hic et infra.

LITANIÆ ET ORATIONES ANTIQUÆ.

LITANIÆ CAROLINÆ

Apud Mabill., *Analecta* nov. edit. pag. 170.)

MONITUM.

Has litanias Carolinas voco quod principatu Caroli Magni, Adriano summo pontifice, scriptæ sint, in Parthenone, ut quidem puto, beatæ Mariæ apud Suessionas, Conjecturam ejus rei hanc habeo, non solum quia sanctos ejus urbis episcopos, Bantaridum et Drauscium, dicti Parthenonis auctorem primum, celebrent hæ litaniæ : sed maxime quia sanctos Vodoalum et Leodardum ; quorum ille reclusus, hic pistor in eodem cœnobio vixit ante sæculum nonum. Et tamen has litanias ex ms. codice Vesontionensi excepit, atque Acherio nostro transmisit vir doctus ac religiosus Petrus Franciscus Chiffletius societatis Jesu. Quod de Rotrude Caroli Magni, ni fallor, filia in fine subditur, additamentum est fratris ejus aut sororis. In his litaniis barbaram Romanam linguam, qualis illo ævo in familiari usu recepta erat, observare licet in his vocibus, *Tulo juva*, *Tulos juva*, ubi dicere solemus, *Tu illum*, *Tu illos*.

In recensione sanctorum unum tantum observo, nempe inter sanctos angelos invocari Orielem, Raguelem ac Tobielem : quæ *nomina*, non *angelorum*, sed *dæmonum* esse definivit Zacharias papa, in concilio Romano, quod contra Clementem et Adalbertum anno 745 coactum est. Huc spectat eruditi viri Joannis Baptistæ Thiersii epistola dissertationi *De retinenda voce* PARACLITUS, præfixa.

Kriste audi nos
Sancta Maria, ora pro nos.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabrihel, ora.
Sancte Rafahel, ora.
Sancte Orihel, ora.
Sancte Raguhel, ora.
Sancte Tobihel, ora.
Sancte Cherubim, ora pro nos.
Sancte Seraphim, ora pro nos.

Nomina apostolorum.

S. Petre, ora pro nos.
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe.
S. Johannis,
S. Thomas,
S. Philippe,
S. Bartholomei,
S. Mathei.
S. Symonis,
S. Judas,
S. Tathei,
S. Lucas,
S. Marci,

Nomina martyrum

S. Stephani, ora.
S. Christe,
S. Laurenti,
S. Appoliti,
S. Clementis,
S. Corneli,
S. Cypriani,
S. Darie,
S. Cosme,
S. Damiane,
S. Lucie,
S. Quintini,
S. Crispini,
S. Crispiniani
S. Rufini, ora.
S. Valerie,
S. Eugenie
S. Vitalis,
S. Gervasi,
S. Protasi,
S. Nazari,
S. Juliane,
S. Celse,
S. Symforiane,
S. Speusippe,
S. Eleusippe,
S. Meleosippe,
S. Antonne,
S. Polycarpe,
S. Georgie,
S. Christofori,
S. Errice,
S. Mauricii,
S. Victor,
S. Felix,
S. Exuperi,
S. Candide, cum sociis vestris sex milibus sexcentis ac sexaginta quatuor validos, intercedite pro me peccatore in conspectu Domini mei Jesu Christi.
S. Diunysi,
S. Eleutheri,
S. Rustici,
S. Saturnini,
S. Victuri,
S. Pracati [*f.* Pancrati],
S. Thimothei,
S. Apollinaris,
S. Irasmi,
S. Quiriaci,
S. Longini,
S. Marine,
S. Eustatie,
S. Agrippie, ora.
S. Theospis,
S. Theagenis
S. Visentie,
S. Babille,
S. Asclas,
S. Patrocli,
S. Fructuosi,
S. Eulogie,
S. Trisse,
S. Leuce,
S. Grillinice,
S. Magne,
S. Marcelline,
S. Feriole,
S. Mammes,
S. Juste,
S. Felicis,
S. Theofile,
S. Theoderite,
S. Leudegarie,
S. Nicostrate,
S. Claudie,
S. Egias,
S. Juvenalis,
S. Landeberte,
Omnes martyres Domini mei Jesu Christi, intercedite pro me nimium peccatore.

Nomina confessorum.

S. Helari, ora.
S. Martini,
S. Honorati,
S. Bricii,
S. Albini,
S. Aniani,
S. Sulpicii,
S. Austrigisili,
S. Silvester,
S. Remedii,
S. Germani,
S. Divitiani,
S. Medardi, ora.
S. Gildardi,
S. Vedasti,
S. Amandi,
S. Elegi,
S. Mammii,
S. Audomar.
S. Richarii,
Sancte .....
S. Firmini,
S. Lupi,
S. Paulini,
S. Donati,
S. Fursei,
S. Gregorii,
S. Hieronymi,
S. Ambrosii,
S. Cæsarii,
S. Augustini,
S. Basilii,
S. Frontoni,
S. Bantaridi,
S. Auduini,
S. Benedicti,
S. Columbani,
S. Vodoali,
S. Leodardi,
S. Drauscii,
Omnes confessores Christi, intercedite pro me.

Nomina virginum.

Sancta Eugenia. ora.
S. Eulana,
S. Agathe,
S. Agnes,
S. Cecilia,
S. Lucia,
S. Dorothea,
S. Theudosia,
S. Columba,
S. Cristina,
S. Marina.

S. Tecla, ora.
S. Eufimia,
S. Eufraxia,
S. Brigida,
S. Anastasia,
S. Genovefa,
S. Reparata,
S. Perpetua,
S. Felicitas,
S. Scolastica,
S. Susanna,
S. Spes,
S. Fides,
S. Caritas,
S. Petronilla,
S. Medrisma,
S. Solempnia,
S. Balbina,
S. Eugamina,
S. Potentiana,
S. Romola

S. Posinna, ora.
S. Magra,

Nomina sanctorum.

Sancta Anna, ora.
S. Helisabeth,
S. Helena,
S. Baula,
S. Radegundis,
S. Nadalia,
S. Abrit,
S. Soffia,
S. Marionilla,
S. Concordia,
S. Susanna,
S. Augusta,
S. Leonilla,
S. Junilla,
S. Claudia,
S. Pelagia,
S. Theospita,

Sancti angeli, orate pro me.
Sancti archangeli, orate pro me.
Sancti throni, orate pro me.
Sanctæ dominationes, orate pro me.
Sancti principatus, orate pro me.
Sanctæ potestates, orate pro me.
Sanctæ virtutes, orate pro me.
Sanctæ cherubim, orate pro me.
Sanctæ seraphim, orate pro me.
Omnes patriarchæ, orate pro me.
Omnes prophetæ, orate pro me.
Omnes evangelistæ orate pro me.
Omnes apostoli, orate pro me.
Omnes martyres, orate pro me.
Omnes confessores, orate pro me.
Omnes sanctorum, orate pro me.
Propitius esto, Libera nos Domine. *ter.*
Propitius esto, Parce nobis Domine. *ter.*
Ab omni malo, Libera nos Domine. *ter.*
Peccatores, Libera nos Domine. *ter.*
Ut pacem dones, Te rogamus, audi nos.
Te precamur, Pater sancte, audi nos.
Miserere, Pater sancte, audi nos.
Pro sacerdotibus, Te precamus.
Pro omni gradu Æcclesiæ, Te rogamus, audi nos.
Indigni sumus, Jesu Christe, audi nos.
Pro omni populo catholico, Te precamus, audi nos.
Filius Dei, Te precamus, audi nos.
Agnus Dei qui tollit peccata mundi, Christe audi nos.
Kyrie eleison, *ter.*
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, *ter.*
illius, quales volueris, ulo juva.
Exaudi Christe.

A Adriano summo pontifice et universale papæ vita.
Redemptor mundi, tulo juva.
Sancte Petre, tulo juva.
Vel alius Sanctos, quales volueris.
Exaudi Christe.
Karolo excellentissimo et a Deo coronato, magno et pacifico rege Francorum et Langobardorum, ac patricio Romanorum vita et victoria.
Salvator mundi, tulo juva.
Sancte Johannis, tulo juva.
Vel alius Sanctus, qualis volueris.
Exaudi Christe.
Pipino et Karolo nobilissimis filiis ejus vita. Sancti illius, quales volueris, tulo juva.
Exaudi Christe.
B Pipino rege Langobardorum vita.
Sancti Mauricii, tulo juva.
Vel alius Sanctus, quales volueris.
Exaudi Christe.
Chlodovio rege Aquitanorum vita.
Sancte Martine, tulo juva.
Vel alius sanctus, quales volueris
Exaudi Christe.
Fastrædanæ reginæ salus et vita.
Alias virgines Christi, quales volueris
Exaudi Christe.
Omnibus judicibus vel cuncto exercitui Francorum vita et victoria.
Sancte Remegii, tulo juva.
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat,
C Kyrie eleison, Christe eleison.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Filius Redemptor Deus, miserere nobis
Spiritus sanctus Deus, miserere nobis.
Qui es trinus et unus, miserere nobis.
Ipse idemque benignus,
Sancta Virgo virginum, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Maria, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andreas,
Omnes sancti, orate pro nobis.
Gratiam tuam nobis concede, Domine.
Gaudium et pacem dona nobis, Domine.
D Vitam et sanitatem concede nobis, Domine.
Ab inimicis nostris tuere nos, Domine.
Dona nobis, Domine, peccata nostra, parce nobis Domine.
Filius Dei, miserere nobis.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Tu mihi, Christe, concede sororem, nomine Rotrudem, esse beatam, ut tibi semper serviat illa.

LITANIÆ ARELATENSES.

(Apud Du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, ex codice ms. ecclesiæ Arelatensis, argenteis et eburneis laminis texto.)

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat,
Exaudi Christe. Summo pontifici et universali papæ vita.
Salvator mundi, Tu illum adjuva.
Sancte Petre, Tu illum adjuva.
Sancte Paule, Tu illum adjuva.
Sancte Andrea, Tu illum adjuva.
Exaudi Christe. N. Pontifici, clero et populo sibi commisso solus et gloria.
Redemptor mundi, Tu illum adjuva.
Sancte Ferreole, Tu illum adjuva.
Sancte Antidi, Tu illum adjuva.
Sancte Desiderate, Tu illum adjuva.
Exaudi Christe. N. Regi excellentissimo, magno et pacifico, a Deo coronato, vita et victoria.
Protector mundi, Tu illum adjuva,
Sancte Maurici, Tu illum adjuva.
Sancte Sigismunde, Tu illum adjuva.
Sancte Victor, Tu illum adjuva.
Exaudi Christe. N. Inclytæ reginæ lux et gratia.
Lux mundi, Tu illam adjuva.
Sancta Perpetua, Tu illam adjuva.
Sancta Lucia, Tu illam adjuva.
Sancta Walburgis, Tu illam adjuva.
Exaudi Christe. Omnibus judicibus cuncto exercitui Christianorum, vita et victoria.
Salvatio nostra, Tu illos adjuva.
Sancte Georgi, Tu illos adjuva.
Sancte Theodore, Tu illos adjuva.
Sancte Mercuri, Tu illos adjuva.
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex noster : Christus vincit.
. . . . ia nostra : Christus vincit.
Auxilium nostrum : Christus vincit.
Liberatio et redemptio nostra : Christus vincit.
Victoria nostra : Christus vincit.
Arma nostra invictissima : Christus vincit.
Murus noster inexpugnabilis : Christus vincit.
Defensio et exaltatio nostra : Christus vincit.
Lux, via et vita nostra : Christus vincit.
Ipsi soli imperium, gloria et potestas per immortalia sæcula sæculorum. Amen.
Ipsi soli honor et jubilatio per infinita sæcula sæculorum. Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo et victoria per omnia sæcula sæculorum. Amen.
Christe audi nos, Christe audi nos, Christe audi nos.
Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison.
Te Pastorem Dominus elegit.
In ista sede, Dominus conservet.
Annos vitæ, Dominus multiplicet.
Feliciter, Feliciter, Feliciter.
Tempora bona habeas, Tempora bona habeas, Tempora bona habeas.
Multos annos multos annos, multos annos.

INCIPIUNT

LITANIÆ A SANCTIS PATRIBUS CONSTITUTÆ.

(Apud Bandini, *Catalog. bibl. Laurent.*, pag. 326.)

Kirie eleison *ter.*
Christe eleison.
Christe audi nos.
Pater de cœlis Deus miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus mis. nob.
Spiritus S. Deus mis. nob.
Sancta Trinitas, et une Deus mis. nob.
Sancta Maria ora pro nob.
Sancta Dei genitrix or.
Sancta virgo virginum or.
Sancta Mater Domini or.
Sancte Michael or.
Sancte Gabriel or.
Sancte Raphael or.
Sancti throni or.
Sanctæ dominationes or.
Sanctæ principatus or.
Sanctæ potestates or.
Sanctæ virtutes cœlorum or.
Sancti cherubim or.
Sancti seraphim or.
Omnes sancti Angeli et archangeli or.

Omnes sancti beatorum Spirituum ordines. or.

Nomina justorum.

Sancte Abel or.
Sancte Enoch or.
Sancte Noe or.
Omnis chorus justorum or.

Nomina prophetarum.

Sancte Abraham or.
Sancte Ysaac or.
Sancte Jacob or.
Omnes sancti patriarchæ or.
Sancte Moyses or.
Sancte Aaron or.
Sancte Samuel or.
Sancte Helia or.
Sancte Helisee or.
Sancte Ysaia or.
Sancte Hieremia or.
Sancte Ibezechiel or.
Sancte Daniel or.
Sancte Osee or.
Sancte Johel or.
Sancte Amos or.
Sancte Abdia or.
Sancte Jona or.
Sancte Michea or.
Sancte Nahum or.
Sancte Abbacuc or.
Sancte Sophoni or.
Sancte Aggee or.
Sancte Zacharia or.
Sancte Malachia or.
Sancte Joannes Baptista or.

Nomina apostolorum.

Sancte Petre or.
Sancte Paule or.
Sancte Andrea or.
Sancte Jacobe or.
Sancte Joannes or.
Sancte Thoma or.
Sancte Jacobe or.
Sancte Philippe or.
Sancte Bartholomeo or.
Sancte Mathee or.
Sancte Simon or.
Sancte Taddee or.
Sancte Mathia or.
Sancte Barnaba or.
Sancte Luca or.
Sancte Marce or.
Sancte Timothee or.
Omnes sancti apostoli et evangelistæ or.
Omnes sancti discipuli Domini or.
Omnes sancti innocentes or.

Nomina levitarum.

Sancte Stephane or.
Sancte Laurenti or.
Sancte Vincenti or.
Sancte Felicissime or.

A

Sancte Agapite or.
Sancte Abundi or.
Sancte Cesari or.
Omnes sancti levitæ. or.

Nomina sacerdotum.

Sancte Line or.
Sancte Clete or.
Sancte Clemens or.
Sancte Corneli or.
Sancte Cypriane or.
Sancte Urbane or.
Sancte Anacleto or.
Sancte Xiste or.
Sancte Silvester or.
Sancte Calixte or.

B

Sancte Marcelle or.
Sancte Gregori or.
Sancte Bonifatii or.
Sancte Damase or.
Sancte Leo or.
Omnes sancti sacerdotes or.

Nomina martyrum

Sancte Nazari or.
Sancte Celse or.
Sancte Gervasi or.
Sancte Protasi or.
Sancte Valentine or.
Sancte Abundi or.
Sancte Agapite or.
Sancte Ypolite or.

C

Sancte Peregrine or.
Sancte Cassiane or.
Sancte Faustine or.
Sancte Jovitta or.
Sancte Domine or.
Sancte Antonine or.
Sancte Apollinaris or.
Sancte Vitalis or.
Sancte Sebastiane or.
Sancte Veriane or.
Sancte Secundiane or.
Sancte Marcelliane or.
Sancte Crispine or.
Sancte Crispiane or.
Sancte Epymache or.

D

Sancte Prime or.
Sancte Feliciane or.
Sancte Processe or.
Sancte Martiniane or.
Sancte Tiburti or.
Sancte Valeriane or.
Sancte Vite or.
Sancte Modeste or.
Sancte Georgi or.
Sancte Fidelis or.
Sancte Carpofore or.
Sancte Callocere or.
Sancte Secunde or.
Sancte Martiane or.

Sancte Gereon or.
Sancte Genesi or.
Sancte Anastasi or.
Sancte Ciriace or.
Sancte Minias cum sociis tuis or.
Sancte Maurici cum sociis tuis or.
Sancte Quintine or.
Sancte Dionysi or.
Sancte Rustice or.
Sancte Eleutheri or.
Sancte Neree or.
Sancte Archillee or.
Sancte Pancrati or.
Sancte Abdon or.
Sancte Sennon or.
Sancte Petre or.
Sancte Marcelline or.
Sancte Prote or.
Sancte Jacinte or.
Sancte Magne or.
Sancte Hermes or.
Sancte Paule or.
Sancte Joannes or.
Sancte Alexander or.
Sancte Eventi or.
Sancte Theodole or.
Sancte Firmine or.
Sancte Desideri or.
Sancte Saturnine or.
Sancte Savine or.
Sancte Maurici or.
Sancte Nabor or.
Sancte Felix or.
Sancte Cosma or.
Sancte Damiane or.
Sancte Antime or.
Sancte Leonti or.
Sancte Euprepi or.
Sancti Innocentes or.
Sancti Agœnenses or.
Sancti Quadraginta or.
Sancti Septem Fratres or.
Sancti Quatuor Coronati or.
Omnes sancti martyres or.

Nomina confessorum.

Sancte Syre or.
Sancte Yventi or.
Sancte Crispine or.
Sancte Ursecene or.
Sancte Epiphani or.
Sancte Maxime or.
Sancte Hieronime or.
Sancte Ambrosi or.
Sancte Nicolae or.
Sancte Augustine or.
Sancte Isidore or.
Sancte Hylari or.
Sancte Leodegari or.
Sancte Martine or.

A
Sancte Britti or.
Sancte Eusebi or.
Sancte Gaudenti or.
Sancte Remigi or.
Sancte Germane or.
Sancte Vedaste or.
Sancte Cerboni or.
Sancte Amande or.
Sancte Frigdiane or.
Sancte Martialis or.
Sancte Donate or.
Sancte Blasie or.
Sancte Fortunate or.
Sancte Pauline or.
Sancte Justine or.
B
Sancte Zenon or.
Sancte Gandulfe or.
Sancte Abunde or.
Sancte Albane or.
Sancte Severe or.
Sancte Severine or.
Sancte Victorine or.
Sancte Prosperi or.
Sancte Zenobi or.
Sancte Crescenti or.
Sancte Eugeni or.
Sancte Romule or.
Omnes sancti pontifices et confessores or.

Nomina monachorum.

C
Sancte Benedicte or.
Sancte Columbane or.
Sancte Paule or.
Sancte Antime or.
Sancte Basili or.
Sancte Maure or.
Sancte Placide or.
Sancte Equitie or.
Sancte Machari or.
Sancte Romane or.
Sancte Galle or.
Sancte Pachomi or.
Sancte Custasi or.
Sancte Attale or.
D
Sancte Bernulfe or.
Sancte Cassiane or.
Sancte Effrem or.
Sancte Arseni or.
Sancte Honorate or.
Sancte Libertine or.
Sancte Serene or.
Sancte Paphnutie or.
Sancte Pastor or.
Sancte Joannes or.
Sancte Hilarion or.
Sancte Ysaac. or.
Sancte Fursee or.
Sancte Saba or.
Omnes sancti monachi et eremitæ or.

Nomina virginum.

Sancta Felicitas
Sancta Perpetua
Sancta Petronilla
Sancta Agnes
Sancta Agatha
Sancta Lucia
Sancta Cecilia
Sancta Anna
Sancta Christina
Sancta Constantia
Sancta Emerentiana
Sancta Daria
Sancta Praxedis
Sancta Savina
Sancta Genufefa
Sancta Scolastica
Sancta Thecla
Sancta Potentiana
Sancta Juliana
Sancta Justina
Sancta Eulalia
Sancta Eugenia
Sancta Eufemia
Sancta Margarita
Sancta Marina
Sancta Sotheris
Sancta Mustiola
Sancta Speciosa
Sancta Columba
Sancta Juliana
Sancta Benedicta
Sancta Anastasia
Sancta Concordia.
Sancta Pelagia.
Sancta Natalia.
Sancta Prisca
Sancta Barbara
Sancta Martina
Sancta Digna
Sancta Merita.
Sancta Rufina.
Sancta Secunda
Sancta Potentiana
Sancta Martha
Sancta Aurea
Sancta Helena
Sancta Sophia
Sancta Anna
Sancta Susanna
Sancta Elisabeth
Sancta Eufraxia
Sancta Honorata
Sancta Reparata
Sancta Romula
Sancta Redempta
Sancta Brigida.
Omnes sanctæ virgines
Omnes sancti et sanctæ Dei

A Propitius esto parce nobis Domine.
or. Propitius esto libera nos Domine.
or. Ab omni malo libera.
or. Ab omni iniquitate lib.
or. Ab omni cogitatione prava lib.
or. Ab omni immunditia mentis. et corporis lib.
or. A peccatis nostris lib.
or. Ab ira tua lib.
or. A persecutione inimicorum lib.
or. Ab ira, et odio, et omni mala voluntate lib.
or. Ab insidiis diaboli lib.
or. Ab insidiis hominum lib.
or. A ventura ira lib.
or. A gladio maligno lib.
or. A gente pagana lib.
B
or. A perfidis gentibus lib.
or. A peste et clade lib.
or. A fulgure et tempestate lib.
or. A subitanea, et æterna morte lib.
or. A cæcitate cordis lib.
or. A peste, et fame, et gladio lib.
or. A carnalibus desideriis lib.
or. Ab omni immunditia mentis et corporis (*bis*) lib.
or. Ab immundis cogitationibus ib.
or. Ab hostibus visibilibus et invisibilibu lib.
or. A variis languoribus lib.
or. A pœnis inferni lib.
or. A potestate diaboli lib.
or. A delectationibus carnis. lib.
or. A spiritu libidinis, et immunditiis lib.
C
or. A dominatu omnium vitiorum lib.
or. A repentina morte lib.
or. A pœnis inferni (*bis*) lib.
or. Ab omnibus æternis suppliciis lib.
or. A nimia pluvia lib.
or. Per mysterium S. incarnationis tuæ lib.
or. Per adventum tuum lib.
or. Per nativitatem tuam lib.
or. Per baptismum tuum lib.
or. Per jejunium sanctum tuum lib.
or. Per passionem tuam lib.
or. Per sanctam crucem tuam lib.
or. Per sanctam resurrectionem tuam lib.
or. Per admirabilem ascensionem tuam lib.
or. Per gratiam Spiritus S. paracleti lib.
D
or. In die judicii lib.
or. In adventu tuo secundo lib.
or. Peccatoris te rogamus, audi nos.
or. Ut parcas nobis te rog.
or. Ut pacem nobis dones te rog.
or. Ut sanitatem nobis dones te rog.
or. Ut ecclesiam tuam regere, et defensare di-
or. gneris te rog.
or. Ut eam semper exaltare digneris te rog.
or. Ut domnum apostolicum et omnes gradus
or. Ecclesiæ in sancta religione conservare
or. digneris te rog.
or. Ut regibus nostris, et principibus pacem et

veram concordiam, atque victoriam donare digneris te rog.
Ut episcopos, et abbates nostros, et omnes congregationes illis commissas in sancta religione conservare digneris te rog.
Ut congregationem nostram in sancta religione conservare digneris te rog.
Ut cunctum populum Christianum, pacem et unitatem, donare digneris te rog.
Ut congregationem omnium sanctorum tuorum in tuo sancto servitio conservare digneris te rog.
Ut compunctionem cordis, et fontem lacrymarum nobis dones te rog.
Ut tempora tranquilla nobis dones te rog.
Ut emendationem nobis dones te rog.
Ut compunctionem cordis et corporis nobis dones te rog.
Ut aeris temperiem nobis dones te rog.
Ut fructum terræ dare et conservare digneris te rog.
Ut fontem lacrymarum nobis tribuas te rog.
Ut spiritum pœnitentiæ nobis tribuas. te rog.
Ut veram pœnitentiam nobis concedere et peragere digneris te rog.
Ut indulgentiam et remissionem omnium peccatorum nostrorum nobis dones te rog.
Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris te rog.
Ut fidem, spem et charitatem nobis dones te rog.
Ut fidem rectam nobis dones te rog.
Ut gratiam tuam nobis dones te rog.
Ut ad gaudia æterna nos perducere digneris te rog.
Ut misericordia et pietas tua nos custodiat te rog.
Ut hic et in perpetuum nos custodire digneris te rog.
Ut dies et actus nostros in tua pace disponas te rog.
Ut obsequium nostræ servitutis rationabile facias te rog.
Ut vitam æternam nobis dones te rog.
Ut animas nostras et parentum nostrorum ab æterna damnatione eripias te rog.
Ut errantes ad viam suam reducas te rog.

A Ut regularibus disciplinis nos instruere digneris te rog.
Ut oculos misericordiæ tuæ super nos reducere digneris te rog.
Ut nobis sanctum angelum tuum a tutela mittere digneris te rog.
Ut veniam de peccatis nostris consequi mereamur te rog.
Ut inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ humiliare digneris te rog.
Ut gentem paganam confringere digneris te rog.
Ut nos famulos tuos in tuo sancto servitio custodire et confortare digneris te rog.
Ut cunctos inimicos et adversarios nostros humiliare digneris te rog.
B Ut cunctos fideles amicos nostros salvare digneris te rog.
Ut cunctos gradus ecclesiastici ordinis in sancta religione conservare digneris te rog.
Ut fratribus nostris, et omnibus fidelibus infirmis salutem mentis et corporis restituas te rog.
Ut in viam pacis, et charitatis nos dirigas te rog.
Ut fratribus nostris, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris te rog.
Ut gentes, quæ in sua feritate confidunt, dextera tua conterantur te rog.
C Ut civitatem istam protegere, atque defendere digneris te rog.
Ut cunctos fideles tuos habitantes in ea conservare digneris te rog.
Ut hodie sine peccato nos custodias te rog.
Ut nos exaudire digneris te rog.
Ut nobis misereri digneris te rog.
Fili Dei, te rog. audi nos.
Pastor bone, te rog. audi nos.
Redemptor mundi, te rog. audi nos.
Salvator mundi, te rog. audi nos.
Mediator Dei et hominum, te rog. audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
D Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

LITANIÆ BYZUNTINÆ

(Apud Dunod, *Histoire de l'Eglise de Besançon*, tom. I, *preuves.*)

Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Christe audi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta mater misericordiæ, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Omnes sancti cœlici cives, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Omnes sancti patriarchæ et prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Omnes sancti apostoli, orate.
Omnes sancti evangelistæ, orate.
Omnes sancti discipuli Domini, orate.
Omnes sancti innocentes, orate.
Sancte Stephane ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Agapite, ora.
Sancte Ferreole (1), ora.
Sancte Ferruci, ora.
Sancte Antidi, ora.
Omnes sancti martyres, orate.
Sancte Martine, ora.
Sancte Aniane, ora.
Sancte Desiderate, ora.
Sancte Donate, ora.
Sancte Prothadi, ora.
Sancte Anatoli, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti confessores, orate.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Cecilia, ora.
Sancta Maria Magdalene, ora.
Omnes sanctæ virgines, orate.
Omnes Sancti, orate.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Libera nos Domine.
Ab hoste malo, Libera.
A morbo malo, Libera.
Ab insidiis diaboli, Libera.
A persecutione inimici, Libera nos Domine.
A ventura ira, libera.

A A periculo mortis, libera.
Ab omni malo, libera.
Per crucem tuam, libera.
Per resurrectionem tuam, libera.
Per ascensionem tuam, libera.
Per adventum Spiritus sancti paracleti, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rogamus.
Ut iram et indignationem tuam a nobis auferas, te.
Ut misericordia et pietas tua nos custodiat, te.
Ut nobis spem certam dones, te.
Ut fidem rectam nobis tribuas, te.
Ut charitatem perfectiam nobis conferas, te.
Ut cunctorum in nobis vitiorum monstra mortifices, te.
B Ut omnium in nobis prærogativas virtutum vivifices, te.
Ut nobis per incarnationem tuam, introitum ad Sancta sanctorum pandas, te.
Ut per hoc conscientias nostras purifices, te.
Ut per hoc sacrosanctum mysterium, animas et corpora nostra renoves, te.
Ut hoc terribile mysterium, non sinas nobis fieri ad judicium, te.
Ut hoc ineffabile sacramentum, mundis manibus tractemus, te.
Ut puris mentibus sumamus, te.
Ut indulgentiam omnium peccatorum per hoc consequi mereamur, te.
Ut per hoc tibi inhærere valeamus, te.
C Ut per hoc tu in nobis, et nos in te manere valeamus, Te rogamus audi nos.
Ut gratiam sancti Spiritus, cordibus nostris clementer infundere digneris, te.
Ut cunctum populum Christianum, pretiosissimo sanguine tuo redemptum, conservare digneris, te.
Ut nobis locum pœnitentiæ dones, te.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam dones, te.
Ut nos exaudire digneris, te.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Libera nos Domine.
D Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Dona nobis pacem.
Christe audi nos.

Sequitur oratio.

Per merita horum et omnium sanctorum tuorum, parce Domine, indulge et miserere. Aufer a me quidquid tibi displicet in me. Suscipe sacrificium de manibus meis, placide et benigne. Eripe me de

(1) Saint Ferréol est ici au rang des martyrs, et non des évêques, parce que les martyrs précèdent les évêques dans l'ordre des litanies, comme on le voit dans celles de l'Eglise romaine, où saint Fabien pape et martyr en 250 est avec les martyrs, avant les saints papes et confesseurs. Aussi dans nos litanies saint Ferréol est nommé avec saint Antide martyr, qui a aussi été l'un de nos évêques; et nos autres saints évêques confesseurs sont nommés dans un ordre postérieur.

manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me. Illustra faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in misericordia tua; non confundar, quoniam invoco te, qui vivis et regnas.

LAUDES SEU ACCLAMATIONES

Quæ in Ecclesia Remensi, juxta antiquum morem, Orationem inter et Epistolam decantabantur.

(*Histoire de la province ecclés. de Reims*, tom. II, pag. 657.)

Canonici : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Pueri : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Canonici : Exaudi Christe.

Pueri : Domino N. a Deo decreto, apostolico et sanctissimo papæ vita.

Canonici : Salvator mundi.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Petre.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Paule.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Exaudi Christe.

Pueri : Domino N. Christianissimo regi Francorum, a Deo coronato, magno et pacifico, vita et victoria.

Canonici : Redemptor mundi.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancta Maria.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Michael.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Gabriel.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Joannes.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Exaudi Christe.

Pueri : Domino N. archiepiscopo salus perpetua.

Canonici : Sancte Nicasi.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Remigi.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Sancte Rigoberte.

Pueri : Tu illum adjuva.

Canonici : Exaudi Christe.

Pueri : Omnibus judicibus, et cuncto exercitui Francorum vita et victoria.

Canonici : Sancte Martine.

Pueri : Tu illos adjuva.

Canonici : Sancte Dionysi.

Pueri : Tu illos adjuva.

Canonici : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Pueri : Lux, via et vita nostra.

Canonici : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Pueri : Rex regum.

Canonici : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Pueri : Gloria nostra.

Canonici : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Pueri : Ipsi soli imperium, gloria et potestas per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Canonici : Ipsi soli honor, laus et jubilatio, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Pueri : Ipsi soli virtus, fortitudo et victoria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Canonici : Christe audi nos.

Pueri : Kyrie eleison.

Canonici : Christe eleison.

Pueri : Kyrie eleison.

Canonici deinde et pueri, ante archiepiscopum in solio sedentem genua non adeo demisse flectentes, pergunt :

Canonici : Te pastorem.

Pueri : Deus elegit.

Canonici : In hac sede.

Pueri : Te conservet.

Canonici : Annos vitæ.

Pueri : Deus multiplicet feliciter, feliciter, feliciter.

Canonici : Tempora bona habeas, tempora bona habeas, tempora bona habeas.

Pueri : Multos annos.

ORATIONES QUÆDAM.

(Apud Bandini, *Catalog. bibl. Laur.*, pag. 183.)

VIII Kal. Octobris. *Pro concevtione S. Joannis Baptistæ.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui instituta legalia et sanctorum præconia prophetarum in diebus conceptionis beati Baptistæ Joannis implesti, præsta, quæsumus, ut cessantibus significationum figuris, ipsa sui manifestatione veritas eloquatur. Per, *etc.*

Secr. Da quæsumus, misericors Deus, ut mysticis Ecclesiæ tuæ beati Baptistæ Joannis exordiis, et sacris erudita præconiis ad iram venturi judicii declinandam dignos salutis fructus jugiter operetur. Per, *etc.*

Ad comm. Benedic, Domine, plebem tuam, et beati Joannis Baptistæ deprecationibus confidentem tribue consequi devotionis auxilium. Per, *etc.*

VIII. Id. Octobris. *Sanctæ reparatæ virginis.*

Concede quæsumus, Domine, fidelibus tuis digne sanctæ Reparatæ celebrare mysteria, ut qui ejus solemnia fideliter exequuntur, et hic experiantur auxilium, et æternitatis effectibus apprehendant. Per, *etc.*

Secr. Hæc dona, petimus Domine, placatus intende, et ut ipsi acceptabiles simus, sacrificium cordis contritione, hæc hostia præcibus martyris tuæ Reparatæ tibi placita consecretur. Per, *etc.*

Comm. Hæc nos communio gratiæ tuæ, petimus Domine, tibi reddat acceptos, et divinis mysteriis instauret nostra corda martyris tuæ Reparatæ commemoratio veneranda. Per, *etc.*

VIII Kal. Novembris. *S. Miniatis martyris.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa bella certaminis ad immortales triumphos martyres extulisti Miniatem et socios ejus, da cordibus nostris dignam pro eorum commemoratione lætitiam, ut quorum corpora pio amore celebramus, eorum precibus adjuvemur. Per, *etc.*

Secr. Salutare sacrificium, Domine, populus tuus semper exultet, quo et debitus honor sacris martyribus exhibetur, et sanctificationis tuæ munus acquiritur. Per, *etc.*

Ad comm. Celebrantes martyrum tuorum Miniatis et sociorum ejus beatam passionem, ipsorum nobis, quæsumus, fiant intercessione salutaria in quorum natalitiis sunt exsultanter impleta. Per, *etc.*

Id. Nov. *S. Britii confessoris.*

Propitiare, Domine, populo tuo, ut quem in frequentatione beati sacerdotis et confessoris tui Britii tribuis interesse, protectione perpetua semper facias esse securum. Per, *etc.*

Secr. Grata tibi sint quæsumus Domine, munera quæ in beati sacerdotis et confessoris tui Britii commemoratione deferimus, obsecrantes, ut quæ ore prosequimur, contingamus et mente. Per, *etc.*

Ad comm. Præsta, quæsumus, Domine, ut beati sacerdotis et confessoris tui Britii, cujus festivitatem celebramus, precibus indulgentiam sentiamus. Per, *etc*

PŒNITENTIALE GERUNDENSE.

(Apud Florez, *España Sagrada*, tom. XLIII.)

Pœnitentium reconciliatio juxta antiquam Ecclesiæ Gerundensis consuetudinem.

Hora nona cecantata, sit episcopus mantus alba stola, cappa, et duo archidiaconi cum eo in albis stolis sine dalmaticis, et subdiaconus unus et acolythi duo simul in albis et cum cruce et candelabris accensis, et cum aqua benedicta : et episcopus veniat cum illis et cum omni clero usque ad portas ecclesiæ nihil dicendo. Stentque præsentes ibi extra ipsas januas ecclesiæ pœnitentes qui reconciliandi sunt. Sintque cum illis sacerdotes eorum, qui de conversatione et emendatione vitæ ipsorum pœnitentium, et si digne pœnitentiam sibi injunctam pro totis viribus suis observaverint, et si etiam ipsi sacerdotes aa hoc ex officii sui debito sollicite vigilaverint episcopo verum testimonium ferant. Dicatque unus archidiaconus excelsa voce stans extra fores ecclesiæ cum pœnitentibus :

Adest, O venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ et salutis humanæ quo mors interitum et vita æterna accepit principium : quando in vineam Domini Sabaoth sic novorum plantatio facienda est, ut purgetur exsecratio vetustatis. Quamvis enim ad viam bonitatis et pietatis

Dei nihil temporis vacet, nunc tamen largior per indulgentiam est remissio omnium peccatorum, et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur regenerandis; crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde est gaudium vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplices tui postquam in varias criminum formas, neglectum mandatorum cœlestium et morum probabilium transgressione ceciderunt, humiliati atque prostrati prophetica voce clamant dicentes : *Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus;* miserere nostri, Domine, miserere nostri; et evangelicam vocem non frustra aure capientes : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur,* manducaverunt, sicut scriptum est, panem doloris; lacrymis stratum rigaverunt, cor suum luctu, corpus suum afflixerunt jejuniis, ut animarum reciperent quam perdiderant sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod et singulis prodest, et omnibus in commune succurrit.

Hoc finito, stet episcopus in ostio ecclesiæ et faciat exhortationem ad pœnitentes. Sed quia dies hæc per ipsa hodierna opera medicinæ nostri Redemptoris, quæ nobis evangelica lectio repræsentat, dies est remissionis et gratiæ, ipsis ingemiscentibus et magnis lacrymis et profundis suspiriis morum emendationem promittentibus, pœnitentiæ pondus usque in octavas Pentecostes misericorditer relaxet, et dicat hanc antiphonam cum cantu : Venite, venite, venite, filii; *et chorus respondeat :* Audite me, timorem Domini docebo vos. *Et diaconus ex parte pœnitentium dicat :* Flectamus genua. *Deinde dicat alter diaconus :* Levate. *Et secundo repetat episcopus :* Venite, venite, venite, filii; *et chorus :* Audite me, timorem Domini docebo vos. *Et archidiaconus :* Flectamus genua; *et alter :* Levate. *Et episcopus :* Venite, venite, venite, filii. *Et chorus :* Audite me, timorem Domini docebo vos. *Et archidiaconus :* Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. *Quo finito, dicat clerus divisus per chorum juxta episcopum totum psalmum :* Benedicam Dominum in omni tempore; *et interim dum psalmus iste cantatur, pœnitentes corruant ad pedes episcopi, sicque prostrati jaceant, quoadusque psalmus finiatur (in margine : hic aquam benedictam spargat). Quo dicto, innuat episcopus alteri diacono dicente :* Levate; *et statim surgant pœnitentes, et dum offeruntur episcopo a presbyteris suis ut eos ipse matri Ecclesiæ reconciliet, accipiat unum ex ipsis pœnitentibus, et interroget suum presbyterum dicens :* Dignus est reconciliari (*cum cantu*)? *Presbyter :* Dignus. *Et dicat episcopus :* Tecum maneat; *et det pœnitenti pacem dicens :* Pax tecum. *Et postea ab ipso pœnitente cæteri similiter omnes pœnitentes osculum pacis accipiant. Et statim episcopus interroget iterum universaliter omnes reliquos sacerdotes de singulis suis propriis pœnitentibus dicens :* Digni sunt reconciliari? ℟ *Presbyteri :* Digni. *Et dicat eis episcopus :* Vobiscum maneant. *Et sic intrent omnes in ecclesia, cantore incipiente hanc antiphonam :* Cor mundum. *Cum psalmo* Miserere mei, Deus. *Alter psal.:* Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit. *Alter psalm. :* Miserere mei, Deus, miserere mei. *Postquam autem omnes reconciliandi in ecclesia fuerint introducti, episcopus ante altare prosternatur cum ministris suis et pœnitentibus. Finitis vero prædictis psalmis cum antiphona, dicatur :* Kyrie eleison *et* Pater noster. *Et episcop. :* Domine, non secundum peccata nostra, *etc.* ℟. Neque secundum, *etc.* Domine, ne memineris iniquitatum, *etc.* ℟. Cito anticipent nos, *etc.* Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me, qui etiam medicina tua primus indigeo, clementer exaudi; et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris exsequendi, et ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est, operare. Per, *etc. Oratio ad reconciliandum :* Præsta, quæsumus, Domine, famulis tuis pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ, a cujus integritate deviarant peccando, admissorum reddantur innoxii veniam consequendo. Per, *etc. Alia :* Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hos famulos tuos quos tibi nullatenus mori desideras, et qui non derelinquis devios, assume correctos. Moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, horum famulorum tuorum lacrymosa suspiria. Tu eorum medere vulneribus. Tu jacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua corporis sui portione vastetur, ne grex tuus detrimentum patiatur, ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet, ne renato lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua te adjuvante defleant, qualiter in tremendi judicii die sententiam æternæ damnationis evadant, et nesciant quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversi justitiæ, nequaquam ultra vulneribus saucientur, sed integrum sit eis atque perpetuum et quod gratia tua contulit, et quod misericordia tua reformavit. Per eumdem, *etc. Alia oratio :* Majestatem tuam supplices deprecamur, omnipotens Deus, ut his famulis et famulabus tuis longo squalore pœnitentiæ maceratis miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam unde ejecti fuerant mereantur introire, per, *etc. Ultima, ut in ordine recommendationis vel in extrema unctione.*

NECROLOGIUM GERUNDENSE

Ex Adonis Martyrologio sæculo XI *exarato, et in ecclesia Gerundensi asservato, desumptum.*

(Apud Florez, *ubi supra.*)

III Idus Januarii. Eodem die obiit Berengarius Terrachonensis archiepiscopus anno MXCIX.

IV Kal. Martii. Eodem die obiit Raymundus comes anno dominice trabeationis XVI post M.

II Kalend. Mart. Eodem die obiit Senderedus archipresbyter anno DCCCCLXVI.

XV Kal. Maii. Eodem die obitum Arnulphi illustrissimi episcopi Gerundensis anno Domini DCCCCLXX, qui rexit Ecclesiam ann. XV, mens. VII, dieb. et VII, f. anno XV, quod sumsit Lotharius rex Francorum exordium

IX Kal. Mali. Eodem die anno CXI post millesimum obiit Ermengaudus Elenensis præsul.

VIII Kal. Junii. Anno incarnationis Dominicæ LXXVI post millesimum, æra MCXIV, indictione XIII, obiit domnus Remundus Berengarii comes Barchinonensis et marchio.

IV Idus Julii. Eodem die obiit Petrus Pontii hujus sedis archilevita, qui obiit in expeditione Hierosolymitana anno XCVIII post millesimum ab incarnatione Domini.

Kal. Aug. Eodem die obiit P. G. (Petrus Gerundensis) episcopus, qui valde diligens Gerundensem sedem exercens, qui in ea diversi honoris ordinem ob Dei genitricis amorem vocatione divina vitam meruit cælibem.

XII Kal. Sep. Eodem die obitum Atoni episcopi et Ermengaudi comitis. Eodem die obit Guillelmus Guifredi a no Dominicæ incarnationis MLXVII.

III Non. Sep. Eodem die obiit Bernardus Umberti hujus sedis episcopus anno Dom. incarn. CXI post millesimum.

V Idus Oct. Eodem die obiit Sicardis mater Bernardi episcopi.

XV Kal. Dec. Eodem die obiit Berengarius Gerundensis episcopus ann. XCIII post millesimum ab incarn. Domini.

Nonis. Dec. Obiit Raymundus Berengarii comes Barchin.

MISSA ÆTHIOPUM

QUÆ ETIAM APPELLATUR *CANON UNIVERSALIS.*

(*Bibliotheca Patrum maxima*, Supplem., tom. XXVII.)

IN NOMINE PATRIS, ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

Chorus incipit : Alleluia.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam.

Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam exaudisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi. adorabo ad templum sanctum tuum.

Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultatione exsultent.

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; et lavabis me, et super nivem dealbabor.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Et ab alienis parce servo tuo.

Panem cœli dedit eis.

Panem Angelorum manducavit homo.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est!

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Benedictus, qui venit in nomine Domini! Benediximus vobis de domo Domini.

Salve, mater nostra, Ecclesia sancta, munita pariete, ornata topazio. Mater nostra, Ecclesia, salve.

Tu es vas illud puri auri, in quo erat manna absconditum, et tu es tabernaculum panis, descendens de cœlo, præbens omnibus vitam in sæculum.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

Ante omnia sacerdos dicit orationes sequentes pro ecclesia, et altari et indumentis eorum :

Domine, Deus noster, tu es solus sanctus, qui omnibus tua occulta virtute sanctificationem dedisti. Sic te, Domine, supplices exoramus ut hanc ecclesiam, et super hoc altare, et super omnia ad sacra mysteria præparata, Spiritum sanctum mittere digneris ; et iterum benedic, sanctifica, et ab omni macula et pollutione munda ea, et nihil incredulitatis et immundi in eis remaneat. Fac huic ecclesiæ et altari res mundas et electas, sicut argentum igne examinatum, probatum, et purgatum septuplum. Perfice ut super ea sit mysterium Patris, Filii, et Spiritus sancti, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Finita oratione, vestitur altare, et præparantur omnia ad sacrificium, et sequitur :

Domine, Domine Deus, scrutator cordis omnium, qui manifestas abscondita, et omnia, et singula cognoscis ; tu es sanctus, quiescens super sanctos. Tu solus sine peccato, potens delere peccata. Tu scis, Domine, quod huic mysterio sancto, quod ex te procedit, immundus sum ; non est mihi facies appropinquandi, neque os laudem tuam sanctam aperiendi, et gratias agendi. Sed solum propter multitudinem miserationum tuarum parce mihi, Domine, quia peccator sum. Præsta et concede mihi, Domine, (si in hanc horam misericordiam inveniam) et mitte desursum, Domine, fortitudinem tuam, ut tua sancta mysteria dignus efficiar consummare propter voluntatem et lætitiam cordis tui. Fiat incensum et oblatio ista bonus odor in conspectu tuo, et tu, Domine noster, et Salvator noster Jesu Christe, sis nobiscum, et benedic nos. Tu es ille qui deles peccata nostra, et illuminator animæ nostræ, vita, potentia nostra, et introitus noster ; tibi agimus gratias usque ad sedem tuam, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio super patenam.

Domine Deus noster, Jesu Christe, qui super lignum sanctæ crucis manus tuas extendisti, sic super istam patenam extende, qua tuum sacrum corpus ministratur ; Benedic † nunc, sanctifica et munda eam, ut corpus tuum sanctum in ea perficiatur, in hac ecclesia sancta et apostolica, quoniam tibi gloria, et Patri tuo cœlesti, cum Spiritu sancto vitali, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio super calicem.

Domine, Deus noster Jesu Christe, ἀληθινός, qui vere Deus et homo factus es, et nunquam a tua divinitate separatus fuisti, et sanguinem tuum pretiosum propter fragilem creaturam tuam voluntarie effudisti, fac nunc ut manus tuæ sint super hunc calicem. † Benedic, † sanctifica, † et purifica eum, ut in eo sanguis tuus sanctus consecretur, in hac ecclesia tua apostolica. Tibi gloria, cum optimo Patre tuo, et Spiritu sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio, puritas, † et dulcedo omnibus sanguinem tuum pretiosum sumentibus, alitheos vere. Amen.

Oratio super coclear per quod lancea crucis significatur.

Domine Deus noster, qui Isaiæ prophetæ et famulo tuo ut cerneret seraphim, carbonem ignitum de sacrificio forcipe suscipientem, et labia ejus mundantem, concedere dignatus es, sic Pater omnipotens, Dominus noster, et Deus noster, continens omnia, concede ut manus tuæ sint super hanc lanceam, ut corpus et sanguinem pretiosum Filii tui unici Domini nostri, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, digne ministrare possit. Benedic nunc, † sanctifica, † et purifica † eam, da ei virtutem et gloriam, sicut forcipi illi. Tibi gloria cum Filio tuo unico, cum Spiritu sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Virtus, † benedictio, † sanctificatio sanctæ Trinitatis, in hanc ecclesiam sancti N. de[Sceva (1). Tibi gloria cum Filio tuo, et Spiritu sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio super arculam in qua ponitur hostia pro sacrificio.

Domine Deus noster, qui in monte Sinai Moysi servo et prophetæ tuo præcepisti ut electa congregaret, quorum usus erat in ministerio altaris, arcæ, et sanctuarii in tabernaculo tuo, nunc, Domine, Deus noster omnipotens, præsta ut manus tuæ sint super hanc arculam, et imple eam virtute, fortitudine et puritate et gratia Spiritus sancti ad gloriam tuam, ut in ea perficiatur corpus unici Domini nostri, Dei nostri, et Salvatoris, Jesu Christi, in hac sancta ecclesia apostolica. Tibi gloria, et Filio tuo unico, et Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

† Sanctificationem acceptabilem, remissionem peccatorum concedat nobis Deus Pater, cui laus, et honor, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Quando sacerdos offert hostiam super altare, dicit orationem sequentem :

Domine, Deus noster, qui suscepisti sacrificium Abel in deserto, et Noe in ara, et Abrahæ in summitate montis, et Eliæ in monte Carmeli, et David in area Orna Jebusæi, et oblationem paupercule viduæ in templo sancto, sic oblationem meam, et omnium famulorum famularumque tuarum, offerentium in nomine sancto tuo, suscipe, ut pro meis et eorum peccatis sit redemptio. Et sicut nos offerimus, ita mercedem nobis retribue in præsenti sæculo, et in futuro, et in sæcula sæculorum. Amen.

(1) Regnum de Sceva illud est quod appellatur saba.

Oratio, quando ponitur vinum et aqua in calice, a diacono.

Vere Christe, Deus noster, et Domine noster, qui ad nuptias in Cana Galilææ vocatus fuisti, et eas benedixisti, et de aqua vinum fecisti; similiter fac, et † benedic, † sanctifica, et † purifica hoc vinum in conspectu tuo; et fiat exsultatio et vita animæ et corpori nostro, et in omni tempore nobiscum permaneant Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quia non habemus alios deos præter te, Domine. Imple igitur nos vino exsultationis, salutis, et lætitiæ, vitæ, intellectus, et consilii Spiritus sancti, in sæcula sæculorum. Amen. † Benedictus Dominus Deus, Pater omnipotens. † Benedictus Filius unigenitus, Jesus Christus, qui natus est de Maria Virgine. † Benedictus Spiritus Paracletus, Deus noster, quibus Patri, et Filio, et Spiritui sancto, vera fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

Postea replicet super calicem orationem.

Domine, Deus noster, qui suscepisti, etc. *Ut supra, in offerendo hostiam.*

Dicit sacerdos cantando et extendendo palmas sursum, ita tamen quod caput non excedant :

Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, et unus Spiritus sanctus.

Populus respondet : Amen.

Sacerdos, cantando dicit : Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, etc.

Dicit diaconus : Surgite ad orationem.

Populus : Domine, miserere nostri.

Sacerdos : Pax vobis.

Populus : Et cum spiritu tuo.

Sacerdos, in gratiarum actionem, dicit orationem sequentem :

Gratias agamus benefactori nostro, Domino misericordi, Patri Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, quia protexit nos, auxiliatus est nobis, custodivit, et commendatos nos sibi reddidit, attraxit, amplexus est, confirmavit, et pervenire nos fecit ad hanc horam; rogemusque ipsum, ut etiam custodiat nos in hac die sancta, in omni tempore vitæ nostræ, et in omni pace, omnipotens Deus noster.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem sequitur : Domine, o Domine, Pater bone et omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, laudamus te super omne opus, pro omni opere, et in omni opere, quia protexisti nos, auxiliatus es nobis, custodisti nos, et commendatos tibi nos reddidisti; attraxisti et amplexus es; confirmasti et pervenire fecisti usque ad hanc horam. Petimus quoque, et quæsumus a bonitate tua, o amator generis humani.

Diaconus dicit : Petite et rogate ut parcat nobis Dominus, et misereatur nostri, et suscipiat orationem quæ pro nobis fit a sanctis suis; et faciat nos dignos ut quæ præstat accipiamus; et sumamus de participatione et sacramento suo benedicto ut dimittantur nobis peccata nostra.

Sacerdos subsequitur : Ut perducamus hunc diem sanctum in omni tempore vitæ nostræ, in omni pace, cum timore tuo. Omnem invidiam, et omnem tentationem, et omne opus Satanæ, consilium hominum malorum, insultationes inimici absconditas et manifestas, elonga et expelle a me et ab universo populo tuo, et ab hoc loco sancto tuo. Omnia bona, quidquid utique præstat et juvat, impetra eis per nos, quia tu es qui dedisti nobis potestatem ut calcaremus serpentem, et scorpionem et omnem vim inimici; ne inducas nos, Domine, in tentationem, sed redime et libera nos ab omni malo per gratiam et misericordiam et amorem erga humanum genus Filii tui unici, Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi, cum quo, tibi una cum sancto Spiritu, et gloria, et potestas, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro offerentibus munera, sacerdos :

Iterum rogemus omnipotentem Deum, Patrem Domini, Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi, pro iis qui obtulerunt munera sanctæ, unicæ, quæ est super omnes, Ecclesiæ, sacrificium scilicet primarum decimarum gratiarum actionis signum et monimentum; seu autem quis multum obtulerit, seu parum, seu secreto, seu palam, seu volens et non habens, omnium amplectatur voluntatem qui cœlestem Spiritum donat, et in quo omnium bonorum operum est potestas, Dominus, Deus noster.

Caute ista lege, nam si vox Spiritus, *sit in recto, dicet filium esse Spiritum Sancti, id est Patris, tuncque vox* Spiritus *capietur essentialiter, ut est communis tribus personis, non personaliter. Si vero sit in obliquo, certissimum est Christum secundum divinitatem nullo pacto esse Filium Spiritus sancti, nisi nomen Spiritus sancti essentialiter sumatur, nempe pro Patre, quæ tamen est insolens et aliena locutio. Neque vero secundum humanitatem dici posse Christum filium Spiritus sancti docent theologi. Vide sanctum Thomam, part.* III, *q.* 32, *art.* 3.

Diaconus dicit : Orate pro iis qui obtulerunt munera.

Sacerdos : Domine, Deus omnipotens, rogamus te et quæsumus pro iis qui obtulerunt dona sanctæ, unicæ, quæ super omnes est, Ecclesiæ, seu multum obtulerint seu parum, sive secreto sive palam, sive volentes et non habentes, omnium voluntatem acceptans, da unicuique eorum, pro præmio, benedictionem per unicum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria et potestas, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio oblationis sacræ : O princeps noster, Jesu Christe, cujus substantia creata non est, sed es purum Verbum; tu es Filius Patris et Spiritus sancti. Tu es panis vitæ, descendens de cœlo, qui antequam venires, eras in figura Agni immaculati pro redemptione mundi. Nunc bonitatem tuam super hunc panem et calicem in hoc altare portatile ostendas.

† Benedic, † sanctifica, † munda, et transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam; et vinum hoc, in sanguinem tuum pretiosum. Fiat sacrificium ardens et acceptabile, medela et salus animæ et corpori nostro; quia tu es Rex noster et Christus Deus noster, omni laude, reverentia, et gloria tibi gratias agimus; cum Patre tuo cœlesti, Spiritu sancto vitali, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus : Flectite genua.

Populus : Ante te, Domine, flectimus, et te laudamus.

Coadjutor sacerdotis dicit quod sequitur :

Domine, Domine, Fili unice, Jesu Christe, Verbum Dei Patris, qui nobis per tuam salutiferam et vitalem passionem, peccatorum nostrorum vincula omnia dirupisti, qui in discipulorum sanctorum, immaculatorum ministrorum tuorum faciem insufflasti, dicendo : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* præsta, Domine, sicut eis hoc officium sacerdotale Ecclesia sancta tua, cum potestate ligandi et absolvendi in omni tempore peccata et vincula iniquitatum nostrarum, tribuisti, ita bonitatem et clementiam tuam imploramus, o amator hominum, ut absolvant nos servos tuos, et parentes, fratres, sorores, et amicos nostros, et me peccatorem, et omnes capita sua inclinantes ante conspectum tuum in hoc sacrificio sancto tuo; dirige nos, Domine, in viam misericordiæ tuæ; disrumpe et frange omnia vincula peccatorum nostrorum.

O Domine, si scienter aut ignoranter, aut malitia cordis, levitate spiritus, aut inclinatione et macula carnis, factis, verbis, et temporibus peccavimus tibi, parce, Domine, quia scis fragilitatem nostram. O optime Domine universi, et amator hominum, concede nobis remissionem peccatorum nostrorum. † Benedic, et † sanctifica, † mundifica et odorifica, et fac nos liberos et absolutos. Absolve pontifices, principes, et reges nostros; patriarchas, archiepiscopos, episcopos, sacerdotes, diaconos, et ministros nostros, et populum tuum, parentes et fratres nostros. Memento, Domine, dormientium principum, pontificum, regum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, sacerdotum, diaconorum, et ministrorum tuorum, parentum nostrorum, et omnium in recta fide quiescentium, et imple nos timore nominis tui, et dirige nos facere voluntatem tuam. Sit tibi gloria, et honor, quia tu solus eis dignus es, in sæcula sæculorum. Amen.

Servi tui hodie ministrantes, sacerdos, diaconus, et omnes ministri, populus, et ego pauper servus tuus et peccator, absolvamur per os Trinitatis sanctæ Patris, Filii et Spiritus sancti et beatæ Mariæ cœli secundi, Matris Dei : per os Michaelis, Gabrielis, et omnium archangelorum, et nonaginta novem ordinum angelorum, et mille millium ministrantium, et quorum nomina numerare nescimus; et quatuor animalium, et viginti quatuor seniorum, et primorum sanctorum patrum; et quindecim prophetarum, et duodecim eorum filiorum; et per os duodecim apostolorum, et sancti Jacobi episcopi Hierosolymitani, et sancti Pauli, Timothei, Syllæ, Barnabæ, Titi, Philemonis, Clementis, et omnium septuaginta duorum discipulorum, et quingentorum suorum sociorum : et per os sancti Marci divinitatem clamantis, et aliorum evangelistarum; et per os trecentorum et decem et octo episcoporum, qui pro recta fide in synodo Nicæna congregati fuerunt, et centum quinquaginta in Constantinopolitana, et ducentorum in synodo Ephesina; et per os pontificis nostri Saviros, Joannis Chrysostomi oris aurei, Cyrilli, Basilii, Theophili, Athanasii, Gregorii, et pontificum nostrorum, Matthæi, Gabrielis, Joannis, Salamæ, Bartholomæi, Isaac, Marcii, et per os Ecclesiæ unicæ quæ congregata fuit per apostolos sanctos; et per me peccatorem absolvamini, et impleamini gratia ad gloriam et honorem, Patris, Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Hic, sacerdos declarat epacta, aureum numerum, mobilia et immobilia festa, indulgentias, et omnes ritus et ceremonias a principio usque ad finem, et in vivorum et defunctorum memoriam effundit incensum, et prosequitur hanc orationem ponendo ter incensum in thuribulo, dicens :

† Benedictus Pater omnipotens. † Benedictus Filius unicus Jesus Christus. † Benedictus Spiritus Paracletus, quibus nunc, et semper honor, et gloria, Amen.

Deinde circumcirca altare incensando, dicit :

Alleluia Patri, Alleluia Filio, Alleluia Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

† O Deus in æternum; tu es ante et post, qui cares principio et fine, magnus in providentia, potens in opere et prudens in consilio, quæ omnia in omnibus demonstratur. Oramus, et supplices te rogamus, Domine, ut in hac die nobiscum maneas, et faciem tuam super nos ostendas; nobiscum habita, dele peccata et iniquitates nostras quæ voluntarie et involuntarie, scienter et ignoranter fecimus, munda cor nostrum, et sanctifica animam nostram. Permitte nos tibi appropinquare. Oblatio, et gratiarum sacrificium, incensum spirituale intret et ascendat in conspectu sanctitatis tuæ.

Cum incensat altare, dicit orationem :

Memento, Domine, unicæ Ecclesiæ tuæ sanctæ apostolicæ, et congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Memento, Domine, principis nostri, N., et antistitum Patrum nostrorum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, sacerdotum, diaconorum, et omnium apostolicæ fidei cultorum. Memento, Domine, regis nostri, N., et omnium regum Christianorum, parentum, famulorum famularumque tuarum, fratrum et sororum omnium fidelium dormientium, et in signo rectæ fidei quiescentium. Memento, Domine, congregationum nostrarum, et benedic eis.

Diaconus dicit : Surgite in orationem.

Sacerdos : Pax vobis.

Populus : Et cum spiritu tuo.

Sacerdos, magna voce sequitur, ter : Adoramus Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, trinum et unum.

Populi replicant idem ter.

Sacerdos sequitur : Pax tibi, sancta Ecclesia, habitatio pacis. Salve, virgo Maria, Dei genitrix, tu es thuribulum aureum, quæ carbonem ignitum portasti. Benedictus qui eum de sanctuario recipit, quia vere Verbum Dei ipse est, qui peccata remittit et culpam delet, et ex te homo factus est, et Patri seipsum verum incensum et pretiosum sacrificium obtulit. Adoramus te, Christe, cum Patre tuo optimo et misericorde, et Spiritu tuo vitali, quia tu venisti, et liberasti nos.

Populus replicat idem.

Postea coadjutor sacerdotis sequitur orationem :

Domine intelligentiæ, et annuntiator sapientiæ quæ prius nobis abscondita erat, eam manifestasti, Domine largitor verbi exsultationis et lætitiæ, prædicantibus magnificentiam virtutis tuæ. Tu es qui Paulum, multitudine bonitatis tuæ, vocasti, qui prius erat persecutor Ecclesiæ, et constituisti eum Vas electionis regni tui, et Evangelii apostolum et prædicatorem elegisti, et concionatorem regni tui.

O Christe, Deus noster, tu es optimus amator hominum, concede nobis, quæsumus, sapientiam, intelligentiam, scientiam et intellectum, quæ semper nobiscum permaneant, ut sapiamus, intelligamus, sciamus et perspiciamus Scripturam sanctitatis tuæ, quæ in conspectu tuo legitur. Sicut dono dedisti Paulo, et dignum tanta gratia eum fecisti, ita nos, quæsumus, quoque dignos fac, caput vitæ, ut eum imitemur, et in viam ejus ambulemus, et ejus vestigia sequamur, et nomen tuum sanctum laudemus, et in cruce tua in omni tempore gloriemur, sicut et ipse semper gloriatus fuit. Tibi virtus, regnum triumphus, magnificentia, honor, et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus antequam legatur Epistola, dicit : Omnes qui non amant Dominum nostrum, et in nativitatem suam minime credunt, et in sanctam Mariam Virginem, anathema sint usque ad adventum ejus.

Deinde legitur Epistola Pauli, quæ occurrit, et usquelibet secundum diem occurrentem. Lecta Epistola, dicit diaconus :

Gloria Patris, amor Filii, et donum Spiritus sancti, quæ descenderunt super apostolos benedictos et mundos in Sion loco sancto, duplicentur super nos, Christianos, in sæcula sæculorum. Amen.

Populus : O bone minister, sancte Paule, sanator infirmorum, qui coronam recepisti, ora et intercede pro nobis, ut liberetur anima nostra propter multitudinem miserationum Jesu Christi, et sancti nominis sui.

Dicit diaconus : Surgite ad orationem.

Populus : Domine, miserere nostri.

Sacerdos : Pax vobis.

A *Populus :* Et cum spiritu tuo.

Sacerdos sequitur orationem signatam sub signo ✝ ut supra, incipientem : O Deus, in æternum tu es, *etc.*

Minister sive subdiaconus, ante Epistolam dicit : De Epistola Petri, sive alterius apostoli : Discipulus et apostolus Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus oratio et benedictio sit super nos semper. Amen.

Postea magna voce dicit Epistolam.

Finita et lecta Epistola, diaconus sequitur :

Fratres mei, nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; quæ non ex Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia
B ejus. Qui autem facit voluntatem ejus manet in æternum.

Dicunt populi : Sanctus trinus et unus in substantia tua, custodi congregationem nostram, propter sanctos electos tuos et discipulos tuos, consolare nos per misericordiam tuam, et propter nomen sanctum tuum.

Dicit diaconus : Surgite in orationem.

Populus : Domine, miserere nobis.

Sacerdos : Pax vobis.

Populus : Et cum spiritu tuo.

Sacerdos : Domine, Dominus noster, et Deus noster; tu es qui apostolis tuis sanctis mysterium gloriæ Christi tui manifestasti, et magna et innumerabilia dona eis tribuisti, divitias et secreta mi-
C sericordiæ tuæ, eos ad prædicandum misisti. Propitius esto, Domine, et concedere dignare, facere nos participes et consortes hæreditatis eorum, et ambulare et sequi vestigia eorum. Præsta, quæsumus, ut in omni tempore eis similes simus, et in eorum amore fortificemur, et eorum labores participemus. Custodi, Domine, Ecclesiam Christianam sanctam, in bona adoratione, quæ ædificata et fundata fuit per apostolos sanctos.

Sacerdos sequitur erga populum :

✝ Benedic gregi, et agnis tuis, multiplica, Domine, hanc uvarum vitem, quam per manus tuas sanctas, per Dominum nostrum Jesum Christum, plantasti; cui, et tibi, et Spiritui sancto gloria et
D potentia, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Hic sacerdos ponit incensum in thuribulo, dicens :

Domine, Deus noster, qui sacrificium Abrahæ patris nostri suscepisti, et pro vice et salvatione Isaac filii ejus, agnum descendere fecisti; sic, Domine, odorem istius incensi suscipe, et sicut sacrificium illius agni recepisti, ita, Domine, mitte divitias gratiæ et misericordiæ tuæ. Fac nos puros et mundos ab omnibus malis odoribus peccatorum, et tuæ virtutis et majestatis dignos in laude munditiæ tuæ. O amator hominum, fac nos justos sine macula, cum lætitia omnibus diebus vitæ nostræ.

Sequitur : Memento, Domine, unicæ Ecclesiæ tuæ sanctæ, quæ de fine usque ad finem, in toto orbe

terrarum, in apostolis tuis congregata fuit. Lætare, A Domina, quia salutem sanctam deprecamur. O Virgo, Mater Dei et Christi, in omni tempore effer sursum et in altum orationem nostram apud electos Filii tui, ut remittantur peccata nostra. Lætare, Domina, quia peperisti nobis lumen verum, Jesum Christum, Dominum nostrum. Ora pro nobis apud eum, ut misereatur animæ nostræ; ora pro nobis in conspectu throni Filii tui, Jesu Christi. Lætare, Immaculata, vere Regina. Lætare, Gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem. O vere mediatrix ante Dominum nostrum Jesum Christum, te supplices exoramus ut memor sis nostri. Ora pro nobis ut deleantur iniquitates nostræ.

Coadjutor sacerdos, antequam legantur Acta apostolorum : Hoc est opus et dicta nostrorum Patrum, B apostolorum sanctorum et immaculatorum. Gratia Spiritus sancti, et misericordia duplicetur super nos, et omnes Christianos. Amen.

Postea legitur ex Actis apostolorum, secundum diem occurrentem. Finita lectione, sequitur :

Verba Domini magna, multiplicata in Ecclesia sancta, populos credentes in Dominum Jesum Christum multiplicaverunt, cui gloria in sæcula sæculorum.

Populus respondet : Amen.

Postea sequitur : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Pater omnipotens, Sanctus, sanctus, sanctus, unicus Jesus Christus Filius, Verbum Patris. Sanctus, sanctus, sanctus, Spiritus sanctus, sciens C omnia.

Dicit diaconus : Surgite in orationem.

Populus : Domine, miserere nobis.

Sacerdos : Pax vobis.

Populus : Et cum spiritu tuo.

Sacerdos : Domine, Deus noster, Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis sanctis et electis : Multi prophetæ et justi desideraverunt videre quæ vos videtis, et audire quæ auditis, et non viderunt neque audierunt, sed beati oculi vestri et aures vestræ, videntes et audientes; sic nos fac dignos audire et facere verba Evangelii tui sancti, per orationes et preces sanctorum tuorum.

Diaconus dicit : Orate.

Sequitur sacerdos : Memento iterum, Domine, D verborum tuorum, pro illis qui se orationibus nostris commendaverunt, quando oramus ad te, Domine Deus noster, memento dormientium, et in recta fide quiescentium; et concede infirmis sanitatem, quia tu es vita, spes, liberator, et resurrectio omnium; tibi gratias referimus in æternum, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus accipiens crucem, dicit :

Orate ut digni efficiamini audire Evangelium.

Postea cantat : Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, *etc.*

Sacerdos idem dicit; Populus ter idem dicit : et in ultimo versu semper dicitur, Alleluia.

Diaconus circuit ecclesiam clamando : Surgite; audite Evangelium sanctum et bonam annuntiationem Domini nostri, et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Postea, coadjutor accipit thuribulum et porrigit sacerdoti, qui ter incensat, accipiendo Evangelium erga populum, et dicit :

Magnus Deus, benedic † nos, et populum Christianum, et fac introitum nostrum in ecclesia tua sancta, una cum angelis sanctis qui serviunt Deo, et laudant eum omni tempore, in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos annuntiat Evangelium, sic cantando :

Sanctum Evangelium, quod annuntiavit Matthæus, vel Marcus, vel Lucas, vel Joannes.

Ministri accendunt lumina, et præparant alia necessaria, et dicunt :

Gloria Christo, et Domino nostro, et Deo nostro semper; exsultate in Domino, qui auxiliatur nobis, et psallite Deo Jacob, accipite psalterium in cythara, *etc.*

Sacerdos alta voce legit Evangelium diei. Diaconus, finito Evangelio, dicit :

Exite foras, qui non vultis accipere sacramentum, sive Eucharistiam. Ite catechumeni.

Ministri dicunt : Et illi, Cherubin et Seraphin redilant gloriam : Sanctus, sanctus, sanctus, et sanctus Omnipotens. Pleni sunt cœli et terra gloriæ et sanctitatis tuæ. Adoramus te, Christe, cum Patre tuo optimo, et misericorde, et Spiritu sancto vitali; tu venisti et liberasti nos.

Diaconus dicit : Surgite in orationem.

Populus : Domine, miserere nostri.

Sacerdos : Pax vobis.

Populus : Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit : Surgite ad orationem.

Sacerdos dicit : Pax omnibus vobis. Et iterum rogemus omnipotentem Deum Patrem Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Rogamus et petimus a bonitate tua, o amator hominum; recordare, Domine, pacis Ecclesiæ sanctæ in unum per apostolos congregatæ.

Diaconus dicit : Orate pro hac Ecclesia sancta, in unum per apostolos congregata, recta in Domino.

Populus dicit : Domine, Deus noster, da nobis D pacem; Domine, Deus noster, da nobis pacem; Christe, rex noster, miserere nobis.

Sacerdos dicit :

Eam quæ fuit a principio, et erit usque in finem sæculi, omnes populos, et omnes greges benedic. Pacem de cœlo mitte super omnes animas nostras; pacem vitæ nostræ da nobis per ipsam Ecclesiam. Da, Domine, pacem regi nostro N., et principibus ejus, ac judicibus ejus, et subditis ejus, et circa nos congregatis, tam extra quam intra Ecclesiam. Orna eos omni genere pacis, Rex pacis; pacem da nobis, quoniam omnia dedisti nobis; conserva nos, Domine; quoniam præter te neminem cognoscimus : nomen sanctum tuum nominamus et invocamus, ut vivat anima nostra in Spiritu sancto

nec invalescat mors peccati, super nos servos tuos et super omnem populum tuum.

Pro pontificibus.

Et iterum rogemus omnipotentem Deum, Patrem Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Rogamus et petimus a bonitate tua, o amator hominum, recordare, Domine, Patris nostri venerandi principis archiepiscoporum nostrorum, N., ac sancti et beati antistitis nostri, N.

Diaconus dicit : Orate pro principe nostro, principe nostrorum archiepiscoporum N., et capite episcoporum magnæ provinciæ Alexandrinæ ; pro capite patriæ nostræ, venerando archiepiscopo nostro N., ac omnibus episcopis, sacerdotibus, et diaconis rectæ fidei.

Sacerdos dicit : Custodiendo custodi eos nobis, multis annis et longo tempore in justitia et pace ; ut perficiant consecrationem quam tu commisisti dignitati sacerdotali, secundum sanctam ac beatam voluntatem tuam ; ut judicent in justitia et rectitudine, et pascant populos tuos in æquitate. Custodiendo custodi etiam omnes episcopos, sacerdotes, et diaconos rectæ fidei, et omnes conformes sanctæ et unicæ Ecclesiæ quæ est congregatio apostolica ; orationes vero quas pro nobis et pro universis populis tuis faciunt, accepta in sacrificium tuum altissimum in odore bono suavitatis, et omnes hostes et adversarios eorum dissipa, et confringe sub pedibus eorum velociter. Ipsos vero custodi nobis in justitia et pace in Ecclesia sancta tua.

Pro congregatis.

Sacerdos dicit : Et iterum rogemus omnipotentem Deum, Patrem Domini, et Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Quærimus et rogamus a bonitate tua, o amator hominum. Recordare, Domine, congregationis nostræ, et benedic ei.

Diaconus dicit : Orate pro hac ecclesia sancta, et nostra congregatione quæ in ea est.

Populus dicit : Benedic congregationi nostræ, et custodi eam in pace.

Diaconus dicit : In sapientia Domini dicite et canite orationem fidei.

Populus dicit : Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum ; et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos ; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum : et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi Amen.

Sacerdos dicit : Fac eos ut sint tibi sine divisione, et sine pigritia faciant voluntatem tuam sanctam et beatam. Fac eos domum orationis, domum puritatis, domum abundantiæ et gratiæ, gratificare, Domine, nobis servis tuis, et post nos venturis in sæculum. Exsurge Domine, Deus noster, et dissipentur inimici tui, et fugiant ante faciem tuam omnes qui oderunt sanctum et benedictum nomen tuum. Populi autem tui sint benedicti millies millibus, et iterum millies millibus benedictionum, faciantque omnem voluntatem tuam, per gratiam, benignitatem, ac amorem homines Filii tui unigeniti Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi ; cui, et tibi, ac Spiritui sancto sit gloria et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro pace perfecta, sacerdos dicit :

Magnus et æternus Dominus psalmavit hominem immaculatum, incorruptibilem. Mors autem ingressa est a principio in mundum ob invidiam diaboli. Tu, Domine, eripuisti vim ejus per adventum unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et implevisti totam terram pace tua. Propterea cœlestes legiones laudant te dicentes : Gloria Domino in cœlis, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis.

Diaconus dicit : Orate pro pace perfecta et amabili ac salutifera et apostolica : Salutate vos invicem. Qui communicare non vultis, discedite. Qui autem vultis communicare, amplectimini invicem in plenitudine cordis. Qui communicat custodiat se a malo.

Sacerdos dicit : O Domine, ex beneplacito tuo imple corda nostra pace tua, et munda nos ab omni mala cogitatione et immunditia, et ab omni memoria injuriarum, et ab omni invidia, et recordatione malorum, quæ mortem inferunt. O Domine, fac nos omne dignos ut salutemur ad invicem salutatione sancta et immaculata, et recipiamus sine judicio et sine morte donum tuum cœleste, hoc est, gratiam tuam cum Spiritu sancto.

Populus dicit : Christe, Deus noster, fac nos dignos salutandi te salutatione cœlesti, ac laudandi te una cum Cherubim et Seraphim, dicentes : Sanctus, sanctus, sanctus, Omnipotens. Pleni sunt cœli et terra sanctitate gloriæ tuæ.

Sacerdos dicit : Dominus vobiscum, sanctus inter sanctos, sanctus inter sanctos, sanctos inter sanctos. Gratias agimus tibi, Domine, per dilectum unigenitum Filium tuum, Dominum Deum, et Servatorem nostrum Jesum Christum, quem in posteriori tempore misisti nobis Filium tuum, Servatorem et Redemptorem, nuntium consilii tui, qui Verbum

tuum est, et per quem omnia fecisti secundum vo A luntatem tuam.

Diaconus dicit : Per beatum et sanctum patriarcham nostrum N., et per venerandum antistitem nostrum N., qui suis orationibus et precibus laudant te; per Stephanum protomartyrem, Zachariam sacerdotem, Joannem Baptistam; per omnes sanctos martyres qui in fide Jesu Christi quieverunt; per Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem evangelistas; per Mariam Dei genitricem; per Simonem Petrum, Andream, Jacobum, Joannem, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, Thadæum, Nathanael, Jacobum Alphei (2), et Matthiam apostolos; per Jacobum apostolum fratrem Domini nostri, episcopum Jerusalem sanctæ; per Paulum, Timothæum, Silam, Barnabam, Titum, Philemona, B Clementem, et per septuaginta duos discipulos, et quingentos socios eorum, ac per trecentos decem et octo rectæ fidei Patres, visita nos et fac nos participes orationum eorum omnium : et super omnia recordare catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ in pace, pretioso sanguine per Christum ædificatæ. Recordare etiam omnium patriarcharum archiepiscoporum, episcoporum, sacerdotum, et diaconorum, qui dirigunt viam verbi, quod est in veritate.

Dicit populus : Miserere, Domine, animarum servorum tuorum et ancillarum tuarum, qui manducarunt carnem tuam et biberunt tuum sanguinem, et in fide tua quieverunt.

Oratio benedictionis.

Sacerdos dicit : O sancta Trinitas, Pater, Fili et C Spiritus sancte, benedic super populum tuum Christianum electum benedictione cœlesti, et mitte super nos gratiam Spiritus sancti. Aperi nobis fores Ecclesiæ tuæ sanctæ, propter misericordiam tuam et fidem nostram. Perfice in nobis fidem Trinitatis usque ad extremum spiritum, o princeps noster, Jesu Christe, visita infirmum populum tuum, et sana eum. Dirige patres nostros et fratres nostros peregrinantes, reduc eos ad lares suos, cum salute et pace; benedic ventos cœli, et pluvias, ac fructus terræ præsentis anni pro gratia tua; præbe semper gaudium et delicias super faciem terræ, et corrobora super nos pacem tuam. Induc corda regum proborum ad benefaciendum nobis, da gratiose honorem principibus Ecclesiæ sanctæ, singulis eorum juxta eorum nomen, in conspectu regum potentium fac eos gratos. O Domine, præbe requiem animabus patrum et fratrum nostrorum, qui in recta fide dormiunt et quiescunt, et benedic his qui laborant circa thura, circa sacrificia, circa vinum, circa oleum, ac butyrum, et circa cortinas, et circa etiam libros, et cathedras, circa res omnes sanctæ Ecclesiæ, ut Jesus Christus Deus noster remuneretur eos in cœlesti Jerusalem. Miserere omnium qui nobiscum congregati sunt ad quærendam misericordiam Dei nostri Jesu Christi, et omnibus illis qui nobis eleemosynam tribuerunt, in sede judicii tui mitis sis et placidus. Libera, Domine, ob multitudinem misericordiæ tuæ, omnes animas inopes et afflictas, carceratos quoque ac captivos et exsules ac in servitutem adactos, et in amaris laboribus detentos. Recordare, Domine noster, Jesu Christe, in regno cœlorum, omnium illorum qui a nobis petierunt ut recordaremur eorum. O Domine, libera populum tuum et benedic hæreditati tuæ, ac nutri eum et exalta usque in sæculum. Custodi eos in recta fide et in gloria, omni tempore, et fac ut ferveant ineffabili et inexcogitabili charitate, per preces ac intercessionem quam pro nobis facit Domina nostra sancta et immaculata virgo Maria; et per preces majorum angelorum splendentium, Michaelis, et Gabrielis, ac Raphaelis, et Urielis, et quatuor animalium sine carne, et viginti quatuor seniorum cœli; et Patrum nostrorum sanctorum patriarcharum, Abraham, Isaac, et Jacob, et omnium proborum Patrum priorum, ac quindecim Patrum nostrorum prophetarum, ac sancti Joannis Baptistæ, et quatuordecim milium puerorum Bethlehem, et Patrum nostrorum duodecim principum apostolorum, et septuaginta duorum discipulorum, et quingentorum sociorum eorum; ac trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, et Misael; ac sancti Marci evangelistæ et martyris, et sancti Stephani archidiaconi, protomartyris, et sancti Georgii stellæ honoris, Theodori, Banadlii, Claudii, Minas electi, Cosmæ et Damiani, et Patrum nostrorum, principum episcoporum trecentorum decem et octo qui fuerunt Niceæ, et centum quinquaginta qui fuerunt Constantinopoli, et ducentorum qui fuerunt Ephesi; et Teela Aimanor, quorum orationes et benedictiones et auxilium ac gratia sit nobiscum in sæcula sæculorum. Amen. Istorum et illorum omnium animabus requiem tribue, et miserere eorum, ob id enim misisti e cœlo Filium tuum in uterum Virginis.

Diaconus dicit : Qui sedetis, surgite.

Sacerdos dicit : In quo portatus, caro factus est, et notus per Spiritum sanctum in ejus nativitate.

Diaconus dicit : Aspicite ad ortum.

Sacerdos dicit : Coram te assistant millia millium sanctorum angelorum, et principum eorum. D

Diaconus dicit : Aspiciamus.

Sacerdos dicit : Honorata quoque animalia, sex alas habentia, Seraphim et Cherubim qui cum duabus alis suis faciem suam, et cum duabus pedes suos tegunt; cum duabus vero volant a fine mundi ad finem; sicut semper te sanctificant et laudant, sic a nobis sanctificationem nostram recipias, qui dicimus assidue : Sanctus.

Diaconus dicit : Dicite.

Populus dicit : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth. Perfecte pleni sunt cœli et terra sanctitate gloriæ tuæ.

(2) Existimant Æthiopes in hac liturgia Jacobum Alphæi apostolorum alium fuisse a Jacobo fratre Domini.

Sacerdos dicit : Vere pleni sunt cœli et terra sanctitate gloriæ tuæ, per Dominum, et servatorem nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Sanctus Filius tuus venit ex Virgine ut voluntatem tuam adimpleret, et populum sanctum tibi ordinaret.

Populus dicit : Secundum misericordiam tuam, Domine, nec secundum peccata nostra.

Sacerdos dicit : Extendit manus suas ad infirmitatem. Infirmatus est ut infirmos sanaret in se sperantes. Qui etiam datus est per voluntatem suam infirmitati, ut mortem destrueret, et vincula diaboli dissolveret, et calcaret infernum, probos dirigeret, ordinem plantaret, et resurrectionem suam manifestaret. In ea nocte in qua traditus est, accepit panem in sanctas ac beatas et sine macula manus suas, inspexit in cœlum ad te Patrem suum, gratias egit, benedixit, et sanctificavit, et dedit discipulis suis dicens : Accipite et comedite ex eo omnes : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Amen.

Populus dicit : Amen, amen, amen. Credimus et confidimus, et laudamus te, o Domine, Deus noster. Hoc vere corpus tuum est.

Sacerdos dicit : Similiter calicem, gratias agens, benedixit, et sanctificavit, et dixit eis : Accipite et bibite ex eo omnes : Hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur et pro redemptione multorum. Amen.

Populus dicit : Amen, amen, amen. Credimus et confidimus, et laudamus te, o Domine, Deus noster. Hic vere sanguis tuus est.

Sacerdos dicit : Quoties hoc feceritis, in mei memoriam facietis.

Populus dicit : Annuntiamus mortem tuam, Domine, et sanctam resurrectionem tuam ; credimus ascensionem tuam, et secundum adventum tuum ; rogamus te, Domine Deus noster ; hæc vera esse credimus.

Sacerdos dicit : Nunc autem recordamur mortis tuæ et resurrectionis tuæ, offerimusque tibi hunc panem et hunc calicem, tibique gratias agimus quod per hoc sacrificium dignos nos fecisti standi in conspectu tuo, et sacerdotale officium coram te exsequendi ; oramus te, Domine, et a te instanter petimus ut mittas Spiritum sanctum super hunc panem et hunc calicem, videlicet corpus et sanguinem Domini et servatoris nostri Jesu Christi, in sæcula sæculorum. Amen. Tribue simul omnibus ex eo sumentibus, ut fiat eis ad sanctificationem et plenitudinem Spiritus sancti et ad corroborationem fidei, ut sanctificent et laudent te, per Dominum et servatorem nostrum Jesum Christum cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus dicit : Quæsumus te, Domine, Deus noster, toto corde, ut des nobis bonam Spiritus sancti unionem.

Sacerdos sequitur : Da nobis ut conjungamur in Spiritu sancto tuo, et sana nos per hoc sacrificium, ut in te salvi simus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Benedictum sit nomen Domini, et benedictus qui venit in nomine Domini, et benedictum nomen gloriæ ejus. Fiat, fiat, fiat.

Populus dicit : Benedictum sit nomen Domini, et benedictus qui venit in nomine Domini, et benedictum nomen gloriæ ejus. Fiat, fiat, fiat.

Sacerdos dicit : Mitte gratiam Spiritus sancti super nos, Domine.

Diaconus dicit : Surgite ad orationem.

Sacerdos dicit ad orationem fragmenti :

Confiteor tibi, Domine, Deus meus omnipotens, qui sedes super thronum Cherubim et habitas super excelsa, et laudaris ab humilibus, qui in splendore existens, mundum cognovisti et absconditum mysterium in cruce nobis ostendisti. Quis Deus misericors, et sanctus sicut tu ? Potestas tua non est elongata a nobis, quam tuis dedisti discipulis qui mundo et sincero corde tibi serviunt et offerunt tibi sacrificium suaveolentis odoris, per Dominum et Servatorem nostrum Jesum Christum cui, et tibi, et Spiritui sancto sit gratia, honor, et gloria, in sæcula sæculorum.

Diaconus dicit : Qui statis, humiliate capita vestra.

Sacerdos dicit : Domine, qui habitas super Cherubim, et respicis super populum tuum et hæreditatem tuam, benedic servos tuos et ancillas tuas, et filios eorum ; portionem tribue eis qui de miraculosa mensa tua sumere veniunt pro mentis purgatione, et peccatorum remissione, unioneque Spiritus sancti ac salute animæ et corporis, et hæreditate regni cœlorum, cum honore et voluntate, per unicum Filium tuum, cui, et tibi cum eo, et cum Spiritu sancto laus et gloria, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Dicit subdiaconus cum populo : Exercitus angelorum Salvatoris mundi stant coram eo, et legunt corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi : accedamus ante faciem ejus, et in fide eum revereamur.

Diaconus dicit : Adorate Deum cum timore.

Sacerdos dicit : Domine Deus omnipotens, salus animæ et corporis nostri, qui per os Filii tui unigeniti, Domini Dei, et servatoris nostri Jesu Christi, dixisti Patri nostro Petro : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni non prævalebunt adversus eam concutiendam, et tibi dabo claves regni cœlorum, quemcunque ligaveris super terram erit ligatus in cœlis, et quemcunque solveris super terram erit solutus in cœlis, sint soluti servi tui et ancillæ tuæ, ab ore sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et etiam ab ore meo, servo tuo peccatore et culpis pleno. Domine, Deus noster, tu tollis peccata mundi, suscipe pœnitentiam servorum tuorum, et ancillarum tuarum. Oriri fac super eos lumen vitæ. Evelle

ab eis peccata eorum, quoniam tu es misericors et miserator, Domine, Deus noster, alienus ab ira, abundans misericordiæ, et vere justus. Quando in te peccamus, Domine, aut cogitatione, aut verbo, aut opere, parce, evelle, et compatere, quoniam tu es misericors et hominum amator. Domine Deus noster, solve nos omnes, et omnes populos tuos : solve, Domine, summum pontificem nostrum N., et sanctum ac beatum antistitem nostrum N., et omnes alios pontifices, episcopos, sacerdotes et diaconos, juxta eorum nomina custodiendo custodi eos propter nos, ad multos annos et ad longos dies, in justitia et pace. Solve, Domine, regem nostrum, N., ab omni vinculo delictorum. Memento, Domine, omnium dormientium et quiescentium in fide Christi, colloca animas eorum in sinu Abrahæ, Isaac, et Jacob, et libera nos ab omnibus culpis et maledictionibus, et ab omnibus abnegationibus veritatis, et ab omnibus perjuriis, ac communione infidelium, et gentilium, ac hæreticorum. Da nobis cor et intelligentiam aufugiendi ab omnibus operibus diaboli; da nobis ut faciamus voluntatem tuam in omni tempore, et describe nomina nostra in regnis cœlorum, et conjunge cum omnibus sanctis et martyribus per Jesum Christum Dominum nostrum, cui, ac tibi, et Spiritui sancto sit gloria, et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus dicit : Inspiciamus.

Sacerdos, Sanctum date sanctis.

Populus dicit : Unus pater sanctus, unus Filius sanctus, unus est Spiritus sanctus.

Sacerdos dicit : Dominus vobiscum sit.

Populus dicit : Et cum spiritu tuo.

Sacerdos, elevans sacramentum, dicit alta voce : Domine, Jesu Christe, miserere nostri ; Domine, Jesu Christe, miserere nostri ; Domine, Jesu Christe, miserere nostri.

Populi reiterant eadem verba.

Sacerdos dicit : Oremus, qui estis pœnitentes. Humiliate capita vestra. Surgite ad adorandum. Pax omnibus vobis.

Populus dicit : Et cum spiritu tuo.

Sacerdos dicit : Hoc est corpus sanctum, honoratum et vitale Domini et servatoris nostri Jesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum et ad vitam æternam consequendam, vere sumentibus ipsum. Amen. Hic est sanguis Domini, et servatoris nostri Jesu Christi, sanctus, honoratus, ac vivificans, qui datus est in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam, vere sumentibus ipsum. Amen. Vere hoc est corpus, et hic est sanguis Emmanuel Dei nostri. Amen. Credo, credo, credo ex nunc et usque in sæculum. Amen. Hoc est corpus, et hic est sanguis Domini et servatoris nostri Jesu Christi, quod et quem assumpsit ex Domina nostra sancta et immaculata Virgine Maria, et univit cum divinitate sine mistione aut copula naturali, sine separatione aut permutatione divinitatis, quam rem testatus est optimo testimonio, A tempore Pontii Pilati, quo se sponte præbuit pro nobis in ligno sancto crucis. Amen. Credo, credo, credo quod divinitas non sit separata ab humanitate, ne hora quidem, neque per ictum oculi ; dedit autem se pro nobis ad salutem et in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam, sumentibus eum in veritate. Amen. Credo, credo, credo ex nunc, et usque in sæculum. Amen. Hæc ejus sunt qui dignus est honore, gloria, et reverentia.

Hic, sacerdos sumit corpus et sanguinem, et postea communicat ex eadem hostia ministris sacrificii ; dicens : Hoc est corpus, *etc.*

Diaconus dicit : Orate pro nobis, et pro omnibus populis Christianis, et illorum memoriam facite qui B nobis dixerunt ut sui recordaremur, laudate et psallite cum pace et amore Jesu Christi.

Hoc loco, dum ministratur sacramentum populo, psallunt docti aliqua carmina, in honorem sacramenti, et sanctorum quorum festa celebrantur composita. Quæ populus reiterat canendo.

Sacerdos dicit : Quos vocasti, Domine, et quos sanctificasti, portionem da eis in vocatione tua, et fortifica eos in amore tuo, et custodi in sanctificatione tua per Christum unicum Filium tuum, cui et tibi cum eo, et cum sancto Spiritu, gloria et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Domine, qui æternum lumen vitæ et fortitudinem servis tuis tribuisti, et eos custodivisti pluribus diebus ac noctibus, præteritis in pace, benedic eis C etiam in hac die post Dominum nostrum Jesum Christum, cui, et tibi cum eo, et sancto Spiritu, gloria et honor, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen

Diaconus dicit : Gratias agamus Domino. Sanctum ejus sumpsimus ; sit quod sumpsimus medela ad vivificandam animam. Laudemus Dominum Deum nostrum, sumpsimus sanctum corpus, et venerandum sanguinem, hoc est corpus Christi. Et gratias ei agamus, quod digni fuerimus participare de hoc venerando et sancto mysterio.

Sacerdos dicit : Exaltabo te, rex meus, et Deus meus, et benedicam nomini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.

Populus dicit alta voce : Pater noster, qui es in D cœlis, non inducas nos, Domine, in tentationem.

Sacerdos dicit : Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi.

Populus iterum dicit : Pater noster, qui es in cœlis, non inducas nos in tentationem.

Sacerdos dicit : Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus, in sæculum et in sæculum sæculi.

Populus iterum dicit : Pater noster, etc., *ut supra.*

Sacerdos dicit : Domine, animarum rector, sanctorum director, et justorum honor, da nobis intelligentiæ oculos qui te semper videant, et aures quæ te solum semper audiant, postquam satiasti animam

nostram gratia tua. Cor mundum crea in nobis, Domine, ut magnitudinem et probitatem tuam ac amorem tuum erga homines intelligamus. Fiat voluntas tua super animam nostram, et mentem puram ac rectam tribue nobis, qui de corpore tuo et sanguine tuo sumpsimus, servi tui humiles, quoniam regnum tuum, Domine. Gloria ac benedictio sit Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos dicit : Domine, Deus noster, lumen inexstinguibile, respice super servos tuos et super ancillas tuas, et semina in cordibus nostris timorem nominis tui, et numera eos quibus corpus tuum et sanguis tuus datus est, ut fructificent in benedictione. Fac habites in illis populis tuis, qui caput suum ante te inclinant, tam in maribus quam in feminis et pueris, et nos etiam illis adjunge, protege, fove, ac guberna nos per vires principum angelorum tuorum. Ab omnibus operibus malis separa nos, omnibus operibus bonis conjunge nos, per Christum unicum Filium tuum, cui, et tibi cum eo et cum sancto Spiritu, gloria et honor, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Totus populus dicit comedendo : Sanctus, sanctus, sanctus, trinus, ineffabilis, da nobis ut sumamus vitam per hoc corpus tuum, sine judicio ; da nobis ut fructificemus in beneplacito tuo, et fructus noster manifestetur in gloria tua ; vivifica nos in te, ut facianus voluntatem tuam. Cum fide invocamus te, Pater, et regnum tuum petimus. Sanctificatur nomen tuum super nos, quoniam tu es fortis ac laudabilis et gloriosus. Tibi sit gloria in sæcula sæculorum.

Diaconus dicit : Inclinate capita vestra ante Dominum immortalem, ut benedicat vos per manum servi sui sacerdotis

Populus dicit : Amen. Benedicat nos servos suos Dominus. In pace sit remissio super nos qui sanctum corpus et pretiosum sanguinem sumpsimus. Concede nobis ut spiritu omnes vires inimici conculcemus. Benedictio manus tuæ sanctæ plena est misericordia. In ipsa speramus omnes. Ab omnibus operibus malis sejunge nos, in omnibus operibus bonis colloca nos, benedictus sit qui dedit nobis sanctum corpus et pretiosum sanguinem suum. Gratiam accepimus, et vitam invenimus per virtutem crucis Jesu Christi. Gratias agimus tibi, cum Spiritu sancti gratiam receperimus. Gloria sit Domino, qui dedit nobis corpus suum sanctum, et pretiosum sanguinem suum. Gloria sit divæ Mariæ, quæ est gloria nostra, et quæ parturiit nobis sacrificium.

Finis canonis Patrum nostrorum apostolorum, quorum oratio et benedictio sit nobiscum. Amen.

BENEDICTIO PUERPERÆ

Secundum usum Æthiopum.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

Orationes quas dicit sacerdos cum imponit manus super matrem et infantem, postquam ingressi sunt ecclesiam.

Sacerdos primum hortatur populum ad agendas Deo gratias, dicens :

Gratias agamus benefactori nostro Domino misericordi, Patri Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, quia protexit nos, auxiliatus est nobis, custodivit, et commendatos sibi nos credidit, attraxit, amplexus est, confirmavit, et pervenire nos fecit ad hanc horam. Rogemusque ipsum ut etiam custodiat nos in hac die sancta et in omni tempore vitæ nostræ, in omni pace, omnipotens Domine, Deus noster.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem dicit : Domine, o Domine, Pater bone et omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, laudamus te super omne opus, pro omni opere, et in omni opere, quia protexisti nos et auxiliatus es nobis, custodisti nos, et commendatos tibi nos credidisti, attraxisti, et amplexus es, confirmasti, et pervenire fecisti usque ad hanc horam. Petimus quoque et quærimus a bonitate tua, o amator humani generis.

Hic diaconus dicit : Petite et rogate ut parcat nobis Dominus, et misereatur nostri, et suscipiat orationem quæ pro nobis fit a sanctis suis, et faciat nos dignos ut quæ præstat accipiamus, et sumamus de participatione et sacramento suo benedicto, ut dimittantur nobis peccata nostra.

Sacerdos subsequitur : Da nobis ut perducamus hunc diem sanctum et omne tempus vitæ nostræ, in omni pace, cum timore tuo. Omnem invidiam, et omnem tentationem, et omne opus Satanæ, consilium hominum malorum, insultationes inimici absconditas et manifestas elonga et expelle a me et ab universo populo tuo, et ab hoc loco sancto tuo. Omnia bona (quidquid utique præstat et juvat) impera eis per nos, quia tu es qui dedisti nobis potestatem ut calcaremus serpentem et scorpionem, et omnem vim inimicam. Ne inducas nos, Domine, in tentationem, sed redime et libera nos ab omni malo, per gratiam et misericordiam et amorem erga humanum genus, Filii tui unici, Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, cum quo, tibi, una

cum sancto Spiritu est gloria et potestas, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea sacerdos dat thus, et dicit hanc orationem.

Domine, Deus noster, omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, creator sæculorum, qui nativitatem nostram fecisti, tu, Domine, instituisti Moysen servum tuum in lege tua, et docuisti eum constitutionem mundam, quæ convenit omni feminæ quæ pepererit, ut scilicet modicum temporis separaretur; et præcepisti ei ne appropinquaret ad sancta tua, sed ut se contineret quoad liberaretur: ita quoque rogamus bonitatem tuam, et quæsumus pro ancilla tua N., quæ servavit constitutionem tuam, et optat ingredi in sanctum tabernaculum tuum, ut adoret ante altare tuum sanctum; et desiderat sumere sacramentum tuum sanctum et vivificans: rogamus, inquam, bonitatem tuam, et quæsumus, o amator humani generis, benedic ancillæ tuæ N. in hac hora, et libera eam ab omni immunditia maligna quæ propellit a regia tua sancta, et fac ut suscipiat ex sacramento tuo sancto. Infanti etiam huic parvulo, Domine, qui natus est ex ea, benedic, sanctifica, et confirma eum; da ei virtutem, et protege eum, et attingere fac ad metam ætatis suæ. Fiat timens, et coalescat in voluntatem tuam sanctam. Custodi et confirma eum in fide recta, in spe, pace, et charitate tua, per unicum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo tibi convenit, una cum sancto Spiritu, gloria et gratiarum actio, in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos ungit eorum frontem, feminæ scilicet et infantis, unctione sancta, et dicit sequentem orationem impositionis manuum:

Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster, imposuimus manus nostras super capita famulorum tuorum, in coronam honoris et gloriæ, amen; coronam fidei, et decoris, amen; coronam justitiæ, quæ non expugnatur ab inimico, amen. Fac servos tuos plenos gratiæ Spiritus sancti, per misericordiam et propitiationem amatoris humani generis, filii tui Jesu Christi, nam tibi, et ipsi, cum sancto Spiritu, est gloria et potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

Postea mater sumit sacramentum sanctum Eucharistiæ.

Benedictionis puerperæ finis.

ORDO BAPTISMI SECUNDUM USUM ÆTHIOPUM.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

Orationes quæ dicuntur in sancto baptismo.

Sacerdos primum dicit psalmum quinquagesimum, scilicet:

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, *usque in finem. Thus dat, et interrogat nomina eorum qui baptizandi sunt, et orat super eos.*

Diaconus dicit: Orate.

Sacerdos autem dicit: Domine noster, Jesu Christe, qui inclinasti et descendisti in terram; cujus verbum scindit petras, et acutum est plusquam gladius; cujus præsentia commotæ sunt aquæ, et retro fugerunt, sana hos famulos tuos qui ingressi sunt ad doctrinam tuam. Ostende eis viam quæ eis convenit, ut per eam incedant per gratiam sancti Spiritus immaculati, et dona eis remissionem peccatorum eorum. Da eis gratiam, ut inveniant medelam peccatorum suorum quæ coinquinant, et fiant digni sancto baptismo tuo quod est regeneratio incorruptibilis, et inveniant Spiritum sanctum, ut videant magnitudinem ejus et claritatem, et virtutum intelligentiæ tuæ, et glorificent te, Domine noster, tibi enim convenit gloria, Patrique tuo bono, et Spiritui sancto, vivificanti, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus dicit: Orate.

Sacerdos autem dicit: Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, oramus et rogamus bonitatem tuam, o amator humani generis, pro famulis tuis qui docentur; erudi eos, et omnes reliquias idololatriæ elonga et expelle a cordibus eorum. Legem tuam, timorem, et mandata tua, justitiam, et constitutiones tuas sanctas impone cordibus eorum; et fac eos aptos ad conservandam virtutem verbi tui quod docentur, ut in tempore statuto inveniant ablutionem regenerationis in remissionem peccatorum suorum, et sint habitatio sancti Spiritus per gratiam unici Filii tui, ut tibi, et ipsi, et sancto Spiritui sit gloria et gratiarum actio, in sæcula sæculorum. Amen.

Accipit postmodum sacerdos vas olei in manibus suis, et orat super ipsum in hunc modum, dicens:

Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens, Pater Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi, unici Filii tui, Verbi incarnati propter nos tempore Pontii Pilati (hoc enim vere credimus), oramus et rogamus bonitatem tuam, o amator humani generis; mitte virtutem tuam sanctam super hoc oleum, et fiat oleum in mundationem et propugnaculum contra omnia quæ adversantur. Amen. Omnem infidelitatem, et omne venefícium, et omnem adorationem idolorum et omne opus mali retrovertatur per virtutem unici Filii tui Jesu Christi Domini et Redemptoris nostri, cui tecum, una cum sancto Spiritu, convenit gloria et honor in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem dicit : Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, oramus et rogamus bonitatem tuam, o amator humani generis, qui solus es Deus justitiæ cum unico Filio tuo Jesu Christo, Domino nostro, et cum Spiritu sancto, ut aspectu aspicias super hoc oleum, et facias ut repellat omnes dæmones, omnia veneficia et incantationes, et omnem idololatriam. Muta ipsum, et fac unctionem mundam, quæ faciat animam credere in Jesum Christum, cui tecum, et cum Spiritu sancto est gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Postea ungit sacerdos frontem eorum qui baptizandi sunt, scapulas eorum, ulnas, et granum pectoris, interiorem et exteriorem partem manuum, et summitates digitorum, dum dicit : Ungo te, N., in nomine unicæ Ecclesiæ, quæ est concilium seu congregatio apostolorum Domini.

Qui baptizatur dicit : Amen.

Sacerdos vero dicit : Oleum hoc deleat omne opus inimici qui adversatur. *Qui baptizatur dicit :* Amen.

Sacerdos autem dicit orationem gratiarum actionis, quæ est ut supra, cujus initium est : Gratias agamus benefactori, etc. *Deinde flectit brachia eorum qui baptizandi sunt, oratque super eos, et dicit :* Benedictus sit Dominus Deus noster omnipotens. Amen. Benedictum sit nomen gloriæ ejus. Amen.

Benedictus sit unicus Filius ejus Jesus Christus. Amen. Per quem vocatæ sunt omnes gentes a tenebris ad lumen verum et admirandum, et ab errore qui est idololatria, ad scientiam rectam. Amen.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem dicit : Famulorum tuorum nomina, quos vocasti ad nomen tuum sanctum et benedictum, scribe in libro vitæ, et connumera eos inter greges tuos, et inter populum tuum qui timet nomen tuum, o Domine. Dona eis, ut perveniant ad metam ætatis suæ, in fide et remissionem peccatorum. Fac eos habitationem sancti Spiritus, per unicum Filium tuum Jesum Christum, ut tibi, et ipsi, et sancto Spiritui sit gloria et honor, in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro iis qui dederunt nomina sua ad baptismum.

Et dicit sacerdos : Rogamus etiam, et quærimus, o Domine, Pater bone et omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, famulorum tuorum qui dederunt nomina sua miserere, qui ingressi sunt per fidem tuam, in gratiam tuam, ut sint digni qui inveniant donum ad quod venerunt, regenerationem scilicet in remissionem peccatorum, qui accesserunt ad te, ut mundentur a peccatis in æternum, et ab eorum turpitudine liberentur, quia judicium omnium in manu tua est, Domine, Deus noster omnipotens.

Diaconus dicit : Orate pro his qui dederunt nomina sua, ut faciat Deus eos dignos baptismate suo sancto, et remissione peccatorum.

Tunc sacerdos flectit genua eorum qui baptizandi sunt, et dicit hanc orationem super eos : Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens, Pater Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, rogamus bonitatem tuam, et quæsumus, o amator humani generis, famulorum tuorum qui dederunt nomina sua, miserere, et fac eos dignos ea gratia ad quam accesserunt, ut inveniant Spiritum sanctum, et repleantur Spiritu tuo, et fiant in similitudinem Filii tui Jesu Christi Domini nostri, et unum efficiantur cum eo. Dona eis cor mundum, et mentem rectam; ob hoc supplicamus tibi genibus nostris, et rogamus te. Da manum tuam, Domine, et subleva nos a terra, et attolle mentem et intellectum nostrum. Da nobis mentem intellectivam, et doctrinam. Fac nos servos tuos, et custodi nos, gratia Spiritus sancti. Dirige spe bonitatis tuæ æternæ hos famulos tuos, per Filium tuum unigenitum Jesum Christum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria et honor, in sæcula sæculorum. Amen.

Postea flectit sacerdos pedes eorum qui baptizandi sunt, et dicit :

Rogamus te, Domine, multiplicibus precibus et gemitibus rogamus bonitatem tuam, Domine omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, pro famulis tuis qui dederunt nomina sua. Te, Domine, rogamus ut aperias aures cordis eorum et illumines eos lumine intelligentiæ, et des eis desiderium cognoscendi virtutem verbi tui quod docentur, quia potestas quæ in te est, potestas est ad misericordiam, Domine, Deus noster omnipotens.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos vero dicit : Domine, Jesu Christe, Deus et Redemptor noster, qui omnia fecisti, rogamus bonitatem tuam, et quæsumus, o amator humani generis, ut latenter et invisibiliter per Spiritum sanctum aboleas omnes dæmones malos qui adversantur nobis, coerceas et castiges eos, quia ipse vocasti populum tuum et hos famulos tuos qui venerunt a tenebris ad lucem, a morte ad vitam, et ab errore ad intelligentiam justitiæ. Post cognitionem vero tui, Deus noster justissime, scrutare etiam interiora cordis eorum, o Domine, quemadmodum dicis, scrutabuntur Jerusalem lucerna sapientiæ, nec permitte spiritum malignum latere in eis. Dona eis munditiam et salutem, da eis vitam æternam, genera eos per ablutionem regenerationis in remissionem peccatorum, et fac eos habitationem sancti Spiritus per Filium tuum unigenitum Jesum Christum, Dominum Deum, et Redemptorem nostrum, quia tibi, cum eo et Spiritu sancto convenit gloria et potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde sacerdos flectit pedes eorum qui baptizandi sunt, et dicit hanc orationem :

O amator humani generis, misericors, genitor luminis et vitæ, scaturigo omnis munditiæ, tu omnia quæ facta sunt ab origine fecisti, et dedisti signum singulis operibus tuis, quia autem idem ipse

mutare potes omnia, muta horum animas, et dona eis secundam generationem, cœlestem, ut non sint caro, sed vere filii Spiritus sancti, per unicum Filium tuum, quia cum eo et Spiritu sancto, tibi est gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Iterum flectit sacerdos pedes eorum qui baptizandi sunt, et dicit hanc orationem :

Domine, o Domine, Pater bonus, Deus noster omnipotens, Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, qui dat vitam animabus nostris, dirige, quæsumus, eos qui eam quærunt. O amator humani generis, aspice de cœlo, et sanctuario tuo, et de excelsa sede regni tui, super hos famulos tuos qui dederunt nomina sua Ecclesiæ tuæ, ut venerentur nomen tuum sanctum et ei inserviant. Rege cor eorum, ut fiant tibi vasa electa ; aptos eos fac, Domine, ad omne opus bonum, et arce ab eis imminutionem et defectionem fidei pristinam, ut amplectantur verbum tuum sanctum, et accipiant virtutem fidei tuæ et mandata tua faciant. Spolia eos vetustate, per spem vitæ quæ æterna est. Dele in eis omnem vim inimici. Scrutare eorum corda, ut dicis per Jeremiam prophetam scrutabuntur Jerusalem lucerna sapientiæ ; nec permitte ut Spiritus immundus et malus lateat in eis, nec sint membra carnis, et mens mala, sed dona eis munditiam per hanc aquam sanctam. Da eis verbum vitæ æternæ ; et genera eos per ablutionem regenerationis in remissionem peccatorum. Fac eos habitationem sancti Spiritus, per gratiam unici Filii tui Jesu Christi, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea imponit sacerdos manum suam super capita eorum qui baptizandi sunt, et dicit hanc orationem :

In nomine Filii unici Jesu Christi, cape, munda, et præpara has animas, ut fiant liberæ ab omnibus dæmoniis et ab omni errore et culpa. Fugiant ab eis omnes tenebræ, et quidquid imminuit fidem, et omnis cogitatio mala. In nomine unici Filii tui Jesu Christi, munda et libera eas ab omnibus fraudibus Satanæ, in sempiternum. Amen.

Postea detrahunt vestes eorum qui baptizandi sunt, et omnia ornamenta, et erigunt manus eorum dexteras, et aspicere faciunt versus occidentem (1), *et abnegat Satanam, qui habet ætatem ; ipsemet, si autem infans sit, qui respondent loquuntur pro eo, et dicunt hoc modo :*

Abrenuntio tibi, Satana, et omnibus operibus tuis immundis, omnibus ministris, et incantationibus tuis malis, et omni virtuti tuæ, omnibus principibus tuis, omnibus fraudibus, et omnibus adulationibus et illecebris tuis malis et tenebrosis, et omni jurisdictioni et infidelitati tuæ.

Postea vertunt eorum facies versus Orientem (2), *et erigunt manus eorum dexteras altæ, et dicunt :*

Credo in te, Christe, Deus meus, credo legi tuæ salutiferæ, et omnibus angelis tuis vivificantibus, et omnibus operibus tuis quæ dant vitam. A

Postea sacerdos dicit symbolum fidei ; qui baptizandi sunt una cum eo dicunt

Credimus in unum Deum, Dominum, Patrem omnipotentem, et unicum Filium ejus, Jesum Christum, Dominum nostrum, et in Spiritum sanctum vivificantem, et resurrectionem carnis, et unicam, sanctam, quæ super omnes est, Ecclesiam apostolicam ; et credimus unum baptismum in remissionem peccatorum, in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos deinde interrogat eos : Annon creditis? *Ipsi autem ter dicunt :* Credimus, credimus, credimus. *Qui quidem ætatem habent, at pro infantibus qui nesciunt loqui respondent qui vades sunt. Deinde sacerdos dicit hanc orationem :*

B Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens ; Pater Domini Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, Domine cœli et terræ, factor omnium sæculorum, qui donasti intelligentiam iis qui in terra sunt, per unicum Filium tuum Jesum Christum, Dominum et Redemptorem nostrum, qui præparasti eos ad regnum cœlorum per hanc vocationem, eosdem confirma virtute tua, et confirma eorum mentem, quia servi tui sunt. Habitet virtus tua in eis, ne revertantur ad pristinum quod abnegarunt, quin eorum fidem confirma, ut nihil possit separare eos a te. Confirma eos in voluntate fidei quæ est apostolorum, fides recta et sancta. Fac eos dignos magnitudine gratiæ tuæ, pelle ab eis vetustatem, et innova vitam eorum, et infunde super eos virtutem C Spiritus sancti, ut fiant digni et participes cum Filio tuo unico, et non sint filii carnis sed filii justitiæ, et sint servi tui sapientes, et credentes, per Jesum Christum, cum quo, tibi, et sancto Spiritui est gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Postea diaconus dicit : Humiliate capita vestra.

Deinde et sacerdos flectit pedes eorum qui baptizandi sunt, et orat super eos, dicens :

Domine, Redemptor noster, amator humani generis, factor cœli et terræ ; quia tu solus es qui perficis hoc mysterium, quia te adorat omne genu quod in cœlo est et in terra, et omnis lingua te laudat, juxta illud Pauli, Redemptor et Dominus noster Jesus Christus omnia operatus est in gloriam Dei Patris, hos servos tuos amplectere, qui festinarunt D et venerunt ut adorarent te genu flexi.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem dicit : Propterea precamur et rogamus te, o amator humani generis, omnem invidiam, et omnem tentationem elonga ab eis, omnem infirmitatem, et omnem afflictionem ab eisdem transfer, scrutare interna eorum, et illumina eorum corda et mentes lumine intelligentiæ. Omne opus Satanæ, et omnem immutationem et defectionem fidei, et omnem adorationem idolorum, ab eis arce. Confirma et dirige eorum corda, per assumptionem Spiritus tui sancti, et per voluntatem Filii tui, quæ

(1) Quod enim isthinc oriantur tenebræ, aspectus loci illius, in Mysterio significat principem tenebrarum cui abrenuntiatur.

(2) Ut recogitent se conversos ad eum qui se lucem esse testatur.

est sine defectu, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea sacerdos accipit oleum, et ungit eorum qui baptizandi sunt scapulas, granum pectoris, seu os stomachi, et manuum interiores et exteriores partes, genua, et omnes junctiuras corporis eorum, in signum Crucis, et dicit :

Ungo te, N., oleo lætitiæ, quod perrumpit omnem vim inimici, quod plantatum est in medio ligni olivæ dulcis quæ est Ecclesia sancta apostolorum Domini.

Diaconus et qui unguntur dicunt : Amen.

Sacerdos autem, postquam unxit eos oleo, dicit hanc orationem :

Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens, invocamus nomen tuum sanctum et benedictum, ut discutias et expellas omnem vim adversantem, rogamus per omnes sanctos tuos, scrutare famulorum tuorum corda, qui venerunt ut consumment et perficiant gratiam tuam sanctam, et si quas habent reliquias malas dæmonis, quæ lateant, extrahe et extermina ab animabus et corporibus eorum, quia servi tui sunt et credunt in nomine tuo sancto. Innova eorum vitam, et fac eos dignos qui absque macula et cum sinceritate suscipiant lumen et signum Christi tui, et gratiam Spiritus tui sancti, quibus compar est tecum honor et lumen. Amen. Indumentum salutis. Amen. Scutum fidei quod expugnari non potest ab inimico. Amen. Fiant oves gregis tui, et fidei gloriæ tuæ cœlestis, et hæredes regni tui quod in æternum non veterascit, neque corrumpitur. Amen, per Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo tibi, et sancto Spiritui est honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem orat in hunc modum :

Ens Domine, Pater bone, Deus noster omnipotens, qui finxisti hominem ad imaginem et similitudinem tui, et dedisti ei potestatem vitæ, potestatem quæ manet in æternum, et cum cecidisset in peccatum, non deseruisti sed correxisti eum salute, incarnatione scilicet Filii tui unigeniti, Jesu Christi, Domini nostri, qui plenus est salute. Hæc figmenta tua libera ab operibus inimici, et suscipe ea intra regnum tuum, et aperi oculos cordium eorum. Amen. Clarificentur lumine regni tui, et sit cum eis divinitas tua per spatium vitæ eorum. Liberet eos ab omni malitia inimici, et a tentatione mala dæmonii meridiani. Amen. A sagitta volante in die. Amen. Et ab opere ambulante in tenebris, et a visione noctis. Amen. Arce ab eis omnes Spiritus immundos. Amen. Et Spiritum malignum, qui perturbat cor. Amen. Et Spiritum erroris, et omnem malignitatem. Amen. Spiritum amoris auri. Amen. Et omnem servitutem idolorum, et spirituum mendacii. Amen. Et omnem turpitudinem quæ exercetur ex doctrina Satanæ. Amen. Fac eos oves gregis Christi tui. Amen. Et membra electa Ecclesiæ tuæ, quæ est super omnes. Amen. Filios luminis, et vasa sancta. Amen. Et hæredes regni tui. Amen. Et pugnent in custodiam mandatorum Christi, et ea custodiant signo immobili. Amen. Et indumentum immaculatum, et inveniant constantiam et perseverationem quæ est electorum, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui, tecum, una cum sancto Spiritu convenit gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicit sacerdos ad fontem baptismi secreto :

Domine sancte, et lux, confirma famulos tuos, et fac eos dignos magna hac gratia, Ecclesia scilicet, et baptismo sancto. Aufer ab eis vetustatem, et genera eos secunda generatione in vitam sempiternam. Infunde super eos virtutem Spiritus sancti, et sapientiam Christi tui, ne sint filii carnis, sed filii gloriæ tuæ, et hæredes regni tui, quod nunquam inveterascit, in voluntate Unigeniti, cui tecum, una cum Spiritu sancto convenit gloria, divinitas et honor, in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde sacerdos dicit orationem gratiarum actionis, et thus dat ; diaconus autem legit ex Epistola Pauli ad Tit., cap. XI :

Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio ; nemo te contemnat. Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando et nos insipientes, incredduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ.

Subdiaconus deinde legit ex Epistola Joannis prima, cap. V :

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei ? hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas, quoniam sunt tres qui testimonium dant in cœlo ; Pater, Verbum, Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt : et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei quod majus est, quoniam testifica-

tus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium Dei, habet vitam : qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

Sacerdos autem, qui adjuvat sacerdotem baptizantem, legit ex Actis apostolorum, cap. VIII :

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge, et vade contra meridiem ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam, hæc est deserta. Et surgens abiit, et ecce vir Æthiops eunuchus, potens, Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem, et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adjunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit : Putasne, intelligis quæ legis? Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? rogavitque Philippum ut ascenderet et sederet secum. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic : Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita ejus. Respondens autem eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus; ibat autem per viam suam gaudens.

Tum sacerdos, qui baptizat, dicit :

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus fortis et immortalis, miserere nostri, Domine. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Accedite ad eum et illuminabit vos, et facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.

Deinde legit ex Evangelio Joannis, cap. III.

Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister ; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci cum sit senex. Numquid potest in ventre matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus, et dixit ei : Tu es magister in Israel et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus, testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis? et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur ; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

Postea dicit orationem pro infirmis, quæ sequitur, populum prius exhortans ad orandum hoc modo :

Rogemus omnipotentem Deum, Patrem Domini, Dei et Servatoris nostri Jesu Christi pro infirmis fratribus nostris, ut omnem languorem, et omnem afflictionem ab eis expellat, et expulso Spiritu infirmitatis sanitatem eis ipse det, in quo est omnis medelæ potestas, Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro infirmis.

Sacerdos autem dicit : Domine, Deus noster omnipotens, rogamus te et quæsumus, infirmis fratribus sanitatem dona, Spiritum infirmitatis dele, omnem ægritudinem, et omnem passionem ab eis transfer. Cito inveniat nos misericordia tua, o Domine.

Diaconus dicit ad populum. Medela animæ, medicator corporis, tu es visitator omnis carnis et eorum, qui a spiritibus immundis torquentur, libera omnem animam afflictam et oppressam, da ei relaxationem, da quietem. Omnem infirmitatem, et omnem passionem a nobis extermina, et a domo hac, quæ invocat sanctum et benedictum nomen tuum, et singularum animarum nostrarum infirmitate sanata, perfectam salutem largire, per unigenitum Filium

tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria et potestas nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Tum sacerdos hortatur populum ut oret pro peregrinantibus et postea orat.

Rogamus etiam omnipotentem Deum Patrem Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi pro fratribus nostris qui peregre profecti sunt, et pro eis quos futurum est ut peregrinentur, sive per mare, sive per flumina, sive per lacus, seu quacunque via peregrinationem faciant, ut omnes dirigat ad portum salutarem, qui omnia continet Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro iis qui peregrinantur.

Sacerdos autem dicit : Domine Deus noster, qui omnia capis, rogamus te, et quæsumus, eorum qui profecti sunt peregre fratrum nostrorum, et eorum qui profecturi sunt, dirige gressum, et cum eis sis ut assequantur quod optant. Cito inveniat nos misericordia tua, o Domine.

Diaconus dicit : Dicamus omnes nos :

Duc eos ad portum salutarem, offer, et redde eos eorum consanguineis cum lætitia et gaudio, ut lætentur, et lætari faciant, per unicum Filium tuum, cum quo tibi et Spiritui sancto est gloria et potestas nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos postea hortatur omnes ut oremi pro pluvia hoc modo :

Rogemus etiam omnipotentem Deum, Patrem Domini, et Redemptoris nostri Jesu Christi pro pluvia, ut eam mittat illuc ubi opus est, qui omnia capit Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem dicit.

Domine, Deus noster omnipotens, rogamus te, et quæsumus, mitte pluviam tuam ad loca ubi desideratur, lætari fac faciem terræ, imbue sulcos ejus, duc semen ad messem, quod ex bonitate tua cito inveniat nos misericordia tua, o Domine.

Diaconus dicit : Dicamus omnes nos :

Pro paupere populo tuo, o Domine, et pro omnibus qui sperant in te, fac nobiscum juxta misericordiam tuam, ciba cor nostrum divinitate doctrinæ, et intelligentia quæ a te est, per unigenitum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui gloria est et potestas nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro fructibus terræ, sacerdos. Iterum rogemus omnipotentem Deum, patrem Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi pro fructibus terræ, ut eos augeat, et uberes faciat, et divitias gratiæ largiatur Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro fructibus terræ.

Sacerdos. Domine, Deus noster omnipotens, rogamus te, et quæsumus, fructus terræ auge, et uberes fac, lætari fac faciem terræ : imbue sulcos ejus, deduc semen ad messem ; quod ex bonitate tua est, cito inveniat nos misericordia tua, o Domine.

Diaconus dicit : Dicamus omnes nos :

Ob pauperem populum tuum, o Domine, et propter omnes, qui invocant sanctum nomen tuum, per unicum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria, et potestas nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro aquis fluvialibus, sacerdos : Rogemus etiam omnipotentem Deum Patrem Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi pro aquis fluvialibus, ut crescant ad mensuram suam, et divitias gratiæ largiatur Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro aquis fluentibus.

Sacerdos autem dicit : Domine, Deus noster omnipotens, rogamus te, et quæsumus, fluenta aquarum auge usque ad mensuram eorum, fac lætam faciem terræ, imbue sulcos ejus, multiplica segetes, et benedic circulo anni benignitate quæ a te est. Cito inveniat nos misericordia tua, o Domine.

Diaconus dicit : Dicamus omnes nos :

Ob pauperem populum tuum, o Domine, et propter omnes, qui invocant sanctum nomen tuum, per unicum Filium tuum, cum quo tibi, et Spiritui sancto, est gloria et potestas, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro pace.

Sacerdos : Rogemus etiam omnipotentem Deum Patrem Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi, pro pace sanctæ et unicæ Ecclesiæ apostolicæ, quæ est super omnes Ecclesias.

Diaconus : Orate pro hac Ecclesia sancta unica, quæ est congregatio per apostolos recta in Domino.

Sacerdos : Roganus et petimus a bonitate tua, o amator humani generis, recordare Domine pacis Ecclesiæ sanctæ, unicæ congregationis apostolicæ, quæ fuit ab origine, et erit usque in finem sæculi. Benedic, Domine, per eam omni populo et omni alimento. Pacem quæ de cœlis est, mitte super uniuscujusque nostri animam, et pacem vitæ nostræ da nobis. Eamdem, Domine, largire regi nostro N., principibus, ac judicibus et subditis ejus, et congregationi vicinorum nostrorum, tam eorum qui extra Ecclesiam sunt, quam eorum qui in ea continentur; et orna eos omni genere pacis. Rex pacis, pacem da nobis, quia omnia nobis dedisti, et fac nos peculiares tibi, quia autem præter te, alius est nemo quem cognoscamus, nomen tuum sanctum appellamus et invocamus, ut vivat anima nostra per Spiritum sanctum, nec invalescat mors peccati super nos famulos tuos, et super omnem populum tuum.

Pro pontificibus.

Sacerdos : Et iterum rogamus omnipotentem Deum, Patrem Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi.

Diaconus dicit : Orate pro principe nostro principe archiepiscoporum et episcoporum, domino nostro N., et pro capite episcoporum magnæ provinciæ N., et capite civitatis nostræ venerando antistite patre N., et pro omnibus episcopis, sacerdotibus, et diaconis rectis in fide.

Sacerdos : Rogamus et quærimus a bonitate tua, o amator humani generis, recordare domini Patris nostri venerandi, principis archiepiscoporum et episcoporum Patris N., et domini archiepiscopi nostri, Patris N., custodiendo custodi pro nobis multis annis et longo tempore in justitia et pace, omnes et episcopos et sacerdotes, et diaconos rectæ fidei, et omnem imaginem sanctæ unicæ Ecclesiæ Christi, quæ est congregatio apostolica, ut fungantur sanctificatione quam credidisti eis in dignitate sacerdotii, juxta voluntatem tuam sanctam ac beatam, et ut absolvant in justitia et æquitate, et pascant populum tuum in veritate. Orationem quam faciunt pro nobis, et pro omni populo tuo, ipse suscipe in sacrificium tui excelsum cum odore bono suavitatis. Omnes hostes et inimicos eorum arce et confringe sub eorum pedibus quam primum, ipsos autem custodi nobis in justitia et pace in Ecclesia tua sancta. Amen.

Pro rege oratio.

Sacerdos : Rogemus etiam omnipotentem Deum, Patrem Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi pro amatore Dei, rege nostro N., ut regnum ejus absque afflictione in pace et in justitia custodiat qui omnia capit Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro rege.

Sacerdos : Deus noster, qui omnia contines, rogamus te, et quæsumus, regi hujus provinciæ amatori tuo regi nostro utilitatem suam da ; arce undequaque inimicam ei gentem, loquere justitiam in corde ejus pro sancta Ecclesia tua. Cito inveniat nos misericordia tua, o Domine.

Diaconus dicit : Dicamus omnes nos :

Da ei, absque errore conservare intelligentiam fidei in honorem divinitatis tuæ, per unicum Filium tuum, cum quo tibi et Spiritui sancto est gloria et potestas, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro congregatione sui cujusque loci.

Sacerdos : Iterum rogemus omnipotentem Deum Patrem Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi.

Diaconus dicit : Orate pro Ecclesia sancta, et congregatione nostra, quæ in ea est.

Sacerdos : Quærimus, et petimus a bonitate tua, o amator humani generis, memento, Domine, congregationis nostræ, et benedic ei. Fac eos, ut sint tibi sine divisione, et sine otio, et faciant voluntatem tuam sanctam ac beatam. Fac eos domum orationis, domum sinceritatis, et domum abundantiæ et gratiæ, gratificare, Domine, hoc nobis servis tuis, et post nos venturis, in sæculum. Exsurge, Domine, Deus noster, et dissipentur inimici tui, et fugiant a facie tua omnes qui oderunt sanctum et benedictum nomen tuum. Populi autem tui sint benedicti cum infinita benedictione angelorum, qui faciunt omnem voluntatem tuam, per gratiam, benignitatem et amorem erga homines filii tui unigeniti Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, cum quo tibi et Spiritui sancto est potestas, et gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro parvis aut novis Christianis, seu catechumenis.

Sacerdos : Rogemus etiam omnipotentem Deum Patrem Domini, et Redemptoris nostri Jesu Christi, pro famulis novitiis Christianis, ut impartiatur eis tempore idoneo ablutionem regenerationis, remissionem peccatorum, quia omnia capit Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro novis Christianis.

Sacerdos : Domine, Deus noster omnipotens, rogamus te, et quæsumus, famulorum tuorum, qui nondum adulti sunt Christiani, miserere, omnes reliquias idololatriæ ab eis arce, legem tuam, mandata, et justitiam, et constitutiones tuas impone cordibus eorum, et in tempore idoneo ablutione regenerationis impertire, remissionem scilicet peccatorum eorum, et tabernaculum sancti Spiritus eos fac, per unicum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria et potestas nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro offerentibus munera.

Sacerdos : Iterum rogemus omnipotentem Deum, Patrem Domini, Dei, Redemptoris nostri, Jesu Christi, pro iis qui obtulerunt munera sanctæ, unicæ, quæ est super omnes, Ecclesiæ, sacrificium scilicet primitiarum, decimarum, gratiarum actionis signum et monimentum. Seu autem quis multum obtulerit, seu parum, seu secreto, seu palam, seu volens et non habens, omnium amplectatur voluntatem qui cœlestem Spiritum donat, et in quo omnium bonorum operum est potestas Dominus Deus noster.

Diaconus dicit : Orate pro iis qui obtulerunt munera.

Sacerdos : Domine, Deus omnipotens, rogamus te, et quæsumus pro iis, qui obtulerunt dona sanctæ, unicæ, quæ super omnes est, Ecclesiæ, seu multum obtulerint, seu parum, sive secreto, sive palam, sive volentes, et non habentes, omnium voluntatem acceptans, da unicuique eorum, pro præmio, benedictionem, per unicum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria, et potestas nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Pro iis qui dormierunt, sive pro mortuis.

Sacerdos : Rogemus quoque omnipotentem Deum, Patrem Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi pro iis qui dormierunt.

Domine viventium, vita mortuorum, spes desperatorum, auxiliator laborantium, mundator peccatorum, qui mortem otiosam fecisti, et laqueos Satanæ abscindendo salutem generi humano contulisti : rogamus te, et quæsumus, o immortalis apud quem est thesaurus vitæ, pro iis qui dormierunt, et quieverunt in fide, Patres, primi principes archiepiscoporum, archiepiscopi, episcopi, sacerdotes, diaconi, antagonistæ, virgines, monachi, doctores conjugati, orbati conjuge, infantes, pupilli et pro anima famuli tui N., et pro animabus omnium quos ipse vocasti de populo juste et recte. Quiescere fac eorum ani-

mas in loco amœno apud aquam quietis in sinu Abrahæ simul cum Isaac et Jacob, tu, in quo potestas quietis, Domine, Deus noster.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos : Domine, Deus noster omnipotens, rogamus te, et quæsumus, animas famulorum tuorum, qui dormierunt et in fide quieverunt, suscipe una cum anima famuli tui N., et omnium animas, qui hic mortui, aut moribundi sunt, nutri in loco amœno apud aquam quietis in sinu Abrahæ, una cum Isaac et Jacob. Dona eis transitum animarum suarum sine peccato. Spiritum consolatorem et sedatorem consanguineis eorum mitte. Solare eos, et lætos esse fac in Christo, per unicum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui, est gloria et potestas nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos postea imponit manus super eos qui baptizandi sunt, et dicit :

Famulos tuos, qui inserviunt, et adhærent nomini tuo sancto, et inclinant capita sua ante te, protege, o Domine, et cum eis sis. Adjuva eos in omne opus bonum. Excita corda eorum ab omni opere malo, quod in terra fit. Fac eos vivos, ut scilicet cogitent omnia quæ sunt ad vitam, et recordentur omnium operum tuorum, o Domine, per unicum Filium tuum, ut tibi, et ipsi sancto Spiritui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicit sequentem orationem supra fontem :

Deus prophetarum, Domine apostolorum, qui nuntiasti adventum Christi tui per os prophetarum sanctorum antequam mitteres Joannem prophetam, qui præcederet ante te, rogamus te, et quæsumus, o amator humani generis pro famulis tuis, qui venerunt ad te, ut virtus tua adsit huic fonti. Confirma famulos et famulas tuas. Fac eos dignos ut possint invenire baptismum tuum, secundam scilicet generationem in remissionem peccatorum, et spem tuam, quæ non fallit, per unicum Filium tuum, ut tibi et ipsi, et sancto Spiritui sit gloria, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos postea secreto dicit pro se, antequam baptizet.

Misericors, miserator et clemens, qui scrutaris cor et jecur, et cognoscis abscondita hominis (nihil enim est quod a te abscondatur, sed palam tibi sunt omnia) : tu cognoscis abscondita mea, ne me deseras, neque avertas faciem tuam a me, sed aufer a me hac hora omnem meam culpam, et absolve horum hominum peccata, qui convertisti eos ad pœnitentiam, ablue maculas animæ meæ et corporis, et munda jecur meum perfecte virtute tua invisibili, et dextera tua vivificante confirma me, ut annuntiem aliis qui quærunt liberationem a me, id est, fidem, ut eis eam tradam, quos quidem præparavit magnitudo tua inenarrabilis, o amator humani generis, præterea, ne sim ego ut servus peccator qui condemnatur. Absit, Domine, non ita fiat. Tu enim solus es bonus, et amator es humani generis. Non recedam confusus. Absolve me a peccato meo, et mitte A super me auxilium tuum de cœlo. Da mihi virtutem, ut digne fungar hac magna administratione, mysterio tuo, constitutione cœlesti. Et habitet Christus super eos qui baptizantur, per regenerationem, et baptismum qui a me administratur, quia pauper sum ego, qui a te peto misericordiam. Ædifica eos in fundamento apostolorum et prophetarum, nec amplius destrue, sed fac eos plantas veras in Ecclesia tua, quæ super omnes est sancta, quæ est apostolorum, ut ad id se conferant, quod præstat et glorificetur nomen tuum sanctum in eis, quod in cœlo et in terra, ante omne sæculum, plenum est gloria Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicit orationem pro pace.

B *Et orationem pro pontificibus.*

Et orationem pro congregatione.

Et Symbolum apostolorum.

Deinde accipit oleum non benedictum, atque id ter in baptismum infundit ; unaquaque vice in modum crucis confundens, et dicens :

Benedictus Dominus Deus noster, nunc, et usque in sæculum.

Benedictus Dominus Pater †. Amen.

Benedictus Filius unigenitus, Jesus Christus, Dominus noster †. Amen.

Benedictus Spiritus sanctus Paracletus †. Amen.

Deinde orat super baptismum hoc modo :

Deus cœli, Deus luminis, Deus angelorum qui præsunt judicibus ; Deus angelorum qui præsunt C viribus regum, populorum et principum ; Deus gloriæ, qui habitas super Cherubim et Seraphim, Pater Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, qui solvisti animas eorum qui vincti erant peccato, et eos qui affixi erant tenebris per peccatum, illuminasti plagis passionis unici Filii tui Jesu Christi, Domini nostri, qui abegit a nobis passionem, et liberavit nos ab omni onere peccatorum nostrorum : Qui elongasti a nobis omne semen inimicum, quem omnia timent et reformidant ; creator aquarum, et factor omnium, clamamus ad virtutem tuam sanctam, ad nomen tuum quod superat omne nomen, ad unicum scilicet Filium tuum, Jesum Christum qui crucifixus est propter nos, tempore Pontii Pilati ; rogamus te, Domine, pro his famulis et famulabus D tuis ; converte, et immuta eos : Amen. Benedic eis, et confirma eos : Amen. Ut per hanc aquam et hoc oleum aboleatur omnis vis inimici : Amen. Omnes spiritus malignos aufer, arce, et disjice : Amen. Omnem adorationem idolorum, et omnem turpitudinem ab eisdem tolle. Amen.

Et sufflat in aquam ter in modum crucis, dicens :

Sanctifica hanc aquam et hoc oleum. Amen. Et sint in ablutionem regenerationis : Amen. Et in vitam æternam : Amen. Et in indumentum immaculatum : Amen. Et in generationem gratiæ : Amen. Et in innovationem Spiritus Sancti : Amen. In nomine unici Filii tui Jesu Christi, quem baptizari fecisti in Jordane, et sanctificavit, et mundavit eum,

et testatus est dicens : Qui non fuerit natus ex aqua et Spiritu sancto non potest intrare in regnum cœlorum ; deinde præcepit discipulis suis dicens : Ite ergo, et docete omnes gentes, et baptizate eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Suscipe, Domine, famulos et famulas tuas, quia in te est potestas et liberatio. O sancte, tona super hanc aquam, ut ex ea et Spiritu sancto regenerentur hi famuli tui virtute divinitatis tuæ, qui venerunt ad te, fac eos aptos ad remissionem peccatorum eorum, et ad indumentum immaculatum, in honorem unici Filii tui, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Tum dicit diaconus : Orate.

Sacerdos autem dicit sanctificationem Jordanis, id est, baptismi.

Amor Dei, gratia Jesu Christi, et donum Spiritus sancti sit vobiscum.

Populus autem respondet : Cum spiritu tuo.

Sacerdos autem dicit :

Sursum sint corda vestra.

Populus respondet :

Habemus ad Dominum, Deum nostrum.

Sacerdos autem dicit :

Gratias agamus Domino, Patri bono.

Populus respondet :

Rectum est, et convenit.

Sacerdos autem dicit :

Vere dignum et justum est. Benedictus sit Deus excelsus qui in æternum est fortis super omnia, in quo ea est potestas, ut regat et custodiat mundum. Qui omnia vivificat, in eo enim Spiritus est vitæ, qui alit omnem animam, qui confirmat omnem spiritum, qui virium totius mundi est capax : qui vocavit omnia ex eo quod non est, et fecit omnia. Ipse, Domine, qui excelsorum es excelsissimus, qui vides et cognoscis finem temporum, et sopitos a somno excitas, qui dedisti vocem omnibus quæ moventur, commove hanc aquam, et imple eam Spiritu tuo sancto, et fiat ablutio in secundam generationem. Amen. Et in vitam æternam. Amen. Ut regenerentur hi famuli et famulæ tuæ, quemadmodum constituisti, Domine, intelligentiam et rationem in anima, et per eam regere fecisti hominem, et judicem fecisti omnium ornamentorum mundi : quapropter tibi convenit gloria et magnitudo. Benedictus es, Deus, super omnes virtutes ; benedictus es, Deus, super omnes principes ; benedictus es, Deus, super omnem cogitationem et loquelam ; benedictus es, Deus, super omnem intelligentiam et scientiam ; benedictus es, Deus, supra omnes thronos et regna. Tu misisti aquam et ignem, frigus et glaciem, tempestatem et turbines super terram, et scaturire fecisti aquam de rupe dura. Tu es quem vidit mare, et fugit ; et Jordanis post te reversus est, et montes exultaverunt sicut hirci, et colles sicut agni ovium. Tu es de quo, et de benignitate cujus testimonium dedit Joannes, qui missus est ante te, clamans voce præconis in desertum et dicens : Mundate viam Domini, æquate semitam ejus, vox Domini super aquas, Deus gloriæ intonuit. Tona, Domine, super hanc aquam et oleum, utrumque præpara, et da eis virtutem, ut fiant baptismus tuus, qui est nova generatio, et vita æterna, et regenerentur hi famuli tui.

Diaconus dicit : Qui sedent surgant.

Sacerdos autem dicit : Domine, o Domine, pater bone, Deus noster omnipotens, Pater Domini, Dei, et Redemptoris nostri Jesu Christi, factor omnium creaturarum quas ostendunt cœlum, terra, et mare, et omnium quæ in eis latent, factor omnium creaturarum, visibilium et invisibilium, qui congregasti aquas in alveos suos, qui creasti, formasti, et obsignasti, et quæ super cœlos sunt, tu coercuisti mare, et flumina virtute tua, confregisti capita draconis in aqua, tu terribilis es (quis enim tibi obstare potest ?), aspice, Domine, super hanc, quam fecisti aquam, et da ei gratiam, salutem, et benedictionem Jordanis, ut ab ea fugiant omnia quæ malignantur adversus creaturas tuas, quoniam invocavi nomen tuum sanctum et admirandum, quod plenum est gloria et terrore adversus ea, quæ nobis adversantur.

Diaconus dicit : In orientem aspicite.

Sacerdos autem subsequitur hoc modo :

Et dissipentur coram signo crucis omnes vires eorum, qui nobis adversantur, et ab ea fugiant omnes dæmones qui sunt in aqua et terra, qui non videntur. Nec lateat in hac aqua superbia tenebrosa, nec descendat cum eis qui baptizantur malignus spiritus qui obtenebret eorum mentem, et perturbet cor. Imo, rogamus te omnes, Domine, ut facias hanc aquam esse aquam quietis : Amen. Aquam puram in mundationem : Amen. Aquam salutis : Amen. Et ut sit in ablutionem turpitudinis animæ et corporis : Amen. Aquam in absolutionem et remissionem peccatorum : Amen. Lumen animæ et corporis : Amen. Ablutio in regenerationem : Amen. In vestem immaculabilem : Amen. In innovationem Spiritus sancti et in fontem vitæ : Amen.

Qui adsunt, dicunt : Amen.

Sacerdos : Quia autem ipse dicit : Lavamini, purgate, et expellite malitiam a cordibus vestris ; qui dedisti nobis generationem de cœlo, per aquam et Spiritum sanctum, appare, Domine, super hanc aquam, et fac eos mundos qui in ea baptizantur, ut expellant veterem hominem et turpitudinem fallacis voluptatis, et induantur novo homine, et renoventur iterum per similitudinem creatoris sui : Amen. Fiant participes mortis Christi tui, per baptismum ejusdem unici filii tui Jesu Christi : Amen. Atque cum eo participes sint resurrectionis ejus, et custodiant donum Spiritus sancti : Amen. Abundet super eos doctrina gratiæ tuæ : Amen. Et inveniat pignus vocationis de cœlo, quod tuum est, o Domine : Amen. Connumerentur in congregatione primogeniti, in congregatione scilicet eorum quorum nomina scripta sunt in cœlis : Amen. Per Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo tibi est gloria

cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum : Amen.

Deinde dicit : Sanctus, sanctus, sanctus es, Deus exercituum. Perfecte plenum est cœlum et terra sanctitate gloriæ tuæ.

Et dicit populus : Sanctus, sanctus, sanctus es, Deus exercituum. Perfecte plenum est cœlum et terra sanctitate gloriæ tuæ.

Sacerdos autem dicit : Ad te suspicimus, et intendimus oculos cordis nostri in cœlum; rogamus te, Domine, Deus noster, custodi nos omnes. Deus noster, Deus patrum nostrorum, qui creasti cœlum et terram, et omnia ornamenta eorum; creator aquarum, quæ supra cœlos sunt; qui fundasti terram super aquas; qui congregasti aquas in alveos suos; qui cinxisti, et coercuisti mare, et ejus profunditatem obsignasti magno nomine signi, quod plenum est gloria, et quod omnia timent et expavescunt, aspectu, Domine, fortitudinis et virtutis tuæ. Tu fundasti mare virtute tua, tu confregisti capita draconis in aquas, tu scidisti scaturigines et fontes, et dedisti viam aquis. Viderunt te aquæ, Domine, et paverunt profunditates præ multitudine aquarum. Tu es, quem mare Rubrum vidit, et timore tui constitit. Tu trajecisti Israel, et per Moysen baptizasti eum; tu præcepisti rupi duræ, et effudit aquam populo tuo; tu mutasti aquam amaram, et fecisti eam dulcem. Tu, Domine, tempore Jesu filii Nave, abstulisti, et reverti fecisti flumina, quæ fluebant terribiliter. Tu (quis enim sustineat aspectum tuum?) sacrificium quoque Eliæ in aqua suscepisti per flammam et ignem de cœlo. Tu es, Domine, qui ostendisti per Elisæum aquam generationis vitæ, et Naaman Syrum mundari fecisti per aquam Jordanis. Tu omnia potes, et nihil est quod tibi sit impossibile.

Diaconus dicit : Orate.

Sacerdos autem dicit :

Domine, o Domine, Pater bone, Deus noster, rex ordinum cœlestium et terrestrium, aspice, qui sedes super Cherubim, intende oculos qui habitas in cœlo. Aspice, et visita creaturam tuam. Da huic aquæ donum Jordanis magnum, potens, et cœleste, et descendat Spiritus sanctus super eam. Amen. Dona ei benedictionem Jordanis, da ei virtutem, ut sit aqua vitæ. Amen. Aqua sanctitatis. Amen. Aqua mundationis peccatorum. Amen. Aqua lotionis ad regenerationem. Amen. Dona ei, ut si quis est latens extra eam malignus spiritus, non revertatur amplius ad eos, qui baptizantur. Amen. Nec spiritus diei. Amen. Nec spiritus meridiei. Amen. Nec spiritus vesperi. Amen. Nec spiritus noctis. Amen. Nec spiritus aeris. Amen. Nec spiritus superbiæ, quæ sub terra est. Amen. At arce omnes spiritus malignos virtute, et benignitate tua, et frangantur coram signo crucis Filii tui. Amen. In nomine sancto tuo, quod precamur, quod plenum est gloria, et terribile adversus ea quæ nobis adversantur, ut omnis qui baptizatur in ea, expellat a se hominem veterem, qui coinquinatus est voluptate erroris; et induatur novo homine qui innovatur in similitudinem Creatoris sui. Illumina eos lumine justitiæ, qui est Spiritus sanctus. Amen. Et inveniant vitam æternam. Amen. Firma eorum spem. Amen. Et stent ante thronum Christi tui. Amen. Inveniant remissionem peccatorum suorum. Amen. Et accipiant coronam cœlestem. Amen. Sint, aqua hæc, et hoc oleum benedicta, et plena gloria, et sint sancta, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in gratiarum actionem populi tui, et omnium qui obtulerunt tibi filios suos famulos tuos, in gloriam et honorem Filii tui sancti. Suscipe eos in sacrificium tuum sanctum et cœleste, tanquam odorem suavem magnitudini tuæ cœlesti, precibus, angelorum et archangelorum tuorum sanctorum. Domine, libera populum tuum, et benedic hæreditati tuæ, custodi, et exalta eum usque in sæculum. Amen. Conserva eum in rectitudine fidei, omni tempore vitæ suæ, et sit in charitate, quæ superat omnem pacem, precibus omnium sanctorum, et intercessione plenæ gratia Virginis genitricis Dei Mariæ, quæ in omnibus est sancta, et sancti Joannis martyris, et Baptistæ, præcursoris et ducis vitæ, et omnium sanctorum quos a primordio elegisti, per gratiam unici Filii tui, cum quo tibi una cum sancto Spiritu, est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde sacerdos dicit orationem Evangelii, scilicet.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum : adveniat regnum tuum : fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita et in terra. Da nobis hodie cibum nostrum quotidianum : dimitte nobis offensiones nostras, et errores nostros, et ut nos quoque dimittamus offensiones, quæ in nos sunt : et ne inducas nos, Domine, in tentationem, sed redime, et libera nos ab omni malo. Quoniam hoc est regnum tuum, honor et gloria nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicit orationem impositionis manuum super eos qui baptizandi sunt.

Accipit postmodum crucem, et ter ea aquam sulcat in modum crucis ter clamans.

Sanctus, sanctus, sanctus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Descendit postea in fontem, et infundit balsamum in figuram signi crucis dicens :

Benedictus est Deus Pater : Amen. †

Benedictus est Filius unicus Jesus Christus. Amen. †

Benedictus est Spiritus sanctus paracletus : Amen. †

Tum dicit magna voce, Alleluia, *dum miscens aquam cum balsamo, manu sua dextera dicit. Psalm.* CXXXI. Quoniam elegit Dominus Sion in habitationem.

Et psalm. XXVIII, Vox Domini super aquas, Deus gloriæ intonuit. *Et psalm.* XXXIII, Accedite ad eum, et illuminabit vos. *Et psalm.* LXV. Transmisit nos inter ignem et aquam. *Et psalm.* L, Asperges me, Domine, myrto, et mundabor, *usque ad versiculum :* Ne projicias me a facie tua. *Deinde dicit :* Gloria Patri, et

Filio, et Spiritui sancto nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Postmodum dicit : Honor hic omnibus sanctis, benedictus sit Deus qui illuminat in omne sæculum. Amen.

Tum diaconus ducit eos qui baptizandi sunt versus occidentem, et ingredi facit versus orientem ; sacerdos autem eos suscepit et tergit, dicens :

Ego baptizo te, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Paracleti. Amen.

Hoc perfecto, dicit sequentem orationem ; pro absolutione seu immutatione aquæ in primum ejus naturam.

Domine, o Domine Pater bone, Deus noster omnipotens, qui creasti omnia ex eo quod non est, et ex nihilo sapientia tua quæ vera est, tu es qui congregasti aquas a primordio in unum cumulum, et definivisti omnia ab origine mundi magnitudine virtutis tuæ, et intelligentia tua imperceptibili : tu es, Domine, qui fecisti hanc aquam in emundationem per gratiam Christi tui super eam, et fecisti eam his qui baptizati sunt famulis tuis in ablutionem regenerationis, innovationem a vetere errore, ut ab eo resipiscant, et illuminentur lumine tuo, rogamus te, et quæsumus o bone, et amator humani generis, ut immutes eam in primum ordinem et in primam naturam supra terram, nobis autem sit auxilium, et liberatio ut semper glorificemus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et tribuamus tibi honorem nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

MONUMENTA VARIA

QUÆ AD CELEBRATIONEM SACRAMENTORUM ET OFFICIA QUÆQUE ECCLESIASTICA PERTINENT.

(Apud Gerbert., *Monumenta veteris Liturgiæ Alemannicæ.*)

ORDO BAPTISMATIS.

[Ex cod. theol. 685 bibl. Cæsar. Vindob. sæc. x.]

(1) *Primum vero ante januas ecclesiæ presbyter incipiat sacramentum baptismatis ita dicendo :* Abrenuntias Satanæ. ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus. ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus. ℟. Abrenuntio. *Deinde catechuminum tribus vicibus in faciem exsuffla et dic :* Recede, diabole, ab hac imagine Dei increpatus ab eo, et da locum Spiritui sancto. *Deinde crucem fac in fronte dicendo :* signum sanctæ crucis Dni nri Jhu Xpi in frontem tuam pono. *Et in pectore similiter crucem fac dicendo :* Signum Salvatoris Dni nri Jhu Xpi in pectus tuum pono. *Deinde pone manum super caput infantis dicens hanc orationem.* Accipe signaculum crucis Christi tam in fronte quam in corde. Sume fidem cœlestium præceptorum : talis esto moribus ut templum Dei esse jam possis. Ingressusque ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis

(1) Nihil hic præmittitur de scrutiniis, aut statis baptismi temporibus. Quin exordium statim aliud indicat. Scriptus est equidem hic codex antequam stata baptismi solemnis tempora paulatim a medio circiter sæc. XII antiquarentur. Neque tamen hic ordo ejusmodi est, quales passim in antiquioribus, nostris etiam superiori volumine relatis sacramentariis referuntur *ad succurrendum*, urgente nimirum morbi mortisque articulo. *Fit hoc*, sunt S. Augustini verba in lib. De fide et oper. c. 6 : *ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, sacramentumque percipiat, ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat a reatu præteritorum omnium peccatorum.* Et ante S. Cyprianus : *Audientibus etiam*, inquit, ep. 13. *Si qui periculo præventi et in exitu constituti, vigilantia vestra ne desit.* Severus vero eis cum aliis Patribus in *Novatianum* aliosque Clinicos fuerat, qui procrastinabant baptismum et quandoque ad finem usque vitæ differebant, in quos sæpe SS. Patres invehuntur atque inter alios S. Jo. Chrysostomus in Joan. e. c. t. VIII Opp., p. 104 et 147, multis vero in cap. I Act. hom. I, t. IX, pag. 11 seqq. gravissimum ob oculos ponit periculum, sic concludens p. 13 : *Quantum putatis me discruciari, cum audio quempiam non initiatum obiisse ; et cogito intolerabilia illa supplicia inevitabilemque cruciatum.* Hæc Constantinopoli gravius ingerenda regni optimatibus ipsisque imperatoribus censebat S. Pater exemplis præteritis incitatus ; etsi S. Ambrosius in oratione funebri de obitu Valentiniani imp. mitius judicet de hoc pio principe, qui a S. Ambrosio baptizari desideraverat, sed antequam consequeretur, fuit interfectus. Unde Mediolanenses sollicitos de ejus salute, solatus, *Audivi*, inquit, *vos, dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio ? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari a me velle significavit*, etc. Erant porro tunc canonibus præscripta tempora extra quæ excepto necessitatis articulo non licebat baptizari ; contra vero, immutata disciplina, differri vetabatur baptismus ultra mensem in infantibus. Videatur Launoius de priscis et solemnibus baptismi temporibus t. II Opp. p. II, p. 731.

lætus agnosce : horresce idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem et Jesum Christum Filium ejus, qui cum Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Te deprecor, Domine, sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut huic famulo tuo, qui in sæculi hujus nocte vagat incertus et dubius, viam veritatis et agnitionis tuæ jubeas demonstrare, quatinus reseratis oculis cordis sui te unum Deum Patrem in Filio et Filium in Patre cum sancto Spiritu recognoscat, atque istius confessionis fructum hic in futuro sæculo percipere mereatur. Per.

Alia.

Preces nostras, quæsumus, Dne, clementer exaudi et hunc electum tuum crucis Dominicæ cujus impressione eum signamus virtute custodi, ut magnitudinis tuæ rudimenta servans per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per.

Alia.

Accipe signaculum Dei Patris et Filii et Spiritus sancti. *Mox autem ad eundem parvulum catechumenum, id est doctum faciendum, ista sequitur oratio.* Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, Pater Dni nri Jhu Xpi respicere dignare, etc.

Oremus. Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, etc. *Expleta autem ista oratione interroget nomina singulorum et ponat de ipso sale in ore infantium ita dicendo :* Accipe salem sapientiæ propitiatus in vitam æternam. Pax tibi.

Benedictio post datum salis tam super masculos quam super feminas.

Oremus. Deus patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, etc. *Hic iterum sacerdos faciens crucem in fronte infantum has sequentes statim dicat orationes. Ecce istam orationem super masculum.* Oremus. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui Moysi famulo tuo, etc. Ergo mal., etc.

Oratio super feminas simili modo crucem faciens in frontibus earum.

Oremus. Deus cœli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, etc.

Repulso diabolo de utrisque masculis similiter et feminis.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero : da honorem Jhu Xpo Filio ejus et Spiritui sancto, et recede ab hoc (hac) famulo (famula) Dei, quia istum (istam) sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, fontemque baptismatis dono vocare dignatus est per hoc signum sanctæ crucis fronti ejus quod nos damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.

Item super masculos.

Oremus. Audi, maledicte Satanas, adjuratus per nomen æterni Dei, et Salvatoris nostri Filii ejus cum tua victus invidia tremens gemensque discede. Nihil tibi sit commune cum servo Dei jam cœlestia cogitante, renuntiaturo tibi a sæculo tuo, et beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens perturbatis fraudibus tuis divino fonte purgatum pectus idem sanctificatum Deo templum et habitum perficiat, et ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus servus Dei gratias perenni Deo referat semper et benedicat nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Amen. Ergo, maledicte, etc.

Oratio super feminas.

Oremus. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, etc.

Item oratio super masculum.

Oremus. Exorcizo te, immunde spiritus, etc.

Hæc oratio super feminas.

Oremus. Exorcizo te, immunde spiritus, per Pa†trem et Fi†lium et Spiritum † sanctum, etc.

Item oratio unde supra statim dicenda.

Oremus. Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine, etc.

Hic post ista diaconus legat evangelium super infantes : Dominus vobiscum. Seq. sancti evangelii secundum Matthæum. In illo tempore oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait illis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire. Amen dico vobis, talium est regnum cœlorum. Et eum imposuisset eis manus, abiit inde. *Post hæc autem sacerdos tenens manum super caput infantis silenter cantet symbolum, quod est* Credo in Deum, *et orationem Dominicam, quæ est* Pater noster. *His autem ita perlectis, hæc sequens oratio publice dicatur ad catechizandos infantes :* Oremus. Nec te lateat, Satanas, imminere tibi pœnas, etc. *Hic remitte salivam de ore tuo in primos digitos duos, id est pollicem et indicem, et sic apprehendens pinnulam dextræ auris dic :* Effeta, quod est aperire. *Et postmodum capiens nares infantum dic :* In odorem suavitatis. *Deinde retinens pinnulam sinistræ auris hæc dic :* Tu autem effugare, diabole, approquinquabit enim judicium Dei. *Istis omnibus ita peractis ante ecclesiam jubeat presbyter parvulos fieri in ecclesiam.*

Benedictio fontis (2).

Kyrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos.

Salvator mundi, adjuva nos.

Sancta virgo virginum, ora pro nobis.

(2) Ostendimus supra aquam consecratam a fidelibus domum asportatam fuisse. Habes id in rubrica hujus ordinis baptism. ejuscemodi : *Hic aqua benedicta aspergatur super circumstantes, et quicunque velint, sumant extra ad spargendum, quo velint. Post hæc accipe chrisma cum vasculo et infunde illud in modum crucis super ipsam aquam baptismatis invicem miscens,* etc. Nempe ut in disquis. liturg. pag. 436, ex de Moleon *itinere liturgico* notavimus, aquam consecratam a fidelibus haustam antequam S. oleum misceretur, qui mos etiamnum in partibus nostris viget. Neque vero olim ut postea ac etiam nunc aquam semper conservatam per annum ad baptismum aliis quam statis diebus conferendum, argumento est præsens hic ordo baptizandi extra stata tempora, ut tamen consecratio aquæ baptismalis immediate præcedat.

Sancta Dei genitrix, ora pro nobis.
Sca Maria, ora pro nobis.
Sce Michahel, ora pro nobis.
Sce Gabrihel, ora pro nobis.
Sce Raphahel, ora pro nobis.
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti patriarchæ et prophetæ, orate.
Sce Johannes Baptista, ora pro nobis.
Sce Petre, ora pro nobis.
Sce Paule, ora pro nobis.
Sce Andrea, ora pro nobis.
Sce Jacobe, ora pro nobis.
Sce Johannes, ora pro nobis.
Omnes sancti apostoli et evangelistæ, orate.
Sce Stephane, ora pro nobis.
Sce Line, ora pro nobis.
Sce Clete, ora pro nobis.
Sce Clemens, ora pro nobis.
Sce Pancrati, ora pro nobis.
Sce Ciriace, ora pro nobis.
Sce Ferruci, ora pro nobis.
Sce Albane II, ora pro nobis.
Omnes sancti martyres, orate pro nobis.
Sce Silvester, ora pro nobis.
Sce Gregori, ora pro nobis.
Sce Martine, ora pro nobis.
Sce Remigi, ora pro nobis.
Sce Benedicte, ora pro nobis.
Omnes sancti confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti monachi et eremitæ, orate pro nobis.
Sca Felicitas, ora pro nobis.
Sca Perpetua, ora pro nebis.
Sca Agatha, ora pro nobis.
Sca Cæcilia, ora pro nobis.
Sca Scholastica, ora pro nobis.
Sca Margaretha, ora pro nobis.
Omnes sanctæ virgines, orate pro nobis.
Omnes sancti, orate pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, libera nos, Domine.
Ab omni malo libera nos, Domine.
Ab ira tua libera nos, Domine.
A morte perpetua libera nos, Domine.
A clade et peste libera nos, Domine.
Per nativitatem tuam libera nos, Domine.
Per crucem et passionem tuam libera nos, Domine.
Per resurrectionem et ascensionem tuam libera.
Per adventum Spiritus sancti paracliti libera.
In die judicii, libera nos, Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rogamus, audi nos.
Ut sanitatem nobis dones, te rogamus, audi nos.
Ut fructum terræ nobis dones, te rogamus, audi nos.
Ut aeris temperiem bonam nobis dones, te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam conservare digneris, te rog.
Ut regem nostrum cum plebe conservare digneris, te rogamus.
Ut eis vitam et sanitatem atque victoriam dones, te.

A Ut exercitui christianorum salutem et sanitatem atque victoriam dones, te rogamus, audi nos.
Ut fontem istum benedicere et consecrare digneris, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, D.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, D.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos. Kyrie eleison. Christe eleison.

Mox sacerdos dicens Dominus vobiscum, *quod prius nunquam dicere debet, hanc sequentem orationem legat super fontem.* Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, etc. *Hanc deinceps benedictionem* sacerdos canendo proferat juxta canonicam auctoritatem. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo. Sursum corda habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. Qui invisibili potentia sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, et licet nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclines. Deus cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, etc. *Hic aquam manu tangat in modum crucis.* Qui hanc aquam regenerandis, etc. *Hic manu tangat ut supra.* Sit hæc sancta et innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, et totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons vivus, aqua regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentia consequantur. Unde bene†dico te, creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum sanctum, qui te in principio verbo separavit ab arida : qui te de paradiso manare, *Hic aquam in quatuor manu divide ita* † et in quatuor fluminibus, etc. *Hic muta cantici vocem, quasi lectionem legas.* Hæc nobis præcepta, etc. *Hic pone cereum ardentem in aquam, et inclinato super fontem dic istum verbum*, Descendat in hanc plenitudinem fontis Spiritus sancti. *Post hæc insuffla super fontem tribus vicibus in hunc modum* ℣ et totam hujus aquæ substantiam regenerandi fecundent effectu. *Hic sume cereum extra aquam, et ista quæ sequuntur, statim subinfer.* Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, etc. *Hic aqua benedicta aspergatur super circumstantes et quicunque velint sumant extra aspergendum quo velint. Post hæc accipe chrisma cum vasculo, et funde illud in modum crucis super ipsam aquam baptismatis invicem miscens ita dicendo* : Infusio chrismatis Domini nostri Jesu Christi Paracliti, in nomine sanctæ Trinitatis. Amen. *Et alio modo :* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti sanctificetur et fecundetur fons iste. Amen. *Hoc autem finito præsententur infantes secundum ordinem ante sacerdotem, his namque in brachiis tenentibus, qui eos ae baptismo susceperi sunt. Et tunc demum sacerdos singulos specialiter* (3) *prænominans* iisrumque in hujusmodi ordinibus baptizandi antiquis lingua Latina legitur. Abrenuntiatio hæc diaboli et

(3) Desiderantur hic præmitti s mper solitæ abrenuntiationes Satanæ, ipsaque professio fidei, ut ple-

terroget, sic firmiter symbolum in Deum habeant his verbis de credulitate. Ita : Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ? *Et compater infra sic respondet.* Credo. *Item sacerdos.* Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum et passum. ℟. Credo. *Sacerdos.* Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. ℟. Credo. *Postulatem vero parvulorum responsionem presbyter faciens crucem cum exorcizato oleo in pectore, et inter scapulas infantum, eos nominando, ita dicat :* Et ego te linio oleo salutis in Xpo Ihu Dno nro in vitam æternam. Amen. *Eo autem ordine sic peracto presbyter accipiens infantes a parentibus eorum sicut justum est, et ab eis rogatus sub trina mersione primum masculos et postmodum feminas nominando baptizet his verbis.* N. Vis baptizari. ℟. Volo. Baptizo te in nomine Patris. *Et intinguit semel.* Et Filii, *Et inferat secundo.* Et spiritus sancti. *Et mergat tertio. Sed et hoc in modum crucis facere memento. Primum vero in orientalem plagam fer infantem pedibus extensis in occidentalem plagam. Secundo in dexteram, quod est in australem plagam. Tertio in sinistram, hoc est in aquilonarem partem. Cum autem infantes elevati fuerint a fonte, compater singulorum accipiens eos habeat intra cubam, pedibus infantis adhuc in aqua consistentibus donec presbyter chrysma requirens præferat, interim quoque ista dicente :* Deus omnipotens Pater Dni nri Ihu Xpi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum. *Hic presbyter faciens signum crucis cum chrysmate in vertice infantis, et eum nominans ita dicat :* Ipse te linit chrismate salutis in Xpo Ihu Dno nostro in vitam æternam. Amen. *Post hæc ponens cappam super caput ejus et eum nominans sic dicat.* Accipe vestem candidam sanctam et immaculatam quam præferas ante tribunal Christi in nomine sanctæ Trinitatis. Amen. *Tunc demum extrahatur infans foras cuballam et statim in illa die usque dum missa percelebratur quanti sint in ecclesia maneant. Post missam autem antequam sumant corpus et sanguinem Domini hæ orationes dicantur super infantes noviter christianos.* Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum ex aqua et Spiritu sancto, tribue ei continuam sanitatem, ad agnoscendam unitatis tuæ veritatem. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum digneris serenis aspectibus præsentare, et cui donasti baptismi sacramentum longævam tribuas sanitatem. *Post has autem orationes detur eis eucharistia ita dicendo.* Corpus et sanguis Dni nri Ihu Xpi custodiat te in vitam æternam. Amen. *Hoc autem expleto, revertantur in pace domum, et cottidie ab eodem die donec expleantur septem dies tempore etiam speratæ* (4) *missæ revisent ecclesiam.*

Explicit sacri ordo baptismatis.

Si autem infirmus infans venerit ad baptizandum, faciat super scriptum ordinem et æternam ac justissimam *addit orationem.* Megelam tuam deprecor, Domine sancte Pater, etc. *Dicit symbolum et orationem Dominicam et catechizat eum.* Nec te lateat, Satanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi gehennam, imminere tibi diem judicii, diem supplicii, diem qui venturus est velut clibanus ignis : in quo tibi atque universis angelis tuis veniet æternus interitus : quapropter, diabole, da honorem Deo vivo et vero et Jesu Christo Filio ejus qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. In cujus nomine et virtute adjuro te, quicumque es inmundus spiritus in hoc jacentis corpore constitutus, ut exeas et recedas ab eo fiatque vas mundum ad advenientem jam nunc in se spiritum, sitque etiam templum Dei vivi, quem Deus et Dominus noster ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est. Per. *Et reliqua faciat sicut in isto*

fidei professio sæc. VIII, lingua Theotisca adhibita primum a Luca Holstenio ex cod. *Palatino* est in lucem protracta, exstatque t. I, conc. *German.* p. 51, in hæc verba : « Forsachistu Diobolæ ? *et respons.* Ec forsacho Diobolæ. Fn allum diobol gelde ? *Resp.* End ec forsacho allum diobol galde. End allum Dioboles wercum ? *Resp.* End ec forsacho allum Dioboles wercum, und wordum thuna eren de woden ende Saxnote, ende albam them unholdum, the hira genotas sint. Gelobistu in Got almehtigan Fadaer. *Resp.* Ec gelobo in Got almahtigan Fadaer. Gelobistu in Christ Godes Suno ? *Resp.* Ec gelobo in Christ Gotes Suno. Gelobistu in halogan Gast ? *Resp.* Ec gelobo in halogon Gast. » Plura Eccardus suppeditat in *Catechesi sua Theotisca* § 13, præfat.

(4) Ita etiam habet apud Martenium t. I De rit. p. 203 ordo XIV monasterii *Gladhacensis;* videtur tamen mendum irrepsisse ac legendum *tempore etiam vespertinæ missæ.* Forte scribæ sequioris ævi ita textum mutarunt ignari notionis missæ antiquioris pro synaxi, aut collecta, ut t. I Disquis. IV, c. I, ostendimus auctoritate inter alia conc. *Agathensis* an. 506, in quo can. 30 ita statuitur : *In conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dici, et plebem collecta oratione ad vesperam cum benedictione dimitti.* Integra hac hebdomada paschali vespertinam celebratam fuisse synaxin ex conc. *Mutisconensi* an. 585 discimus, in quo can. 11 sancitum est de hebdomada paschali : *Ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati hymnis paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præsertim quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes creatorem, et regeneratorem nostrum vespere, mane, et meridie.* Alias synaxes seu sacrificia *vespertina* ex eodem concilio notavit Mabillonius De lit. *Gall.* lib. I, c. 5, quæ can. 9, dicuntur *ordine quadragesimali* celebrari, atque in conc. *Vasensi* an. 529, can. 3, quadragesimales vocantur, quibus horam *nonam* vel *decimam* assignat conc. II *Bracarense*, can. 9. In concilio *Aureliacensi* III, c. 29 sancitur : *Sacrificia vero matutina missarum, sive vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum speciet.* Quæ qualiacunque sint, ad priorem certe censum pertinet, quod in eodem conc. can. 14, statuitur de missarum celebritate in præcipuis solemnitatibus, *ut hora tertia missarum celebratio inchoetur, quo facilius intra horas competentes possint ad vespertino officia, id est in vespertino tempore convenire.*

superiore ordine insertum est usque ad benedictionem fontis, et non dicit illam benedictionem majorem, sed istam ad succurrendum. Exaudi nos, omnipotens Deus, et in hujus aquæ substantiam tuam immisce virtutem, ut abluendi per eam et sanitatem simul et vitam mereantur æternam. Per.

Alia

Exorzizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in charitate Jesu Christi Filii ejus et Spiritus sancti. Exorzizo te, omnis virtus adversarii, omnis incursio Satanæ et omne fantasma, eradicare et effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons aquæ salientis in vitam æternam. Et qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in eo in remissionem omnium peccatorum. Per.

Explicit liber baptismatis. (5).

In celebri sacramentario Augiensis monasterii, quod servatum in bibl. Cæs. Vindob. Lambecius recenset, sequentem in modum legitur oratio ad baptizandum infirmum. Medelam tuam deprecor, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui subvenis in periculis, qui temperas flagella, dum verberas; te ergo supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum eruas ab hac valitudine, ut non prævaleat inimicus usque ad animæ temptationem : sicut in Job terminum ei pone, ne inimicus de anima ista sine redemptione baptismatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, et spatium vitæ extende, releva quem perducas ad gratiam baptismi tui. Per. *Oratio aquæ ad baptizandum infirmum. Postquam eum cathechizaveris benedicis aquam his verbis.* Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dni nri Ihu Xpi Filii Dei et Spiritus sancti, si qua fantasma, si qua virtus inimici, si qua incursio diaboli, eradicare et effugare ab hac creatura aquæ ut fiat fons saliens in vitam æternam. Et cum baptizatus fuerit hic famulus Domini, fiat templum Dei vivi in remissionem omnium peccatorum, in nomine Dni nri Ihu Xpi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Amen. *Baptizas et linis eum in cerebro. Et dicis :* Ill. talis Baptizo te in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. *Postea tangis eum de chrismate in caput, et dicis orationem istam,* Deus omnipotens, etc. *Communicas et confirmas eum.*

ORDO CONFIRMATIONIS.

Cum autem infantes sublevati fuerint a fonte sint parati qui eos susceperi sunt, cum linteis in manibus eorum et accipiunt ipsos a pontifice, et presbyteris vel diaconibus, qui eos baptizant. Pontifex vero regrediatur a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vel in ecclesia ubi voluerit et sedeat in ea, ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Induti vero ordinentur per ordinem sicut scripti sunt in circuitu. Infantes quidem in brachiis dextris teneantur, majores vero pedem ponant super pedem dextrum patrini sui. Pontifex vero veniens ad infantes (6), *tenente archidiacono chrisma involutis scapulis et brachiis ex panno lineo elevata et compressa manu super capita omnium det orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti.* Spiritus sanctus superveniat in vos et virtus Altissimi sine peccato custodiat vos. Omnipotens sempiterne Deus qui regenerare dignatus es hos famulos et famulas tuas ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum paraclytum de cœlis. Amen. Spiritum sapientiæ et pietatis. Amen. Spiritum sapientiæ et pietatis. Amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Amen. P. *Oratione expleta interrogantibus diaconibus nomine singulorum pontifex uncto pollice in chrismate faciat crucem in singulorum frontibus ita dicendo :* Confirmo te et signo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Pax tibi. Et cum Spiritu tuo. *Iterum confirmatis omnibus dicat hos versus.* Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Benedicat vobis Dominus ex Sion, ut videatis bona Hierusalem, omnibus diebus vitæ vestræ. Custodiat vos Dominus in timore suo sanctissimo, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen. Pax vobiscum. Et cum Spiritu tuo. *Oratio.* Deus qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum et præsta, ut eorum corda quorum frontes sacro chrismate delinivimus idem Spiritus sanctus adveniens templum gloriæ tuæ dignanter inhabitando perficiat. Qui tecum. *Diaconus dicat.* Humiliate ad benedictionem. Deo gratias. Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, et vobis in baptismate per Spiritum sanctum remissionem omnium tribuit peccatorum. Quique eundem Spiri-

(5) Alicubi simpliciter baptisterium seu ordo baptisterii vocatur. Carolus M. in capitulis de diversis rebus an. 789, c. 7 sic statuit : *Ut audiant episcopi baptisterium presbyterorum, ut secundum Romanum morem baptizarent.*

(6) In ordine sacramenti confirmationis hic ut alibi promiscue infantes nominantur, etsi paulo ante de majoribus quoque sit sermo. Quod etiam de renatis fonte baptismatis valet, ut sint juxta II Petr. II, *quasi modo geniti infantes.* Veluti S. Zeno neophytos serm. 1 compellat : *Qui eratis ætate diversi, diversi natione, subito germani fratres, subito unigeniti emersistis infantes.* Et in invitatione 3 ad fontes, ad locum D. Petri alludit : *Eia, quid statis, fratres, vestram quos fidem genitalis unda concepit, per sacramenta jam parturit. Solemnis hymnus jam canitur, ecce inox infantium jam dulcis vagitus auditur, ecce parientis uno die ventre clarissima turba procedit.* Quæ verba *Paul.* Paciandi affert de sacris Christianorum balneis cap. 12, ad vulgarem eximendum errorem de loco quodam S. Isidori *Hispal.* de capitilavio, ac si solis infantibus id officium fuisset impensum lib. I De officiis, citaturque a *Rhabano* Mauro et anonymo sub nomine Alcuini vulgato. Est vero hic locus, *Vulgus autem hunc diem capitilavium vocat, quod in eo tunc est mos lavandi capita infantium qui ungendi sunt, ne observatione quadraginta dierum ad unctionem accederent.* Recte autem observat, quod si quadragesimali observatione capita baptizandorum sordida lavantur, multo magis in adultis, qui ad jejunia pares erant, id evenire debuisse.

tum sanctum in igneis linguis dedit discipulis, ipsius illustratione corda vestra perlustret, atque in suum amorem jugiter accendat. Amen. Quatinus ejus dono a cunctis vitiis emundati, ipsiusque opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum ejus effici mereamur. Quod ipse præstare dignetur.

Ex Cod. San-Blas. sæc. IX.

Ad confirmandum pueros; Episcopus dicat : Sit nomen Dni benedictum. *Assistentes :* Ex hoc nunc et usque in sæculum. *Episc.* Adjutorium nostrum in nomine Dni. *Assistentes :* qui fecit cœlum et terram. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum et famulam tuam ex aqua et Spiritu sancto : Quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, immitte in eis septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de celis. Amen. Spiritum sapiencie et intellectus. Amen. Spiritum consilii et fortitudinis. Amen. Spiritum sciencie et pietatis. Amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna ei signo crucis Christi in vitam propiciatus eternam. Per Christum Dnm nrm. *Tunc inquisito uniuscujusque nomine, et intincto pollice in chrismate, faciat crucem in fronte cujuslibet eorum dicens :* Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Omnibus itaque cum sancto chrismate signatis dicat : Pax tecum. Et cum spiritu tuo. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat vos Dominus ex Syon ! et videatis bona in Jerusalem, omnibus diebus vite vestre. Gloria Patri etc. Pax tecum. Et cum spiritu tuo. Oremus, Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores ceterisque fidelibus tradendum esse voluisti : respice propicius ad humilitatis nostre famulatum, et presta, ut hujus cor, cujus frontem sacro chrismate delinivimus, et signo crucis designavimus. Item Spiritus sanctus adveniens templum glorie sue dignanter inhabitando perficiat. Per Dnm nostrum. *Circa istud officium notandum est, quod si episcopus propter passim et successive venientes, collectas prædictas tociens non possit dicere, quociens contingit homines singulariter confirmacionem requirere, saltem in fine diei, id est post completorium eas dicere non obmittat.*

(Ex cod. Vind. Th. 277, sæc. XII. vel XIII.)

Benedictiones super confirmatos (7).

Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi sine peccato custodiat vos. Amen. *Alia.* Omnipotens sempiterne Deus, qui regnare etc. *Et dicit episcopus* Confirmo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Pax tecum et cum Spiritu tuo. Signum Xpi in vitam æternam. Amen. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo. Deus qui apostolis tuis etc. *Tunc pronunciat diac.* Humiliate vos ad benedictionem. Deo gratias. *Et episcopus det benedictionem.* Omnipotens Deus, qui vos fecit aqua baptismatis renasci, ipse vos corroboret dono septiformi Spiritus paraclyti : quia sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum ut habeat regni cœlestis introitum. Amen. *Alia.* Benedicat vobis ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ nostræ, et in omnibus sumatis scutum fidei, ut mereamini in castris æterni regis ascribi. *Alia.* Custodiatque vos timore sanctissimo sui, et tribuat vobis pacis unitatem, et contra omnes hostes victoriam triumphalem, ut signaculum fidei, quod tenetis, usque in finem impollutum custodiatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti descend. *Benedictio item super confirmatos.* Benedicat vos etc. *ut supra. Alia.* Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti. Et pax Domini sit semper vobiscum. Et cum spiritu tuo. Ite in pace. Deo gratias.

JUDICIUM PŒNITENTIS.

(Ex antiquissimo Alemanniæ sacramentario Rhenaug. ann. M. circ.)

Diversarum (8) culparum diversitatem facit penitentiarum; nam et corporum medici diversa medicamenta generibus componunt; aliter enim vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines (9) curant. Ita igitur et spirituales medici diversis curationum generibus animarum vulnera, morbum, culpas, dolores, egritudines, infirmitates sanare debent (10). Sed quia hec paucorum sunt, ad

(7) Sic inscribitur ordo confirmationis cum hodierno ritu fere conveniens, iis conformiter, quæ antiquissimus ex Latinis Patribus Tertullianus in libro de baptis. c. 8, de hoc sacramento luculenter explicat. Ed. Martenius porro lib. I. De auct. eccl. rit. c. 2, art. 4, inter varios confirmationis ritus eum etiam qui hic habetur humiliandi se ad benedictionem affert ex sacramentario *Moysacensi*, etc. In Pontificali *Romano* hodieque præscribitur § 9. *Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta; quam pontifex post omnium confirmationem dabit.* Quod passim negligitur.

(8) Præfatio hæc integra habetur in collectione antiqua canonum pœnit. (apud Martenium Thesaur. nov. anecd. t. IV, col. 53) cum inscriptione : *Incipit de diversis malis :* unde codicis nostri errata corrigere licet. Ac quidem statim initio legendum : *Diversitas culparum.*

(9) l. c. additur : *aliter caligines, aliter confractiones, aliter combustiones.*

(10) In lib. pœnit. ex scrin. Eccl. *Rom.* apud Canisium t. II, p. 129, ed. Basnag. ita legimus : « Ita et spiritales medici, diversis curationum generibus animarum vulnera curare debent. Sed quia hæc

purum scilicet cuncta cognoscere, et curare, atque ad (14) integrum salutis statum debent revocare; ideoque vel pauca juxta seniorum traditiones (12), juxta nostram ex parte intelligentiam : ex parte namque prophetamus, et ex parte cognoscimus; aliqua proponamus, quod ab remedium anime pertinet, et de remediis vulnerum secundum priorum Patrum diffinitiones dicturi; sacri tibi eloquii, fidelissime frater, antea medicamina compendii ratione intimemus (13).

Prima est itaque remissio, qua baptizamus (14), in aqua, secundum illud : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* III, 5).

Secunda, caritas (15) effectus, ut est illud : *Quoniam dilexit mundum* (*Luc.* VII, 4).

Tertia, elimosinarum fructus, secundum hoc : *Sicut aqua extinguit ignem, ita elimosina extinguit peccatum* (16).

Quarta, perfusio lacrimarum, Domino dicente : *Quia flevit in conspectu meo et ambulavit tristis coram me, non ducam malum in diebus ejus* (17).

Quinta, criminum confessio, Psalmista testante : *Dixi Confitebor adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5).

Sexta, adflictio cordis et corporis, apostolo consolante : *Dedi ejusmodi hominem in interitum carnis Satane, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jhesu Christi* (*I Cor.* V, 5).

Septima, emendatio morum, hoc est abrenunciatio vitiorum, Evangelista contestante : *Ecce jam sanus es, noli ultra peccare, ne quid tibi deterius fiat* (*Joan.* V, 14).

Octava, intercessio Sanctorum, uti illud : *Si quis infirmatur, inducat presbyteros ecclesiæ; et orent pro eo, et multum valet apud Deum deprecatio justi assidua* (*Jac.* V, 14).

Nona, misericordia et fidei meritum, ut est hoc : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V, 7).

Decima, conversio et salus alienorum, Jacobo adtestante : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ, salvet animam suam a morte, et operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* V, 20); sed melius est tibi (18) infirmus sis et vitam solitariam ducere, quam perire cum plurimis (19).

Undecima, indulgentia et remissio nostra, Veritate promittente et dicente : *Dimitte et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 37).

Duodecima, passio martyrii spe unica salutis indulgente et latroni crucifixo Deo respondente : *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXXIII, 43). His ergo de canonis auctoritate prolatis, Patrum diffinitionis etiam statuta Domini ore subrogatorum investigare te convenit, secundum illud : *Interroga patrem tuum, et adnuntiabit tibi; presbyteros tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII, 7).

Item (20) causa deferatur ad eos. Statuunt ergo ut octo principalia vitia humane saluti contraria his octo contrariis remediis sanantur. Qui enim inlicita licenter commisit, a licitis licet (21) cohercere se debet. In alio loco : sed hoc in omni penitentia solerter est inducendum; quantum quis tempore in delictis remaneat, qua eruditione imbutus, quali impugnatus (22) passione, quali existat fortitudine, quali videtur affligi lacrimabilitate, quali conpulsus est gravatione peccare; omnipotens etenim Deus, qui cor omnium novit, diversisque naturis (23) indidit, ne qua lentie penitudinis (24) peccaminum pensavit, ut illud propheticum : *Non enim seris* (*Isa.* XXVIII, 27) *triturabitur gith, neque rota plaustri super ciminum circumiit, sed virga excutietur gikit et ciminum;* (25) in baculo autem papis comminuetur, ut est illud : *potentes potenter tormenta pacientur* (*Sap.* VI, 7). Unde quidam sapiens ait : *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur* (26). Discant igitur sacerdotes Domini, qui ecclesiis præsunt, quia pars eis data est cum his, quorum delicta repropiciaverint. Quid est autem repropiciare delictum, nisi cum adsumseris peccatorem, et monendo, hortando, docendo, adduxeris eum ad penitentiam, ab errore correxeris, a vitiis emendaveris, et si feceris cum ei

paucorum est ad purum cuncta cognoscere, et curare, et mederi, atque ad integrum salutis statum revocare; ideo solerter admonemus doctum quemque sacerdotem Christi, ut non ex suo sensu, sed secundum canonum statuta, et traditiones Patrum universa disponat, et contradictionem (*f.* conditionem) utriusque sexus, ætatem, personas, paupertatem, causam, statum cujusque pœnitentiam agentis, ipsumque cor pœnitentis inspiciat; et secundum hæc, ut sibi visum fuerit, ut sapiens medicus singula quæque dijudicet. »

(11) Leg., *ad quæ integrum salutis statum debeant revocare.*

(12) Add., *Et* juxta.

(13) Hinc emendari possunt, quæ obscurissima sunt apud Martenium.

(14) l. *baptizamur.*

(15) l. *Charitatis.*

(16) In Vulgata Eccli III, 33, ita legimus : *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.*

(17) Respexisse videtur auctor anonymus ad *IV Reg.* XXII, 19, 20, ubi ad Josiam regem *Juda* dicitur : « Perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino — et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus : Idcirco colligam te ad patres tuos — ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum. » Certe alibi laudata verba non occurrunt in S. Scriptura.

(18) Add. *ut.*

(19) Hinc colligere pronum est præsentem canonum pœnitentialium collectionem inscriptam esse monacho.

(20) Collect. antiq. cit., *iterum.*

(21) *licet* deleatur.

(22) ib., *impugnatur.*

(23) ib., *diversasque naturas.*

(24) ib., *non æqualentiæ pœnitudinis*, etc. i. e. non æqualem pro omnibus peccatis pœnitentiam, sed pro diversis diversam, pro majoribus majorem, pro minoribus minorem, pro singulis congruam exigit, ut ex decursu patet.

(25) *Serris.*

(26) S. Bened. *Reg.* cap. 2.

talem conversum, propicius sit Deus pro delicto repropiciasse diceris (27). Cum ergo talis sis sacerdos, et talis sit doctrina tua (28), pars tibi datur eorum, quos correxeris, ut illorum meritum tua sit merces, et illorum salus tua gloria sempiterna.

Incipit excarpsus de aliis pluribus pœnitentiis et canonibus de vitiis gule et ebrietate vel vomitu. Et discretione ciborum mundis et inmundis inventis,

Si quis episcopus et alius ordinatus in consuetudine vitium abuerit ebrietatis, aut desinat, aut deponatur. Si monachus per ebrietatem vomitum facit, XXX dies peniteat. Si presbyter aut diaconus, XL dies peniteat. Si vero pro infirmitate et quo (29) longo tempore se abstinuerit, et in consuetudine non erat ei multum bibere vel manducare, aut præ gaudio in Natale Domini, aut in Pascha, aut pro alicujus Sanctorum commemoratione faciebat (30), tunc plus non accepit, quam decretum est a senioribus, nihil nocet. Si episcopus jusserit, non nocet, nisi ille similiter faciat. Si laicus fidelis per ebrietatem vomitum facit XII dies pen. Sacerdos in ebriet. per ignorantiam VII dies pen. Si per contemptum XL dies peniteat. Diaconus et monachus IIII ebdomades : subdiaconus acolitus III, clerici II, laici eb'omades (31) peniteant. Qui cogit hominem, ut inebrietur humanitatis injustæ gratia, ut ebriosus peniteat; si per odium, ut homicida judicetur (32). Qui psallere non potest stupens in linguis (33) superponat (34). Qui anticipat orationem canonicam et suaviorem (35) cæteris sumit gulæ tantum obtentu, a cœna careat, vel duos dies in pane et aqua. Qui superflua ventris distentione doloremque saturitate sentit I diem : si autem ad vomitum sine infirmitate VII dies. Si sacrificium evomerit XL peniteat, si infirmitatis causa VII dies. Si in ignem projecit C psalmos cantet : si vero canis lambuerit talem vomitum, qui evomuit, centum dies peniteat. Qui furatur cibum XL dies peniteat : si iterum III XLmas : si tertio, annum peniteat : si vero IIIIto jugi exilio sub alio abbate peniteat. Qui manducat carnem inmundam, aut morticinam, aut dilaceratam a bestiis, XL dies peniteat, si necessitas cogit, nihil est; et si pro necessitate manducat animal, qui inmundum videtur, vel avem vel bestiam, non nocet; qui casu quis inmunda manu cibum tangit, vel canis vel pilax, aut animal inmundum sanguinem edit, non nocet (36). Qui sanguinem (37) vel quocunque inmundo polluetur, si nescit, qui manducat, nihil est; si autem scit, peniteat juxta modum pollutionis. Qui sanguinem aut semen biberit, III annos peniteat. Si aves stercorant in quacunque ligore, tollatur ab eo stercus, et sanctificetur aqua, et mundus erit cibus. Si ceciderit sorix in ligore, tollatur foras, et hoc potum aspergatur aqua sanctificata, et sumatur, si vivens sit, si mortua inventa fuerit, projiciatur foras et mundetur vas. Animalia, que a lupis seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi forte ab hominibus adhuc viva occidantur prius, sed porcis et canibus dentur; nec cervus nec capra si mortui fuerint; aves vero, et animalia cetera, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda ab hominibus; nec si accipiter oppresserit, si mortui inveniuntur; quia IIII capitula Actus apostolorum precipiunt abstinere a fornicatione et sanguine et suffocato et idulatria. Pisces licet comedere, quia alterius naturæ sunt. Equum non prohibet, tamen consuetudo non est. Leporem licet comedere. Apes si occident hominem, ipsa quoque occi. . . . . (38) festinanter, mel tamen manducetur. Si casu porci vel gallinæ sanguinem hominis comedunt, non habiciendos credimus, sed manducantur; sed quia cadavera mortuorum lacerantes manducaverint, carnem eorum manducare non licet, usque dum macerentur, et post anni circulum. Animalia coitu hominum polluta occidantur, carnesque canibus proiciantur, sed quod genuerant, sint in usum, et coria adsument; (39) ubi autem est dubium, non occidantur. Infirmis licet omni hora cibum sumere et potum, quando desiderant vel possunt; si oportunum non possunt (40) qui ederit aliquos ligores, in quo fuerit multila (41) vel mortua invenitur, III. superpositi, (42) peniteat. Si in farina aut in aliquo siccato

(27) In edit., *Et feceris eum, ut ei taliter conversa propitius sit Deus?*

(28) In ed. additur : *Et sermo tuus.*

(29) In libello de remediis peccatorum apud Martenium (Thesaur. nov. anec. t. IV, col. 21) legitur : *vel quia.*

(30) l. c. *Et tunc.*

(31) l., hebdomadem. Nam septem dierum pœnitentia laico ob eamdem culpam injungitur in collect. antiq. cit.

(32) In excerptis ex libro Davidis inter canones *Hibernenses* l. c. col. 10. « qui vero affectu odii seu luxuriæ, ut turpiter confundat, vel irrideat, ad ebrietatem alios cogit, si non satis pœnituerit, sic pœniteat, ut homicida animarum. »

(33) *Elinguis.*

(34) i. e. *jejunet.* Sic Gilda can. 6 de pœnit. (apud Mart. l. c. col. 7.) « Si monachus exundante ventre evomuerit sacrificium in die : cœnam suam non præsumat. Et si non infirmitatis causa, 7 superpositionibus : si infirmitatis, et non voracitatis causa, 4 superpositionibus deleat culpam, » etc. Et mox can. 7 : « Si quis autem ebrietatis causa psallere non potest stupens elinguis : cœna privatur. »

(35) *Suaviora*, ut habet lib. cit. de remed. peccat.

(36) Hic canon in libello de remed. peccat. ita refertur ex Theodoro *Cantuariensi* : « Quod si casu quis immunda manu cibum tangit, vel canis, vel pilax, vel mus, vel immundum animal, quod sanguinem biberit, non nocet. » Sed etiam in hoc ipso canone pro primo quartus casus legendus est, *canem*, etc. Est vero pilax Martenio cattus murilegus.

(37) l., Sanguine.

(38) Theod. *Cant.* canon inter *Hibern.* « Festinanter occidendi sunt. »

(39) Clarius in antiq. collect. can. pœnit. (apud Marten. l. c. col. 41. init.) *sed coria assumantur.*

(40) Supple : *manducare.*

(41) *Mustella.*

(42) Superpositionibus.

cibo aut pultato coaculato vel lacte iste inveniantur bestiole, quod si circa corpora eorum foris proiciantur; (43) omne reliquum sana sumatur fide. Si sanguinem sine voluntate de dentibus biberit, id est cum saliva, non est peccatum. Si quis venationes aliquas quocunque exerceat, si clericus anno I, si diaconus II. si sacerdos III peniteat. Catecumeni manducare non debent cum baptizatis, neque gentiles. Uxor que sanguinem viri proredium (44) gustaverit, XL peniteat. Sic et illa, que semen viri sui in cibum miscens, ut inde plus amatores accipiat, (45) III annos peniteat. Qui contemto indicto jejunio in Ecclesia, et contra decreta seniorum fecerit, sine XL. ma XL. dies peniteat; si autem in XLma annum peniteat, si frequenter fecerit, et consuetudinem habuerit, exterminabitur ab Ecclesia, Domino dicente : Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, et reliqua, etc. si infra XLmam, annum peniteat. Qui de sui comedens corporis cute, vel scabie sive vermiculo, qui peducle (46) nuncupantur : suam nec non bibens urinam, stercorave comedens, cum impositione manuum Episcopi annum integrum cum pane et aqua peniteat.

De Fornicat. et reliq. ingenita luxoriandi vel immunditiis puerilibus.

Episcopi, presbyteri, diaconi fornicationem facientes degradari debent, et penitere, judicio episcopi tamen communicent. De sodomitis, Episcopi XIII. annos peniteant, prbr. XII. diac. VIII. subdiac. III. Clerici VI. Laici V. annos peniteant. et nunquam cum alio dormiat. Frater cum fratre naturali fornicatione per commixtionem carnis XV. an. peniteat, ab omni carne se abstineat, si semen in os miserit, septem an. penit. alii dicunt usque ad finem vitæ. Viri inter femora fornicantes primo annum peniteat, si iterans vero inter crura fornicantes, si pueri sint anni II. si viri anni III. si autem in consuetudinem vertunt, et modus penitentie addatur judicio sacerdoti. (47) Vir semetipsum coinquinans, primo C. dies, et si iterans, annum; si cum gradu est, addatur penit. per XII. annorum XL. dies. Qui concupiscit in te (48) fornicare sed non potuit, annua peniteat, maxime in III. XLmis. Qui per turpiloquium, vel aspectu coinquinatus est, tamen non voluit fornicari corporaliter XX. vel XL. dies peniteat. Si autem in cogitationes violenter (49) coinquinatus est, VII. dies peniteat. Qui diu inluditur a cogitatione, tepidus ei repugnans III. vel II. vel plurimos dies; qui tantum exegerit, diturnitas cogitationis peniteat. (50) Pueri qui fornicantur inter semetipsos, judicavit (51) ut fabulenter (52); pueri soli sermocinantes et transgredientes statuta seniorum, insuper post emendent osculum simplicum facientes VI. suppos. Inlecebrosum osculum sine coinquinamentum VIII. cum quo inquinamento sine amplexu X. pos. (53) Post annum XX. id est adulti item (54) committentes XL. dies separati a mensa extorresque ab Ecclesia cum pane et aqua; minimi vero fornicatione imitentes se invicem, (55) sed inquinati non sunt propter ætatis maturitatem XX. dies. Si vero frequenter XL. dies. Pueri ante XX. annos se invicem manibus coinquinantes, et confessi antequam communicent XX. dies; si iteraverint post penitentiam C. dies. Si vero frequentius, separentur et annum peniteant. Puer oppressus a majore infra X. annos, ebdomadem jejunat. Qui consentit, XL. dies. Molles unum annum peniteant. Qui in somnis voluntate pollutus est, surgat, canatque genuflectendo VII. psalm. in crastino in pane et aqua, vel XXX. psalmos flectendo in fine unumquemque canat gloria Patri. Volens quasi in somno peccare, sive pollutus est sine voluntate, XII. psalmos cantet, et super uniuscujusque psalmi dicat ter Deus in adjutorium meum. Qui semen in ecclesia dormiens fuderit, III. dies jejunet, peccans non pollutus XXIIII. psalm. cantet. Episcopus faciens fornicationem, degradare debent, sive septem aut XII. annos penit. Presbyter, aut diaconus fornicationem naturalem faciens (56) prolato ante monachi votum (57) III. annos peniteat, veniam omni hora roget; superposito (58) faciat in unaquaque hebdomada, exceptis quinquagesimis, post superpositionem (59) panem sine mensura utatur, et fercuio aliquatenus butero inpinquato, hoc est quadrante, et die dominica sic vivat : ceteris vero diebus taxati panis mensura et

(43) In pœnit. *Rom.* Halitg. apud Canisium Lect. antiq. t. II, P. II ed. Basnag. p. 158, occurrit canon haud multum absimilis, ubi melius : « Quod circa corpora earum est, projiciatur. »

(44) In collect. antiq. l. c. col. 52, *pro remedio.*

(45) l., c. *ut inde plus ejus amorem accipiat.*

(46) *Pediculi.*

(47) *Sacerdotis.*

(48) Pro *in te* legitur in lib. De remed. peccat. melius *mente.*

(49) l. e., ex imaginatione vehementi. Hic canon in collect. antiq. his verbis refertur : « Qui impugnatione mentis violenter coinquinatus est, 7 dies pœniteat, vel quousque cogitatio vincitur »

(50) i. e., qui tantum temporis in pœnitentia exegerit, quin tamen vicerit tentationem, tandiu pœniteat, quandiu turpi cogitatione impugnatur, ut habetur in can. mox laud.

(51) Forte subint. *canon*

(52) *vapulent.*

(53) Locus integer in pœnitentiali *Romano* ab Halitgario ep. *Cameracensi* descripto tit. 9 *de minutis causis*, ita habet : « Pueri soli sermocinantes et transgredientes instituta seniorum, tribus superpositionibus emendentur. Osculum simpliciter facientes septem superpositiones (*l.*, superpositionibus). Illecebrosum osculum sine inquinamento, 8 superpositiones : cum inquinamento autem sive amplexu, 15 superpositionibus corrigantur. » Apud Morinum de pœnit. p. 567. ed. *Venet.* 1702.

(54) l., *idem.*

(55) l., fornicationem imitantes in se invicem.

(56) Gilda addit in sua præf. de pœnit. n. 1, *sive sodomitam.*

(57) l., *voto.*

(58) l., Superpositionem.

(59) Apud Gildam l. c. *exceptis* 4, *diebus post pass.*

misso parvo inpinguato horto oleris, (60) ovis paucis, formatico imina lactis per flagilitatem corporalem tennicula vel pabtuto lactis sestario pro sitis gratia et aquatili potu, si operarius est, lectumque non multo fœno habeat instrati per III. quadragesimæ annos addat aliquid prout virtus ejus admiserit, semper ex intimo cordis deffleat culpam suam, obedientie quæ omnibus libentissime excipiat post annum et dimidium eucharistiam sumat et ad pacem veniat; psalmos cum fratribus canat, ne penitus anima tanto tempore cœlestis medicina (61) jejuna intereat; (62) si inferiore gradu prius quis monachus, III. quidem annos peniteat, sed mensura non gravetur panis, si operarius est, sextario de lacte romane et alio tenucla et aqua, quantum sufficit pro sitis ardore sumat. Si vero sine voto monachi presbyt. aut diac. si (63) peccaverit, sicut monachus sine gradu peniteat, et postea recipiat gradus suos, (64) si autem presbyter aut diaconus post tale peccatum voluerit monachus fieri in districto proposito ex illi I. annum et dimidio peniteat. habet tamen abbas hujus rei modorandi facultatem, si obedientia ejus placita sit Deo et Abbati suo.

De adulterio, et raptos et incestos, et uxores dimissas : inlicita tempora nubendi, vel cum pecoribus; et qui, postquam se Deo voverit, ad seculum rediit, vota stulta.

Si quis adulterium commiserit, id est, cum uxore aliena, aut sponsam vel virginem corrumperit, aut sanctemonialem aut Deo dicatam, laici III annos peniteant, unum ex his in pane et aqua; si clericus V, II in pane et aqua. Diaconus et Monachi VII, III ex his in pane et aqua. Presbyter X. Episcopus XII, V ex iis in pane et aqua. Si clericus superioris gradus, qui uxorem habuit, et post confessionem vel honorem clericatus iterum eam cognoverit, sciat sibi adulterium commisisse, sicut superiore sententia unusquisque juxta ordine suo peniteat. Si quis concupiscit mulierem alienam, et non potens peccare cum ea, aut non vult eum suscipere mulier, si laicus XL dies, si clericus aut monachus annum peniteat : medium in pane et aqua; si diaconus II. Presbyter III. Si quis clericus aut monachus, postquam se devoverit (65) ad sæcularem habitum iterum reversus fuerit, aut uxorem duxerit, X annos peniteat; III ex his in pane et aqua, nunquam postea in conjugium copuletur; quod si noluerit, sancta sinodus, vel sedes apostolica separabit eos a communione et convivio catholicorum; similiter et mulier postquam se Deo voverit, si tales scelos admiserit, pari sententia subjacebit. Si presbyter vel diaconus uxorem extraneam duxerit, in conscientia populi deponatur. Si quis adulterium perpetraverit cum illa, et in conscientiam advenit populis, deponatur, projiciatur extra ecclesiam, et peniteat inter laicos, quamdiu vixerit. Si quis cum matre fornicaverit, XII annos peniteat : et nunquam mutet, nisi in die Dominico. Qui cum sorore, hoc modo XII annos jejunet.

Canones Anchoritæ (66). *De incestis* (67).

Si quis more pecorum cum propinquo sanguine incesti commixti sunt ante XX etatis suæ annum, X annis deinde peniteat; exacti oratione tantum incipiant communicare; post XX vero annos communionem cum oblatione suscipiantur; discutiatur

(60) Gilda l. c. *Et misoclo parvum impinguato. Horti oleribus, ovis paucis, britannico formello utatur. Himina Romano lactis pro fragilitate corporis istius ævi. Tenuclæ vero vel Balbutæ lactis sextario Romano sitis gratia et aquæ talimpulo, si operarius est. Lectum non multo feno instructum habeat. Par III quadragesimas superaddat aliquid prout virtus admiserit, semper ex intimo corde defleat culpam suam. Obedientiam pro omnibus libentissime excipiat. Post*, etc.

(61) *Medicinæ.*

(62) Apud Gildam l. c. n. 2 : « Si quis inferiore gradu positus monachus 3 annis pœniteat : sed mensura gravetur panis. Si operarius, sextarium de lacte *Romanum*, et alium de tenucla, et aquam quantum sufficiat pro sitis ardore sumat. »

(63) *Si*, redundat.

(64) Hæc verba, *et postea recipiat gradus suos*, apud Gildam non comparent. Palam hinc fit, circa sæc. VIII et IX, quo scriptus est hic codex, unde canones pœnitentiales excerpsimus, non defuisse, qui tenuerint, licere clericis in peccatum carnale prolapsis post peractam pœnitentiam ad suos redire gradus. Contrariam tunc universim disciplinam obtinuisse probandum sumpsit eminent. cardinalis De Aguirre prolixa dissertatione in concilium *Toletan.* X, nuper typis nostris cum aliis illustrissimorum virorum eruditissimis lucubrationibus de administrando sacramento pœnitentiæ recusa. Fortene in *Anglia* aut *Hibernia*, quorum populi regnorum serius ad fidem conversi sunt, alia obtinuit disciplina, episcopis aliquid remittentibus de antiquo rigore? Canones pœnitentiales, quos hic edimus, maximam partem ex conciliis *Angliæ* et *Hiberniæ* esse depromptos, ex notis hinc inde a nobis adjectis palam fit; codex vero, quo continentur, abbatiæ *Reinaugiensis*, eo forte delatus est a S. Findano, qui post initia sæc. IX ex *Hiberniæ* provincia *Langeniensi* profectus, postquam *Turonis* S. Martinum adisset, ac *Franciam* et *Alemanniam* peragrasset atque *Italiam*, ubi beatorum apostolorum limina atque urbis loca sacra lustravit, redux tandem *Rhinaugiam* se recepit, serius quam putat Mabillonius. Annal. l. XXVI, t. II, p. 351. Sacramentarium tamen cui præmittitur hoc pœnitentiale ad usum regni *Francici* comparatum est, una manu exaratum characteribus ad *Merovingicos* accedentibus. In *Germania* nostra spem clericis lapsis ad pristinum gradum redeundi fuisse conservatam sæc. VIII dubitari potest; cum in Gregorii II epistola canonica ad S. Bonifacium *Mogunt.* cap. III legamus presbyterum de crimine accusatum, sed non convictum, manere in proprio gradu posse; atque in concilio quodam *Germaniæ* ejusdem S. Bonifacii auctoritate an. 742, celebrato can. 6 clerici et monachi in crimen fornicationis prolapsi ad severam quidem condemnantur pœnitentiam, quin tamen vestigium appareat restitutionis in priorem dignitatis gradum.

(65) In antiq. collect. cit. *Deo voverit.*

(66) L., De canonibus Ancyranis.

(67) Plenior inscriptio habetur in collect. antiq. can. pœnit. (t. I Spicileg. Luc. d'Acherii, p. 525, nov. ed. fol.) nempe : « De his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, vel si qui cum propinquis junguntur, aut cum masculis polluuntur. » In ipso tamen canone l. c. subjecto neque de incestu, neque de sodomia quidquam sta-

autem et vita eorum, qui fuerit tempore penitentiæ, et ita hanc humanitatem consequantur : quodsi abusi sunt hoc crimine, prolixiore tempore XX etate ut uxores habentes hoc crimen inciderint, XXV an. peniteat, penitentia acta ad communionem orationum permittantur. Et ita post alium quinquennium ad plenam communionem cum oblatione suscipiantur. Quodsi aliqui uxores habentes, et post etatis suæ annum in hoc prolapsi sunt, ad exitum vitæ tantum communionem mereantur. Si quis nupserit cum muliere sua retro, XL dies peniteat primo : aut si in terga nupserit, sic peniteat, quomodo de animal (68). Si quis menstruo tempore coierit cum muliere, XL dies peniteat. Mulieres menstruo tempore non intrent in ecclesiam, neque communicent, nec sanctemoniales nec laicate (69), si præsumant, III ebdomades peniteant. Similiter penit. qui (70) in ecclesia ante mundum sanguinis partum, id est, XL dies. Qui nupserit et his temporibus, XX dies peniteat (71). Qui nubet die Dom. III dies penit. (72). Qui in matrimonio est, quadragesimis anni et in sabbatis et dominicis nocte diei et in diebus plurimis maxime III dies peniteat, antequam communicent, et concepto semine usque ad modum sanguinem consumendi, et menstruum tempore continens fieri debet (73). Bigamus peniteat I annum. III et VI feria et in IH XLmis abstineat se a carnibus, non dimittat tamen uxorem ; Trigamus ut superius, id est in quarto vel quinto (74) vel plus. VII ann. peniteat in quarta et in VI feria, et in XL mis abstineat se a carnibus, tuitur. Ad levandam obscuritatem, cui involutus est canon codicis nostri atque explendas lacunas, quas librarii oscitantia aperuit, interpretationem Isidori Mercat. hic ascribere visum est, qui canonem 15 qui ipsi 16 est, concilii *Ancyrani* ita reddidit : « Quotquot igitur ante vigesimum annum tale crimen admiserint, quindecim annis in pœnitentia peractis orationi tantum incipiant communicare, et quinquennium alterum in communione orationis solius perdurantes, post vigesimum cum oblatione ad communionem suscipiantur tunc demum. Discutiatur autem et vita eorum, qualis fuerit tempore pœnitentiæ ; et juxta hanc, humanitatem consequantur. Quod si quis perseverantius abusus fuerit hoc crimine, hic prolixius tempus, viginti annorum pœnitentiam, suscipiat. Qui vero exacta viginti annorum ætate, et uxores habentes, in hoc crimen inciderunt, post viginti et quinque annos pœnitentia acta, ad communionem orationum admittantur. In qua communione orationum altero quinquennio perdurantes, ad plenam communionem cum oblatione suscipiantur. Quod si aliqui et uxores habentes, et excedentes quinquagesimum ætatis suæ annum in hoc prolapsi sunt scelere, ad exitum tantum vitæ communionem mereantur. »

(68) Canon integer in antiq. collect. Marten. l. c. col. 52, is est : « Si vir cum muliere sua retro nupserit, pœniteat quomodo de animalibus, id est, si consuetudine erit, 3 annos. Si vero in tergo nupserit, et consuetudo erit, 7 annos pœniteat. »

(69) Martenii codex habet *Letatæ*, cujus loco legendum putavit vir doctus *velatæ*. Sed canon est 36 ex capitulis Theodori Cant. t. I, spicileg. ed. fol. p. 487. Unde sic restituitur : « nec *laicæ* . . . Similiter pœniteant, quæ intrant Ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, id est, 40 diebus. »

(70) Suppl. ex Mart. l. c. col. 53 *intrat*.

(71) Canon mutilus ita restituendus : « Mulier abs-

A non separentur tamen, Basilius hoc judicavit, in canones autem IIII ann. In quinta generatione conjunguntur, quarta si inventa fuerit, non separentur. In tertia tamen propinquitate non licet uxorem accipere post obitum ejus (75). Equaliter vir conjungitur in matrimonio eis, qui sibi consanguinei sunt, et uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris. Duo quoque fratres duas sorores in conjugio possunt habere, et pater filiusque matrem et filiam. Si laicus fornicaverit cum vidua, II an. penit. reddito tamen humiliationis pretio parentibus ejus ; si uxorem non habet, si voluntas parentibus eorum est, ipsa sit uxor ejus ; ita annum V peniteant ambo. Si quis laicus cum jumento fornicaverit, II annos peniteat, si uxorem habet ; si non habet, I annum. Si clericus

B II, diaconus III, presbyter V, duos ex his in pane et aqua ; si clericus semel fornicans annum I peniteat in pane et aqua ; si genuerit filium VII annos peniteat exul, sic et virgo. Qui dimiserit uxorem suam, aliter conjungens se, VII an. peniteat cum tribulatione vel XII levius. Si ab aliquo sua discesserit uxor, et iterum reversa fuerit, suscipiet eam et ipse annum unum cum pane et aqua peniteat, vel si ipse aliam duxerit. Si quis intrat ad ancillam suam, venundet eam, et annum I peniteat. Si genuerit filium ex ea, libera eam (76) dimittet. Mulier adultera IIII annos peniteat. Mulier vero (77) seipsa coitum habens III annos peniteat. Mulieres qui fornicantur, et partus suos negant, sed de his quæ agant secum ut uterus con-

C ceptos discutiant, X annos peniteat (78). Si mulier tineat se a viro 3 mens. quando concepta est, antequam pariat, et post partum 40 dies. Qui autem nupserit his diebus, 40 dies pœniteat, vel 30 vel 20. » v. Mart. l. c., col. 52.

(72) Theod. *Cant.* « Qui nubet Dominico, petat a Deo indulgentiam, et 2 vel 3 diebus pœniteat. » *Nubere* hic non pro cæremoniis nuptialibus, sed pro concubitu maritali accipiendum esse, contextus suadet.

(73) Œlipus sit, qui ex canone hoc sanum sensum eliciat. Videtur tamen idem esse, qui in collect. antiq. apud Mart. l. c. col. 52 ita legitur : « Qui in matrimonio sunt, abstineant se in 3 quadragesimis, et in Dominica nocte, et in sabbato et fer. 4 et 6 quæ legitimæ sunt, et 3 noctes abstineant se antequam communicent. » Additur ib. « Qui in Quadragesima ante Pascha cognoscit mulierem suam, annum unum pœniteat. » Pars posterior canonis

D nostri de vitanda familiaritate mulieris menstruatæ l. c. in lib. De remed. peccat. col. 24 his verbis exprimitur : « Qui menstruo tempore coierit, 20 dies pœniteat. »

(74) l. *Sexto*.

(75) Undecunque ascitus sit hic canon, patet saltem antiquiorem esse iis quos laudavit Gratianus C. XXXV, Q. II, ubi can. 16, 17, 18, 19, 21, consanguinitas in gradibus remotioribus impedimentum matrimonii dirimens statuitur.

(76) l. liberam.

(77) In collect. antiq. additur *cum*.

(78) Integer canon *Ancyranus*, qui Isidoro est vigesimus primus, ex ejusdem interpretatione ita habet : « De mulieribus quæ fornicantur, et partus suos necant ; sed et de his quæ agunt secum, ut utero conceptos exentiant, antiqua quidem definitio est, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removeri. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem an-

cum muliere (79) III annos penit. Si quis maritus, vel si quæ mulier votum habens virginitatis adjungitur uxori (80), postea non dimittat uxorem, sed peniteat tres (81) annos; vota stulta frangenda sunt, et inportabilia. Mulieri non liceat votum vovere sine licentia viri: sed si voluerit (82) dimitti potest, et peniteat judicio sacerdotis. (83) Sacerdos, si osculatus est per (84) fœminam per desiderium, XX. dies peniteat; si per osculum vel tangendo coinquinatus fuerit XL dies peniteat. Si per cogitationem semen fuderit, VII. dies peniteat. Mulier si duobus fratribus nupserit, abici eam debere usque in diem mortis reconciliari oportet: ita tamen, ut si forte sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto ad penitentiam admittatur; Quodsi defuncta fuerit mulier hujusmodi consortio constituta difficilis erit penitentia remanenti: quam sententiam tam viri quam mulieres tenere debent (85). Puellæ quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias diligunt, prævaricantur etiamsi consecratio non accessit, cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

De furto et incendio, et sepulcrorum violatores, qui patrem expul. et de preda in hoste et captivitate et fortia, vel qui martirio dispoliat.

Pecunia ecclesiastica furata sive rapta reddatur quadruplum, popularia dupliciter. Si quis aliquid de ministerio sanctæ ecclesiæ furaverit, aut neglexerit VII. annos peniteat: III. ex his in pane et aqua, et reddat integrum quod abstulit. Si quis furtum fecerit, si puer, XL. diebus, ut etas, et qualitas eruditionis: Laici annum I. Clericus II. subdiaconus III. diaconus IV. presbiter V. episcopus VI. annos peniteat. Si laicus semel furtum fecerit, reddat quod furavit, et in XLmis cum pane et aqua peniteat: si sæpius fecerit, et non habet, unde reddat, annos II. in pane et aqua peniteat, et aliis quadragesimis, et sic postea in pasca reconcilietur.

Qui sepe furtum faciebat, VII. annos peniteat, vel ut sacerdos judicat, juxta quod conponi potest, quibus nocuit: et semper debet reconciliare, quem offendebat, et restituere juxta quod ei nocuit, et multum post juvabit penitentia ejus: si vero noluerit, aut non potest constitutam temporis per omnia, (86) puer annorum X. aliquid furti comedens (87) VII. dies peniteat. Qui furatur cybum XL. dies peniteat. si iterum III. quadragesimas: si tertio, annum peniteat: si quarto, jugi exilio sub alio abbate peniteat. Si laicus monachum furtum duxerit (88) aut intret in monasterio Deo servire, vel humanum subeat servitium. Si quis servum aut quemcunque hominem quolibet ingenio in captivitate duxerit, aut transmiserit, III. annos in pane et aqua. Si quis patri vel matri expulserit, impius vel sacrilegus judicandus est, et peniteat equali tempore, quamdiu (89) impietate exteteret. Qui præbent ducatum barbaris, si basilicas incenderent, et si clericum sive sanctemonialem bonos occiderint et innocentes ab ecclesia traxerint, ductor XIIII. annos peniteat (90), pecuniaque in aliena provincia ab hoste rapta fuerit, id est rege alio superato, tertia pars ad ecclesiam tribuatur vel pauperibus, quod jussio regis erat dies XL. peniteat. Si quis domum vel aream cujuscumque igne conremaverit, III. annos penit. unum ex his in pane et aqua.

De periurio et falso testimonio et mendacio.

Si quis periurium fecerit, laici III. annos, clerici V. subdiac VI. diaconi VII. presbit. X. episcopi XII (91). Qui periurium fecerit in ecclesia XI. annos peniteat. Si in manu episcopi aut presbiteri vel diaconi, seu in altari vel in cruce consecrata mentitus est (92) III. annos peniteat. Si in cruce non consecrata, unum annum peniteat. Si quis laicus per cupiditate periurat, totas res suas vendat, et donet pauperibus, et conversus in ministerio usque ad mortem serviat Deo. Si autem non per cupidita-

porum tempus pœnitentiæ tribuatur. »

(79) In collect. antiq. « Si mulier cum muliere, annos 3, id est, si mulier quæ se more fornicatoris ad alteram conjunxerit, 3 annos sicut fornicator pœniteat. »

(80) l. c., col. 47, melius *matrimonio postea non dimittat illud.*

(81) l. c. *quatuor.*

(82) l. c. *voverit.*

(83) Sequentia verba: « Vota stulta frangenda sunt et importabilia..... Et pœniteat judicio sacerdotis » omnino desunt apud Martenium.

(84) Omitt. *per.*

(85) Canon 2 conc. *Neocæsareensis* ex interpretatione Isidori ejusmodi est: « Mulier si duobus nupserit fratribus, abjiciatur usque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis suis sacramentis reconciliari oporteat; ita tamen, ut si forte sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur. Quod si defuncta fuerit mulier in hujusmodi consortio constituta, difficilis erit pœnitentia remanenti. Qua sententia tam viri quam mulieres teneri debebunt. »

(86) Add. exsequi, pœnitentiam ipsemet augeat. Sic in collect. Antiq. cit. col. 42: « Qui furtum commiserit, et non composuit illis quibus nocuit;... debet illis aut propria reddere, vel componere. Si vero non habuerit substantiam unde componere potest, vel nescierit, quibus nocuerit, plus augeat pœnitentiam. »

(87) l. committens.

(88) l. *furto abduxerit.*

(89) l. *in impietate exstiterit.*

(90) Hic canon in duo capitula divisus apud Luc. d'Achery (Spicileg. f. I in fol., inter Capit. select. can. Hib. lib. LVII, p. 506) ita legitur: « Cap. II de Pœnitentia ducentium barbaros. Synodus Hibernensis ait: Qui præbet ducatum barbaris 14 annis pœniteat; barbarus, id est, alienus. Quis est alienus, nisi qui more crudeli et immani cunctos prosternit? Cap. III de Jure quo judicant senatores, 14 annos pœnitentiæ ductorum. Synodus Hibernensis ait: 14 annos hac de causa nancti sunt (*f.* sanxerunt) senatores, si basilicas episcoporum incenderint, vel si hominem religiosum sive sanctimonialem occiderint, vel prostraverint, sive innocentes de ecclesia subtraxerint; ductor 7 annos sui causa, 7 annos alios causa ductorum pœniteat. »

(91) Ita etiam in Pœnit. *Rom.*, Halitg. *de Perjurio*, verbis tantum transpositis.

(92) In collect. antiq. Mart. l. c., col. 42, *et mentitus est,*

tem mortis periculum incurrit, III. annos inermis exul in pane et aqua penit. et duos abstineat se a vino et carnibus, et dimittat pro se servum aut ancillam ingenuam et per II. annos elemosinam faciat, et post IIII. annos ad judicium sacerdotis communicet; qui vero necessitate coactus sit, III. quadragesimis. Qui ductus est in periurio ignorans, et postea recognoscit, annum peniteat; qui vero suspicatur, quod periurio ducitur, tamen iurat per consensum, II. annos peniteat. Pro falso testimonio laici unum annum, clericus II. subdiaconus III. diaconus IIII. presbiter V. episcopus VI. annos penit. Falsum testimonium dicens placeat proximo (93) suo primo, quale fratri imposuit, tali judicio damnetur judicio sacerdotis. Mendax vero per ignorantiam et non nocuit, confiteatur ei, cui mentitus est, et sacerdoti, hora tacendi damnetur, vel XII. psalm. cantet. Si vero de industria, III. dies tacendi vel XXX. si potest (94). Mendax per cupiditatem, placeat largitate ei, cui fraustravit.

De homicidio et sanguinis effusione sine morte, et qui parvulos oppressos hic qui sine baptismo moriuntur, et abortus, et qui membra sua abscindunt, et qui præbent ducatum Barbaris.

Canones Anchonitani (95).

Qui voluntarie homicidium fecerint, ad penitentiam se jugiter submittant, circa exitum autem vitæ communione digni habeantur. Qui non voluntate sed casu homicidium perpetratur, V. annos peniteat (96). Mulieres qui fornicantur, et partus suos negant, et eas que agunt ut uteros conceptos excutiant, antiqui Patres instituerunt usque ad exitum vitæ, nunc humanius adfinitum est, X. annos peniteant. (97) Si quis occiderit monachum vel clericum, arma relinquat et Deo serviat, vel VII. annos peniteat. Qui autem episcopum vel presbiterum occiderit, regis judicium est de eo. Si laicus alium occiderit odii meditatione (98) si non vult arma relinquere, VII. annos peniteat sine carne et vino. Qui hocciderit hominem XL. dies absteneat se ab ecclesia, et postea superscriptam penitentiam agat. Qui jussione Domini sui hominem hocciderit, XL. dies peniteat; et qui hocciderit hominem in publico bello, cum rege XL. dies penit. si per poculum vel per artem aliquam malam, VII. annos peniteat, aut plus. Si mater filium suum hoc-

A

B

C

D

ciderit, XII. (99) annos peniteat, et nunquam mutet, nisi die Dominico. Mulier pauperrima IIII. annos peniteat (100). Mulier si occiderit filium suum in utero ante XL. dies, annum I. peniteat; si vero XL. dies a conceptione, ut homicida peniteat III. annos. Si quis clericus homicidium fecerit, X. annos penit. exul, III. ex his in pane et aqua. Si quis homicidium casu fecerit non volens, V. annos penit. III. ex his in pane et aqua. Si ad homicidium consenserit, et factum fuerit, VII. annos peniteat. Si voluerit et non potuerit, III. annos penit. Si quis homocidium fecerit, laici III. Clericus V. Subdiaconus VI. Diaconus VII. Presbiterus X. Episcopus XII. annos peniteat. Si laicus proximum suum occiderit V. annos exul penit. Si quis alium percusserit et sanguinem effuderit, X. dies in pane et aqua; si dicam septem menses, presbiter I. annum peniteat (101). Cujus parvulus in negligentia sine baptismo mortuus fuerit, III. annos. I. ex his in pane et aqua (102). Si laici infantes suum obpresserint, annum I. in pane et aqua penit. et II. a vino et carne, et abstineat se ab uxore tempore penitentiæ. Si mulier abortum fecerit voluntarie III. annos in pane et aqua penit. Qui per rixam ictum (103) debilem vel deformem hominem fecerit, reddat inpensis medicæ (104) et egritudine restituat, et medio anno in pane et aqua peniteat; si non habuerit, unde reddat, unum annum peniteat. Si laicus per scandalum sanguinem effuderit, reddat ill. tantum quantum nocuit, et si non habeat, unde reddat, solvet opera proximi sui, quamdiu ille infirmus est: et peniteat XL. dies in pane et aqua. Qui ictum proximo dederit et non nocuit, I. vel II. vel III. quadragesim. in pane et aqua peniteat. Si clericus, annum vel dimidium. Si quis quodlibet membrum voluntate truncaverit III. annos. I. ex his in pane et aqua. Parvoli invicem percutientes VII. dies. Si vero adolescentes XL. dies peniteant. Si per vindictam fratribus (105) hominem occiderit, III. annum penit. si cpont (106) propinquis dimidio spatium (107). Qui præbent ducatum barbaris, III. annos peniteat. qui hospites non recepit in domo sua, sicut Dominus præcepit, et regna celorum promisit, ubi dicit: venite benedicti et reliqua; quanto tempore hospites non recepit, et

(93) l. *placet proximum suum.*

(94) In lib. de Remed. peccat. Mart. I., c., col. 25 fin. integre: *Si vero non per ignorantiam, duobus diebus taceat, vel triginta psalmos, si præest, cantet, vræsules enim tacere non possunt*

(95) l. *Ancyrani.*

(96) In edit. ex interp. Isidori can. 22 conc. *Ancyr.* « Eos vere qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem annorum pœnitentiam communioni sociavit secundum gradus constitutos. Hæc vero humanior definitio quinquenni tempus tribuit. »

(97) Vid. sup. p.

(98) Apud Mart., collect. antiq. col. 41, additur: « vel possidendæ hæreditatis ejus. »

(99) Apud Mart. l. c., 15 *annos.*

(100) l. c.: *Mulier paupercula si occiderit filium suum, 7 annos pœniteat.*

(101) Collect. antiq. Mart. col. 41: « Si quis alium aliter percusserit, et sanguinem effuderit, 40 dies pœniteat et vulnus restituat. Si diaconus 6 menses, si presbyter unum annum pœniteat. »

(102) l. c., col. 42: *Si moritur infans sine baptismo, 3 annos habens, pater et mater 3 annos pœniteat, 1 ex his in pane et aqua.*

(103) l. *ictu.*

(104) l. *impensas medicinæ.* In lib. de Remed. pecc. Mart. l. c., col. 26: *Reddet impensa in medicos, et maculæ pretium, et opus donec sanetur restituat* (sc. tantum, quantum suo labore acquirere potuisset) *et dimidio anni pœniteat.*

(105) l. *fratris.*

(106) l. *componit*, i. e. satisfacit

(107) l. *spatio.*

mandata evangelica non implevit, nec pedes lavavit, nec elemosinam fecit, tanto tempore peniteat in pane et aqua, si non emendaverit. Qui permanet in avaritia, alienetur, thesaurizans superflua in crastinum tempus, per ignorantiam, tribuat illa pauperibus, si autem per contemptum arguentium, elemosina et jejunio, judicio sacerdotis. Permanens autem in avaritia alienetur (108). Qui repetit auferenti quæ sua sunt contra (109) interdictum, tribuat indigentibus, quæ repetivit. Clericus habens superflua, donet ea pauperibus, sin autem excommunicetur (110); si autem post penitentiæ tempus quo vivit in contradictionem in penitentiam remotus vivat. Si quis cupidus aut avarus, aut superbus, aut ebriosus, aut fratrem suum hodio habuit, vel alia his similia quæ dinumerare longum est, B III. annos peniteat, et juxta vires suas elemosinas faciat.

De ira, tristitia, odio, maledicto, detractione, invidia, dilaturas (111), *cogitationes malas, heresim.*

Qui verba acerviora in furore, non tamen injuriosa protulerit, satisfaciens fratri superponatur. Si autem cum pallore et rubore vel tremore maledicens, cui maledixit placeat, et VII. dies peniteat, remotus cum pane et aqua. Qui odit fratrem suum quamdiu non repellit odium, cum pane et aqua sit, et ei quem hoderit caritate nonficta conpelletur (112). Qui causa invidiæ detrahit, vel libenter audit detrahentem, IIII. dies in pane et aqua separetur: si vero de eo, qui præest, IIII. dies peniteat et serviat ei libenter reliquo. Detrahentes laici VI. diebus. C Clerici hebdomad. II. Subdiaconus III. Diac. IIII. presbiteri V. episcopi VI., Si quis cum alio iram tenet in corde, homicida judicetur: si non vult reconciliari fratri suo, quem hodio habet, tamdiu in pane et aqua peniteat, usque dum reconcilietur ei: reticens peccatum fratri quod est ad mortem, arguet eum cum fiducia, et quanto tempore reticuit, tanto cum pane et aqua vivat. Si peccatum parvum reticuit, arguit quidem eum, sed psalmis sive judicio sacerdotis peniteat. Qui peccatum putendum fratri imputat, priusquam seorsum arguat eum, satisfaciens ei III. dies in pane et aqua peniteat. Si quis monachus solus cum sola fœmina locutus fuerit, vel sub eodem tecto maneat, cena careat: si vero post interdictum XL. dies cum pane et aqua peniteat. D Si quis Dilaturas fecerit, quod et stabile (113) est, annos III. peniteat in pane et aqua. Si quis laicus per ignorantiam cum hereticis communicaverit, stet inter Catecumenos, id est, separatos ab ecclesia XL. diebus et aliis XL. in extremis peniteat, et sic culpam suam diluat; si vero postquam sacerdos predicavit, ut cum heretico non communicaret, et iterum fecerit, annum I. peniteat, et III. quadragesimis, et III. annos abstineat se a vino et a carnibus. Si quis ab heretico ordinatus fuerit, iterum debet ordinari (114); si prehensibilis fuerit, sin minus, deponi oportet. Si quis a catholica ecclesia ad heresim transierit, et postea reversus non potest ordinari, nisi post longam abstinentiam aut magna necessitate; hunc Innocentius Papa nec post penitentiam clericum fieri canonum auctoritate adserit permitti. Si quis a fide Dei discesserit sine ulla necessitate, et postea ex toto animo penitentiam accepit, III. annos extra ecclesiam, id est inter audientes juxta Nicenum concilium annos VII. in ecclesia inter penitentes, et annos II. adhuc extra communionem.

De Baptismo Reiterato.

Qui bis baptizati sunt ignorantes, (115) indigent pro eo penitentiam, nisi quod secundum canones non possint ordinari, nisi pro magna necessitate. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt, quasi iterum Christum crucifixerunt, annos VII. peniteant, IIII. et VI. feria, et in tres quadragesimis (116) si pro vitio aliquo fuerit (117), si autem pro munditia licitum putaverunt, annos III. peniteant.

De ministerio ecclesiæ, et reædificatione vel Missas, et diversas negligentias, de sancto sacrificio.

Ecclesiam licet ponere in alio loco, si necesse sit, et non debet iterum sanctificari, tantum presbiter aqua aspergere debet, et in loco altaris crux debet componi (118). Ligna ecclesiæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igne comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus coquere cum eis panes licet, nam talia in laicata opera non debent procedere. Sacrificium non est accipiendum de manu sacerdotis, qui orationes vel dilectiones (119 secundum ritum implere non potest, pro bonis rebus (120) offerre debemus, pro malis nequaquam, presbit. vero pro suis, si episcopus non est, prohibentur offerre (121). Qui communi-

(108) i. e. excommunicetur.

(109) Suppl., *Domini*, ex Theod. cant.

(110) Pœna hæc nonnisi gravium scelerum reis unquam inflicta est. Igitur anonymus noster innocentes haud existimavit clericos de bonis superfluis tanquam suis statuentes.

(111) l. *delatione*.

(112) f., *copuletur*.

(113) l. *detestabile*.

(114) Non unam quoad omnes hæreticos fuisse observatam disciplinam ex historia ecclesiastica satis constat.

(115) Suppl., ex Theod. cant., (apud Acher. Spicil. T. I fol. p. 486) *non*.

(116) Suppl., *jejunent*, ex can. *qui bis* 117, distinct. 4 de Consec.

(117) Suppl., ex eod. can. Grat., *similiter*.

(118) Idem hic canon editus est inter capitula Theodori *cant.* n. 15, exceptis posterioribus verbis, quæ *et in loco altaris*, etc., quæ ibidem desunt. Cæterum notat D. De la Barre ad cit. can. (T. I Spicil., n. ed. p. 487) in priori editione lectum: « Et tunc debet iterum sacrificari, nec tantum aqua sancta adspergi. » Quæ sane lectio cum can. 9 et 24 dist. 1, de Consecr., ubi moto altari instauratque ecclesia, nova præcipitur consecratio.

(119) l. *lectiones*, ut apud Theod., l. c., n. 7.

(120) l. *regibus*. Estque hic can. 16. Gildæ (T. IV Thesaur. nov. anecd.). Aliter sane visum Apostolo.

(121) Gildas can. 17. « Presbyteri vero pro episcopis non prohibentur offerre. »

caverit nec ignorans excommunicato ab ecclesia XL. dies peniteat. Ante consumationem penitentiæ penitentes secundum canones non debent communicare (122), nos autem pro misericordia post annum aut VI. menses licentiam damus. Qui multa mala fecerit, id est homicidium, adulterium vel cum quadrupedia fornicaverit, aut furta multa fecerit, eat in monasterium et peniteat usque ad mortem. Si quis presbiter penitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit : quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet et non morietur ; vera enim conversio in ultimo tempore potest esse, quia Dominus non solum temporis, sed cordis inspector est, sicut latro unius momenti meruit esse in paradiso in unius momenti confessor (123). Pro defuncto monacho missa agantur die sepulture ejus, et tertia diæ et postea quantum voluerit Abbas. Pro laico bono tercio die vel septimo potest jejunium pro penitentia XXX. dies vel VII. et propinquis ejus oportet jejunare VIImo die (124) et oblationem offerre ad altare, sicut in Ihesu filio Sirach legitur, et pro Saul filii Israel jejunaverunt, postea quantum voluerit presbiter ; Missa secularium mortuorum III. in anno, tercio die et nono die, et trigesimo diæ, quia tertia diæ surrexit Dominus, et hora nona emisit spiritum, et XXXmo diæ Moysen planxerunt filii Israel : Mulieres possunt sub nigro velamine accipere sacrificium ; sanctus Basilius hoc judicavit

De sancto sacrificio.

Qui non communicat, non accedat non ad pacem, neque ad hosculum, et qui prius manducat, ad hosculum non permittitur ; qui acceperit sacrificium post cybum VII dies peniteat ; si vero monachus neglexerit accipere sacrificium, et non interrogat, nec aliquid causæ excusabilis extiterit, superponatur ; et qui acceperit sacrificium pollutus nocturno, similiter peniteat ; si sacrificium terratenus negligendo ceciderit, superpositio sit ; qui sacrificium aliquo perdit, relinquens illud feris devorandum, si excusabiliter III quadragesimas, sin vero annum I. Qui non bene custodierit sacrificium, et mus comedit illud, XL dies peniteat. Qui autem perdiderit in ecclesia, aut pars ceciderit, et non inventa fuerit, XX dies peniteat. Qui perdiderit suum Crisma, aut solum sacrificium in regione qualibet, et non inveniatur, III quadrag. vel annum I peniteat. Perfundens aliquid de calice super altare, quando aufert linteamen, VII dies penit. aut si habundantius superpositionibus VII penit. si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam et ternis diebus peniteat. Et si per lintea ad alia transierit VII dies peniteat ; si usque tertio VIIII dies, si usque quarto XII dies, et linteamina quæ tetigerit stilla III perabluat feces calice subter posito, et aqua ablutionis sumatur ; si vero per negligentiam de calice aliquid stillaverit in terra, lingua bibatur, tabula radatur, si non fuerit tabula, mittat, ut non conculcetur, igni sumatur (125) ut supra sacerdos L dies penit. si quando interluetur calix stillaverit ; prima vice XII psalmos cantet. Qui in flumen mergit, sacrificium continuo bibat aquam quæ in Crisma fuerit, sacrificium sumat et emendet per X dies culpam solus (126). Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, aut siccans, vermibusque consumtum ad nihilum devenit III. Quadrag. cum pane et aqua penit. si integrum inventum fuerit, igne comburatur, et cinis sub altare abscondatur, et qui neglexerit XL dies suam negligentiam salvat. Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium, XX diebus expleatur jejunium, conclutinatum vero VII diebus ; si ceciderit sacrificium de manibus offerentis terratenus, et non inveniatur (127) omne quodcumque inventum fuerit, in loco, in quo ceciderit, conburatur, et cinis ut supra abscondatur : sacerdos deinde medio anno damnetur. Si vero inventum fuerit sacrificium de manibus offerentis, locus scopis mundetur est (128) stramine, vel, quid ibi inventum fuerit, ut supra ignitur, et sacerdos XX dies peniteat ; si usque altare lapsum fuerit, superponatur (129). Quicumque alicui capitale crimen admittenti per ignorantiam communicaverit, VII dies peniteat. Qui evomit sacrificium, et canis sumit, annum I penit.. sin autem, XL dies. Si in die,

(122) In cap. 21 Theodori inserta habentur sequentia : « Theodorus dicit. » Unde conjicimus, esse hunc canonem concilii cujusdam anglicani, cui interfuerit Theodorus.

(123) Hic canon : *Si quis presbyter* ex ep. 2 Cœlestini I ad episcopos *Galliæ*, quantum ad sensum attinet, desumptus est.

(124) In capit. Theod. n. 34 : « Pro laico bono, tertia die vel sexta, post jejunium ; pro pœnitente trigesima die vel septima ; et propinqui ejus jejunare debent quinque dies, et oblationem offerre, » etc.

(125) l., ut in decret. Grat., dist. I de Consecr. can. 27 desumpto ex Theodori cant. pœnit. : *Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corrodetur, et igne consumetur, et cinis intra altare recondetur, et sacerdos 40 diebus pœniteat.* In primo pœnit. ex Scrinio *Rom.* Eccl. apud Canis., T. II, P. II, ed. Basnag. p. 126 ; sic legimus : *Si de calice aliquid stillaverit per negligentiam in terram, lingua lambetur, tabula radatur, igne comburatur, et 50 dies pœniteat.* In altero ab Halitgario descripto ib. p. 138, tantum quadraginta dies pœnitentiæ assignantur, ut apud Gratianum. Verum verba illa maxime obscura, *si non fuerit tabula mittat*, illustrantur luculentius ex can. 46 lib. pœnit. editi a Mabillonio T. I, Mus. *Ital.*, p. 394, ubi : *Si fuerit tabula, radat ; si non fuerit, mittat tabulam, ut non conculcetur sanguis Christi.*

(126) Exstat apud Marten., de Antiq. Eccl. rit. L. I cap. 5, fragmentum libri pœnit. ex ms. cod. Biblioth. *Colb.*, quem sua jam ætate Martenius 800 annorum esse judicavit, ubi hic canon ita refertur : « Qui mergit sacrificium, continuo bibat aquam, quæ in clirismal fuerit, sumat sacrificium, et emendet per 10 dies culpam solus. » Chrismal seu chrismale hic loci intelligimus vasculum, quo Eucharistia asservata aut ad ægros deportata est, quo sensu in lib. Sacram. S. Gregorii habetur *præfatio chrismalis*, quæ in Ordine *Romano* est *præfatio vasculi*, *in quo Eucharistia reconditur*. V. Ducange. *Solus* vero, i. e. solitarius, et ab hominum consuetudine abstractus culpam emendare jubetur sacerdos delinquens.

(127) In Pœnit. *Rom.*, Halitg., *et inveniatur aliquid*, etc.

(128) l., et *stramen*. Mart., ex cit. cod. Colb.

(129) i. e. jejunio puniatur sacerdos.

quando communicaverit, sacrificium evomuerit, si ante mediam noctem, III superpositiones faciat; si post mediam noctem, II superpositiones; si post matutinos, I. superpositionem faciat; si infirmitatis causa sacrificium evomuerit, VII dies peniteat. Si in ignem ipsum proicit, C psalmos cantet. Si vero canes lambuerint talem vomitum, C dies, qui evomit, peniteat.

De Reconciliatione, et diversis et multis malis.

Qui multa mala fecerit, id est homicidium, adulterium cum muliere et cum pecore, et furtum, eat in monasterium, et peniteat usque ad mortem.

Greci omni Dominica communicant, Clerici et laici : et qui in tribus Dominicis non communicaverint, excommunicantur, sicut et Canones habent. Romani similiter communicant, qui volunt, qui autem B nolnerint, non excommunicantur, Greci et Romani tribus diebus abstinent se a mulieribus, sicut in lege scriptum est ante panis propositionem (130); ante consumationem penitentiæ penitentes secundum Canones non debent communicare; nos autem pro misericordia post annum et VI menses licentiam damus; qui autem implere quod in penitentiale scriptum, bonum est; et qui non potest facere, consilium damus (131); pro I die in pane et aqua, psalmos L flectendo genua, aut sine flexu LXX infra ecclesia, aut in loco uno per ordinem psallat; et pro uno mense, quod in pane et aqua debet penitere psalmos mille CC triginta, et postea omnibus diebus reficiat ad sextam, nisi quarta et sexta feria jejunet ad nonam. A carne et vino abstineat, alium cibum (132), C postquam psallit (133), sumat, et qui psalmos non novit (134) pro unoquemque die denarium valente eroget in helemosina (135), pro uno autem anno in pane et aqua elemosina solid. XXVI in unaquaque hebdomate unum diem jejunet ad nonam, et alio ad vesperum, et in III quadragesimis de quantum sumat penset et tribuat medietatem in elemosina. Secundo autem (136) remissior penitentia est de Natali Domini usque Epiphaniam, et Pasca usque in Pentecosten; et qui sic non potest (137) pro uno anno (138) elemosinam donet solid. XXVI, pro duobus (139) XX, pro III (140) XVIII. Potentes autem pro criminalibus culpis faciant, ut Zacheus dixit : Domine omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, et si aliquid injustum abstuli, in quadruplum restituam; et si hic non sunt, cui abstulit, aut non possunt, animus ejus quantum ipse pensat in argentum medietatem donet, et in Elemosina (141).

B ORDO AD DANDAM PŒNITENTIAM (142).

(Ex cod. ms. Bibl. Cæs. Vindob. Theol. n. 685, sæc. x.)

Interrogat sacerdos dicens : Credis in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. ℟. Credo. Credis quod istæ tres personæ quæ modo diximus, Pater Filius et Spiritus sanctus tres personæ sunt et unus Deus. ℟. Credo. Credis, quod in carne, in quo nunc es, in ipsa habes resurgere in die judicii, et recipere sive bonum sive malum quod gessisti. ℟. Credo. Vis dimittere illis peccata, quæcunque in te peccaverunt Domino dicente. SI NON REMISERITIS HOMINIBUS PECCATA EORUM, NEC PATER VESTER CŒLESTIS DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA. *Et require eum diligenter, si est incestuosus, et si non vult ipsa incesta dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Nam si vult ipsa incesta dimittere, dic psalmum* Domine ne in furore tuo. *Et dic orationem hanc* (143). Cujus indulgentia cuncti indigent. Oremus. Memento famuli tui ill. et qui lubrica terreni corporis fragilitate nudatus est, quæsumus, ut

(130) l. *ante panes propositionis* ut apud Marten. T. IV Thes., col. 46.

(131) Integre ex Pœnit. *Rom.* apud Canis., T. II P. II, p. 129 : « Qui potest jejunare et implere, quod in Pœnitentiali scriptum est, bonum est et Deo gratias referat. Qui autem non potest, per misericordiam Dei consilium damus tale, ut nec sibi, nec alicui necesse sit vel perire, vel desperare. Pro uno die, quem jejunare debet in pane et aqua, 50 psalmos cantet flexis genibus, si potest fieri, in ecclesia vel in alio convenienti, et unum pauperem pascat. Vel si tandiù flexis genibus stare non potest, 70 psalmos erectus cantet, et pauperem pascat. Vel centies genibus flexis veniam petat. » Nulla deinceps inter *Romanum* et nostrum pœnitentialem librum convenientia. In sæpius jam laudata collectione antiq. can. pœnit., Marten., l. c, col. 55, sub nomine Theodori *Cantuariensis* nimirum, plures occurrunt canones ad pœnitentiarum redemptionem spectantes, qui cum nostris maximam partem conveniunt. Sic ib., post verba, *bonum est*, pergit Theod. « *Et hic est* ordo idem psalmodiæ pro pœnitentia, pro uno, hoc sunt quando in pane et aqua debet pœnitere. Hoc sunt psalmi 50 flectendo genua, aut sine genua flectendo 70 infra ecclesiam, aut in unum locum per ordinem psallat. Pro hebdomada quando in pane et aqua debet pœnitere, 300 psalmos flectendo genua per ordinem psallat infra ecclesiam, aut in unum locum, aut sine genua flectendo 420. Et pro uno mense, quando in pane et aqua debet pœnitere, psallat psalmos 1200 cum genua flectendo, aut sine genua flectendo 1680, » etc.

(132) Theod. l. c., addit : *quem ei dederit.*

(133) ib., *psallat.*

(134) additur ib. : *Et ita pœnitere debet, et jejunare non potest.*

(135) Theod. pari obscuritate : *per unumquemque diem redemptio valenti denarium in pauperibus eroget*, i. e. pro redemptione promeritæ pœnitentiæ nummum *valoris* unius denarii eroget. Plura sequuntur apud Theod. quæ hic aut desunt, aut transposita.

(136) Theod. : *In secundo anno remissio pœnitentiæ est de Natali Domini*, etc.

(137) Suppl. ex Theod., *agere pœnitentiam.*

(138) Theod., *in primo anno.*

(139) Theod., *et in secundo.*

D (140) Theod., *et in tertio* XVIII, *hoc sunt solidi* LXIV.

(141) Clariora non sunt, quæ habet Theodorus, etsi prolixiora; hic enim loci in codice nostro integra rescissa est pagina.

(142) In antiquo ordine Siculo, qui alias cum hoc nostro plerumque convenit, præmittitur hæc, ut alibi passim, rubrica in append. Morini de pœnit. « More solito cum aliquis venerit ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei sacerdos, ut exspectet modicum donec intret in cubiculum suum adorare : si autem non habuerit cubiculum, prius in secreto cordis dicat hanc orationem : *Domine Deus omnipotens propitius*, » etc. Quæ omnia, ut ipse ordo, privatam pœnitentiam indicant, diversam ab ea, quæ publice in capite jejunii indicebatur agebaturque.

(143) Apud Morinum in cod. Siculo sic legitur *Deus cujus indulgentia*, etc.

des veniam confitenti. Parce supplici, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per. *Deinde dicis psalmum* Benedic anima mea Domino *usque* renovabitur. *Et dic. orat. hanc.* Oremus. Deus sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus et cunctorum medere vulneribus, et sicut nemo nostrum est liber a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per. *Et dicis psalmum quinquagesimum* Miserere mei Deus. *usque* omnes iniquitates meas dele. *Et dicis hanc orat.* Oremus. Precor Domine clementiæ et misericordiæ tuæ majestatem, ut famulo tuo fil. peccata et facinora sua confitenti, veniam relaxare digneris et præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani preces confessione placatus exaudisti, B tu etiam huic famulo tuo placare Domine; tu hujus precibus benignus aspira, ut in confessione placabilis permaneat fletus ejus, et petitio perpetuam clementiam celeriter exoret, sanctisque altaribus et sacrariis restitutus spei rursus æternæ ac cœlestis gloriæ mancipetur. Per. *Interroga eum si iam confessus fuisset, et propter hoc interroges si ipse aliquid de malo ingenio habet aut de furtu, aut de aliqua causa iniustificata contra directum. Si confessus fuerit quod habet, instrue illum quod non est licentia de aliis peccatis judicium recipere, antequam ipsum malum reddiderit, aut eiecerit. Postea si fecerit, interroges eum, si iracundiam, contra qualemcunque hominem habeat. Si confessus est admone eum, quod scriptum est, quod non proficit abstinentia ejus. Et si* C *talis est interroges eum, si fugitivus sit, quia non licet pœnitentiam agere antequam se reconciliet. Tunc fac eum confiteri omnia peccata sua ita dicendo* Fecisti omicidium, aut casu, aut nolens aut pro vindicta parentum, aut per jussionem domini tui, aut in publico bello, vel facere voluisti et non potuisti? quinque aut tres vel quadraginta dies. Similiter si servum occiderit duos annos. *M.* Fecisti periurium per cupiditatem sæculi, aut coactus vel pro necessitate vel pro vita parentum aut nesciens aut si alios in periurium induxisti scienter. Septem annos vel tres et quadraginta dies. *M.* Fecisti furtum, id est, effracturam, quadrupedia vel fortiorem causam valentem. Solidos quadraginta vel centum, annos septem vel quinque. *M.* Et de minoribus furtis annum D unum vel tres quadragesimas, seu et quadraginta dies. *M.* Fecisti adulterium cum uxore aliena aut cum sponsata. Vel virginem corrupisti, aut cum sanctæ monialæ vel Deo dicata. quinque vel tres annos. *Int.* Nupsisti cum uxore tua retro, vel cum ancilla. XI dies. *Int.* Fecisti fornicationem sicut sodomitæ fecerunt, vel cum fratre aut cum matre, vel cum pecoribus vel ullo ingenio. quindecim, aut duodecim vel septem annos, vel unum. *Int.* Dixisti falsum testimonium per cupiditatem. sciens aut nesciens. tres vel duos aut unum annum. *Int.* Percussisti hominem, ut sanguis exiret ab homine, vel ossa fregisti. annum unum vel quadraginta dies. A *M.* Truncasti ei ullum membrum propter iram. annos tres. *Int.* Odisti fratrem tuum. quamdiu in ipso odio fuisti, tamdiu pœniteas in pane et aqua. *Int.* De ministerio ecclesiæ abstraxisti aliquid. detraxisti ullum hominem aut seniorem vel ad parentes propter invidiam. annum unum vel quadraginta dies. *Int.* Nubsisti cum uxore tua aut cum alia fœmina quadraginta dies ante partum aut post partum, quadraginta dies pœniteas. *Int.* Nubsisti die dominico, unum diem vel tres. *Int.* Violasti sepulcra propter furtum, annos tres, aut duos. *Int.* Contigit tibi ulla negligentia de sacrificio. Centum dies vel quadraginta. *M.* Fecisti usuras. quinque annos vel tres. *M.* Tulisti res alienas malo ordine per malum ingenium. tres annos. *M.* Fecisti sacrilegium, id est quod aruspices vocant, et auguros faciunt et sortilogos, vel vota quæ ad arbores vel ad fontes seu et cancellos, aut per ullum ingenium vovisti, aut sortitus fuisti, aut avorsum fecisti. quinque annos vel quatuor. *M.* Fecisti raptum de virgine vel vidua. tres annos pœniteas. *M.* Tulisti aliquid pecuniæ in ecclesia contra directum. tres annos, aut quadruplum restituas. *M.* Prodidisti aliquam rem per injustam dilaturam, tres annos pœniteas. *M.* Deduxisti aut transmisisti per ullum ingenium servum tuum aut alium hominem in captivitate christianum. quinque annos pœniteas aut tres. M Cremasti domum aut area. tres annos. *M.* Fecisti vomitum propter ebrietatem. quindecim dies si per contentionem quadraginta dies. Si nesciens septem dies. *M.* Cogisti ullum hominem bibere, ut inebriaretur, aut per odium hoc fecisti, centum dies. *M.* Bibisti sanguinem aut manducasti de ullo pecude vel homine tres annos pœniteas. Aliorum thesaurum sumpsi pro quo debitas orationes non implevi. *M.* Manducasti morticina, aut dilacerata a bestiis. quadraginta dies. *M.* Bibisti de liquore in quo mus vel mustela mortuæ inventæ fuerunt. *M.* Contempsisti indictum iciunium in ecclesia; vel contra decreta seniorum. quadraginta dies. *M.* Et si quatuor tempora anni vel quadragesima. annum unum. *M.* Oppressisti infantem tuum vel alium ut moreretur. septem annos, aut quinque vel tres. *Int.* Bibisti ullum maleficium, id est erbas, vel alias causas, ut non potuisses infantes habere; aut alio donasti, aut hominem per potionem occidere voluisti, aut de sanguine, vel de semine mariti tui, ut majorem de te haberet amorem, aut gustasti, aut urinam bibisti. septem annos pœniteas vel quinque aut tres. Necasti partus tuos. decem annos pœniteas. *M.* Et si filium vel filiam occidisti. duodecim annos pœniteas. *M.* Et si in utero ante conceptum. annum unum. *M.* Si post conceptum annos tres. *M.* Si infans per negligentiam mortuus fuerit sine baptismo. annum unum. et nunquam sine aliqua pœnitentia. *M.* Fecisti aliud paganias, quæ in Kal. Jan. faciunt in cervulo aut in vagula. tres annos pœniteas. *Int.* Misisti filium tuum super tectum aut in fornacem pro aliqua sanitate, quinque annos pœniteas. *Et ad ultimum dicen*

dum est pœnitenti : Multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. *M.* Habes fidem confessam Deo et sacerdoti, ut remittantur tibi peccata tua. *M.* Credis hoc. ℟. Credo. *M.* Habes voluntatem, quod egisti contra mandata Dei in hoc emendes. ℟. Sic habeo. *M.* Unde confessus fuisti, vis judicium recipere et illud bene custodire, et omnibus adinventionibus diaboli renuntiare, et Trinitatem credere? ℟. Volo. *Dices ei* : Dominus sit tibi adiutor et protector, et præstet indulgentiam de peccatis præteritis, præsentibus et futuris. *Tunc da illi pœnitentiam, et iudica secundum modulum criminum ejus. Data vero pœnitentia dic psalmum* Deus in nomine tuo. *Et dices orationes has super eum.* Collecta. Exaudi Domine preces nostras, et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per. *Alia.* Præsta Domine huic famulo tuo ill. dignum pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ a cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innocuus. Per. *Alia.* Præveniat hunc famulum tuum N. ablutio criminum dare et veniam præstare peccatoribus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo Domine hoc ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, et correctis actibus suis conferri sibi ante sempiterna gaudia gratuletur. Per. *Alia.* Adesto Domine supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, ut quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministerum, da fiduciam tui muneris exequendi et ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per

ORDO AD RECONCILIANDOS PŒNITENTES (143*).

Ex codice ms. biblioth. Cæsar. Vindeb. sæc. x vel xi theol. n. 359.

Sedente pontifice pro foribus ecclesiæ pœnitentibus in atrio ecclesiæ eminus cum archidiacono jussum illius præstolantibus. Antequam eos offerat postulat archidiaconus his verbis : Adest venerabilis pontifex, etc. *Tunc dicit pontifex :* Venite. *Et diaconus ex parte pœnitentium.* Flectamus genua. *Tunc omnes genua astantes flectunt pœnitentes. Quo facto dicit diaconus ex parte pontificis.* Levate. *Similiter agatur secundo repetente episcopo :* Venite venite. *Subsequente diacono.* Flectamus genua. *ut antea. et sic ad medium usque atrii pavimentum solotenus veniant. Quando autem tertio domnus episcopus annuntiaverit antiphonam.* Venite venite venite. *prosequatur diaconus* flectamus genua. *Mox cum diacono pœnitentes corruant ad pedes episcopi. sicque prostrati maneant usque domnus episcopus surgens innuat alteri diacono* levate *prosequente clero antiphonam :* venite filii audite me timorem Domini docebo vos. Benedicam Domino in omni. *Et ad finem usque dicente. Quamdiu vero psalmus canitur a clero cum antiphonis* venite filii *semper manuatim pœnitentes plebesanis ab archidiacono, et ab archidiacono reduntur Episcopo. Et ab episcopo restituuntur ecclesiæ gremio prostrati omni tempore in terram. Deinde imponat episcopus antiphonam.* Cor mundum crea in me Deus, spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psalm.* Miserere mei Deus. *Quo finito prosternat se Episcopus unacum pœnitentibus in oratorio. Clero faciente lætaniam. Qua expleta, postquam dicatur* Kyrie eleison. *Erectus a terra dicat.* Pater noster. *Et preces :*

Salvos fac servos tuos Domine. Deus meus sperantes in te.

Convertere Domino usquequo. et deprecabilis esto super servos tuos

Mitte eis, Domine, auxilium de sancto et de Sion tuere eos.

Illustra faciem tuam super servos tuos. salvos fac eos, Domine, nec confundas.

Domine vide humilitatem meam et laborem meum. et dimitte universa delicta.

Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua secundum multitudinem miseric.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Cito anticipient nos.

Adjuva nos Deus salutaris noster. et propter gloriam nominis tui Domine libera.

Domine exaudi orationem meam. et clamor meus.

Oratio. Adesto Domine supplicationibus nostris, etc.

Alia. Exaudi, Domine, preces nostras, etc.

Alia. Præveniat hos famulos, etc.

Alia. Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ propitiare iniquitatibus nostris et omnibus animarum nostrarum medere languoribus ut miserationum tuarum remissione percepta in tua semper benedictione lætemur. Per.

Alia. Deus sub cujus oculis omne cor trepidat. omnes conscientiæ pavescunt. propitiare omnium gentibus et cunctorum medere vulneribus. ut sicut nemo nostrum est liber a culpa. ita nemo sit alienus a venia. Per

Alia. Præsta quæsumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, etc.

Omnipotens sempiterne Deus confitentibus tibi, etc

(143*) Idem ordo quem hic ex cod. *Vindob.* edimus seorsim, in alio, ex quo ordinem divini officii per annum P. III, edemus, habetur suo loco Fer. V. in Cœna Domini, qua eam fieri *Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat* teste Innocentio I, in epist. ad Decentium *Eugubinum.* Idque in Capitul. regum *Franc.* lib. VII, c. 73, notatur his verbis : « Omnes publice pœnitentes quinta feria ante Pascha, quæ est Cœna Domini, ad civitatem in cinere et cilicio in præsentiam episcopi prostrato vultu conveniant, et ibi ab episcopo canonice et ordinabiliter, sicut in Sacramentario, et *Romano* Ordine continetur, reconcilientur atque dijudicentur. » In ecclesia tamen *Mediolanensi* facta feria VI ex epist. XX S. Ambrosii ad Marcellinam sororem n. 20 colligitur, itemque lib. V. Hexamer. serm. ultimo. Eumdem ritum in *Hispania* obtinuisse ex Conc. *Tolet.* IV, can. 6, perspicuum est : atque etiam in *Gallia* alicubi ita usu venisse Martenius lib. I, de antiquis eccl. Rit. c. 6, art. 5, n. 10, perhibet.

Omnipotens et misericors Deus qui peccatorum indulgentiam.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. respice propitius, etc.

Deus misericors Deus clemens qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, etc.

Alia. Majestatem tuam quæsumus Dne, etc.

Alia. Famulos tuos quæsumus Domine ab ira tua, etc.

Alia. Deus qui confitentium tibi corda purificas et accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolutis. Da indulgentiam reis. et medicinam tribue vulneratis. ut percepta remissione omnium peccatorum in sacramentis tuis sincera deinceps devotione permaneant. et nullum redemptionis æternæ sustineant detrimentum. Per.

Alia. Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator. qui in reconciliatione lapsorum etiam me qui misericordia primus indigeo servire effectibus gratiæ tuæ per sacerdotale misterium voluisti. ut cessante merito supplicis mirabilior fieret indulgentia remittentis. Deus qui justitiæ legis misericordiæ semper multiplicatione moderaris. dum delinquentibus pœnitentiam adhibes. dum etiam malis providentiæ tuæ dona non subtrahis. et vindictam moderando suspendis. Deus qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui sanguine redemisti. vivifica hos famulos tuos. quos tibi nullatenus mori desideras. et quos non deseruisti devios. assume correctos. Moveat pietatem tuam fletus iste merorum tuorum medere vulneribus. tu benignam jacentibus manum porrige. Ne ecclesia tua aliqua sui corporis portione privata temeretur. Ne grex tuus detrimentum sustineat. Ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet. Ne renatas lacrymis salutaribus animas secunda mors possideat. Tibi ergo humiliamur omnes. Tibi Domine supplices fundimus preces. tibi fletum nostri cordis offerimus. tu parce confitentibus. ut imminentes pœnas futurique judicii sententiam te miserante non incidant. Nesciant quod terret in tenebris. Quod stridet in flammis. et ab errorum via ad iter justitiæ jam reversi nequaquam ultra novis vulneribus saucientur. Propitiare ergo Domine trementibus atque supplicibus sub sententiæ tuæ exspectatione. ad humilitatem jacentium sublevandam dexteram salutis extende. Nobis quoque servis tuis. quos apostolicæ clavis sacerdotalisque officii ministros. non electione meriti. sed dono gratiæ tuæ constituisti. da fiduciam tanti muneris exequendi. Et ipse in nostro ministerio quod tuæ potestatis est operare. Agnosce piissime pastor oves tuæ redemtionis et constrictas vinculis peccatorum. ecclesiæ tuæ precibus exoratus absolve. Redeant ad unitatem ecclesiæ tuæ. et post illam diram inopis exilii famem redeuntes veste splendida ornatæ. gaudeant se paterno receptas esse convivio. Nihil de honore adoptionis, nihil de hæreditatis sorte perdant. sed integrum sit eis atque perpetuum quod A gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit.

Absolutio presbyteri.

Dominus Jesus Christus qui dignatus est discipulis suis dicere: quæcunque ligaveritis super terram erunt soluta et in cœlo. de quorum numero quamvis indignum et peccatorum vinculis astrictum me esse sua dignatione voluit. Ipse vos largifluo pietatis suæ dono. ac meæ simul pravitatis ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis vestræ excessibus interius exteriusque humanitus contractis. Amen. Et sicut peccata totius mundi sua traditione atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare, ita quoque vestrorum peccaminum maculas misericorditer non dedignetur emundare. Ejusdem sancti sanguinis interventione. qui fusus est in peccatorum remissionem. Amen. Adjuvante Dno nro Jesu Ch. Devotionem quoque vestram ita deinceps adjutorio gratiæ suæ non dedignetur corroborare. quatenus et in hoc sæculo subrepentium laqueos delictorum valeatis evadere. et in futuro vitam æternam Christi sanguine comparatam sine fine possidere. Amen. Adjuvante Domino nostro Jesu Ch. qui fecit nos cum non essemus. et redemit cum perditi essemus. ad laudem et gloriam nominis sui per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Absolutio Sign.

Sicut principali sententia constat QUIA IN MUNDO OFFENDIMUS OMNES. Unde ingemiscimus. ita principali sententia consolamur: QUIA SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA. FIDELIS ET IUSTUS EST JESUS CHRISTUS CONDITOR ET REDEMPTOR AC SALVATOR NOSTER. QUEM HABEMUS ADVOTATUM IUSTUM APUD PATREM. ET EST PROPITIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS. ET INTERPELLAT PRO NOBIS FIDELITER CONFITENTIBUS. ET DIMITTIT NOBIS PECCATA NOSTRA. ET MUNDAT NOS AB OMNI INIQUITATE. Quapropter frater noster confitenti tibi peccata tua. per ecclesiasticæ auctoritatis potestatem. quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis et apostolis suis dicens. ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM. QUORUM REMISERITIS PECCATA REMITTUNTUR EIS. et per eosdem apostolos suos successoribus. quorum vices licet indigni tenemus. Etsi non merito tamen nomine. atque officii susceptione eamdem potestatem donavit. et in se credenti fideliter dixit: FIAT TIBI SECUNDUM FIDEM TUAM. gratia et potentia sua. virtute Spiritus sancti qui est remissio peccatorum omnium dimittat tibi omnia peccata tua. et liberet te ab omni malo. conservet in omni opere bono. et ducat te in vitam æternam. et ad sanctorum consortium supernorum civium amen.

Oratio. Præsta quæsumus Domine his famulis tuis secundum piissimam misericordiam tuam. iuxta libitum eorum absolutionis peccaminum suorum fructum. ut sint tibi dignum habitationis tuæ templum. et mereantur deinceps cum iustis atque Sanctis in conspectu tuo astantibus absoluti manere ab omnium criminum labe. Per Jesum Christum.

Alia. Nos etiam secundum auctoritatem nobis indignis a Deo commissam absolvimus vos vinculo

delictorum vestrorum. ut mereamini habere vitam æternam. Per eum qui vivit.

Alia absol. sign.

Frater N. Dominus J. Ch. qui discipulis suis dixit. QUÆCUNQUE LIGAVERITIS SUPER TERRAM ERUNT LIGATA ET IN CŒLO. ET QUÆCUNQUE SOLVERITIS ERUNT SOLUTA ET IN CŒLO. de quorum numero quamvis nos indignos esse voluit. Ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis. quæcunque cogitatione lusione atque operatione negligenter egisti. et a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regnum cœlorum amen.

Alia sing.

Frater N. absolutionem et remissionem peccatorum tuorum per invocationem nominis Dei. et per ministerium nostrum percipere merearis hic et in æternum amen. *Hic aspergat eos aqua benedicta et postea dicat :* EXURGE QUI DORMIS. EXURGE A MORTUIS. ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS. *Post hæc surgant pœnitentes. et moneantur ab episcopo ut quod pœnitendo diluerunt. iterando non revocent. Item ordo unde supra.*

ORATIONES AD VISITANDUM INFIRMUM.

(*Cod. Th. V*, 683, *sæc.* x.)

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita et famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigas ad salutem. Per.

Alia. Respice Dne famulum tuum infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove quam creasti, ut castigationibus emendata continuo se sentiat tua medicina esse salvatam. Per.

Alia. Omnipotens et misericors Deus, qui immensam pietatem tuam, ut ad introitum in tuo nomine humilitatis nostræ hunc famulum tuum in habitaculo iacentem fessum salutifere visitare digneris, sicut visitasti Dne Tobiam et Saram, socrum Petri, puerumque centurionis, ita et istum pristina sanitate visitare digneris. Per.

ITEM ALIÆ ORATIONES.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra et membra vegetentur, super hunc famulum tuum propitiatus intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per.

Alia. Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum N. ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, et visita in salutari tuo ac cœlestis gratiæ præsta medicinam. Per.

Alia. Deus qui humano generi et salutis remedium et vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulum tuum tuarum dona virtutum, et concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam [in anima sentiat. *Item alia.* Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus, et iuribus receptis nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia. Deus qui beatum Petrum apostolum tuum misisti ad Thabitam famulam tuam, ut eius precibus resuscitaretur ad vitam, exaudi nos pro famulo tuo N. quem in tuo nomine visitat nostra fragilitas ut exorata medicina tuæ medicinæ ei subveniat. Per.

Alia. Dne sancte Pater omps æterne Deus, qui es via veritas et vita, exaudi et conserva famulum tuum, quem precio magno redimendo vivificasti sacro sanguine Filii tui dni nri Ihu Xpi. Qui.

Benedictio super infirmum.

Sanet te Deus Pater omps qui te creavit, nec erit tibi dolor in capite tuo nec in capillis tuis, nec oculis tuis, neque in pectoribus tuis, nec in mente tua, nec in auribus tuis, nec in omni corpore tuo. Surge, surge Domine, diabolum fugere facias, et proiice illum de capite, de capillis, de fronte, de oculis, de lingua, de sub lingua, de ore, de gutture, de corde, de humeris, de ventre, de omnibus membris istius. Per. Benedictio Dei Patris.

Omnipotens æterne Deus, qui ægritudines animarum depellis et corporum auxilii tui super infirmum hunc ostende virtutem, ut omni sanitate recepta gratiarum tibi in ecclesia tua referat actionem. Per.

Alia. Omps et misericors Deus, qui subvenis in periculis laborantibus, et qui temperas flagella, te supplices exoramus, ut visitatione tua sancta erigas famulum tuum N. de hac ægrotatione, qua tenetur, et præsentes eum ecclesiæ tuæ sanctæ incolomem ad laudem et gloriam nominis tui. Per.

Benedictio super unum hominem.

Benedicat te Deus cœli, adiuvet te Christus Filius Dei corpus tuum in servitio tuo custodire et conservare dignetur. Per

Alia. Mentem tuam illuminet et sensum tuum custodiat, gratiam suam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat, ab omni malo te liberet, dextera sua te defendat, et qui sanctos suos semper adiuvat, ipse te adiuvet et ad cœlestia regna perducat. Qui vivit et regnat Deus.

Alia. Dne Ds æterne qui utrumque sexum de interitu perpetuæ mortis per Jesum Christum filium tuum de Maria virgine natum misericorditer redemisti, hunc famulum tuum devota mente tibi servientem omni benedictione spiritali benedicere digneris, ut inter gratiam fidem habeat, et in præceptis legis tuæ semper perseveret, terrena et transitoria despiciat, æterna et invisibilia intenta meditatione diligat, ut in numero Sanctorum tuorum permanens cœlesti sponso cum lampadibus bonorum fiducialiter occurrat. Amen

Alia. Benedicat te Deus, qui in principio cuncta creavit. benedicat te Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis salvator descendit. benedicat te Spiritus sanctus, qui in similitudine columbæ in Iordane flumine requievit in Christo, ipseque te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes futurum

exspectant ad judicium, qui cum Patre vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia. Benedicat te Deus Pater, custodiat te Jesus Christus, illuminet te Spiritus sanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Confirmet te virtus Christi. Indulgeat tibi Dns universa delicta tua, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia. Ille Deus omnipotens benedicat te Pater de cœlis, qui per gloriosam nativitatem suam et admirabilem resurrectionem, venerandamque crucem et sacratissimam genitricem et preciosi sanguinis effusione nos venit redimere de terris. Amen.

Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, illuminet te Deus Spiritus sanctus, corpus tuum salvet, animam tuam custodiat, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, et ad supernam vitam te perducat. Amen.

Alia. Dns Ihs Xps apud te sit, ut te reficiat, circum te sit, ut te ducat, super omnia sit, ut te benedicat, pro te sit, ut pro te incercedat. Præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia. Ille te benedicat, protegat, atque defendat cunctis diebus vitæ tuæ. et perducat te ad regnum gloriæ suæ, quem omnes gentes exspectant venturum iudicem. Amen.

Alia. Deus qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; huic famulo tuo, ad te toto corde converso peccata dimitte, et perennis gratiam vitæ concede. Per.

Hic detur secretior locus anguidis confitendi.

Confiteor Domino et omnibus sanctis eius et tibi sacerdos Christi, quia peccavi nimis in vita mea in cogitatione, in locutione, in actu, in commessatione, in crapula, in ebrietate, in curis huius mundi, in concupiscentia carnis, in avaritia, in luxuria, in immunditia, in pollucione, in superbia, in vana gloria, in arrogantia, in iactantia, in velatione, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in despectione, in detractione, in via, in odio, invidia, in maledictione, in pertinacia, in fornicatione, in susurratione, in musitatione, in periurio, in mendacio, in furtu, in neglegentia, in tristitia huius sæculi, in lætitia vana, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderate, in remittendo incaute, in dilectione vana, in inclementia, in simulatione, in risu, in ioco, in scurrilitate, in discordia A seminando discordiam, in pace falsa, in ficta amicitia, in ignavia, in segnitia, in auditu, in gustu, in tactu, in visu, in odoratu, in dando, in accipiendo, in contentione, accipiendo usuram.

Item Confessio peccatorum. (144)

Ih. gihun. gode. almahdigen. unde. allen. godes. engilon. unde. allen. godes. heilegon. unde. dir. godes. boden. allero. minero. sundino. unde. unili. dero. bigihdig. uuerdan. suo. sochsegi. uremidi. so. uuaz. soih. unrehdes. gisahrode. unrehdes. gihanedi. unrehtero. uuordo. unrehtero. uuerco. unrehtero. gidanco. ubilero. lusto. ubiles. unillen. fluochonnes. liogannes. bisprachidu. unrehtes. stadales. unrehdes. sedales. In. uncidin. sclaphun. uncidin. uuachun. In. uncidigimo. mazze. uncidigimo. dranche. Thaz. unmezzon. uehonti. Minero. spiungu. huores. Thiubu. manslahdu. meinero. eido. minero. fastu. ferbrocheneru. mina chirichun. so. nisuohda. so. ih. solda. sunnon. daga. unde. andere. heilega. daga. so. ne ereda. noh. ne. begienc. so. ih. solta. heilegan. uuizzuht. so. ne. gihielt. so ih. solta. minan. curs. ne. irnulta. so ih. solda. ghorsam. ni. uuas. so ih solta. Thurphtigun. nint. phiec. so. ih. solta. alamuosa. nigab so ih. solta. Ana. urlaub. gab. unde. na. dazih. nisolta. Zuene. nibesuonda. so ih solta. sunda. ni uerliez, thien. ih. solta. mine. nahiston. so ni. minnota. so ih. solta. thes. alles. unde. anderes. manages. thes. ih. uuidar. got. sculdic. si. thes. ih. in minero. cristanheidi gehiezi. unde. ih. daz. beminen. menisgin. ferliezzi. unde. beminerv. chindesgi. geburidi. so. mir. iz. slafanti. geburiti. so uuachandi. so. ih. iz. selbo. gefremidi. oder. anderemo. gehancti. oder. anderen. gespuoni. so. ih. es. gehuge. so. ni. gehuge. so ih. es. ge. dahti. oder. ge. sahi. oder. ih. iz. ge. dadi. order. gesprachi. so uuirdon. ih es. alles. bigihdig. gode. almahdigen. unde. allen. godes. heiligon. unde. thir. godesmanne.

Cum venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, ita imprimis interrogetur. Int. Credis in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. ℟. Credo. *Int.* Credis quod istæ tres personæ sicut diximus Pater et Filius et Spiritus sanctus tres sunt personæ, et unus Deus. ℟. Credo. *Int.* Credis quod in ipsa carne in qua nunc est recipere debes sive bonum, sive malum, quod gessisti. ℟. Credo. *Int.* Vis dimittere his qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi peccata tua, dicente Domino in Evangelio : DIMITTITE ET DIMITTETUR VOBIS. SI AUTEM

(144) Manu Lambecii in bibl. Cæsarea hoc in codice scriptum est : *sub Ottone primo videtur scriptus.* Idem ex celebri cod. *Augiensi* ejusdem biblioth. Cæsar. Theol. 149 edidit antiquiorem adhuc confessionem theotiscam lib. II bibl. Cæs. c. 5, p. 318. Eam repetit *Diedericus* von Stade in specimine lect. antiq. *Francicarum* p. 20. seq. Similem edidit *Seb.* Munsterus in Cosmogr. sermone vulgari etiamnum apud nos usitato *altfränkisch* dicto : multaque in ea notat dialecti *Anglo-Saxonicæ* Grupenius in formulis veterum confessionum : sequitur brevior illa quam post *Achil.* Gassarum Goldastus t. III Rer. *Alem.* pag. 143. Eccardus *Franc.* Orient. pag. 930. Schilterus Thes. t. I p. 87, cum variis versionibus ac lectionibus variantibus ex Broweri Antiq. *Fuld.* lib. II c. 14, ediderunt, ex codice *San-Gallensi* descriptam, cui Grupenius tertio loco *Lambecianam* codicis itidem *Alemannici Augiensis* ac demum *Anglo-Saxonicam* ex canonibus an. 967 sub Edgaro R. addidit *Hannov.* an. 1767.

VOS NON DIMISERITIS HOMINIBUS PECCATA EORUM NEC PATER VESTER CŒLESTIS DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA.

Et sacerdos benedicat, et oret, et dicat illi.

Omps Ds, qui dixit : QUI ME CONFESSUS FUERIT CORAM HOMINIBUS, CONFITEBOR ET EGO EUM CORAM PATRE MEO, ille te benedicat, et custodiat, et det tibi remissionem omnium peccatorum, et scelerum tuorum. Amen. Misereatur tui omnipotens Deus et dimittat tibi omnia peccata tua. Amen. Liberet te ab omni malo, et conservet te in omni bono. Amen. donetque tibi veram humilitatem, et veram pœnitentiam, sobrietatem, et tolerantiam, bonam perseverantiam, et bonum finem, et perducat te in vitam æternam. Amen. Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua, præterita præsentia et futura. Amen. Illuminet te Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens. Amen. Salvum te faciat Dns servum suum. Amen. Dominus custodiat te ab omni malo. Amen. Benedicat te Dominus ex Sion. Amen. Mittat tibi Dominus auxilium de sancto. Amen. Dominus conservet te, et vivificet te Christus Filius Dei salvator mundi. Amen. Propitius sit tibi omnipotens Deus, hic et in perpetuum. Amen. *Inde post acceptam pœnitentiam et fidem explicitam, redeant visitatores, et tunc incipiunt psalmum cantare cum Ant.* In virtute tua exaudi me Domine. *Ps.* Domine exaudi orationem. *Sequitur oratio dominica cum capitulis his.*

Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem.

Mitte ei Dne auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tueatur.

Nihil proficiet inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis.

Dominus conservet eum et vivif. ℟. Et beatum faciet eum.

Dns opem ferat illi super lectum. ℟. Universum stratum.

Exurge Dne Deus meus, et exalt. ℟. Ne obliviscaris pau.

Tibi Dne derelictus est pauper. ℟. Pupillo tu eris adiu

Desiderium pauperum exaud. . ℟. Præparation.

Mirifica misericordias tuas. ℟. Qui salvos fac.

Tu autem in sancto habitas. ℟. Laus Israel.

In te speraverunt patres n. ℟. Speraverunt et l.

Ad te clamaverunt et salvi f. ℟. In te speraverunt et n.

Multæ tribulationes justorum. ℟. Et de his omnibus.

Redimet Dns animas servorum suorum. ℟. Et non derel.

Ne tradas bestiis animas confit. ℟. Animas paup.

Exurge Dne adjuva nos. ℟. Et libera nos propter.

Orationes.

Præsta quæsumus Dne huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius. Per. *Alia.* Præveniat hunc famulum tuum quæsumus Dne misericordia tua et omnes iniquitates ejus celeri indulgentia tua deleantur. Per. *Alia.* Exaudi Dne supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Item alia.

Omnipotens sempiterne Deus, confitenti huic famulo tuo pro tua pietate peccata dimitte, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per.

Postea unguatur ægrotus de oleo sanctificato cruces faciendo in quinque corporis locis, et dicatur ad eum. N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo frontem tuum de oleo sancto in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti in remissionem omnium peccatorum, ut sit tibi hæc unctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis, et ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, nullaque membrorum compagine tuorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus sancti amen. *Sequitur antiph. cum psalmis canendis.* Sana Dne infirmum istum cujus ossa turbata sunt, et cujus spiritus turbatus est Domine convertere, et sana eum. *Ps.* Dne ne in furore tuo. I. *Ps.* Ad te Dne levavi. *Ps.* Beati quorum. *Ps.* Domine ne in furore tuo. II. *Ps.* Beatus qui intelligit. *Ps.* Miserere mei Deus. I. *Ps.* Miserere mei Deus. III. *Ps.* Deus misereatur nostri. *Ps.* Deus in adjutorium meum intende. *Ps.* Inclina Domine. *Ps.* Domine exaudi. I. *Ps.* De profundis. *Ps.* Dne exaudi. II. *cum letania, donec unctio finiatur. Postea faciat crucem ad aures ejus dicendo.* N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo et has aures sacrati olei liquore in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut quidquid peccati delectatione nocivi auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet. Amen. *Deinde super oculos faciens crucem dicat.* N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo oculos tuos de oleo sanctificato in nomine sanctæ Trinitatis, ut quidquid inlicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. *Deinde unguantur nares.* N. In nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo has nares de oleo sancto in nomine sanctæ Trinitatis, ut quidquid noxiæ superfluo contractum est odore ista emundet inunctio. *Tunc labia ungantur.* N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo labia ista consecrati olei medicamento in nomine sanctæ Trinitatis, ut quidquid ociosa vel etiam criminosa locutione peccasti divina clementia miserante expurgetur hac unctione. *Postea*

pectus unguatur (145). N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo pectus tuum de oleo sancto in nomine sanctæ Trinitatis ut hoc unctionis prospectu certare fortiter valeas adversus aerias catervas. Præstante Dno nro Ihu X. qui cum Patre. *Deinde fac crucem inter scapulas, et medium scapularum.* N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo scapulas has sive medium scapularum de oleo sacro, ut ex omni parte spirituali protectione munitus jacula diabolici impetus viriliter contempnere ac procul possis cum robore juvaminis repellere. In nomine Dni nri Ihu Xpi qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Postea fac crucem in palmis.* N. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti accipe sanitatem. Unguo et has manus in nomine sanctæ Trinitatis de oleo consecrato, ut quidquid inlicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. *Deinde pedes unguantur dicendo.* N. In nomine Ihu Xpi Nazareni surge et ambula. Unguo hos pedes de oleo benedicto in nomine Dni nri Ihu Xpi, ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt ista aboleat perunctio, ut hac unctione corroboratus aerias valeas superare catervas.

Sequitur Oratio.

Omnipotens Deus, qui per os beati Iacobi apostoli tui hoc ministerium infirmis omnibus facere præcepisti, conserva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, et concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in mente percipiat. Per.

Alia. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui es via et veritas et vita, exaudi et conserva hunc famulum tuum, quem pretio magno redemendo vivificasti sacro sanguine filii tui Domini nri Ihu Xpi qui tecum vivit et regnat. *Hic communicetur* (146). Pax et communicatio corporis et sanguinis Dni nri Ihu Xpi conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

Aliæ Orationes.

Oremus fratres Dnm nrm pro fratre nostro, quem dure ad præsens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cœlestibus diguetur curare medicinis, ut qui dedit vitam det salutem. Per.

Domine Iesu Christe, qui corripiendo parcis et parcendo remittis, qui flagellando corripis et miserando convertis, argue famulum tuum N. in misericordia tua, et non in furore, qui cum correctione tua corrigatur, indulgentia consoletur, disciplina erudiatur, medicina curetur, verbere castigetur, pietate sanetur. Placeat ergo tibi Domine eum liberare, corripere, eripere et non disperdere. Per.

Alia. Da nobis Dne ut sicut publicani precibus et confessione placatus es, ita et huic famulo tuo placare, et precibus eius benignus aspira, ut in confessione flebili permanens et petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus et sacramentis restitutus rursus cœlestis gloriæ mancipetur. Per.

Alia. Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi, renova in eo piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est vel in unum membrum corporis Christi et in unitatem Ecclesiæ tuæ membrorum perfecta remissione restitue. Miserere Dne gemituum, miserere lacrimarum; et non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum quæsumus reconciliationis admitte. Per.

Alia. Maiestatem tuam Dne supplices deprecamur, ut huic famulo tuo longo squalore pœnitentiæ macerato miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam unde eiectus fuerat mereatur introire. Per.

Alia. Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, illuminet te Spiritus sanctus. Corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, et ad superna te perducat, perseverare te Christus in suo sancto servitio faciat, et perducat te in vitam æternam. Partem merearis habere cum sanctis et electis Dei. Indulgeat tibi Deus omnia peccata tua, misereatur tibi Christus filius Dei, semper te sanum et incolomem et protectum ab omnibus insidiis inimicorum omnium custodiat Pater omnipotens qui te creavit per unicum filium suum Dnm nrm qui cum eodem Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Alia. Adesto Dne supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ benigna miseratio, sana vulnera, eiusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus suis separatus tibi semper Dne adhærere valeat. Per.

Alia. Parce Domine parce famulo tuo quem redemisti Christe sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei. *Hic decantentur pœnitentiales psalmi VII cum lætania infra inserta.*

Kyrie el. Xpe el. Xpe audi nos.
Salvator mundi adiuva nos.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Maria Dei genitrix ora pro famulo tuo.
Sancta et perpetua virgo succurre in angustiis constituto.

(145) Inungi hæc pars corporis desiit, quam olim solam etiam unctam fuisse jam Mabillonius in præfatione ad Sæc. I *Benedictinum* a Christo vero nato sextum observavit ex vita S. Augendi, qui extremo decumbens morbo, *vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi.*

(146) Vid. Launoii liber cui titulus : *Explicata vetus Ecclesiæ traditio de data infirmis post unctionem Eucharistia;* unde pauca de hoc ritu, qui ubique obtinuit, dicendum existimavi P. II disquis. V c. 3, n. 3, p. 486.

Omnes sancti Angeli orate pro hoc infirmo.
Omnes sancti Archangeli orate p. h. inf.
Omnes sancti Patriarchæ orate p. h. inf.
Omnes sancti Prophetæ orate p. h. inf.
Sancte Iohannes Baptista ora p. h. inf.
S. Petre ora pro hoc infirmo.
S. Paule ora pro hoc infirmo.
S. Andrea ora pro hoc infirmo.
S. Iohannes et cæteri qui sequuntur. orate p. h. inf.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ. orate pro hoc infirmo.
Omnes sancti Martyres. orate p. h. inf.
Omnes sancti Confessores. orate p. h. inf.
Omnes sanctæ Virgines. orate p. h. inf.
Omnes sancti ab inicio mundi usque ad præsens. orate pro hoc infirmo.
Propitius esto et libera eum Dne.
Propitius esto et parce ei Dne.
Ab omni malo libera eum Dne.
Ab ira tua libera eum Dne.
Ab iniqua morte libera eum Dne.
Ab omni immunditia cordis et corporis lib. e. D.
A vinculis diaboli libera eum Dne.
Per crucem tuam libera eum Dne.
Per passionem tuam libera eum Dne.
Per adventum tuum libera eum Dne.
Peccatores. Te rogamus audi.
Ut pacem perpetuam ei dones. Te rog
Ut fontem lacrymarum ei dones. Te rog.
Ut gratiam sancti Spritus cordi illius infundere digneris. Te rogamus.
Ut spacium pœnitentiæ, si fieri potest, ei dones. Te rogamus.
Ut intercessionem et solatium sanctorum ei dones. Te rogamus.
Ut in præsenti periculo ei succurrere digneris. Te rogamus.
Ut repellas ab eo omnes principes tenebrarum. Te rogamus.
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris. Te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam in eo exaltare digneris. T. r.
Ut nos exaudire digneris. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus audi nos. III.
Agne Dei qui tollis peccata mundi. Parce isti Dne.
Agne Dei qui tollis peccata mundi. Miserere isti D.
Xpe audi nos. III. Kyrie el.
Xpe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Et ne nos ind.
Salvum fac servum tuum.
Mitte ei Domine.
Exurge Domine.

Sequitur Oratio.

Omnipotens mitissime Deus respice propitius preces nostras, et libera cor famuli tui de malarum temptatione cogitationum, ut sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per.

Alia. Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæsumus cor famuli tui gratiæ tuæ splendore, ut digna maiestati tuæ cogitare, et diligere valeat. Per.

Alia. Dimitte Dne peccata nostra et tribue nobis misericordiam tuam qua oris nostri alloquio deprecatus, famuli tui humilitatem et angustiam adtendas, vincula solvas, delicta deleas, tribulationem inspicias, effectumque peticioni nostræ largiens clementer exaudias. Per. *His ita explicitis roget sacerdos confessor infirmi alios sacerdotes, ut dicant super eum orationes has, quæ sunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem.*

Oratio.

Deus misericors, Deus clemens. *Alia.* Maiestatem tuam. *Alia.* Maiestatem tuam quæsumus Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris; respice flentem famulum tuum, adtende prostratum, eiusque planctum in gaudium tua miseratione converte. Scinde delictorum saccum, et indue eum lætitia salutari, ut post longam peregrinationis famem de sanctis altaribus tuis satietur, ingressusque cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per. *Deinde faciant aquam benedictam sale aspersam et aspergant eam, cum antiph. et orationibus super ipsum infirmum, et in domo, qua iacet. Post hæc a sacerdote dicatur oratio.*

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es, infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, unguentes eum oleo sancto in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittuntur ei. Cura quæsumus redemtor noster gratia Spiritus sancti languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, ac dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis ac corporis ab eo expelle, et plenam ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, et sanatus ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Qui cum Patre vivit et regnat Deus. *Et sic flectat genua, qui est languidus ad dextram sacerdotis sic et decantetur Ant.* Sana Dne infirmum istum cuius ossa conturbata sunt, et cuius anima turbata est valde, sed tu Domine convertere et sana eum, et eripe animam eius a morte. *Ps.* Domine ne in furore. *Cum* Gloria.

Oratio. Oremus Dnm nrm Jesum Xpm, et cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum per angelum suum sanctum visitare, et confortare dignetur. Qui vivit.

Sequitur Antiph. Dnus locutus est discipulis suis, in nomine meo dæmonia eiicientur, super infirmos manus imponite, et bene habebunt. *Ps.* Deus deorum. *Cum* Gloria. *Sequitur Orat.* Deus qui famulo tuo Ezechiæ. *Iterum Ant.* Cor contritum et humiliatum Deus non despicias. *Psal.* Miserere mei Deus. *Cum* Gloria. *Orat.* Respice Dne famulum tuum in infirm. *Ant.* Succurre Dne infirmo isti in præsenti ægritudine et medi-

camine, ut in pristina sanitate a te restitutus gratiarum tibi in ecclesia tua sanus referat actiones. *Ps.* Ad Dnm. *cum* Gloria. *Orat.* Adesto Dne supplicationibus nostris, nec sit ab hoc. *Alia.* Dne Ihu Xpe, qui es salvatio et redemtio nostra, et qui es vera salus et medicina, et a quo omnis sanitas et medicamentum venit: qui apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes tuæ postulemus misericordiam pietatis; respice propitius super hunc famulum tuum ab illa mirabili sumitate cœlorum, ut quem languor curvat ad exitum, et virium contractio jam pertrahit ad occasum, medela tuæ gratiæ saluti restituat castigatum. Extingue in eodem libidinum et febrium actus, dolorum stimulos, ac vitiorum opprime cruciatus, ægritudinum, et cupiditatum tormenta dissolve, superbiæ inflationem, timoremque compesce, ulcera et putredines vitiorum evacua, viscerum interna, cordiumque ac medullarum et cogitationum sana discrimina, conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices, physicis, typicisque adesto periculis, veteres immensasque remove passiones, opera carnis sanguinisque materiam compone, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue, sicque illum jugiter custodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem te auxiliante nunc perducat infirmitas: fiatque illi hæc olei sacra peruntio contra morbi præsentis expulsio, et peccatorum omnium optata remissio, te concedente, Salvator mundi, qui vivis et regnas.

Alia.

Propitietur Dnus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, et sanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus, et corroboret ac faciet in bonis omnibus desiderium ipsius, qui solus in Trinitate unus Deus vivit et regnat per immortalia sæcula sæculorum. Amen. *His ita peractis, septem continuos dies* (147) *si necessitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio faciant illi*, et suscitabit eum Dominus ad salutem, et si in peccatis fuerit, dimittuntur ei, *ut apostolus dicit. Debent etiam ex ministris sanctæ Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies vespertinales et matutinales laudes cum antiph. et responsor. sive lectionibus et orationibus ad hoc pertinentibus. Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis et in necessitate laborantibus majestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum in augustiis et necessitatibus laborantem consolationibus suis adtollat, quibus et de præsenti consequatur auxilium et æterna remedia comprehendat. Per.

Missa quando anima in agone exitus laborat.

Ant. Circumdederunt me gemitus mortis. *Ps.* Diligam te Dne. Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, qui quos diligis corripis, et quos recipis pia emendatione coerces, te invocamus Dne, ut medelam tuam conferre digneris famulo tuo, qui in corpore patitur membrorum debilitatem, vim laboris, stimulos infirmitatum; da ei Domine gratiam tuam in hora exitus illius de corpore, ut absque peccati macula tibi datori proprio per manus sanctorum angelorum repræsentari mereatur ejus anima. Per.

Alia.

Afflictionem famuli tui quæsumus Dne intende placatus, ut indulta venia peccatorum de tuis semper beneficiis glorietur. Per. *Alia.* Præsta Domine famulo tuo quæsumus consolationis auxilium, et diuturnis calamitatibus laborantem propitius respirare concede. Per.

Lect. Hieremiæ Prophetæ.

In diebus illis dixit Hieremias. Domne, omnes, qui te derelinquunt confundentur. Recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me Domine et sanabor, salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me, ubi est verbum Domini? veniat. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens, et diem hominis non desideravi. Tu scis quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis mihi tu formidinis spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persecuntur et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego. Induc super eos diem afflictionis, et duplici contricione contere eos Domine Deus noster.

Grad. Adiutor meus et liberator meus esto, Domine, ne tardaveris. ℣. Confundantur et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Secundum Johannem.* In illo tempore dixit Ihs discipulis suis. Amen amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos. Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini. Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

(147) Hunc ritum continuandi per septem integros dies extremam unctionem sequuntur plerique rituales ante et post annum Christi millesimum ac etiam sequens sæculum XII, quo Gaufridus *Vindocinensis* lib. II, epist. 19. Ivo *Carnotensis* apud eumdem epistola sequenti, Theobaldus *Senonensis S. Columbæ* abbas aliique infirmorum unctionem non solum in eadem ægritudine, sed in diversa etiam non magis iterandam censebant quam baptismum, confirmationem et ordines. Quorum sententiam refutavit Petrus *Cluniacensis*, *Lombardus* et alii.

Offert. Benedictus es Domine doce me justificationes tuas. Benedictus es Dne doce me justificationes tuas in labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui.

Secreta. Adesto Dne pro tua pietate supplicationibus nostris, et suscipe hostiam, quam tibi offerimus pro famulo tuo N jacente in grabatto præstans salutem non corporis, sed animæ suæ petente prs omps Dns indulgentiam ei omnium iniquitatum suarum propter immensam misericordiam tuam, et per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, ut per hoc quod sustinet flagellum, a sanctis angelis tuis suscepta ejus anima pervenire mereatur ad A tuæ gloriæ regnum. Per. *Infra act.* Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro famulo tuo N. quæsumus Dne ut placatus accipias, et des ei cœleste desiderium in exitu de corpore suo, et spiritum refrigerii. Per.

Com. Redime me Deus Israel. *Ad complendum.* Gratias agimus Dne multiplicibus largitatibus tuis, ex quibus animas in te sperantium sanare consuevisti. Nam confisi de tua pietate precamur, ut miserere digneris famulo tuo, ne prævaleat adversus eum adversarius in hora mortis illius de corpore, sed transitum mereatur ad vitam. Per.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

(Ex cod. Rhenang. sæc. XI cir.)

Cum ungendus est infirmus, tunc sacerdos indutus alba et stola, præcedit cum oleo infirmorum, aqua benedicta, cruce, et duobus candelabris, et conventus sequitur, psalmo Miserere *imposito, dicendaque primo hæc collecta a sacerdote.* Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum apostolum tuum dixisti. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittuntur ei. Te suppliciter exoramus, ut hic famulus tuus per ministerium nostræ unctionis, et donum tuæ sanctæ pietatis, peccatorum suorum veniam consequi, et ad vitam æternam pervenire mereatur. Per. B

Imponuntur VII. psalmi cum antiphonis istis :

Ant. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde : sed tu Domine convertere, et eripe animam meam. *Psal.* Domine ne in furore.

Ant. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum : hic cum audisset, quia Iesus veniret in Galileam, rogabat eum, ut sanaret filius ejus. *Ps.* Beati, quorum.

Ant. Domine puer meus jacet paraliticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, et curabo eum. *Ps.* Dne ne in furore.

Ant. Cor contritum, et humiliatum Deus ne despicias ; sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei Deus. *Ps.* Miserere. D

Ant. Domine descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur : Dicit ei Jesus : vade filius tuus vivit. *Ps.* Domine exaudi.

Ant. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Ps.* De profundis.

Ant. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad Jesum et curabantur. *Ps.* Domine exaudi.

Interim sacerdos hoc modo facit unctionem : Pollici oleum illinit, et cum pollice signum imprimit super utrumque oculum ita dicendo, singulis autem vicibus repetendo : Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus (Jes. Christ.) quidquid peccasti (deliquisti) per visum, per auditum, per gustum, per odoratum, per tastum, per incessum (pedum), per ardorem libidinis.

Postea preces istæ cum seq. collectis dicuntur :

Salvum (salvam) fac servum (ancillam) tuum (tuam)

Mitte ei Domine auxilium de sancto.

Nihil proficiat inimicus in eo (ea).

Esto ei Domine turris fortitudinis. C

Dominus vobiscum. *Oremus.*

Deus, qui famulo tuo ter quinos annos ad vitam donasti, ita et famulum tuum a lecto egritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Respice Domine famulum tuum infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove, quam creasti ; ut castigationibus emendatus continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum.

Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, et visita in salutari tuo, ac cœlestis gratiæ præsta medicinam. Per Christum. D

Deus qui humano generi, et salutis remedium, et vitæ æternæ munera contulisti ; conserva in famulo tuo tuarum dona virtutum : et concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, et omnem infirmitatem

præcepti tui potestate repellis, adesto propitius huic famulo tuo; ut fugatis infirmitatibus et viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per X.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra et membra vegetentur super hunc famulum tuum, propitiatus intende: ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Dominum.

Exaudi, Domine, preces nostras, et tibi confitentis parce peccatis; ut quem conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Præveniat hunc (hanc) famulum (famulam) tuum B (tuam) quæsumus Domine misericordia tua: ut iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice quæsumus ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur, tuum esse ablutionem dare criminum, et veniam præstare peccantium, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem; concede ergo Domine hoc; ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, et correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Adesto Domine supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miseratio: sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te separatus tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Adesto Domine supplicationibus nostris; et me qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: ut quem non electione meriti sed dono tuæ gratiæ constituisti operis hujus ministrum; da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per.

Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per.

Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui sanguine redemisti; vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori desideras; et qui non dereliquisti devium, assume correctum. Moveant pietatem tuam quæsumus Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus; tu jacenti manum porrige salutarem, nec ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur; ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, nec renatum lavacro salutari mors A secunda possideat. Tibi ego Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus; tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate peccata sua te adjuvante defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam æternæ damnationis evadat, et nesciat, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis; atque ab erroris via ad iter reversis justitiæ nequaquam ultra vulneribus saucietur, sed integrum sit ei, atque perpetuum, et quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per eundem.

Deus infirmitatis humanæ singularis præsidium, auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus ecclesiæ tuæ sanctæ representari mereatur. Per.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem nominis tui benignus assiste, et hunc famulum tuum liberatum ab ægritudine et sanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, et ecclesiæ tuæ, sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi.

Renova in eo piissime Pater, quidquid terrena C fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est; et in unitate corporis ecclesiæ tuæ membrorum perfectam remissionem restitue. Miserere Domine gemituum, miserere lacrimarum, et non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Majestatem tuam Domine supplices deprecamur, ut huic famulo tuo squalore pœnitentiæ macerato miserationis tuæ veniam largiri digneris: ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per.

Absolve Domine animam famuli (æ) tui (æ) per intercessionem beatissimæ Dei genitricis Mariæ, et D beati Petri, et omnium Sanctorum ab omni vinculo delictorum, antequam separetur a membrorum compagine terrenorum, et præsta ut cum cœperit a corpore separari, mereatur a beatissimis et benignissimis angelis suscipi, atque tuis piissimis conspectibus præsentari, et in sinum beatæ requiei te donante deduci. Per.

Si exitus ejus tardior fuerit agenda est ipso domno Abbate vel Priore pronuntiante Letania hoc modo:

ORDO DE SACRIS ORDINIBUS.

Psalmista, id est cantor, posteaquam ab archidiacono instructus fuerit, potest absque scientia Epi, sola jussione presbiteri officium suscipere. Vide, ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis, operibus probes.

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradet ei episcopus claves ecclesiæ de altare dicens : Sic age quasi redditurus sis Deo rationem pro his rebus quæque istis clavibus recluduntur. *Et tradet ei diaconus ostium ecclesiæ.*

PRÆFATIO OSTIARII.

Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum nomine ill. benedicere dignetur, quem in officium Ostiarii eligere dignatus es, ut sit ei fidelissima cura in diebus ac noctibus ad distinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Dni, per.

BENEDICTIO EJUSDEM.

Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. ostiarium, ut inter janitores ecclesiæ paret obsequia, et electos tuos partem tuam mereantur habere mercedis per.

ORDINATIO LECTORIS.

Lector cum ordinatur, facit de illo verbum Episcopus ad plebem, judicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium. Post hæc expectante plebe, tradet ei codicem, de quo lecturus est dicens ad eum : Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei ministraverint; eligunt te fratres tui, ut sis lector in domo Dei tui, et agnoscas officium tuum, ut impleas illud; potens est enim Deus tuus, ut augeat tibi gratiam, quod ipse præstare dignetur, qui regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, amen.

Quæ hic loci in codice Turicensi ob folium excisum desiderantur, integra damus ex Einsidlensi, sæc. x *circ.*

ORDINATIO EXORCISTÆ.

Domine sancte Pater . . *Exorcista cum ordinatur, accipiet de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi dicente sibi episcopo.* Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem inponendi manum super energuminum sive baptizatum sive catiçuminum.

PRÆFAT. EXORC.

Deum Patrem omnipotentem. *Bened. Exorcis.* Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus.

ORDINATIO ACOLITI.

Acolitus cum ordinatur primum ab episcopo doceatur qualiter in officium ejus agere debeat. Sed ab archidiacono accipiat cereoferarium cum cereo, ut sciat se accendenda ecclesiæ luminaria mancipare. accipiat et orciolum vacuum ad suggerendum vinum in choristia corporis. Domine sancte Pater.

ITEM ORDO QUALITER IN ROMANA SEDIS APOSTOLICÆ PRESBYTERI DIACONI ET SUBDIACONI ELIGENDI SUNT.

Mensis primi quarti septimi et decimi sabbatorum die in XII. lect. ad sanctum Petrum ubi missa celebratur. postquam autem ad introitum dixerint data oratione adnuntiat Pontifex in populo dicens. Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo. *Iterum dicit* auxiliante Dno et Salvatore nostro Jesu Christo. Elegimus in ordine diaconi sive presbyteri. ill. subdiaconum de titulo illo. si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Domino et propter Dominum cum fiducia exeat, dicat. Verumtamen memor sit communioni suæ, *et post modicum intervallum mox incipiunt omnes* Kirie eleison *cum lætania. Hac expleta ascendunt ipsi electi ad sedem pontificis. et benedicit eos a quo vocati sunt et descendunt stant in ordine suo benedic. pcepta.*

CAPITULA SANCTI GREGORII PAPÆ.

Sicut qui invitatus renuit quesitus refugit sacris est altaribus removendus; sic qui ultro ambit vel importunus se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictum convertitur, quia ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur. Paulus apostolus præcepit Timotheo, Manus cito nemini inposueris, neque communicaveris peccatis alienis; quid est, cito nemini manum inposueris, nisi ante ætatem maturitatis? ante tempus examinis? ante meritum laboris? ante experientiam disciplinæ? sicut boni operis confortat fructus, qui rectum scrutatur in eligendo sacerdote judicium, ita gravi semetipsum efficit damnum, qui in suæ dignitatis collegium sublimat indignum.

ORDINATIO SUBDIACONI.

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus inpositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi accipiat orciolum cum aquamanile ac manutergio

PRÆFATIO SUBDIACONI.

Oremus Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, ut servum suum ill. quem ad suum diaconatus officium evocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam, ut in conspectu suo fide-

liter serviens, prædestinata sanctis prœmia consequatur, per.

BENEDICTIO SUBDIACONI.

Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. quem ad subdiaconatus officium ellegere dignatus es, uti eum sacrario tuo sancto strenuum sollicitumque cœlesti militiæ instituas, et sanctis altaribus fideliter subministrent, et requiescant super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; reple eum spiritu timoris tui, ut eum ministerio divine confirmes, ut obediens facto, atque dicto parens, tuam gratiam consequatur, per.

ORDINATIO DIACONI.

Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

BENEDICTIO EJUSDEM.

Oremus dilectissimi Deum patrem omnipotentem super hunc famulum tuum ill. quem in sacro ordine dignatus es assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eique donum consecrationis indulgeat, per quod eum ad prœmia æterna perducat.

Alia.

Exaudi Dne preces nostras, et super hunc famulum tuum ill. spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditatus et tuæ gratiæ possit majestatem adquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere.

CONSECRATIO.

Adesto quæsumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinumque distributor, et officiorum dispositor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis; per verbum et virtutem sapientiamque tuam Jesum Christum filium tuum Dnm nostrum sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas; cujus corpus ecclesiam tuam cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius conpaginis unitam, in augmentum templi tui crescere, dilatarique largiris sacri muneris virtutem, trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubis permanentes hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent; super hunc quoque famulum tuum ill. quæsumus Dne placatus intende, quem tuis sacris serviturum in officium Diaconatus suppliciter dedicamus, et nos quidem tamquam homines divini sensus et summæ rationis ignari hujus vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem Dne ea, quæ nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt; Tu cognitor es secretorum, tu scrutator es cordium, tu eorum, ejus, vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales et admissa purgare, et ea quæ sunt agenda concedere.

Emitte in eum Dne quæsumus Spiritum sanctum, quod in opus ministerii fideliter exequendi septiformis gratiæ munere roborentur, habundet in eum totius forma virtutis, auctoritas, modestia, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritalis observatio disciplinæ, in moribus eorum, ejus, præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctæ plebis adquirant, et bonum conscientiæ testimonium proferentes, firmus et stabilis perseveret, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur, per.

ORDINATIO PRESBYTERI.

Presbiter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbiteri, qui præsentes manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant.

BENEDICTIO PRESBYTERORUM.

Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum ill. quem ad presbiterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, et qui ejus dignationem suscipiunt, et ejus exequantur auxilio, per.

Sequitur oratio.

Exaudi nos Dne Deus noster, et super hunc famulum tuum benedictionem sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetuam muneris largitatem consequaris, per.

CONSECRATIO.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum; unde et sacerdotales gradus, atque officia levitarum Sacramentis misticis instituta creverunt; ut cum pontifices summos regendis populis præfecisse ad eorum societatis et operis adjumentum sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis elegeris; sic in beremo per septuaginta virorum prudentium mentem Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro et in Ithamaro paternæ beatitudinis habundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentiores officiis Sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum; hæc providentia Dne Apostolis filii tui doctores fidei presbiterii comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt; quapropter infirmitati quoque nostræ Dne quæsumus hæc adjumenta largire, qui quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da quæsumus omnipotens Pater in hunc famulum tuum presbiterii dignitatem, innova in visceribus ejus Spiritum sanctitatis, acceptum a te Deus secundum meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent, sint probi cooperatores ordinis nostri, elu-

ceat in eum totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi crediturі æterna beatitudinis præmia consequatur, per.

PRESBYTERORUM CONSECRATIO MANUUM.

Consecrare et sanctificare digneris Dne manus istas per istam hunctionem et nostram benedictionem, ut quæcunque consecraverint consecrentur. *Cætera desunt, quæ, uti in cod. Einsidl. habentur, hic addimus.*

ORDINATIO EPISCOPI.

Episcopus cum ordinatur, duo episcopi teneant et ponant evangeliorum librum super cervicem ejus, et unus fundat benedictionem. Reliqui omnes Episcopi qui adsunt manibus suis caput ejus tangant.

BENEDICTIO EPISCOPORUM.

Adesto Domine. *Sequitur.* Propitiare Domine. *Consecratio.* Deus bonorum omnium. *Oratio ad missam.* Deus bonorum omnium. *Super oblata.* Hæc hostia. *Infra accione.* Hanc igitur oblationem. *Ad Communionem.* Hæc nos communio. *finit.*

(Ex Cod. Vind. Th. 149. sæc. IX. olim Augiensis monast. [148].)

BENEDICTIO EPISCOPORUM.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dom.

Alia. Propitiare Dne supplicationibus nostris. et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dom.

CONSECRATIO.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus. Deus qui Moysen famulum tuum secreti familiaris afflatu inter cetera cœlestis documenta culturæ de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis piorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati. Cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species optineret et apud nos certiora essent experimenta rerum quam enigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est. Et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur optutibus. ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus Domine gratiam largiaris, ut quic- A quid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multis modis operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. Comple in sacerdote tuo mysterii tui summam et ornamentis totius glorificationis instructum cœlestis unguenti flore sanctifica. Hoc Domine copiose in ejus caput influat, hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema discendat. Ut tui Spiritus virtus et interiora ejus repleat et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Tribuas ei cathedram episcopalem ad regendam ecclesiam tuam et plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei firmitas, sis potestas, multiplices super eum benedictionem et gratiam tuam, ut ad exorandam misericordiam tuam tuo munere semper ido- B neus tua gratia possit esse devotus. Per Dom.

SUPER OBLATA.

Hæc hostia Domine quæsumus emundet nostra delicta, et sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per D

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo ill. quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus Dne, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est. Divinis effectibus exsequatur, diesque etc.

AD C.

Hæc nos Communio Domine purget a crimine, et C cœlestibus remediis faciat esse consortes. Per Dnum. (149)

AD ORDINANDUM PRESBYTERUM.

Oratio. Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet. Per Dom.

Alia. Exaudi nos quæsumus Domine Deus noster, et. etc.

CONSECRATIO.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, bonorum auctor, etc.

AD ORDINANDUM DIACONUM.

Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipoten- D tem, etc.

Alia. Exaudi Domine preces nostras, et super hunc famulum tuum, etc.

CONSECRATIO.

Adesto quæsumus omnipotens Deus honorum dator Ordinum.

(148) In msc. bibl. Cæs. theol. 277 habetur peculiaris *ordo qualiter episcopus in Romana Ecclesia ordinatur*, ibique post Introitum, *Gloria in excelsis* et orationem processionemque jam consecrandi. Incipit examinatio in ordinatione episcopi secundum *Gallos*, eadem quæ in Pontificali *Romano* habetur; *Antiqua sanctorum Patrum institutio docet*, etc.

(149) In eodem codice immediate ante missas votivas, quarum prima est die Dominica de sancta Trinitate, additur de ordinatione episcopi : *Ad pontificem ordinandum quæ addi debeant in consecratione, cujus initium est :* Deus honorum omnium, *ad locum*, et idcirco huic famulo tuo quem apostolicæ sedis præsulem et primatum omnium qui in orbe terrarum sunt sacerdotum ac universalis Ecclesiæ tuæ doctorem dedisti et ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus, Domine, gratiam largiaris. Tribuas ei cathedram pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam.

Orationes istæ dicendæ sunt a domno papa super archiepiscopum ante pallium.

(Ex ms. Vindob. theol. 277, sæc. XII, vel XIII.)

Domine Deus omnipotens Pater, qui non propriis suffragantibus meritis, sed sola ineffabili gratiæ tuæ largitate istum famulum tuum N. populo tuo præesse jussisti; tribue ei per gratiam Spiritus sancti tui digne tibi persolvere ministerium sacerdotalis officii, et ecclesiasticis convenienter servire ministeriis, plebemque commissam ad gloriam tui nominis te in omnibus protegente gubernare concede. Per ejusdem.

Alia. Deus innocentiæ restitutor et amator, dirige hunc famulum tuum N. Spiritus tui fervore, ut in fide inveniatur stabilis, et in operibus tuis efficax, illumina eum lumine sapientiæ, munda eum et sanctifica, da ei consilium rectum, doctrinam sanctam, ut qui eum inter summos sacerdotes voluisti numerare, concede, ut, quod humano ore eum voluisti vocari, hoc in conspectu tuo per gratiam tuæ pietatis possit fieri, ut cum electis tuis æternæ vitæ beatitudinem percipere mereatur. Per.

Dato pallio dicitur oratio.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus regum et Dominus dominantium, clementiam tuam humiliter exoramus, nec non et unigeniti Filii tui Dni nri Jhu Xpi, qui omnes æterno pontificatu supereminens, solus sine macula sacerdotale ministerium implevit, simulque sancti Spiritus, cujus septiformis gratia cœlesti virtute cuncta sanctificat, ut hunc famulum tuum N. divinæ providentiæ gratia largiente a minoribus usque ad majora per gradus ascendentem supernæ pietatis tuo gremio gratanter suscipias, et quia nobis indignis, quos sedis apostolicæ summæque ministros servitutis, non exigentibus meritis, sed dono clementiæ tuæ constituisti, salutaribus indumentis ad sacri altaris officium foras vestitus in præsenti apparet, ab omnibus criminum contagiis castigatus, perpetuo Spiritus tui sanctificatione intus impleri mereatur, vivisque fontis fluentis irrigatum virtutum fructibus crescere, et coram omnibus clarescere concedas, ut ejus vita aliis possit exempla præbere. Sit ei honor pallii ornamentum animæ, et unde advenit fastigium visibile, inde florescat amor invisibilis, tua divina potentia eum corroboret, tui Filii virtus viscera ejus fœcundet, tui Spiritus gratia interiora ejus impleat: per te firmitatem fidei catholicæ non solum sibimet servandi, sed etiam alios docendi causa conservet: per te cathedræ episcopalis ecclesiæ scutum non solum a spiritualibus, sed etiam a corporalibus nujus sæculi adversitatibus habere mereatur: per te apostolicæ dignitatis in cœlis et in terris, solvendi et ligandi non solum corpora, sed et animas divina Deitatis gratia dominicum suscipiat, ut ita dignis successibus devote degens ad destinata sanctis præmia perveniens, æternam accipiat beatitudinem. Per (150).

GREGORIUS VICTORI EPISCOPO.

(Ex ms. Vindob. theol. 277, sæc XII vel XIII.)

Quisquis metropolitanorum, quod minime credimus, sine pallio aliquem ordinare præsumpserit, et ordinatur, et qui ordinatur, et cooperatores irrecuperabiliter ab omni ordine deponantur. Oremus dilectissimi fratres, ut Deus et Dns nr Jhs Xps nos et electum nostrum gratia Spiritus sancti illustrare dignetur. Per. in unitate ejusdem. *Deinde dicatur iste versiculus.* Et exaltent eum in ecclesia plebis. Et in cathedra seniorum laudent eum. *Post mittatur in cathedram, et dicatur hæc oratio.* Omnipotens Pater sancte Deus æterne, tu hominem dignatus es in cœlestibus sedibus ordinare, ut ait Psalmista. Domine in æternum permanet Verbum tuum in cœlo, angelos et archangelos suo tibi ordine mancipari voluisti, in Veteris Testamenti privilegio Moysen et Aaron et Samuelem inter eos in sacerdotibus suis, qui invocant nomen ejus prædestinati, patriarchas et prophetas perungi ordinasti, in novo per Filium tuum Jesum Christum apostolos sanctos nobis omnibus tuis servis ad solatium elegisti, primum Petrum apostolum in cathedram honoris enumerasti, et in numerum sanctorum omnium apostolorum evocasti, ut Spiritus sanctus ait per Prophetam: In cathedra seniorum laudet eum. In illis temporibus divino nutu de aliis similibus his similia contigerunt. Et tu Domine pro tua immensa misericordia in nostris temporibus da similem gratiam fratri nostro N. adinstar sanctorum apostolorum tuorum sedentium in cathedra honoris et dignitatis, ut in conspectu majestatis tuæ dignus honore appareat, et in ipso honore omnibus sibi subjectis, omnigenarum exempla virtutum dictis et factis omni humilitate præbendo mereatur, ut post hanc vitam inter angelicos choros æternarum sedium solio sublimetur. Per eumdem.

Pontificale ms. biblioth. Sno-Blas. sæc. XIV. *Ad faciendum ordines sacros statutis temporibus* ritum similiter a psalmista orditur secus ac Pontificale Romanum, a quo etiam passim differt. Ita vero incipit:

Ad celebrandum sacros ordines episcopus indutus plenis pontificalibus ut supra notatum est, cum debito

(150) Nuper Benedictus XIV, qui de synodis lib. II, c. 6, ostendit pontificem R. etiam episcopis potestatem dedisse λόγιον, πολυστάυριον, seu φαινόλιον, ut Græcis pallium dicitur, gestandi, benedictionem etiam solemnem pallii ordinavit. Licet enim, ut singulari bulla eam in rem edita loquitur, non dubitaverit, quin pallii traditioni seu transmissioni solemnis semper præmissa fuerit benedictio, *quia tamen hujusmodi benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum subiisse dignoscitur, officii nostri*, pergit, *esse judicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus observandam constituere, ac præsentium literarum auctoritate firmare.* Constitutionem hanc dedit integram *Jos.* Catalanus t. I Cæremonialis S. R. E., p. 341; legi etiam merentur, quæ item in Cæremoniali episc. t. I, c. 16, §, commentatur de forma pallii decurtari cœpta Sixti IV ætate. Vid. idem ad Pontificale R., lib. I, tit. 14; Ducangius, de inferioris ævi numismatibus § 6, 7, 9; *Jo.* Maragonius in proleg. ad chronologiam R. P. basilicæ *Ostiensis* c. 10, Barthelius de Pallio.

ordine ministrorum missam dicturus ad altare procedat et dicta prima collecta, vocentur ordinandi, et sedens super sedem suam legat vel per alium legi faciat prohibicionem istam.

Auctoritate Dni nri Jesu Christi et Ecclesie omnibus vobis sub excommunicacionis pena firmiter precipimus et mandamus, ut nulli servi dominorum nisi manumissi sint, nulli clerici alterius dyocesis absque licencia seu litteris dimissorialibus sui episcopi, nulli excommunicati, nulli illegitime nati, nisi cum eis sufficienter fuerit dispensatum, nulli furtive aut in membris suis enormiter viciati, nisi ex certa sciencia examinatorum probati sint, et admissi, nulli ordines minores cum aliquo ordine sacro, aut etiam sacrum cum sacro simul recipiendo, nulli etatem sufficientem non habentes, nulli per saltum et nulli, qui prophanaverunt contra mandata apostolica, nisi cum eis sufficienter fuerit dispensatum, aut quibus alias canonicum obstat impedimentum, hic expressum vel non expressum, presumant accedere, nec ad hos sacros ordines accedant. Si secus attemptatum fuerit a quoquam irritum cernimus et inane, et penam supradictam excommunicacionis se noverit incurrisse.

Lecta prohibicione ista, archidiaconus vel alter, cui episcopus injunxerit ad faciendum, per modum lectionis dicat. Postulat sancta mater Ecclesia reverende pater hos viros ordinibus aptos a vestra paternitate consecrari. *Episcopus dicat :* Vide, ut natura, sciencia et moribus tales per te introducantur, immo per nos tales in domo Dni ordinentur persone per quas dyabolus procul pellatur, et clerus Deo multiplicetur. *Item clericus :* Quantum ad humanum spectat examen, natura, sciencia et moribus digni habentur, et probi cooperatores in his Deo volente effici possunt. *Episc.* : Auxiliante Dno Deo et Salvatore nostro Jesu Christo eligimus hos viros consecrandos : siquis autem habet aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor sit condicionis sue. *Post hec episcopus procumbat super sedem suam flexis genibus, et cantetur a duobus clericis letania prout supra notatum est, in qua loco suo surgat, et conversus ad ordinandos dicat.* Ut istos ordinandos bene†dicere sancti†ficare et conse†crare digneris. Te rogamus audi nos. *Ter episc. istud repetat. Et postea ab illis clericis compleatur letania.* Ut pontificem nrm in sancta religione conservare digneris. Te rogamus audi nos.

Item episcopus reponat se super sedem suam usque ad finem letanie. Qua finita sedeat super sedem suam, et ordinandis tradat antiphonarium dicens : Videte, ut quod ore cantatis, corde credatis, et quod corde creditis, operibus comprobetis. *Quo dicto, surgat et dicat super eos orationem. Stando sine mitra.*

Dnus vobiscum.

Oremus dilectissimi fratres Dnm nrm Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendas comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eis perpetuum conservet, et a mundi impedimento atque a seculari desiderio corda eorum defendat, ut sicut immutantur vultibus, ita manus dextera Dei eis virtutum tribuat incrementa, et ab omni cecitate spiritali vel humana oculos eorum aperiat, et lumen eis eterne gracie concedat. Qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. *Clerus.* Amen. *Episc.* Oremus. *Dyaconus.* Flectamus genua. Levate. *Episc. orationem dicat :* Tradat superpelicium : Adesto Domine supplicationibus nostris, et hos famulos tuos bene†dicere dignare, quibus in tuo nomine habitum religionis imponimus, ut te auxiliante devoti in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereantur eternam. p. Dnm. *Episc. sedeat et dicat :* Tu es Dne, qui restitues hereditatem meam mihi, etc.

ORATIO AD SPONSAS BENEDICENDAS.

(*Ex cod. Bibl. Cæs. th.* 149, *sæc.* IX, *olim Augiensis monasterii.*)

Exaudi nos omnipotens et misericors Deus, ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per.

Secreta. Suscipe quæsumus Domine pro sacra connubii lege munus oblatum, et cujus largitor es operis, esto dispositor. Per.

Præfatio. VD. et justum est æquum et salutare. Qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo et insolubili pacis vinculo nexuisti, ut adoptionem filiorum sanctorum connubiorum fecunditas pudica servaretur. Tua enim Domine providentia tua gratia utrumque dispensat, ut quod generatio mundi edidit ad ornatum, regeneratio ad ecclesiæ perducat augmentum. Et ideo cum angelis et archangelis. Hanc igitur oblationem famulorum tuorum quam tibi offerunt pro famula tua ill. quam perducere dignatus es ad statum mensuræ et ad diem nuptiarum pro qua majestati suæ supplices fundimus preces, ut eam propitius cum viro suo copulare digneris. Quæsumus Domine ut placatus accipias. *Antequam dicatur* Pax Domini, *dicit orationem.*

Propitiare Domine supplicationibus nostris, et institutis tuis quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus adsiste, ut quod te auctore jungitur, te auxiliante servetur. Per D.

Benedictio. Deus qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti : qui dispositis universitatis exordiis hominem ad imaginem Dei facto ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut femineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex uno placuisset institui, nunquam liceret disjungi. Deus qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi et Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier jungitur viro et societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam. Respice propitius super hanc famulam tuam, quæ, maritali jungenda consortio, tua expetit protectione muniri. Sit in ea jugum dilectionis et

pacis. Fidelis et casta nubat in Christo, imitatusque Sanctorum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longæva et fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet. Nexa fidei mandati permaneat uni toro juncta, contactus inlicitos fugiat; muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita. Sit fecunda in sobole, sit probata et innocens, et ad beatorum requiem, et ad cœlesti regna perveniant, et videant filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam progeniem, et ad optatam perveniant senectutem. Per. Pax Domini sit semper vobiscum. *Ad Com.* Quæsumus omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio amore comitare, ut quos legitima societate connectis, longæva pace custodias. Per (151).

ORATIO AD VISITANDUM INFIRMUM.

(*Ex cod. Vindob. theol.* 149, *sæc.* IX, *Sacramentar. Augiensi.*)

Deus qui famulo tuo Ezechiæ, etc. *Alia.* Respice Dne famulum tuum, etc.

ORATIO SUPER PŒNITENTEM.

Da nobis Domine, ut sicut publicani precibus et confessione placatus es, ita et huic famulo tuo ill. placare, et precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permanens, et petitione perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus et Sacramentis restitutus, rursus cœlesti gloriæ mancipetur. Per.

ORATIO AD AGAPE PAUPERUM.

Da Domine famulo tuo ill. sperata suffragia obtinere, ut qui tuos pauperes vel tuas ecclesias memoratur, Sanctorum omnium simul, et beati martyris tui Laurentii mereatur consortia, cujus nunc est exempla secutus. Per dnm.

ORATIO AD CAPILLATURAM.

Omnipotens sempiterne Deus respice propitius super hunc famulum tuum ill. quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei remissionem omnium peccatorum, atque cœlestium donorum consortium esse percepturum. Per.

ORATIO AD CLERICUM FACIENDUM.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, et huic famulo tuo Il. qui ad deponendam comam capitis sui propter amorem Christi filii tui festinat, da Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eo perpetuo custodiat, et a mundi impedimentis vel sæculari desiderio cor ejus defendat, ut sicut immutatur in vultu, ita manus dexteræ tuæ in eum virtutis perfectionem tribuat, ut ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat, et lumen æternitatis gratiæ concedat. Per.

ORATIO AD BARBAS TONDENDAS (152).

Deus cujus spiritu creatura omnis incrementi adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum ill. juvenilis ætatis decore lætantem, et primis auspiciis ad tondendum; exaudi Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio cœlestem benedictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat et æternæ. Per.

ORATIO AD DIACONAM FACIENDAM.

Exaudi Domine preces nostras et super hanc famulam tuam ill. spiritum tuæ benedictionis emitte, munere ditata, et tuæ gratiam possit majestatis adquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per dnm.

ORATIO AD ANCILLAS DEI VELANDAS.

Famulas tuas Domine tuæ custodia muniat pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante susceperunt te protegente in læsum custodiant. Per.

ORATIO AD ABBATEM FACIENDUM VEL ABBATISSAM.

Concede quæsumus omnipotens Deus et famulum tuum ill. vel illam, quem ad regimen animarum elegimus gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

ORATIO TEMPORE BELLI.

Omnipotens et misericors Deus, a bellorum nos quæsumus turbine fac quietos: quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis et mentis et corporis. Per Dnm.

Alia. Omnipotens Deus Romani nominis inimicos virtute quæsumus tuæ comprime majestatis, ut populus tuus, et fidei integritate lætetur, et temporum tranquillitate semper exultet. Per.

ORATIO PRO HIS QUI ITER AGUNT.

Exaudi nos Domine et iter famuli tui ill. inter vitæ hujus pericula tuo semper protegatur auxilio. Per.

ORATIO PRO PLUVIA POSTULANDA.

Terram tuam Domine quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem cœlestibus aquis infunde, atque irriga beneficiis gratiæ sempiternæ. Per.

Alia. Da nobis Domine, quæsumus pluviam salutarem, et aridam terræ faciem fluentibus cœlestibus dignanter infunde. Per Dnm nrm.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes et neminem vis perire, aperi fontem benignitatis tuæ, et terram aridam aquis fluentibus cœlestibus dignantur infunde. Per Dnm.

(151) Quæ hodieque in rituali *Romano* legitur rubrica in ritu celebrandi matrimonii sacramentum, respicit usum antiquissimum, quo veluti benedictionis nuptialis vice erat missa, quam vol. I, p. 258, adduximus eamdem fere, quæ in *Leonino*, *Gelasiano*, *Gregorianis* sacramentariis antiquis, et recentioribus seu hodiernis missalibus legitur, tantum quod in nostro sacramentario ea desideretur, rubrica, quæ locum et modum benedictionis proprie spectat: *Et dicis orationem Dominicam, et sic eam* (sponsam) *benedicis his verbis:* Deus qui mundi crescentis exordium, etc. Sic autem habet rubrica ritualis *Romani* post benedictionem annuli: *His expletis, si benedicendæ sint nuptiæ, parochus missam pro sponso et sponsa, ut in missali Romano celebret, servatis omnibus quæ præscribuntur.*

(152) In Pontificali *Rom.* variat. leguntur in eo etiam tres sequentes orationes.

ORATIO QUANDO MULTUM PLUIT.

Domine Deus, qui in mysterio aquarum salutis tuæ nobis Sacramenta sanxisti, exaudi orationem populi tui, et jube terrores inundantium cessare pluviarum, flagellumque hujus elementi ad effectum tui converte mysterii, ut qui se regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his castigantibus esse correctos. Per.

Alia. Quæsumus omnipotens Deus clementiam tuam, ut inundantiam cohærceas imbrium, et hilaritatem tui vultus nobis impertiri digneris. Per.

ORATIO IN AREA.

Multiplica Domine hanc aream frumenti tui dona repleta (*sic*) et sicut fidelibus tuis tricesimum atque sexagesimum vel centesimum fructum donare consuevisti, ita et famulo tuo ill. præsentis temporis uberius tua dona concede. Per Dnm.

ORATIO PRO PESTE ANIMALIUM.

Deus qui laboribus hominum etiam deminutis animalibus solatia subrogasti, supplices te rogamus, ut sine quibus non habetur (153) humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per.

ORATIO DE MORTALITATE.

Deus qui non mortem sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum quæsumus ad te converte (154) propitius, ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoveas. Per. *Alia.* Populum tuum quæsumus omnipotens Deus ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, ut qui tuæ majestatis flagella formidant, de tua mereantur venia lætari. Per Dom.

ORATIO QUANDO LEVANTUR RELIQUIÆ.

(Ex eodem codice.)

Aufer a nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dom.

ORATIO IN DEDICATIONE ECCLESIÆ(155).

Domum tuam quæsumus Domine clementer ingredere, et in tuorum tibi corde fidelium perpetuam constitue mansionem, ut cujus ædificatione subsistit, hujus fiat habitatione præclara. Per.

ORATIO POST VELATUM ALTARE.

Descendat quæsumus Domine Deus noster Spiritus sanctus tuus super hoc altare, qui et populi tui dona sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per.

AD MISSAS.

Deus qui invisibiliter omnia contines, etc. *ut in missali Rom.*

Alia. Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum. *Alia.* Deus qui ex omni coaptatione.

Secreta. Omnipotens sempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum, etc.

Præfatio. VD. et justum est æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere. Dne sce Pater omnipotens æterne Deus per Christum Dominum nostrum. Per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc sanctis usibus præparatum cœlesti dedicatione sanctifices, ut sicut Melchisedec sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita inposita novo huic altari munera semper accepta ferre digneris; ut populus, qui in hanc ecclesiæ domum sanctam convenit, per hæc libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequantur. *Ad Com.* Quæsumus Domine, ut hoc in loco, quem nomini tuo, etc.

ORDO QUOMODO ECCLESIA DEBEAT DEDICARI.

(*Ex cod. Turicensi sæc.* IX *circ.*)

Primitus enim, antequam Pontifex introeat in ecclesiam, inluminantur XII. candelæ per circuitum ecclesiæ, et induunt se vestimentis sacris, et cum venerint ad hostium ecclesiæ percutiens terram super liminare de cambuta sua dicit antiphonam : Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales. *Ps.* Dni est terra. *Canunt ipsum psalmum totum ante hostium, et aperto hostio intrantes dicunt :* Pax huic domui. *Deinde incipit clerus Letaniam, et cum venerint Sacerdotes vel Levitæ ante altare, prosternunt se super stramenta usque dicunt* Agnus Dei qui tollis peccata. *ut autem surrexerint ab oratione, non dicit Pontifex* Dominus vobiscum, *sed tantum* Oremus, *et Diaconus* Flectamus genua, *et postquam oraverint dicit :* Levate, *et sequitur oratio :* Magnificare Dne Deus noster in sanctis tuis, et hoc in templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate lauderis, per. *Deinde incipit pontifex de sinistro angulo ab oriente scribens per pavimentum cum cambita sua : a. b. c. durium* (156) grum exhibetur, antiquis litteris Græcis exaratum, quarum quælibet in vertice gerit ascriptam quantitatem numericam I, II, III, et sic deinceps. conf. pontif. R. de Dedicat. Eccl. ubi in formam crucis Græcum simul ac Latinum alphabetum scribi præcipitur.

(153) *Pontificale Rom.* alitur.

(154) *Idem :* Ad te revertentem propitius respice.

(155) Quæ sequuntur partim in Pontificali, partim in missali *Rom.* leguntur.

(156) Id est alphabetum, ut apud Mart. (t. II De antiq. Eccles. rit., l. II, c. 13, p. m. 726), ubi inte-

usque in dextro angulo orientalis; incipiens iterum similiter de dextro orientalis a. b. c. durium scribens usque in sinistro angulo basilicæ occidentalis. Deinde veniens ante altare dicit: Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria *absque* alleluia. *Inde benedicit salem et aquam cum cinere mixto, et dicit hanc orationem:* Deus, qui ad salutem humani generis, maximaque sacramenta in aquarum substantia condidisti, etc. *Ipsa expleta incipit antiph.* Introibo ad altare Dei; ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Ps.* Judica me Deus. *Ipsa canendo cum ipso psalmo vadit ante altare, et fundit, quod remansit de ipsa aqua ad basem altaris, et extergitur altare de linteo; postea incensum offert, et mittit oleum super altare in medio crucem faciens, et super quatuor angulos altaris cum antiphona canendo:* Erexit Jacobo lapidem in titulum, fundens oleum desuper. *Ps.* Quam dilecta. *totum; et unguet eum manu sua lapide ipso, semper incensum in circuitu ipsius altaris alius sacerdos faciendum. Post expleto psalmo mittit iterum oleum similiter sicut prius canendo antiph.* Sanctificavit Dnus tabernaculum suum et firmavit eam super firmam petram. *Ps.* Deus noster. *Ipso psalmo expleto mittit chrysma similiter canendo ant.* Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dnus Deus. *Ps.* Fundamenta ejus. *Deinde in circuitu ecclesiæ per parietes de dextro in sinistro faciens crucem cum pollice de chrysma ipsa; inde faciens crucem incensi super altare; inde dicit:* Oremus; *et diaconus ut supra dicit hanc orationem super altare:* Dei Patris omnipotentis misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur, ut hoc altare sacrificiis spiritalis consecrandum vocis nostræ exorandus officio præsenti benedictione sanctificet, ut in eo semper oblationes famulorum suorum studio suæ devotionis inpositas benedicere et sanctificare dignetur, et spiritale placatus incensum (157) familiæ promptus exauditor existat, per. *Iterum dicit* Oremus: *Diaconus ut supra.*

SEQUITUR BENEDICTIO (158).

Deus omnipotens, in cujus honorem altare sub invocatione (159) tui consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta, ut in hanc mensam sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, ut Spiritus sancti tui semper rore perfusa; ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desideria confirmes, postulata concedas, per Dnm. *Deinde dicit antiphonam:* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. *cum* gloria. *Deinde tenentes Subdiac. vel Accoliti linteamina, vel omnia ornamenta ecclesiæ, seu vase sacra quæcunque ad cultum Dei ad ecclesiam pertinere debentur, benedicit Pontifex his verbis.*

PRÆFATIO (160) LINTEAMINUM.

Dne Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus utilia et necessaria creasti, et quæ ad modum (161) vestimenta pontificialia sacerdotibus et levitis ornamentaque et linteamina fieri famulo tuo Moysi per quadraginta dies docuisti, sive etiam ea, quæ Maria texit et fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis, sanctificare (162) consecrareque digneris hæc linteamina in usum altaris tui, ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem filii tui Dni nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ITEM BENEDICTIONES AD OMNIA IN USUM BASILICÆ.

Dignare Deus omnipotens, Rex regum et Dominus dominantium, Sacerdos omnium, Pontifex universorum, per quem unacum Patre sanctoque Spiritu facta sunt universa, Christe Jesu benedicere, consecrare et sanctificare digneris vasa hæc cum hoc altare, linteaminibus, cæterisque vasis; et quemadmodum sanctificasti officia tabernaculi testimonii olim cum archa oracula Cherubin alosis (alatis) velis, columnas, candelabra, altare argenteis basibus, tabulis deauratis, holocaustis, hostiis, æreo altare cum æneis vasis, tentoriis, funibus, oleum unctionis, et cæteris aliis in figuram nostri, per manus sanctorum sanctificasti Sacerdotum; ita nunc manens in æternum summe Sacerdos sacerdotum secundum ordinem Melchisedech, ut diximus, patenam hanc, et calicem hunc, et omnia instrumenta altaris hujus Ecclesiæ seu basilicæ, quæ inter nostras palmas habentur, corde precamur, ut benedicas, purifices, consecres, et consummes, quibus inter nos et æternam unitatem in supremo meatu sine fine constare credimus, per.

Deinde vadunt ad locum, in quo reliquiæ prætertia nocte cum vigiliis fuerunt, et elevantes eas cum feretro cum honore et laudes decantando, cum crucibus et turibulis et luminibus multis, venientes ante altare extenso velo inter eos et populum; recondit ipse pontifex manu sua ipsas reliquias in locum altaris, canentes: Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *cum psalmo:* Cantate Dno, laus. *Inde vero revertitur pontifex in sacrario cum ordinibus sacris, et induunt se vestimentis aliis sollempnibus, et interim vestiuntur altare vel ecclesia, et accenduntur luminaria. Post hæc omnia tunc incipiunt antiph. ad Introitum, ant.* Terribilis est locus iste; hic domus Dei est et porta cœli, et vocabitur aula Dei. *cum* psalmo *et* Gloria. *Interea procedit pontifex de sacrario cum ordinibus suis sicut consuetudo est.*

(157) In Ord. IX, apud Marten. l. c. p. 751. leg. *Et spiritali placatus incenso precanti familiæ suæ promptus exauditor assistat.*

(158) In Pontificali *Romano* initium variat: etiam sequens *Præfatio lintean.*

(159) Marten. l. c. sub invocatione tui nominis indigni consecramus.

(160) Mart. l. c. Benedictio.

(161) *Ibid.*, Quemadmodum vestimenta pontificalia, sacerdotalia, et levitica, ornamentaque, etc.

(162) *Ib.*, Ita sancti†ficare, benedicere, etc.

ORATIO AD MISSAM.

Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus invocantibus nomen tuum defensionis auxilium sentiatur, per Dnm. *Sequitur lectio. Grad.* Locus iste a Deo factus est. ℣. All. Adorabo ad templum sanctum tuum. *Sequitur Evang. secundum. Offert.* Dne Deus in simplicitate. ℣. Super oblatam.

Omnipotens sempiterne Deus, effunde super hunc locum gratiam tuam, et ab omnibus te invocantibus auxilii tui munus ostende, ut horum Sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet.

Præfatio. VD. Per Christum Dnm nostrum, per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc sanctis usibus præparatum cœlesti dedicatione sanctifices, et sicut Melchisedech sacerdotis præcipue oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita inposita nova huic altari munera super accepta ferre digneris; ut populus tuus in hac ecclesiæ tuæ domo sancta convertens per hæc pura libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam gratiam consequantur. Per quem.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famuli vel famulæ tuæ ill. vel illius, quam tibi in hujus templi sanctificatione offerunt immolandam, quæsumus Dne, digneanter intende, ut aulam, quam beati martyris tui illius meritis æquiparare non potuit, tuæ charitatis vultus inlustret, fiatque tua propitiatione tuis sacris sanctisque digna mysteriis; sit æternæ lucis habitaculum temporale, nihil hic mundanæ sordes obscuritatesque possideant, ut veniens hic populus tuus suæ consequatur orationis effectum, dignumque locum hunc tuæ sentiat majestati, dum ante postulata fuerit consecutus, sitque ædificantibus imperatio delictorum, dum a te non pro sui operis quantitate, sed pro offerentum fuerit devotione suscepta. Diesque nostros.

AD COMPLENDUM.

Copiosa beneficia, quæsumus Dne, christianus populus adsequatur, ut qui in honore sanctorum sacrandis tibi liminibus devotus occurrit, et vitæ subsidia præsentis accipiat, et gratiam sempiternæ redemptionis inveniat, per.

DENUNTIATIO

CUM RELIQUIÆ SANCTORUM MARTYRUM PONENDÆ SUNT.

Dilectissimi fratres! Inter cætera virtutum sollempnia, quæ ad gloriam pertinent Christi Dni nostri, hoc quoque suis præstitit Martyribus, qui pro nominis ejus confessione morte suscepta cœlestia præmia meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris reliquiis conlocatis integritas sancti corporis esse credatur; et ideo monemus dilectionem vestram, quoniam illa feria, illo loco reliquiæ sancti illius martyris conlocandæ sunt, quæsumus, ut vestram præsentiam nobis monentibus non negetis.

A

INCIPIT ORDO

QUOMODO IN SANCTA ROMANA ECCLESIA RELIQUIÆ CONDUNTUR.

Primum vadit Episcopus in ecclesiam, ubi reliquiæ sunt positæ, et facit letaniam, et dat orationem hanc:

Aufer a nobis Dne iniquitates nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per. *Postea ponit reliquias in patena, et porrigit eas presbytero in ulnas suas super sindonem, quam habet in collo ligatam, et cooperit ipsas, et exeunt psallendo antiph:* Cum jocunditate exibitis. *Et pergit Episcopus in ecclesia nova ubi recludi debent reliquiæ, et intrant in ecclesiam cum eo ministri duo vel tres, et claudet hostium ecclesiæ, et facit aquam exorcizatam, et dicit orationem hanc:*

B

Oremus.

Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, etc. *Et mittit in ea chrisma, et condit ex ipsa aqua calce, et facit maldam, unde reclaudere debet ipsas reliquias; et baptizat ipsum altare de ipsa aqua cum spongia una vice; deinde dicit scola letaniam; ipsa completa egreditur Episcopus, et dat orationem ante hostium.*

Deus qui in omni loco tuæ dominationis dedicator adsistis; exaudi nos quæsumus, ut inviolabilis hujus permaneat consecratio, ut beneficia tui muneris universitas, quæ subplicat, mereatur; per (163).

Ipsa finita suscipit ipsas reliquias a presbytero, et portat eas cum letania ad altare intus in ecclesia, C *et ponit super altare novo; et antequam recludantur, ponit chrysma intus in confessione per angulos quatuor in cruce intra dicendo:* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo. *Deinde ponit tres portiones corporis Dni intus in confessione, et tres de incenso, et recluduntur reliquiæ intus in confessione, et dum recluduntur, canunt antiph.:* Sub altare Domini sedes accepistis; intercedite pro nobis, per quem meruistis. *Et ponit tabulam, et dat orationem hanc:*

Oremus. Deus qui ex omni coaptatione Sanctorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationis tuæ incrementa cœlestia, ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur, per.

D

Deinde linit eum calce, quæ antea fuerat præparata; et postquam fuerit linita, facit desuper eum chrysma dicendo ut supra, et facit crucem similiter cum chrysma, et per quatuor angulos altaris desuper dicendo ut supra; et tunc velat altare, et dat orationem hanc:

Oremus.

Descendat, quæsumus Dne Deus noster, Spiritus sanctus tuus super hoc altare, qui et populi tui dona sanctificet, et sumentium corda emundet. Per. *Et tunc conspargit aquam cum hysopo per totam ecclesiam; ipsam namque tabulam, quam super reliquias*

(163) Sequentes orationes etiam in Pontificali *Rom.* leguntur.

ponit, debet antea confirmare cum chrysma faciens, crucem dicendo ut supra. Hoc peracto canit scola antiph. ad Introitum, et post Kyrie eleis. *dicitur* Gloria in excelsis Deo, *et completur Missa ordine suo, et postea ebdomada Missa publica in ipsa ecclesia celebretur usquedum octo dies completi sunt.*

AD PATENAM CONSECRANDAM

Consecramus et sanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea Corpus Dni nri Jesu Christi, facientes crucem pro salute nostrorum omnium, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per cuncta sæcula sæculorum, amen. *Deinde facis signum crucis de oleo super ipsam patenam :*

Consecrare et sanctificare digneris Dne patenam per istam unctionem, et nostram benedictionem in Christo Jesu Dno nro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

AD CALICEM BENEDICENDUM.

Oremus dilectissimi fratres, ut Dnus Deus noster calicem suum in ministerio consecrandum cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet, ut ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet, per.

Alia. Dignare Dne calicem istum in usum mysterii (164) tui, pia famuli tui devotione formatum, ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacramentum (165) calicem perfudisti; et quod arte vel metallo officii (effici) non potest, altaribus tuis dignum fiat tua benedictione pretiosum (166).

PRÆFATIO CHRYSMALIS (167).

Oremus dilectissimi fratres! ut Deus omnipotens hoc ministerium Corporis Filii tui Dni nri Jesu Christi gerulum, benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donationis implere dignetur orantibus nobis, per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulchrum Spiritus sancti gratia perficiatur, per.

AD TABULAS BENEDICENDUM.

Singulare illud repropitiatorium, quod se in altare crucis nobis redimendis obtulit immolandum; cujus præfiguratio (168) patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portæ cœli desuper aperiretur oraculum; suppliciter tibi Dne preces fundimus, ut metallis hujus expoliata materia supernis sacrificiis imbuenda, ipse suæ dotare sanctificationis ubertate præcipiat, qui quondam lapideas legem scripsit in tabulas (169) per Dnm.

Alia. Deus omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, creaturas formam lapideæ metalli ad obsequium tui sacrificii condidisti, ut legis libaturi tuo pareretur altari (170), annue dignanter hujus institutor mysterii ut quotquot (171) hic oblatum sacrum (172) fuerit, nomini tuo adsurgat, religione proficiat, spei initur fidei sit honore (173), per.

Item alia. Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et respice ad hoc altaris tui holocaustum, quod (174) tam igne probatur, sed infusam sancti Spiritus tui gratiam in honorem tuæ suavitatis accendat (175), ut accipientibus ac sumentibus nobis legitimum permaneat, eucharistiaque erigat (176) in visceribus nris, et vitam concedat æternam.

PRÆFATIO.

VD. Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui post offendiculam lapsus primi hominis instituisti tibi propitiatorii deliniamenta libaminis, ut culpa, quæ præcesserat, futuris temporibus expiaretur pro munere, quibus ornarentur altaria, honorificatur et templum, quod tibi primus Noe præparavit officio, rursus instruxit Habraam immolaturus filium; dehinc electus Jacob erexit et unxit in titulo; adsit redemptoris mundi pietas et expiata (177) ut lapides sanctificandi mysterium, qui penetrabilis (178) et lapis angularis est, consecrare digneris benedictionis inlapsum (179) et hic in aereas placitus majestas æternales obtuto (180), et quicquid sacrum ritu super hoc immolatur sicut Melchisedech oblatum placeat tibi hoc holocaustum, et reportet per hoc præmium quicquid intulerit votum, sacrificare, benedicere, consecrareque digneris, tu et pro ma-

(164) Mart. l. c. ministerii.

(165) Ib., sacratum cal.

(166) P. R. sanctificatum. Cæterum calices etiam vitreos usitatos fuisse ostendunt Aringhus et Bosius *Roma* subterr. lib. IV, c. 28; Bonarotius in observationibus ad vasa vitrea p. 57; Anonymus de vetustate et forma monogrammatis SS. Nominis Jesu *Romæ* 1747. Præfat. p. 12.

(167) In Ord. III, apud Mart. l. c. p. 703. Benedictio eucharistialis vasculi. Oremus, dilectissimi et fratres charissimi, ut Deus omnipotens hoc mysteriale corporis filii sui Domini nostri Jesu Christi gerulum benedictione sanctificationis, tutamine defensionis, et dominatione (l., *donatione*) salutis implere dignetur orantibus nobis. Per.

(168) In Ord. IX, Mart. l. c. p. 754 : *Quod præfigurante.* Sed melius in Ord. II, p. 694 : *Cujus præfiguratione... et portæ cœli desuper aperiretur oraculum*, etc.

(169) Ord. ut metalli hujus expolitam materiam supernis sacrificiis imbuendam ipse suæ sanctificationis ubertate percipiat, qui quondam lapideis legem scripsit in tabulis. Per. At in Ord. II, *ut* metalli hujus exposita materies supernis sacrificiis imbuendo, ipse tuæ dotari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis.

(170) Ib., Artifex, qui inter creaturas formam lapidis et metalli ad obsequium tui sacrificii condidisti, ut legislatori tuum pararetur altare... conf. P. R. ubi clarius.

(171) Ib., quod hic oblatum fuerit.

(172) l. *sacratumve fuerit*, ut habetur in pluribus ordinibus apud Mart.

(173) P. R. Spei innitatur, fidei sit honori.

(174) Ord. I, Mart. Quod non tam igne probatur.

(175) l. sed infusa, etc..., gratia, etc.

(176) l. c. hæreat.

(177) In Ord. I, Pietas exorata, ut lapidis, etc.

(178) l. Qui penetralis... es

(179) l. Illapsu.

(180) l. c. Et inhæreas placitus majestas æternalis obtutu. *fort. legendum :*... placito majestatis æternalis obtutu.

nibus nostris (181) opem tuæ benedictionis infunde, qui te angularem lapidem et saxum sine manibus excisum nominare ipse voluisti; tu lapides istos divinis cultibus apparatos benedic atque sanctifica, et sacri hujus mysterii sicut institutor, ita etiam sanctificator appare, per Dnm.

BENEDICTIO CRUCIS.

Sanctifica Dne signaculum passionis tuæ istud, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te efficiatur vexillum, per.

Rogamus te Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectuum (profectus P. R.) bonorum operum, redemptio animarum, protectio ac tutela contra sæva jacula inimicorum, per.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus sanctum et terribile nomen inter cæteras visibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant, qui in figuram unigeniti sapientiæ tuæ ligno vitæ a principio paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructu sacrosancto mysterio protoplausto parentis nostri generis mortem cavere, et vitam ammoneris custodire perpetuam; qui nos vetitæ arboris adtactu vitæ mortem aditus, ejusdem coæternæ tibi sapientiæ tuæ Dei et Dni nri Jesu Christi innoxia mortem ad vitam misericorditer revocare dignatus es, te supplices deprecamur, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli pretioso Filii tui sanguine triumphalis famulus tuus ill. devotus erexit, cœleste hic tua benedictione sanctificare digneris; ut omnibus hic genuflectentibus, ac tuæ supplicantibus Majestati, largior et cordis compunctio, et indulgentia concedatur admissorum; atque intercedente ipsa victoriosissima Filii tui passione et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere. Da quæsumus clementissime Pater, in quo vivimus, movemur et sumus, ut quotiens triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam hostis nostri dejecit, oculis intuemur, quotiens mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, et majorem tibi devotæ humilitatis gratiam consequamur, quatenus in illo tremendæ tuæ Majestatis examine cum paventibus elementis, cœlorumque commotis virtutibus, signum illud glorificum redemptionis nostræ parueri in cœlo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis gaudia videre mereamur, per.

AD BENEDICENDUM ORNAMENTA PONTIFICALIA.

(Ex ms. Rhenaug. sæc. XI.)

Ad Cambagos.

Totius honestatis auctor omnipotens Deus! ad reprimendas antiqui hostis insidias per nostre humilitatis mysterium jube sanctificari caligas istas, ut et in ingressu earum resplendeat evangelii veritas, et in mente fidei exerceatur integritas. Per Christum Dominum nostrum.

Ad pedules bened.

Benedic Dne Jesu Christe hec calciamenta justitie, que Johanes vidit vestitus podere, ut quicunque ex hiis vestitus fuerit, valeat aliis præbere bonum exemplum, et tibi omni tempore cum timore servire. Qui vivis.

Ad cyrothecas.

Immensam clemenciam tuam omnipotens et piissime Deus humiliter rogamus: ut manus famulorum tuorum sicut exterius obducuntur manicis istis! sic interius aspergantur rore tue Benedictionis, ut quecunque per eas sint benedicenda vel consecranda, per te bene†dicantur, et conse†crentur. Per eundem Dnm nrm Jesum Christum filium tuum, etc.

Ad annulum benedictio...

Deus totius creature principium et finis in quo clausa sunt omnia hunc Annulum benedicere † et sanctifi†care dignere, ut qui per eum famulo tuo honoris insignia concedis, virtutem et premia largiaris! quibus et discretionis habitum semper retineat, et vere fidei fulgore prefulgeat, sancte Trinitatis quoque armatus munimine miles, in expugnabilem aciem dyaboli constanter evincat. Per Christum Dnm nrm.

Ad Baculum.....

Omnipotens et misericors Dominus! qui in effabili bonitate votis supplicancium assistis? quique ex tue pietatis habundancia affectum petendi tribuis? huic baculo, quem ad pastoralis officii signum in tuo nomine dedicamus, tue benedictionis vim copiose infunde, ut eo pastor insignitus sic sollicite custodiat, quatenus ab unitate ecclesiæ nullatenus deviare permittat, sed confractum redintegret, quassatum consolidet, seque una cum grege suo integrum tibi atque immaculatum conservet, ut a te nunquam separetur indignus. Per Christum Dnm nrm.

Ad mitram benedictio...

Omnipotens sempiterne Deus, qui veterum figurarum veritas es et finis, benedic hoc typicum priscorum prm insigne. per cornua Moyses famuli tui utrumque testamentum figurative declarans. Per Christum Dnm nrm.

AD BENEDICENDUM ORNAMENTA PRESPITERALIA.

Casulam, dalmaticam et subtile... (182).

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum pontificalia, etc.

Ad mappas benedictio...

Dne Deus omnipotens, qui ab inicio, etc.

Ad albas, stolas, manipulos, cingulos et amictus.

Deus invicte virtutis auctor et omnium rerum creator, etc.

(181) l. per manus nostras.

(182) Sequentes benedict. etiam in P. R. leguntur.

Item alibi ad id.

Dne Deus Pater omnipotens Rex et magnificus triumphator, qui per sanctos patres nostros, qui tibi in sacerdotali ordine placuerunt, diversi generis ornamenta et vestimenta sacerdotalia fieri, et in his sacerdotes tibi servientes ornare jussisti, exaudi propicius orationem nostram, ut hanc albam, hanc casulam, stolam, planetam seu poderem, ac cingulum, orariosque dextra tua sancta bene†dicere, conse†crare sancti†ficare et puri†ficare digneris, quatenus hoc vestimentum ministris tuis levitis atque sacerdotibus ad divinum cultum ornandum explendumque proficiant, sanctisque altaribus tuis munde et ornate in hac sacra veste ministraturi irreprehensibile in actu et vita interius exteriusque appareant, tibique soli Deo puro corde et mundo corpore placere, omnibus diebus vite sue irreprehensibiliter sanctorum patrum exempla sequentes servire valeant, hisque sacris ministeriis secundum tuam voluntatem, qn tibi placuerit, expletis cœlestis regni gloriam cum omnibus sibi commissis percipere mereantur. Per Dum nrm Jesum Christum, etc.

Ad casulam.

Deus fons pietatis et justicie, qui tui operis ministros ad extremum vestimento casule, cujus munimine omnia tegerentur vestiri sanxisti; concede peticionibus nostris, ut omnes hac planeta induti, enumeratis intus omnium virtutum ornamentis vinculum pacifice caritatis super omnia habeant, quo perficere, que desiderant, te prestante, valeant. Per Christum Dnm.

Ad corporalia.

Clementissime Dne, cujus inenarrabilis virtus, cujus misteria archanis mirabilibus celebrantur; tribue quesumus, nt lintheamina tue propiciacionis benedictione sancti†ficentur ad consecrandum super illa Corpus Dni Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat, etc.

Item alia benedictio ad idem.

Omnipotens sempiterne Deus, benedic lintheamina ista ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Dni nri Jesu Christi, qui tecum, etc.

Benedictio patene, calicis et aliorum vasorum ecclesiæ. . . (183.)

Consecra†mus Dne et sancti†ficamus hanc patenam ad confrigendum in ea corpus Dni nostri Jesu Christi pacientis crucem pro salute omnium nrm, qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

Item alia ad idem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium institutor es hostiarum, quique inter eas conspersam similaginem deferri in patenis aureis et argenteis ad altare tuum jussisti, bene†dicere et sancti†ficare digneris hanc patenam in amministracionem eukaristie Jesu Christi filii tui Dni nri, qui pro nostra omniumque salute tibi Deo patri in patibulo crucis elegit immolari, qui tecum vivit et regnat, etc. *Hic faciat crucem cum crismate super patenam trahens pollicem ex adverso in longum et in latum et dicat:* Consecra†re, et sancti†ficare digneris Dne patenam hanc per istam unctionem et per nram benedictionem in Christo Jesu Dno nostro, qui tecum.

Ad calicem.

Pax tecum. Et cum spiritu tuo. Oremus dilectissimi fratres? ut Deus et Dnus noster Jesus Christus calicem hunc in usum sui ministerii consecrandum celestis gratie inspiracione sancti†ficet (184) ut humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accomodet, qui vivit.

Item alia benedictio.

Dignare Domine Calicem istum benedi†cere in usum ministerii tui et pia famulatus devocione formatum ea sanctifi†cacione perfunde (185) qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti? et quod arte vel metalli officio est compositum (186) altaribus tuis dignum fiat tua benedictione sanctificatum per Christum Dnm nostrum. *Hic faciat crucem cum crismate infra concavum trahens pollicem ex adverso in longum et latum et dicat:* Conse†crare et sancti†ficare digneris Dne calicem hunc per istam unctionem et nostram benedictionem in Christo Jesu Dno nostro, qui tecum.

Benedictio super calicem jam consecratum.

Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris quæsumus opem tue benedictionis infunde; ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis et sanguinis Dni nri Jesu Christi novum sepulchrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per Christum Dnm. *Et tunc aspergat patenam et calicem cum aqua benedicta, et dicat:* In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus†sancti benedictus sit.

Ad vasculum Eukaristie.

Oremus karissimi fratres, ut Deus omnipotens hoc vasculum corporis Filii sui Dni nostri Jesu Christi gerulum sue benedictionis tutamine Filiique sui Dni nostri munere ac Spiritus sancti virtute implere dignetur per Christum Dnm nostrum. *Hac oratione dicta aspergatur vasculum aqua benedicta, et dicatur:* In nomine Patris et Fil. *ut supra.*

Benedictio vexillorum et ymaginum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et tryumphancium fortitudo, respice propicius ad preces humilitatis nostre, et hoc vexillum, quod bellico usui præparatum est, celesti benedictione sancti†fica, ut contra adversarias et rebelles naciones sit validum, tnoque munimine circumseptum. Sitque inimicis christiani populi terribile, atque in te confidentibus solidamentum, et victorie certa fiducia. Tu es enim Deus, qui conteris

(183) Quæ sequuntur in P. R. variant.

(184) In Ord. VIII, Mart. p. 745. Et ut in humanam, etc.

(185) l. perfundere.

(186) In Ord. IV, p. 715. Et quod arte vel metallo effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione dignum atque sanctificatum. Per.

bella, et celeste presidium in te sperantibus semper addis securum et optatum. Per Dnm nrm.

Ad ymagines benedictio.

Quesumus omnipotens Deus indefectivam clemenciam tuam, ut hoc instrumentum Sanctorum tuorum honorificum dextra Majestatis tue dignanter extensa, misericors et placidus bene†dicas, ut quicunque illorum patrocinia, vel quo minus expectentes, vel eminus recolentes, pietati tue fideli devocione de quacunque necessitate supplicaverint, optata consolacione ac juvamine pociantur, per Dnm nrm.

Benedictio linteaminum, vestium et vasorum sacrorum.

(Ex cod. Vindob. theol. 359.)

Deinde tenent Subdiaconi vel Acoliti linteamina (187) *vel omnia ornamenta ecclesiæ seu vasa sacra, quæcunque ad cultum Dei et ecclesiæ pertinere videntur, et benedicat ea pontifex juxta hunc morem.*

Benedictio corporalis.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, benedic linteamen istud ad tegendum et involvendum corpus et sanguinem Filii tui nri Ihu Xpi. Qui tecum (188).

Benedictio linteaminum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia et necessaria creasti vestimenta quoque pontificalia sacerdotibus et levitis tuis et ornamenta et lintamina facere famulum tuum Moysen per quadraginta dies docuisti, sive etiam ea quæ Maria texuit, et fecit in usum altaris tui ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Dni nri Ihu Xpi. Qui tecum vivit et regnat.

Item benedictio ad linteamen (189).

Exaudi Domine preces nostras, et hoc linteamen sacri ministerii usui præparatum benedicere et sanctificare digneris. Per.

Item benedict. ad linteamina et ad omnia vasa et instrumenta in usum ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus Rex regum et Dominus dominantium, sacerdos omnium pontifex universorum, per quem unacum Patre sanctoque Spiritu facta sunt universa, Christe Jesu benedicere, consecrare, et sanctificare digneris vasa hæc cum his altaris linteaminibus cæterisque cunctis. Et quemadmodum officia tabernaculi testimonii olim cum arca oraculi, scilicet Cherubim clausa velis, columnas, candelabra, altare aureum, argenteas bases, tabulas deauratas, holocausta, hostias, æneum altare cum basibus æneis, tentoria, funes, oleum unctionis, et cætera in figuram nostri temporis per manus sanctorum sanctificasti Sacerdotum; ita nunc manens in æternum sume sacerdos Sacerdotum secundum ordinem Melchisedech, vasa hæc et omnia instrumenta altaris hujus ecclesiæ, quæ inter nostras palmas habentur, benedicas, purifices, consecres, et consummes, quibus inter nos, et æternam unitatem in supremo meatu sine fine constare credimus. Per te Jesu Christe qui Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus (190).

Item benedictio vestimentorum sacerdotalium, sive leviticorum, atque sequentis ordinis ministrantium.

Omnipotens Deus, qui per Moysen famulum tuum pontificalia atque levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, et ad decorem seu laudem nominis tui fieri decrevisti; adesto propitius invocationibus nostris, et hæc indumenta sacerdotalia famuli et sacerdotis tui desuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitutem purificare benedicere et consecrare digneris, ut divinis cultibus et sacris ministeriis apta et benedicta existant. His quoque sacris vestibus sacerdotali vel levitæ tui induti, defensi ab omnibus inpulsionibus seu temptationibus malignorum spirituum esse mereantur, tuisque eos ministeriis apte et condigne servire et inhærere, in hisque placide et devote tribue perseverare. Per.

(187) Post ritum dedicationis et altarium, sequitur immediate in cod. *Vindob.* theol. 359, uti alias etiam benedictio linteaminum vestium ac vasorum sacrorum. Testatur Sozomenus lib. II Hist. eccl. 25, in dedicatione templi Hierosolymitani a Constantino M. exstructi, benedicta fuisse ab episcopis varia munera, a fidelibus oblata. Idque postea solemne fuisse, ut in ipsa statim Ecclesiarum dedicatione a ministris offerrentur ornamenta, vasa et linteamina sacra ex Remigii Altisiodorensis tract. de dedic. Eccl. c. 7 constat.

(188) *Ex mcs. theol., n.* 277. *solo.*

Alia. Domine Deus, qui jam sanctificare dignatus es hoc genus specierum, quando eo dignatus es involvi corpus Domini nostri Jesu Christi unigenti tui in beata passione, concede quæsumus per eumdem Dominum nobis quanquam indignis famulis tuis, ut præsens linteum cœlesti benedictione sanctum et aptum fiat Dominico sepulcro, altari videlicet tuo, ut placabiliter possit in eo imponi corpus et sanguis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui est vita omnium fideliter sumentium, vivit et regnat per omnia sæc. sæc. Amen. *Alia.* Clementissime Domine, cujus inenarrabilis virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione sanctificetur ad consecrandum super illud corpus et sanguinem Dei et Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum.

(189) *Ex cod. theol.* 27. *Alia oratio.*

Deus qui digne tibi servientium desideras famulatum, respice propitius ad humilitatis nostræ servitutem, et hæc linteamina tuæ servitutis usibus præparata, cœlestis virtutis benedictione sanctifica, et consecra, quatenus super ea Spiritus sanctus tuus descendat, qui et populi tui oblationem benedicat, et corda sive corpora sumentium benignus reficiat. Per.

(190) *Benedictio ad omnia ornamenta in usum ecclesiæ vel altaris. Ex msc. th.* 277. *solo.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti, templaque manu hominum facta nomini tuo sancto dicari, tuæque habitationis loca vocari voluisti, qui per Moysen famulum tuum vestimenta pontificalia et sacerdotalia, seu levitica, et alia quæque diversi generis ornamenta ad cultum et decorem tabernaculi et altaris tui fieri decrevisti; exaudi propitius preces nostras, et omnia hæc diversarum specierum ornamenta in usum hujus basilicæ vel altaris ad honorem et gloriam tuam præparata purificare et sanctificare, benedicere et consecrare per nostræ humilitatis servitutem digneris, ut divinis cultibus sacrisque ministeriis apta existant, hisque in confectione corporis et sanguinis Jesu

Bened. ad albas, planetas, stolas, et cingulos benedicendos.

Domine Deus Pater omnipotens rex et magnificus triumphator, qui per sanctos patres nostros, qui tibi in sacerdotali ordine placuerunt, diversi generis ornamenta et vestimenta sacerdotalia fieri, et his ornari sacerdotes tibi servientes jussisti, exaudi propitius orationem nostram et hanc planetam famuli tui N. seu poderem ac cingulum, orariumque dextera tua sancta benedicere, sanctificareque, et purificare digneris, quatenus hæc vestimenta ministris tuis levitis ac sacerdotibus ad divinum cultum ornandum explendumque proficiant, sanctisque altaribus tuis munde et ornate in his sacris vestibus ministraturi, inreprehensibilis in actu et victu interius, exteriusque appareant, tibique soli Deo puro corde et mundo corpore omnibus diebus vitæ suæ inreprehensibiliter sanctorum patrum exempla sequentes servire valeant, hisque sacris ministeriis secundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cœlestis regni gloriam cum omnibus sibi commissis percipere mereantur. Per.

Benedictio stolarum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia et necessaria creasti, et vestimenta pontificalia aliaque ornamenta et linteamina sacerdotibus ac levitis in usum tabernaculi fœderis fieri Moysi famulo tuo jussisti, eumque Spiritu sapientiæ ad id peragendum replesti, hoc ornamentum in usum ministerii tui sanctificare, benedicere, et consecrare, atque ministros altaris tui qui illud portaverint septiformis Spiritu sancto dignanter replere digneris, atque castitatis stola et indumento lætitiæ sempiternæ et beata facias, cum bonorum operum fructu ministeriis congruenti, immortalitate vestiri. Per.

Præfatio Eucharistialis, id est vasculi, in quo Eucharistia reconditur.

Oremus dilectissimi fratres, ut Deus omnipotens hoc vasculum corporis Filii sui Dni nri Ihu Xpi gerulum suæ benedictionis tutamine suique Filii Domini nostri munere, ac sancti Spiritus virtute implere dignetur.

Sequitur benedictio.

Oremus. Omnipotens Deus Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulchrum sancti Spiritus gratia perficiat. Per.

Præfatio ad patenam consecrandam.

Oremus fratres kmi ut divinæ gratiæ benedictio consecret et sanctificet hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Dni nri Ihu Xpi patientis crucem pro salute omnium nostrum. Qui cum Patre.

Alia. Consecramus et sanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Dni nri Ihu Xpi patientis crucem pro salute omnium nostrum. Qui cum Patr. *Inde faciat signum crucis de chrismate sancto super patenam et dicat.* Consecrare et sanctificare digneris Domine patenam hanc per istam sanctam benedictionem in Xpo Ihu Dno nro. Qui vivit et regnat.

Præfatio calicis.

Oremus dilectissimi fratres, ut Deus et Dominus noster hunc calicem in usum ministerii sui consecrandum cœlesti gratiæ inspiratione sanctificet et ei ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet.

Sequitur benedictio.

Dignare Domine calicem istum in usum ministerii tui pia famuli tui devotione formatum ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti, et quod arte vel metalli officio non potest altaribus tuis esse dignum, tua fiat benedictione pretiosum, atque sanctificatum. Per. *Et faciat crucem de chrismate, super ipsum calicem.* Omnipotens, etc. (191).

Benedictio Crucis. (Ex utroque.)

Primitus fiat benedictio salis et aquæ. Deinde sequatur benedictio crucis. Benedic Dne, etc. *Alia.* Rogamus, etc. Per omnia sæcula sæculorum. Dnus vobiscum. Et cum spiritu tuo. VD. æterne Deus. Cujus sanctum, etc.

Alia. (Ex ms. Th. 277.)

Rogamus te Domine suppliciter invocantes ut signum istud sanctæ Crucis sit salus credentibus in te per passionem crucis tuæ, et per signum sanctitatis tuæ, signum sit Dei vivi, signum salutis, signum beatæ Trinitatis, signum cœlestis gloriæ, signum Salvatoris Jesu Christi Dni nostri. Hæc est crux Salvatoris Christi, crux patriarcharum, crux prophetarum, crux apostolorum sanctorum, crux martyrum Christi, crux Ecclesiæ Dei, crux omnium credentium in sanctam et perfectam Trinitatem. Per.

Alia. Te Domine quæsumus, qui das animabus salutem per signum crucis tuæ, ut in locis ac domibus, ubi crux ista fixa (192) maneat, fugentur dæmones, et immundi spiritus, ac pestifer pellatur inimicus, morbisque careant, et immunditiis, ac omnes adversæ potestates, cognitione tua, sint procul depulsæ, et virtute tuæ benedictionis sit benedicta hæc crux et sanctificata, et mundata dignanter, ut in quocunque loco maneat, in tuo nomine omnes terrores meridiani et nocturni, et omnes ter-

Christi Filii tui Domini nostri dignis tibi pareat famulatibus. Qui tecum vivit.

(191) Ab antiquissimo orientalis et occidentalis Ecclesiæ usu figendi crucem in locis sacris seu ecclesiis nomen *tituli* est, indeque ipsæ ecclesiæ *tituli* sunt dicti.

(192) *Alia.* Deus qui Moysi famulo tuo in Oreb monte servanda populo tuo præcepta disponens, templum sanctum tuum, qualiter ædificet, instituisti, sacra quoque vasa, quæ inferri altari tuo deberent instar vasorum cœlestium fieri docuisti, præcamur, ut hunc calicem, in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria emissione sancti Spiritus tui cœlesti benedictione sanctifices, gratumque et acceptabilem

rores livoresque serpentis excludantur, abscedantque insidiæ latentis inimici, et fantasmata pereant. Per. *Alia*. Deus qui beatæ crucis, etc.

Alia. Sanctifica Dne, etc. *Hic aspergat eam aqua sancta, addens odorem incensi dicens* Sanctificetur, etc. *Benedictio crucis metallizatæ*. Deus gloriæ excelsæ sabaoth, etc. (193).

Benedictio thuribuli.

Domine Deus, qui dum filios Israel ob rebellem sui contumaciam durum vastaret incendium, Aaron sacerdotem tuum inter vivos ac mortuos orando stantem tibique incensum offerentem exaudire dignatus es, populumque de incendio liberare, benedic hoc quæsumus thuribulum, et præsta, ut quotiens tibi in eo offerimus incensum, nos ipso Christo tuo efficias boni odoris acceptabile templum. Qui cum Deo.

Alia (ex cod. Vind. th. 277, sæc. XII vel XIII).

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui in deserto profanæ multitudinis murmurationem, flamma multante, cum Aaron sacerdos tuus repleto de altaris igne thuribulo tuæ majestati pro illius liberatione humiliter supplicaret, incenso placatus precibusque ejus clementer annuisti, benedic hoc quæsumus thuribulum tua majestate, et præsta, ut quod in eo tibi offertur incensum sit fuga dæmonum, repulsio fantasmatum, immundarum abscessio cogitationum, sitque in illius odore nostra tibi oratio semper accepta. Per.

Benedictio incensi vel thimiamatis. (ex cod. biblioth. Cæsar. theol. 359.)

Deus omnipotens Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, immitte in hanc creaturam incensi, vel thimiamatis, vim odoris tui, atque virtutem, ut sit servis vel ancillis tuis munimentum, tutelaque defensionis, ne intret hostis in viscera eorum, nec habitum ibi vel sedem possit habere. Per (194).

Alia Oratio. Deus qui Moysi famulo tuo per Spiritum sanctum revelare dignatus es, quæ ad cultum sanctuarii necessaria decrevisti, ex quibus thimiama boni odoris ad opus Ecclesiæ tuæ ob causam religionis jugiter permanere jussisti, ut mystice nobis significationem spiritualium virtutum fragrans ostenderet odorem suavitatis, tua quæsumus omnipotens Deus immensæ majestatis dextera hanc creaturam benedicere ex diversarum rerum commixtione confectam dignare, ut virtute sancti nominis tui omnesque immundorum spirituum fantasmaticos incursus effugare, omnesque morbos reddita sanitate expellere, ubicumque fumus aromatum ejus afflaverit, mirabiliter possit, atque in odorem fragrantissimum

A tibi Domino perpetua redoleat suavitate. Per Dnm in unitate ejusdem.

Præfatio in consecratione capsarum (pro reliquiis).

Oremus dilectissimi etc. *Consecratio in modum Præfationis*. Deus inæstimabilis etc. *Alia*. Dne Deus omnipotens qui mur. etc. *Alia oratio*. Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per unigenitum Filium tuum beatum Paulum apostolum vas electionis appellari voluisti, et ipso evangelizante ac dicente fidelibus vos estis templum Dei vivi, et Spiritus Dei habitat in vobis, omnibus Dni nri Ihu Xpi membris eandem spem concessisti, te humiliter imploramus, ut hanc capsam capiendis sanctorum tuorum membris vel exuviis vel pignoribus artificiose compactam et ornatam, rorem divinæ sanctificationis infundas, B et non solum ad illorum præsentiam venientes et ibidem suppliciter exorantes exaudias, sed et quippiam de memoriis eorum pro benedictione reportantes, aut fideliter accipientes, immensæ pietatis tuæ gratia consolari, refovere, tutari ac remunerare digneris. Per.

Item unde supra in transcursu.

Quæsumus omnipotens Deus indefectivam clementiam tuam, ut hoc instrumentum sanctorum tuorum reliquiis honorificum, dextera majestatis tuæ dignanter extensa misericors et placidus benedicas; ut quicunque illorum patrocinia vel comminus exspectantes, vel eminus recolentes pietati tuæ fideli devotione de quacunque necessitate supplicaverint, optata citius consolatione ac juvamine C potiantur. Per.

Præfatio ciborii, id est umbraculi altaris.

Oremus fratres dilectissimi Deum rectorem, ac gubernatorem omnium sæculorum, ut inmemor omnium delictorum et facinorum juventutis et ignorantiæ, sive prævaricationis meæ istud instrumentum ad honorificentiam nominis tui compactum placidus ac misericors illustratione vultus sui benedicere et sanctificare dignetur.

Consecratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Moysi famulo tuo præcepisti, ut duos Cherubim super arcam testamenti collocaret, quam extensis ad alterutrum alis protegerent, versis vultibus in propitiatorium, quæsumus ineffabilem clementiam tuam, ut hoc tegimen venerandi altaris tui in quo ipsa unigenitus Filius Dns nr Ihs Xps, qui est propitiatio pro peccatis nostris fidelium manibus immolatur, et sub quo sanctorum tuorum corpora quæ veraciter fuerunt archa testamenti tui receptacula videlicet Spiritus sancti per eundem

habeas, atque benedicas, ut digne vasculis tuis societas, et acceptabilem tibi deferat famulatum, et digne tuis mysteriis consecretur. Per Dom. p. in un. ejusdem.

(193) Eadem oratio et in veteri ordine Romano, et in novo Pontificali Romano legitur. Vid. post Martenium P. *Jos.* Catalanus comment. in Pontif. Rom. t. II, p. 274. seq. Et quæ idem in rit. R. t. II, disserit contra eos qui cruces et alias imagines sacras non præmissa benedictione in altaribus collocant, non sine ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, cui restaurandæ multum allaboravit S. Carolus Borrom. ut ostendit.

(194) *Alia ex cod. theol.* 277. Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus angelorum, dignare respicere, et benedicere hanc creaturam incensi, ut omnis languor dæmonumque insidiæ odorem ipsius sentientes fugiant, et separentur a plasmate tuo, quod tibi filii tui pretioso sanguine redemisti, ut nunquam lædantur a morsu serpentis antiqui. Per eumd.

consubstantialem tibi Filium, qui factus est nobis a te sanctificatio et redemptio in virtute ejusdem Spiritus veritatis universa antiqui hostis falsitate cum satellitibus suis depulsa, cum omnibus ornamentis ad ipsum umbraculum pertinentibus, vel ab illo dependentibus aut eidem suppositis, tua sancta benedictione perfundere et consecrare, atque ad tuitionem pignorum sanctorum, ac roboranda sive multiplicanda vota fidelium tuorum diutino tempore conservare digneris, annuente eodem Dno nro Ihu Xpo Filio ejus. Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti per infinita sæcula sæculorum.

Item consecratio minoris itinerarii ciborii. [(195) Ex cod. th. 277.]

Oremus dilectissimi indulgentiam omnipotentis Dei, ut postpositis humanæ fragilitatis admissis consuetæ misericordiæ tuæ munere hoc repositorium sacris usibus præparatum per unigenitum Verbum, virtutem scilicet et sapientiam suam in Spiritu sanctificationis consecrare dignetur. Per eundem. in unit. ejus.

Consecratio cymiterii (Ex cod. Vind. th. 277, sæc. XII vel XIII).

Canantur VII *psalmi, et illuminentur* IIII *candelæ* (196).

Deus qui es totius orbis conditor etc. *Alia.* Omnipotens sempiterne Deus trina majestas et una Deitas, Pater et Filius, nec non Spiritus sanctus, justitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, carismatum distributor, omniumque venientium pius receptor, præsta propitius ut hoc cymiterium in honore nominis tui compositum benedicere et sanctificare concedas, qui Habrahæ beato patriarchæ famulo tuo terram a filiis Ebron comparatam causa sepulturæ benedixisti, et qui populo Israhelitico promissionis tellurem in ævo durantem concessisti, famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cymiterium intrantibus quietis sedem ab omni incursione malorum spirituum tutelam benignus largitor tribuas, ut post animarum corporumque resurrectionem coadunatam te donante atque concedente beatitudinem sempiternam percipere mereantur. *Alia.* Domine Deus pastor æterne, etc.

Benedictio sepulcri et loculi

Rogamus te Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut digneris benedicere et sanctificare hoc sepulchrum et loculum in eo collocatum, ut sit remedium salutare in eo quiescenti, et redemtio animæ ejus, atque tutela et munimen contra sæva jacula inimici. Per.

Alia. Sanctificetur istud habitaculum Domine Deus per nostram supplicationem, et fugetur ab eo immundus spiritus per virtutem Dni nri Ihu Xpi, placidaque sit requies corporum in eo postmodum quiescentium, te protegente, ac conservante majestate tua Ihu Xpe. Qui cum.

Alia. Adesto Domine supplicationibus nostris, et nihil de nostra conscientia præsumentibus ineffabili miseratione tua nobis succurre, ut quod non habet nostrorum fiducia meritorum, tuorum conferat largitas invicta donorum. Per.

Benedictio tabulæ itinerariæ (197).

(Ex utroque theol. 339 et 277.)

Quæsumus omnipotens Deus indefectivam clementiam etc (198).

Alia. Deum omnipotentem, fratres dilectissimi, votis exultantibus deprecemur, ut qui per omnem mundum fidem spargit, et ecclesiam congregavit, qui es lapis excisus de monte sine manibus angulari, qui ad fundamentum Sion posuisti, qui es petra quæ omnem impugnationem vincis, qui es fundamentum quod nullus potest aliud ponere præter id quod positum est, qui es lapis angularis, qui es lapis probatus, pretiosus, qui es lapis quem reprobaverunt ædificantes, qui es lapis qui factus est in caput anguli, qui es lapis qui cadentem populum erigis, qui es lapis qui confringis et conteris, qui es lapis qui omnia implere dignaris, qui es lapis qui omnia sustentas, qui es lapis qui omnia sanctificas, qui es lapis qui omnia vivificas, qui es lapis qui omnia glorificas, qui es lapis qui omnia regis, qui es lapis qui omnia judicas, qui es lapis qui omnia salvas, qui es lapis qui omnia redimis, qui es lapis qui omnia liberas, qui es lapis qui omnia consolaris, qui es lapis qui omnia misereris, qui es lapis qui omnia ignoscis, qui es lapis qui omnia tolerabilia facis, qui es lapis qui omnia mitigas, qui es lapis qui omnia pacificas, qui es lapis qui omnia unis, qui es lapis qui omnia congregas, qui es lapis qui omnia colligis, qui es lapis qui omnia custodis, qui es lapis qui omnia defendis, qui es lapis qui omnia protegis, qui es lapis qui omnia tuearis, qui es lapis qui omnia servas, qui es lapis qui omnia conservas, qui es lapis qui omnia perficis, qui es lapis qui omnia consummas, qui es lapis qui omnia finis, qui es lapis qui omnia terminas, qui es lapis qui omnia circumquaque ponis præcepimus. In Pontificali Christiani archiepiscopi Moguntini sæc. XIII præscribitur benedictio *salis et aquæ, cineris et vini, sicut in consecratione ecclesiæ.* Brevissima est apud Jos. Catalanum in Pont. Rom. t. II, p. 222. ex msc. Pontificali Ecclesiæ Barensis quod asservatur Romæ in bibliotheca angelica Ord. FF. eremitarum, *benedictio poliandri, seu cœmeterii*, ut etiam mox inscribitur apud eumdem ibidem Ordo II, ex msc. Pontificali Guilielmi Durandi, qui in Vaticana bibl. exstat n. 4744, ac sic incipit : *Quanquam plerique asserant cœmeterii benedictionem necessariam non esse, dicentes ad hoc sufficere circuitus extra ecclesiam, et cœmeterii aspersiones, quæ fiunt quando ecclesia dedicatur.* Quæ quidem assertio veteribus monumentis liturgicis adversatur usuique recentiori, et antiquo : quem legimus jam sæculo VI ita inveteratum religioseque observatum, ut abbatissam monasterii anxiam reddiderit ac perplexam cum de corpore B. Radegundis Francorum reginæ ageretur : *Quid faciemus* (alloquitur S. Gregorium Turon. ipso teste in libro de Gloria confess. c. 105), *si episcopus urbis non advenerit? quia locus ille in quo sepeliri debet non est sacerdotali benedictione sacratus.*

(195) Vocatur hic ciborium, quod mox in oratione repositorium appellatur : voce parum differente, et, ut existimo, nolione eadem qua in antiquo ordine Romano apud Mabillonium conditorium vocatur, locus seu vasculum, in quo eucharistia recondi solebat, ut Mabillonius adnotavit. Unde recte a ciborio, id est umbraculo altaris distinguitur, cujus hic consecratio præmittitur, quod nempe pompæ et ornatus causa super altare expandi solebat, ut P. I, Disquis. III, c. I, n. 9, ostendimus. Ex his majoribus ciboriis pendebant, quæ hodierno usu ciboria vocantur, in quibus eucharistia ipsa, vel ejus vasculum seu pixis asservatur, quæ olim peristeria dicebantur, ut l. c. meminimus ex testamento etiam Perpetui episcopi Turonensis, qui inter alia legavit *Amalario presbytero capsulam unam communem de serico, item peristerium, et columbam argenteam ad repositorium.* Eucharistiæ scilicet vel etiam reliquiarum, ut l. c. ostendimus, estque generalis enuntiatio in oratione consecratoria minoris itinerarii ciborii, dum vocatur *hoc repositorium sacris usibus præparatum.*

(196) Nihil hic de præmittenda aqua benedicta quam Pontificale Egberti Eboracensis, ut alia pleraque omnia præscribit : *Primitus cum aqua benedicta episcopus cum clericis suis circumdare debeat omne cœmeterium cum psalmo* Miserere mei Deus, *et antiphona* Asperges me, etc. Sic Callistus II P. M. ad Matisconensem et Cabillonensem episcopos de consecratione altarium et cœmeterii Trenortiensis monasterii scribit : *Altaria consecravimus, cœmeterium benediximus, ibique aquam benedictam fundentes,*

(197) Ven. Beda vocat *tabulam altaris vice dedicatam* in Hist. Angl. lib. V, c. 41, de duobus Ewaldis loquens, qui in itinere constituti sacrificium Deo victimæ Salvatoris offerebant quotidie.

(198) Oratio hæc in eodem cod. post alia posita inscribitur *præfatio tabulæ itinerariæ* cætera respondent.

rem compagem solidavit, hanc petram serenus illustret, eamque æterno lumine irrigatam ita multiplicibus ac diversis carismatibus locupletet, ut super illam administrandam corporis sui hostiam benedicat, et suscipiat consecratam. Qui cum.

Consecratio.

Exaudi nos Deus noster, et precum nostrarum benigne accipe vota, et hoc altare ad celebranda divina mysteria præparatum odore unguenti cœlestis asperge, et aromata illi divinæ sanctificationis infunde, et sicut lapidem Jacob patriarchæ erectum unguenti perfusione dedicasti, et angelicis visionibus per scalam gradus ecclesiæ figurasti, sic super hunc quoque lapidem altari coaptandum cœlestis gratiam benedictionis immitte, ut dum tibi super eum sacri corporis et sanguinis Unigeniti tui mysteria consecrantur, petentibus peccata deleantur, merentibus influat gratia sempiterna. Per. *Et accipiens tabulam aspergat eam aqua benedicta, addens odorem incensi, et confirmet eam cum chrismate ita dic.* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo.

ORDO IN DEDICAT. PISTERII (199).
(Ex cod. Vin th. 277.)

Omnipotens sempiterne ' as fons, etc.

Consecratio fontis.

Omnipotens sempiterne Deus, hoc baptisterium cœlesti visitatione dedicatum Spiritus sancti illustratione sanctifica, ut quoscunque fons iste loturus est trina ablutione purgari indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur. Per.

Alia. Multiplica Domine benedictionem tuam, et Spiritus tui munere fidem nostram corrobora, ut qui in hæc fluenta descenderunt, in libro vitæ ascribi mereantur in regno tibi Deo Patri in resurrectione tradendos. Per.

ORDO IN DEDICATIONE BAPTISTERII.

(Ex cod. ms. bibl. Cæsar. Vindob. sæc. x vel xi, n. 359, olim 351.)

Primitus fiat aqua benedicta cum lætania, deinde dicatur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus fons omnium virtutum et plenitudo gratiarum dignare hoc fasculum sacro baptismati præparatum Majestatis tuæ præsentia consecrare; ut qui ubique totus es, etiam hic adesse te nostris precibus sentiamus. Per. *Alia.* Propitiare Domine familiæ tuæ, et benignus humilitatis nostræ vota sanctifica, et omnes in hoc fonte regenerandos universali adoptione custodi. Per.

Tunc aspergat ipsum Baptisterium aqua benedicta, addens odorem incensi. Deinde redeat Pontifex ad ostium Ecclesiæ, ubi lætaniæ vel laudes circa feretrum celebrantur, et dicat præ foribus hanc orationem significans ostium et Ecclesiam.

Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum, defensionis tuæ auxilium sentiat. Per.

Et tunc portantes feretrum magno honore cum reliquiis simul et crucibus et luminaribus circumeant Ecclesiam sequente clero has antiphonas vel responsoria psallendo, et populo cum mulieribus et parvulis Kirie eleison decant.

A. Surgite sancti de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite et nos homines peccatores in pace custodite. ævia.

A. Ambulate sancti Dei ad locum destinatum qui vobis præparatus est ab origine mundi.

A. Plateæ Hierusalem gaudebunt et omnes vici ejus canticum lætitiæ dicunt.

A. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter servientes præceptis tuis ut invenirentur inlesi in aquis validis terra apparuit arida et in mari rubro viam sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ et torrentes inundaverunt.

℟. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia et meruerunt habere coronas perpetuas.

℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas in sanguine agni. Et meruerunt.

℟. Sancti mei qui in isto sæculo certamen habuistis mercedem laborum ego reddam vobis.

℣. Venite benedicti Patris mei percipite regnum. Mercedem.

℟. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Justi epulentur et exultent in conspectu Dei et delectentur in lætitia.

℟. Fulgebunt justi sicut lilium et sicut rosæ Hiericho ante Dominum.

℣. Justi autem in perpetuo vivent, et apud Dominum est merces eorum. Et sicut.

His ita per ordinem gestis, cum redierit iterum ad ostium Ecclesiæ facto silentio habeat pontifex verbum ad plebem de honore Ecclesiastico, et de decimis, vel oblationibus Ecclesiarum, ac de anniversaria ipsius Ecclesiæ dedicatione. Ipse autem Dominus et constructor ipsius Ecclesiæ admoneatur de dote illius, et qualem honorem vel curam Ecclesiæ et presbytero exhibere debeat. Illo autem profitente in omnibus ita se agere velle pontifex hæc confirmari a Dno postulans, antequam intret Ecclesiam dicat hanc orationem (200).

(199) *Primitus fiat aqua benedicta cum litania.* Deinde dicatur oratio O. s. D. fons, etc. Sequitur alia quæ cum proxima postea inscribitur *Consecratio fontis* O. s. D. hoc bapt., etc.; *alia* Multiplica, etc.; *alia* Propitiare, etc.

(200) De antiquissimo usu consecrandi baptisteria Sidonii Apollinaris habetur testimonium lib. IV, ep. 15 ad Elaphium : *Nam*, scribit, *baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari.* Altaria vero olim, quando recens baptizati statim etiam communionem corporis et sanguinis Domini sumebant juncta fuisse ex S. Paulini carmine in Nat. X, ubi baptisterium describit, discimus. Dum gemina antistes gerit illic munera Christi. In geminos aditum venerabile consecrat usus. Castifico socians pia sacramenta lavacro. Ejusmodi est baptisterium

Domum tuam quæsumus Domine clementer ingredere, et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, et præsta ut domus hæc quæ tua subsistit dedicatione solemnis, tua fiat habitatione sublimis. Per.

Tunc accipiat Pontifex feretrum cum presbyteris et ingrediendo scola antiph. cant.

Ingredimini benedicti Dei, parata est vobis a Domino habitatio sedis vestræ, sed et populus fidelis cum gaudio insequitur iter nostrum ut oretis pro nobis Majestatem Domini. *Cum Respons.* Sancti Dei dedit vobis.

A. Benedicta gloria Domini de loco suo ævia. *cum vers.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum. *Et cum intraverint extenso velo inter populum et altare. Pontifex recondat reliquias in altari et presbyteri qui cum eo sunt cantent antiph.*

A. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Cum psalmo.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Et antequam recludantur reliquiæ dicat hanc orationem.

Deus qui omni loco Dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis. Exaudi nos quæsumus et concede ut inviolabilis hujus loci permaneat consecratio, et beneficia tui muneris universitas sanctæ Ecclesiæ quæ supplicat mereatur. Per.

Hac expleta ponat chrisma in confessionem per angulos quatuor in crucem dicendo. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Deinde ponat tres portiones (201) *corporis Dni in confessionem, et tres de incenso, et tunc recludantur reliquiæ in confessione et dum recludantur canunt antiph.* Sub altare Domini sedes accepistis intercedite pro nobis ad Dominum qui vos elegit. *Cum psalmo.* Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

ORATIO AD DEDICANDUM ALTARE POST IMPOSITAS RELIQUIAS.

Deus qui altaria nomini tuo dicanda sanctificas, præsta quæsumus ut quod nostra fragilitas non meretur intercessione beati N. huc Spiritus tui plenitudo descendat, qui et munera nostra sanctificet, et indulgentiam nobis tuæ pietatis obtineat. Per.

Et accipiens tabulam de subtus confirmet eum cum chrismate in crucem ita dicens. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum spiritu tuo. *Tunc imponat tabulam super reliquias et det orationem hanc.* Deus qui ex omni coaptatione sanctorum æternum Majestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia et præsta, ut quorum hic reliquias pio amore complectimur eorum semper meritis adjuvemur. Per.

Tunc lineat eam cum calce quæ ante fuerat præparata, et postquam linita fuerit faciat crucem desuper cum chrismate dicendo. In nomine. *Et mittat chrisma per quatuor cornua altaris ipsa suprascripta ubi dicendo et crucem faciendo cant. A.* Corpora sanctorum in pace sepulta sunt et vivent nomina eorum in æternum. *Adjung.* Gloria Patri. *Tunc diaconi vestiant altare et scola dic. antiph.* Circumdate Syon levitæ altare Domini vestite vestimentis albis estote et vos canentes ymnum novum dicentes benedictus Deus. ℣. Mirabilis Deus in sanctis suis. Et gloria Patri. *Alia A.* In velamento clamabunt sancti tui Domine ævia, ævia, ævia. *Posteaque offerat incensum, versusque dicatur.* Omnis terra adoret te Deus et psallat. *Preces.*

Fundata est domus Domini super verticem montium. Bene fundata est super omnes colles.

Dominus in templo sancto suo. Dominus in cœlo sedes ejus.

Domus mea dicit Dominus, Domus orationis vocabitur.

Exultabunt Sancti in gloria. Lætabuntur in cubilibus suis.

Exultent justi in conspectu Dei. Et delectentur in lætitia.

Pretiosa est in conspectu Domini. Mors Sanctorum ejus.

Exurge Domine adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus. Dns. vobiscum. Et cum Sp. t.

Et dicat pontifex orationem hanc.

Descendat quæsumus Domine Deus noster Spiritus sanctus super hoc altare, qui et populi tui dona sanctificet, et summentium corda purificet. Per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus altare hoc nomini tuo dicatum, cœlestis virtutis benedictione sanctifica, et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende, ut hic sacramentorum virtus et votorum obtineatur effectus. Per.

Deinde revertatur pontifex in sacrarium donec ornetur ecclesia, et accendantur luminaria, et incipiat cantor antiphonam ad Introitum. Terribilis est locus iste. *Et procedat pontifex cum ordinibus suis, sicut consuetudo est in festivitatibus, et celebretur solemniter missa sicut sacramentorum libro continetur cum* Gloria in excelsis Deo, *et postea per totam ebdomadam fiant missæ publicæ* (202) *in ipsa ecclesia usque ad dies octo completos.*

Pisanum, quod Mabillonius describit in itinere *Ital.* Eodemque pertinent oratoria quæ Anastasius biblioth. a nonnullis pontificibus in baptisteriis fecisse narrat.

(201) Passim hoc in libris ritualibus legere est de tribus portionibus corporis Christi ponendis in altari dedicando. Quod quidem Durandus in Ration. div. offic., c. 7. n. 23, faciendum vult cum corpore Domini, quando reliquiæ nullæ sunt præsto, uti etiam habet Pontificale Durandi : *Deficientibus reliquiis ponat corpus Christi.*

(202) Hæc rubrica in Sacramentario Gregoriano passimque in ordin. dedicationis eccl. legitur ritu antiquissimo, quem in dedicatione basilicæ Hierosolymitanæ servatum, Euseb. lib. IV, De Vita Constantini testatur, commemoratque Sidonius Appolli-

ORDO AD BENEDICENDUM ECCLESIÆ SIGNUM.

(Ex cod. ms., bibl. Cæsar. Vindob. sæc. x vel xi, n. 359, olim 351.)

Imprimis dicitur lætania postea VI. psalmi veniales, Miserere mei Deus secundum. Deus in nomine tuo. Miserere mei Deus miserere mei. Deus misereatur nostri. Deus in adjutorium meum intende. Inclina Domine aurem tuam.

RECONCILIATIO VIOLATÆ ECCLESIÆ.

(Ex cod. Vindob. theol. 277, sæc. xii vel xiii.)

Primitus veniat episcopus ante ipsam ecclesiam cum clero et populo dicatque hanc orationem.

Omnipotens et misericors Deus, qui sacerdotibus etc. *Alia.* Aufer a nobis, etc. *Tunc intret pontifex in ecclesiam cum clero et letaniis. His peractis dicit* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. *Post paululum* Levate. *Oratio :* Deus qui peccati veteris etc. *Et benedicat aquam et salem cum vino et cinere mixtam, et circumeat tribus vicibus intrinsecus ecclesiam spargendo et cantando antiph.* Asperges me Domine. *Ps.* Miserere mei Deus. *lavando ac purificando loca contaminata et dicat hanc Præfationem.* Deum indultorem criminum etc. *Consecratio :* Deus cujus bonitas etc. *Sequitur antiph.* Confirma hoc Deus. *Ps.* Exurgat Deus et dissip. *Et antequam recludantur reliquiæ dicit pontifex :* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio :* Deus qui omni loco etc. *Tunc reliquiæ reponantur. Require cætera in dedicat. ecclesiæ. Et cantent. Ant.* Confirma hoc Deus *cum versu* Narrabo nomen. *Et* Gloria Patri. *Sequitur* Deus qui ecclesiam tuam etc.

BENEDICTIO ECCLESIÆ NOVÆ.

(Ex codice Vindobon. theol. 277.)

Deus qui super mysticam petram apostolicæ di-

A gnitatis ædificatæ principaliter ecclesiæ tuæ portas inferni numquam prævalituras esse promisisti, cunctos ab eadem remove placatus errores, ut quod adversus eam præsumtio falsitatis extollit, Spiritus veritatis evincat. Dirige quæsumus eam dispensatione cœlesti, ut quæ ante mundi principium in tua semper est præsentia præparata, usque ad plenitudinem gloriamque promissam te moderante permaneat, et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, ut plebs hæc quæ dejecto in terram vultu benedictionis tuæ postulat domum æternum a te percipiat præmium. Præsta quæsumus Domine, ut hæc basilica, cujus hodie nunciamus incenia, quæ tua dedicatione subsistit solemnis, tua semper fiat habitatione præclara. Per.

B BENEDICTIO SUPER MUNUS, QUOD QUIS ECCLESIÆ OFFERT HONORI. [(203) *Ex eodem.*]

Deus cujus verbo et potentia facta sunt omnia cujus dono percepimus, quæ ad vitæ remedium possidemus, te supplices obnixis precibus exoramus, ut de sede majestatis tuæ huic oblationi fidelium sanctificator accedas, suscipe de manu famulorum tuorum munus oblatum, quod a tua clementia benedictum in usum hujus sanctuarii maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech munera tibi placuerunt oblata, et quia ad honorem tui amoris ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequiis, tu eis Domine magna pro parvis recompensa, ut devotionem eorum accipiens, fide eos repleas, in-
C dulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera concedas, habeant in hoc sæculo bonæ actionis documentum, caritatis studium, sancti amoris effectum, et in futuro cum sanctis angelis adipiscantur perpetuum regnum. Amen.

BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ.

SEQUITUR EXORCISMUS SALIS.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, per Deum sanctum, per Dominum totius creaturæ, qui
D divina voce oris sui locutus est, ad discipulos suos dicens : Vos estis sal terræ, et qui per apostolum suum Paulum dignatus est dicere, Sit sermo vester sapientiæ sale conditus, ut efficiaris sal exorcizatum, ad evacuandum et expellendum ab hoc ecclesiæ signo inimicum, omnemque virtutem putredinis ejus et omnes qui ex te sumpserint, sint sanctificati animis, atque corporibus et ubicunque fueris aspersum, præstes omnibus remissionem peccatorum, sanitatem mentis, protectionem salutis. In nomine Domini nostri Ihu Xpi qui venturus est.

BENEDICTIO SALIS.

Virtutis tuæ fortitudinem deprecantes, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui inter omnia necessaria quæ per Ihm Xpm Dominum nostrum procreari jussisti, non minimam gratiam conferre dignatus es sali, ut ex illo possint universa condiri, quæ hominibus ad escam per eumdem Filium tuum Dominum nostrum procreasti. Te supplices exoramus, ut hoc sal digneris aspicere, quatenus ex Majestatis tuæ virtute contra omnes spiritus immundos vigorem possit accipere. Expellat ab hoc Ecclesiæ signo, et ab omni loco ubi fuerit tua invocatione aspersum, quidquid potest esse pestiferum, et exhibeat plenum salutis effectum, deterreat omnia præ-

naris *festa hebdomalia* in dedicatione Lugdunensis Ecclesiæ lib. ix., epist. 3. ad Faustum episc.

(203) Mendose hic titulus in Sacramentario Gallicano quod Mabillonius edidit t. I, *Mus. Ital.* P. II, p. 389. ex cod. monast. Bobiensis, sic legitur : *Benedictio omni, quod in Ecclesia offertur.*

stigia vel portenta inimici et omnium monstrorum genera, longius faciat effugari. Gravedines omnes, phantasiasque compescat, et per signum crucis Filii tui Domini nostri Ihu Xpi tutelam fidelissimam desiderantibus præstet. Per eumdem.

EXORCISMUS AQUÆ.

Discede immunde spiritus ab omnibus quibus fides nostra usura est religionis officii sacramentis. Nec prætendas culpam criminis, qui agnoscis potentiam salvatoris. Non est meriti confidentia sed præcepti, licet ipsa potestas mysterii... Te igitur per communem Dominum aquæ creatura convenio, ut conservare motum sensibilitatis intelligens, subjici servicio quo placare Deum nitimur non recuses, omnem a te dæmonum communionem, omne collegium iniquitatis expurges, totam phantasmatis labem, capax Dominicæ protectionis extermines, ut gratia sanctificationis adepta, tuo nostroque pariter creatori deserviens, omnem spirituum pravorum nequitiam ab hoc Ecclesiæ dejicias, et in quocunque loco fueris aspersa, sanctæ copiam benedictionis inducas. Præstante ipso Domino redemptore nostro Ihu Xpo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

BENEDICTIO AQUÆ.

Benedic Domine hanc aquam benedictione cœlesti, et assistat super eam etc. *ut in pontificalis de benedictione campanæ.*

Hic mittatur sal in aquam.

Fiat hæc commixtio et consecratio salis et aquæ in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Oratio post commixtionem.

Omnipotens æterne Deus, qui nobis a te conditam creaturam aquæ vividæ distinxisti, ut liquorem simplicem ad lavacrum, salsam soliditatem præberes ad condimentum, quatenus et sordida possent ablui, et fatua imbui, quo et noxia tollerentur et originalis corrigeretur error ad viam salutis. Te officii nostri functionem immeriti deprecemur, ut hæc salis et aquæ in tuo nomine facta permixtio, clementiæ tuæ dono sanctificetur, ad purificandum hoc ecclesiæ signum, quodque ministerialiter baptismo commodum, culpæ inimicum sapientiæ aptum, errori præstas adversum, sancti Spiritus tui sanctificatione reddas sanctificatum, nec ullo contagio reddatur immundum, quod tua fieri credimus majestate beatum, sed ita per te plenum præbeat sanctificationis effectum, ut ubicunque invocato tuo nomine manu fuerit emissum, vel modo quolibet assumtum expulsis et explosis omnibus insidiis contrariæ potestatis non solum diabolica machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, sed etiam sanctorum angelorum custodia semper inibi mansura consistat, te præstante omnipotente Deo, qui cum Filio tuo et Spiritu sancto regnas in sæcula sæculorum, amen.

Post hæc cantantur psalmi isti : Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quoniam bonus. Lauda Hierusalem Dominum. Laudate Dominum de cœlis. Cantate Domino canticum. Laudate Dominum in sanctis ejus. *Qui dum cantantur lavet pontifex signum de aqua benedicta et sale benedicto cum oleo sancto cruces in eo faciendo et dicat hanc orationem :* Deus qui per beatum Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti etc. *ut in pontificali usque ad illa verba :* Ante sanctæ crucis in eo depictum vexillum. *ubi hæc oratio finitur, omissis illis, quæ in pontificali addantur.* cui flectitur omne genu etc.

Tunc extergat illud cum linteo mundo et cantatur antiphona : Vox Domini super aquas, Deus Majestatis intonuit. Dominus super aquas multas. *Psal.* Vox Domini in virtute. *usque ad finem psalmi cum* Gloria.

Post hæc tangat illud cum chrysmate a foris septies, intus quater et dicat hanc orationem : Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis, etc. *ut in pontificali.*

Tunc ponatur in incensorio iguis et thimiamatus et mirra, et erigatur signum super incensorium, ut totum illum fumum colligat et dicatur antiphona. Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster. Viderunt te aquæ Deus. *usque ad finem psalmi cum* Gloria.

Omnipotens Dominator Xpe, quo secundum assumtionem carnis dormiente in navi, dum oborta tempestas maria conturbasset : te protinus excitato et imperante dissiluit. Tu necessitatibus populi tui, benignus succurre, tu hoc tintinnabulum sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugiat inimicus, invitetur ad fidem populus Xnus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per eum populus evocatus, atque sicut per Davidicam cytharam delectatus desuper descendat Spiritus sanctus, atque ut Samuele crinigero agnum mactante in holocausto suo rex æterni imperii fragore aurarum turbam repulit adversantem, ita dum hujus vasculi sonitus transit per nubila ecclesiæ tuæ conventus consoletur, manu serventur angelica fruges, credentium mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te Salvator mundi.

MAJOR (204) BENEDICTIO AQUÆ ET SALIS.

(*Ex Codice msc. Theol. Bibl. Cæs. Vindob. sæc.* X, *vel* XI, *n.* 359, *olim* 351.)

Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria. *A.* Hæc est generatio. *Ps.* Domini est terra. Afferte Domino. Ipsum. *A.* Secundum magnam misericordiam. *Ps.* Miserere mei Deus secundum. *Deinde*

(204) *Græcis μέγας ἁγιασμὸς* dicitur benedictio aquæ baptismalis olim in pervigilio, nunc in ipso die Epiphaniæ Domini celebratur. Vid. t. II, disquis. V, c. 1, n. 18, ubi de veteri usu solemnis baptismi apud nos etiam in festo Epiphaniæ Domini ac benedictione aquæ hodierna, cum qua hoc in nonnullis convenit. Locum ibi p. 439 S. Chrysostomi attulimus de mirifica hujus aquæ infidelium domibus servatæ virtute. Idem t. VIII, opp. p. 433, moris communis meminit, manus ante ingressum ecclesiæ lavandi, ad quem in usum fontes (eodem cum aliis teste t. III, p. 289) ad ecclesiarum atria erant (talem etiamnum videre est in vicina nobis Ecclesia primaria Friburgensi) uti nunc ad aspersionem saltem vasa aqua benedicta repleta. Perseverat vero mos lavandi manus in ipsa synaxi ab ecclesiæ in-

letaniam. Kyrie eleison. Xpeeleison. Xpe audi nos. Sca Maria ora pro nobis. *Deinde* Dominus vobiscum. et cum spiritu tuo.

Or. Deus cujus antiqua miracula etiam in omni sæculo coruscare sentimus, dum quod uni populo persecutione Ægypti ad liberandum dexteræ tuæ potentia contulisti. Id in salutem gentium per aquæ regenerationem operaris, præsta ut in Habrahæ filios et in Hisrabeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo. Per Dnm.

Lectio Epistolæ beati Pauli apost. ad Corinthios.

Fratres nolumus autem vos ignorare quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus. *Or.* Adjutor in oportun. ℣. quoniam non in finem.

Secundum Mattheum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis. Vos estis sal terræ : quod si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux hujus mundi. Non potest civitas abscondi super montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra bona coram hominibus, ut videant bona vestra opera, et glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.

BENEDICTIO AQUÆ.

Dominus vobiscum. Oremus.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totius creaturæ, ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atque insidias inimici, ut ubicunque aspersa fueris, sit propitio Deo domus ipsa defensa, sicut defensæ fuerunt domus Hebræorum per signum sanguinis agni. Sic defendantur Domine domus famulorum famularumque tuarum per aspersionem hujus aquæ. In ipsius nomine te exorcizo aqua, qui verbo suo fontes emanare præcepit. In ipsius nomine te exorcizo, qui filios Israel per medium mare eduxit. In ipsius nomine te exorcizo, qui super te suis pedibus ambulavit. In ipsius nomine te exorcizo, quem Joannes in te baptizavit, ut omnis spiritus erroris, et omnes fantasiæ dæmonum tua aspersione effugentur et separentur. Per virtutem Domini nostri Jesu Xpi qui venturus est judicare.

A *Alia.* Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Domini nostri Jesu Xpi, ut omnis immundus spiritus et incursio Satanæ separetur ab hac creatura aquæ. Proinde ergo efficere aqua exorcizata ad effugandum omne fantasma inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare. In nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Domini nostri Jesu Xpi, qui venturus.

Alia. Te autem creatura aquæ adjuro per Deum vivum, per Deum sanctum, per eum te adjuro, qui te in principio separavit ab arida. Adjuro te per Deum vivum, qui fontes paradysi emanare præcepit, et in quatuor fluminibus exire jussit, et totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui in te Naaman Syrum a sua lepra mundavit, et per manus B Helisæi prophetæ inmissione dulcoravit. Efficere ergo aqua sancta, aqua benedicta, aqua lavans sordes, et mundans peccata. Adjuro te per Deum vivum, ut te mundam exhibeas, nec in te aliquam fantasiam retineas; sed efficiaris fons exorcizatus, ut ubicunque aspersus fueris, sive in domo, sive in angulis cubiculorum, sive in agro, sive super homines, sive super pecora, vel jumenta, vel si quis ex te gustaverit, fias ei defensaculum vitæ, remedium sanitatis. Ipse quoque diabolus elongetur et effugetur, tamquam elongatum est cœlum a terra, lux a tenebris, justum ab injusto, dulce ab amaro, sic separetur ille spiritus immundus ab omni habitatione famulorum famularumque Dei, vel ab his locis, ubi hæc unda respersa fuerit, per verbum C et virtutem Domini nostri Jesu Xpi. Qui venturus est.

BENEDICTIO AQUÆ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Domini nostri Jesu Xpi Filii ejus, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici. Et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis. Per virtutem Domini nostri Jesu Xpi. Qui venturus est.

Alia. Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta, etc.

BENEDICTIO SALIS.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, per Deum verum etc.

D BENEDICTIO SALIS.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totius creaturæ, qui te per Helisæum prophetam in aquam mitti jussit ut sanaretur sterilitas aquæ, qui divina voce oris sui locutus

cunabulis usitatus in utraque Ecclesia, ut de presbyteris Græcis, Maronitis, Armenis, cæterisque orientalibus apud Renodotium videre est; de fidelibus autem sacram communionem accedentibus S. Chrysost. in hom. *De ira et simultate : Non audes*, inquit, *illotis manibus sacram hostiam attrectare, etiamsi mille necessitatibus premaris, ne igitur illota accedas anima.* Et S. Cæsar. *Arelat.* serm. 229 : *Omnes viri*, inquit, *quando communicare desiderant lavant manus suas.* Quia nimirum viri nuda manu, accipiebant sanctam hostiam, mulieres autem linteis seu mappis, ut ex Vita S. Wiboradæ notavit Mabillonius sæc. v. Bened., p. 51. Inculentum vero hujus discriminis apud S. Cyrillum Hieros exstat testimonium catech. Mystag. III, initio autem catech. V, de communi fidelium usu lavandi ante orationem manus. De quo *Cæterum*, ait Tertullianus c. 11, de Oratione, *quæ ratio est, manibus ablutis, spiritu vero sordente orationem obire.* Morem illum communem fuisse discimus ex hom. XLIII S. Chrysost. in ep. *I* ad *Corinth.* t. X, p. 405. Idem in Joann. t. VIII, p. 313 et 433 ante lectionem etiam sacram manus lotas testatur.

est ad discipulos suos dicens : Vos estis sal terræ : qui per apostolum suum Paulum dicere dignatus est, Sit sermo vester sapientiæ sale conditus, ideoque efficere sal exorcizatus, ad evacuandum et expellendum inimicum, et omnem virtutem putredinis ejus. In nomine Domini nostri Ihu Xpi. Qui venturus est judicare vivos et mortuos.

Alia. Benedic omnipotens Deus hanc creaturam salis tua benedictione cœlesti in nomine Domini nostri Ihu Xpi, et in virtute sancti Spiritus tui, ad effugandum inimicum, quam tu Domine sanctificando sanctifices, et benedicendo benedicas, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus summentium. In nomine Dni nri Ihu Xpi. Qui venturus est.

Alia. Deus invisibilis, Deus inæstimabilis, qui per cuncta diffusus es, pietatem tuam et misericordiam per sanctum et tremendum Filii tui nomen supplices deprecamur, ut super hanc creaturam salis benedictionem tuam per potentiam invisibilis operationis infundas, ut jumenta, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cum ex eadem acceperint, vel gustaverint, hæc benedictio et sanctificatio tua inlæsa reddat, et ab omni temptatoris incursu te protegente custodiat. P.

Alia.

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti benedicere et sanctificare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus sanitas animæ et corporis; ut quidquid eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per.

BENEDICTIO AMBORUM PARITER.

Hic sufflat ter et miscet.

Deus cui super Cherubim et Seraphim sublimi throno sedenti omnis profunditas abyssi, omnis latitudo perspicua est. Deus cujus æternis legibus omnis natura concluditur. Deus cujus voluntati quidquid resistit infirmum est, quidquid sævit inimicus et immundus spiritus tuis sermonibus sanctis evictum est. Deus qui malignorum destruis vires, et adversantia per famulos tuos temptamenta inimici extinguis. Te Domine supplices exoramus, ut ad defensionem nostram placatus aspicias, et salis et aquæ hujus creaturam gratiæ tuæ benedictione sanctifices, et necessariis purificationibus facias efficaces, ut quidquid fuerit liquore ejus aspersum, ab omni immunditia spirituum immundorum vacuum fiat et liberum. Nihil ibi pestilentia morbidum, nihil ullius terroris sit inquietum, omne illic dæmonium, omnem adversariam potestatem per hujus creaturæ tuæ salis et aquæ aspersionem deprecatio tuæ invocationis expellat. Nec ullas ibi diaboli ministrorumque ejus insidias nocere aut lædere permittas, ubi de tuo auxilio præsumitur et virtus tui nominis invocatur. Per.

Alia. Præsta quæsumus Domine tuum salubre remedium super hanc creaturam salis et aquæ, ut ubicunque intercesserit, ad animæ et corporis proficiat sanitatem. Per.

Alia. Æterne Domine Deus omnipotens officii nostri functione immeriti deprecamur, ut hæc salis et aquæ permixtio, in nomine clementiæ tuæ sanctificata, cum per nostras fuerit manus emissa, vel quolibet modo assumta, expulsis cunctis machinamentis dæmonum ex eodem loco fugata deficiant, et sanctorum angelorum custodia semper inibi mansura consistat. Per Dnm.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

Præfatio

Domine Deus cœli et terræ, cujus virtuti subjecta sunt universa, cujus verbo procurata sunt omnia, submitte Spiritum tuum sanctum super hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua sanctificata in nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ipsa te cognovit altissima salus et respector tuus aqua. Ergo humiles exoramus, ut exaudias et miserearis precibus nostris, ut ubicunque aspersionis et purificationis te jubente aspersa fuerit hæc aqua, habeat ibi domus gaudium, spem, honorem perpetuum, ut omnis malivoli invidia expellatur et separetur, per virtutem Domini nostri Jesu Christi quem laudant angeli, et non cessant clamare dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth.

Oremus.

Præceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere. Pater noster. Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus, et futuris, et custodi nos in omni opere bono, per liberatorem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat. Credo in Deum.

BENEDICTIO AMBORUM PARITER.

Deus invictæ virtutis auctor, et insuperalis imperii Rex etc.

BENEDICTIO MINOR SALIS ET AQUÆ.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Dominum qui te per Helisæum etc.

BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ.

(Ex ms. Vind. th. 277, sæc. XII vel XIII.)

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina. *cum* Gloria Patri. Kyrie eleison. Xpe el. Kyrie el. Pater noster. Credo in Deum. *Et letania sequitur si vis.* Benedictio Salis. Exorcizo te creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, et in caritate Dni nri Ihu Xpi, et in virtute Spiritus sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Dne Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad effugandum inimicum : quod tu Domine sanctificando

sanctifices, et benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum in nomine Dni nri Ihu Xpi. Qui venturus.

Lectio libri Regum. In diebus illis. Dixerunt viri civitatis ad Helyseum. Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse perspicis, sed aquæ amarissimæ sunt, et terra sterilis. At ille ait : Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in eum sal, et ait : Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non erit in eis ultra mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ usque ad diem hanc juxta verbum Helysei, quod locutus est. *Secundum Johan.* (205). In illo tempore. Vidit Johannes Jesum venientem ad se et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est enim de quo dixi : Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, et ego nesciebam eum. Sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Johannes dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

BENEDICTIO AQUÆ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totius sæculi creatorem, ut mundam te exhibeas contra omnem morbum atque insidias inimici, ut ubicumque aspersa fueris, sit propitio Deo defensa domus ipsa, sicut defensæ fuerunt domus Hebræorum per signum sanguinis Christi, sic defendatur Domine domus famulorum famularumque tuarum. In ipsius nomine te exorcizo, qui filios Israel per medium mare eduxit. In ipsius nomine te exorcizo, qui super te pedibus suis ambulavit. In ipsius nomine te exorcizo, quem Johannes in te baptizavit, ut omnis spiritus erroris et omnes fantasiæ dæmonum per hanc aquam aspersionis effugentur et separentur per Xpm Dominum nrm, qui venturus est judicare.

Alia. Præsta Domine tuum salutare remedium super hanc creaturam salis et aquæ, ut ubicunque intercesserit, ad animæ et corporis proficiat sanitatem. Per Dnm nrm. *Hic suffla ter in modum crucis, et misces salem et aquam, et dices his verbis.*

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, qui te per Helisæum prophetam in aquam mitti jussit, qui divina voce ore suo locutus est ad discipulos suos, dicens : Vos estis sal terræ. Qui per apostolum Paulum dixit Cor vestrum sale conditum sit ; ideoque efficere sal exorcizatum ad expugnandum inimicum et omnem incursum dæmonis per virtutem et nomen Dni nri Ihu Xpi. Qui venturus est judicare sæculum, et te inimice per ignem. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

Præfatio.

VD. et justum est æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere Dne Deus cœli et terræ, cujus virtuti subdita sunt universa, cujus verbo procreata sunt omnia ; supermittendo supermitte Spiritum sanctum super hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua sanctificata in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ipsa te cognoscat altissima salus et respector perpetuus. Ad quem humiles oramus et petimus, ut exaudias et miserearis precibus nostris, ut ubicunque aspersionis et purgationis, te jubente, aspersa fuerit hæc aqua, habeat domus illa gaudium, spem, honoremque perpetuum, ut omnes malivoli et invidi expellantur et separentur. Iterato te alloquar aqua, qui lucis similitudinem habes. Tu sub cœlo, tu super cœlum, tu sub terra, tu super terram. Super te invoco nomen sanctum, atque mirabile Dei, qui te sua potentia suspendit super cœlos, congregavit in terra, miscuit in mari : qui te archanis, et limpidis atque velocibus ventis pluere præcepit, et ad usus hominum carnis lavacrum dedit, et sitientibus potum subministravit, super quam etiam Spiritus Domini ferebatur sed etiamnum fertur. Adjuro te per vocem tonitrui corruscantis, et per virtutem tremendi cœlestis regis. Adjuro te per lignum mysterii, de quo aqua percussa statim dulcis facta est. Adjuro te per eum, qui omnia creavit, ne contempnas vocem humilitatis meæ, sed expellas omnem umbram, omnem satanam, et omnes machinationes diabolicas spirituum immundorum sive biothanatum, (206) sive errantium, sive ex invocatione magicæ artis, sive præcantatorum argumenta, sive draconum, sive volucrum et viperarum, quia imperat tibi Dns Ihs Xps Filius Dei vivi, ut mox cum aspersa fueris in nomine Dei omnipotentis sabaoth sive in domo, sive in vineis, sive in pecoribus, suis in seminatis campis, sive in qualicumque creatura, sive in potu data fueris homini valetudine detento, et a maligni infestatione percusso, mox expellas, et excludas omnem malignum, ut possit homo velocius salvus fieri per virtutem et nomen Dni nri Ihu Xpi, qui neque dici, neque scribi, neque computari potest, cui nomen est Deus. Qui per angelum tuum Domine fontem Agar ostendisti, et ex eo Ismahel sitientem potasti : qui pueri Abrahæ in Mesopotamia preces audisti, et omnia desideria cordis ejus implesti : qui famulum tuum Moysen in deserto petram percutere, et ex ea aquam producere, et populum rigare jussisti : qui aquam amaram immisso ligno dulcorasti, ita benedicere digneris hanc aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut ubicunque aspersa fuerit in tuo nomine omnes jactationes sævas inimici expellas. Illud etiam rogamus, ut sicut ad domum Raguel

(205) Hodierna benedictio aquæ in Epiphania evangelium habet quidem de baptismo Joannis, sed secundum Lucam ; concordant vero tres sequentes orationes cum hodierno ritu, ex quibus colligitur benedictionis destinatio in domibus fidelium.

(206) In editis damnatorum.

angelum Raphael mittere dignatus es, et Asmodeum dæmonium colligavit, simili beneficio domui huic præstes, ut mox, cum aspersa fuerit nunquam illic vel in anima vel in eadem domo consistentibus habeat aliquam potestatem, sed confusus et districtus abscedat. Per Xpm Dnm nrm, per quem majestatem tuam.

BENEDICTIO SALIS.

Sancte Dne creator omnium creaturarum, et totius naturæ artifex, et unus magister gignentium, origo nationum, utilitasque virtutum, cujus providentia in hac quoque creatura liquentes aquas cœlesti igne solidasti, ut hæc cætera humanis usibus admixta condiret, et in longiorem usum incorrupta servaret; da ei Dne exorantibus nobis eam ex tua benedictione substantiam, ut cujuscumque viscera penetraverit, effuget ex his atque depellat quidquid erroris, confusionis, malignitatis fraudes diabolicæ temptationis infuderint, omni hostis nri infestatione depulsa, id in homine tantum quod a te factum est relinquatur.

Alia. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, te suppliciter deprecamur, ut benedicere digneris hanc creaturam salis, quam in usum humani generis tribuisti, ut qui ex ea gustaverint, non moriantur in æternum, sed te sapiant, in te roborentur, atque ad æterna dona per tuam gratiam venire mereantur, in nomine Dni nri Ihu Xpi, qui venturus est.

BENEDICTIO SALIS AD PECORA.

Deus invisibilis et inæstimabilis, qui per cuncta diffusus es, pietatem tuam et misericordiam per sanctum et tremendum Filii tui nomen supplices deprecamur, ut in hanc creaturam salis benedictionem et potentiam invisibilis operationis infundas, ut jumenta, quæ necessitatibus humanis dignatus es tribuere cum ex eadem acceperint, vel gustaverint, hæc benedictio et sanctificatio tua illæsa reddat, et ab omni temptatoris incursu te protegente custodiat. Per.

Alia. Defende Domine pecora per hanc creaturam salis a lupis rapacibus, a latronibus, a morbo, a mortibus, a laqueis diaboli, ab omni infirmitate, a temptatione, a malitia, ab odio, ab invidia, a malo homine, a malis eloquiis (*i. e.* incantationibus, execrationibus), a malis oculis, a veneficiis, ab omni temptatione sacrare et salvare digneris Domine pecora nostra, et omnia quadrupedia, quæ morbo et infirmitate vexantur per hanc creaturam salis in nomine tuo Pater, Filiique tui Ihu Xpi et Spiritus sancti. Qui in Trinitate perfecta.

BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ AD SPARGENDUM IN DOMO.

Domine sancte Pater omnipotens instaurator et conditor omnium elementorum, qui per Xpm Dnm Filium tuum hanc creaturam salis inter cætera esse jussisti, te deprecamur Domine, ut hanc creaturam salis et aquæ benedicere digneris, ut ubicunque aspersa fuerit, omnis spiritus immundus effugiat, ne A ulterius in eo loco habeat potestatem commorandi. Per.

Alia Oratio. Præsta Domine per hanc creaturam aspersionis (*vel* hujus creaturæ aspersionem) sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, hic et in æterna sæcula.

BENEDICTIO AQUÆ AD SPARGENDUM.

Deus qui ad salutem humani generis etc.

Item alia. Exorcizo te creatura salis et aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Ihu Xpi Filii ejus, et Spiritus sancti, omnis virtus adversarii, omnis incursio diaboli, omnisque inimici potestas eradicare et effugare ab hac creatura aquæ per Deum verum, per Deum vivum, per Deum sanB ctum, et Dnum nrm Ihm Xpm, ut efficiaris aqua benedicta, ut ubicunque effusa fuerit, vel aspersa sive in domo, sive in agro, effuges omnem fantasiam, omnem potestatem inimici: Spiritus sanctus habitet in domo hac. Per Dnm nrm. Qui venturus.

ITEM EXORCISMUS SALIS ET AQUÆ SUPER INFIRMOS SCI GREGORII PAPÆ.

(Ex cod. Vindob. theol. 685.)

Deus in adjutorium meum intende. *Tribus vicibus cum* Gloria. Kyrie el. Pater noster. Credo in Deum. *Lectio libri Regum.* In diebus illis dixerunt viri civitatis ad Heliseum. Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse prospicis, sed aquæ amarissimæ sunt et terra sterilis. At ille ait: Afferte C mihi vas novum, et mittite in illud sal. Qui cum attulissent, egressus ad fontes aquarum, misit in eum sal et ait: Hæc dicit Dominus: Salvavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ usque ad diem hanc, juxta verbum Helisei, quod locutus est in Dom. *Secundum Joan.* In illo tempore vidit Joannes Jesum venientem ad se et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, et ego nesciebam eum. Sed ut manifestaretur in Israhel, propterea ego veni in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Johannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et D mansit super eum, et ego nesciebam eum. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

BENEDICTIO SALIS.

Exorcizo te creatura salis in nomine Dei Pa†tris omni†potentis, et in caritate Domini nostri Jesu Christi, et in virtute Spiritus sancti: Bene†dico te per Deum vi†vum, per Deum ve†rum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hæc creatura salis, in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur

salutare sacramentum ad effugandum inimicum : quam tu Domine sanctificando sanctifices, et benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum in nomine Dni nri Jhu Xpi qui ventur.

BENEDICTIO AQUÆ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vi†vum, per Denm sanctum, per Deum totius mundi creatorem, ut mundum te exhibeas contra omnem morbum, atque insidias inimici, ut ubicunque aspersa fuerit sit propitio Deo defensa domus. Sicut defensæ fuerunt domus Hebræorum per signum sanguinis Christi, sic defendatur Domine domus famularumque tuarum. In ipsius nomine te exorcizo, qui verbo suo fontes emanare præcepit. In ipsius nomine te exorcizo, qui filios Israel per medium mare eduxit. In ipsius nomine te exorcizo, qui super te suis pedibus ambulavit. In ipsius nomine te exorciso quem Johannes in te baptizavit, ut omnis spiritus erroris et omnes fantasiæ dæmonum per hanc aquam aspersionis effugentur et separentur per Xpm Dnm nrm qui ventur.

Alia. Præsta Dne tuum salutare remedium super hanc creaturam sa†lis et a†quæ, ut ubicunque intercesserint ad animæ et corporis proficiant sanitatem. Per Xpm. *Hic sufflat ter in modum crucis; et miscens salem, et dic.* Exorcizo te, creatura salis per Deum vi†vum, per Deum ve†rum, per Deum san†ctum, per Deum, qui te per Heliseum prophetam in aquam mitti jussit : qui divina voce, ore suo, locutus est ad discipulos suos dicens : Vos estis sal terræ; qui per apostolum Paulum dixit, Cor vestrum sit sale conditum. Ideoque efficere sal exorcizatum ad expugnandum inimicum et omnem incursum dæmonis per virtutem et nomen Dni nri Jhu Xpi qui venturus est. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. VD. et justum est æquum et salutare Domine Deus cœli et terræ cujus virtuti subdita sunt universa, cujus verbo procreata sunt omnia, supermittendo supermitte Spiritum tuum sanctum super hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua sanctificata. In nomine Pa†tris et Filii et Spiritus † sancti. Ipsum te cognoscimus altissima salus et respector perpetuus, ad quem humiles oramus et petimus, ut exaudias et miserearis precibus nostris, ut ubicunque aspersionis et purgationis, te jubente, aspersa fuerit hæc aqua, habeat sibi domus gaudium, spem, honorem perpetuum, ut omnes malivoli, invidi expellantur, et separentur. Iterato te alloquor aqua, quæ lucis similitudinem habes : tu sub cœlo, tu super cœlum : tu sub terra, tu super terram. Super te invoco nomen sanctum atque mirabile Dei, qui te sua potentia suspendit super cœlos, congregavit in terra, miscuit in mari : qui te archanis et limpidis, velocibus ventis pluere præcepit, et te ad usus hominis lavacrum carnis dedit, sitientibus potum per te subministravit, super quem etiam Spiritus Domini non solum ferebatur, sed etiam fertur. Adjuro te per Spiritum Dei vivi. Adjuro te per vocem tonitrui coruscationis tremendæ cœlestis regis. Adjuro te per lignum mysterii de quo aqua percussa statim dulcis facta est. Adjuro te per eum, qui omnia creavit, non contempnas vocem humilitatis meæ, sed expellas omnem umbram, omnem satanam, et omnes machinationes diabolicas spirituum immundorum, sive errantium : sive ex invocatione magicæ artis, sive præcantorum argumenta, sive draconum et omnium volucrum et viperarum. Imperet tibi Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, ut mox cum aspersa fueris in nomine Dei omnipotentis sabaoth, sive in domo, sive in vineis, sive in pecoribus, sive in seminatis campis, sive in qualicunque creatura, sive in potu data fueris homini invalitudinem detinenti, a maligni infestatione percusso, mox expellas, et excludas omnem malignum, ut possit homo velocius salvus fieri per virtutem et nomen Dni nri Jhu Xpi, qui neque dici, neque scribi, neque computari potest : cui nomen Deus, qui per angelum tuum Domine fontem Agar ostendisti, et ex eo Ismaelem sitientem potasti. Qui pueri tui Abrahæ in Mesopotamia preces exaudisti, et omnia desideria cordis ejus implesti : qui famulum tuum Moysen in deserto petram percutere, et populum potare jussisti : qui aquam amaram immisso ligno dulcorasti; ita benedicere digneris hanc aquam in nomine Pa†tris et Filii et Spiritus † sancti, ut ubicunque aspersa fuerit in tuo nomine omnes jactationes sævas inimici expellas. Illud etiam rogamus te Domine, ut sicut domum Raguel angelum Raphahel mittere dignatus es, et Asmodeum dæmonem colligavit, simile Domine beneficium domui huic præstes, ut mox cum aspersa fuerit, numquam illic vel in anima, vel in eadem domo consistentibus habeat aliquam potestatem, sed confusus et districtus abscedat. Per.

EXORCISMUS AQUÆ.

Exorcizo te creatura aquæ. *Ut supra.*

Alia. Deus qui ad salutem humani gen. *Ut sup.* Deus invictæ, etc. *Ant.* Asperges me. *Psal.* Miserere.

Oratio post aspersionem aquæ.

Præstes (Prs) Domine per hanc creaturam aspersionis sanitatem mentis, et corporis integritatem, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, hic et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

BENEDICTIO CEREORUM.

III *Non. Febr. Ypapanti.* (207) *Ad sanctam Mariam.*

(Ex cod. Vind. theol. n. 685 sæc. x.)

Domine Deus omnipotens creator cœli et terræ rex regum Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes et orantes ad te. Precamur te, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti, et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem ceræ evenire fecisti, et qui hodierna die petitionem justi Simeonis implesti, te humiliter deprecamur, ut has can†delas ad usus hominum, et sanitatem corporum et animarum sive in terra sive in aquis per invocationem sancti tui nominis, et per intercessionem sanctæ Mariæ genitricis tuæ, cujus hodie festa devote percolimus, et per preces omnium Sanctorum tuorum bene†dicere et sanctificare digneris, ut hæc plebs tua illas in manibus honorifice portans, te cantando, teque laudando, tu exaudies voces illius, de cœlo sancto tuo et de sede majestatis tuæ. Propitius sis omnibus clamantibus ad te, quos redemisti precioso sanguine tuo, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare. Quia per serenissimam ac placidissimam stellam genitricem tuam, cujus sacratissimum nomen per ineffabile et inenarrabile meritum stella maris interpretatur, humanum genus illuminare dignatus es. Pro hoc maxime gaudio hodierna die ovantes, et has candelas in manibus nostris venerabiliter ferentes, et incessabili voce clamantes, ut pro dulcissimo amore, et clementissima intercessione tuæ dignæ genitricis semperque Virginis nos indignos, sed tamen pretioso sanguine tuo redemptos te æterno ac vero lumine facias clementer perfrui. Per.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum ulnis sancti Symeonis in templo tuo sancto suscipiendum præsentasti, tuam supplices deprecamur clementiam, ut hos cereos, quos nos tui famuli in tui nominis magnificentia suscipientes gestare cupimus bene†dicere et sancti†ficare atque lumine supernæ benedictionis accendere digneris: quatinus eos tibi Dno Deo nostro offerendo, digni, et sancto igne tuæ dulcissimæ caritatis succensi in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per.

(207) *Jos.* Beletho, qui vixit sæc. XII, in explicatione divinorum offic. Hæc celebritas etiam *Candelaria* dicta memoratur ab antiquissima Romanorum consuetudine in principio Februarii urbem lustrandi, eam circumeundo seu ambiendo cum candelis ardentibus in manibus, unde etiam *Amburbale* vocatum festum.

A *Tunc dividantur candelæ per singulos, et accendatur, stantibusque omnibus in eodem loco cantatur hæc anthiphona.*

Ant. Ave gratia plena Dei genitrix virgo, ex te enim ortus est Sol justiciæ, illuminans quæ in tenebris sunt. Lætare et tu senior juste, suscipiens in ulnas liberatorem animarum nostrarum, donantem nobis resurrectionem.

Oratio. Exaudi quæsumus Dne plebem tuam, et quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per.

Tunc primum exeuntes inde procedant usque ad crucem cantando Ant. Responsum accepit Symeon a Spiritu sancto. Non visurum se mortem nisi videret Christum Dominum. Et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas et benedixit B Deum, et dixit: Nunc dimittis Domine servum tuum in pace. Versiculi.

Qui sine peccato templi est oblatus ad aram.

A nobis clemens crimina quæque demat.

Quod chorus vatum venerandus olim Spiritu sancto cecinit repletus, in Dei factum genitrice constat esse Maria. Qui sine peccato.

Illet Deum cœli Dominumque terræ virgo concepit, peperitque virgo, atque post partum meruit manere inviolata. Qui sine.

Quem senex justus Symeon in ulnis in domo sumpsit Domini gavisus. Ob quod optatum proprio videret lumine Christum. Qui.

Tu libens votis, petimus precantis, regis æterni C genitrix, faveto, clara quæ celsi retinens Olimpi regna petisti. Qui.

Sit Deo nostro decus et potestas. Sit salus perpes, sit honor perennis. Qui poli summa residet in arce trinus et unus. Qui.

Oratio. Illumina Domine quæsumus populum tuum, et splendore gloriæ tuæ cor ejus semper accende, ut Salvatorem suum, et incessanter agnoscat, et veraciter apprehendat. Per eundem.

Tunc procedentes inde veniant ad altare sanctæ Mariæ cantando. Ant. Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe regem Christum. Amplectere Mariam, quæ est cœlestis porta. Ipsa enim portat regem gloriæ. Novi luminis subsistit virgo, adducens manibus filium ante luciferum. Quem accipiens Symeon in D

ulnas suas prædicavit populis Dominum eum esse vitæ et mortis, et Salvatorem mundi. *Oratio.* Oremus. Da quæsumus populo tuo Domine inviolabiliter fidei firmitatem ut qui unigenitum tuum in tua tecum gloria sempiternum in veritate nostri corporis natum de matre virgine confitentur, et præsentibus liberentur adversis, et mansuris gaudiis inserantur. Per. *Indeque incipiente cantore Ant.* Cùm inducerent puerum. *Ps.* Benedictus. Oremus. Perfice in nobis quæsumus Domine gratiam tuam, qui justi Symeonis exspectationem implesti, ut sicut ille mortem non vidit priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita et nos vitam obtineamus æternam. Per eundem (208).

(*Ex codice Rhenaug. sæc.* XI, *circ.*)

Ave gratia. ℣. Suscepimus etc. Dns vobiscum.

Oremus :

Erudi (209) quæsumus Domine plebem tuam; et quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, intrinsecus assequi gratiæ tuæ lucem concede. Per Dnm nostrum.

Domine Deus creator cœli et terræ, rex regum et Dominus dominantium, exaudi indignos famulos tuos, clamantes et orantes ad te : precamur etc.

Deus Pater omnipotens, lumen indeficiens, conditor omnium luminum! exaudi nos, et bene✝dic hoc lumen, quod a te sanctificari atque benedici rogantes offerimus, ut accendamur et illuminemur igne claritatis tuæ; et sicut igne illuminasti Moysen, ita quæsumus ut illumines corda, et sensus nostros, et mittere digneris sanctum angelum tuum Raphaelem : ut qui evulsit et repulit a Sara et Tobia dæmonem mortiferum infestantem, conterat illum, et disperdat de cunctis habitationibus colentium Dominum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de universis locis in quibuscunque famulantes Domino habitant, et requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant, consistunt; nec amplius valeat inquietare, vel pavores inmittere super illos, quos sancti crismatis tui unctio fecit esse munitos.

Bene✝dico te cera in nomine sanctæ Trinitatis : ut sis exterminatio diaboli, et omnium contubernalium ejus. Per eum, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus! et has candelas tua bene✝dictione perfunde; quatenus fidelis populus eas in manibus portans non solum exteriori lumine gaudeat, sed cecitate cordis repulsa, sic lumen, quod in tenebris lucet, apprehendat : ut nequaquam a via veritatis aberret. p. D. n. I. Ch. F. t. q. tec. v. et r. in u. Sp. S. D. per om. sc. Amen.

Dominus vobiscum etc. Sursum corda etc.

Gratias agamus Dno etc.

Vere dignum etc. æterne Deus.

Fons, et origo totius lucis, qui mundum illuminasti lumine tuæ claritatis, mittendo nobis unigenitum tuum per uterum intemeratæ Virginis; et quem longe ante promisisti Prophetarum oraculis, temporibus novissimis ipsum misisti lucem, populis sedentibus in tenebris, in regione umbræ mortis in ipso claritas exorta est eis : Tu quoque benedictione tua digneris bene✝dicere has candelas Nomini tuo præparatas; qui nos transtulisti a potestate tenebrarum in lucem, et regnum dilecti filii tui, per quem exortum est in tenebris lumen rectis corde, et gaudium salutis æternæ. Et qui justum Simeonem fideli replesti exspectatione, ut non prius videret mortem, antequam Christum Domini videret indutum carne : totius mundi lumen et salutare; ipse nos lumine tuæ claritatis sic repleas, ut omnes infidelitatis tenebras a nobis repellas; et sicut hodie servum tuum dimisisti in pace, ita nos in pace tuæ sanctæ Ecclesiæ digneris gubernare : ut portum quietis æternæ valeamus intrare, quatenus radiis ut (210) lucis perfusi ibi in die justi Examinis læti cum ymnidicis Angelorum choris valeamus videre faciem indefessi solis. Per eundem. D. n. J. Ch. F. t. q. t. v. et reg. in unit. Sp. S. D. per o. secla seclum. Amen.

Deinde aspergantur, thurificentur, distribuantur.

Ant. Lumen ad Revelation. etc. ℣ Accipiens Simeon puerum in manibus : gratias agens benedicit Dominum.

Omnipotens sempiterne Deus! qui unigenitum tuum ante tempora de te genitum, sed temporaliter de Maria virgine incarnatum, lumen verum, et indeficiens ad depellendas humani generis tenebras, et ad incendendum lumen fidei et veritatis in mundum misisti; concede propitius, ut sicut exterius corporali, ita etiam interius luce spirituali mereamur irradiari. Per eund. Christ.

BENEDICTIO CINERUM.

Dominus vobiscum. Oremus.

Deus, qui humilitate flecteris, et satisfactione placaris; aurem tuæ pietatis inclina precibus nostris, et capitibus servorum tuorum norum cinerum aspersione ac tactis (211) effunde propitius gratiam tuæ

(208) Pleraque hujus ritus festivi orationes et antiphonæ cum usu hodierno Romano conveniunt, de cujus antiquitate diximus P. III. Disquis. IX, c. 2, n. 12. Nuspiam vero quidpiam in nostris monumentis liturgicis occurrit de benedictione novi ignis e silice excussi, unde cerei accenderentur. Cujus meminit S. Bernardus initio sermonis 1, de Purif. variique libri rituales apud Martenium.

(209) Miss. R. Exaudi, etc.

(210) leg. tuæ.

(211) leg. attactis.

benedictionis : ut eos et spiritu compunctionis repleas ; et quæ juste postulaverint, efficaciter tribuas, et concessa perpetua stabilitate manere intacta decernas. Per (212).

BENEDICTIONES PALMARUM.

† BENEDICTIO SUPER RAMOS PALMARUM.

(Ex antiquissimo Sacramentario Rhenaug.)

Bone Redemptor noster Domine, qui ad passionem redemptionis nostræ spontaneus adpropinquas, cum Tibi ramis arboreis certatim sternitur via, et triumphatricibus palmis cum voce laudis occurritur, quæsumus Majestatem tuam divinam, ut oris nostri confessionem atque corporis in jejunii humiliatione libens suscipias, et fructum nostræ viriditatis habere concedas, ut sicut illi intui fuerunt obviam cum arboreis virgis egressi, ita nos te redeunte in secundo adventu cum palmis victoriæ mereamur occurrere læti. Per Dnum.

BENEDICTIO DP. PALMÆ ET OLIVÆ.

Omnipotens et misericors Deus, prætende nobis misericordiam tuam, ut quod sperantes ad te petimus, te donante consequi mereamur. Per. B

Alia. Petimus te sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut respicere digneris super hanc creaturam olivæ etc.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, qui dispersa congregas etc.

Alia. Deus, qui Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum pro salute nostra etc.

(✠)Te inter cætera mirabilium tuorum præcepta laudare † et benedicere, qui Lamech semen justum dedisti Noe ; cui revelasti per Spiritum aquas diluvii, futura cognoscens ; cujus arcam ad nostram salvationem testaretur mater Ecclesia, de qua emissa columba volans spiritualis (specialis) olivæ fructuosum surculum retulit, quam ad se revertentem Noe gaudens suscepit ; quam ad se revertentem cum spiritali (speciali) fructu libenter suscepit, de cujus rami unctione Jacob electi titulum erexit Domino, votum vovit et oleum desuper fudit. Hæc est indictio rami illius manantis de cœlis gratiæ seu et populi vasa replentis. Hæc est gratia, quæ et viduam benedixit in oleo ; hæc est indictio rami illius plantati secus decursus aquarum, cujus folium non defluit, per quod quotidie per lavacrum baptismatis Ecclesia procreatur, et nostra delentur peccata. Hæc est tua Domine plantatio bona valde, et tu es vita et resurrectio mortuorum, qui quadriduanum Lazarum resuscitasti a mortuis ; propterea et turba cum ramis palmarum obvians tibi clamabat : Osanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel ; quapropter quæsumus Domine clementiam tuam, ut nos famulos tuos, qui hujus rei gratiam et fidem veritatis percepimus, eruas de ore inferni, et adjutorio gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, ut juste et pie sancteque viventes, cum Electis et Sanctis tuis facias habere consortium. Per Chr.

(212) Unam hanc, quæ etiam in Missali Romano habetur in msc. Rhenaug. 600, circ. annorum reperi orationem pro benedictione cinerum, quam primum monachi ex disciplina pœnitentiæ hac die cum impositione cinerum æmulati videntur. Juvat hic ex ordine operis Dei msc. sæc. XIV, qui usque ad sæc. XVI in usu fuit in monasterio S. Blasii ritum singularem describere : Feria IV in capite jejunii legatur expositio de Evangelio *Cum jejunatis*, non tamen a diacono pronuntietur. Ad omnes horas dicantur capitula de jejunio, et collecta pro peccatis. Ordo autem processionis ipso die ita agatur. Consuetudinali hora generali facta oratione canatur ant. *Exsurge Domine* cum ℣. *Deus auribus*, ipso tamen die sine *Gloria*, duobus interim resonantibus signis. Post quem cap. *Domine non secundum*, *Kyrie eleison*, *Pater noster*, Psal. *Deus misereatur*. Cap. *Ne reminiscaris*, *Dominus vobiscum*, oratio *Exaudi*. Tunc sacerdos indutus stola super albam surgens veniat ante altare cum conversis, qui crucem cineresque teneant, et stet ipse medius, ita ut conversum, qui tenet crucem, habeat a sinistris, illum vero qui cineres tenet, a dextris. Aquam benedictam nullus tam ibi debet tenere in manibus. Tunc sacerdos stans nudis pedibus dicat cap. *Adjuva nos Deus salutaris*, quo dicto subjungat et hanc orationem, *Deus qui juste irasceris* ; deinde benedictio super cineres incumbentibus orationi cæteris super formas. Nec dicatur ista oratio solemniter, sed plane, sicut et anteriores, *Omnipotens sempiterne Deus*.

Exin surgentibus simul omnibus imponatur a cantore ant. *Immutemur*, cum ℣. *Deus misereatur*. Tunc quoque sine *Gloria* fiat repetitio antiphonæ, et cum timore et reverentia eant discalceati, cunctis interim cineres super capita sua tollentibus flectendo genua, priusquam eos sibi unusquisque suscipiat. Istos cineres debet secretarius mane ante tertiam exustos habere de olivis, quos seniores præterito anno in die Palmarum ad manus sacerdotis offerebant. Debet etiam eos bene purgatos habere per vas tale, per quod farina purgatur. Tunc demum exeuntibus qui sancta ferunt, de ecclesia, inprimis scilicet aqua benedicta, deinde cum cruce, postea sacerdos canat antiph. *Propitius*, ℣. *Adjuva nos Deus* ; item *juxta vestibulum*, sicque cum prædicta antiphona ingrediantur capellam B. M. V. post autem dicit sacerdos cap. *Exaudi nos* ; subjungat et hanc orationem *Dominus vobiscum* solemniter, oremus : *Concede nobis Domine præsidia militiæ christianæ*, deinde orationem de B. M. Virgine, qua finita prosternant se, et orent cum silentio : inde facto signo surgentes signent se, faciantque ante et retro, et incipiant litanias, cum quibus revertentes ad matrem ecclesiam pergant, ut moris est, per ambitum. In capite quoque jejunii cantor pronuntiabit ad capitulum mandatum quotidianum in charta, quod fieri debet pauperibus, et ea die incipiatur secundum quod ordinatum (intimatum) est, et ordinarius docet. Eadem die fiat processio, et hoc idem observetur omni feria quarta et sexta usque ad Pascha.

BENEDICTIO PALMARUM.

(Ex cod. Vindob. th. 149, olim Augiensi sæc. IX.)

Deus omnipotens qui pro salute generis humani de cœlo descendisti ad terras, et appropinquante hora passionis tuæ Hierosolymam in asino venisti, et a turbis rex nominari, ab eis laudari voluisti, bene†dicere dignare hos palmarum cæterarumque frondium ramos, ut omnes qui eos accipiunt ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatinus et in hoc sæculo hostis antiqui temptamenta superare, et in futuro cum palma victoriæ, et fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per Dnm nrm.

Alia Benedictio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in diluvio Noe famulo tuo ostendisti effusione per ora columbæ gestantis ramos olivæ pacem terræ redditam nunciasti; te supplices deprecamur ut hanc creaturam quam ante conspectum gloriæ tuæ offerimus veritas tua sancti†ficet, ut eam devotus populus suscipiens, benedictionis tuæ gratiam consequi mereatur. Per.

Alia. Omnipotens æterne Deus mundi creator et redemtor qui nostræ liberationis et salvationis gratia ex summa cœlis arce descendere, carnem sumere ac passionem subire dignatus es, quique sponte propria loco ejusdem appropinquans passionis a turbis cum ramis palmarum obviantibus benedici, laudari, et rex benedictus in nomine Domini veniens, elevata voce appellari voluisti, tu nunc nostræ laudationis confessionem acceptare et hos palmarum ac florum ramos bene†dicere et sancti†ficare digneris, ut quicunque in tuæ servitutis obsequio exinde aliquid tulerit cœlesti bene†dictione sancti†ficetur, remissionem peccatorum et vitæ æternæ præmia percipere mereatur, per te Salvator mundi qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Aliæ orationes in die Palmarum ad flores benedicendos vel Palmas.

Deus qui Filium tuum Jesum Xpm Dnm nrm pro salute nostra in hunc mundum misisti etc.

Alia oratio

Omnipotens sempiterne Deus, qui de cœlis ad terram descendere dignatus es, et ad passionem voluntatis tuæ venire voluisti, ut humanum genus per tuum sanguinem pretiosum liberares, qui in monte Oliveti misisti discipulos tuos, et præcepisti asinam et pullum subjugalem cum eis addducere, quia tu Deus dignatus es super eam ascendere, et pueri Hebræorum cum ramis palmarum in occursum tibi venerint, te laudantes et dicentes : Osanna filio David benedictus qui venit in nomine Domini rex Israhel Osanna in excelsis. Qui Noe in archa super undas diluvii gubernasti, et ipse ex ea columbam dimisit, ut perspiceret mundum, et reversa ipsa ad eum ore suo ramum olivæ proferebat, et ex ea nascitur unctio. Unde Jacob erigens lapidem in titulum, et ex ramis olivarum oleum benedictionis in cacumen tituli infundit, unde unxit reges et prophetas tuos oleo. Proinde te rogamus omnipotens Deus ut benedicas hos ramos olivarum, quos tui famuli in suis manibus sunt suscepturi, et venientes in occursum tuum te benedicentes et dicentes, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israhel Salvator mundi qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

Alia. Deus qui dispersa congregas et congregata restauras, qui populis tuis etc.

Alia. Adhuc petimus Domine sancte Pater, ut respicere digneris super hanc creaturam olivæ vel arborum quam ex ligni materie producere jussisti, qua columba rediens ad archam proprio detulit ore, benedicere et sanctificare digneris, ut quicunque ex ea acceperint accipiant sibi ad defensionem animæ et corporis : fiat Domine nobis ad salutis remedium tuæ gratiæ sacramenta. Per Dnm.

DOMINICA IN PALMIS AD SANCTUM JOHANNEM IN LATERANIS.

(Ex cod. Vind. Th. 685, sæc. X.)

Imprimis legitur Evangelium secundum Matthæum. In illo tempore cum adpropinquassent Iherosolym. *Deinde sequitur benedictio palmarum vel aliorum frondium.* Deus cujus Filius pro salute generis humani de cœlis descendit ad terras, et appropinquante hora passionis suæ Hierosolymam in asino venire et a turbis rex appellari ac laudari voluit, bene†dicere dignare hos ramos palmarum cæterarumque frondium, ut omnes qui eos laturi sunt, hic et in futuro cum palma victoriæ et fructu bonorum operum valeant apparere. Per eundem.

Alia. Deus qui per olivæ ramum pacem terræ nuntiare jussisti, præsta quæsumus etc.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, qui Dnm nrm Ihm Xpm hodierna die super pullum asinæ etc.

Exorcismus frondium.

Exorcizo te omnis creatura foliorum (*f.* florum) vel frondium in nomine Patris omni†potentis, et in nomine Jesu Chri†sti Filii ejus, omnis virtus adversarii omnisve exercitus diaboli et omnis spiritus inimici, omnisque incursio dæmonum eradicare et explantare ab hac creatura, ut hanc gerentes, et ad Dei gratiam festinantes non inquietare, non illudere præsumas, interdico tibi per Dnum nrm Ihm Xpm qui vent.

Oremus. Deus qui Filium tuum unigenitum pro redemtione nostra dignatus es dirigere, ut populum tuum ab initio in peccati profundo dimersum a morte revocares ad vitam, et chirographo letali deleto sanguine Filii tui gentibus innovares regnum. Deus qui dispersa congregas et congregata conservas, qui populis obviam Christo ramos portantibus benedixisti, bene†dic etiam hos ramos palmæ et arborum, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter suscipiunt, ut in quocunque loco introducti fuerint, benedictionem tuam consequantur, ut omni adversa valetudine effugata, dextera tua protegat, quos redemit. Per eundem.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. *Præfatio.* Vere dignum et justum est, æquum et salutare, Do-

mine sancte Pater omnipotens æterne Deus. Mundi conditor omniumque creaturarum mirabilis dispositor etc. *Dividentibus ministris ramos per populum clerus decaniet. Ant.* Turba multa. *cum psalmo* Cantate Domino. primo. et Gloria Patri.

Oratio in Choro post acceptos ramos.

Adjuva Domine fragilitatem plebis tuæ, ut ad votivum magnæ festivitatis effectum intercedente beato Albano martyre tuo (213), et corporaliter gubernata recurrat, et ad perpetuam vitam te miserante perveniat. Per.

Ad Processionem.

Ant. Occurrunt turbæ. *Alia Ant.* Ante quinque dies solemnis Paschæ. *Alia.* Cum audisset populus. *Alia.* Collegerunt pontifices. Unus autem ex ipsis. *Alia.* Cum appropinquasset. *Versiculi.* Gloria laus. (ut fere in missali *Romano.*) *Sequitur salutatio puerorum ad crucem. Ant.* Pueri Hebræorum. ℟. Ingrediente Domino. ℣. Cum audissent (214).

BENEDICTIO IN PALMIS.

(Ex cod Rhenaug. sæc. XI circ.)

Ant Sitientes. ℣. Attendite. Gloria. Dominus vobis-

(213) Ad latus in codice hic legitur: *Beata Dei genitrice Maria* cui beatissimæ virgini dicatum fuit monasterium S. Margarethæ ord. S. Ben. in Waldkyrch ad quod ex monasterio S. Albani extra muros Moguntiæ putamus pervenisse hunc codicem theol. 685, bibl. Cæsar., ex quo multa descripta referimus. In eo missa S. Margarethæ eadem quidem manu habetur extra ordinem posita, SS. Scholasticæ et Margarethæ nomina in canone post consecrationem addita Anastasiæ, Euphemiæ. Ante consecrationem post verba Cosmæ et Damiani add. Albani, Sergii, et Bachi, Dionysii et Bonifacii, Martini, Benedicti; nec non et illorum sanctorum, quorum solemnitas hodie in conspectu majestatis tuæ celebratur, Domine Deus noster in toto orbe terrarum, et omnium sanctorum, etc. Post orationem Dominicam in oratione *libera nos*, etc. post S. Andream additur: Sed et sanctis martyribus tuis Albano et Sergio, Cyriaco, Pancratio, Vincentio; nec non et sanctis confessoribus tuis Martino, Bothardo, Benedicto cum omnibus sanctis, da propitius pacem, etc. Sic in litaniis postremis Rogationum: *O Bodarte confessor, Martineque pariter nos cum confessoribus adjuvate precibus.* Et paulo ante: *Martyr Christe Theodole, patroneque Albane*, etc. Eodem ordine in primis litaniis separatim pronuntur SS. Theodolus, et Albanus; hic vero omnium frequentissime in omnibus litaniis alicubi etiam nomine Albani litteris uncialibus distincto cum cifra ad repetendum. Bis etiam S. Margaretha ultimo inter virgines occurrit loco. Notanda porro verba: *Ut Ottonem regem et ejus exercitum Dominus conserret.* Et: *Ut rex noster Otto ejus et exercitus hinc et inde servetur oramus, Christe, audi nos. Ut sæviens gladius, et paganus populus depellatur a nobis*, etc. Quod ad Hungaros sæc. X. Alemanniam cum aliis regionibus continuo incursantes ac monasteria passim depopulantes pertinet.

(214) Magna imprimis celebritate hæc peracta leguntur a S. Udalrico Augustæ Vindelicorum in nostra Alemmana. Dominica Ramorum ibat is summo mane ad ecclesiam S. Afræ, ubi canebat missam de Trinitate, et faciebat ramorum benedictionem, quos, comitantibus clericis, et populo deferebat cum Evangelio, cruce, vexillis et imagine Dominum nostrum Jesum Christum super asinam repræsentante, usque ad certum locum, quo illi occurrebat canonicorum chorus, et magnus populi cœtus, qui ramos, aut vestimenta prosternebant in via. Divisæ ac multo sibi occurrentis processionis monachorum modum ita

A cum. Omnipotens sempiterne Deus qui Dnm nrm Jhm Xpm hodierna die super pullum, etc.

Lectio libri Exodi. c. XV, *v.* 22.

In diebus illis: Egressi sunt filii Israel in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus, etc. *usque ad* ℣. 2. *seq. Capitis.* ℟. Collegerunt Pontifices et Pharisæi, etc.

Init. Evang. secundum Marcum:

Cum appropinquaret Jesus Jerosolymæ, et venisset Bethaniæ ad montem olivarum; tunc misit duos ex discipulis suis, et dixit illis: Ite in Castellum, etc. *c.* 11. *usque ad v.* 11.

Dns vobiscum. *in directum.*

B Deus, cujus filius pro salute generis humani de cœlo descendit ad terras; et appropinquante hora passionis suæ Hierosolymam in asino venire, et a turbis rex appellari voluit; bene†dicere dignare hos palmarum, seu ceterarum frondium ramos: ut omnes, qui eos laturi sunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus et in hoc seculo hostis antiqui temptamenta superare, et in futuro cum

explicat ordo operis Dei msc. sæc. XIV, qui sæc. XVI adhuc obtinuit in monasterio S. Blasii: Post matutinam missam faciant aquam benedictam, deinde fiat processio per claustrum. Interim canunt tertiam, et sint omnes revestiti albis, sine aliis sacris vestibus. Post tertiam legat diaconus Evangelium, *Cum appropinquasset*; deinde sacerdos incipiat benedictionem super palmas; hac expleta, aspergat palmas aqua benedicta, dein oblato incenso super altare et postea super palmis incipiat cantor Ant. *Pueri Hebræorum*, tunc secretarius det singulis palmas, et C cum omnes habuerint receptas palmas, processionem faciant in hunc modum: primo aqua benedicta, deinde thuribulum et 2 candelabra, postea crux, deinde textus Evangelii, atque totus chorus; et eant per ambitum ad valvas monasterii, et ibi faciant stationem.

Item post exitum seniorum de choro remaneant ibi aliqui de schola, qui habeant etiam ordinatam processionem, ut supra scriptum est, qui etiam exeant de choro, et faciant stationem retro imaginem Christi, et finitis a senioribus processionalibus antiphonis incipiant pueri, *Gloria laus*, et cantent totum versum, deinde seniores repetant *Gloria laus*; deinde pueri, *Israel es tu. Rex*, item seniores, *cui puerile*; et sic faciant usque in finem hymni *gloria laus*, et postea redeat minor processio in majorem processionem, singuli in ordinem et in locum suum.

Tunc cantor incipiat *occurrerunt turbæ*; postea D domnus abbas offerat palmam Redemptori flexis genibus cantando ant. *Fulgentibus*, it. *cæperunt omnes*. Ad introitum *ingrediente*, postea *Collegerunt*. Interim duo bene vociferati ad gradus cantent ℣. *Unus autem* ℟. chorus, *ne forte veniant*. Ad Missam *Domine ne longe*, duo fratres cantent graduale, tres primum versum tractus ante gradus, dexter chorus secundum, sinister chorus tertium, supradicti tres quartum, et ita totus tractus alternetur, ultimus autem versus ab omnibus dicatur, dextro vero canente suum versum sedeat sinister chorus: sinistro choro cantante sedeat dexter chorus; cantantibus illis ad gradus potest uterque chorus sedere.

Et nota, in hac die facto prandio eant fratres in dormitorium, et pausent. Et cum tempus fuerit, excitentur fratres cum parva scylla, et postea pulsetur ad nonam.

Hæc consuetudo reincipienda est in die S. Paschæ, et servatur per totam æstatem

palma victoriæ, et fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eund., etc.

Deus, qui Filium tuum unigenitum pro redemtione nostra dignatus es ad nos dirigere, ut populum tuum in peccati profundo ab initio demersum a morte ad vitam revocares, et chyrographo letali deleto sanguine Filii tui gentibus innovares regnum. Deus, qui dispersa congregas, et congregata conservas; qui populis obviam Christo ramos portantibus benedixisti; bene†dic etiam hos palmarum et ceterarum frondium ramos, quos tui supplices ad nominis tui gloriam fideliter suscipiunt; ut in quocunque loco allati fuerint, inibi manentes tuam benedictionem consequantur: et omni adversa valitudine fugata dextera tua protegat quos redemit. Per eundem, etc.

Deus qui per olivæ ramum pacem terræ nuntiari jussisti, præsta quæsumus: ut hos palmarum, ceterarumque frondium ramos ita tua cœlesti benedictione sanctifices; ut omnibus locis, ad quæ portati fuerint, contra antiqui hostis insidias pacem et benedictionem valeant sine fine conferre. Per, etc.

Bene†dic Domine quæsumus hos palmarum, sed olivarum ramos; etiam Domine deprecamur: ut prædicta arborum germina ita sancti†ficare digneris, ut loca, ad quæ portata fuerint, sanctificata efficiantur: quo omnis iniquitas seu illusio dæmonum abscedat, et tua nos semper dextera protegere dignetur. Per D. n. J. Ch. F. t. qui t. v. et r. etc. per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A Dominus vobiscum Et cum spiritu tuo.
Sursum corda. Habemus, etc.
Gratias agamus, etc. Dignum, etc.

Vere dignum et justum est, etc. æterne Deus. Conditor mundi, omniumque creaturarum mirabilis dispositor, qui inter ipsa mundi primordia, cum ex nihilo cuncta conderes; ligna quoque fructifera et diverso usui congrua terram producere jussisti; ac post maledictum interdictæ arboris universa nobis per obedientiam unigeniti tui in benedictionem convertisti: bene†dic etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas præcipue arbor olivæ pinguedine cuncta præcellit; per quam etiam cum crimina mundi dilavio quondam expiarentur diffuso, columba ramum ejusdem deferens pacem terris redditam nuntiavit: nec non et innocens turba Spiritu sancto afflata, unigenito tuo Domino nostro Jesu Christo pro totius mundi salute passuro obviam currens, palmarum, et hujus arboris ramos abscidens, ac vestigiis ejus substernens jam quasi triumphatorem de mortis principe ostendebat.

B Te Domine suppliciter deprecamur: ut qui annua devotione ejusdem Redemptoris nostri sacratissimam passionem prævenire nitimur; ipso adjuvante palmam victoriæ tenentes, atque oleo misericordiæ intrinsecus refulgentes, in ejus sancta resurrectione præmium vitæ et immortalitatis coronam percipere mereamur. Per eund. Dom.

BENEDICTIO OLEI.

IN CŒNA DOMINI.

(Ex cod. bibl. Cæs. Vind. sæc. x vel xi theol. num. 359).

Ipso die sonentur campanæ ad Missam. et ad cæteras horas, sicut mos est diebus sollemnibus, ut omnes veniant ad Ecclesiam, in qua Chrisma mos est consecrari, et sic sileant usque in sabbatum sanctum. Presbiteri vero et cæteri clerici, hora tertia induant se vestimentis sollemnibus, et diaconi dalmaticis, atque subdiaconi albi sericis induantur, et stent in ordine suo, singuli in Ecclesia exspectantes, usque dum veniat domnus Pontifex cum processione plenaria ad Missam, sicut diebus sollemnibus solet, cum VII diaconibus et totidem subdiaconibus et ceroferariis et VII cereostatis et duobus turribulis cum incensa. Cantor autem et scola statim ut jussum fuerit imponat introitum ad Missam: Nos autem gloriari. *cum psalmo et* Gloria. *et versu et* Kyrie eleison.

Tunc dicat pontifex: Gloria in excelsis Deo. *quo finito dicat orationem plenitur. sicut aliis diebus,* Pax vobis. ℣. Et cum spiritu tuo. *Orat.* Deus a quo et Judas proditor. *Tunc legatur epistola Pauli ad Co-*

C *rinthios :* Fratres convenientibus vobis in unum. *usque*, ut non cum hoc mundo damnetur. *Gr.* Christus factus est. ℣. Propter quod Deus. *Ante Evangelium portentur candelæ et incensum sicut mos est, legitur Evangelium secundum Joannem :* In illo tempore. Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus. *Usque*, quemadmodum ego feci, vobis ita et vos faciatis. *Perlecto Evangelio, facto ad populum sermone dicat pontifex :* Dominus vobiscum. Et cum Sp. t. et Oremus. *Deinde canitur offertorium* Dextera Domini. *Offerentibus presbiteris et cæteris qui voluerint, tunc dicatur secreta.* Ipse Tibi Domine, etc. (*ut tom. I Mon. pag.* 72.)

Sequitur Præfatio, *et dicat pontifex* Te igitur *ordine suo ubi usque dicitur* Communicantes et diem

D sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Jesus Christus pro nobis est traditus, sed et memoriam venerantes. *Sequitur* : Hanc igitur oblationem servitutis nostræ et cunctæ familiæ tuæ quam tibi offerimus ob diem in qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus Domine, ut placatus accipias et reliq. *usque* Qui pridie quam pate-

retur pro nostra omnium salute hoc est hodie accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas. A

Tunc offeratur pontifici oleum de ampullis quas offerunt populi ad unguendos tam infirmos quam energumenos, et in ultimo antequam dicatur, Per quem hæc Domine semper bona creas, *exorcizet et benedicat illud tam ipse quam omnes presbyteri qui assunt, ut tantum possit a circumstantibus audiri.*

EXORCISMUS OLEI.

Exorcizo te inmundissime spiritus omnisque incursio satanæ et omne fantasma, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritalis ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, et per nomen dilectissimi Filii ejus Domini nostri Jesu B Christi. *Et non peragatur conclusio.*

Alia. Emitte Domine Spiritum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni tangenti unguentum salubre medicina cœlestis, tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis et corporis, unde unxisti sacerdotes, reges, et prophetas, et martyres. Chrisma tuum perfectum Domine nobis a te benedictum permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri J. Ch. (215).

Tunc dicatur: Per quem hæc omnia, etc. Præceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster. *Et oleum reportetur et in loco suo conservetur. Missa vero in ordine suo agatur, usque dum benedictiones episcopales solvantur.* C

Tunc communicet solus pontifex ante altare, et diaconus ei offerat calicem et non frangat oblatas nisi eam solam unde ille communicat illo tantum in die. Postquam communicaverit, ponat diaconus calicem super altare. Deinde acceptam a subdiacono patenam ponat juxta calicem de altare sinistro, et statim a duobus diaconibus utrumque cooperiatur de sindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione post corporalem expansam. Tunc Domnus episcopus vadat ad sedem suam cum diaconibus et exspectet.

DE CONSECRATIONE PRINCIPALIS CHRISMATIS.

Exspectante vero in sede sua pontifice veniant ad sacrarium XII presbyteri et cæteri clerici quantum D *opus sit ad deferendum cum omni decore oleum chrysmale, et oleum catecuminorum et neophytorum usque in ecclesiam ante episcopum. Sint enim idem parati presbyteri et cum eis cæteri clerici casulis et solemnibus vestimentis.*

Tunc duo accoliti accipientes duas ampullas, quæ ad chrysma et ad oleum catecuminorum consecrari debent, et procedant, et ordinent se illi presbyteri, et prædicti clerici rite et ordinabiliter ita ut primum ambulent duo acoliti cum candelabris et ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces et inter illas medium chrismale oleum. Post eas portetur evangelium, ut impleatur omne bonum. Postea sequantur bini et bini illi XII presbyteri testes et cooperatores ejusdem sacrosancti chrismalis mysterii. Tunc vero subsequantur pueri in laudem ejusdem mysterii concinentes hos versus.

Audi judex mortuorum una spes mortalium.
Audi voces proferentum donum pacis prævium.
℣. O Redemptor sume carmen temet concinentium.
℣. Arbor feta alma luæ hoc sacrandum protulit.
Fert hoc prona prensens turba salvatori sæculi.
O Redemptor.
℣. Stans ad aram imo supplex infulatus pontifex.
Debitum persolvit omne consecrato chrismate.
O Redemptor.
℣. Consecrare tu dignare Rex perennis gloriæ.
Hoc olivum signum vivum jura contra dæmonum.
O Redemptor.
℣. Ut novetur sexus omnis unctione chrysmatis.
Et medetur sauciata dignitatis gloria.
O Redemptor.
℣. Lota mente sacro fonte aufugantur crimina.
Uncta fonte sacrosancta influant carismata.
O Redemptor.
Corde natus ex parentis æ.vum implens Virginis.
Præsta lucem claude mortem chrismatis consorti-
O Redemptor. [bus.
Sit dies hæc festa nobis sæculorum sæculis.
Sit sacrata digna laude nec senescat tempore.
O Redemptor.

Venientibus autem eodem ordine in chorum et stantibus ad orientem versis versibusque finitis interdum ordinent se lectores, hostiarii, accoliti et subdiaconi, et stent in ordine suo secundum eorum gradum, ubi ascenditur ad altare tanti, ut subdiaconus sit sextus in eminentiori loco, et juxta eum archidiaconus qui legebat, et ita involutam ampullam suscipientes per ordinem ut ascendat. Et ut pervenerit ad archidiaconum, ille perferat eam ita involutam ante pontificem. Interim autem unus subdiaconus deferens vasculum cum balsamo alii diacono et ille pontifici.

Tunc ordinentur circa episcopum hinc atque hinc eadem candelabra et cruces et thuribula atque evangelium. Necnon et prædicti presbyteri XII testes et

(215) In cod. Vind. th. 277. sæc. XII vel XIII, alio sequentia adduntur.

Et non peragatur conclusio; item benedictio ejusdem olei: « Domine qui studio salutis humanæ creaturis tuis vim benedictionis indidisti, ut animarum nostrarum sanctificationis utilitas creaturarum etiam corporalium ministerio nostris salus temporibus tribueretur; infunde sanctificationem tuam huic oleo, ut quæ unxerit membra, fugatis insidiis adversariæ potestatis susceptione præsentis olei Spiritus sancti gratia salutaris debilitatem expellat, et plenam conferat sospitatem in nomine Domini nostri Jesu Christi. » *Et non peragatur conclusio.* Item benedictio ejusdem olei ad omnem languorem quocunque tempore, *et nulla in hujus olei benedictione conclusio dicatur antequam subinferatur.* « Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas. In tuo nomine, Deus Pater omnipotens, et Jesu Christi filii tui Domini nostri signo et in virtute Spiritus sancti hanc creaturam olei exorcizamus. » *Hic dicatur:* « Per quem, » etc.

adjutores ejusdem mysterii, ita ut diaconi stent post dorsum episcopi, presbyteri vero a dextris et a sinistris. Cruces vero et cætera utrinque inter illos media. His ita constitutis convertat se episcopus aut cui ille præceperit tam ad clerum quam ad populum, et faciat sermonem de confectione chrysmatis congruentem. Deinde convertat se ad Orientem, et intret in consecrationem principalis chrysmatis. Et primo misceat balsamum cum oleo, deinde halat ter super illam ampullam, et dicat lenta voce :

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, etc. (*ut tom. I. Mon. p.* 74.) Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobisc. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dnum. Gratias agamus Dno Deo nostro. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, etc. (*ib. p.* 76.)

Finita benedictione domnus Episcopus salutet Chrisma nudum et ministri qui juxta eum sunt, et ita iterum per ordinem descendat, sicut ascendit. Et tenente ampullam accolito deferatur omnibus cooperta ad salutandum per ordinem, ut a nemine nuda videatur. Hoc autem facto summo honore procuretur, usque dum altera ampulla ascendat et iterum descendat, ut ambæ honorifice ad locum suum redeant.

EXORCISMUS OLEI.

Descendente autem ampulla cum Chrismate statim alia cum oleo catecuminorum cooperta ascendat sicut prior usque ante Episcopum. Et halat in ipsam ter sicut in priorem, sed tacite ordine quo supra delatam, et imprimis faciat ei exorcismum, et benedicat eam quasi legens lectionem.

Exorcizo te creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis etc. (*Tom. I. Mon. pag.* 74. *col.* 1.)

Tunc dicat Dominus vobiscum. Deus incrementorum, etc. (*ib. pag.* 75.)

Tunc domnus Episcopus et qui juxta eum sunt salutent eam et descendat per ordinem sicut altera, et deferatur omnibus ad salutandum, his ita peractis eodem ordine et decore quo ascenderant in ecclesiam redeant ambæ ad sacrarium; tunc lavet pontifex manus et diaconi vadunt ad altare, et discooperiant sancta. Et pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad frangendas, et communicet omnis populus ordine suo et sumat de ipsis oblatas integras ad servandum usque mane diei parasceve, de quibus communicent absque sanguine Domini, sanguis vero eadem die penitus consumatur. Et scola dicente Agnus Dei absque osculo et communione. Dominus Jesus. cum psalmo et gloria. *Fractis autem oblatis communicent presbyteri primo, postea diaconi, et cæteri omnes. Et ita perficiatur Missa ordine suo. Ad Compl.* Refecti vitalibus alimentis. *Super populum.* Concede quæsumus Domine, ut perceptum novis.

Et pontifex descendat in sacrarium mandans presbiteris quod voluerit, tunc Chrisma novum misceatur cum veteri, si quid residuum sit, similiter et oleum, et ita dividatur per presbiteros, et finita sunt ista.

Ad vesperum in cœna Domini. Non dicatur Deus in adjutorium. *Sed antiph.* Calicem salutaris. *Ps.* Credidi propter. *Ant.* Cum his qui oderunt. *Ps.* Ad Dominum. *A.* Ab hominibus iniquis. *Ps.* Eripe me. *A.* Custodi me a laqueo. *Ps.* Domine clamavi. *A.* Considerabam ad dexteram. *Ps.* Voce mea. *Lectio non dicatur nec versus. Sed antiph.* Conantibus autem. *Ps.* Magnificat. *Oratio ad Vesperum.* Deus cujus cœnam sacratissimam veneramur ut ea digni inveniamur, munda nos quæsumus a sordibus peccatorum, qui ad insinuandum nobis humilitatis exemplum pedes tuorum dignatus es lavare discipulorum qui cum Deo Patre. *Cum autem scola primum antiph. dicit,* Calicem salutaris. *Statim duo acoliti parati cum nigris casulis incipiant exspoliare altaria, usque dum finitur vespera postea tolluntur. A vespera autem hujus diei nuda sunt altaria usque in mane sabbati : Expletis omnibus procedit domnus Episcopus cum omni alacritate cum presbiteris et clero si vult ante vel post cibum ad locum ubi mandatum vult perficere. Unus ex subdiaconis cum Evangelio et pueri cum cruce et duobus cereis ardentibus et incenso, parati procedunt cum archidiacono in locum ubi fratres ad mandatum conveniunt. Et primo omnium legitur evangelium secundum Joannem.* Ante diem festum pascæ. *Deinde fratribus mutuo sese lavantibus cantantur antiph. de cœna Dni.* Cœna facta dicit Jesus. *Ps.* Miserere mei. *A.* Postquam surrexit. *Ps.* Deus misereatur nostri. *A.* Si ego Dominus et magister. *Ps.* Quam dilecta. *A.* In hoc cognoscent. *Ps.* Domine exaudi. *A.* Dominus postquam. *Ps.* Beati immaculati. *A.* Diligamus nos. *Ps.* Ecce quam bonum. *A.* Mandatum novum. *A.* In diebus illis. *A.* Ante diem festum. *A.* Vos vocatis me. *A.* Domine tu mihi lavas. *Oratio post mandatum. Post lavacrum pedum, et post fractionem panis domnus Episcopus vel presbyter pronuntiat hos versus :* Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi. Tu mandasti mandata tua, custodiri nimis. Tu lavasti pedes discipulorum tuorum. Opera manuum tuarum Dne non despicias in eternum.

Adesto Domine officiis nostræ servitutis, quia tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis. Ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandasti, ut sicut hic exteriora abluuntur inquinamenta sic a te omnium nostrum interiora laventur peccata, quod ipse præstare dignetis qui vivis, etc. *Alia.* Deus qui discipulorum tuorum pedes abluens pio affectu eis exemplum præbuisti, mandatumque dedisti. Concede propitius ut per obsequium mandatorum tuorum eorum obtentu de tuo lætemur aspectu, quod ipse præstare. *Alia.* Annue misericors Deus, ut qui divina præcepta violando a paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus accessum per tuorum custodiam mandatorum. Quod ipse præstare.

FERIA V. CŒNA DOMINI.

Medio nocte surgendum est, et tangitur signum, et post hæc non tangitur nisi in nocte sanctum (sancta) Paschæ ad matutinum; at vero ecclesia omni lumine

decoretur, et more solito Deus in adjutorium meum *non dicant, nec* Gloria. *Nec Invitatorium; sed cantor incipit in psalmis (mo) antiphonam, sicut in antiphonarium (rio) continetur; nec presbyter complet in fine orationem, sed tacite surgendum est, et lector benedictionem petat : et quando finit, non dicat.* Tu autem, *sed ex verbis lectionum jubetur facere finem. Lectiones vero legantur tres de lamentatione Hieremiæ prophetæ, ubi dicit :* Quomodo sedet sola civitas, *usque* Cogitavit Dnus dissipare murum filiæ Sion; *tres de tractatu sancti Augustini in psalmo (mum)* Exaudi Deus orationem meam primo (mum). *Tres de apostolo ubi ait I. ad Corinthios cap.* XI. Ego accepi a Dno, quod et tradidi vobis. *VIIII psalmos. VIIII lectiones. VIIII responsoria, cum antiphonas (is) omnia complenda sunt. Sequitur matutinum : matutino completo non dicatur* Kyrie eleyson, *nec* Et ne nos inducas in temptationem. *Hora autem tertia ingressi sacrarium induuntur dalmaticis tam pontifex, quam omnes diaconi, vel omni ornamento, sedente pontifice in sella sua, et præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur pontifici, ut accepto balsamo et commiscitato cum oleo manu sua impleat eam, illam vero aliam ministri teneant plenam; et pontifex lotis manibus procedit cum septem cereostata (is) ad Missas* (216), *dicta antiphona ad Introitum :* Nobis autem glori (ari) oportet. *Sequitur* Gloria in excelsis Deo.

Dicit orationem :

Deus a quo et Judas reatus sui pœnam et confessionis, etc. *Legitur apostoli lectio :* Fratres, convenientibus vobis in unum, *usque* ut non cum hoc mundo dampnemur. *Sequitur Grad.* Chr⁹ factus est pro nobis obediens usque ad mortem. *Legitur evangelium secundum Johannem caput XIII.* In illo tempore sciens Dnus quia venit hora ejus : *usque* quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Canitur offertorium :* Dextera Dni. *Sequitur super oblata :* Ipse tibi quæsumus Dne. *Et dicit pontifex ordine suo usque ubi dicit :* Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo Dnus noster Jesus Christus pro nobis est traditus; sed et memoriam. *Sequitur :* Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem, in qua Dnus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus Dne ut placatus accipias. Qui pridie, quam pro nostra omnium salute pateretur, hoc est hodie, accepit panem in sanctas ac venerabiles. *Item in ultimo antequam dicatur :* Per quem hæc omnia Dne semper bona creas, *levantur de ampullis quas offerunt populis; et benedicit tam domnus papa, quam omnes presbyteri.*

BENEDICTIO OLEI PRO INFIRMIS.

Emitte Dne Spiritum sanctum tuum quæsumus, etc. *Sequitur* Per quem hæc omnia. *Qua expleta communicat episcopus solus ante altare, et diaconus confirmat eum cum calice, illa tantummodo die, postquam communicaverit, ponit calicem super altare. Deinde acceptam a subdiacono patenam ponit juxta calicem de latere sinistro, et statim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de sindone munda, quam prius præparaverant in ore altaris e regione pontificis post corporalem expansum; et continuo duo acolyti involutas ampullas cum sindone alba serica, ita ut videri possint, a medio tenent in brachio sinistro projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingat scapulam dextram, quatenus possint dependentia retinere; a quibus sub humero stantibus venit subdiaconus, et accipit ampullam commixtam una cum sindone, et dat eam archidiacono, et ille defert pontifici ante altare; tunc pontifex respiciens ad orientem, et diaconus tenens ante ipsum ampullam in sinistro brachio revolutam in sindone, ut supra diximus, et dicit pontifex :* Sursum corda. ℟. Habemus ad Dnm. Gratias agamus Dno Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. *Et intrat in consecrationem chrismatis excelsa voce, sed antequam benedicatur, halat ter in ampullam.*

VD. et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus; qui in principio et inter cætera, etc.

EXORCISMUS OLEI.

Deus incrementorum et profectuum spiritalium, etc. *Qua expleta benedicit ampullam olei ordine quo supra delatam, et similiter halat in ipsa sed tacite, ampullam autem, quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut anima nuda videatur, sed tenente eam accolito, omnes eam per ordinem salutent, quam Episcopus et diaconi prius nudam salutant. Hoc expleto, ablotis manibus Pontifex venit ante altare, et communicat omnis populus ordine suo, et servant de sancta usque in crastinum.*

AD COMPLENDUM.

Refecti vitalibus alimentis, quæsumus Domine Deus noster, ut quod tempore mortalitatis exequimur, inmortalitatis tuæ munere consequamur. Per. *Ea vero die hora nona faciebat excuti ignem de lapide in loco foris basilica, si ibi oratorium habuerit, in porta ibi excutiunt; sin vero, in loco in quo consideraverit. Prior ita ut ex eo possit candela accendi; quæ candela in arundine debet poni, et a mansionario Ecclesiæ vel loco ubi accenditur lampas; una servetur usque in Sabbatum sanctum ad inluminandum cereum, aut eodem die benedicendus est ordine, quo in sacramentorum continetur. Ipsa vero die omnes diurnale officium insimul canunt. A vespere autem hujus diei nuda sint altaria usque in mane Sabbato.*

FERIA VI IN PARASCEVEN.

Media nocte surgendum est, dicuntur VIIII psalmi cum responsoriis; tres lectiones de lamentatione Hieremiæ prophetæ ab eo loco, ubi ait : Cogitavit Dnus dissipare, *usque* misericordiæ Dni multæ. *Tres de tractatu S. Augustini de psalmo LXIII. Tres de Apostolo ubi ait*

(216) Tota missa in M. R. orationes autem sequentes pleræque eædem in Pontificali R. leguntur.

ad Hebræos cap. V. Festinemus ergo egredi. *Deinde sequitur Matutinum; lucernæ extinguuntur; lumen autem ecclesiæ* (hd) *ab initio cantus nocturni inchoatur extingui hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiæ incipiat paulatim tutari, ut verbi gratia, peracto primo nocturno videatur eorum pars tertia esse extincta: medio nocturno iterum tertia; tertio vero expleto, exceptis septem lampadibus, nihil luminis relinquatur; quæ in matutino hoc ordine extinguantur; in initio psalmi primi sit custos semper paratus in loco dextræ partis ecclesiæ prope lampadibus; at ubi audierit antiphonam tenens cannam in manu sua tutat lampadem unam; in fine psalmi ipsius aliam sinistræ partis, sic una ex parte una, alia ex alia tutantur usque ad evangelium, in evangelio vero tutatur in ecclesia lampas.*

Hora tertia procedit Pontifex, vel qui vicem illius tenuerit in ecclesia statuta infra urbem, non tamen in majore ecclesia; qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum super oratorium, sicut mos est, statim ut surrexerit, cum silentio ascendit ad sedem, quo sedente statim subdiaconus ascendit ad legendum, et post lectionem cantatur canticum: Dne audivi *cum versibus suis, et dicit Pontifex:* Oremus : *et Diaconus:* Flectamus genua; *et orat diutissime, et dicit* Levate, *et dicit* (forsan orationes) *quas ut finierit, omnes tacite exeunt foras; Presbyteri vero ecclesiarum sive de urbe, seu de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta ad vesperum faciant, hoc tantum mutantes, ut ubi Pontifex meminit apostolicum, ipsi nominent episcopum suum. Post orationes præparatur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam et altare sustentata hinc inde a duobus accolitis; posito ante eam oratorio, venit Pontifex, et adoratam deosculatur crucem; deinde Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et cæteri per ordinem, deinde populus; Pontifex vero sedet in sede usquedum omnes salutent. Presbyteri vero duo priores, mox ut salutaverint, intrant in sacrarium, vel ubi positum fuerit corpus Dni, quod pridie remansit, ponentes eum in patenam, et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter subdiaconus patenam cum corpore Dni; quibus tenentibus accipit unus presbyter patenam, et alter calicem, et defert super altare nudatum; Pontifex vero sedet, dum persalutat populus crucem, nam salutante Pontifice vel populo crucem, canitur semper antiphona:* Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus. *Dicatur psalmus CXVIII. qua salutata et reposita in loco suo descendit Pontifex ante altare, et dicit:* Oremus : præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere : Pater noster qui es in cœlis. *Sequitur:* Libera nos quæsumus Dne ab omnibus malis. *Cum dixerint* Amen. *Sumit de sancta, et ponit in calicem nihil dicens, et communicant omnes cum silentio, et expleta sunt universa, et dicit Pontifex:* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et post paululum vespera dicit unusquisque privatim, et sic vadunt ad mensam.*

A

B

C

D

SABBATO SANCTO.

Media nocte surgendum est; dicuntur novem psalmi cum responsoriis, tres lectiones leguntur de lamentatione Hieremiæ ab eo loco ubi dicit: Misericordiæ Dni multæ, *usque in finem. Deinde leguntur homiliæ sanctorum Patrum, ad ipsum diem pertinentes, et in candelis accendendis vel extinguendis, sicut superius habetur. Post horam tertiam sabbato procedunt, qui baptizandi sunt, ad ecclesiam, et ordinantur per ordinem sicut scripti sunt, masculi in dextram, femina in sinistram, faciens crucem sacerdos in frontibus singulorum. Postea inposita manu super capita singulorum dicit:*

Ipsa expleta tangit singulis nares et aures de sputo, et dicit: Epheta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole, adpropinquabit enim judicium Dei. *Postea tangit de oleo sancto scapulas et pectus, et dicit:* Abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio : et omnibus pompis ejus : ℟. et omnibus operibus ejus? ℟. Et ego te linio oleo salutis in Christo Jesu nostro propitiatus in vitam æternam, pax tibi. *Hac expleta, ambulet id circuitum inposita manu super capita eorum decantando excelsa voce:* Credo in Deum, *vertit se ad feminas, et facit similiter. Postea dicitur eis ab archidiacono:* Orate electi, flectite genua, *et post paululum dicit:* Levate, complete orationem vestram in unum, et dicite amen; *et respondent omnes* amen. *Iterum admonentur ab archidiacono his verbis:* Caticumini recedant; si quis caticuminus est, recedat; omnes caticumini exeant foras. *Iterum dicit diaconus:* Filii karissimi revertimini in locis vestris expectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismi operari. *Hora nona ingrediuntur in sacrarium sacerdotes et levitæ, et induunt se vestimentis, cum quibus vigilias celebrare debent, et accenso cereo procedunt omnes simul de sacrario cum ipso cereo in ecclesiam cum silentio, nihil canentes, et ponitur in candelabri ante altare, et unus diaconus rogat unum de sacerdotibus vel levitis, qui ibidem revestiti adstant, pro se orare; et ut surrexit, dicit ipse diaconus:* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et dicit orationem istam:*

BENEDICTIONES VARIÆ.

BENEDICTIO CEREI.

Expletis lectionibus statim veniens unus minister, tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris; et tunc ascendit ipse præcedens pontificem ad fontes; tunc deinde scola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, expectantes parati pontificem; se-

cundus vero scolæ tenet vas aureum in manu sua sinistra super planetam, unde pontifex mittere debet chrysma in fontem, et jussi faciunt letaniam trinam. Deinde pontifex procedit cum omni decore, sustentatus a duobus diaconibus, et illa duo cereostata, quæ ante fuerant inluminata, semper ante ipsum procedunt usquedum omnia finierint; letania finita, facto silentio dicit pontifex : Dnus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo. *Dicit :* Oremus ; *et dat orationem.*

BENEDICTIO FONTIS.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto etc.

CONSECRATIO FONTIS.

Dnus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dnm. Gratias agamus Dno Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

VD. et justum est, æquum et salutare; Deus qui invisibili potentia etc.

Unde bene✝dico te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum verum etc.

Signate illos ; accedite ad benedictionem. *Signent ipsos infantes in frontibus eorum patrini vel patrinæ de pollicibus suis dicentes :* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. *Tunc venit accolitus iterum faciens crucem in frontibus singulorum dicendo :* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, *et inponit manum super eos, dans orationem excelsa voce his verbis :*

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob etc.

Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam etc.

Et adnuntiat diaconus dicens : Orate electi, flectite genua, *et reliqua prius; et signant patrini vel matrinæ ut prius, et sequitur alius accolitus, super masculos facit crucem sicut prius fecit ; et inponens manum suam super eos dicit :*

Audi maledicte satanas adjuratur per nomen æterni Dei et salvatoris nostri filii Dei cum tua victus invidia tremens gemensque discede ; nihil tibi sit commune cum servis Dei jam cœlestiâ cogitantibus renuntiatoribus tibi a sæculo, et beatæ inmortalitatis victuris. Da igitur honorem advenienti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens pro turbatis fraudibus tuis divino fonte purgata pectora, idem sanctificando templum et habitum perficiat, et ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberati servi Dei gratias perenni Deo referant semper, et benedicant nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Per.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob etc.

Ergo maledicte diabole, *ut supra. Item dicit diaconus :* Orate electi, *et reliqua ut supra; et signant patrini vel matrinæ ut prius. Deinde tertius accolitus facit crucem in frontibus puerorum sicut anterior fecit, et inponit manum super capita eorum dicendo :*

Exorcizo te inmunde spiritus etc.

Item super feminas faciens crucem ut superius, et inponit manum super capita earum dicendo :

Exorcizo te inmunde spiritus per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ut exeas et recedas ab his famulabus Dei; ipse enim tibi imperat maledicte dampnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo maledicte. *Ut supra.*

Æternam ac justissimam pietatem tuam etc.

Sequitur exorcismus.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, et Spiritus sancti. Omnis virtus adversarii, et omnis incursio diaboli, omne phantasma, omnis inimici potestas eradicare et effugare ab hac creatura aquæ. Unde exorcizo te creatura aquæ per Deum verum, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Dnm nrm Jesum Christum, ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, ut ubicunque effusa fueris, vel aspersa, sive in domo, sive in agro, effugias omnem phantasiam, omnem inimici potestatem; Spiritus sanctus habitet in domo hac, per. *Et miscetur sal et cinis faciens ter inde crucem super ipsa aqua. Dein deponis vinum mixtum cum ipsa aqua benedicta, et dicit hanc orationem :* Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis ; tu Dne mitte Spiritum tuum super vinum cum aqua mixtum, ut armata virtute cœlestis defensionis ad consecrationem hujus ecclesiæ vel altaris proficiant. Per Dnm.

Deinde faciens crucem cum digito suo de ipsa aqua in dextra parte per quatuor cornua altaris, inde latera cum hysopo adspergit septem vices canendo antiphonam : Adsperges me Dne hysopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. *Ps.* Miserere mei Deus secundum : *vadens in circuitu altaris, spargendo deinde in dextra parietes ecclesiæ usquedum veniens ante altare spargens iterum desuper in circuitu altaris vel ecclesiæ canendo ant.* Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus. *Ps. Ipsum, usquedum veniens iterum ante altare spargens desuper et in circuitu ecclesiæ canendo ant.* Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *Ps. ipsum, et mittit ex ministris aut clericis duos vel tres, qui extrinsecus ecclesiæ pariter una vice psallentes spargant.*

Iterum ipse pontifex vadit de ipso altare spargendum per medium ecclesiæ in longum et in lato similiter crucem faciendo, sive per omne pavimentum spargendo, cum antiph. Domus mea domus orationis vocabitur. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. *et* Gloria. *Et veniens in medio ecclesiæ dicit :* Oremus, *et diaconus,* flectamus genua. Levate, *et dicit orationem istam :*

Deus, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut omnibus hic invocantibus te auxilium tuæ misericordiæ sentiatur, per. *Iterum dicit :* Oremus : *et diaconus dicit :* flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio :*

Deus sanctificationum omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur. Deus qui cœlestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum

gloriæ tuæ; exaudi preces servorum tuorum, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte; hancque basilicam in honore Sancti ill. sacris mysteriis institutam clementissimus dedicat miseratus inlustra, proprio splendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte; propitius dignare respicere, et propter nomen tuum magnum, et manu forti et brachio extenso, in hoc habitaculo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, ac æterna defensione conserva, ut semper felices semper tua religione lætantes constanter in sanctæ Trinitatis fide catholica perseverent; per Dnm.

Regenerationis ingressus in veræ innocentiæ nova infantia renascatur. Per. *Hac omni expleta fundit chrysma de vasculo in fontem super ipsam aquam in modum crucis, et cum manu sua miscitat ipsum chrysma cum aqua, et spargit super omnem fontem, vel super omnem populum. Hoc facto omnis populus, qui voluerit, accipit benedictionem in vasis suis de ipsa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendum in domibus eorum, et vineis, et campis, et fructibus eorum. Deinde presbyter, aut diaconus etiamsi necesse fuerit, et accoliti discalceati induentes se aliis vestibus mundis vel candidis ingrediuntur in fontes intro aquam, et baptizantur primo masculi, deinde feminæ sub hac interrogatione :* Sanctificetur et fœcundetur fons iste in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ? ℟. Credo. Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dnm nostrum natum et passum? ℟. Credo. Credis et in Spiritum sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem, et vitam æternam? ℟. Credo, *Et acceptis infantibus de parentibus baptizant eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocantes ita dicendo :* Baptizo te in nomine Patris, *et mergit semel :* et Filii, *et mergit iterum :* et Spiritus sancti, *et mergit tertio. Levatis autem ipsis infantes in manibus suis offerunt eos uni presbytero ; ipse vero presbyter faciens de chrysma crucem cum pollice in vertice eorum cum invocatione sanctæ Trinitatis dicit :* Deus omnipotens, etc.

Et sunt parati, qui eos susceturi sunt, cum linteis in manibus eorum, et accipiunt ipsos a presbyteris vel diaconibus, qui eos baptizarunt. Pontifex vero egredietur a fonte, habens compositam sedem in ipsa ecclesia ubi voluerit, sedens in ea. Et deportantur ipsi infantes ante eum, et dat singulis stolam, casulam et chrysmale, et decem siliquas, et vestiuntur; induti vero ordinantur per ordinem sicut scripti sunt in circuitu, et dat orationem Pontifex super eos cum chrysma faciens crucem in frontibus eorum cum invocatione sanctæ Trinitatis, et tradit eis septiformes gratias Spiritus sancti.

Oratio ad confirmandum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare. Accipe signum crucis Christi in vitam propitiatus æternam. *Dicit :* Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dnm. Benedicat vos Dominus ex Syon, ut videatis bona, quæ sunt in Hierusalem, omnibus diebus vitæ vestræ.

Inde dicit :

Confirmat vos Pater et Filius et Spiritus sanctus, ut habeatis vitam æternam, et vivatis in sæcula sæculorum. Amen.

Hoc autem per omnia præcaventes, ut hæc non negligantur, quia tunc omnes baptismo legitimo Christianitatis nomine confirmantur. Interim vero scola jussa facit letaniam ante altare, prima septenas, et spatio facto faciunt alter quinas, iterum spatio facto faciunt trinas, et dum dicit Agnus Dei, *Magister scolæ dicit* accendite; *et tunc inluminatur ecclesia, et procedit Pontifex de sacrario, cum duo cereostata (unde superius diximus) stant sicut antea a dextris et a sinistris altaris. Letania expleta dicit Pontifex* Gloria in excels. D. *et orationem; deinde legitur Apostolus : sequitur* All. Confitemini Dno. *Sequitur tractus* Laudate Dnm omnes gentes : *Sequitur Evangelium. De vespere Sabbati ante Evangelium non portant lumen in ipsa nocte, sed tantum incensum. Non cantent* Offertorium, *nec* Agnus Dei, *nec* Communionem, *sed missam per ordinem. Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antequam communicent Sacramento corporis Christi; et omnibus diebus septimanæ paschæ ad missas procedant, et offerant pro ipsis, et communicent omnes; hic autem supra scriptus ordine baptismi, sicut in hoc Sabbato paschæ, sic et in Sabbato pentecosten omnimodis celebretur. Item in ipsa die diurnalem cursum separatim canunt. In ipsa nocte post gallorum cantum, matutino rumpente luce tenebras, surgentes in ecclesiam veniunt, et mutua charitate se invicem obsculantes, et dicant :* Deus in adjutorium meum. *Sequitur* Invitatorium *cum* All. *Sequuntur tres psalmi cum antiphonis :* Beatus vir. Quare fremuerunt. Dne quid multiplicati sunt. *Sequuntur vero tres lectiones cum responseriis. Prima lectio* de Actibus apostolorum. *Sequitur secunda et tertia* de homiliis sancti Augustini. *Sequitur Matutinum cum* All.

Infra Albas Paschæ super Venite : Surrexit Dominus vere all. *et tres psalmi per nocturnum inponuntur per singulas noctes usque in octavas paschæ, id est.*

Feria II. Cum invocarem. Verba mea. Dne ne in ira tua.

Feria III. Dne Deus meus in te speravi. Dne Dnus noster. In Dno confido.

Feria IV. Salvum me fac Dne. Usquequo Dne. Dixit insipiens.

Feria V. Dne quis habitabit. Conserva me Dne. Exaudi Dne justitiam meam.

Feria sexta. Cœli enarrant. Exaudiat te Dnus. Dne in virtute.

Sabbato. Dni est terra. Ad te Dne levavi. Judica me Dne quoniam ego in innocentia mea.

Item a Pascha usque in octavas ad omnes cursus non cantatur responsorium, nec lectio recitatur, sed pro versu et responsorio cantatur. ℟. Hæc dies quam A fecit Dn⁹, *tantum prima, etc.*

VERSUS IN CŒNA DOMINI ET PARASCEVE, ET SABBATO SANCTO (217).

(Ex cod. bibl. Vindob. th. 685, sæc. x.)

Qui prophetice promisisti ero mors tua o mors. Kyrie eleison. Domine miserere. Christus Dns factus est obediens usque ad mortem. Vita in ligno moritur, infernum ac mortem spoliavit. Kyrie eleison. Qui expansis in cruce manibus traxisti omnia ade (ad te) sæcula. Kyrie eleison. III. Domine.

VERSUS FLAVII AD MANDATUM (218).

Victori mortis inclita pangamus laude gloriam
Cum Patre et sancto Spiritu, qui nos redemit obitu. [Victori.
Tellus ac æthra jubilent in magni cœna princi- [pis.
Qui protoplasti pectora vitæ purgavit ferculo. Vi- [ctori.
Hac nocte factor omnium potenti sat mysterio.
Carnem suam cum sanguine in escam transfert [animæ. Victori.

A celsis surgens dapibus præbet formam morta- [libus.
Humilitatis gratia Petri petens vestigia. Victori.
Pallet servus obsequio cum angelorum Dominum
Ferendo lympham linteam cernit cœno procum- [bere. Victori.
Permitte Simon ablui, acta figurant mystica.
B Dum summus ima bajulo quid cinit servet cineri. [Victori.
Lavator thoris accubat, verbique favos agerat.
Quos inter hostem denotat necis qui dolos ruminat. [Victori.
Tu ex lupe Juda pessime fers agno misi basia.
Dans membra loris regia, quæ sorde tergunt sæcula. [Victori.
Nexi solvuntur hodie carnis, cordisque carcere
Unguens sacratur crismatis spes inde crescit miseris [Victori.

(217) Versus sequentes itemque Flavii ad mandatum et proximi in Parasceve habentur cum notis musicis.

(218) Mandatum dicitur lotio pedum ex principio verborum Christi : *mandatum novum do vobis*, quæ etiamnum canuntur in lotione pedum, quæ sola nunc superest ad exemplum Christi in cœna. Olim autem frequens fuit in cœtibus monasticis ac quidem, juxta regulam *S. Benedicti*, supervenientibus hospitibus, tum etiam fratribus inter se mutuo; quod ad sæculum usque decimum sextum usitatum in monasterio *S. Blasii* fuit singulis Sabbatis per annum. Pauperibus autem quotidie lavabantur pedes juxta laudatum ord. operis Dei cum apparatu sacro cantu et precibus, a capite jejunii usque ad festum SS. Simonis et Judæ in cœna vero Domini ritu sequenti mane post tertiam et post prandium.

Dicta tertia eant ad capitulum.

Dum domno abbati placuerit, faciat signum cantori ut exiens videat, si pauperes ad mandatum sint ordinati. Si sunt ordinati debito more, mox renuntiet domno abbati, qui innuat priori, ut percutiat tabulam in capitulo, qua percussa dictoque *benedicite* incipiat domnus abbas ps. *Miserere mei Deus, etc.* D euntibusque in claustrum ad visitandum pauperes domnus abbas præcedat cum capellano suo portante sibi librum, deinde conventus, et primo seniores, postea pueri cum magistro. Finito ps., incipiat cantor ant. *Dominus Jesus*, etc., flectantque omnes genua, et unicuique fratrum collocetur unus pauper; et si quis fratrum hoc anno obierit, eidem unus pauper ponatur. Duodecim vero pauperes domno abbati assignentur, et tredecim domno Regemberchto dotatori. Post ablutionem pedum et manuum percutiat prior tabulam annuente abbate, qua percussa detur eleemosyna pauperibus. Completo mandato incipiat domnus abbas septem psalmos pœnitentiales, eantque in chorum, sicut exierunt de capitulo, legentes ipsos psalmos prostrati in terram; domnus autem abbas ante aliare super sedem sibi positam. Finitis psalmis, dicat domnus abbas confessionem cum orationibus ad hoc pertinentibus; C deinde veniant in claustrum ad colloquendum.

In cœna Domini post sextam prior, cellerarius, cantor seu camerarius ordinent 24 pauperes; qui sedeant in ambitu immediate post prandium. Post prandium veniat domnus abbas ad ambitum penes januam claustralem, et prior cum quibusdam fratribus, et ibi cantor procuret, quod ibidem in ambitu sint, et sedeant solum illi 24 pauperes, et non plures. Servus autem domus lavatorii præparatam habeat aquam calidam, et lintea et paropsides pro lotione et tersione pedum seu manuum. Camerarius procuret ut ibidem sint duo picarii cum vino, et post hinc cantor incipiat ant., *Dominus Jesus postquam cœnavit*, etc., et statim fiat genuflexio ab omnibus, et medio tempore laventur pedes pauperum. Post dictam ant. ℣. *Deus misereatur*, prior percutiat tabulam, et dicat : *Benedicite;* et respondeant : *Amen.* Tunc domnus abbas dicat ℣. *Potum servorum suorum dignetur Dominus benedicere.* Et D statim incipiat cantor responsorium : *Accessit ad pedes Jesu*, et tunc potus detur pauperibus. Post ℟. cantor incipiat ℣. *Dimissa sunt ei*, et cellerarius pauperibus det pecuniam, cuilibet 15 denarios usuales; erunt 30 solidi.

Postquam versus finietur, repetitio ℟. repetatur, et iterum potio administretur pauperibus. Illis peractis dicat cantor : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam*, Kyrie eleison, Pater noster. ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, ℣. *tu mandasti*, Dominus vobiscum, *oremus. Adesto, Domine, officio nostræ servitutis, quæ ipse præstare digneris.* Et immediate fiat genuflexio ab omnibus, et incipiat domnus abbas ps. *Miserere mei*, et eant in chorum et faciant, ut præscriptum est.

ERSUS IN PARASCEVE.

Populo meus quid feci tibi? Aut in quo contristavi te? Responde mihi? Quia eduxi te de terra Ægypti parasti crucem Salvatori tuo. Agios o Theos. Agios ischyros. Agios athanatos eleyson ymas. Sanctus Deus, Sanctus fortis. Sanctus immortalis miserere nobis. Qui eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, et introduxi in terram satis optimam parasti crucem Salvatori tuo. Agios. Quid ultra debui facere tibi et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara. Aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo. Agios. *Ant.* Ecce lignum crucis in] quo salus mundi pependit, venite adoremus. *Ant.* Dum Salvator mundi mortis supplicium pateretur in cruce, clamans voce magna tradidit spiritum. Et ecce velum templi divisum est, monumenta aperta sunt. Terræ motus enim factus est magnus, quia mortem Filii Dei clamabat mundus se sustinere non posse. Aperto ergo lancea militis latere crucifixi Domini, exivit sanguis et aqua in redemtionem salutis nostræ. O admirabile pretium cujus pondere captivitas redemta est mundi, tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis janua regni. ℣. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis. Nulla silva talem profert, fronde flore germinans. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet. Crux f. Pange lingua gloriosi prælium certaminis. Et super crucis trophæum dic triumphum nobilem. Qualiter redemtor orbis immolatus vicerit. Crux. De parentis protoplasti etc. *Hymnus.* Vexilla. *Ant.* Crucem tuam. *Ant.* Tuam crucem.

ORATIONES IN PARASCEVE AD SALUTANDAM CRUCEM (219).

Domine Jesu Christe Deus verus de Deo vero, qui pro redemtione generis humani serpentina suasione decepti, mundum erroribus implicatum illuminare et crucis patibulum subire voluisti, ut lignum ligno vinceres, et peccati hæreditariam mortem morte potentissima superares. Exaudi me miserum et indignum prostratum ante oculos tuæ benignissimæ Majestatis adorantem te, et benedicentem nomen tuum sanctum atque terribile, et concede mihi te puro corde sapere, te laudare, te prædicare, et per vexillum istud sanctæ crucis, quam hodie in tuo nomine adoraturus adveni, mentem meam corpusque sanctifica, scuto fidei tuæ

A me circumtege, galeam salutis mihi impone, gladio spiritali me accinge, ut contra hostem nequissimum bellaturus et tuo muniar miserationis auxilio, et salutiferæ crucis vexillo: cunctique tuo sancto nomine insigniti ab hostis perfidi sint incursione securi per te Jesu Christe.

Alia. Deus qui Moysi famulo tuo in via squalentis heremi serpentem æneum in media populi multitudine ad liberendas letali viro infestas animas exaltare jussisti; ut si quis mortifero vulnere inflictus ad eum respiceret, et venenum exiciale evaderet, et optatæ salutis vitam adipisceret. Significans teipsum futura post curricula pro tui salute plasmatis, crucis extollendum patibulo, ut quos diabolus armis invidiæ captivaverat, tua desiderabilis passio ad patriam revocaret. Concede B tam mihi misero et peccatori, quam omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie sanctam passionem tuam supplices venerantur, lignumque vitæ adorant, ut diabolicas insidias, te adjuvante vincamus et æternæ vitæ participes esse mereamur. Qui cum Patre vivis.

Alia. Domine Jesu Christe, qui nos per crucis passionem hodierna die a diabolica servitute liberasti, ut quo die hominem condideras, eodem et reformares! Exaudi me miserum et peccatorem coram hoc signaculo crucis facinora confitentem, et deprecantem, ut hujus venerabilis et vitalis signi tuitione munitus et hostis nequissimi ignita tela repellere, et ab inflictis evacuari vul- C neribus et ad vitam æternam valeam pervenire. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per.

BENEDICTIO IGNIS NOVI

(Ex cod. th. bibl. Vind. n. 685, sæc. x.)

Domine Deus noster Pater omnipotens exaudi nos lumen indeficiens, tu es Domine conditor omnium luminum bene†dic quæso hoc lumen quod per te sanctificatur atque bene†dicitur. Tu illuminasti Domine omnem mundum. Præsta quæsumus, ut igne claritatis tuæ accendamur, et illuminemur: et sicut illuminasti ignem Moysi, ita illuminare dignare corda et sensus nostros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

D Benedicat vos trina majestas Domine. (220) Benedicat Spiritus sanctus, qui in specie columbæ in Jordane fluvio super Christum requievit. Ille vos benedicat, qui de cœlo dignatus est descen-

(219) Creditur hæc salutiferæ crucis adoratio in ecclesiam per orbem propagata ab *Hierosolymitana* in monte *Golgotha* ecclesia, in qua a Constantino Magno vera, in qua Christus pependit, crux exposita cultui ac adorata jam a suppari S. Cyrillo Hiersol. commemoratur, catech. IV. *Quam*, ut scribit S. Paulinus Nol., epist. 31 ad Severum, *episcopus urbis eis quotannis, cum pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantum promit.* Neque præter hanc diem, qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ sacramentorum causa est, quasi quoddam solemnitatis insigne profertur. Jonas Aurelianensis, ut vol. I horum monumentorum, *lit. A*, p. 382 n. 3, indicamus *ob recordationem salutiferæ Dominicæ passionis annuatim in sanctissimo die Parasceves secundum traditionem ecclesiasticam crucem Christi adorari* testatur in libro de Cultu imaginum adversus Claudium Taurinensem perinde ac conc. *Paris.* in eadem causa, sæc. IX habitum his verbis: *Die sancto, quo passio Domini in universo mundo speciali ter celebratur cum omni devotione universum ordinem sacerdotalem seu cunctum populum Christianum adorare.*

(220) Cum notis musicis.

dere in terram, et de suo sanguine vos redemit. Benedicat Dominus sacerdotium vestrum, et introitum vestrum. Alleluia. *Ant.* Vidi aquam egredientem de templo de latere dextro, alleluia. Et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt et dicent Alleluia alleluia. *Ant.* In die resurrectionis meæ dicit Dominus alleluia congregabo gentes et colligam regna et effundam super vos aquam mundam. Alleluia. *Ant.* Maria et Martha cum venissent ad monumentum angeli splendentes apparuerunt dicentes: Quem quæritis viventem cum mortuis, non est hic venite et videte locum ubi jacuit. Cito euntes dicite discipulis ejus, et Petro : Surrexit Christus, qui creavit omnia, et misertus est humano generi. Allel.

IN DIE RESURRECTIONIS DNI.

Ant. Cum rex gloriæ Christus infernum debellaturus intraret, et chorus angelicus ante faciem ejus portas principum tolli præciperet sanctorum populus, qui tenebatur in morte captivus, voce lacrimabili clamaverat: advenisti Desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris. Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta cum factus es spes desperatis magna consolatio in tormentis. Alleluia. *Ant.* Sedet Angelus ad sepulcrum Domini stola claritatis coopertus. Videntes eum mulieres nimio terrore perterritæ astiterunt a longe. Tunc locutus est angelus et dixit eis. ℣. Crucifixum in carne laudate, et sepultum propter nos glorificate, resurgentemque a morte adorate. Nolite metuere, dico vobis quia ille quem quæritis mortuum jam vivit et vita hominum cum eo surrexit. Alleluia. *Ant.* Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim vivit, vivit Deo. Alleluia Alleluia.

LÆTANIA METRICA (221).

Ardua spes mundi solidator et incliti cœli
  Christe exaudi nos propitius famulos. Ardua
Virgo Dei genitrix rutilans in honore perennis
  Ora pro famulis sancta Maria tuis. Ardua spes
Angele summe Dei Michahel miserescito nostri
  Adjuvet et Gabrihel atque pius Raphahel. Ardua.
Aspice nos omnes clemens Baptista Johannes.
  Petreque cum Paulo nos rege doctiloquo. Ardua.
Cœtus apostolicus sit nobis fautor et omnis
  Ac patriarcharum propheticusque chorus. Ardua.
Poscere nunc Stephanum studeamus carmine summum
  Ut cum martyribus nos juvet ipse pius. Ardua.
Inclyte Laurenti qui flammas exuperasti
  Victor ab etherio nos miserere choro. Ardua.
Care Deo martyr patriæ decus hujus herile.
A Sancte Albane tuis esto favens meritis. Ardua.
Victor, Alexander meritis utrique beati
  Nobis orate de Domino veniam. Ardua.
Splendide Silvester Gregorie sancte magister.
  Nos quoque cum sociis ferte juvando polis. Ard.
O Martine Dei, confessor summe sacerdos
  Gemma sacerdotum auxilium fer ymon. Ardua.
O Benedicte Pater monachorum Galleque frater
  Cum reliquis sanctis nos refovete polis. Ardua.
Maxime de Francis superis conjuncte catervis
  Sancte Othmare tuum lætifica populum. Ardua.
Inclite Magne tuam clemens nunc inspice plebem
  Pontifices fidos ac reliquos famulos Ardua.
Virgineos flores Agnes Agathesque ferentes
  Auxilio vestris addite nos sociis. Ardua.
B His Waldburga comes nostras pia suscipe voces
  Nos et cum Dno protege sancta polo. Ardua.
Innocuos pueros resonemus laude peractos
  Qui modo nos pueros dant resonare melos. Ard.
Omnes o sancti nostræ succurrite vitæ
Perque crucem sanctam salva nos Xpe redemtor.
  Omnes.
Ira deque tua clemens nos eripe Christe. Omnes.
Nos peccatores audi te Christe rogamus. Omnes.
Ut pacem nobis dones te Christe rogamus. Omnes.
Crimen ut omne tuis solvas te Xpe rogamus. Oms.
Auræ ut temperiem dones te Xpe rogamus. Omnes.
Ut fruges terræ dones te Xpe rogamus. Omnes.
Ut populum cunctum salves te Xpe rogamus. Oms.
Ecclesiamque tuam firmes te Xpe rogamus. Oms.
C Fili celsithroni nos audi Christe rogamus. Omnes.
Agne Dei Patris nobis miserere pusillis. Omnes.
Christe exaudi nos o Kyrie ymon eleyson. Omnes.

INCIPIUNT LETANIÆ (222).

(Ex cod. 685, sub Ottone).

Humili prece et sincera devotione
  Ad te clamantes semper exaudi nos. Humili.
Summus et omnipotens genitor, qui cuncta creasti
  Æternus Xps filius atque Deus.
Necnon sanctificans dominator Spiritus almus
Unica Majestas trinaque sola Dei Ad te clam.
Ipsa Dei genitrix reparatrix inclita mundi
  Quæ Dnm casto corpore concipiens
Perpetua semper radians cum virginitate
  Indignos famulos Virgo Maria tuos. Humili.
D Angelici proceres cœlorum exercitus omnis
  Æterno semper lumine conspicuus
Agmine ter trino Supero per sidera regno
  Laudibus æternum concelebrant Dominum. Ad te.
Petrus cum Paulo, Thomas cum Bartholomæo
  Et Jacobi sancti nos relevent precibus,
Andreas, Matthæus, Barnabas atque Joannes,
  Mathias, Lucas, Marcus et altisonus. Humili.
Cœtus apostolicus duodeno sidere comptus.
  Propitius cunctos protege nos famulos

(221) Litaniæ hæ in ordine officii divini per annum, quem parte tertia edemus, assignantur fer. II Rogat. Habentur hic cum notis musicis.

(222) Litaniæ hæ in ordine officii divini per annum assignantur fer. II Rogationum. Ubique notæ musicæ sunt superscriptæ in nostro codice.

Et quos multiplices lacerant per crimina pestes
Peccata absolvens fac bona cuncta sequi. Ad te.
Nunc Stephanus, Linus, Clemens, Anacletus et [almus
Xistus, Alexander, Cornelusque, Pius,
Ypolitus, Vitus, Laurentius atque Modestus
Gregoriusque pius nos miserando juvent. Humili.
Theodole summi miles fortissime Christi
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
Nil sic perspicuum poterit vox clara referre.
Ut decet in tali nunc Patris obsequio. Ad te.
Hic tibi perpetuis resonant concentibus ædes
Ossibus et sacris semper habetur honos
Cum læti famuli celebrent hic festa benigne
Laudibus instantes nocte dieque tuis. Humili.
Dirige corda pius et tempora dirige nostra
Atque dies lætos ducere da famulos
Ut semper valeant tibimet cantare quieti
Te quoque cœlesti cernere luce poli. Ad te
O dilecte Deo radians virtute corusca
Sancte Albane, pater juge preces pariter
Intercede pius veniam poscendo misellis
Aureque jam blanda carmina percipiens. Humili
O vos mysterio decorati in nomine Christi
Conspicui testes purpurei proceres
Ex bello invicti superastis dæmonis iras
Conspirata manus vincere morte minas. Ad te.
Silvester, Damasus, Gregorius, Ambrosiusque
Hilarius, Zeno, Maximus atque Leo
Martinus, Proculus, Cæsarius Eusebiusque
Orent pro nostris criminibus variis. Humili.
Ordo sacratus Confessorum præcipuorum.
Auxilio tutos undique redde tuos
Atque tua nosmet prece dimittendo reatum
Nos fragiles multum cladibus omnigenis. Ad te.
Paulus et Antonius, Macharius Arseniusque
Bahomius, Beda, Atala, Pafnutius
Bertoltus, Libertinus, Basilius atque
Ieronimus doctor nos miserere precor. Humili.
Summe Dei cultor monachorum rector et abba
O Benedicte sacer atque benigne pater,
Istud cœnobium cœtumque tibi famulantum
Nostraque sanctificans cuncta tuere simul. Ad te.
Felicitas, Felix, Eulalia digna, Verena
Petronellaque cum perpete Perpetua.
Agnes atque Agathes, Cristina, Euprepia, Thecla
Eufemia, Regula, Eugenia atque bona. Humili.
Virginitate chorus resplendens Candidularum
Turba puellarum integritate manens
Quæ geminis gaudens pulcrum decorata coronis
Laude pudicitiæ mysteriique simul. Ad te.
Omnes nunc Sancti nostris succurrite lapsis
Et veniam cunctis ferte juvando polis
Jam vestris precibus petitis quæcunque rogantes
Annuit ipse pius nilque negat Dominus. Humili.
Pacem perpetuam rogitamus prospice Christe
Ut sanæ vitæ gaudia longa diu

A Temperiem cœli tribuens, ut copia frugum
Omnibus exundet ubere lætitiæ. Ad te.
Agne Dei Patris, qui mundi crimina tollis
Optatæ pacis munera dona tuis.
Kyrie pantocrator yson so disse te pantos
Sub basileos ymon Xpe eleyson ymos.

ITEM METRICA LETANIA.

Salve vesta dies toto venerabilis ævo
Qua Deus infernum vicit et astra tenet
Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omilium (Homilium) Domino dona redisse suo.
Namque triumphanti post tristia tartara Christo
Undique fronde nemus gramine flore favent
Legibus inferni oppressis super astra meantem
Laudant rite Deum lux polus arva fretum
B Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat
Dantque creatori cuncta creata precem
Nobilitas anni mensum decus, arma dierum
Horarum splendor scrupula puncta fovens
Christe salus rerum bone conditor atque redemtor
Unica progenies ex Deitate Patris.
Funeris exequias pateris vitæ auctor et orbis
Intrans mortis iter dando salutis opem
Pollicitam sed redde fidem precor alma potestas
Tertia lux rediit surge sepulte meus.
Solve catenatas inferni carceris umbras
Et revoca sursum quidquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem videant in sæcula lumen
Redde diem qui non te moriente fuit
Eripis in numerum populum de carcere mortis
C Et sequitur liber quo suus auctor adit.
Hinc tumulum repetens post tartara, carne resumta
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.

LÆTANIA.

Rex Salvator alme, suscipe nostrarum munuscula pr.
Indulgere nobis assis tuis servis scelere gravatis
O sancta Maria mater atque virgo Postula pro nobis
Archangele summe Michahel virtus Dei Postula pro [nobis
Condigne Gabrihel fortitudo Dei Postula pro nobis
O consors Raphahel medicina Dei Postula p. nobis
O almitas sancta patriarcharum Postula pro nobis
O sors impleta Deo virtutis propheticæ Postula p. n.
O principalitas apostolorum Postula pro nobis
D O martvres sancti veniam precamini pro peccatis [nostris
Confessores sancti precibus assiduis poscite pro [nobis
O sanctarum chori virginum corusci poscite pro [nobis
Faventes sanctarum viduarum preces nobismet [nunc prosint
Insontes pueroli martyrum floretum poscite pro [nobis
O sancti omnes virtutes innumeræ poscite pro nobis
Maligno ab hoste ut Deus defendat nos hic et in [ævum

A gente pagana ut Deus defendat nos hic et in [ævum
Ab omni periculo ut Deus defendat nos hic et in [ævum
Ab omni terrore ut Deus defendat nos hic et in [ævum
Ab omni periculo ut Deus defendat nos hic et in [ævum
Ut auræ temperiem bonam ac frugiferam det nobis [Salvator
Ut commoditatem aeris, roris det nobis Salvator
Ut imbrem fetosum, bona germinantem det nobis [Salvator
Ut tranquillam vitam pacem et perennem det nobis [Salvator
Ut indulgentiam criminum nostrorum det nobis [Salvator
Ut summum pastorem apostolicum Dominus con- [servet
Ut dignum pontificem N. dominum Dominus con- [servet
Ut Ottonem regem et ejus exercitum Dominus con- [servet
Ut per totum orbem Ecclesiam sanctam Dominus [conservet

Preces ante altare. Prima die.

Clamemus omnes una voce Domine miserere.
Deipara nobis est vita nostra Domine miserere.
Precamur excelse fidem largire Domine miserere.
Curvamur peccatis opprimimur malis Domine miserere.
Delicta dele pacem concede Domine miserere.
Excelsus respice pius indulge Domine miserere.
Flagella remove veniam tribue Dne miserere.
Exaudi nos Pater pie Domine miserere.
Nunc et in ævum salva mundum Dne miserere.
Hymnum dicamus tibi Xpe Dne miserere.
Gloria tibi æterno Patri Dne miserere. Clamemus.

In die secunda.

Tibi laus tibi gloria tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna. O beata Trinitas.
Te invocamus, te adoramus, te laudamus. O beata Trinitas.
Exaudi Exaudi Exaudi O beata Trinitas.
Libera nos, salva nos, justifica nos. O beata Trinitas.
Auge in nobis fidem, auge spem, auge charitatem. O beata Trinitas.

In die tertia.

Aufer a nobis iniquitates nostras, ut mereamur puris mentibus introire ad sancta sanctorum.
Exaudi exaudi exaudi preces nostras, sancta Maria ora pro nobis.
Miserere, miserere, miserere populo tuo quem redemisti.
Christe sanguine tuo, ne in æternum irascaris nobis.

LETANIA.

Dicamus omnes Domine miserere.
Ex toto corde et ex tota mente oramus te Dne.
Pro sancta Ecclesia catholica quæ est in toto orbe diffusa supplicamus tibi Dne.
Pro pastore nostro N. et omni clero ejus imploramus te Dne.
Pro abbate nostro N. et grege sibi commisso obsecramus te. Dne.
Pro aeris temperie et fœcunditate terræ precamur te, Dne.
Pro his qui infirmantur et diversis languoribus detinentur exoramus te. Dne.
Pro remissione peccatorum vel emendatione morum rogamus te. Dne.
Exaudi nos Deus in omni oratione nostra quia pius es. Dne.

LETANIA GALLICA.

Pater de cœlis Deus miserere nobis.
Filius redemtor Deus miserere nobis.
Spiritus sanctus Deus miserere nobis.
Sancta Trinitas miserere nobis.
Qui es trinus et unus Deus miserere nobis.
Sancta Virgo virginum ora pro nobis.
S. Michahel ora pro nobis.
S. Gabrihel. Ora.
S. Raphahel. Ora.
S. Joannes. Ora.
S. Petre. Ora.
S. Paule. Ora.
S. Andrea. Ora.
S. Johannes. Ora.
S. Jacobe. Ora.
Omnes sancti Apostoli. Orate.
Omnes sancti Evangelistæ. Orate.
Omnes sancti discipuli. Orate.
S. Stephane. Ora pro nobis.
S. Laurenti. Ora.
S. Vincenti. Ora.
S. Georgi. Ora.
S. Vite. Ora.
S. Pancrati. Ora.
S. Albane. Ora.
Omnes sancti Martyres. Orate
S. Silvester. Ora pro nobis.
S. Martine. Ora.
S. Gregori. Ora.
S. Benedicte. Ora.
Omnes sancti Confessores. Orate.
Omnes sancti Monachi. Orate.
S. Felicitas. Ora.
S. Perpetua. Ora.
S. Agatha. Ora.
S. Margaretha. Ora.
Omnes sanctæ Virgines. Orate.
Omnes Sancti. Orate.
Gratiam tuam concede nobis Dne Deus.
Salutem et sanitatem dona nobis.
Aeris temperiem bonam concede nobis.
Ab inimicis nris tuere nos Dne.
Gaudium et pacem dona nobis Dne.

Filius Dei miserere nobis.
Nunc et in perpetuum miserere nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. ℟. Agnus.
Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris. ℟. Agnus.
Gloria usque sæculorum amen. ℟. Agnus.
Sancte Sanctorum Deus miserere nobis.
Sancta Dei genitrix intercede pro nobis.
S. Michahel intercede pro nobis.
S. Gabrihel intercede pro nobis.
S. Raphahel intercede pro nobis.
S. Petre intercede pro nobis.
S. Paule intercede pro nobis.
S. Andrea intercede pro nobis.
S. Stephane intercede pro nobis.
S. Vite intercede pro nobis.
S. Albane intercede pro nobis.
S. Martine intercede pro nobis.
S. Maximine intercede pro nobis.
S. Benedicte intercede pro nobis.
S. Felicitas intercede pro nobis.
S. Perpetua intercede pro nobis.
S. Agatha intercede pro nobis.
S. Brigida intercede pro nobis.
S. Cristina intercede pro nobis.
S. Margaretha intercede pro nobis.
Omnes Sancti intercedite pro nobis.

In die, ad missam.

Ant. Exaudivit etc. Præsta q. o. D. ut qui in afflictione etc. *Alia.* Deus qui beatum Marcum etc. *Lectio epistolæ Beati Jacobi Apostoli.* Kmi Confitemini alterutrum etc. Alleluia. Confitemini Dno etc. Alleluia. Jam non estis. *Secundum Lucam.* In illo tempore. Dixit Ihs discipulis suis. Quis vestrum etc. *Off.* Confitebor etc. Alleluia. *Secreta.* Hæc munera etc. *Alia Secreta.* Hanc Dne qs oblationem pro commemoratione beati Marci etc. *Com.* Petite et accipietis. Alleluia. *Ad complendum.* Vota nostra etc. *Al. ad compl.* Pasti cibo spiritalis alimoniæ qs Dne Ds nr, ut quod mysterio frequentamus, intercedente beato Marco evangelista et pontifice plena veritate consequamur. Per.

Aliæ orationes.

Mentem familiæ tuæ qs Dne intercedente beato N. martyre tuo et munere compunctionis aperi, et largitate pietatis exaudi. *Alia.* Deus qui culpas delinquentium districte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses, ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per. *Alia.* Parce Dne, parce populo tuo, ut nullis jam patiaris adversitatibus fatigari, quos pretioso Filii tui sanguine redemisti, qui tecum.

Ad crucem.

Deus qui culpas nostras piis verberibus percutis, ut nos a nostris iniquitatibus emundes, da nobis et de verbere tuo proficere, et de tua citius consolatione gaudere. Per,

In atrio.

Adesto Dne supplicationibus nostris, et sperantes in tua misericordia intercedente beato Petro apostolo tuo, cœlesti protege benignus auxilio. Per.

In atrio.

Præsta qs omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato N. martyre tuo tuæ pietatis indulgentiam consequamur. Per.

Alia. Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia, et futura perfrui lætitia. Per.

Alia. Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei genitricis gloriam celebramus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per.

Alia. Da nobis quæsumus Domine de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis nostris affligimur, intercedente beato illo martyre tuo in tua misericordia respiremus. Per.

Alia. Deus qui juste irasceris, et clementer ignoscis afflicti populi lacrimas respice, et iram tuæ indignationis, quam juste meremur propitiatus averte. Per.

Alia. Afflictionem familiæ tuæ quæsumus Dne intende placitus, ut indulta venia peccatorum de tuis semper beneficiis gloriemur. Per.

Alia. Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui iram tuæ indignationis agnovimus, misericordiæ tuæ indulgentiam consequamur. Per.

Alia. Misericordiam tuam Domine nobis quæsumus interveniente beato confessore tuo ill. clementer impende, et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per.

Alia. Ne despicias omnipotens Deus populum tuum in afflictione clementem, sed propter gloriam nominis tui tribulantibus succurre placatus. Per.

LÆTANIA.

Votis supplicibus voces super astra feramus
Trinus ut et simplex nos regat omnipotens.
Sancta mundi Domina stella maris Maria tu pro nobis Filium ora Christum Dominum.
Summo sedis minister quis ut Deus Michahel cum supernis civibus nos juvato precibus.
Preco Christi Johannes Agni Dei ostensor redemtoris Baptista nos Deo concilia.
Sancte Petre cum Paulo cunctisque apostolis implorate pro nobis majestatis Dominum.
Martyr Christe Theodole patroneque Albane simul junctis meritis nos solvite criminibus.
Protomartyr Stephane omnes atque martyres vos orate pro cunctis plebibus catholicis.
O Bodarde confessor Martineque pariter nos cum confessoribus adjuvate precibus.
O sa martyr Felicitas cohors atque virginum precibus continuis postulate pro nobis.
Omnes sancti Domini Angeli et homines commendate populos Domino Catholicos.

Ut nobis remissio peccatorum donetur, aeris tempe- A ries, terræque fertilitas.

Ut pacis tranquillitas, corporumque sanitas a Christo detur nobis obtinete meritis.

Ut N. præsulem, ejus clerum, et omnem plebem conservare digneris oramus Christe audi nos.

Ut rex noster Otto ejus et exercitus hinc et inde servetur oramus Christe audi nos.

Ut sæviens gladius et paganus populus depellatur a nobis oramus Christe audi nos.

Xpe Xpe audi nos Kyrie eleison canimus, Xpe eleison psallimus Xpe pie audi nos.

Homo quidam erat dives valde in deliciis, purpura et bysso induebatur, epulans splendide, caducam vitam diligendo amisit perpetuam. Lazarus quidam mendicus circumdatus ulcere ad januam di- B vitis cum dolore nimio cupiebat saturari de micis mensæ divitis. *Homo.* Postulabat nemo dabat, nemo miseretur. Tantum canes veniebant, consolantes pauperem. Ulcera ejus lingebant, curabantur vulnera. *Homo.* Mortuus est autem dives in infernum ducitur. Misericordiam non fecit, eam non consequitur. Pro micis panis quas negavit, in infernum ducitur. *Homo.* Patrem vocat Abraham, ut admittat Lazarum, digiti extremi sui guttam aquæ petit, ut refrigeretur lingua ejus, in flammis ardentibus. *Homo.* Fili mi recordare quod de puero recepisti in vita tua valde bona plurima. Lazarus hic contra mala, modo consolabitur. *Homo quidam.*

IN LÆTANIA MAJORE, ANTEQUAM CRUX ELEVETUR.

Ant. Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. *Ps.* Salvum me fac Deus.

In die secunda.

Ant. Exurge Domine adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. *Ps.* Deus auribus nostris.

In die tertia.

Ant. Propitius esto Domine peccatis nostris propter nomen tuum, nequando dicant gentes, ubi est B Deus eorum. *Ps.* Deus venerunt gentes in hæredit.

In die quarta.

Ant. Clementissime exaudi Domine populum tuum. Alleluia. *Ps.* Deus misereatur nostri.

Ant. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph antequam convenirent inventa est in utero habens, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est. Alleluia.

BENEDICTIONES, CONSECRATIONES ET ORDINATIONES VARIÆ.

BENEDICTIONES VARIARUM RERUM.

BENEDICTIO POMORUM.

(Ex codice Vindob. theol. 685, sæc. x.)

Te deprecamur omnipotens Deus, ut benedicas hunc fructum novum pomorum etc.

BENEDICTIO PANIS.

Benedic Domine creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut sit Dns eundem habundans in annum alimentum, gustantesque ex eo accipiant tam corporis quam animæ sanitatem.

BENEDICTIO UVÆ SIVE FABÆ.

Benedic Domine hos fructus novos uvæ sive fabæ etc.

BENEDICTIO NUCIS.

Benedic Dne pomum et nuces, nucleosque et om- D nes fructus terræ tam arborum quam herbarum, qui tuo jussu oriuntur. Per.

BENEDICTIO SUPER AGNUM IN PASCHA (223).

Deus creator universæ carni etc.

INCIPIT BENEDICTIO DOMUS.

(Ex cod. Vind. theol. 685, sæc. x.)

Oremus pro hac domo, et dominis hujus tabernaculi, ut eos Dominus in bonis lætificet; dignetur Dominus tribuere aurora desursum cœli, et a fertilitate deorsum terræ habundantem substantiam vitæ, et desideriis eorum affectum suæ miserationis inmisceat, et introitum nostrum benedicere dignetur, ut his parietibus angelus benedictionis inhabitet. Per.

ORATIO SUPER DOMUM NOVAM.

Sanctificetur ista domus, et fugatur ab ea inmun-

(223) Verba, *Per quem hæc omnia*, hic et paulo ante ad benedictionem uvæ sive Çabæ addita demonstrant benedictiones has ad illa canonis verba fuisse factas, ut jam in disquisitionibus nostris, t. I, p. 371, de aliarum etiam rerum benedictione ostendimus, pomorum, ex. g., quorum hic benedictionem attulimus eamdem, quæ in Sacramentario Gelasiano habetur, uti etiam uvæ seu fabæ, fructuum novorum, quorum benedictionem in solemni missa Ascensionis Domini factam fuisse card. Bona, lib II Rer. liturg. c. 14 notavit ex antiquissimo sacramentario. Exstatque apud *Ed.* Martenium, De ant. eccl. disc. In div. off. celebr. c. 28. Et postea, cap. 33, ad diem VIII Kal. *Augusti*, ex pervetusto rituali ad usum diœces. Remens. habetur benedictio pomorum in die festo beatorum Jacobi et Christophori, sed post *missam dicti diei*. In Constitut. Apost., lib. VIII, c. 46, legitur formula benedictionis primitiarum seu fructuum novorum. Exstat etiam in euchologio oratio in uvæ delibatione ad diem sextum *Augusti*, quo ipso die in recentioribus etiam missalibus uvæ benedictio eadem, cujus ex Gelasiano vulgato nostris Monumentis modo meminimus, ponitur, ut silentio prætereamus, ritum diei illius merito antiquatum vinum novum ex uva recenti expressum liquandi in calice, de quo Durandus, lib. VII Ration. div. off. c. 22

dus spiritus per virtutem Dni nri Ihu Xpi, ut detur ibi omnibus commanentibus sanitas, claritas, hilaritas protegente ac servante majestate tua Domine. Per.

BENEDICTIO AQUÆ SUPER SEGETES.

Benedic Domine hanc creaturam aquæ, ut fugiant vermes, et volucres a nostris segetibus per nomen Dni nri Ihu Xpi quod invocatum est in ipsa creatura messis, ut sana sit omnibus, qui utuntur ex ea.

ORATIO SUPER SEGETES.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, permitte Spiritum sanctum tuum cum Panchielo (224) Archangelo, ut defendat segetes nostras a vermibus, a volucribus, a dæmonibus malis, ut magnificetur nomen tuum Deus in omni loco. Per.

BENEDICTIO SALIS AD OCULOS HOMINUM.

Sana Domine oculos hominis istius, cum benedicimus hanc creaturam salis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut aperuisti duorum cæcorum clamantium tibi in evangelio ac dicentium miserere nostri fili David, et manifestus fuisti illis, et aperti sunt oculi eorum, et sicut is, qui sputo sanatus et lavatus in natatorio Siloe lumen redditus, sic aperiantur oculi istius hominis per te Ihu Xpe qui cum Patre viv.

BENEDICTIO OCULORUM.

Sana Domine oculos hominis istius, sicut sanasti oculos Tobiæ, et duorum cæcorum, quos in evangelio commemorat, purga oculos, expelle festucam, et aream, et omne quod nocet oculis, et appareat gloria tua in omni loco. Per.

ORATIO PRO DOLORE PARTUS.

Deus qui ab inicio fecisti hominem, et dedisti ei adjutorem similem sibi, ut crescerent, et multiplicarentur super terram, da misericordiam tuam huic famulæ tuæ ill. ut prospere et sine dolore parturiet, Per.

ORATIO SUPER FONTEM UBI ALIQUA NEGLEGENTIA CONTIGIT.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per invisibilitatis tuæ potentiam has aquas ex nichilo conditas in hujus maria formam visibile præbuisti atque ex abditis investigabilibus concava per abyssi magnitudinem largitatis tuæ gratiam humanis usibus fluenta fontibus influxisti te supplices exoramus, ut has aquas, quas neglegentia polluit, sancti Spiritus tui gratia ad mundiciam revocet atque purificet et spiritus callidi hostis abscedat, ac deinceps sanctificatam, familiæ tuæ potabilem tribuas, utque potantium corpora mundet, cordaque sanctificet. Per.

BENEDICTIO PUTEI NOVI.

Oremus. Benedic quæsumus omnipotens Deus, hanc cisternam aquæ in qua exitu terræ interiora per spiracula profluentem laticem inundare jussisti, ut fugata ab ea cuncta diabolica machinatione quis-

A quis ex ea gustaverit, tibi immensas referat gratiarum actiones. Per.

ORATIO SUPER VASA REPERTA IN LOCIS ANTIQUIS.

Omnipotens æterne Deus insere te officiis nostris, et hæc vascula arte fabricata gentilium sublimitatis tuæ potentia ita emendare digneris, ut omni immunditia depulsa, sint tuis fidelibus tempore pacis atque tranquillitatis utenda. Per.

BENEDICTIO AD OMNIA QUÆ VOLUERIS.

Benedic Domine creaturam istam ill. etc.

BENEDICTIO SUPER VESTEM NOVAM.

Signaculum Dei super hanc vestem novam, qua induantur homines, ut Spiritus sanctus regnat in homine, qui circum se induerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti maneat secum in sæcula sæculorum.

B

BENEDICTIO VIDUÆ, QUÆ FUERIT CASTITATEM PROFESSA.

Consolare Domine hanc famulam tuam viduitatis laboribus constrictam, sicut consolari dignatus es Sareptam viduam per Helisea prophetam; concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non meminerit voluptatum. Nesciat enim incentiva desideria, ut soli tibi subdat propria colla, quo possit pro laboribus tantis sexagesimo gradu percipere munus delectabile sanctitatis. Per.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM VIRGINUM VEL VIDUARUM.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor; hæc indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quæ familiæ tuæ sancto visibiliC ter sunt informanda proposito, propitius benedicas et beatæ castitatis habitum, quem te aspirante susceperit, te protegente custodiat, et quam vestibus venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. P.

ORATIO AD ABBATEM FACIENDUM, VEL ABBATISSAM.

Concede quæsumus omnipotens Deus et famulum tuum, vel famulam tuam, quem ad regimen animarum elegimus gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

ORDO AD CLERICUM FACIENDUM.

(Ex ms. Rhenaug. sæc. XI circ.)

Præsta quæsumus omnipotens Deus huic famulo tuo etc.

D

ITEM AD CLERICUM VEL MONACHUM FACIENDUM.

Adesto Domine supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus, ut te largiente, et devote in ecclesia persistere, et vitam percipere mereatur æternam. Per D.

Inter tondendum dicantur hæ antiphonæ. Tu es Domine etc. *Et dicit orationem* Præsta quæsumus omnipotens Deus huic famulo tuo etc.

Oratio ad capillaturam.

Omnipotens sempiterne Deus, respice super hunc

(224) Peregrinum angeli nomen, cujusmodi ab Adelberto hæretico conficta in concilio Romano an. 745 damnantur, et apud Burchardum, lib. III cap. 198, ex canone conc. Aurel. tertio. Nihilominus quædam leguntur in litania *Carolina* apud Mabill. Analect., p. 170.

(hos) famulum (os) tuum (os) quem (os) ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei (eis) remissionem omnium peccatorum, atque ad cœlestium donorum pervenire consortium. Per.

Ad barbam.

Deus, cujus Spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum N. juvenilis ætatis decore lætantem, et florem primis auspiciis adtondentem : exaudi Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cœlestem benedictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat, et æternæ. Per.

Post Evang. majoris Missæ Ordinatio monachorum est agenda hoc modo: Ego frater N. promitto stabilitatem et conversionem morum meorum et obedientiam secundum Regulam sancti BENEDICTI coram Deo, et Sanctis ejus in hoc monasterio Renaugensi, quod est constructum in honore S. Mariæ genitricis Dei; in præsentia Domini etc. Abbatis.

Hoc postquam singuli legunt, ter veniam super manus et genua petentes hunc ℣. dicunt :

℣. Suscipe me Domine secundum etc.

Quibus conventu respondente adjungendo Gloria etc. *ipsi novitii gyrum facientes flexis poplitibus, postea prosternunt se ad orat. Et Domnus Abbas stans imponit :* Kyrie etc. Christe etc. Kyrie etc. Pater noster etc. Miserere mei Deus etc.

Salvum (os) fac servum (os) tuum (os).

Mitte ei (eis) Domine auxilium de sancto.

Nihil proficiat inimicus in eo (eis).

Esto ei (eis) Domine turris fortitudinis.

Dominus vobiscum.

Oremus : Deus indulgentiæ Pater, qui severitatem tuæ districtionis temperans indulsisti, ne filius portaret iniquitatem patris; et qui mira dispensatione etiam malis bene utens tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris; quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obsistat, quod habitum religionis per nos tanta ac tali re indignos accipit, sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per dona S. Spiritus exequaris. Per.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium incarnationis ejus renovare dignatus es; te suppliciter exoramus : ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum abrenuntiationem seculi profitentem, clementer respicere dignetur; per quam in spiritu suæ mentis renovatus veterem hominem cum suis actibus exuat, et novum, qui secundum Deum est, induere mereatur. Per.

Domine Jesu Christe, qui es via sine qua nemo venit ad Patrem; quæsumus benignissimam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum, per iter disciplinæ regularis deducas; et qui peccatores vocare dignatus es dicens : Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam; præsta : ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es, gustans, tuæ refectione sustentari mereatur; ut sicut attestari de tuis ovibus dignatus es; agnosce eum inter oves tuas; et ipse te agnoscat, ut alienum non sequatur, sed te : neque audiat vocem alienorum, sed tuam, qua dicis : qui mihi ministrat, me sequatur. Qui vivis etc.

Sancte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum revelare mortalibus dignatus es, immensam tuæ pietatis gratiam postulamus : ut sicut ubi vis spiras, sic et huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas; et quoniam tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur; quem juxta consuetam tibi gratiam unctio tua de omnibus doceat; et per intercessionem beatissimi Benedicti quem præcipuum hujus sanctæ institutionis legislatorem dedisti; nec non et aliorum Sanctorum ad quorum nomina petitionem facit, eum a vanitate seculi veraciter converte; et sicut es omnium peccatorum remissio, deprimentis impietatis obligationes in eo dissolve, et ad observantiam hujus sancti propositi fac eum certatim fervere in tribulationibus et angustiis; ut tua indeficienti consolatione valeat respirare, et juste et pie per veram humilitatem atque obedientiam in fraterna caritate fundatus, quod te donante promittit, felici perseverantia compleat. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre, sanctoque unigenito Filio ejus Domino nostro Jesu Christo vivis et gloriaris Deus per infinita secula seculorum. Amen.

Hic surgunt Novitii ad orat. ut domnus Abbas eos conspergat aqua benedicta.

Cucullæ ita benedicuntur :

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam : ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ, et humilitatis judicium abrenuntiantibus seculum ferre sanxere, ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Qui cum Patre.

Item exuendo froccum dicitur ad singulos.

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis

Inter induendum cucullam dicitur ad unumquemque.

Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Tunc osculato Abbate vadunt in chorum, et omnem Conventum osculantur.

CONSECRATIO SACRÆ VIRGINIS

QUÆ IN EPIPHANIA VEL IN SECUNDA FERIA PASCHÆ, AUT IN NATALITIIS APOSTOLORUM CELEBRATUR.

(Ex cod. Vind. theol. 359, sæc. x.)

Omnes qui ad sacros ordines debent promoveri, ante pronuntiationem Evangelii ab episcopo debent consecrari, quia ab eis prædicatio sancti Evangelii debet per totum mundum diffundi. Virgines autem et viduæ post perlectum evangelium debent velari, quia decet eas et evangelium prædicari. Virginem episcopo parentes cum oblatione offerunt, et ille involutam manum ejus in palla altaris recipiat dicendo cum adstantibus antiph. Ipsi sum desponsata cui Angeli

serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. *Sanctimonialis cum ad consecrationem sui episcopi offertur in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est et professioni et sanctimoniæ aptis. Inprimis autem offerantur illa vestimenta ante altare episcopo ad benedicendum.*

Benedictio vestimentorum virginum.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime persolutor, etc

Alia. Domine Deus bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te subnixis precibus deprecamur, ut has vestes, quas famula tua N. pro indicio cognoscendæ religionis induere vult, benedicere et sanctificare digneris, ut inter reliquas feminas cognoscatur dedicata. P.

Alia. Exaudi Domine preces nostras et hanc vestem quam famula tua N. signo se adoperandum exposcit, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron, benedictione unguenti profluente a capite in barbam. Et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita etiam hanc benedicere dignare, ac præsta clementissime Pater, ut supradictæ famulæ tuæ N. hæc sit vestis salubris protectio hæc cognitio religionis, hæc initium sanctitatis hæc contra omnia tela inimici robusta defensio, ut si continens est sexagesimi fructus donum accipiat, ut si virgo centesimi muneris opulentia in utraque parte perseverante continentia ditetur. Per.

Item benedictio sacri velaminis.

Caput omnium fidelium Deus, et totius corporis Salvator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum tuæque genitricis beatissimæ scilicet semper virginis Mariæ amorem suo capiti est impositura, tua dextera sanctifica, et hos quod per illud mystice datur intellegi, tua semper custodia corpore pariter et animo incontaminato custodiat; ut quando ad perpetuam sanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus et ipsa virginibus præparata, te perducente, ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. Per.

Hic suppliciter prosternat se ante altare illa quæ consecranda est, et dicat hunc versum tribus vicibus. Suscipe me Domine secundum eloquium tuum et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea. *Post hæc episcopus dicat.* Soror. Accipe hanc vestem in nomine Domini. *Et illa respondeat.* Suscipio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. *Tunc episcopus det ei ipsa virginitatis vestimenta, et tantum velamen apud se faciat retineri. Ipsa autem virgo vadat in sacrarium et induat se ipsis vestimentis benedictis, accipiensque duos cereos ardentes in manus suas veniat ante altare et imponat clerus introitum ad missam. Post evangelium autem et dicta, ea prostrata, lætania, inclinato capite ante altare benedicat eam episcopus dicens hanc orationem.* Respice Domine propitius super hanc famulam tuam N. ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per.

Consecratio in modum Præfationis.

Deus castorum corporum benignus habitator et incorruptarum amator animarum. Deus qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam quorundam bonorum quæ in novo sæculo sunt habenda perducas, et obstrictos adhuc conditione mortalium jam ad similitudinem promoveas Angelorum; respice super hanc famulam tuam, quæ manu tua continentiæ suæ propositum collocans tibi devotionem suam offert, a quo et ipsa idem votum assumpsit. Quando enim animus mortali carne circumdatus legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos ætatis evinceret, nisi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderes; tu hanc cupiditatem in ejus corde benignus aleres, tu fortitudinem ministrares. Effusa namque in omnes gentes gratia tua ex omni natione quæ sub cœlo est in stellarum innumerabilem numerum Novi Testamenti hæredibus adoptatis inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de tuo Spiritu genitis indidisti, et jam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit; ut quamvis honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium initialis benedictio permaneret; existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent, quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et æmula integritatis angelicæ illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est filius. Imploranti ergo auxilium tuum et confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupienti, da protectionis tuæ munimen, et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis ad obscurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptiarum. Sit in ea Domine per donum Spiritus sancti prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. In caritate ferveat, et nihil extra te diligat, laudabiliter vivat, laudarique non appetat. Te in sanctitate corporis, te in animæ suæ puritate glorificet, amore te timeat amore tibi serviat. Tu ei sis honor, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione pacientia, in paupertate habundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetit super omnia, et quod est professa custodiat, scrutatori pectorum non corpore placitura sed mente, transeat in numerum sapientum puellarum, ut cœlestem sponsum aversis lampadibus cum oleo præparationis exspectet nec tur-

bata improvisi regis adventu, sed secura cum lumine, A et præcedentium virginum choro juncta occurrat, et non excludatur cum stultis, regalem januam cum sapientibus virginibus licenter introeat, et in agni tui comitatu perpetuo probabilis mansura castitate permaneat. Per eundem. *Benedictione expleta episcopus mittat velamen super caput ipsius virginis.* Accipe velamen sacrum puella, quod præferas sine macula ante tribunal Dni nri Ihu Xpi cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum in sæcula sæculorum. Amen. *Tunc cantetur a circumstantibus ad singulas antiphona.* Induit me Dominus ciclade auro texta et immensis monilibus ornavit me.

Oratio post assumptum velamen.

Famulam tuam Domine tuæ custodia muniat B pietatis, ut continentiæ sanctæ propositum quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. *Sequitur antiphona.* Ipsi sum desponsata cui, etc. Da quæsumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro spe retributionis æternæ tibi Domino desiderat consecrari, plena fide animoque in sancto proposito permaneat. Tu eam omnipotens Pater sanctificare et benedicere et in perpetuum conservare digneris. Tribue ei humilitatem, castitatem, obedientiam, caritatem et omnium bonorum operum quantitatem. Da ei Domine pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia sanctitatem ut ad meritum possit gloriæ pervenire. Per. *Tunc cantetur a circumstantibus antiphona.* Posuit signum C in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. *Et dicat episcopus benedictionem Matthæi apostoli super eam. Or.* Deus plasmator corporum afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, non sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam; sed omnium æqualis creator es et redemtor; tu hanc famulam tuam, quem ex omni numero gregis pastor bonus eligere ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis et castimoniam animæ dignatus es; tuæ protectionis scuto circumtege, et ad omne opus virtutis et gloriæ, magistrante sapientia præpara, ut innocens carnis illecebras, et licita connubio, recusans insolubilem Filii tui Domini nostri Jesu Christi copulam mereatur. Hinc petimus Domine, arma suggeras non carnalia, sed spiritus virtute potentia, ut te muniente ejus sensus et D membra in ejus corpore et animo non possit dominari peccatum, atque sub tua gratia vivere cupienti nihil sibi defensor malorum et inimicus bonorum, de hoc vase jam nomini tuo sacrato prævaleat vendicare. Omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ tuæ cœlestis extinguat; lumen vero perpetuæ castitatis accendat: facies scandalis pudica non pateat, nec incaute occasionem tribuat neglegentia d linquendi. Sitque in ea casta virginitas, et ornata pariter, et armata, fide integra, spe certa, caritate sincera, ut præparato animo, ad continentiam virtus tanta præstetur, quæ superet diaboli universa figmenta, atque contemnendo præsentia futura sectetur. Jejunia epulis carnalibus præferat, et lectiones sacras et orationes conviviis et potationibus anteponat, ut orationibus pasta et eruditionibus expleta, illuminata vigiliis opus gratiæ virginalis exerceat. His virtutum armis hanc tuam famulam interius exteriusque communiens, præsta inoffensum cursum virginitatis implere. Per.

Ad annulum dandum.

Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, ut sponsa Dei voceris si ei fideliter servieris.

Accipe signum Christi in capite, ut uxor ejus efficiaris, et si in eo permanseris, in perpetuum coroneris.

Interim dicatur antiphona: Annulo suo subarravit me Dominus meus Jesus Christus et tanquam sponsam decoravit me corona. *Sequitur benedictio.* Benedicat te conditor cœli et terræ Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad sanctæ Mariæ matris Dni nri Jhu Xpri consortium, ut integram et immaculatam virginitatem, quam professa es coram Domino et angelis ejus conserves, propositum teneas, castitatem diligas, patientiam serves, et coronam virginitatis accipere merearis. Per.

Post hæc relinquens cereos puella offerat oblationem. Iterum accipiens cereos, stat inclinata, usquedum communicet, et missa finiatur ordine suo. Postquam communicet, reservet de ipsa communione usque in diem octavum, ut inde communicet (225). *Et si est, qui ei testimonium perhibeat, mittat eam episcopus in manus suas dicens*: Videte quomodo istam Deo sacratam repræsentes immaculatam ante tribunal Dni nri Xpi.

Item missa virginum.

Tibi dixit cor meum. *Ps.* Dominus illuminatio. Da quæsumus Domine ancillæ tuæ quam virginit. *Gr.* Miserere mei Deus. ℣. Misit de cœlo. Alleluia. Lauda anima mea Dominum. *Off.* Sperent in te. *Sac.* Oblatis hostiis Domine. *Infra can.* Hanc igitur oblationem. *Benedict.* Domine Deus æterne, qui utrumque sexum de interitu perpetuæ mortis per Jesum Christum Filium tuum de Maria Virgine natum misericorditer redemisti, hanc famulam tuam devota mente tibi servientem omni benedictione spiritali benedicere dignare. Amen. Ut integram fidem habeat, et in præceptis legis tuæ semper perseveret, terrena et transitoria despiciat, æterna et invisibilia in tanta meditatione diligat. Amen. Ut in numero sanctarum virginum permanens cœlesti sponso cum lampadibus bonorum operum fiducialiter occurrere,

(225) Ritus hic dandi sacram hostiam, unde per octiduum communicet virgo, ut olim in ordinatione sacerdotali usu veniebat, præscribitur in antiquo Ordine R. variisque libris pontificalibus apud Martenium, lib. II, de antiq. Eccl. Rit., c. 6, n. 15. Ritus hic in triduanam communionem est commutatus, ut præscriptum tradit Jos. Catalanus ex mss. *Vaticano*, circ. ann. 400, t. I Comment. in Pontif. R., p. 362.

ipsi tibi præstanti mereatur. Amen. Quod ipse præstare dign. *Comm.* Notas mihi fecisti. Respice Domine famulæ tuæ. *Sermo in nat. virginum.*

Ad ancillas Dei virgines velandas, quibus conversis vestimenta mutantur.

Ancilla Dei virgo, cum ad consecrationem sui episcopi offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura, professioni et sanctimoniæ aptis. Tunc dicat hanc præfationem. Oremus fratres kmi misericordiam Domini, ut illud donum tribuat huic puellæ, quæ Deo votum vovit, vestem candidam perferre cum integritate coronæ, in resurrectione vitæ æternæ, quæ futura est nobis. Per. *Alia.* Familiam tuam Domine tuæ custodia muniat pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per.

Alia. Te invocamus Domine Pater omnipotens æterne Deus super hanc famulam tuam quæ tibi vovit servire pura mente, mundoque corde, ut eam sociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum qui virgines permanserunt, et cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non est. Et ita hanc famulam tuam facias permanere immaculatam usque in finem, per immaculatum Jhm Xpm Dnm nrm, cum quo vivis et regnas Deus in unitate Spiritus sancti. Per. *Benedictione expleta mittat episcopus velamen super caput ipsius virginis dicens.* Accipe velum sacrum puella, quod præferas sine macula ante tribunal Dni nri Ihu Xpi, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum in sæcula sæculorum amen. *Benedictio:* Benedicat te Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus in omni benedictione spiritali, ut maneas sine macula sub vestimento sanctæ Mariæ matris Dni nri Jhu Xpi. Qui viv. et reg.

CONSECRATIO VIDUÆ

QUÆ FUERIT CASTITATEM PROFESSA.

Viduæ post perfectum evangelium debent velari, quia decet eas per evangelium prædicari. Vidua autem quia soluta est a lege viri, seipsam similiter dare Deo debet et a presbytero velari, vel etiam consecratum ab episcopo velamen ipsa sibi, nec episcopus debet imponere. Presbyteris vero licet viduas velare, solis episcopis virgines.

Benedictio vestimentorum viduæ.

Visibilium et invisibilium creator Deus adesto propitius, ut hæc indumenta sanctitatis effigiem ostendentia desuper gratia tua irrigante benedicere et sanctificare digneris. Per. *Alia.* Aperi quæsumus Domine oculos majestatis tuæ ad benedicendam hanc viduitatis vestem, ut quæ in ornatis vestibus viri sui usibus placuit, in sacris indumenta benedictionis tuæ servare mereatur. Per. *Tunc agatur letania. Post letaniam sequitur hæc præfatio.* Incorruptum æternitatis Deum et inviolabilis naturæ Dominum fratres kmi suppliciter deprecemur poscentes pro Sorore nostra N. quæ corpore ac mente perfectæ continentiæ et pudicitiæ se serviturum Domino devovit, ut petenti famulæ ipse qui est judex viduarum perfectam tribuat continentiam.

Benedictio propria viduæ.

Consolare Domine hanc famulam tuam viduitatis laboribus constrictam; sicut consolari dignatus es Sareptanam viduam per Heliam prophetam. Concede ei pudicitiæ fructum ut antiquarum non meminerit voluptatum. Nesciat etiam, etc.

Alia. Da quæsumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro spe retributionis æternæ se tibi Domine desiderat consecrari, etc. *Velamen capiti suo imponat.*

Oratio post assumptum indumentum et velamen.

Famulam tuam Domine tuæ custodia muniat etc. *Alia.* Domine Jesu Christe omnium Deus, qui inter cætera virtutum documenta ad salutem nostram vigorem castitatis et pudicitiæ reparasti, te supplices exoramus, ut hanc Sororem nostram viduam ad gratiam pietatis tuæ ex corde conversam ab omnibus temptationibus inimicorum tutam defensam que custodias, et hæc capitis velamina ad interioris hominis tutamen perseverare facias. Per. *Alia.* Domine Deus virtutum cœlestium æterne dominator tibi supplices effundimus preces, ut hanc famulam tuam N. consecrare digneris, quam de pristina conversatione ad novitatem vitæ exspolians veterem hominem, et induens novum, converti fecisti, ut sicut Anna prophetissa multis temporibus viduitatis veste induta in templo gloriæ tuæ jejuniis et orationibus fideliter deservivit, sic et hæc famula tua tibi soli Deo in Ecclesia tua devota mente deserviat. Per. Deus castitatis amator. *Et reliqua.*

ORDINATIO (226) ABBATISSÆ

CANONICAM PROFITENTIS REGULAM.

In ordinatione abbatissæ episcopus debet missam cantare et eam benedicat hoc modo. Post antiphonam ad introitum et datam orationem et reliquum officium missæ usque ad evangelium prosternat se electa ante altare cum duabus vel tribus de sororibus suis fiantque ibi letaniæ. Quibus finitis benedicat eam episcopus inclinato capite dicens. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. *Sequitur orat.* Oremus. Exaudi Domine preces nostras et super hanc famulam tuam Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere dicata et tuæ gratiam majestatis possit acquirere et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dnm nrm Jhm Xpm qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti.

Alia. Omnipotentiam tuam humiliter imploramus Domine ut super hanc famulam tuam, quam ad sacrum ordinem assumere dignatus es, benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam sanctificationis tribuas, ut quod te donante percipit, te protegente illæsum custodiat. Per. *Et prosequatur*

(226) Hac voce jam ad rem usus est S. Gregorius M., lib. VI Reg., ep. 22, ad Respectam abbatissam Massiliensem scribens, in hæc verba : « Non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur, quam tamen, si digna hoc monasterio judicata fuerit, ejusdem loci episcopus ordinet. »

istam orationem in modum præfationis. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus adesto precibus nostris, adesto votis, adesto famulatibus, adesto consecrationibus, qui omnia per verbum virtutis tuæ mirabiliter dispensas, et dispensanda ministras. Qui diversis floribus tuam semper exornas Ecclesiam, dum eam et virorum exemplis, et illustrium feminarum irradias institutis. Qui etiam de infirmiori sexu hanc famulam tuam servitutis tuæ applicare dignatus es famulatui. Effunde quæsumus Domine super hanc famulam tuam, quam in officium divinum fideliter dedicamus, gratiam sancti Spiritus, ut tibi omni tempore ejus servitiis dignanter compleat, eamque dextera potentiæ tuæ benedicere et sanctificare sive consecrare digneris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministrationis sibi creditæ fideli... exequatur, et ejusdem sancti Spiritus septiformis gratiæ virtute corroboretur. Requiescat ergo super eam Domine Spiritus sapientiæ et pietatis, ac repleas eam Spiritu timoris tui. Concede quoque ei gravitatem actuum, censuramque vivendi, ut in lege tua die ac nocte meditetur. Mandata tua custodiat, dictis tuis obediat, sacris lectionibus insistat, terrena et transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat. Omnem libidinem pravæ voluptatis superet, amorem honestæ castitatis teneat, ut tibi sponso venienti cum lampadibus suis inextinguibilibus possit occurrere, et præcedentium virginum choro jungi, et ne cum stultis excludatur regalem januam cum sapientibus licenter introeat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritalis observantia disciplinæ in moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut tuæ castitatis exemplo cunctis sibi subditis imitationem præbeat puram, et bonum conscientiæ testimonium ostendens in Christo Jesu firma et stabilis perseveret atque ita perceptum ministerium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem, te donante, pervenire mereatur. Per eundem Dnm nrm. *Tunc det ei regulam dicens:* Accipe regulam sanctæ conversationis simulque gratiam divinæ benedictionis, et cum per hanc cum grege tibi credito in districti judicii die Domino incontaminata repræsentari valeas, ipse te adjuvare dignetur, qui cum Deo Patre vivit.

Sequitur oratio.

Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam præcinente cum cæteris mulieribus inter equoreas undas cum tympanis et choris lætam ad litus maris venire fecisti, te supplices deprecamur pro fideli famula tua, quæ hodie materna, in cathedra super universas subditas sibi abbatissa constituitur, ut ita canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum angelis canens cantica nova, sequatur agnum quocunque ierit Xpm Dnm nrm. Famulam tuam quæsumus Domine tua semper gratia benedicat, et inculpabilem ad vitam perducat æternam. Per. *Quodsi ordinatio in domo sua facta fuerit imponatur* Te Deum laudamus. *Populo acclamante* Kyrie eleison. *Postea dicatur hæc oratio pro adepta dignitate.* Omnium Domine fons bonorum, justorumque profectuum munerator, tribue quæsumus famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per. *Item si alibi consecrata fuerit, regressæ ad monasterium omnis chorus virginum honorifice procedat ei obviam cum crucibus, aqua benedicta, incenso et evangelio, et in ipso eodem introitu imponant* Te Deum laudamus, *turba acclamante* Kyrie eleison, *et presbytero prosequente orationem ut supra.* Omnium Domine fons bonorum.

ORDINATIO ABBATISSÆ

MONASTICAM REGULAM PROFITENTIS.

Capitulum ex canone Theodori archiepiscopi Anglorum.

(Ex cod. monast. Murensis olim monasterii in Nidermunster Ratisb. sæc. XI *circ.*)

In ordinatione Abbatissæ episcopus debet missam celebrare, et eam benedicere hoc modo.

Post antiphoniam ad introitum, et datam orationem, et reliquum officium missæ usque ad evangelium, prosternat se electa ante altare retro episcopum, fiantque ibi lætaniæ, sequitur Pater noster *cum precibus istis:* Salvam fac ancillam tuam Domine. Deus meus.

Dominus conservet eam, et vivificet eam.

℟. Et beatam faciat eam in terra.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum. ℟. Ex hoc nunc.

Dominus custodiat te ab omni malo.

℟. Custodiat animam tuam Dominus.

Mittat tibi auxilium de sancto. ℟. Et de Sion.

Esto illi turris fortitudinis. ℟. A facie.

Exurge Domine adjuva nos. ℟. Et libera nos.

Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor.

Precibus istis finitis benedicat eam episcopus inclinato capite ita dicens:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Sequitur ista Oratio.

Concede quæsumus omnipotens Deus affectui nostro miserationis effectum, et famulam tuam, quam ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra devotione placeamus. Per Dnm nrm Jesum Chrm

Alia. Cunctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas Ecclesias præpositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, te devotis mentibus exoramus, ut hanc famulam tuam N. quam cohibentia et electio famularum tuarum abbatissam hodie famularum tuarum instituit, protectionis tuæ gratia munire digneris, sicque regere subditas, commendatasque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cœlorum adepta, et Domino opitulante apostolicis jugiter fulta doctrinis cum fructu centesimo læta introeat portas

paradysi, atque te conlaudante Domine audire mereatur : Euge ancilla bona, et fidelis, quia in pauco fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Quod ipse præsta.

Tunc imponit ei manum super caput (22) *dicens orationem hanc in modum præfationis.*

Omnipotens sempiterne Deus benedictionis tuæ Spiritum N. orantibus nobis propitiatus infunde, ut quæ per manus hodie impositionem abbatissa constituitur, sanctificatione tua digne a te electa permaneat, ut nunquam postmodum de tua gratia separetur indigna. Suscipiat te Domine largiente hodie in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulatione tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina vigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderantiam, in moribus doctrinam. Te munerante Domine talis in hoc ministerio, qualis levita electus ab apostolis sanctus Stephanus meruit perseverare. Totam ab hodie diabolicam conversationem despiciat, tua Domine benedictione largiente contempnat presentia, diligat cœlestia, præmia desideret sempiterna. Sit exemplum, et forma justitiæ ad gubernandam, regendamque Ecclesiam fideliter, ut speculatrix idonea inter suas collegas semper efficiatur, sit magni consilii, industriæ, censuræ, efficatiæ, disciplinæ. Ita te Domine tribuente in omnibus mandatis tuis sine reprehensione tibi mundo corde deserviat, ut ad bravium supernæ vocationis multiplicato fœnore cum centesimo fructu, coronaque justitiæ ad cœlestium thesaurorum dona tua perveniat. Per.

Tunc det ei regulam dicens :

Accipe regulam a sanctis Patribus nobis traditam, ad regendum custodiendumque gregem tibi a Domino creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, ac fragilitas humana permiserit.

Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam præeuntem cum cæteris mulieribus inter æquoreas undas cum tympanis et choris lætam ad litus maris venire fecisti, te supplices deprecamur pro fideli famula N. quæ hodie materna in cathedra super universas subditas sibi abbatissa constituitur, ita canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum illis omnibus introeat læta, ibique exultans cum angelis canens cantica nova sequatur agnum quocunque ierit. Per.

Concede quæsumus omnipotens Deus famulæ tuæ abbatissæ, ut ostendendo et exercendo, quæ recta sunt, exemplo bonorum operum animas suarum instruat subditarum, et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo percipiat. Per.

Omnium Domine fons bonorum, justorumque provectuum remunerator, tribue famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Dnm nrm.

Quodsi ordinatio abbatissæ infra monasterium facta fuerit, imponatur Te Deum laudamus : *populo acclamante* Kyrie eleison. *postea dicatur hæc oratio post adeptam dignitatem.*

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da famulæ tuæ N. prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Si alibi consecrata fuerit abbatissa, regressæ ad monasterium omnis chorus monacharum honorifice præcedat cum crucibus, aqua benedicta, incenso, et evangelio, et in ipso ecclesiæ introitu imponatur Te Deum laudamus, *turba clamante* Kyrie eleison, *et presbytero prosequente orationes ut supra :* Deus, cui omnis potestas, etc.

CONSECRATIO SACRÆ VIRGINIS,

QUÆ IN EPIPHANIA, VEL IN SECUNDA FERIA PASCHÆ, ET IN NATALICIIS APOSTOLORUM CELEBRATUR.

Omnes, qui ad sacros ordines debent promoveri, ante pronuntiationem evangelii debent consecrari. Virgines post lectum evangelium debent velari, post evangelium, et dictam ea prostrata lætaniam inclinato capite ante altare benedicat eam episcopus dicens :

Respice Domine super hanc famulam tuam N. ut virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per.

Consecratio in modum præfationis.

Deus castorum corporum benignus habitator et incorruptorum amator cordium. Deus qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude viciatam ita in verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in novo seculo sunt habenda perducas, et obstrictos conditione mortalium ad similitudinem provehis angelorum, respice super hanc famulam tuam, quæ in manu tua propositum continentiæ suæ collocans votum, tibi devotionem suam offert, a quo etiam idem votum assumpsit, quando animus mortali carne circumdatus legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos ætatis vinceret, nisi tu per liberum arbitrium hunc amorem clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in ejus corde clementer aleres, tu fortitudinem ministrares, effusa in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quæ est sub cœlo, in stellarum innumerabilem numerum novi testamenti heredibus ad-

(22.) Notavimus in disquisit. 5, p. II, c. 4, n. 11, locum ex pontificali Christiani archiep. Moguntini, ubi postquam *in consecratione abbatis* memorata hac manus impositione additur : *Sed in ejus benedictione hoc non fit ;* unde facile inducti fuimus, ut crederemus eum distinxisse hic consecrationem ordinis episcopalis, quæ alicubi abbatibus fuit impensa, a simplici benedictione abbatum et abbatissarum, de qua hic ac postea etiam res agitur, ubi idem ritus præscribitur in consecratione, *quando abbas vel abbatissa ordinantur in monasterio.*

optatis, inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de tuo Spiritu genitis indidisti. Etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cum nuptiarum honorem nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium initialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animæ, quæ viri ac mulieris copulæ fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur, quod nuptiis agitur, sed diligerent, quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, æmula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est filius. Imploranti auxilium tuum Domine, et confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupienti, da protectionis tuæ munimen et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis ad execandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis serpat incuriam et rapiat de proposito virginum, quod moribus decet inesse nuptarum. Sit in ea Dne per donum Spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas, in caritate ferveat, et nihil extra te diligat, laudabiliter vivat, laudarique non appetat. Te in sanctitate corporis, te in animæ suæ glorificet studiis, amore te timeat, amore te diligat, amore tibi serviat.

Tu ei sis honor, tu gaudium, tu voluptas, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate habundantia in jejunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetit super omnia, et quod est professa custodiat, scrutatori pectorum non corpore placitura, sed mente. Transeat in numerum sapientium puellarum, ut cœlestem sponsum accensis lampadibus cum oleo præparationis exspectet, ne turbata improvisi regis adventu, sed secura cum lumine, et præcedentium virginum choro jocanter occurrat, et ne excludatur cum stultis, regalem januam cum sapientibus virginibus licenter introeat, et agni tui perpetuo comitatu probabilis mansura castitate permaneat.

Benedictione expleta episcopus mittat velamen super caput ipsius virginis dicens :

Accipe velum sacrum puellæ, quod perferas sine macula ante tribunal Christi, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum, in secula seculorum.

Tunc cantetur a circumstantibus ad singulas antiphona.

Induit te Dominus cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit te.

Oratio post assumptum velamen.

Famulam tuam Domine custodia muniat pietatis, ut continentiæ sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illesum custodiat. Per.

Sequitur Antiphona. Ipsi sis desponsata, cui an. etc.

Da quæsumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua N. quæ pro spe retributionis æternæ tibi Domino desiderat consecrari, plena fide, animoque in sancto proposito permaneat. Tu omnipotens Pater sanctificare, et benedicere, in perpetuum conservare digneris, tribue ei humilitatem, castitatem, obedientiam, caritatem, et omnium bonorum operum quantitatem. Da ei Domine pro operibus gloriam, pro pudore sanctitatem, ut ad meritum gloriæ possit pervenire. Per.

Tunc cantetur a circumstantibus. Posuit signum in faciem tuam, ut nullum præ, etc.

Deus plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, non sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed creator equalis es et redemptor, tu hanc famulam tuam, quam ex omni numero gregis bonus pastor elegere ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis et castitatis animæ dignatus es, tuæ protectionis scuto et ad omne opus virtutis, et gloriæ magistrante sapientia præpara, ut vincens carnis illecebras, et licita connubia recusans, insolubilem tui Filii Domini nostri Jesu Christi copulam mereatur. Huic petimus Domine arma suggeras non carnalia, sed spiritus virtute potentia ut te muniente ei sensus et membra ab omnibus conserventur peccatis, et sub tua gratia vivere cupienti nihil sibi inimicus bonorum de hoc vase nomini tuo consecrato prævaleat vendicare. Omnem genuinum calorem ymber cœlestis gratiæ extinguat, lumen perpetuæ castitatis accendat, facies scandalis pudica non pateat, ne incaute occasionem tribuat negligentia delinquendi. Sit in ea casta virginitas, ornata fide integra, spe certa, caritate sincera, ut præparato animo ad continentiam virtus tanta præstetur, quæ superet universa figmenta diaboli. Contempuendo præsentia sectetur futura, carnalibus epulis jejunia præferat, sacras lectiones et orationes conviviis et potationibus anteponat, ut orationibus pasta, illuminata vigiliis virginalis gratiæ opus exerceat. His virtutum armis hanc tuam famulam interius exteriusque communiens præsta inoffensum cursum virginitatis implere. Per Dnm.

Ad annulum dandum.

Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, ut sponsa Dei voceris, si ei fideliter servieris. Per.

Ad torquem.

Accipe signum Christi in capite, ut uxor ejus efficiaris, et si in eo permanseris, perpetuo coroneris. Per Dnm.

Interim dicatur antiphona : Annulo suo subarravit.

Sequitur Benedictio.

Benedicat te conditor cœli et terræ Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi consortium, ut integram et immaculatam virginitatem, quam professa es, coram Domino et angelis ejus conserves, propositum teneas, castitatem diligas, patientiam serves, coronam virginitatis accipere mereris. Per.

Post hæc relinquit puella cereos, offerat oblat. ite-

rum accipiens cereos, stet dum communio et Missa finiatur. Usque in octavam diem communicet. Si est, qui ei testimonium perhibuerit, mittat eam Episcopus in manus suas dicens :

Vide quomodo istam Deo sacratam representes immaculatam ante tribunal Domini nostri.

BENEDICTIO ET ORATIO AD MONACHAS FACIENDAS.

Dignare Domine quesumus famulabus tuis (famulæ tuæ) renuntiantibus secularibus pompis gratiæ tuæ januas aperire, quæ despecto diabolo confugiunt sub titulo Christi, et venientes ad te sereno vultu suscipe, ne de eis valeat inimicus triumphare, tribue eis infatigabile brachium auxilii tui, mentem earum fidei lorica circumda, ut felici muro vallatæ mundum se gaudeant evasisse. Per.

Alia. Clementissime Deus tuam invocamus pietatem, ut has famulas tuas, quas a seculo conversas in numero Sanctorum tuorum accersere dignatus es, quesumus, ut conversionis suæ fidem digne custodiant, et quidquid pro salute animarum suarum deprecatæ fuerint, obtineant. Sint vita probabiles, sint sapientes et humiles. Scientia veræ, obedientia claræ, convenientes in doctrina, in increpationibus immobiles, in gravitate decoræ, in passione piissimæ, in operatione cautæ, in dispensatione sollicitæ, in temptatione fortes, in injuriis patientes, in pace fixæ, in elemosinis promptæ, in orationibus frequentes, in misericordia efficaces, nec sint immemores, quod tuo judicio judicandæ sint. Harum deprecamur Domine ut munera placatus suscipias, et quicquid a te petierint, clementer impertias. Per.

Omnipotens et misericors Deus totius sanctæ religionis origo, omni profitenti tibi vitæ salvatio, suscipe professionem famularum tuarum, quæ de hujus seculi vanitate ad te confugiunt, sint quesumus te adjuvante ab omni negotiorum secularium strepitu exutæ, ab antiqui hostis insidiis creptæ, mortuæ huic mundo, remotæ ab omnibus pravorum retinaculis. Doce eas Domine omnia hujus vitæ prospera contempnere, non timere adversa, non inferre injurias, sed æquanimiter tolerare, inimicos diligere, pro persequentibus, et calumniantibus suppliciter deprecari, nil concupiscere carnaliter, non eas superbia inflet, non ardor avaritiæ succendat, non incentiva luxuriæ inflamment, non vana gloria turpiter jactet, non gula aut ebrietas eas præpediat, non ambitio ventosa præcipitet, non ardor animosæ contentionis exagitet, non desiderium humanæ opinionis elevet, non diabolus auctor perditionis ledat, aut perdat, sed tuæ pietatis dextera clementissime Deus a cunctis eruat malis, et in futuro seculo protegat, regat, ac gubernet. Te timeant, imitentur, diligant. Aperi eis sensum, ut divinarum studiis litterarum te legant corde, ore, opere meditentur, intelligant, die noctuque tibi deserviant, cœlestia et æterna sapiant, terrena et caduca respuant, obedientes sint et instructæ, amicos et inimicos pro tui nominis amore ament et diligant, humilitatem et utilitatem teneant, exerceant. Castitatem et pudicitiam corde, ac corpore teneant. Patientiam et longanimitatem arripiant, et custodiant. Jejunio, et abstinentiæ studeant, et ament, gemitum et orationem desiderent ac invigilent. Peccata sua incessanter cum lacrimis et suspiriis accusent, et diluant. Te Deum omnipotentem corde, ore, opere circumferant.

Suscipe quesumus sancte Pater omnipotens has famulas tuas, quas de hujus seculi naufragiis et periculis eruisti, ad monasticam vocare dignatus es gratiam. Concede propitius, ut arctam et angustam, quam professæ sunt, viam jugiter diligant, sectentur, quatenus ad æternam, quam in te perseverantibus promittere dignatus es, gloriam pervenire mereantur. Per Dnm.

PROFESSIO REGULARIS.

Ego soror N. ab hodierna die et deinceps monacha promitto stabilitatem hujus vitæ, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum regulam sancti Benedicti abbatis, quantum me humana fragilitas permittit, coram Deo et sanctis ejus, et presente abbate. EIBIKA.

Tunc prosternantur ante altare, et dicant hunc versum :

Suscipe me Domine secundum eloquium tuum et vivam, et non confundas me ab expectatione mea. *Et tertio repetatur ab omnibus, subjungentes* Gloria Patri, *et illis jacentibus sequatur letania et preces :*

Salvas fac ancillas tuas Domine Deus meus.
Dominus custodiat eas ab omni malo.
Mitte eis Domine auxilium de sancto.
Nihil in eis proficiat inimicus. Et filius.
Esto eis Domine turris fortitudinis. A facie.
Exurge Domine adiu.

Tunc aspergantur aqua benedicta vestimenta, et sequatur ista oratio :

Exaudi quesumus omnipotens Deus preces nostras, et has vestes, quas famulæ tuæ ad operiendum exposcunt, uberrimæ benedictionis ymbre perfunde, sicut perfudisti ora vestimentorum Aaron benedictione perfluenti a capite in barbam ungenti, et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eas benedicere dignare, ac præsta quesumus Domine, ut supradictis famulabus tuis hæc sint vestimenta salubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc inicium sanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robusta defensio. Per.

Deus qui vestimentum salutare, et indumentum æternæ jocunditatis tuis fidelibus promisisti, te suppliciter exoramus, ut hæc indumenta mortificationis humilitatem cordis, et contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ sancto invisibiliter sunt informandæ proposito, propitius benedicas, et monasticæ religionis habitum, quem te inspirante susceperint, te protegente custodiant. Per

Alia. Deus bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hæc vestimenta, quæ famulæ tuæ pro signo

conservandæ regulæ se ad induendum exposcunt, benedicere et sanctificare digneris. P.

Alia. Adesto Domine supplicationibus nostris et has famulas tuas benedicere digneris, quibus in tuo sancto nomine habitum sanctæ religionis imponimus, ut te largiente devote in monasterio persistere, et vitam percipere mereantur. Per.

Da quæsumus Domine famulabus tuis indulgentiam delictorum suorum, quatenus de omnibus, quæ carnali delectatione, vel animi cogitatione, aut vana hujus seculi ambitione contra tuorum rectitudinem mandatorum perfecerunt, in presenti vita perseverantes in regulari actione, veniam æternam percipere mereantur. Per.

Tunc exuantur vestimentis suis, et induantur rebus monasterii, et dicatur :

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, et induat te novum hominem, qui secundum Deum est creatus in justitia et sanctitate veritatis.

Tunc respondeant omnes : Amen, *et ipse oblat. offerant.*

MISSA EODEM DIE PRO IPSIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui arctam et angustam viam jussisti arripere, famulas tuas de hujus seculi periculis ad te confugientes propicius suscipe, et delictorum pœnam, qua se districtas sentiunt esse pie disrumpe, perseverantiam boni operis et præmia perpetua largire. Per.

Præfatio.

VD. *usque* æterne Deus tuam deprecamur clementiam, ut famulas tuas, quas hodierna die a mundiali contagione abstrahere et ad monasticæ religionis professionem vocare dignatus es, protegas, quibus donasti bonæ voluntatis exordium, tribuas rectæ operationis perseverantiam, et sempiternæ beatitudinis præmium. Per.

Ad Commun.

Hæc nos quæsumus Domine divini sacramenti perceptio a nostris emundet offensis, et famulas tuas a mundanis pravitatibus, et omnium tumultuum carnalium delectationibus clementer eruat. Per.

Alia. Famulas tuas Domine quæsumus custodia tuæ pietatis mundet et muniat, ut virginitatis sanctæ propositum, quod mente susceperunt, te protegente illæsum custodiant in æternum. Per

Alia. Famulas tuas quæsumus Domine tua dextera benedicat, et inculpabiles ad vitam æternam perducat. Per.

ORDINATIO ABBATIS.

Ex Canone Theodori.

(*Ex cod. Vind. Th.* 359, *sæc.* X *vel* XI.

In ordinatione abbatis debet episcopus missam celebrare, et eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus suis, et dat ei baculum et pedules. Post antiphonam ad Introitum, et datam orat. annuntiat episcopus in populum, dicens allocutionem.

Ecclesiæ nostræ fratres kmi, pater electus suum adest ordinem ad suscipiendum. Unde apostolica prius eum censemus auctoritate examinandum, suum propositum, et sancti Benedicti regulam si velit ipse observare, sibique subjectos, ut idipsum faciant, diligenter instruere, res quoque ecclesiæ ubique locorum hactenus dispersas injuste, quantum prævalet congregare, easque in usus ecclesiæ et fratrum pauperum etiam, et peregrinorum observare, sicque dignum esse, ad ordinem accedere. *Eo autem profitente pro viribus hæc adimplere, prosternat se episcopus ante altare, et abbas sacris vestibus indutus. Fiant ibi letaniæ. Sequitur.* Pater noster. *Preces.*

Salvum fac servum tuum Domine. Deus meus sperantem in te.

Dominus conservet eum et vivificet eum. Et beatum faciat.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum. Ex hoc nunc.

Dominus custodiat te ab omni malo. Custodiat animam.

Mittat tibi auxilium de sancto. Et de Sion tueatur.

Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis.

Esto illi Domine turris fortitudinis. A facie inimici.

Exurge Domine adjuva eum. Et redime eum.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus.

Sequitur oratio.

Concede quæsumus omnipotens Deus affectui nostro tuæ miserationis effectum, et famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

Tunc det ei regulam dicens.

Accipe regulam a sanctis Patribus nobis traditam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, ac fragilitas humana permiserit. Per.

Tunc det ei baculum dicens.

Accipe baculum pastoralem, quem præferas catervæ tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis et correptionis.

CONSECRATIO.

QUANDO ABBAS VEL ABBATISSA ORDINANTUR IN MONASTERIO.

Cunctorum bonorum operum institutor, etc. *Tunc imponat ei manum super caput dicens hanc orationem in modum Præfationis* (228). Omnipotens sempiterne Deus affluentem spiritum, etc. Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum, quem ecclesiæ tuæ præesse voluisti propitius respice; da

(228) Vid. quæ paulo ante de hac manus impositione, ac voce ordinationis de benedictione abbatissæ notavimus, quæ vox ex usu regulæ S. Benedicti adhibetur, quando de benedictione abbatissæ vel abbatis agitur. De ea ab episcopis impensa abbatibus sæc. XI meminit S. Anselmus, lib. II, ep. 42, p. 358, epist. 52, p. 261.

ei quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam unacum grege sibi commisso perveniat sempiternam. Per.

Oratio adepta dignitate.

Omnium fons Domine bonorum etc. Deus cui omnis potestas etc. *Sequitur* Te Deum laudamus *populo acclamante* Kyrie eleison. *Postea dicit orationem :* Deus æternè lucis inventor, omnipotentiam tuam supplici prece deposcimus, ut famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequaris, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per unigenitum tuum Dum nrm Ihm Xpm, cum quo et Spiritu sancto unus et verus es Deus, qui vivis et regnas per omnia sæcula.

MISSA PRO ABBATE.

Protector noster aspice Deus. *Ps.* Quam dilecta tabernacula. *Missa* (229). Concede quæsumus Domine famulo abbati, ut prædicando et exercendo, quæ recta sunt exemplo bonorum operum animos suorum instruat subditorum, æternæ remunerationis mercedem a te piissimo pastore percipiat. Per.

Secreta. Munera quæsumus nostra Domine suscipe placatus, et famulum tuum N. semper ubique misericorditer protege. Per.

Benedictiones. Benedicat te Deus cœli, adjuvet te Christus Filius Dei, corpus tuum in servitio suo custodire et conservare dignetur. Amen. Mentem tuam illuminet, sensum tuum custodiat, gratiam suam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat. Amen. Ab omni malo te liberet, dextera sua defendat, et qui Sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvet, et ad cœlestia regna perducat. Amen.

Ad Complendum.

Hæc nos Domine communio purget a crimine, et famulum tuum benigna pietate conservet. Per.

ORDO AD REGEM BENEDICENDUM.

INCIPIT ORDO AD REGEM BENEDICENDUM, QUANDO NOVUS A CLERO ET POPULO SUBLIMATUR IN REGNUM.

(Ex cod. Vindobon. theol. 277. sæc. XII vel XIII.)

Primo exeunte illo de thalamo unus episcoporum imponat orationem. Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum regni fastigio dignatus es sublimare ; tribue quæsumus ei, ut in hujus sæculi cursu cunctorum in commune salutem disponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

Postea suscipiant illum duo episcopi dextra levaque ejus honorifice parati habentes Sanctorum reliquias collo pendentes, cæteri autem phaphones (230) *sint casulis adornati præcedente sancto evangelio, et duabus crucibus cum incenso boni odoris ducant illum ad ecclesiam canentes antiphonam istam altis clamoribus* Ecce mitto Angelum. *Cum versu*, Israel si me audieris. *Ad ostium ecclesiæ clerus subsistat, et archiepiscopus imponat orationem subsequentem.* Deus qui scis genus humanum nulla virtute posse subsistere, concede propitius, ut famulus tuus, quem populo tuo voluisti preferri, ita tuo fulciatur adjutorio quatenus quibus potuit præesse, valeat prodesse. *Introeuntes autem præcedentes clerici, decantent antiphonam* Domine salvum fac regem. *Usque in introitum chori. Tunc episcopus metropolitanus dicat orationem.* Omnipotens sempiterne Deus cœlestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum ad regni fastigium dignatus es provehere, concede quæsumus, ut cunctis adversitatibus liberatus, et ecclesiasticæ pacis dono muniatur, et ad æternæ pacis gaudia, te donante, pervenire mereatur. Per.

Ibi autem ante chorum designatus princeps pallium et arma deponat, atque inter manus episcoporum perductus in chorum usque ad altaris gradus incedat ; cunctoque pavimento tapetibus et palliolis contecto, ibi humiliter totus in crûce prostratus jaceat una cum episcopis et presbyteris hinc inde prostratis, cæteris in choro letaniam breviter psallentibus, id est duodecim apostolos, ac totidem martyres, confessores, et virgines. Et inter cætera inferenda sunt ista, quæ secuntur. Ut istum famulum tuum N. in regem eligere digneris. *Te rogamus audi nos.* Ut eum benedicere et sublimare digneris. *Te rog.* Ut eum ad imperii fastigium perducere digneris. *Te rogamus. Sublatus autem princeps ab episcopo metropolitano hoc modo interrogetur* (231). Vis fidem sanctam a catholicis viris tibi traditam tenere, et operibus justis observare. ℟. Volo. Vis sanctis ecclesiis, ecclesiarumque ministris tutor et defensor esse. ℟, Volo. Vis regnum tibi a Deo concessum secundum justitiam patrum tuorum regere et defendere.

(229) Singulare est hic missæ nomen pro collecta seu oratione.

(230) Sic theotisce olim dicebantur *Phaphen*. In charta e. c. vernacula fundationis monasterii *Weingartensis* anni 1090. « Welf Gotes gnaden Herzoge « von Nornegouve entbietet allen fürsten, grauen « unde friegen phaphen. » Videtur derivanda hæc vox nostra *Pfaff* ex Græco vocabulo papa, duriore *Germanorum* pronuntiatione ac contractione quadam veluti *Kyrch* dicimus ex Græco κυριακὸν, *priester* πρεσβύτερος, veluti sunt alia vocabula ecclesiastica Græcæ originis, quæ argumento sunt a *Græcis* primam apud nos fidei sementem factam, ut t. I Disquis. 1, ostendimus. Phaphones autem honoratiores fuisse ex clero hic locus manifestat, cum jam nomen *pfaff* probro accipi soleat.

(231) Eædem interrogationes in antiquo Ordine Rom. habentur.

℣. Volo. Volo, et in quantum divino fultus adiutorio ac solatio omnium suorum valuero, ita me per omnia fideliter acturum esse promitto. *Deinde ipse domnus metropolitanus affatur populum his verbis.* Vis tali principi ac rectori te subiicere, ipsiusque regnum firmare, firma fide stabilire, atque jussionibus illius obtemperare juxta apostolum : omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit regi quasi præcellenti. ℣. Volo. *Tunc ergo a circumstante clero et a populo unanimiter dicatur.* Fiat. Fiat. Amen.

Postea vero, eo devote inclinato capite dicatur ab uno episcopo. Benedic Domine hunc regem nostrum, qui regna omnia moderaris a sæculo, et tali eum benedictione glorifica, ut Davidicæ teneat sublimitatis sceptrum, et glorificatus in ejus protinus recipiatur merito. Da ei Domine tuo spiramine cum mansuetudine ita regere populum sicut Salomonem regnum obtinere pacificum. Tibi semper cum timore sit subditus, ubique militet cum quiete. Sit tuo clypeo protectus cum proceribus, et ubique tua gratia victor existat. Honorifica eum præ cunctis regibus gentium. Felix populis dominetur, et feliciter eum nationes adornent. Vivat inter gentium catervas magnanimus, sit in judiciis æquitatis singularis, locupletet eum prædives dextera, frugiferam obtineat patriam, et ejus liberis tribuas profutura. Præsta ei prolixitatem vitæ per tempora, et in diebus ejus oriatur justitia, ac robustum teneat regiminis solium, et cum iocunditate et lætitia æterno glorietur in regno. Per.

Oratio (252).

Omnipotens sempiterne Deus creator omnium, imperator angelorum, rex regnantium, Dominusque dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, et Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti ; respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, et super hunc famulum tuum N. quem supplici devotione in regem elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica eumque dextera tuæ potentiæ semper et ubique circumda, quatinus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, et per tramitem justitiæ in offenso gressu semper incedat, ecclesiamque tuam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat, ac doceat, muniat ac instruat, contraque omnes visibiles et invisibiles hostes eidem potenter, regaliterque tuæ virtutis regimen administret, et ad veræ fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut horum populorum debita subiectione fultus condigno amore glorificatus ad paternum decenter solium tua miseratione conscendere mereatur. Tuæ ergo protectionis galea munitus, et scuto insuperabili jugiter protectus, armisque cœlestibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ infidelibus inferat et pacem tibi militantibus lætanter reportet per Dnm nrm qui virtute sanctæ crucis tartara destruxit, regnoque diaboli superato ad cœlos victor ascendit, in quo omnis potestas, regum consistit victoria, qui est gloria humilium et vita, salusque populorum. Qui tecum.

Deinde ab altero episcopo hæc dicatur oratio. Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahæ prælegisti reges sæculis profuturos tum præsentem regem hunc cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum uberi benedictione locupletata, et in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum sicut visitasti Moysen in rubo, Jesu Nave in prœlio, Gedeon in agro, Samuelem in templo, et illa eum benedictione siderea, ac rore sapientiæ tuæ perfunde, quam David in psalterio, Salomon filius eius, te remunerante percepit e cœlo. Sis ei acies contra inimicos, lorica in adversis, galea in prosperis, patientia in protectione, clypeus eius sempiternus, et præsta, ut gentes illi (illius) teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem. Et ita populus iste sub eius imperio pullulet coaluus (*an* coalitus ?) benedictione æternitatis, ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipse præstare dignetur, qui tecum vivit.

Tunc ab episcopo metropolitano unguantur manus de oleo sanctificato. Unguantur manus istæ de oleo sanctificato, unde fuerunt uncti reges et prophetæ, et sicut unxit Samuel David in regem, ut sis benedictus, et constitutus rex in regno isto super populum istum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum ac gubernandum. Quod ipse præstare. Prospice omnipotens Deus hunc gloriosum regem ill. serenis obtutibus, et sicut benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, sicut illum largis benedictionibus spiritualis gratiæ cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare, atque profundere dignare. Tribue ei Domine de rore cœli, et de pinguedine terræ habundantiam frumenti, vini et olei, et omnium frugum per tempora, ut illo regnante sit sanitas corporum in pata (patria), pax inviolata sit in regno, et dignitas gloriosa regalis palatii maximo splendore regiæ potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissima clarescat, atque splendore quasi splendidissima fulgore maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriæ, et consolator ecclesiarum, atque cœnobiorum

(252) In pontificali Rom. hæc oratio contractior est quam hic, in antiquo Ordine Romano, cod. Ratoldi, etc. apud Hug. Menardum inscripta *consecratio regis*, quod ad eam ungeretur rex. Plura in eamdem orationem notat laudatus Menardus, pag. 401, etc.

sanctorum maxima cum pietate regalis munificentiæ : atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium ad opprimendas rebelles et paganas nationes. Sitque suis inimicis satis terribilis permaxima fortitudine regalis. Optimatibus quoque ac præcelsis, proceribusque ac fidelibus sui regni sit magnificus et amabilis et pius, ut ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur, regnum hoc totum regere, et post gloriosa atque felicia huius vitæ præsentis gaudia sempiterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipse.

Postea vero a pontifice metropolitano ungnantur de oleo sanc ificato caput, pectus, et scapulæ ambæ compages. Unguo te in regem de oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (233). Spiritus sancti gratia humilitatis nostræ officio in te descendat copiosa, ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali pinguescis exterius oblitus, ita eius invisibili unguine delibutus impinguari merearis interius, eiusque spiritali unctione perfectissime semper imbutus, et illicita declinare tota mente, et spernere discas seu valeas, et utilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Dno nro Ihu Xpo, qui cum Patre. *Deinde dicatur oratio.* Deus qui es iustorum gloria, et misericordia peccatorum, qui misisti Filium tuum preciosissimo sanguine suo genus humanum redimere : qui conteris bella, et propugnator es omnium in te sperantium, et sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut præsentem famulum tuum N. in tua misericordia confitentem in præsenti sede regali benedicas, eique propitius adesse digneris, ut qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eum Domine beatum esse et victorem de inimicis suis. Corona eum corona iustitiæ et pietatis, ut ex tota mente in te credens, tibi deserviat, sanctam tuam Ecclesiam defendat, et sublimet, populumque a te sibi commissum iuste regat. Nullus insidiantibus malis in iniustitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc unctionis oleum, unde unxisti reges et prophetas : quatinus iustitiam diligens per tramitem familiariter iustitiæ, populum ducens, post peracta a te disposita in regali excellentia annorum curricula pervenire ad æterna gaudia mereatur. Per.

Alia. Deus Dei Filius Iesus Christus Dnus nr qui a Patre oleo exultationis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacræ unctionis infusionem Spiritus sancti Paraclyti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat : quatinus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno iustis moderaminibus exsecutio (*f.* exsecuto, exsecutus), æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit et glorificatur cum Deo Patre in unitate Spiritus per omnia.

Postea ab episcopis ensem accipiat, et cum ense totum sibi regnum fideliter ad regendum secundum supradicta verba sciat esse demandatum dicente metropolitano pontifice. Accipe gladium per manus episcoporum licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum apostolorum consecratas tibi regaliter impositum, nostræque benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum : et esto memor, de quo Psalmista prophetavit dicens : Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, ut in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, et molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes, atque protegas, nec minus sub fide falsos quam christiani nominis hostes (234) execres ac destruas, viduas ac pupillos clementer adiuves ac defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris iniusta, confirmes bene disposita : quatinus hæc in agendo virtutum triumpho gloriosus, iustitiæque cultor egregius, cum mundi Salvatore, cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare. Qui cum Deo.

Accinctus autem ense similiter ab illis armillas et pallium et annulum accipiat illis dicentibus. Accipe dignitatis annulum et per hunc in te catholicæ fidei cognosce signaculum, quia ut hodie ordinaris caput et princeps regni ac populi, ita perseverabilis auctor, ac stabilitor christianitatis et christianæ fidei, ut felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris, per eum cui est honor, gloria in sæcula.

Postea vero sceptrum et baculum accipiat dicente sibi metropolitano : Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, et terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapsis manum porrigere, disperdasque superbos, et releves humiles, et aperiatur tibi ostium Ihs Xps Dns nr, qui de semetipso ait : Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur, et ipse, qui est clavis David et sceptrum domus Israel : qui aperit et nemo claudit, qui claudit et nemo aperit. Sitque auctor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentemque in tenebris et umbra mortis, et in omnibus sequi merearis eum, de quo prophèta David cecinit, Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Et imitando ipsum diligas justitiam, et odio habeas iniquitatem, qui propterea unxit te Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante sæcula unxerat oleo exultationis præ participibus suis Iesum Christum.

Postea metropolitanus verenter coronam imponat capiti regis dicendo. Accipe coronam regni, quæ licet ab indignis, episcoporum tamen manibus, capiti

(233) Convenit hic ungendi ritus cum antiquo Ordine Romano, a quo differt Pontificale Rom. in quo unctio tantum brachii dexteri inter juncturas manus, et junctura cubiti atque inter scapulas præscribitur.

(234) Vocem hanc ex Pontificali Rom. supplevimus, in quo eadem accingendi regem formula adhuc expressius describitur.

tuo imponitur, quamque sanctitatis gloriam, et honorem, et opus fortitudinis expresse, signare intelligas, et per hanc participem ministerii nostri non ignores; ita, ut sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimus, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor, regnique tibi a Deo dati, et per officium nostræ benedictionis in vice apostolorum omniumque sanctorum tuo regimini commisso utilis executor, regnatorque proficuus semper appareas : ut inter gloriosos athletas virtutum gemmis ornatus et præmio sempiternæ felicitatis coronatus cum redemtore ac Salvatore Iesu Christo cujus nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris, qui vivit et imperat Deus cum Deo Patre in sæcula sæculorum. ℟. Amen (235).

Et ab eo statim dicatur oratio vel benedictio super eum, quæ et tempore synodi dicenda est. Benedicat tibi Dominus, custodiatque te, et sicut te voluit super populum suum esse regem, ita in præsenti sæculo felicem æternæ felicitatis tribuat esse consortem. ℟. Amen. Clerum ac populum, qua sua voluit opitulatione, in tua sanctione congregari, sua dispensatione, et tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. ℟. Amen. Quatinus divinis monitis parentes adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli amore obsequentes, et in præsenti sæculo tranquillitate fruantur, et tecum æternorum civium consortio potiri mereatur. Amen. Quod ipse præstare.

Deinde coronatus honorifice per chorum ducatur de altari ab episcopis usque ad solium, canente clero Responsorium Desiderium animæ. *Deinde dicat sibi metropolitanus.* Sta et retine locum ammodo, quem hucusque paterna successione tenuisti hæreditario jure (236) delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, et præsentem traditionem nostram omnium scilicet apostolorum, cæterorumque Dei servorum, et quantum clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris : quatinus mediator Dei et hominum te mediatorem cleri, et plebis (*in hoc loco faciat eum sedere domnus metropolitanus dicens*) in hoc regni solio confirmet, et in regno æterno secum regnare faciat Ihs Xps Dns nr rex regum et Dominus dominantium. Qui cum Deo Patre.

Tunc det illis osculum pacis. Cunctus autem clericorum cœtus illo rectore gaudens sonantibus hymnis alta voce concinat hunc hymnum Te Deum laudamus. *Tunc episcopus metropolitanus missam celebret plena processione.* Deus qui miro ordine universa disponis, et ineffabiliter gubernas, præsta quæsumus, ut famulus tuus N. hæc in huius sæculi cursu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere prævaleat. Per.

Secretum.

Concede quæsumus omnipotens Deus his salutaribus sacrificiis placatus, ut famulus tuus N. ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur semper indoneus, et cœlesti patriæ reddatur acceptus. Per.

Benedictio episcopalis.

Omnipotens Deus, qui te populi sui voluit esse rectorem ipse te cœlesti benedictione sanctificans æterni regni faciat esse consortem.

Oratio. Concedatque tibi contra omnes fidei christianæ hostes visibiles et invisibiles victoriam triumphalem, et pacis atque quietis ecclesiasticæ felicissimum te sibi longe lateque fundatorem. Amen. Quatinus te gubernacula regni tenente populus sibi subiectus christianæ religionis iura custodiens undique tutus pace tranquilla perfruatur, et te in concilio beatorum collocato æterna felicitate ibidem tecum pariter gaudere mereatur. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. Hæc Domine salutaris sacrificii perceptio famuli tui N. peccatorum maculas diluat, ut ad regendum secundum tuam voluntatem populum idoneum illum reddat; ut hoc salutari mysterio contra visibiles et invisibiles hostes reddatur invictus per quod mundus divina dispositione redemtus. Per.

BENEDICTIO REGINÆ.

In ingressu ecclesiæ dicat episcopus orationem. Omnipotens sempiterne Deus, fons et origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando aversaris, sed dignanter comprobando potius eligis, et qui infirma mundi eligendo fortia quæque confundere docuisti, qui etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu Judith feminæ olim Judaicæ plebi de hoste sævissimo resignare voluisti; respice quæsumus preces humilitatis nostræ, et super hanc famulam tuam N. quam supplici devotione

(233) Hucusque congrunt Pontif. Rom., in quo deest benedictio sequens, ex tribus constans orationibus, ut antiquæ benedictiones episcopales in missa fieri solitæ diversæ pro diversitate dierum ac festorum, ut vol. I Monum. p. 331 videre est, ac mox hic alia sequitur suo loco in celebratione missæ posita ante *Pax Domini*, etc.

(236) Verba quæ pertinent ad paternam successionem jusque hæreditarium desiderantur in Pontif. Rom.; habentur vero in cod. Bibl. regis Gall. cum iis quæ sequuntur de rege in sedem constituto, ceu solium regni

in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera potentiæ tuæ semper et ubique circumda, ut ambone muniminis tui undique secus firmiter protecta visibilis seu invisibilis hostis nequicias triumphaliter expugnare valeat, et una cum Sara atque Rebecca, Lia, et Rachel beatis reverendisque feminis fructu uteri sui fœcundari, seu gratulari mereatur ad decorem totius regni, statumque sanctæ Dei Ecclesiæ regendum, nec non protegendum. Per Xpm Dnm nrm, qui ex intemerato beatæ Mariæ virginali alvo nasci, visitare ac renovare hunc dignatus est mundum, qui tecum vivit (237).

Deus qui solus habes immortalitatem, lucemque inhabitas inaccessibilem, cujus providentia in sui dispositione non fallitur qui fecisti quæ futura (facta) sunt, et vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, qui superbos æquo moderamine principatu deiicis, atque humiles dignatus in sublime provehis; ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester regina Israelis causa salutis de captivitatis suæ compede solutam ad regis Assueri thalamum regnique sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam humilitatis nostræ benedictione christianæ plebi gratia salutis ad dignam sublimemque regis nostri copulam regnique sui participium misericorditer transire concedas, et ut in regalis federe conjugii semper manens pudicam proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vivo et vero in omnibus et super omnia jugiter placere desideret, et te inspirante, quæ tibi placita sunt toto corde perficiat. Per.

Sancti Spiritus gratia humilitatis nostræ officio in te copiosa descendat, ut sicut in manibus nostris indignis oleo materiali oblita pinguescis exterius, ita eius invisibili unguine delibuta impinguari merearis interius, eiusque spiritali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas, et utilia animæ tuæ jugiter cogitare, optare atque operari queas, auxiliante Dno nro Ihu Xpo, qui cum Deo Patre et Spiritu vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(238) Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Exaudi Xpe.

Silvestro summo pontifici, et universali papæ vita et victoria.

Salvator mundi. Tu illum adiuva.

Sancte Petre. Tu illum adiuva

Sancte Paule. Tu illum adiuva.

Sce Andrea. Tu illum adiuva.

Sce Clemens. Tu illum adiuva.

Sce Sixte. Tu illum adiuva.

Sce Cyriace. Tu illum adiuva.

Exaudi Xpe. Henrico (239) a Deo coronato magno et pacifico regi vita et victoria.

Redemptor mundi. Tu illum adiuva.

Sca Maria. Tu illum adiuva.

Sce Michahel. Tu illum adiuva.

Sce Gabriel. Tu illum adiuva.

Sce Raphael. Tu illum adiuva.

Sce Johannes. Tu illum adiuva.

Sce Stephane. Tu illum adiuva.

Sce Line. Tu illum adiuva. Exaudi Xpe.

Antistiti a Deo electo vita et victoria.

Sca Felicitas. Tu illum adiuva.

Sca Perpetua. Tu illum adiuva.

Sca Agatha. Tu illum adiuva.

Sca Lucia. Tu illum adiuva.

Scta Cæcilia. Tu illum adiuva.

Sca Petronella. Tu illum adiuva. Exaudi Xpe.

Omni clero Pataviensis ecclesiæ vita et victoria.

Sce Apollinaris. Tu illum adiuva.

Sce Laurenti. Tu illum adiuva.

Sce Nazari. Tu illum adiuva.

Sce Silvester. Tu illum adiuva.

Sce Leo. Tu illum adiuva.

Sce Anastasi. Tu illum adiuva. Exaudi Xpe.

Omnibus judicibus fidelibus et cuncto exercitui Christianorum vita et victoria.

Sce Maurici. Tu illos adiuva.

Sce Dyonisi. Tu illos adiuva.

Sce Willibalde. Tu illos adiuva.

Sce Gregori. Tu illos adiuva.

Sce Albane. Tu illos adiuva.

Sce Martine. Tu illos adiuva.

Sce Ambrosi. Tu illos adiuva.

Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Spes nostra. Xps vincit, Xps regnat. Xps imperat. Gloria nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Fortitudo nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Misericordia nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Auxilium nostrum. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Liberatio et redemtio nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Victoria nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Arma nostra invictissima. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Murus noster inexpugnabilis. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Defensio et exaltatio nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Lux nostra et vita nostra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Ipsi soli gloria et potestas per immortalia sæcula sæculorum. Amen. Ipsi soli honor, laus et iubilatio per infinita sæcula sæ-

(237) Spatium pro rubrica vacuum est hic et ante sequentem orationem.

(238) Quæ sequuntur litaniæ ad eamdem celebritatem regiæ inaugurationis sunt referendæ. Cujusmodi cum Goldastus, t. II Antiquit. *Aleman.* p. 147, jam ediderit, alias hic, quæ quidem ad vicinam *Alemanniæ Bavariam* pertinent, ponere satius, quam jam vulgatos recudere, duxi ex ms. *Vindob.* Apud Goldast. Nicolao P. fit apprecatio. Habenturque in eum finem apud *Augustinum* Patricium in Cærem. *Rom.* seorsum pro imperatore, quæ hic conjunctim leguntur cum laudibus pontifici concini solitis.

(239) Apud Gold. Ludovico. Eademque formula adhibita legitur in coronatione Caroli Magni Romæ an. 800 in die natalis Domini in imperatorem inaugurato, uti apud Eginardum, et Ademarum in Vita Caroli Magni legere est. P. Harzheim in *Cat. hist. crit.* codd. ms. ecclesiæ metrop., *Coloniensis* litaniam ea occasione cantatam notat cum rubrica: *Expleta oratione a pontifice, antequam lector ascendat ambonem.*

culorum. Amen. Ipsi soli virtus, fortitudo et victoria per omnia sæcula sæculorum. Amen. Xpe audi nos. Ter. Kyrie eleison. Ter. Xpe eleison. Ter. Kyrie eleison.

BENEDICTIO ARMORUM.

BENEDICTIO VEXILLI (240).

(*Ex Cod. Vindob. Theol.* 277. *sæc. XII vel XIII, ut*) *in Pontificali Rom.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, et hoc vexillum, quod bellico usui præparatum est cœlesti benedictione sanctifica, ut contra adversarias et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum; sitque inimicis christiani populi terribile atque in te confidentibus solidamentum et victoriæ certa fiutia. Tu es enim Deus, qui conteris bella, et cœlestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per.

BENEDICTIO ENSIS (241).

Exaudi quæsumus Domine preces nostras, et hunc ensem quo hic famulus tuus N. se circumcingi desiderat, majestatis tuæ dextera benedicere dignare, quatinus defensio atque protectio possit (sit) ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque serventium contra sævitiam paganorum, aliisque insidiantibus sit pavor, terror, et formido.

Alia. Famulum tuum N. quæsumus Domine pietatis tuæ custodia muniat, ut hunc ensem, quem te inspirante desiderat suscipere, te adjuvante illæsum custodiat. Per Dnm.

Item benedictio

Benedic Domine sancte Pater omnipotens per invocationem sancti nominis, et per adventum Filii tui Dni nri Ihu Xpi, atque per donum Spiritus sancti Paraclyti hunc ensem, ut his qui hodierna die tua pietate eo præcingitur, visibiles inimicos sub pedibus conculcet, victoriaque per omnia potius semper maneat illæsus. Per.

Sequitur antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. eminenti mucrone circumcingi jussisti, fac illum contra cuncta adversantia ita cœlestibus armari præsidiis, quæ nullis hic et in ævum tempestatibus bellorum turbetur. Per.

BENEDICTIO SUPER CAPSELLAS ET FUSTES (242) *et super illos, quicunque limina ac suffragia sanctorum appetituri sunt*

(Ex ms. Vindob. theol. 277, sæc. XII vel XIII.)

Domine Jesu Christe mundi redemtor et conditor, qui beatis apostolis tuis præcepisti, ut euntes in prædicatione virgas tantum sumerent; te supplici devotione deposcimus, ut digneris has capsellas et hos benedicere fustes, quatenus eos, qui illos in signum peregrinationis et suorum corporum sustentationem sunt recepturi, tuæ cœlestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere possint. Ut quemadmodum virga Aaron in templo Domini florens ad rebellium Judæorum numero sic ipsius stirpem rite se junxit, ita et hos signaculo sancti Petri adornandos ab omnibus peccatis absolvas, quo in die judicii ab impiis separati, in dextera sint parte coronandi. Per eum.

Quando dabuntur capsellæ et fustes dicit. Accipite has capsellas et hos fustes et pergite ad limina apo-

(240) De benedictione armorum, ensis, et traditione vexilli bellici formulæ habentur, p. II Pont. Rom., tit. 22, 23, 24. Mitti aliquando pontifici solent a strenuis belli ducibus ac principibus ensis, pileus, rosa. Qua de re exstat exegesis card. Poli apud *Jos.* Catalanum, Comment. in Pont. Rom., t. II, pag. 588, ubi inter alia etiam breve Clementis XI, principi Eugenio a Sabaudia, ejus rei gratia missum aliaque exempla leguntur.

(241) Congruunt, quæ apud *Ed.* Martenium lib. II de ant. eccl. Rit. cap. 12, habentur ex ms. Pontificali Guilielmi Durandi *de Benedictione novi militis* in hæc verba, t. II p. 667: *In benedictione novi militis hoc modo proceditur: Pontifex enim prius quam dicatur Evangelium, benedicat ensem ejus:* Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, et hunc ensem, etc. *Alia benedictio.* Benedic, Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, per invocationem, etc. Prius dixerat Martenius cum Ecclesia abhorreat a sanguine benedictionem novi militis in antiquis pontificalibus libris, quos sibi summa cum diligentia et magno numero perlustrare licuerit, nusquam deprehendisse: nam quæ in fine Ordinis Romani edita habetur, extra ordinem ex recentiori aliquo codice desumpta ipsi videtur. Obtinuisse tamen jam ante plusquam 500 annos militum ab episcopis benedictionem probat ex Wilhelmi card. epist., apud Chesnium Histor. Franc., t. IV, p. 765, et aliis. Notavit P. *Jos.* Bianchini affertque *Jos.* Catalanus in append., t. I Pontif. Rom. p. 427, ex ms. *Vallicellano* ann. circ. 800, benedictionem vexilli et ensis eamdem propemodum, quam nos exhibemus; duos item ordines ad benedicendum novum militem ex codd. *Vatic.* num. 4744 et 4748; posterior est *ordo qualiter in sacrosancta beati Petri apostolorum principis basilica de urbe aliquis militetur.*

(242) Fustes ac capsellæ hic baculi et sportæ peregrinantium sunt, quales etiam cum gladiis benedictæ dabantur cruce signatis pro recuperatione terræ sanctæ. Qua de re Conradus Ursperge sis abb., in Chron. p. 232: *Omnibus,* inquit, *ultra quam credi potest catervatim concurrentibus ad ecclesias populis novo ritu gladios cum fustibus et capsellis sacerdotalis benedictio dispertivit.* Vid. *Ed.* Marten., lib. II, de ant. Eccl. Rit. C. 25 ad finem. Sed formula hæc nostra in gratiam est composita Romam ad limina apostolorum Petri et Pauli pergentium.

stolorum in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, et per intercessionem beatæ Dei genitricis Mariæ et omnium Apostolorum, atque omnium Sanctorum mercamini in hoc sæculo accipere remissionem omnium peccatorum, et in futuro consortium omnium beatorum. Per Dnm.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, humani generis reformator et auctor, qui Abrahæ puero tuo ut iret de terra nativitatis suæ, et veniret in terram repromissionis, quam ei daturus promiseras, præcepisti; nec non et populum Israeliticum in deserto A te adorandum multis prodigiis venire fecisti : hos quæsumus ad beatorum Petri et Pauli limina te ad orare pergentes a periculis omnibus eruas, et a peccatorum nexibus solvas. Et tu qui es vera via in te confidentibus eorum iter bene dispone, ut inter omnes hujus sæculi perturbationes tuo protegantur auxilio. Mitte eis Domine angelum tuum, quem Tobiæ famulo tuo comitem dedisti, ut ubicumque manserint, sit illis defensor contra insidias omnium inimicorum visibilium et invisibilium, quatenus læti et incolomes ad nos iterum redire prævaleant. Per.

ORDO EXCOMMUNICATIONIS.

ORDO EXCOMMUNICATIONIS, QUALITER UNUSQUISQUE INCORRIGIBILIS ANATHEMATIZARI DEBEAT.
(Ex cod. 277 theol. Vindobon. sæc. XII vel XIII.)

Episcopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem pro certis et manifestis sceleribus dispositum habet, post lectionem Evangelii clerum et plebem ita debet alloqui. Noverit caritas vestra, fratres mei, quod quidam vir nomine N. diabolo suadente postponens christianam promissionem quam in baptismo professus est per apostasiam conversus post satanam cui abrenunciavit, et omnibus operibus ejus, vineam Christi id est ecclesiam ejus devastare et deprædari non pertimescit, pauperes Christi, quos pretioso sanguine suo redemit, violenter opprimens, et interficiens, et bona eorum diripiens. Unde quia filius hujus nostræ ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, debuerat esse, quia in ea per aquam et Spiritum sanctum renatus est, et inter adoptivos filios Dei annumeratus, quamvis modo filius diaboli sit, imitando diabolum, sulliciti ne per negligentiam pastoralem aliqua de ovibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo judicio ante principem pastorum Dnm nrm Ihm Xpm rationem reddere compellemur, juxta quod ipse terribiliter nobis comminatur, dicens : *Si non annuntiaveritis iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram*, misimus ad eum presbyterum nostrum, et litteras commonitorias semel et iterum ac tertio invitantes eum canonice ad emendationem et satisfactionem, et pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipse proh dolor ! diabolo cor ejus indurante, monita salutaria sprevit, et in incepta malicia perseverans, Ecclesiæ Dei, quam læsit superbiæ spiritus inflatus satisfacere dedignatur. De talibus itaque transgressoribus, et sanctæ religionis pacisque, quam suis discipulis Christus dedit atque reliquit, violatoribus, præcepta dominica et apostolica habemus, quibus informamur, quod de hujuscemodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in Evangelio : *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum.* Frater in unumquemque nostrum peccat. Si enim sancta Ecclesia unum corpus est, cujus corporis caput B Christus est. Singuli autem sumus alter alterius membra; et si compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : procul dubio in nos peccat, qui membra nostra lædit. Jubet igitur Dominus, ut frater, id est christianus, in nos peccans, primo secrete corripiatur, deinde cum testibus redarguatur, novissime in conventu ecclesiæ publice conveniatur. Quodsi has tres commonitiones, et pias correptiones contempnit, et satisfacere despicit, post hæc sit tibi sicut ethnicus et publicanus, id est gentilis et paganus; ut non jam pro christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco membrum, quod a sua compage resolvitur, et a junctura caritatis dissociatur, et omne corpus scandalizat, Dominus et abscidi, et projici jubet dicens : *Si oculus, manus, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te.* Et Apostolus, *auferte*, inquit, *malum a vobis.* Et item : *Si quis frater nominatur, et est fornicator aut adulter, aut homicida; aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere licet.* Et Johannes dilectus præ cæteris Christi discipulis talem nefarium hominem salutare prohibet dicens : *Ne ei ave dixeris, neque eum in domum receperis.* Qui *enim ei ave dicit, communicat operibus ejus malignus.* Dominica itaque atque apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum et insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis a corpore Ecclesiæ abscidamus, ne tam pestifero morbo reliqua membra corporis veluti veneno inficiantur. Per.

Ipsa anathematizatio. Igitur quia monita nostra et crebras exhortationes contempnit : quia tertio secundum Dominicum præceptum vocatus ad emendationem et pœnitentiam venire despexit : quia culpam suam necdum cognovit nec confessus est, nec missa nobis legatione, quam causam, qua causam ipsius exquirimus, quia noster parrochianus est, veniam non postulavit : quia in incepta malitia, diabolo cor ejus indurante, perseverat, et juxta quod Apostolus dicit, *secundum duriciam suam et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ;* idcirco nos eum cum universis complicibus et communicatoribus fautoribusque suis judicio Dei omni-

potentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beati Petri principis apostolorum, et omnium Sanctorum, nec non et nostræ mediocritatis auctoritate et potestate nobis divinitus collata ligandi et solvendi in cœlo et in terra, excludimus et excommunicamus, et anathematizatum decernimus, et damnatum cum diabolo, et angelis ejus, et omnibus reprobis in igne æterno judicamus; nisi forte a diaboli laqueis resipiscat, et ad emendationem et pœnitentiam redeat, et Ecclesiæ Dei quam læsit satisfaciat. *Et respondeant omnes tertio* Amen *aut* Fiat, Fiat. *aut* anathema sit (243). *Debent enim duodecim sacerdotes episcopum circumstare, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, et conculcare pedibus. Post hæc episcopus plebi excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant, quam terribiliter dampnatus sit: et ut noverint, quod ab illa hora in reliquum non pro christiano, sed pro pagano habendus sit, et qui illi quasi christiano communicaverit, aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, nisi forte ad satisfactionem et pœnitentiam eum provocare studuerit, aut in domo sua receperit, aut simul cum eo oraverit, procul dubio similiter sit excommunicatus. Deinde epistolæ presbyteris per parrochias mittantur, continentes modum excommunicationis. In quibus jubeatur, ut dominicis diebus post lectionem evangelii plebibus sibi commissis publice annuntient ipsam excommunicationem; ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Præcepit enim Toletanum concilium, ut invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, quosque adire potuerint, et excommunicatus audiatur. Seniori etiam ejus ipsa excommunicatio debet nota fieri.*

SATISFACTIO ET EMENDATIO ET RECONCILIATIO ANATHEMATIZATI.

Cum aliquis (excommunicatus) vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, et emendationem promittit, episcopus, qui eum excommunicavit, ante januas ecclesiæ venire debet, et duodecim presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent. Ubi etiam adesse debent illi, quibus injuria vel dampnum illatum est. Et ibi secundum leges divinas oportet dampnum commissum emendari; aut si emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde episcopus interroget, si pœnitentiam juxta quod canones præcipiunt pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam spondet; tunc episcopus apprehensa manu ejus dextera eum in ecclesiam introducat, et ei communionem et societatem christianam reddat, et septem psalmos pœnitentiæ decantet cum istis precibus: Kyriecl. Xpeel. Kyriecl. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Salvum fac servum tuum Domine. Deus meus sperantem in te. Mitte ei Dne auxilium de sancto. Et de Sion tuere. Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis non. Esto ei Domine turris fortitudinis. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus. Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ a cujus int. Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles. *Require in Feria V majoris ebdom. id est in Cœna Domini in reconciliatione lapsorum. Post hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat. Et literas per parrochias dirigat, ut omnes noverint eum in societate christiana receptum: aliis etiam episcopis notum faciat. Nullus autem episcopus alterius parrochianum excommunicare vel reconciliare præsumat, sine conscientia vel consensu proprii episcopi.*

Leo episcopus (244) servus servorum Dei dilectissimis fratribus et filiis archiepiscopis, atque suffraganeis eorum abbatibus, et monachorum congregationibus in Francia commanentibus salutem perpetuam. Indicatum est nobis filii kmi, quod in vestris regionibus malignorum hominum perversitas creverit; ita ut res vestras in suis pravis usibus redigere cupiant. Quapropter ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, et Filii ejus Dni nri Jhu Xpi et Spiritus sancti paracliti, atque ex vice beati Petri apostoli, nec non et beatæ Mariæ matris Domini, et per beatos angelos, et apostolos, martyres, confessores, ac virgines excommunicamus eos atque maledicimus, qui possessiones servorum sancti Martini, et quidquid ad illos pertinet, tollunt, et perperam invadunt. Sit pars illorum cum Dathan et Abyron, quos terra pro sua superbia vivos absorbuit, et cum Juda proditore, qui Dominum in pretio vendidit. Amen. « Fiant filii eorum orphani, et uxores eorum viduæ. « Nutantes transferantur filii eorum, et mendicent. « Eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fenerator omnem substantiam eorum. » Et iterum : « Omnes qui dixerunt hæreditate possideamus sanctæ Dei ecclesiæ, sint cum Dathan et Abyron, quos terra vivos absorbuit, et sint cum Juda proditore, qui Dominum in pretio vendidit. Amen. Amen. Amen. *Et sicut hæc candela exstinguitur, sic anima ejus, si hic non resipuerit, in inferno exstinguatur.* Et omnes respondeant : Amen. Amen. Amen.

(243) Pleraque hæc ad verbum in hodierno adhuc Pontificali Rom. leguntur; desideratur vero ritus sequens exstinguendi projiciendique candelas. De quo primum exemplum in synodo Lemovicensi sub pontificatu Benedicti IX P. habetur apud Labb., t. IX Conc. p. 891, t. X pag. 406 in conc. Quintilinoburg., c. 13. Hæc leguntur apud Bertholdum *Constant.*, ad annum 1085, ea de re: *In fine synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum hæresiarcham sedis apostolicæ invasorem.* Memorat S. Petrus Damiani in synodali disceptatione cum regio advocato: *Gerardus Galeriæ comes a plenaria Nicolai II synodo excommunicatus est, et exstinctis luminaribus sub perpetuo anathemate condemnatus.* Romualdus Salernitanus in Chron. ad an. 1177 affert formulam adhibitam in conciliata pace ab Alexandro III cum Friderico I sub anathematis pœna in violatorem: *Sicut hæ candelæ exstinguuntur, sic eorum, qui pacem violaverint animæ lumine æternæ visionis et claritate priventur.* Ejus ritus passim fit mentio in diariis Cæremon. Rom.

(244) Annexa immediate in ms. cit. reperi quæ hic sequuntur sub emendato nomine vicarii Christi, confecta a nonnemine, qui legem Christi excussit animo, dum hæc consarcinavit maledicta.

« ctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam, « et sicut stipulam ante faciem venti. Amen. Sicut « ignis, qui comburit silvam, et sicut flamma com- « burens montes; ita persequeris illos in tempestate « tua, et impleas facies eorum ignominia, ita ut « erubescant, et confundantur et pereant. » Sintque maledictiones illæ, quas Dominus super filios Israel per Moysen promulgavit super illos, qui bona et villas sancti Martini deprædantur. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, et in omni loco. Amen. Maledicta cellaria eorum, maledictus fructus ventris eorum, et fructus terræ eorum. Amen. Maledicta omnia, quæ illorum sunt, et maledicti egredientes, et regredientes. Amen. Disperdat eos Dominus de terra velociter. Amen. Percutiat eos Dominus de terra velociter. Amen. Percutiat eos Dominus fame et siti, egestate, frigore, et febri, donec pereant. Tradat illos Dominus corruentes ante hostes eorum, sintque cadavera eorum in escam cunctis volatilibus cœli, et bestiis agri. Percutiat eos Dominus ulcere pessimo, scabie quoque et prurigine, amentia et cæcitate. Amen. Palpentque in meridie, sicut palpare solus (solet) cæcus in tenebris. Amen. Et sicut Dominus beato Petro apostolo, eiusque successoribus, cuius vicem tenemus quamvis indigni, potestatem dedit, ut quodcunque ligarent super terram, ligatum esset et in cœlis; ita illis si emendare noluerint, cœlum claudimus, et terram ad sepeliendum negamus, et demergantur in inferno inferiori, solvantque quod gesserunt sine fine. Amen. Si autem ad pœnitentiam, et emendationem venerint, et secundum nomen culpæ fructus dignos pœnitentiæ fecerint, omnia mala ista avertat Deus ab illis, et nos parati sumus ad recipiendum et orandum pro illis. Si autem ad emendationem noluerint venire, perpetuo anathemate feriantur: ita ecclesiam Dei non intrent, pacem cum Christianis non habeant, nec ullam participationem faciant. Corpus et sanguinem Domini nec in die mortis percipiant; sed æternæ oblivioni traditi, tanquam pulvis ante faciem fiant venti, et cum diabolo et angelis eius perpetuis ignibus tradantur, et sicut lucerna ista extinguitur, sic et extinguantur animæ eorum in fetore inferni. Amen.

PROBATIONES PER AQUAM, IGNITOS VOMERES, ETC.

BENEDICTIO FERRI JUDICIALIS (245).

(Ex cod. Vindob. Theol. 149, olim Augiensi sæc. IX.)

Benedic Domine per invocationem sanctissimi nominis tui ad manifestandum judicium tuum hoc genus metalli, ut omni dæmonum falsitate procul remota veritas veri judicii tui fidelibus tuis manifesta fiat. Per Dnm

Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super hoc ferrum ad discernendum judicium Dei. Amen.

BENEDICTIO IGNIS ET FERRI SIVE AQUÆ (246).

(Ex cod. Th. Vind. 685 sæc. X vel XI.)

Deus judex justus, fortis et patiens, qui auctor pacis es, et judicas æquitatem, respice ad deprecationem

(245) Pertinet hoc ad purgationem, ut vocari solebat, vulgarem, canonicam, judicium Dei. Qua de re egimus Disquis. 6, c. 3, p. II, p. 553 seqq. ubi genera varia ejusmodi probationum explicavimus, eorumque usum ac fata in Ecclesia, donec penitus abrogarentur, cum in superstitionem, quo nihil proclivius fuit, deflecterent, per nimis frequentem ac promiscuum usum absque legitima auctoritate et discretione. Inde etiam accidit, ut, successu temporis multiplicarentur ejus species, prioribus abolitis. Factum id quidem initio prudenti Ecclesiæ cautela, ne incertis magis eluderentur indiciis homines, exempli causa in sortium variis generibus, quarum antiquissima habentur exempla; consultusque a Januario respondet S. Augustinus, epist. 55, n. 37 de Sorte per libros divinos, propriumque exemplum narrat lib. VIII Confes. c. 12; ipse vero in re dubia remittit approbationem coram tumulo S. Felicis Nolani ep. 78. Sed non ita multo post variis in conciliis vetitæ sunt quæcunque sortes sanctorum veluti in Venetensi, eodem adhuc sæc. V; Agathensi, an. 506, c. 42; Aurelianensi, I, an. 511, c. 20; Altisiodorensi, an. 578, c. 4; in Capitulari etiam Caroli M. an. 789, t. I, p. 243. Add. S. Gregorius M., hom. 32 in Evang., t. I, pag. 1591 de Purgatione per juramentum; ad sepulcrum S. Petri nominatim, t. II, opp. p. 1219. Apud Gregorium Turonensem frequens habetur ejusmodi probationum memoria, de juramento etiam, ac duello legibus antiquis et exemplis auctorato, veluti Gondebaldi regis Burgundionum Ariani ad finem sæculi V; lex Gundebada, lex Burgundionum perseverabat adhuc sub S. Sigismundo filio Gondebaldi; scripsit vero Agobardus *adversus legem Gundebadi et impia certamina, quæ per eam geruntur*. Add. capit. Ansegisi, lib. IV, c. 13. *De judicio crucis* a Carolo M. permisso, vid. Grets., de Cruce. Quo sanctissimo signo ipsoque sacratissimo Christi nomine ut hodieque, ita jam olim ad superstitiones abusos esse malignos S. Augustinus doluit, tr. VII, in Joan., c. I, . 344.

(246) Initio sæc. V S. Bricius Turonensis fertur se purgasse judicio ferri igniti, de quo S. Gregorius Turon., Hist. Franc. lib. II, c. 1, p. 43, primumque authenticum testimonium apud eumdem S. Gregorium, *de Gloria confess.* cap. 76, de S. Simplicio ep. Augustodunensi exstare asserit P. Petrus Brunius presbyter Oratorii in opere Gallico: *Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont séduit les peuples et embrassé les savants, avec la méthode et les principes pour discerner les effets naturels d'avec ceux qui ne le sont pas.* Ac usum quidem promiscuum hujusmodi probationum superstitiosum facit t. II, p. 221 seq., utpote ex paganismo provenientem, neque a pontificibus vel conciliis auctoratum p. 236. seq. Sicuti legibus *Salica, Ripuaria, Longobardica*, Capitularibus item regum Francorum sæc. VIII ac deinceps sæc. X, maxime frequentatum constat, inde a fine sæc. VI, ut ex Baluzii utroque Capitularium tomo

nostram, et dirige judicium nostrum, quia justus es, A et rectum judicium tuum, qui respicis terram et facis eam tremere, et qui per adventum Unigeniti tui Dni nri Jhu Xpi seu passionem mundum salvasti, genusque humanum redemisti, tu hanc aquam vel ferrum igni ferventem sanctifica, et sicuti tres pueros Sydrac, Misac et Abdenaga jussu regis Babiloniæ civitatis missos in fornacem succensam illæsos salvasti, angelumque tuum mittens exinde eduxisti, et Susannam de falso testimonio eripuisti, ita clementissime dominator oramus, et petimus, ut quisquis innocens de hoc crimine prænominato in hanc aquam manum miserit, vel ferrum portaverit sanam et illesam eam educat, per te salvatorem et redemtorem tocius orbis. Qui venturus est jud.

Alia. Omps sempiterne Ds, qui es servator occul- B torum cordium, te supplices exoramus, ut si homo hic culpabilis est de rebus præfatis, et diabolo inguente cor ejus præsumserit in hanc aquam igne ferventem sive ferrum ignitum manum suam mittere, tua justissima veritas declaret, et in hujus opere tuam veritatem manifesta, ut per manifestam pœnitentiam in corpore, anima ejus salvetur in extrema examinatione. Quod si per herbas aut per aliqua maleficia hoc peccatum tegere, cælareque voluerit, tuam sanctam dexteram evacuare dignetur per unigenitum Dnm nrm Jhm Xpm, qui venturus est judicare vivos et mort.

JUDICIUM AQUÆ FRIGIDÆ. (247)

(Ex cod. theol. Vind. 511, sæc. x vel xi.)

Cum vis hominem in aquam mittere ad comproba- C *tionem, ista debes facere. Accipe illos homines quos in voluntate habes mittere in aquam* (248), *et duc eos in ecclesiam, et coram omnibus cantet presbyter missam. Cum autem ad communicationem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos adjuratione ista, dicens :* Adjuro vos homines per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et per sanctam Trinitatem, et per invocationem unigeniti Filii, et per vestram christianitatem, quam suscepistis et per sanctum Evangelium, et per istas reliquias, quæ in ista ecclesia sunt, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis aut consentistis, aut scitis quis hoc fecerit. *Si autem omnes tacuerint, et nullus hoc dixerit, accedat ad altare sacerdos et communicet illos, quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat sacerdos per singulos :* Corpus et sanguis Dni nri Jhu Xpi sit tibi hodie in comprobationem. *Hæc est celebracio missæ ad judicium sive aquæ sive ferri.* Justus es Dne. Beati immac. Da qs omps sic nos tuam gra- B tiam promereri, ut nostros corrigamus excessus sic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in suis pravitatibus obstinatos. Per. *Expleta missa, faciat sacerdos aquam benedictam, et vadat ad locum ubi homines probantur. Et cum probati sunt de omnibus bibere de aqua benedicta : et cum dederit, dicat ad unumquemque eorum :* Hæc aqua fiat tibi hodie ad comprobationem. *Postea vero convertat se sacerdos ad aquam, ubi illam mittit, et conjurat his verbis sequentibus imprimis dicendo :* Deus in adjutorium meum intende. *Ter. cum* Gloria. Kyrie eleison. Xpe eleison. *Ter et letaniam, et nominibus Sanctorum in eadem recitatis dicat hos versus.* Pro hujus negotii qualitate te rogamus audi nos. ℣. Ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Te rogamus C audi nos. *Ter. qua finita cantet presbyter* Pater noster. Credo in Deum. *Et dicat* Dominus vobiscum. Adjuro te aqua in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, et te jussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam te jussit segregari ab aquis superioribus. Adjuro te etiam per

jam ostendit Brunius, neque etiam facta circa has probationes certa et authentica diffitetur, quæ varia profert t. II, habenturque collecta exempla et auctoritates apud Hildebertum Cenomensem et Ivonem, qui etiam rem discutit nonnullis in epistolis, fassus ep. 74 fefellisse probationem. Egit de ea re dudum ante Hincmarus singulari tractatu pro Thietberga Lotharii uxore. Editus vero inter opera Agobardi a Baluzio exstat tractatus *contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne vel aquis* D *vel conflictu armorum patefieri.* Scripsit hæc Agobardus vergente sæc. ix. Quo finiente, nihilominus an. 895 in concilio Triburiensi c. 4 et 22 permittitur ritus, uti etiam de proximis sæculis habetur auctoritas in conc. actis apud Labb., t. IX, p. 587 et 1022. Quod Angliam spectat, in qua Emmæ exemplum memoratur in monast. Angl. p. 34, ostenditque Brunius, t. II, p. 196 seq., in Orientem etiam penetrasse. Ritum explorandæ veritatis seu judicium ferri candentis, quo in dirimendis controversiis gens Ungarica olim utebatur post editionem Claudiopolitanam an. 1550, uberrimis notis illustratum recudit Matth. Belius in apparatu ad Hist. *Hung.*, t. I, p. 191; ex multis pauca ego ad rem ex monumentis Liturg. *Alemanniæ* edo.

(247) Convenit fere codex Wertinensis sæc. xi, in quo Bernonis abbatis Augiensis *Ordo rituum ecclesiastico-rum* continetur. Apud Eccard., t. II Rer. Franc. p. 923.

(248) Agit de hoc probationis genere Brunius toto libro vi tom. II copiose, suntque ei testimonia eam in rem extra dubium posita complura etiam recentiora de lamiis præsertim hoc judicio condemnatis, de quo citatur Wier. de Præstigiis dæmonum lib. vi c. 7; exstatque Scribonii epistola de Purgatione sagarum super aquam frigidam; qui etiam refutat Nevaldi exegesin purgationis sive examinis sagarum super aquam frigidam. Godelman vero Scribonii hanc refutationem refutat *de Magis et Veneficis, et Lamiis noscendis et puniendis*, Francof. anno 1591. Brunius Scribonii systema refutat. Quomodo hæc probatio in *Gallia* fuerit disseminata ostendit cap. 3 et 4; tum vero, an per bonos an per malos angelos effectus fiant, disquirit cap. 5, recteque judicat § 2, p. 312 etiamsi quandoque productus fuerit effectus, temerarium esse eumdem iterare. Add. *Mulierum lavatio, quam purgationem per aquam frigidam, Item vulgaris de potentia Lamiarum opinio; quod utraque Deo, naturæ, omni jure, et probatæ consuetudini sit contraria. Auctore Conrado ab* Anten, *I. U. L. Lubecæ an.* 1590. Vicissim vero ab eodem Brunio citatur Rickii *Defensio probæ, ut loquuntur, aquæ frigidæ, qua in examinatione maleficarum plerique judices hodie utuntur; sæculo nempe adhuc* XVI. Quo fiente vixit auctor *Coloniæque* prodiit liber.

ineffabile nomen Dni nri Ihu Xpi Filii Dei omnipotentis, sub cujus pedibus mare, elementum aquarum calcabile se præbuit : qui etiam baptizari in elemento aquarum voluit, et per individuam Trinitatem, cujus voluntate aquarum elementum divisum est, et populus Israeliticus super illud siccis pedibus transivit. Ad cujus etiam invocationem Helias ferrum, quod de manubrio eciderat, super aquam natare fecit, ut nullo modo suscipias hunc hominem, si in aliquo ex hoc est culpabilis, quod illi objicitur : scilicet, ut per opera aut per consensum, aut per scientiam, aut per ullum ingenium ; sed fac eum natare super te, et nulla possit esse contra te aliqua facta causa, aut nulla præstigatio quod illud non possit manifestare. Adjurata autem per nomen Xpi præcipimus tibi, ut per nomen ejus obedias, cui omnis creatura servit : quem Cherubim et Seraphim laudant dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dns exercituum, qui etiam regnat et dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Alia. Ds qui maxima quæque sacramenta..... serviens ad diabolicas fraudes detegendas, et ad eorum figmenta, argumenta dissolvenda, atque ad multiformes eorum artes destruendas divinæ gratiæ sumat effectum. Discedant hinc omnes insidiæ latentis inimici, quatenus veritas de his, quæ a nobis divini sensus et alieni cordis ignaris requiruntur, tuo judicio expetita per invocationem sancti tui nominis patefacta clarescat. Et ne unde requirimus injuste innocens damnetur ; neque nocens a te, qui lux vera es, cuique non sunt obscuræ tenebræ, et qui illuminas tenebras nostras, quærentibus veritatem impune possit deludere te, quem occulta non transeunt, ostendente, et virtutem tuam, qui secretorum es cognitor declarante, fiat hinc nobis in te credentibus veri cognitio manifesta.

Alia. Omps Ds qui baptismum in aqua fieri jussisti, et hominibus remissionem peccatorum in eo concessisti, tu judex justus rectum judicium in ista aqua discerne, ita ut si culpabilis sit iste homo de prænominata causa, aqua quæ in baptismo eum suscepit, nunc non recipiat. Si autem inculpabilis sit, nunc in se recipiat, nullumque maleficium tui examinis veritatem in isto judicio prævaleat immutare, sed contra cunctas demoniacas illusiones, obstantibus sancti Joannis Baptistæ meritis ad dignos fructus pœnitentiæ, qui culpabilis est, compellatur. Per.

Alia. Dne Ds omps, qui aquarum substantiam archanis tuis subter esse jussisti, nobisque Spiritu sancto cooperante per eam abolitionem omnium peccatorum remissionem dedisti, tu præsta per opera justitiæ tuæ ut hæc aqua per virtutem sanctæ Trinitatis, quamvis fluens, tamen sit sanctificata, et omnium fantasmatum adinventiones expellat, detque justis et innocentibus de prænominata causa, pro qua discutiendi sunt securitatem, reis quidem cul-

A parum manifestatione, ut uterque in ea probatione qua inventus est, iste per probitatem justitiæ, ille per correptionem obdurationis laudent nomen sanctum tuum in ea claritate qua permanes in sæcula sæculorum. Amen.

Domine Deus omps, qui baptismum fieri jussisti in aqua, et per lavacrum regenerationis humano generi remissionem omnium peccatorum donare dignatus es, sanctifica qs hanc fluentem aquam, et justum in ea discerne judicium, qui solus es judex et fortis, ita, ut si innocens sit iste homo de prænominata causa, aqua, quæ in baptismo eum suscepit, nunc in se recipiat, et mundus et innocens de imo profundo abstrahatur hujus aquæ. Per.

B *Post conjurationem autem et benedictionem aquæ exuat illos vestimentis eorum, et faciat illos per singulos osculari evangelium et crucem Christi, et post hæc de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque conjuratus eum his verbis.* Adjuro te N. per invocationem Dni nri Ihu Xpi et per judicium aquæ frigidæ, adjuro te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per Trinitatem inseparabilem et per Dnm nrm Ihm Xpm, et per omnes angelos, et archangelos, et per omnes sanctos Dei, et per diem tremendum judicii Dei et per XXIIII seniores, qui cotidie Deum laudant, et per quatuor evangelistas, et per XII apostolos, et per XII prophetas, per martyres, et confessores, atque virgines, et principatus et potestates, et per dominationes et virtutes, et per

C thronos, cherubim et seraphim, et per omnia secreta cœlestia te adjuro, et per tres pueros, qui cotidie Deum laudant Sidrac, Misac, et Abdenago et per CIX. IIII. millia, qui pro Christo passi sunt, et per sanctam Mariam matrem Dni nri Ihu Xpi, et per cunctum populum Dei, et per illud baptismum, quod sacerdos super te regeneravit, te adjuro, ut si tu de hoc furtu scis, aut vidisti, aut baiolasti, vel in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti. Aut si habes cor ingrassatum vel induratum, aut si culpabilis inde es, evanescat cor tuum, et non suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat. Hoc autem Dne Ihu Xpe fac ad laudem et gloriam per invocationem nominis tui, ut omnes agnoscant quia tu es

D Deus benedictus qui vivis et regnas per omnia.

Post aquæ benedictionem dicat hos versus. Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant. Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant a facie Dei. *Ter cum* Gloria. *Tunc* (249) *statim projiciet eos in aquam. Hæc omnia debent jejuni facere ; neque illi antea comedunt, qui ipsos mittunt in aquam.*

Inquisitus aliquis de furtu, vel luxuria, adulterio, vel qualicunque re alia, et nolens confiteri magistro seniori vel aliis, ista erit ratio. Pergens sacerdos ad ecclesiam induat se vestimentis sacris, excepta casula, ferens in leva sanctum evangelium cum chrismario,

(249) Apud Eccardum, t. II Iter. Francic. præmittitur tit. *Aquæ calidæ et ferri candentis judicium ;* eaque, quæ hic desunt supplentur : tum additur *judicium panis et casei.*

et patrocinils Sanctorum, calicemque, crimine implicito, in atrio ecclesiæ, dicat astanti plebi in ostio ecclesiæ : Videte fratres christianæ religionis officium. Ecce lex in qua spes et remissio peccatorum hic chrismatis unctio ; hic corporis et sanguinis Domini consecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hæreditate, et consortio privemini, implicantes nos sceleri alieno, quia scriptum est : non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.

ORDO PROBANDI PER AQUAM, IGNITOS VOMERES, PANEM ET CASEUM, etc., (250).

(*Ex Cod. Rhenaugiensi sæc.* XI *aut* XII.)

. . . peccata vestra. Quod si vos *non dimiseritis*, nec Pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra . . . *Offert. De Profundis clamavi* ad te Dne.

Secreta.

Ab omni reatu *nos, Domine, sancta quæ tractamus* absolvant et eadem nos muniant a totius pravitatis et diabolicæ illusionis incursu. Per.

Com. Amen dico vobis, quidquid.

Ad Complendum. Conspirantes contra tuæ plenitudinis firmamentum dextræ tuæ virtute prosterne, ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati.

Alia. Ostende nobis Domine misericordiam tuam ad examinandum rectum judicium, ut per adventum Spiritus sancti omnis falsitas diabolicæ artis procul remota existat. Per.

Conjuratio. Adjuro vos homines per Patrem, *et Filium, et Spiritum sanctum, et per* sanctam Trinitatem, *et per invocationem unigeniti* Filii, et per vestram (tuam) *Christianitatem*, *quam* accepistis et per sanctum Evangelium, et per istas reliquias quæ in ista ecclesia sunt, ut non præsumatis (mas) ullo modo communicare neque accedere ad altare, si vos (tu) hoc fecistis (ti), aut consensistis (ti), aut scitis (scisti) quis hoc fecerit. *Hic incipiunt VII psalmi penitentie. Et sequens Letania.*

Kyrieleyson. Xpel.
Christe audi nos.
Salvator mundi. adjuva nos.
Sca. Maria. or.
S. Michael. or.
S. Gabriel. or.
S. Raphahel. or.
Omnes sci angeli et archangeli. orate pro.
S. Joannes. or.
S. Petre. or.
S. Paule. or.
S. Andrea. or.
S. Jacobe. or.
S. Philippe. or.
S. Bartholomee. or.
S. Matthee. or.
S. Thoma or.
S. Thathee. or.
S. Simon. or.
S. Mathia. or.
S. Barnaba. or.
S. Marce. or.
S. Luca. or.
Omnes sci Apli. or.
S. Stephane. or.
S. Laurenti. or.

A S. Clete. or.
S. Clemens. or.
S. Sixte. or.
S. Corneli. or.
S. Cypriane. or.
S. Alexander. or.
S. Felix. or.
S. Agappite. or.
S. Caliste. or.
S. Marcelle. or.
Omnes sci martyres, orate pro nobis.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
B S. Ambrosi. or.
S. Severine. or.
S. Augustine. or.
S. Jeromine. or.
S. Servaci. or.
S. Silvester. or.
S. Damase. or.
S. Leo. or.
S. Eusebi. or.
S. Gregori. or.
Omnes sci Confessores orate pro nobis.
S. Felicitas. or.
S. Perpetua. or.
S. Petronella. or.
S. Agnes. or.
S. Agatha. or.
S. Cecilia. or.
S. Juliana. or.
S. Lucia. or.
S. Tecla. or.
S. Affra. or.
S. Columba. or.
S. Anastasia. or.
S. Susanna. or.
S. Eugenia. or.
S. Eufemia. or.
Omnes scæ Virgines et Viduæ. orate pro nobis.
Omnes sci infantes et innocentes. or.
Omnes sci pœnitentes. orate pro.
Omnes sci monachi et heremite. or.
Omnes sci orate pro nobis.
Propitius esto. parce nobis Dne.
Propitius esto. libera nos Dne.
Ab omni malo libera nos D.
A morbo malo libera nos D.
C A periculo mortis. libera nos D.
Ab omni iniquitate. libera nos D.
Per crucem et passionem tuam. l.
Peccatores. te rogamus audi.
Ut pacem nobis dones. te.
Ut sanitatem nobis dones. te.
Ut remissionem peccatorum nobis dones. te rog
Ut aeris temperiem bonam nobis dones. te.
Ut fruges terræ nobis dones, te.
Ut domnum apostolicum in sancta religione conservare digneris, te rog.
Ut regem nostrum et exercitum Christianorum perpetua prosperitate conserves.
Ut eis vitam, sanitatem atque victoriam donare digneris. Te rogam.
D
Pro hujus negotii qualitate. Te rog. audi.
Ut justicie non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Te rog.
Ut justum judicium discernere digneris. Te rog.
Fili Dei, te rogamus audi.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. miserere nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi parce.
Christe audi nos.

(250) Codex hic ab initio et fine mancus, in medio quoque quasdam habet lacunas; quas aliunde supplere haud facile fuerit, unde ea solum ex Martenio litteris minusculis restituimus, quæ in nostro codice vetustate vel exesa, vel atrita sunt. Facile autem liquet totam missam hic fuisse positam, quam ad faciendum judicium probationis *in frigida aqua* ex ms. codice S. Victoris Parisiensis exhibet idem Martenius, t. II de antiquis Ecclesiæ Ritibus, p. 942. Quæ enim hic habentur ab initio, ultima sunt Evangelii ibidem perperam ex Joanne citati, cum habeantur Marci XI. Sic vero orditur codex.

Kyrieleyson. Christe el. Kyriel. Pater noster. Justus es Dne, et rectum judicium tuum. Ostende nobis Dne misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis. Fiat misericordia tua Dne super nos. Quemadmodum. Converte nos Deus. Et averte iram tuam a nobis. Miserere nostri Dne. Miserere nostri. Non nobis Dne non nobis. Sed nomini tuo da gloriam. Dne exaudi orationem meam. *Ps.* Deus misereatur nostri. Dne Deus virtutum converte. Et ostend. Dnus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

BENEDICTIO FERRI JUDICIALIS OR.

Benedic Dne per potentiæ tuæ virtutem hoc genus metalli, ut in eo propter nomen sanctum tuum omni demonum falsitate procul remota omnique fascinatione et fallacia infidelium sublata, verissimi judicii tui fidelibus tuis veritas patefiat, quatenus laudabile et gloriosum nomen tuum in sancta Ecclesia tua semper glorificetur. Per.

Oratio ante judicium facienda.

Deus plasmator hominum et totius bonitatis auctor, respice super nos famulos tuos ad te toto corde clamantes, et præsta propitius per interventum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ut in hoc examinationis judicio non prævaleant aliqua falsitatis jacula inimici, sed manifestetur per te veritatis et declaretur rectitudo justicie. Per eundem.

BENEDICTIO FERRI FERVENTIS AD JUDICIUM DEI.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus omnium bene viventium, Deus origo et manifestatio omnis justitiæ, qui solus est (es) justus judex, fortis et patiens; dignare nos exaudire famulos tuos orantes ad te pro benedictione hujus ferri. Unde rogamus te Domine judicem universorum, ut mittere digneris sanctam et veram benedictionem tuam super hoc ferrum, ut sit refrigerium illud portantibus et habentibus justitiam, et credentibus in tuam justitiam et fortitudinem; et sit ignis ardens iniqui, et facientibus iniqua, et credentibus in injustitiam suam, et injustam pompam diabolicam. Converte Domine incredulitatem injustorum per virtutem et per benedictionem tuam, et per invocationem sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et mitte in hoc ferrum vim virtutis tuæ ac veritatis, ut in eo semper per misericordiam et veritatem tuam verissima justitia, quæ tibi soli cognita est, fidelibus tuis ad emendationem iniquorum manifestissime declaretur, de quacumque quæstione ratio fuerit agitata, et nullam potestatem habeat diabolica virtus veritatem tuam aut occultare aut depravare; sed sit servis tuis in munimentum fidei ad credulitatem divinæ majestatis tuæ, et ad certificationem manifestissimæ misericordiæ ac verissimæ tuæ veritatis. Per.

Alia. Deus judex justus, qui auctor pacis es, et judicas æquitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad justam examinationem cujuslibet dubietatis faciendam benedicere et sanctificare digneris, ita ut si innocens de prænominata causa, unde purgatio querenda est, hoc ferrum ignitum in manus acceperit (int), vel pedes immiserit (int), illæsus (i. e) appareat (ant) et si culpabilis (es) sit (sint) aut reus (i. e) justissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum veritate declarandum, quatinus justicie non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Per (251). Benedictio Dei Patris et F. et Sp. sci descendat super hoc ferrum, ad discernendum verum Dei judicium.

Oratio aquæ igne ferventis ad Dei judicium faciendum. Deus judex justus, fortis et patiens, qui auctor es pacis et judicas æquitatem, tu judica quod justum est Dne, et rectum judicium tuum, qui respicis super terram, et facis eam tremere. Tu Deus omnipotens, qui per adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum salvasti, et per sanctissimam passionem genus humanum redemisti, tu sanctifica hanc aquam igne ferventem, qui tres pueros Sydrac, Mysac et Abdenago jubente rege Nabuchodonosor in camino ignis accensa fornace salvasti illæsos, et per angelum tuum eduxisti. Tu clementissime dominator præsta, ut si innocens (tes) de hoc furto vel de hoc stupro hanc aquam igne ferventem manum (manus) suam (as) miserit (int), sicut tres pueros supra dictos in camino ignis solvisti, et Susannam de falso crimine liberasti, ita de hac aqua igne fervente salvum et inlæsum educas. Si vero culpabilis ingravante diabolo cor induratum præsumpserit, in hanc aquam igne ferventem manum suam mittere, tua justissima veritas hoc declaret, et in hujus corpore tuam veritatem manifesta, ut anima per penitentiam salvetur, et si culpabilis per aliqua maleficia aut per herbas peccata sua contueri volnerit, tua dextera hoc evacuare dignetur. Per unicum Dominum nostrum Jesum Xpm Filium tuum. Qui tecum.

Alia. Benedico te creatura aquæ per ignem ferventis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ex quo cuncta procedunt; adjuro te per eum, qui te ex fluminibus quatuor totam terram rigare præcepit, et de petra produxit, et te in vinum convertit, ut nullæ insidiæ diaboli neque malitia hominis te a veritate judicii separare possint, sed punias noxium (os am as), et illesum purifices, et innocentem. Per eum quem nulla latent occulta, et qui misit te per diluvium super universum orbem, ut peccatores deleres, et adhuc venturus es (est) judicare vivos ac mortuos, et seculum per ignem.

Alia. Omnipotens Deus, te suppliciter deprecamur pro hujus negotii examinatione, quam modo hic inter nos ventilamus, ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati, et si aliquis hanc præsentem examinationem per aliquod maleficium aut per herbas terræ tegere vel impedire voluerit, tua sancta dextera justissime judex evacuare digneris.

Alia. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui

(251) Ultima hæc desunt in Martenio.

tua judicia incommutabili dispositione justus ubique judex discernis, tu clemens in hoc judicio ad invocationem sancti tui nominis, quod a te intentio fidelium implorat, tua justissima examinatione declara. P r. *Postea vero fumo myrræ odoretur et sumetur calidariata, subtus quam et in circuitu, et sic omne furtum probabi.ur.*

BENEDICTIO AQUÆ FRIGIDÆ AD JUDICIUM DEI.

Omnipotens sempiternè Deus, adesto invocationibus nostris, et hanc aquam ad hunc (hos has) hominem (es) purificandum præparatam virtute tuæ benedictionis infunde, et salubritas per tui nominis invocationem expetita sit ab omni inpugnatione antiqui hostis defensa. Per.

Adjuratio.

Adjuro te (vos) homo (mines) per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, per diem tremendi judicii, et per quatuor evangelistas, et per XXIIII seniores, qui indefessa voce Dnum laudant, et numquam concessant. Adjuro te per XII Aplos et per C quadraginta IIII millia innocentium, qui pro Christo passi sunt, per victoriam martyrum, et per invocationem sacri baptismatis tui, ut si tu de hac re culpabilis sis sive in facto aut aliquo modo indurato corde a diaboli suggestione ad hoc judicium non præsumptuosus accedas, et aqua te non suscipiat, et hoc signo crucis Christi tuæ malitiæ appareat, et virtus omnipotentis Dei manifestetur. Per eundem.

BENEDICTIO EJUSDEM AQUÆ.

Dne Deus omnipotens, qui baptismum in aqua fieri jussisti, et per lavacrum regenerationis humano generi remissionem peccatorum donare dignatus es, sanctifica quæsumus hanc aquam, et justum i) ea discernendum judicium, qui solus es justus judex et fortis, ut si reus sit homo iste de prænominata re, aqua quæ eum in baptismo suscepit, nunc non recipiet: si autem inculpabilis et innocens sit inde, aqua quæ eum in baptismo suscepit, nunc in se recipiat, et si mundus et innocens sit inde, sanus de profundo hujus aquæ abstrahatur. Per.

Adjuratio. Adjuro te aqua in nomine Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, et te jussit ministrare humanis necessitatibus, qui te jussit segregari ab aquis superioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Jesu Christi Filii Dei omnipotentis, sub cujus pedibus ambulanti in mari te calcabilem præbuisti, qui in te etiam baptizari voluit. Adjuro te etiam per Spiritum sanctum, qui super Dnum baptizatum ascendit. Adjuro te per nomen sanctæ et individuæ Trinitatis, cujus voluntate aquarum elementum divisum est, et populus Israel per illud, siccis pedibus transiit, ad cujus invocationem Helias ferrum, quod de manubrio exierat, super aquam natare fecit, ut nullo modo suscipias hominem hunc N. ut si in aliquo est culpabilis, quod eis objicitur. Per.

Tertia Adjuratio.

Si in aliquo est culpabilis ille, pro quo iste ad probationem mittendus est, scilicet aut per opera, aut per consensum, aut per scientiam, aut per ullum ingenium, fac eum super te natare, et nulla possit a te causa esse aliquo modo facta, aut per ullum præstigium, quo illud non possit manifestari. Adjuro autem te per nomen Christi, et præcipio tibi, ut nobis obedias per nomen ejus, cui omnis creatura servit, quem Cherubim et Seraphim collaudant dicentes Sanctus sanctus sanctus Dnus Deus exercituum, qui etiam regnat et dominatur per infinita secula seculorum. Amen.

Quarta Adjuratio.

Deus qui maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura mysteriis tuis serviens ad diabolicas et humanas fallacias detegendas, ad eorum argumenta et figmenta dissolvenda, atque multivomes (*lege* multiformes) eorum artes destruendas divinæ gratiæ sumat effectum. Discedant hinc omnes insidiæ latentis inimici, quatinus veritas de his, quæ a nobis divini sensus et alieni cordis ignaris requiruntur, tuo judicio expetita, per invocationem tui sancti nominis patefacta claresca: et ne unde requirimus, innocens injuste damnetur, neque nocens a te, qui lux vera es, cuique non sunt obscuræ tenebræ, et qui illuminas tenebras nostras, quærentibus veritatem impune possit deludere. Te, quem occulta non transeunt ostendente, et virtute tua, qui occultorum es cognitor, declarante fiant (*lege* fiat) hinc nobis in te credentibus veri cognitio manifesta. Per.

Quinta Adjuratio.

Adjuro te homo N. per invocationem Dni nostri Jesu Christi ad judicium aquæ frigidæ. Adjuro te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per Trinitatem inseparabilem, et per omnes. *Desunt hic duo folia in Ms.*

*Ver*bum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate.

JUDICIUM AD VOMERES.

Dne Deus omnipotens, qui creasti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, qui hominem ad imaginem tuam formasti, qui Filium tuum unigenitum Dnum nrm Jesum Christum cooperante Spiritu sancto in uterum intemeratæ Virginis misisti, qui ex illa eum carnem humanam sumere voluisti, per illius dilectissimi Filii tui Dni nri Jesu Christi nomen atque per merita sanctæ Dei genitricis Mariæ te invocamus, tuamque majestatem supplices exoramus, ut in hoc examinationis judicio evanescere jubeas omnes versutias diabolicæ fraudis calliditatisque, sive incantationes hominum sive mulierum, nec non et valitudines herbarum, ut omnibus circumstantibus appareat quia tu es justus et justitiam diligis, et non est qui resistat majestati tuæ. Ideoque dominator Dne cœlorum et terræ, creator aquarum, rex universæ creaturæ tuæ, in tuo sancto nomine atque virtute benedicimus hos vomeres ad discer-

nendum judicium verum, ut ita, si iste homo innocens sit de hujus rei inquestione, quam inter nos ventilamus et tractamus, qui nudis pedibus super eos ambulaverit, tu Deus omnipotens sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et Susannam de falso crimine, et Danielem de lacu leonum, sic innocentes pedes tua potenti virtute falsos (salvos) et illesos conservare digneris. Si autem iste homo culpabilis sit de prænominata re, et suadente diabolo tuam potentiam ausus tentare fuerit, et super eos ambulaverit, tu qui justus es et judex, fac manifestam in ejus pedibus apparere ustionem tibi ad honorem et laudem (et) gloriam, nobis autem servis tuis ad constantiam et confidentiam nominis tui, perfidis autem et obcæcatis ad confusionem et penitentiam peccatorum suorum, ut inviti cognoscant, quod sponte noluerunt, te esse judicem vivorum atque mortuorum viventem atque regnantem in secula seculorum. Amen.

Relicto duarum linearum spatio, quarum litteræ studio videntur erasæ, pergit.

Adesto Dne supplicationibus nostris, ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, intercedentibus omnibus sanctis tuis tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Perveniat (*l.* præveniat) nos quæsumus Dne misericordia tua, et voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te per Heliseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris sal exorcizatum ad salutem credentium, et sis omnibus te sumentibus sanitas animæ et corporis: effugiat, atque discedat ab eo loco quo aspersus fueris, omnis fantasia et nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus est judicare vivos.

Exorcizo te creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, et in caritate Dni nostri Jesu Christi, et in virtute Spiritus sancti: exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum.

Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices, et benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum in nomine Dni nostri Jesu Christi, qui.

Exorcizo te creatura salis per nomen Dni nri Jesu Christi, per gloriam et regnum ejus, per omnipotentiam et virtutem ejus, per illum redemptorem et salvatorem mundi te exorcizo, qui.

BENEDICTIONES VARIÆ.

ANNUALIS BENEDICTIO PUTEI.

Deprecamur Dne clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei hujus cœlesti benedictione sanctifices, et ad communem vitam concedas salubrem, et ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum, ut quicumque ex eo hauserit biberitve, vel in quibuslibet necessariis usibus hausta aqua usus fuerit, totius sanitatis ac virtutis dulcedine perfruatur, ut tibi semper sanctificatori et salvatori omnium Dno gratias agere mereatur. Per.

SUPER VASA IN ANTIQUIS LOCIS REPERTA.

Omnipotens sempiterne Deus, insere te officiis nostris, et hæc vascula arte fabricata gentilium sublimitatis tuæ potentia]ita mundare digneris, ut, omni immunditia depulsa, sint tuis fidelibus tempore pacis ad (ac) tranquilitatis utenda. Per.

Alia. Deus qui in adventu Filii tui Dni nostri omni tuis mandasti fidelibus, adesto propitius invocationibus nostris, et hæc vascula, quæ tuæ indulgentia pietatis post (p') spatia temporum a voragine terræ abstracta humanis usibus reddidisti, gratiæ tuæ largitate emunda. Per.

BENEDICTIO AD FRUGES NOVAS.

Oremus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ (quas) aeris et pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, et fructus terræ tuæ ad matu... *Desinit pagina, et sequuntur alia, sed coæva, manu scripta:* salutare generi humano, et per invocationem. . . ut quicumque ex . . . sumpserint, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant.

BENEDICTIO AD OMNIA QUÆ VOLUERIS.

Benedic Dne hanc creaturam arborum, quam tua nobis largitas (te) ad perfruendum dare dignatus es, et præsta clementissime Pater, ut dum harum arborum fructu in nomine sanctæ Trinitatis vescimur, sempiternæ tuæ benedictione (is) participemus. Per.

Alia. Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis, tu Dne emitte Spiritum tuum sanctum super hanc creaturam tuam H. ut armata virtute cœlestis defensionis, qui ex ea gustaverint, proficiat illis ad æternam salutem. Per. In unitate ejusdem Spiritus sancti.

BENEDICTIO VEXILLI BELLICI.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum

benedictio, et triumphantium fortitudo (252) et cœlestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per.

BENEDICTIO ENSIS NOVI.

Exaudi quæsumus Dne preces nostras, et hunc ensem etc.

Alia. Famulum tuum etc.

Alia. Benedic Dne sancte Pater omnipotens etc. *Tunc cantantur istæ antiphonæ :* Speciosus forma etc.

Item. Oratio :

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. etc.

BENEDICTIO NOVI PUTEI.

Dne Deus omnipotens, qui in hujus putei altitudine per crepidinem fistularum aquarum copiam emanare jussisti, præsta, ut te jubente atque benedicente per nostræ officium functionis repulsis hinc fantasmaticis calliditatibus atque insidiis diabolicis purificatus atque mundatus hic puteus semper perseveret. Per.

Oratio ubi negligentia contigit.

Dne sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per invisibilitatis potentiam has aquas visibiles præbuisti, te tui famuli supplices exoramus, ut aquas has, quas negligentia polluit, sancti Spiritus gratia ad munditiam revocet atque purificet, ut spiritus callidi hostis abscedat, ac deinceps sanctificatas familiæ tuæ potabiles tribuas, ut et potentium mundet (ut) corpora cordaque sanctificent. Per.

ORATIO AD JUDICIUM PANIS ET CASEI.

Ayos ayos ayos (agios) sancte Pater, qui es invisibilis æterne Deus omnium rerum creator, qui arcana q' prospicis, et cuncta cognoscis, qui scrutaris corda renesque Deus. Deus qui liberasti Moysen et Aaron de terra Ægypti, David *Saul regis*, Jonam de ventre ceti, Petrum de fluctibus, Paulum de vinculis, Theclam de bestiis, Susannam de falso crimine, tres pueros de camino ignis ardentis, Danielem de lacu leonum, paralyticum de grabbato, Lazarum de monumento ; ostende nunc nobis misericordiam tuam, ut qui hæc furta, quæ hic subnotantur, admiserint, panis vel caseus iste fauces nec guttura eorum transire possint. Per.

Exorcismus ejusdem.

Exorcizo te maledicte et immundissime draco et serpens noxius, per verbum veritatis, per Dnm omnipotentem et Jesum Christum Nazarenum agnum immaculatum de altissimis missum, de Spiritu sancto conceptum, ex Maria virgine natum, quem Gabriel angelus annuntiavit venturum, quem cum vidisset Johannes clamavit voce magna dicens : hic est Filius Dei vivi : et (*l.* ut) nullo modo dimittas communicare pane vel caseo isto eos, qui hæc furtu, quæ litteris annotavimus, admiserint, et (qui) de hoc crimine nescii sunt manducent, et qui conscii esse videntur, statim tremebundi evoment. Per.

(252) Sequentia habes supra col. 1121.

A *Alia.* Suggero tibi Pater omnipotens æterne Deus, qui cœlum terramque fundasti, mare limitibus formasti, et ipsum cœlum fabricasti, et magna luminaria videlicet solem et lunam super justos et injustos fulgere jussisti : fac Dne signum tale, ut omnis mundus omnisque terra intelligat, quia tu es Deus, qui facis mirabilia magna solus, Dne Jesu Christe Fili Dei vivi : ut qui res jam dictas, quæ continentur subscriptæ, et qui ex his conscii et conscientes esse videntur, ut gulæ et linguæ vel fauces eorum ita fiant constrictæ et obligatæ, ut caseum istum non possint manducare. Per.

ADJURATIO VIRORUM.

Hic dividatur panis et caseus unicuique summentium uncia dimidia.

B Admoneo vos fratres in nomine Domini Jesu Christi Nazareni, ut si quis istos ex vobis res furatus est, aut aliquo modo pollutus est, procedat in medium, et profiteatur coram sancto altari, et satisfaciat. Sin autem noluerit, sed arrogantia timidus (*l.* tumidus) introierit judicium, sentiat magnum judicem esse Jesum (*sc.* Josue) super se, qui quondam cupidum de spoliis victum interemit, stringat et fauces ejus Heliseus propheta qui mi (*f.* ministri) furtum deprehendit, gladius Petri apli astet animam Ananiæ ac Saphiræ verberans. Ideo ammoneo, ut detis gloriam Deo, et confiteamini illi ne introeatis in tentationem.

Adjuratio. Adjuro te immanissime draco, serpens antique, per verbum veritatis et signum claritatis
C Dni nri Jesu Christi agni immaculati de altissimis procreati, ut nulla tua arte impediatur, sed judicium rectum Dei existat. Et qui de hoc furto consentiens fuerit, judicium Dei spumato ore et strangulato gutture patefaciat qui æquitatem (diligit *omiss.*) in omni tempore, qui benedictus in secula seculorum. Amen.

Quando in os sumentis mittitur, dicatur hæc. Conjuro te o homo per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, per tremendum judicii diem, per quatuor Evangelistas, per duodecim Aplos, sedecim prophetas, per viginti quatuor seniores qui quotidie cum laudibus Deum adorant; per illum redemptorem, qui pro nostris peccatis (mori *omiss.*) in sancta cruce
D dignatus est, si de hoc furto, inde (*l.* unde) moderatio (*f.* modo ratio) agitur, culpabilis es vel mixtus, aut fecisti, aut scisti, aut baiolasti, aut consensisti, hoc tibi ordinatum sit de manu Dei, ut panem vel caseum istum non possis manducare nisi cum flato ore cum spuma et gemitu et dolore et lacrimis, et faucibus tuis constrictis et obligatis. Per eundem.

Primo . . . ista conjuratio.

Deus angelorum et archangelorum, Deus prophetarum et patriarcharum, Deus apostolorum et martyrum, Deus confessorum et virginum, Deus pater Dni nri Jesu Christi, qui in mundi exordio hominem ad similitudinem tuam propria voluntate formasti, præceptumque ei dedisti, ut vetitum non tangeret

pomum qw (. . .) transgressione multos luit annos quamque immensa propitiaque tua divinitas in homine assumto tulit e vinculo servum restituitque genus humanum perpetua clementia regno, inclina ad precem humilitatis nostræ et ostende in nobis misericordiam tuam, ut qui contra præceptum tuum et adversus instituta legalia et evangelica et per apostolica furtum perpetrare non metuunt, virtutem tuam † per hanc creaturam panis et casei sentiant advenisse, ut si quis de his, quorum nomina hic tenent coinserta, sive de his rebus, quæ in breviculo tenentur, aliquid furatus est, aut consentiens fuit, aut quolibet modo commixtu, aut si reddere in præsenti vel confiteri noluerit coram omnibus, panis vel casei istius partem datam transglutire non possit, sed spumato ore ac sputo sanguine mixto, faucibusque constrictis convinctus appareat : et qui innocens et illæsus est, cum gratiarum actione sumat et lætus abscedat : quia tu Dne judex es justus et verus, scrutans renes et corda, et tu solus sciens cogitationes hominum. Ne perdas justum cum impio, sed æquitatem misericordiæ tuæ in illis ostende, ut quomodo in aqua benedictionis et maledictionis pudicitiam et typum decrevisti veteri quondam in lege, ita quoque nostris temporibus in hac nunc tua creatura operare miracula, ut omnes fines terræ timerent judicia tua, quia tu es Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

Item exorcismus.

Exorcizo te creatura panis et casei, per Deum omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus Dnum nrum et Spiritum sanctum procedentem a Patre et Filio unum Deum in Trinitate, judicem vivorum ac mortuorum. Adjuro te per sanctos angelos ejus atque per omnem militiam cœli, ut si qui ex his sumere voluerit, te, qui de his quæ in hoc brevi (253).

ORATIONES CONTRA DÆMONIACUM.

IMPOSITIO MANUUM ENERGUMEN. CATICUMINUM.

Ex Sacramentario Rhenaug. antiquissimo.

Omnipotens æterne Deus, cujus facie cœli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremuit, cui patent abyssi, quem infernus pavescit, quem omnes irarum motus aspiciens humiliatur, Te supplex deprecor Dominator Dne, ut invocatione nominis tui ab hujus famuli tui il. vexatione inimicus confusus abscedat, et ab hujus possessione anima liberata ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremque suum diabolico fœtore depulso, et odore suavissimo Spiritus sancti percepto sequamur. Per. g. gs.

ITEM ALIA PRO ENERGUMENO.

Domine sancte Pater omnipotens sempiterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro hujus a diabolo oppressa infantia, qui etiam indignis inter pressuras donasti præsidium, exsurge pro infancia debellata, et noli diu retinere vindictam, nec ante conspectum tuum veniant parentum delicta, qui nec pro filio patrem nec patri promisisti filium judicare, auxiliare quæsumus, inimici furtive (254) vexatum, ne sine baptismate facias ejus animum a diabolo possidere, sed potius tenera ætas maligni oppressarte et fraude in nonnullorum manibus se moveat; 2°. Quod non semper se inclinet, et quod quandoque deceptio aut illusio interveniat ; 3°. Quod quandoque se flexerit, ubi nec aqua nec metallum. Puellæ virga hac uti solitæ suasit Brunius, ut precibus, secessu sacro et sacra communione Deum precetur; quod ipse sacrificio missæ faciebat, rogabatque, ut si qua diaboli opera eo in usu intercederet, Deus effectum impediret, quod et factum, nec quidquam se virga inclinante, uti legere est in Elogio histor. Brunii operi edit. nov. an. 1750, præmisso t. I, p. XXVIII. Agitur postea p. XIV, seq. de ejusdem virgæ usu maxime superstitioso ad detegendos facinorosos, limites transpositos, etc. Quo in genere fraudis cum maxime celebretur Jacobus Aymar, de eodem aliisque varia variorum judicia affert Brunius t. III, p. 177. abbatis etiam celebris *de la Trappe* ad Mallebranchium, cujus acutissimi philosophi aliorumque varias profert dissertationes et epistolas cum responsoriis in utramque partem diverso explicandi modo, qua ratione res saltem in detegendis metallis, aut aquis naturaliter accidat, aut superstitiose ac per illusionem humanam vel diabolicam, seu concurrente causa aliqua intelligenti, quæ sese voluntati consultantis accommodet, nec nisi super eo, quod petitur detegi, se inflectit. Nobis pro cynosura sunt conciliorum decreta, quæ varia legi possunt t. XV, conc. sæc. XVI quo hæc superstitio maxime increbuit.

(253) Hic desinit codex. Præter hæc tam varia, quæ ex codd. liturg. Alemannicis retulimus, sunt et alia id genus a laud. Brunio notata. Copiose imprimis agit de *virga divina*, ut vocat Cicero in lib. I De Off. uti quidem varia proh dolor! superstitionis genera Christianismo sunt illata, atque etiam Christianis ritibus rebusque sacris veluti obvoluta : « Ut illi ipsi (utor S. Augustini verbis Tr. VII in Joan., c. I, p. 344) qui seducunt per ligaturas, per incantationes, per machinamenta inimici misceant præcantationibus suis nomen Christi ; quia jam non possunt seducere Christianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, et bibatur ad perniciem. » Sic scimus abusos etiam malignos ipso sacratissimo corpore Domini, verbisque consecratoriis ac aliis sacris formulis, rebusque sacris aqua baptismali, cereis benedictis, particulis æri campani benedicti, ornamentorum sacerdotalium, etc. Nihil frequentius est initio Evangelii S. Joannis, quod notat Brunius in usu pulveris sympathetici virgæque divinatoriæ, ad recondita manifestanda metalla, aquas, etc. Incidunt etiam virgis figuram c. c. crucis, nomina Gaspar, Melchior, Balthasar, quales Parisiis servari satis antiquas testatur Brunius. Recitant item qui virgam tenent, psalmum *De profundis*, etc., *Credo videre bona Domini in terra viventium*, ut ex Wierpo de Præstig. dæm. lib. IV, c. 9, Bodino Dæmon. lib. II, c. 8, observavit Brunius libroque VII, c. 2, tria circa eam rem statuit post longam disquisitionem p. 338. 1°. Quod virgula sine

(254) *leg.*, furore.

sionibus libera tibi referat gratias sempiternas. Per Dum nostrum Jhesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare. . . g. gg.

ITEM ALIA ENERGUMEN. BAPTIZATUM SUPER HOMINEM QUI A DEMONIO VEXATUR.

Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus virginum, Deus Pater Dni nostri Jhesu Christi, invoco sanctum nomen tuum præclare Majestatis tuæ (*suppl.* clementiam supplex exposco) ut mihi auxilium præstare digneris adversus hunc nequissimum spiritum, ut, ubicumque latet, audito nomine tuo velociter exeat, et recedat. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire precepit, audi ergo et Satanas victus et prostratus abscede. In nomine Domini nostri Jhesu Christi tu ergo nequissime Satanas, inimicus fidei generis humani, mortis raptor (255), justiciæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, perditor gentium, incitator invidiæ, origo avariciæ, causa discordiæ, excitator dolorum, demonum magister, quid stas et resistis, cum scis eum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde triumphator, recede in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Deus conditor et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam manibus tuis, et proprio tuæ divinitatis ore formasti, respice super famulum tuum hunc, qui dolo serpentis adpetitur, quem vetus adversarius et hostis (256) reformidinis horrore circumvolat, et sensum mentis humanæ stupore defugit (257), terrore conturbat, et metum trepidi timoris exagitat, repelle Dne, virtutem diaboli, fallaces insidias, procul impius temptator auffugiat, sit nominis tui signo famulus tuus et animo totus et corpore, tu pectoris hujus interna custodias, tu viscera regas, tu corda conformes, in anima adversariæ potestatis temptamenta vanescant. Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam, et qui hunc usque terrebat, territus habeat (*l.* abeat) et victus abscedat, tibique possit hic servulus tuus corde confirmato et mente sincera debitum prebere famulatum. Per.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus Osanna in excelsis. Pater Domini nostri Jhesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputasti, qui Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem leonem conteret (258), velociter adtende, adcelera ut eripias hominem tuis formatum manibus, a ruina et demonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminavit vineam tuam, da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem fortiter stare, nec contempnat sperantes in te, et dicat, sicut in Faraonem jam dixit, Deum non novi, nec Israel dimitto, urgeat illum Domine dextera tua potens discedere a famulis tuis, ne diutius presumat captivum tenere hominem, quem ad imaginem tuam facere dignatus es. Adjuro te ergo serpens antique per judicem vivorum et mortuorum per factorem mundi, qui habet potestatem mittere te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei (259), qui ex his supplicium tuum crescit, quoniam non hominem contempnis, sed eum, qui dominator vivorum et mortuorum est, qui venturus est judicare sæculum per ignem.

(*Ex cod. bibl. Cæs. Vindob. Theol.* 685, sæc. x.)

Quando venit aliquis vexatus a demone, tunc presbyter (260) *consignet eum cum tribus collectis. Jubet eum postea exire de ecclesia et despoliari vestimentis suis in secreto loco. Interim autem cantet letaniam. Benedicat salem et aquam. Tunc indnet eum vestimentis novis aspersis cum aqua benedicta, et tunc vadat ante altare et jejunet usque ad nonam, et presbyter cantet missam pro eo, et det ei sacrificium per VII dies et maneat cum presbytero usque ad XV dies, nihil comedens nisi panem et salem, et, si presbyter permittit, pisces, legumina, cum benedictione salis et aquæ. Et si tunc non prævaluerit inimicum superare, tunc faciat usque dum Deus dignetur super illum facere misericordiam: quia Dominus dixit,* hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. *Nihil comedes neque bibes, nisi prius de aqua benedicta. Non comedat de capra. Nec caseum, nec butirum. Nec nihil quæ illa generat. Nec caput illius pecudis. Nec de pisce. Et usque ad XV dies abstineat se ab' uxore sua, et illa similiter a viro suo. Et usque ad plenum annum non comedet in die Dominico factum panem. Nec hanc carnem, quæ in ipso die occiditur. Nec calidam cerevissam in Dominico factam. Et nihil calidum manducat nec bibat, usque dum vixerit.* Hec Liezan (261).

(255) *Impress.* mortis adductor, vitæ raptor.

(256) *Impress.* hostis antiquus terræ, etc.

(257) *Lege* defigit.

(258) *Leg.* contereret.

(259) *Supple ex impressis:* Qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu et exercitu furoris tui festinus discedas : qui quanto tardius exis, tanto magis ex his, etc.

(260) Sunt qui putent ab exorcistis munus ordinis sui esse exercendum, nequaquam a presbyteris; aliis econtra secus videtur, a presbyteris quod hic præscribitur, exorcizandum esse, quod apud Græcos fit ab antiqua traditione, ut *Jac.* Goar in notis ad Euchologium Græc. observat, illuc etiam cum Christ. Lupo in Schol. ad cap. 41 Tertulliani *De Præscriptionibus*, interpretatus can. 26 conc Laodiceni : *Quod hi, qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possunt.* Utrumque auctoritate episcopi faciendum esse S. Innocentius I, ad Decentium *Eugubinum* rescribit : *Ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus ei vel a presbytero, vel a cæteris clericis imponatur.*

(261) Videtur hic auctor nescio quis designari, ex quo desumpserit hæc scriptor a superstitione haud vacua, quæ affert de selectu ciborum alio, quam qui ad jejunium spectet seu abstinentiam. Locum hic habere possunt, quæ Jos. Catalanus t. II, p. 323, collegit Commentar. ad ritualis R. ad illa § 19 verba *ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat,* ac si naturalis quædam quibusdam rebus insita esset ad pellendos dæmones virtus.

INCIPIUNT ORATIONES CONTRA DEMONIACUM.

(Ex eodem codice [262].)

Separa te a famulo Dei illo, immunde spiritus maledicte dampnatissime Satanas! sicut separavit omps Ds cœlum a terra, lucem a tenebris, justitiam ab iniquitate, mendacium a veritate. Ecce imponitur tibi signum Dei mei, quod tu maligne inponere non potes. Solve nodos, solve catenas, solve ligamina. Te adjuro maledicte Satana, fuge cum estu tuo de mundo hoc in terram Ægypti. Crepe velocius sicut crepuit draco in Babilone ante pedes Dannihel servi Dei, et venient septem angeli principes candidi, et lucerne ardentes ad conburendum te, semen Cain, filii tenebrarum fictæ latebræ, adversator castistatis. Seductor animarum, aspersator hereticorum, lassator populorum, dux malorum. Agnosce artem tuam maledicte Satana. Ecce Gabrihel Angelus cum turibulo aureo pleno incenso de orationibus sanctorum. Invoco nomen majestatis tuæ Pater, cum Xpo Filio tuo qui fecit vinum de aqua in Chana Galileæ. Iterumque benedixit quinque sensus hominum. Non lateat hic inmundus spiritus ab ungulis digitorum usque ad verticem capitis. Adjuva Dne famu†lum tuum N. sicut adjuvasti Saram filiam Raguhel : sicut illuminasti oculos Tobiæ : sicut liberasti Loth de Sodomis : sicut liberasti David (*suppl.* de manu) Saul regis : sicut liberasti Teclam de tribus tormentis, ut credat omnipotentem atque in Dei sapientiam et intellectum. P.

Adiuro et deprecor Dne signum cruentum crucis et Golgotha speciem rubræ rupis, a sanguine hujus Judæorum magni regis Ihu Xpi Dni nri redemptoris altissimi omnipotentis Dni unigeniti Filii Patris. Signum admirandum valde virtutis crucis Xpi altissimi, ut istum hominem vexatum a maligna virtute adjuvet. Per Dnm.

Alia. Deprecor Dne die noctuque, sig†num majestatis divinæ, sig†num summe bonitatis Dei atque ineffabilis, sig†num magne pietatis potentiæ sublimis, sig†num gloriæ cœlestis admirabilis, sig†num salutis æternæ ac vitæ perpetuæ, sig†num palmæ ac victoriæ martyrum, sig†num lucis sempiternæ sanctorum requie fruentum sine fine in regno cum Xpo gloriæ, sig†num altum ac profundum baptismi mysterium, sig†num salubre ac magnum anime remedium, sig†num ante consecratum Xpi ore ac deprecatum, quod prædixerat apostolis passurum a Judeis crucem pro salute mundi; per te namque auditus surdis donatur, leprosi mundantur, morbi dolore sanantur, vicia separantur. Sig†num Domine diei et resurrectionis Xpi, sig†num adventus Sps sci descendentis super sanctos apostolos et ignis supra singulos credentium populos Xpi primum et in ecclesia Sanctorum. Sig†num super orbem terrarum Xpi ecclesiarum canentium more unacum cordis affectu intimatum. Ihu Xpe qui cum Patre vivis ac regnas in unitate Sps sancti Ds per omnia sæcula sæculorum.

Alia. Dne sancte Pater omnipotens æterne Ds, Osanna in excelsis, Pater Dni nri Ihu Xpi, qui illum locum refugam tyrannum gehennæ deputasti, qui Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem leonem conteret veloci ter, adtende accelera ut eripias hominem tuis formatum manibus a ruina et demonio meridiano. Da Dne terrorem tuum super bestiam, quæ exterminabit vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum fortiter stare draconem. Nec contemnat sperantem in te et dicat sicut in Pharaone jam dixit : Dnm non novi, nec Israel dimitto. Urgueat illum dextera tua potens, ut discedat a famulo tuo N. Ne diutius præsumat captivum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Adjuro te serpens antique per judicem vivorum et mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittere in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad ecclesiæ Dei præsepia cucurrit, cum metu, et exercitu furoris tui festinus discedas. Ad†juro te non mea infirmitate, sed virtute Sps sci, ut discedas ab e†o N. quem omnips Deus ad imaginem suam fecit. Cede, cede non mihi sed mysteriis Xpi. Illius enim te perurguet potestas, qui se affigens cruci suæ te subjugavit. Illius brachium contremisce, qui addictas gemitibus inferni animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, sit tibi formido imago Dei. Nec resistas. Nec moreris discedere ab homine

(262) Igitur orationibus et exorcismis contra dæmones res est agenda procul curiosis interrogationibus sermocinationibusque cum obsessis. Qua de re sic cavet Rituale Rom. § 15 : « Exorcista ne evagetur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris et occultis ad suum munus non pertinentibus, sed jubeat immundum spiritum tacere, et ad interrogata tantum respondere. » Quanto istud cum dispendio fiat, quamve proclive sit hic delinquere ac mortaliter etiam peccare Jos. Catalanus notat in Comment. ad h. l. t. II, p. 316 ex Barrufaldo ad eumdem locum : atque etiam ad card. Cajetanum in 2. 2, q. 90. art. 1 provocat. Notatu digna sunt quæ deinde ex Cardio refert. Itaque ex ejus sententia « tenendum est inprimis peccare mortaliter, qui longos et inutiles sermones cum dæmone obsidente habet, quia jam hoc esset cum eo amicitiam inire, cum tantum cum amicis ita familiariter agamus. Secundo lethaliter peccare, qui hanc vel illam rem a dæmonio media interrogatione, addiscere vult : etenim hoc est, beneficium aliquod ab eo exspectare, quod certe superstitiosum est. Tertio, si adsit periculum, quod dæmon occulta pericula prodat, quia graviter tenemur, infamiam proximi vitare. Quarto, si quis ea interroget non coactive, sed deprecative, quia hoc esset discipulus ejus fieri, et humiliter illi subjici, quod illicitum est. Deinde tenendum est, quod si coactive, et imperative hanc vel illam rem vanam et inutilem a dæmone interroget, tantum committere peccatum veniale curiositatis, » etc. Porro male post primam orationem hic eodem forte, quem modo perstrinximus, auctore adjecta sunt verba hæc : *Scribe in tabula, et dele, et da bibere.* Orationibus et exorcismis, contra dæmones procedendum est, idque ritu ac formulis ab Ecclesia præscriptis hic vel maxime, quando quidem cum hoste vaferrimo congrediendum est.

isto N. quoniam complacuit Xpo, ut in homine habitaret. Et ne me infirmissimum putes dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Dnus. Imperat tibi Majestas Xpi. Imperat tibi Deus Pater. Imperat tibi Filius et Spiritus scus. Imperat tibi apostolorum fides, sci Petri et Pauli, et ceterorum apostolorum. Imperat tibi indulgentia Confessorum. Imperat tibi Martyrum sanguis. Imperat tibi sacramentum crucis. Imperat tibi misteriorum virtus. Exi transgressor, exi seductor plenus omni dolo et fallacia, veritatis inimicus, innocentiæ persecutor. Da locum durissime, da locum impiissime. Da locum Xpo in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te expoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, et vasa tua disrupit (diripuit), qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid nunc turbulente recogitas? quid temerarie retractas reus omnipotenti Deo, cujus transgressor es, reus Ihu Xpo Filio ejus, quem temptare ausus es, et crucifigere præsumsisti, reus humano generi, cui mors tuis persuasionibus venit. Adjuro te ergo draco nequissime in nomine Agni immaculati, qui ambulat super aspidem et basiliscum, qui conculcat leonem et draconem, ut discedas ab homine isto N. et ab ecclesia Dei. Contremisce et effuge invocato nomine Domini. Illius quem inferi tremunt, cui Virtutes et Dominationes subjecte sunt, quem Cherubim et Seraphim indefessis vocibus clamant. Imperat tibi Verbum caro factum. Imperat tibi natus ex Virgine. Imperat tibi Ihus Nazarenus, qui te, cum in discipulis suis contempneres (263), elisum et prostratum exire jussit ab homine : quo præsente cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem præsumebas contingere. Recede nunc adjuratus in nomine ejus ab homine, quem ipse plasmavit. Durum tibi est contra stimulum calcitrare. Durum tibi est velle consistere, quia quanto tardius exies, tanto tibi supplicium crescit, quoniam non hominem contempnis, sed illum qui dominator vivorum est, qui venturus est judicare sæculum per ignem, qui cum Patre et Filio et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæc. sæcul. Amen. *Alia*. Deus qui humano generi saluti etc. *Alia*. Virtutum cœlestium Deus etc.

Alia. In nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus sci. Conjuro te et obtestor te diabole, per nomen Dni nri Ihu Xpi, et imperium ejus, et per virtutem sanctæ Trinitatis, et per omnipotentiam ejus, ut exeas Satanas, et omnis diabolica potestas de homine isto N. absque læsione animæ et corporis sui. Exeas omnino nec stare, nec discurrere, nec latere, nec servire. in corpore istius, et spiritu, et anima, aut vestimento præsumas, sed profugus abscedas. Nullumque vestigium aut dolorem in anima istius, vel in carne seu ossibus derelinquas. Exite inmundi spiritus, quicunque estis, aut unus, aut plures, qualecunque vobis sit nomen. Exite velociter. De capite illius, et de capillis ejus de isto homine, de vertice, de fronte, de supercilliis, de oculis, de temporibus, de auribus, de naribus, de fistulis, de mutilagine, de maxillis, de lingua, de sub lingua, de dentibus, de ore, de gutture, de gula, de altera gula, de uva, de palato, de aere, de anhelitu ipsius, de pectore, de cogitatione, de labiis, de faucibus, de gengivis, de utroque collo, de ungulis, de humeris, de scapulis, de ascellis, de interscapulis, de dorso, de cervice, de spineta, et de medullis, et evola, procede constrictus per potentiam scæ Trinitatis et nomen Dei omnipotentis. Effuge liquefactus de ventre, de visceribus, de femoribus, de genitibus (*l.* genibus) de suffraginibus et suris, de cruribus, de quatuor talonibus, de pedibus, de plantis, de calcaneis, de articulis, de interarticulis, de unguibus omnibus, de medullis universis, de venis, de ossibus cunctis, de nervis, de arteriis, de omnibus carnibus, de omni sanguine suo, de omni humore illius, de totis quinque sensibus ejus, de genitalibus locis, de semine, de unguibus, de pectine, de vesica, de foramine alvi, de mina, de sudore, de omni egestione ipsius. Expellaris in nomine Ihu Xpi crucifixi, qui resurrexit. Exi de felle, de epate, de juncturis omnibus, de intestinis, de stomacho, et ventriculo, de splene omnino procede, nunquam reversurus ibi. Exi de adipe, de reticulo, de renunculis, de corde, de subcorde, de pulmonibus, de omnibus cordis et pulmonum corporis et carnibus. Exi de renibus, de lumbis, de teribus, de costis, de hiliis, de collis, de vertebris, de natibus, de internatibus, de omnibus fibris vitalibus, de anima, de umbilico, de mammillis, de intervivio, de mula, de intestino grossiore, de pilis, de omni cute ipsius, de toto corpore ejus, de cunctis cibariis, et omni pane suo, de toto potu, de omni victu illius abscedes. Nec adpropinquare, nec malos aeris, nec fendidos orrares, vel insidias ullas ei ingerere præsumas ; sed expulsus extra mundum istum per virtutem et signum sanctæ crucis redemptoris nostri Ihu Xpi quæ est (sunt) arma Christianorum et triumphus Dni Ihu Salvatoris nri. Per quem victus et ligatus es, ut passer in solitudine vacuus, deserta mox concitus et constrictus petas. Per invocationem et virtutem nominis Dei omnipotentis, exi in ista hora, et in isto momento spiritus inmunde, qui invasisti hunc hominem N. Evola. Evanesce. Hunc hominem sanum, integrum, et sincerum corpore et anima, et spiritu in Dni Ihu servitio in perpetuum derelinque. Exi anathematizate, non remaneas, nec abscondaris in ulla compagine membrorum istius, aut flatu ejus, in ullo domorum angulo suarum per ullum argumentum, aut calliditatem te celare præsumas. Neque quæ sunt ejus contingas, aut obsideas. Non vestimenta illius, non viros, non fœminas, non pecora, non jumenta, quæ sua sunt ullo modo invadere præsumas ; sed cate-

(263) *Impres.*, cum discipulos ejus contemneres, etc.

natus et frenatus per imperium et potestatem, et regnum Dni nri Ihu Xpi creatoris mundi exul effugias, partesque illas petas, ubi ullam creaturam Dei ledere præsumas. Da mox honorem Deo omnipotenti cujus omnia dominantur imperio, cui incessabilia obediunt elementa. Virtus illius te expellat, et exire cogat cum omni turba tua, qui de Maria Magdalena septem fugavit dæmonia. Qui regna mortis per te inventa destruxit, et de potestate tua electos suos abstulit. Ipse est Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ, qui ex ore Patris prodiit ante luciferum. Teque deprecamur, et invocamus te Deus omps sancta Trinitas, ut hunc hominem, pietatem tuam petentem, jubeas emundari ab omni insidia dæmonum, et doloris immissione eorum. In nomine Ihu et Spiritus sci petimus Deus Pater, ut virtus tua adferatur in hunc hominem ægrum et corroborare eum digneris ad vitam æternam. Legimus et credimus Dne in Evangelio sancto tuo, quod cum omni imperio Dnus Ihs Filius tuus spiritus immundos ejiciebat, et passiones ab ipsis illatas potenter curabat, ut impleretur quod dictum est a Domino per Esaiam prophetam : Ipse infirmitates nostras et ægritudines portavit, et livore suo plagas nostras sanavit. Tu Domine Salvator mundi apostolis tuis sanctis et omnibus in te credentibus potestatem dedisti spiritus inmundos de omnibus ejicere, et curare omnes languentes, et omnes infirmitates per invocationem sancti nominis tui. Tu dixisti, Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, hic salvus erit. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Tu Domine dixisti, Si vos cum sitis mali nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. Tu Domine dixisti, Si habueritis fidem, et dixeritis monti huic, Transi, et transiet. Nos credimus Dominum te esse omnipotentem et omnia apud te possibilia esse. Teque sancta Trinitas, invocamus, exaudi nos Dne Ihu Salvator noster, et per sanctum Nomen tuum petimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut servum tuum nomine N. ab omni incursu demonum emundari, et omnem infirmitatem quam ingessit, aut in animæ aut in corpore illius medicina tua jubeas sanari. Tu Dne dixisti non opus sanis medico, sed ægrotis, et dignatus es dicere : Non veni vocare justos, sed peccatores. Tu Deus verus, et tu solus bonus cum Patre et Spiritu sancto, mediator Dei et hominum, et propitiatio pro peccatis nostris Ihu Xpe Fili Dei vivi. Omnipotens ab omnipotente genitus ante sæcula semper es factor primi sæculi cum Spiritu sancto. Mitte omnes sanctos angelos atque archangelos. Mitte sanctum Archangelum Michaelem, sanctum Gabrihelem, sanctum Raphaelem, ut adsint, et defendant, et tueantur hominem tuum N. quem tu plasmasti, cui animam tu dedisti, et sanguinem tuum pro ipso fundere dignatus fuisti. Protegant illum, illuminent vigilantem, dormientem ab omni infestatione diabolica ita reddant quietum atque securum, ut nullum deinceps in quo potestatem habeat pars iniqua, nec ingredi præsumat. Nec animam illius, nec corpus ejus nequam spiritus lædere vel fatigare, aut terrere, aut temptationibus titillare præsumat. Per.

ITEM BENEDICTIO SANCTA SUPER INFIRMUM.

Sanet te Deus Pater, qui te creavit, sanet te Filius Dei, qui pro te passus est, sanet te Spiritus sanctus, qui in te effusus est, sanet te fides tua, quæ te liberavit ab omni iniquitate. Benedicat te Deus Pater, et custodiat te Filius Dei, illuminet te Spiritus sanctus, ut habeas vitam æternam in sæcula sæculorum. Amen. Benedicat te Pater omnipotens de cœlo, qui in principio cuncta creavit verbo. Benedicat te Filius Dei, qui de sede paterna ad nos redimendos venire dignatus est. Benedicat te Spiritus sanctus, qui in specie columbæ, in flumine Jordanis alvei super Xpum Dnm requievit. Sancta Trinitas et inseparabilis unitas te benedicat et animam tuam custodiat, in sæcula sempiterna amen.

Item sancta benedictio.

Benedictio Dei Patris cum angelis suis sit super te. Benedictio Xpi cum apostolis suis sit super te. Benedictio Spiritus sancti cum septem donis sit super te. Benedictio et sanctificatio et salvatio verborum factorum, virtusque mysteriorum Dei, et sancti Evangelii, in nomine Dei summi sit super te in vitam æternam. Benedictio dominicæ incarnationis et benedictio beatæ passionis et resurrectionis et ascensionis Xpi sit super te : et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum custodiat sensum tuum, et cor tuum, et corpus tuum, in Xpo Jhu Dno nro amen. Benedictio Ecclesiæ catholicæ cum filiis suis electis sit super te. Benedictio patriarcharum, et suffragia apostolorum, et victoria martyrum, fides confessorum, castitas virginum, et continentia viduarum, et intercessiones omnium Sanctorum tuorum Domine sint super te. Fiant merita et orationes eorum tecum, in cogitationibus, in sermonibus, in operibus, in diebus, in noctibus. Commendo te toto tempore sub potestate sanctæ Trinitatis, ut custodiat te in vitam æternam. Amen.

SUPER DÆMONIACCUM.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus expelle diabolum de homine isto N. de capite, de capillis, de vertice, de cerebro, de fronte, de oculis, de ore, de auribus, de naribus, de lingua, de sublingua, de gutture, de gula, de collo, de corpore tuo, de omnibus membris tuis, de compaginibus membrorum tuorum, de intus, de foris, de ossibus, de venis, de nervis, de omnibus operibus malis, de virtute, de omni conversatione, et in futuro operetur in te virtus Xpi, qui viv.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, a cujus facie cœli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremet, cui patent abyssi, quem infernus pavescit, quem omnis iratum mox aspiciens humiliatur. Te supplex deprecor dominator Domine, ut invocatione nominis tui ab hujus famuli tui vexatione inimicus confusus abscedat, et ab hujus possessione anima

liberata ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremque suum diabolico fetore depulso, et odore suavissimo Spiritus sancti percepto sequatur. Per.

Alia. Domine sancte Pater omnipotens sempiterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro hujus famuli tui a diabolo oppressi infantia, qui etiam indignis inter pressuras donas præsidium. Exurge pro hujus infantia debellata, et noli diu retinere vindictam, nec ante conspectum tuum veniant parentum delicta, qui nec pro filio patrem, nec pro patre promisisti filium judicare. Auxiliare quæsumus inimici furore vexato. Ne sine baptismate facias ejus animam a diabolo possideri, sed potius tenera ætas malignis oppressionibus liberata tibi referat gratias sempiternas. P.

Item alia. Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus Pater Dni nri Ihu Xpi. Invoco sanctum nomen tuum ac præclaræ Majestatis tuæ clementiam supplex exposco, mihi auxilium præstare digneris adversus hunc nequissimum spiritum, ut ubicunque latet, audito nomine tuo velociter exeat, vel recedat. Ipse tibi imperat, diabole, qui ventis, et mari, vel tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ dimergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire præcepit. Audi ergo et time Satanas victus et prostratus abscede in nomine Dni Ihu Xpi. Tu ergo nequissime Satanas inimicus fidei generis humani mortis raptor, justicie declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, perditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, dæmonum magister, quid stas et resistis cum scis eum tuas perdere vires? illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde triumphator. Recede in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et da locum Spiritui sancto, per hoc signum crucis Xpi Dni nri, qui cum Patre et Spiritu sco vivit et regnat.

Alia. Deus conditor et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam formasti. Respice super famulum tuum hunc N. qui dolis invidi serpentis adpetitur, quem vetus adversarius et hostis antiquus atræ formidinis horrore circumvolat, et sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, et metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacesque ejus insidias amove. Procul impius tem-

A ptator aufugiat. Sit nominis tui sig†no famulus tuus et animo tutus et corpore (264). Tu pectoris hujus interna custodias. Tu viscera regas. Tu corda confirmes. Mala adversariæ potestatis temptamenta vanescant. Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, sit territus, et victus abscedat. Tibique possit hic servus tuus corde firmato et mente sincera debitum præbere famulatum. Per.

Alia. Omps et misericors Deus, Pater Domini nostri Jhu Xpi. Te supplices deprecamur, impera diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, ut ab eo recedat, et libera eum ut credat in verum liberatorem Dnum nrum Jhm Xpm, ut expurgatus ab omni labe iniquitatis, majestati tuæ pura mente
B deserviat, consecutus gratiam Spiritus sancti, qui cum Patre vivit.

Alia. Non ego impero tibi propter peccata mea immundissime spiritus, sed imperat tibi agnus immaculatus Jhs Xpus Dnus noster, Deus Dei Filius. Urguent te angeli, urguent te archangeli, urguent te prophetæ, urguent te apostoli, urguent te martyres, urguent te confessores, urguent te virgines. Deficiant ergo artes diaboli, in die, in nocte, in mense, in hora, in momento. Redde ergo fortitudinem in membris. Redde animæ sanitatem. Non temptes eam. Non morti tradas. Non in esca, non in potu, non in oculis, non in locis publicis, non supervenias vigilanti, non dormienti, non mentem moveas, nec impedias, quærentem vitam æternam.
C Recede ergo a capite, a capillis, a lingua, a sublingua, a brachiis, a naribus, a pectore, ab oculis, a venis, ab intestino majore, et minore. Separa te diabole ab hoc famulo Dei N. sicut separavit omnipotens Deus cœlum a terra, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, bonum a malo, dulcem ab amaro, sic eris separatus immundissime spiritus, quia vicit te Xpi potentia, quem tu vincere non potes, sed vindicet in te Dnus noster Jhs Xpus, qui te dampnavit in æternum, et descendat ad nos Domino gratia tuæ pietatis. Sig†na Domine caput ejus, sicut signavit Dnus omnipotens infirmos in Chana Galileæ. Sig†na oculos suos, ut ex ipsis expellatur diabolus qui lædit omnem carnem. Benedicat te Dns sicut benedixit oculos cæcorum, qui in evangelio legun-
D tur. Sig†na omnia membra illius ut ex ipsis expellatur diabolus qui lædit omnem carnem. Benedicat te Dnus, sicut benedixit domum Abraham, Isaac, et Jacob. Fiat sanitas Domini super te, sicut sanavit Dominus mulierem a fluxu sanguinis. Custodiant te

(264) In Rituali Romano, in quo hæc ipsa oratio legitur, post crucem ad verbum *signo* in fronte hic tres cruces fieri in pectore jubentur § 27; supra vero § 17, *quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum crucis.* Ubi Jos. Catalanus opportune S. Caroli Borromæi, conc. IV provinc. Mediol. P. II Constitutionum c. 1, cautionem addit: *dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corpori, nisi cum magna honestate, atque cautione manum adhibeat..... neve quidquam aliud agat, quod offensionem præbeat.* Et in synodo Mediol. diœcesana IV, decreto 18: *Caveat, dum exorcizat, ne energumenæ mulieris caput, humeros, manumque tangat*, etc. Laudaturque S. Gregorius Lingoniensis verbis cognominis Turonensis in Vit. PP. c. 7, *qui sine ullo tactu facto, tantum signo crucis ecuntra, dæmonia discedere imperabat: quod illa protinus audientia, corpora, quæ sua nequitia divexaverant, absolvebant.* Sic eodem teste facto signo crucis a S. Nicetio Trevirensi *econtra*, tres energumeni sopore pressi *expergefacti elevantes in sublime voces, dato impetu, ad vomitum emundati sunt.*

angeli, et archangeli. Protegat te Deus Israel, et adjiciat sanitatem, et benedictionem suam tibi et hic et in futuro sæculo. Amen.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, petimus humili prece divinam clementiam tuam ut hunc famulum tuum N. quem conspicimus ab antiquo hoste graviter temptari et sensus suos a livore Satanæ in aliquo perturbari atque vexari, ab ejus impetu clementer eripias, ut hos, qui in ecclesia tua positi per baptismatis sacramentum conjuncti nomen sanctum tuum confitentur nulla possit adversitas diabolica temptatione subvertere. Per.

IMPOSITIO MANUUM SUPER ENERGUMINUM CATICUMINUM.

Omnipotens sempiterne Deus, a cujus facie cœli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus pavescit, quem omnis irarum motus aspiciens humiliatur. *Ut supra.*

Alia pro parvulo energumeno. Or. (265).

Dne sancte Pater omnipotens sempiterne Deus virt. *Alia.* Deus angelorum. *Alia.* Deus conditor. *Alia.* Domine sancte Pater omps Deus osanna.

UNCTIO OLEI SUPER DEMONIACUM.

Unguo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut per sanctam Trinitatem salveris in sæcula sæculorum amen.

Alia Oratio.

Benedicat te Dominus et custodiat te Xps ab omnibus insidiis diaboli in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Alia. Benedicat te Dominus et custodiat te, ostendatque Dnus faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat Dns faciem suam ad te, et det tibi pacem, et impleat te Dominus Spiritu sancto. Amen. Ipse Deus pacis sanctificet te per omnia ad perfectum ut integer Spiritus tuus, et anima, et corpus sine querela in adventu Dni nri Jhu Xpi servetur.

Alia unctio Olei.

Hæc tibi unctio per signum crucis et per oleum sanctificatum et per donum Spiritus sancti fiat tibi ad sanitatem. Per.

Oratio post unctionem Olei.

Respice Domine famulum tuum in infir. etc.

Alia. Respice Dne propitius super hunc famulum tuum, et opem ei ferre dignare super lectum doloris ejus, inpone manum tuam in manu mea, ne meam peccatoris manum spernat infirmitas, sed ad invocationem tui nominis effugiat, ut hic famulus tuus, diabolo depulso, ad sanitatem refectus exurgat, et repræsentetur ecclesiæ tuæ, ut gratias referat nomini sancto tuo. Per.

BENEDICTIO AQUÆ (266) CUM LIGNO SANCTÆ CRUCIS.

Inprimis lætania, postea Kyriel. Pater noster. Credo in Deum.

(Ex eodem codice.)

Ego dixi Dne. Concede nos Deus sal. Salvum fac servum tuum. Mitte ei Dne aux. Nihil proficiet inim. Castigans castig. In tribulatione mea. Dne ne memineris. Adjuva nos Deus sal. Dnus custodit te. Dnus pro etc. Postea Evangelium legatur secundum Lucam. Dnus vobiscum. Et cum spiritu tuo. In illo tempore. Surgens Ihs de synagoga.

Benedictio salis.

Exorcizo te creatura salis in nomine Patris et Filii et Spiritus sci, qui te per Helyseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas, qui divina voce sua ita discipulis, Vos estis sal terræ, et per apostolum, Cor vestrum sit sale conditum, ut omnes qui ex te sumpserint sanctificati fiant animis atque corporibus, et ubicunque aspersus præstes omnibus remissionem peccatorum, sanitatem mentis et corporis, protectionem salutis, ad expel-

(265) Præcedit hic *impositio manuum super energumenum catechumenum*, sed perinde est utrum sequens *alia pro parvulo energumeno* pro catechumeno an pro baptizato accipiatur. Id quidem perplexum habuit S. Hieronymum, ad Paulam de dormitione Blesillæ a dæmonio vexatæ usque ad mortem ita scribentem : « Quid causæ est, ut sæpe bimuli, trimulique, et ubera materna lactentes a dæmonio corripiantur? Judicia enim Domini abyssus multa. Et, o profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » Pertinet huc Innocentii I responsum ad Decentium c. 6. « De his baptizatis, qui postea a dæmonio corripiuntur, quæsivit dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint, aut debeant consignari? Quod hoc nisi episcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus ei vel a presbytero vel a cæteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad episcopum deducatur, cum si talis casus ei in itinere acciderit, perferri ad episcopum, nec referri ad sua facile possit. » S. Augustinus lib. XXII de Civit. Dei, c. 22, miseram humani generis lapsi expendens conditionem, ad has infantium etiam baptizatorum infestationes sermone delapsus « contra milleformes (inquit) dæmonum incursus, quis innocentia sua fidit? Quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maxime, Deo sinente, ista monstretur hujus vitæ flenda calamitas, et alterius desideranda felicitas. »

(266) Aquam crucis signo in Jesu Christi nominis invocatione benedicta contra dæmones et morbos pellendos adhibitam a Josepho Judæo apud Epiphanium Hær. 30 legitur; a Joan. Chrysostomo teste Georgio Alex. in Vita apud Photium cod. 96. Bibl. a B. Macario, teste Palladio Hist. Laus. cap. 19, Braulio de S. Æmiliano apud Mabill. sæc. I. Bened. p. 211 narrat, eum rogatum a nobili viro, ut dæmonem pelleret, qui domum suam infestam habebat, salem exorcizasse, aquæ miscuisse more ecclesiastico, et in fugam egisse. Nec abludit, quod S. Gregorius fana in Anglia aqua benedicta lustranda præcipit Mellito lib. IX, ep. 71 Regest. Hinc que primas aquæ benedictæ in dedicationibus templorum repeti potest usus, lotioque parietum, de qua Optatus Milevit. lib. VI contra Donatistas. Præceptio de aqua *dæmonum fugatrice, et insidiarum omnium profligatrice* ab episcopo benedicenda habetur lib. VIII, c. 29.

lendas et excludendas omnes demonum temptationes. In nomine Dei Patris, et Filii, et Sps sci. qui venturus est judicare vivos et m.

Benedictio aquæ.

Deus qui ad salutem humani generis. *Ut supra.*

BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ CONTRA FANTASIAM SATANÆ.

Exorcizo te creatura salis et aquæ per Deum vivum, per Deum verum, ut omnis virtus adversarii, omnisque exercitus diaboli, omnis incursus, omne fantasma eradicetur et effugetur ab hac creatura aquæ vel salis, ut cum aspersus fuerit vel gustaverit, ex ea servus tuus ab hac creatura aquæ Dne sit tutus ab omni diabolicæ potestatis incursu et alienus habeatur. Per.

Benedictio ad unum hominem.

Exorcizo te creatura salis et aquæ in nomine Dei Patris, et in nomine Domini nostri Ihesu Christi Filii ejus, ut omnis immundus spiritus et incursio diaboli eradicetur, et separetur ab hac creatura salis et aquæ : proinde efficere exorcizata ad omnem fantasiam inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare in nomine Ihu Xpi qui venturus est in Spiritu sancto judicare vivos ac mortuos et sæculum per ignem. Amen.

Oratio super lignum crucis et aquam.

Oremus. Dne Ihu Xpe Fili Dei vivi, qui secundum magnam dispensationem incarnationis tuæ in ligno crucis mori voluisti, ut per tuam mortem humanum genus a perpetua morte liberares, præsta per invocationem nominis tui, ut hæc aqua a tactu ipsius sanctæ crucis sanctificata, famulo tuo N. quem ardens febris graviter excruciat, proficiat ad corporis animæque salutem, quod ipse præstare digneris. Qui cum Deo Patre et Spiritu.

Alia. Dne Ihu Xpe, qui pro nostra redemptione per passionem tuam hoc lignum crucis sanctificare voluisti. Concede propitius, ut quicunque hanc aquam ejusdem sanctæ crucis tactu sanctificatam, haustu perceperint, ab omni infirmitate mentis et corporis absolventur, qui cum Deo Patre et Spiritu sco vivis etc.

Alia. Deus cui cunctæ obediunt creaturæ, et omnia in verbo tuo fecisti in sapientia, supplices quæsumus ineffabilem clementiam tuam, ut quos per lignum sanctæ crucis Filii tui pio cruore dignatus es redimere, tu qui es lignum vitæ paradysique reparator, omnibus in te credentibus dira serpentis venena extingue, et per gratiam sancti Spiritus poculum salutis semper infunde. Per.

Alia. Deus omnipotens Pater et Xpe Ihu Fili Dei et Spiritus sancte! Rogo vos, ut mittere dignemini benedictionem vestram super hanc creaturam salis et aquæ, vel pomi vel casei, ut proficiant ad salutem omnibus quibus dantur, ut sanitas eis fiat in ore, in naribus, in oculis, in fronte, in vertice, in collo, in pectore, in corde, in ventre, in brachiis, in manibus, in pedibus, in omnibus membris corporis illius, ut non possint frigora et febres vincere vel nocere eum nec in visu, nec in auditu, nec in ambulando, non in gustu cibi, nec bibendo potus; sed Deus perfectus, qui es salvator omnium, salvum fac hominem istum N. ab omni periculo redemptor mundi, qui cum Patre et Spiritu sco vivis.

ORATIO SUPER DÆMONIACUM.

(Ex cod. Vind. theol. 277, sæc. XII vel XIII.)

Repelle Domine ab hoc famulo tuo omnem infestationem inimici, ut redintegratus pristinæ sanitati, ad gratiarum clementiæ tuæ redeat actionem. Per Dnm.

Alia. Deus Angelorum etc. *ut supra. Alia.* Deus qui conditor et defensor es generis humani qui etc. *Alia.* Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, Osanna etc. *Alia.* Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, expelle etc.

Alia adjuratio.

Exorcizo te spiritus immunde. Non ego tibi impero neque peccata mea, sed imperat tibi agnus immaculatus Christus Deus et Dei Filius. Urgent te Angeli et Archangeli. Urgent te patriarchæ et prophetæ. Urgent te apostoli Christi. Urgent te martyres Christi, et Confessores, ut deficiant artes diaboli die ac nocte, in mense, et in hora, atque momento. Redde ergo fortitudinem membris, redde animæ sanitatem : non temptabis eam, et morti non tradas. Non apparebis in esca, nec in locis publicis, nec super venies vigilanti, neque dormienti, nec mentem ejus moveas, nec impedias quærentem vitam æternam. Per Dnm.

Alia. Omnipotens et misericors Deus pater Dni nri Ihu etc. Recede ergo immundissime spiritus ab hoc famulo Dei, sicut separavit Deus Pater omnipotens cœlum a terra, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, bonum a malo, dulce ab amaro; sic eris separatus ab eo per potentiam, qua te Christus vicit, quem tu vincere non potes, sed vincat te Dns Ihs Xps, teque dampnatum æternis mancipet pœnis. Descendat ad nos Domine gratia tuæ pietatis. Signo caput tuum, sicut signavit Dominus omnes infirmos in Chana Galileæ. Signo oculos tuos, ut ex ipsis expellatur diabolus, qui lædit omnem carnem tuam. Benedico te, sicut benedixit Dominus oculos cæcorum, qui in Evangelio leguntur. Signo omnia membra tua, ut ex ipsis expellatur diabolus, qui lædit omnem carnem tuam. Benedicat te Dominus, sicut benedixit domum Abraham, et Isaac, et Jacob, sicut sanavit Dominus mulierem de fluxu sanguinis, sic fiat sanitas Domini super te, et custodiant te angeli et archangeli. Protegat te Deus Israel, et adjiciat sanitatem et benedictionem hic et in futuro sæculo.

Item alia.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus per impositionem manuum nostrarum refugiat ini-

micus diabolus a capite, a capillis, ab oculis, a naribus, ab auribus, a labiis, a lingua, a sublingua, a collo, a pectore, a ventre, ab intestinis, a cruribus, a pedibus, a calcaneis, ab universis compaginibus membrorum. Non habeat potestatem nocendi, nec tangendo, nec dormiendo, nec vigilando, nec in die, nec in nocte, nec in ingressu, nec in sedendo, nec in jacendo, nec in visu, nec in risu, nec in ludendo, in nomine Dni nri Ihu Xpi qui nos suo sanguine redemit, qui regnat in sæcula sæculorum. Nam te adjuro per Deum altissimum maledicte Satanas, ne famulum hunc Dei artibus tuis temptare nitaris, neque in eum violentiis irruas. Contremisce Deum immundissime spiritus, principium sceleris, malorum omnium radix, transgressor viæ veritatis, prævaricator rectæ viæ, justiciæ persecutor, fornicationis suasor, parricidii magister, dissipator pacis, semen pessimum, dux tenebrarum, mortis inventor, janua tartari, gentium vorago, omnium denique criminum causa, separa te a famulo Dei, sicut separavit Deus Pater omnipotens cœlum a terra, vitam a morte, septentrionem a meridie, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, justitiam ab iniquitate, amorem ab odio, castitatem ab impudicitia. Da honorem Deo, laudem advenienti Spiritui sancto in sæcula sæculorum.

Alia. Obsecro te Domine Jesu Christe ut ejicias omnes languores ab omnibus membris hominis istius a capite, a capillis, a cerebro, a fronte, ab oculis, ab auribus, a naribus, a facie, a genis, ab ore, a lingua, a dentibus, a faucibus, a gutture, ab uberibus, a corde, a stomacho, a ventre, a visceribus, a lateribus, a femoribus, a suris, a pedibus, a carne, a sanguine, ab ossibus, a medullis, a nervis, a cute, ab omni compage membrorum, a vertice capitis ejus usque ad plantas pedum, a scapulis, a brachiis, a manibus, ab ungulis, ut non lateat hic inmundus spiritus. Exaudi Domine cui est virtus et potestas, et imperium in sæcula sæculorum. Exi Satanas de homine isto, de pilo, de cerebro, de vertice, de toto capite, de fronte, de oculis, de naribus, de auribus, de faucibus, de ore, de lingua, de sublingua. Signum crucis Christi, signum Salvatoris Dni nri Ihu Xpi sit in fronte tua, ut confidas in eo. Benedic oculos tuos, ut videas claritatem ejus, aures, ut audias verbum veritatis ejus, nares, ut recipias odorem suavitatis, pectus, ut credas in eo; os, ut confitearis illi. Qui venturus.

Item alia.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus lucis, Deus claritatis. Domine Deus regnantium dominator, credentium adjutor. Deus in cujus nomine ego peccator benedictionem peto, tu Domine me adjuvare digneris. Adjuro te Satanas per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum et terram mare et omnia, quæ in eis sunt, quicumque est spiritus inmundus, ne facias quæ facis. Non seducas de via lucis in viam tenebrarum, non nocte non die ei supervenias, nec operibus ejus te interponas, nec fureris animas quas Deus ad imaginem suam formavit. Vade spiritus immunde, ubi nullus vel arator sit, vel seminator. Vide signum crucis, non hic resistas viso signo Christi, qui venturus est in majestate Patris judicare sæculum et te inimice per ignem. Erunt tibi verba hæc in testimonium hic et in die judicii Dni nri Ihu Xpi venturi. Draco venenate, amator tenebrarum, deceptor animarum, radix amaritudinis, mendax a principio, prævaricator legis, ejecte de paradiso, impero tibi per Abraham, impero tibi per Isaac, impero tibi per Jacob, impero tibi per quatuor evangelistas, impero tibi per Spiritum sanctum, quisquis es immunde spiritus apostata sive lunatice sive maleficæ non accedas ad eum prima luna, neque decrescente, non in esca, non in potu, non in dormiendo neque vigilando, non in via, non in trivio, neque in quadruvio exterminare audeas et nocere famulum Dei. Percutiat te virtus Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est.

OBSEQUIUM CIRCA MORIENTES.

INCIPIT OBSEQUIUM CIRCA MORIENTES.

(Ex cod. Vind. theol. 685, sæc. X.)

Quando aliquis ad mortem adpropinquaverit, primitus fiat litania, et antequam anima exeat de corpore, dicat sacerdos hanc orationem:

Oremus. Deus misericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum nulla temporum lege concluderis, sed pulsantibus misericordiæ tuæ januam aperis, pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus termino non repelles, respice propitius super hunc famulum tuum remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem. Renova in eo piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum est, et unitate corporis Ecclesiæ membrorum tuæ redemtionis adnecte. Miserere gemituum, miserere lacrimarum, et non habentem fiduciam nisi in misericordia tua ad sacramentum reconciliationis admitte. Per. *Post excisam paginam leguntur* sequentia S. Evangelii secundum Joannem: Litigabant ergo Judæi etc. *Offert.* Domine convertere. *Secreta.* Propitiare quæsumus Domine animæ famuli tui, pro qua tibi hostias placationis offerimus, et quia in hac luce in fide mansit catholicæ Ecclesiæ, in futura vita ei retribu-

tio condonetur. Per. *Præfatio.* VD. *usque* per Xpm Dnm nrm. In cujus adventu cum genuinam jusseris sistere plebem, jubeas famulum tuum a numero discerni malorum, quem tribuas pœnæ æternæ evadere flammas, et justæ potius adipisci præmia vitæ : inducique jubeas devicta morte vigorem, semperque inextinctam habere luminis auram. Dignare perpetuam præclaro in corpore tribuere vitam, ubi nox nullas suas defendit atras tenebras securus de salute, placidus lætetur in honore semper victurus, semperque in luce futurus per Xpm.

Infra act. Hanc igitur oblationem quam tibi pro requie animæ famuli tui offerimus, quæsumus Domine placatus accipias, et tua pietate concedas, ut mortalitatis nexibus absoluta inter fideles tuos annumerari mereatur. Per. Tuam Deus deposcimus. *Ad Compl.* Prs qs omps Deus ut animam famuli tui ab angelis susceptam in præparata habitacula deduci facias beatorum. *Alia.* Annue nobis Domine ut anima famuli tui remissionem quam semper optavit mereatur percipere peccatorum. Per. *Antequam ipsum corpus elevetur dicat sacerdos orat.* Oremus. Omnipotentis Dei misericordiam deprecemur, cujus judicio aut nascimur, aut finimur, ut spiritum fratris (sororis) nostri, quem Domini pietas de incolatu mundi hujus transire præcepit, requies æterna suscipiat, ut cum beata resurrectione repræsentet, et in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob collocari mereatur, per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos. *Tunc incipiat cantor responsorium.* ℟. Subvenite Sancti Dei. ℣. Suscipiat te. *Hic dicant simul omnes* Kyrie eleison *ter. Sequitur oratio.* Oremus. Deum judicem universitatis, Deum cœlestium, et terrestrium, et infernorum. Deum deprecemur pro spiritu cari nostri, ut eum Dominus in requiem collocare dignetur et in parte primæ resurrectionis resuscitare, qui venturus. ℟. Antequam nascer. ℣. Commissa mea. *Et dicant simul* Kyrie eleison. *Sequitur oratio.* Oremus. Deus qui universorum es creator et conditor, qui, cum sis Sanctorum beatitudo, præsta nobis petentibus ut spiritum fratris nostri a corporis nexibus absolutum in Sanctorum tuorum resurrectione facias præsentari. Per.

Postquam elevetur cantetur ista antiphona. A. In paradisum. *Ps.* Ad te Domine levavi. *Oratio.* Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui, quem de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum cœtui jubeas esse consortem. Per. *Oratio ante sepulcrum priusquam sepeliatur.* Oremus. Obsecramus misericordiam tuam æterne omnipotens Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, ut spiritum et animam famuli tui quem hodierna die rebus humanis eximi et ad te accersire jussisti, blande et misericorditer suscipias non ei dominentur umbræ mortis, nec tangat eum chaos et caligo tenebrarum, sed exutus omnium criminum labe in sinu Abrahæ collocatus locum lucis ac refrigerii se adeptum esse gaudeat et cum dies judicii advenerit cum Sanctis et electis tuis eum resuscitari jubeas. Per. Aperite illi. *Ps.* Confitemini Domino. *Sequitur oratio.* Deus apud quem mortuorum corpora vivunt, et in quo electorum animæ deposito carnis onere plena felicitate lætantur; preces (*l.* præsta) supplicantibus nobis, ut anima famuli tui, quæ temporali per corpus hujus luminis caruit visu, æterne illius lucis solatio potiatur. Non eum tormenta attingant, non dolor horrendæ visionis inficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena constringat, sed concessa delictorum omnium venia obtentæ quietis consequatur gaudia repromissa. *Hic deponatur in sepulcrum, et dicat sacerdos. Ant.* Egrediar. *Ps.* Quemadmodum. Oremus fratres karissimi pro spiritu cari nostri, quem Dominus de laqueo hujus sæculi liberare dignatus est, cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum Domini pietas in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob collocare dignetur, et cum dies judicii advenerit inter Sanctos et electos suos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat. Præstante Dno nro. *Ant.* De terra plasmasti me. *Ps.* Domine probasti me. *Sequitur orat.* Oremus. Deus qui justis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo, cui depositionis hodie officia per humanitatem exhibemus, cum sanctis atque fidelibus tuis beati muneris portionem. Per eum qui vent. Hæc requies mea. *Ps.* Memento Domine. *Alia oratio.* Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur, ut hoc corpus cari nostri a nobis in infirmitate sepultum in ordine Sanctorum suorum resuscitet, et ejus spiritum sanctis et fidelibus aggregari jubeat, cum quibus inenarrabili gloria perenni felicitate perfrui mereatur. Per. *Ant.* Requiem æternam. *Ps.* Miserere mei Deus. *Alia oratio.* Temeritatis quidem est Domine, ut homo hominem, mortalis mortuum, cinis cinerem tibi Dno Deo nro audeat commendare; sed quia terra suscepit terram et pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem inde tuam Deus, piissime Pater, lacrymabiliter quæsumus, pietatem, ut hujus famuli tui animam, quam de hujus mundi voragine ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias † et refrigerii rore perfundas, sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregatus, et beatæ requiei, te donante, conjunctus. Et si quæ illi sunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitissimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem, cumque finito mundi termino, supernum cunctis illuxerit regnum, omnium Sanctorum cœtibus aggregatus cum electis resurgat in parte dextera coronandus. Per. *Alia.* Tibi Domine commendamus animam famuli tui, ut defunctus sæculo tibi vivat, et si qua per fragilitatem mundanæ conversationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis abstergo Per. *Alia.* Inveniant quæsumus Domine animæ famulorum famularumque

tuarum omnium in Christo quiescentium lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. *Alia.* Multiplica Domine super animas famulorum famularumque tuarum misericordiam tuam et quibus donasti baptismi sacramentum da eis æternorum plenitudinem gaudiorum. Per. *Alia.* Partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam mereantur in cœlis. Per te Jhu Xpe.

In eodem codice bibliothecæ Cæs. Vindob. qui fuit olim monasterii S. Margarethæ in silva Nigra sub tit. in agenda mortuorum *habetur officium deff. omnino ut hodie obtinet, tantum quod nona lectio non sit ex Job, sed lectio epistolæ B. Pauli ap. ad Thessalon.* A Fratres nolumus vos ignorare de dorm. . . . itaque consolamini invicem in verbis istis.

℣. Libera me Domine de viis inferni.

In matutinis Laudib. Ps. Miserere.

Ant. Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Ant. Ne intres in judicium cum servo tuo Dne.

Ps. Domine exaudi.

℣. *Ant.* Me suscepit dextera tua Domine.

Ps. Deus Deus meus.

Ant. Eruisti Domine animam meam ne periret.

Ps. Ego dixi etc.

Ant. Omnis spiritus laudet Dominum.

Ps. Laudate etc. ℣. Requiem æternam.

In Evangel. Ant. Ego sum resurrectio et vita etc.

EXPOSITIO SUPER MISSAM.

(*Ex cod. Einsidlensis monast. sæc.* x *circ.*)

Dominus vobiscum. Salutat Sacerdos populum, et orat, ut Dominus sit cum illo. *Et cum spiritu tuo.* Responsio populi atque oratio, ut sicut Sacerdos oravit, quod Dominus esset cum populo, ita et populus orat, quod Dominus sit cum spiritu Sacerdotis. Dum dicit Sacerdos, *oremus*, rogat, omnes orare, ut oratio ejus a Domino exaudiatur. Et quando dicit *per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, ad Dominum Patrem orat Sacerdos, ut per Filium suum qui Dominus noster est æqualiter sicut Pater, oratio perficiatur. Cum dicit: qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, vult populum credere, et intelligere, quod Filius cum Patre sine initio, ac sine fine vivit, et regnat; et Deus est sicut Pater. Deus est, et una potestas est Spiritui sancto cum Patre, et Filio, atque una substantia, et in omnibus unitas Deitatis. Per omnia sæcula sæculorum, id est, ut Filius cum Patre in unitate Spiritus sancti sicut ante omnia sæcula in Deitate vixit, et fuit, ita et in præsenti sæculo, atque in futuro, ubi justi cum angelis sanctis permanebunt, et injusti cum dæmonibus cruciabuntur. Credatur æqualiter vivere cum Patre et Spiritu sancto, et nullo fine concludi. *Amen.* Confirmatio orationis est a populo, et in nostra lingua intelligi potest, quasi omnes dicant, ut ita fiat, sicut Sacerdos oravit. Sed propria ejus interpretatio est vere, sive fideliter. *Sursum corda.* Ammonet Sacerdos populum, ut sursum, id est, supra semetipsum ad Dominum omnipotentem corda levent, et fideliter orent, quod desursum eis veniat auxilium a Deo cœlesti, a quo creati sunt. *Habemus ad Dominum.* Responsio est populi, quod sicut Sacerdos jussit eos corda sursum tenere, sic tenere profitentur. *Gratias agamus Dno Deo nostro.* Sacerdos gratias agit Deo juxta professionem populi, quia confessus est ad B Dominum se esse intentum. *Dignum et justum est.* Populus cum Sacerdote simul gratias agit Domino, quia justa et digna ratio est Deo gratias referre, quia ab ipso omnia bona suscepimus. *Vere dignum et justum est, æquum et salutare.* Confirmat Sacerdos professionem populi, et dicit, quod vere dignum est, et justum Deo gratias pro omnibus referre, et quod æquum est, hoc est, rectum sive æquale salutare, id est salute plenum, ut ei gratias referamus, qui nobis salutem dedit æternam. *Nos tibi semper, et ubique gratias agere.* Conversus Sacerdos ad Dominum post professionem populi quasi ad præsentem loquitur, quia in præsentia Domini semper sumus, et ipse videt cogitationes nostras; et dicit Sacerdos tam de se, quam de populo. Nos tibi semper, hoc C est, omni tempore, et ubique, id est, in omni loco. Gratias agere, *Domine*, quia dominator est omnium, et sub ejus dominatione omnia sunt. *Sancte*, tu, qui sanctus es, et per quem omnia sancta sunt, quia bona et sancta creasti. *Pater.* Grece dicitur Pater, et latine genitor, quia ipse genuit Filium sine ulla coinquinatione, seu corruptione. Pater, latine a patrando dicitur, hoc est, a perpetrando, quod est a perficiendo, sive ab adjuvando. quia ipse perfecit omnia, quæ facta sunt, et voluit nos filios suos fieri adoptionis per sanctificationem, quia ille sanctificavit nos. *Omnipotens.* Quoniam omnia potest. Ideo omnipotens dicitur: et non est impossibile apud Deum omne verbum. *Æterne Deus.* Hoc est inter æternum, et temporale, et perpetuum. Æternum est, quod initium non habuit, nec finem habebit, sed semper fuit, D et est, et erit. Perpetuum est, quod esse cœpit, et finem non habebit. Temporale est, quod initium habuit, et finem habebit. Et ideo hic dicitur æterne Deus, quia solus Deus æternus. Æternus est, nec

cœpit esse, nec desinit esse, sed est semper. Deus a diligendo dicitur, quia omnia diligit, et gubernat, quæ creavit. Et aliter Deus a divinitate dictus est, quia divinus est, et omnia dividit prout vult. *Per Christum Dominum nostrum.* Christus græce, unctus dicitur latine. Hic Christus ante omnia initia inenarrabiliter genitus est, et conceptus est de Spiritu sancto, et natus est de Maria Virgine. Nam et in veteri testamento Sacerdotes et Reges unguebantur, et ideo Christi dicebantur, quia uncti erant unctione temporali. Iste Christus, per quem Patri gratias agimus, æternaliter Christus est, et cum Patre æterno Deus est, et per ipsum redempti sumus, et ipse Dominus noster est, quia dominatur nobis. *Per quem majestatem tuam laudant angeli*; per ipsum Christum, per quem nos gratias agimus Patri. Majestatem Patris laudant angeli, qui ipse æqualis est Patri in divinitate. Majestas, quasi major est potestas, quia major est potestas Dei quam hominum. Dei majestatem per Christum laudant angeli, quia Christus simul cum Patre creavit angelos. Angelus enim grece, latine nuntius interpretatur. Angelus nomen officii est, non naturæ, quia nuntiat, sed naturaliter spiritus sum. *Adorant Dominationes.* Majestatem Dei Patris per Filium laudant, et adorant Dominationes. Dominationes, ordo est angelorum. Decem fuerunt ordines angelorum. Decimus ordo cecidit, et versus est per superbiam in diabolum. Novem autem permanserunt in sanctitate sua. Hæc sunt nomina eorum : Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus et Potestates, Throni, Dominationes, Cherubim, Seraphim. Istarum duarum nomina non sunt latina. Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur Seraphim incendium dicitur. Ceterarum nomina dictorum ordinum latina sunt, nisi Angelorum et Archangelorum. Angeli nuntii, Archangeli excelsi nuntii dicuntur. Gregorius autem Papa Romanus in omelia sua super lectionem evangelicam : Erant adpropinquantes ad Jesum publicani, et peccatores, ut audirent illum, plenissime de prædictis ordinibus exposuit. Nos vero ad propositum redeamus. *Tremunt Potestates* de supra dicitis ordinibus dicit. Non ideo dixit, quod supra dicti ordines corporales sunt, sed nostro more dicit, quia nos tremere, ac timere ante Dominos nostros solemus; sed ideo dicit tremere, ut nos intelligamus omnia cœlestia, terrestria et infernalia ante conspectum divinæ majestatis tremere ac timere. *Cœli cœlorumque Virtutes.* Ipsi cœli jussioni divinæ obediunt, quia se ostendere serenos, vel nebulosos, non habent potestatem. Cœlorum virtutes sunt supra dicti ordines angelorum sicut beatus Gregorius in omelia sua super evangelicam lectionem, erunt signa in Sole, et Luna, et Stellis, testatur. *Ac beata Seraphim.* De Seraphim namque supra dictum est. *Socia exultatione concelebrant.* Omnes prædicti ordines majestatem Dei Patris per Christum juncta exultatione æqualiter concelebrant. *Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur.* Cum quibus hæc est supplicatio nostra, ut ipse cœlestis Pater per Christum Filium suum, per quem nos ei gratias de omnibus agimus, dignetur admittere voces nostras, et jungere vocibus prædictorum ordinum angelorum. *Supplici confessione dicentes*, hoc est humili confessione. Quid humilius confiteri, quam nosmetipsos æterni Patri per Filium æternum commendare, et de nostra conscientia et bonitate nihil præsumere, et juxta voces angelicas eum semper sanctum essentialiter credere, et prædicare dicentes :

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Johannes Evangelista in Apocalipsi libro scripsit, se vidisse ante thronum Dei, et agni viginti quatuor animalia adstantia, et incessanter dicentia : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, et reliqua. Ideo enim tribus vicibus dicitur sanctus, ut significetur, Pater sanctus, Filius sanctus, Spiritus Patris, et Filii sanctus. Sed quamvis tripliciter dicatur sanctus; non tamen dicitur plurali numero sancti, ut una sanctitas in his tribus personis, et una æternitas intelligatur. Dominus Deus Sabaoth. A multis interpretari solet omnipotens. A multis vero exercituum, ut et ipse sit Dominus Deus, et ipse omnes exercitus angelorum atque hominum disponit. *Pleni sunt cœli et terra gloria tua*, hoc est, ut ejus gloria cœli ac terra gubernentur, et qui in cœlis sunt et terra glorificent, et honorent nomen sanctum ejus. *Osanna in excelsis.* Quomodo nunc dicitur corrupte Osanna, ante dicebatur Osianna. Anna interjectio est laudantis, sive causa magnificantis. Osi, sacrificia. Sed corrupte dicitur Osanna, et intelligi potest salvifica, vel salvum fac in excelsis, id est in altis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Quando Christus venit ad Hierusalem, et descendit de monte Oliveti, tunc filii Israel clamabant dicentes : *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sed quid significat ille Christi adventus Hierusalem, nisi futuram resurrectionem, quando venturus erat judicare vivos et mortuos, et apparuerit nobis in eadem carne qua pro nobis passus est, et tunc in nomine Domini Jesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum. Et cetera; quæ Apostolus dixit.

Te igitur clementissime Pater. Te igitur, hoc est certe clementissime Pater. Clemens dicitur, quasi clara mens, sive abundans, et clementissime quasi clarissima mente, sive abundantissime, quia ipse clarissimus est mente, et misericordissimus corde Pater. Non ideo ipsum dicimus clementem et misericordem, quod membris corporeis, vel corde, aut mente sit compositus sicut homo, sed ideo clementem et misericordem clamamus, ut illam clementiam et misericordiam super nos ab ipso sentiamus, ut intelligamus unde salvari debeamus. *Per Jesum Christum Filium tuum.* Jesus græce, latine Salvator, eo quod salvet populum suum a peccatis eorum. Ideo salvat a peccatis, quia potestatem habet dimittendi peccata. Salutaris ideo dicitur, quia salutem nobis dedit, ut, si præcepta ejus servemus, vitam

æternam capere valeamus. Filium tuum Dominum nostrum. Filium suum unigenitum, quia ipse est unigenitus ex substantia Patris. Nos autem filii adoptivi sumus per ipsum, qui unigenitus est a Patre procedens. Patri coæternus. Et ideo per eum Patrem postulare debemus, humiliter dicentes : Supplices te rogamus, ac petimus. *Supplices*. id est humiles. *Uti accepta habeas et benedicas. Hæc dona, hæc munera, et sancta sacrificia inlibata.* Dona sunt, quæ voluntarie donantur ; munera sunt, quæ pro aliquo munere vel mercede offeruntur : sicut nos offerimus Deo, ut peccata nostra dimittantur. Sacrificia sunt, quæ jam cum orationibus consecrantur. Inlibata, id est immaculata, et ab omni livore malitiæ aliena. Tunc sunt dona et sacrificia inlibata, quando absque scandalorum maculis sunt offerta, et justo sunt labore adquisita. Non ut multi errant, qui dicunt inlibata esse non dedicata. Lege septem collationes Patrum, et in secunda collatione theonæ in nono invenies, quæ sint illibata. *Imprimis, quæ tibi offerimus.* Hoc pro quibus offeruntur indicat. Imprimis offerri debent *pro ecclesia tua sancta catholica.* Ecclesia grece, latine convocatio dicitur. Catholica, universalis dicitur, quia universi, qui in Deum credunt, in una debent esse congregatione. *Quam pacificare, custodire, adunare digneris, et regere toto orbe terrarum.* Pro hoc offerimus inprimis, ut supra dictam congregationem tuam per totum orbem terrarum pacificatam et adunatam custodire digneris. *Una cum famulo tuo illo*, hoc est simul cum illo, qui sedem apostoli tenet, quia ecclesia, in qua Petrus princeps Apostolorum sedit, caput est omnium ecclesiarum catholicarum. Ideoque Petro dixit Christus : tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et cetera. Et propter hanc sententiam debemus omnes pro eo orare, qui in eadem præest ecclesia. *Et antistite nostro, illo*, hoc est pro episcopo, in cujus parochia sumus, pro ipso orare debemus, quia ipse est pastor, et prædicator noster. *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, et omnium circumstantium.* Sacerdos ante oravit pro apostolico, et episcopo suo. Si episcopus Missam celebrat, ille non debet dicere *pro antistite nostro.* Jam oratum est pro senioribus. Postea orandum est pro populo, quando sacerdos dicit : Memento Domine famulorum famularumque tuarum. Deprecatur Dominum Patrem, ut memorari dignetur omnium ad officium Missæ sive masculorum sive feminarum advenientium; et quod dicit circumadstantium, ipsi sunt masculi et feminæ, qui circumstant. Jam Sacerdos oravit pro omnibus, qui ad audiendam Missam venerunt, tunc demum orat pro his, qui oblationes suas offerunt. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Dicit, quod pro laude Dei inprimis offerunt, et postea pro se, suisque omnibus. *Pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolomitatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo vivo, et vero.* Ideo offerunt, quia vivo et vero Deo omnium fides circumadstantium offerentium, et non offerentium cognita est, et nota devotio, omnes reddunt vota sua. Vota dicuntur, quæ volenter promittuntur, quia volenter et libenter Deo vovere, et reddere debemus.

Communicantes et memoriam venerantes inprimis gloriose semper Virginis Mariæ Genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum. Communicare, hoc est, participare, memoriam venerari, hoc est, in memoria venerabiliter tenere, quod S. Maria Virgo per adventum Spiritus sancti genitrix facta est Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, qui Deus, et homo est, per quem Patrem supplicamus, et fidem communicare debemus, et credere, quod Spiritu sancto veniente, Filius Dei natus est ex ea, et virginitas ejus non est violata. *Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum.* Apostolus dicitur in nostra lingua missus. Martyr dicitur testis. Apostoli ideo dicuntur quia a Christo missi sunt. Martyres dicuntur, quia testes sunt, quod Christus passus est pro nobis. et ipsi pro Christo. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias.* Sacerdos oblationem suam, atque cunctorum, qui Domino famulantur, id est, qui Domino serviunt, commendat, ut Domino placeat, et ipse nobis propitius sit. *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari per Christum Dnm nostrum.* Pro eo, quod Sacerdos offert, populus debet orare, ut Sacerdos exaudiatur, ut omnium dies in pace disponantur, et ab æterna damnatione eripiamur, de qua Dominus Christus in fine mundi dicturus erit impiis : Ite maledicti in ignem æternum, et cetera. Et ad illum gregem electorum suorum per angelos sanctos numerari mereamur, cui dicturus erit : Venite Benedicti Patris mei possidete regnum, et cetera. *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Supplicat Sacerdos, ut illam oblationem, quam ipse pro se offert, et pro populo, omnipotens Pater dignetur accipere benedictam, et habere adscriptam, hoc est, adsignatam, ut sibi placeat. Ratam, hoc est, judicatam, ut dignam illam judicet in conspectu suo offerri. Rationabilem, id est, justa ratione plenam facere dignetur. Quia tunc illi est acceptabilis, si recte credentes pro justa ratione offerimus. Justum est postulare, ut illa oblatio, quam nos rationabiliter offerimus, Pater omnipotens sanctificando faciat, *ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii sui Domini nostri Jesu Christi.* Patri dilectus est Filius, sicut ipse Pater testatus est de cœlo dicens : Hic est Filius meus dilectus, et cetera. Et nos eum diligere debemus, quia ipse prior dilexit nos, et passus est pro nobis.

Qui pridie, quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in cœlum ad te Dnm Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis

dicens : Accipite, et manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. Simili modo postea quam cœnatum est accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit, dedit discipulis suis dicens : Accipite, et bibite ex eo omnes, hic est enim Calix Sanguinis mei novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quam intermisimus, qui pridie, quam pateretur, hoc est, pridie, quam ipse passus est pro nobis voluit tradere discipulis suis Corporis et Sanguinis sui mysterium, ut illi traderent nobis. Quis umquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem et vinum creavit, et omnia ex nihilo fecit. Facilius est aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo creare. Ipse Salvator voluit corpus humanum suscipere, et hominem Deo conjungere, ut unus fieret mediator Dei et hominum. Homo Christus Jesus ipse voluit per nos panem et vinum offerri sibi, et ab ipso divinitus consecrari, et fidelem populum credere, verum esse mysterium, quod ipse tradidit discipulis suis dicens : *Accipite, et manducate ex hoc omnes.* Similiter et de calice dixit : *Accipite, et bibite ex eo omnes.* Et quando oculos ad cœlum levavit, et Patri gratias egit, nos docuit, quod nos Patrem semper supplicare deberemus, quod ille tam magnum Sacramentum per manus nostras perficere dignetur. Et cum diceret, *hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*, jussit nos illius passionis memores esse, quanta pro nobis sustinuit. Omni tempore memores esse debemus, quando hoc Sacramentum celebramus, et ejus misericordiæ non nostræ bonitati fiduciam dare. *Unde et memores sumus Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta Christi Filii tui Domini Dei nostri*, memores nos esse Sacerdotes profitemur; atque plebem memorem esse testamur, Christi Filii tui Domini Dei nostri. Ideo Sacerdotes fideliter memores esse debent, quia ipsi Missam celebrant, et sacrificium offerunt Christi exemplo instructi. Et scire debent, qui celebrant, quia stulta postulatio est, si nescit, quod postulat. Plebs sancta ideo meminere debet, quia Christus non solum pro Sacerdotibus passus est, sed et pro plebe. Sancta ideo dicitur, quia fide ac baptismo Christi percepto sanctificata est, modo indicat, unde meminere debent, id est *tam beatæ Passionis, nec non ab inferis Resurrectionis, nec non in cœlos Ascensionis gloriosæ Christi Filii Dei.* Passionis memores esse debemus, quia animæ justæ ab inferis per resurrectionem ejus liberatæ sunt. Gloriosæ ascensionis ejus memores esse debemus, quia corpus humanum, quod sumpserat vinctum divinitati sine ullius adjutorio, ut intelligatur, quod non hominum, nec angelorum, nec ullius creaturæ vehiculo eum ascendisse in cœlum sed a Patre in majestate elevatus est, de qua ipse dixit in evangelio : ego et Pater unum sumus. *Offerimus præclare majestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, et Calicem salutis perpetuæ.* Domine omnium memores supradictarum bonitatum tuarum, offerimus tuæ majestati hostiam puram, hoc est, puro corde, quia purum est corpus tuum, quod de hoc pane fieri credimus. Hostiam sanctam, quia tu sanctificasti corpus tuum, quando hominem in Deum adsumpsisti, et nunc sanctifica hunc et panem, ut corpus tuum fiat. Hostiam immaculatam, quia tu sine macula peccati passus es pro nobis. Panem sanctum vitæ æternæ, quia tu panis vivus es, qui de cœlo descendisti, et corpus tuum in hoc pane a te sanctificato nos accipere voluisti, et per calicem passionis tuæ, nos sanguinem tuum sumere voluisti. Tu sanctifica hanc hostiam, ut nobis corpus tuum, et sanguis tuus fiat.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere, hoc deprecamur, ut Pater sanctus supra dona a nobis offerta pio et blando vultu et claro dignetur respicere, id est videre. *Et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es, munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam.* Accepta habuit Dominus munera Abel, quia quicquid optimum invenit, optulit Domino, et nos justa munera et munda Deo mundo corde offerre debemus. Abraham filio suo Isaac non pepercit, sed obediens jussioni Domini offerre eum voluit. Melchisedech primus Sacerdos Domino panem et vinum optulit, et ideo scriptum est in psalmo : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quia sicut Melchisedech panem et vinum, ita et Christus in passione sua Corpus et Sanguinem suum optulit Deo Patri pro nobis, et in pane et vino passionis suæ mysterium nos imitari voluit, quando discipulis suis dans panem et calicem dixit : Hoc est Corpus meum, et hic est Calix Sanguinis mei, et nos supplicare debemus. Ut sicut supra dictorum Patrum accepta fuerunt Deo munera, ita fiant et nostra. *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ*, humiliter postulamus, ut munera nostra super hoc altare, quod videri potest offerta, Pater jubeat cœlestis per manus angeli sui perferri in illud altum altare ante divinam majestatem suam, quod oculis nostris videre non possumus, quia corporale non est, sed spiritale. Et sicut nos divinam majestatem Patris investigare, sed potius credere, *ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus omni benedictione cœlesti, et gratia repleamur per Christum Dominum nostrum.* Orare debemus Patrem cœlestem, ut omnis, qui ex ipsius altari, supra quod offerimus Deo Patri in commemorationem Filii tui Domini Dei nostri Christi Corpus et Sanguinem prædicti Filii Dei sumpserimus omni benedictione cœlesti accipere mereamur per ipsum Christum Dominum

nostrum. *Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam vel societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis, et Martyribus*, vel omnibus Sanctis. Hæc omnia sacrificia ideo sunt offerta tam a Sacerdote, quam a populo, ut omnipotens Deus peccata nostra non reputet, sed cum sanctis suis nobis portionem tribuat. *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.* Hoc rogamus, ut ipse dixit : In quacunque die peccator conversus fuerit, et pœnitentiam egerit, omnia peccata ejus in oblivione erunt coram me. Non retributionem peccatorum æstimet, sed ipse sit veniæ largitor, et intra sanctorum societatem nos mittat *per Christum Dominum nostrum*. Per quem omnia hæc dona ille creavit, ille sanctificet et benedicat, et præstet nobis, ut per Christum, per quem facta sunt omnia, et in Christo, in quo facta sunt omnia, et cum quo facta sunt omnia, quia cœternus est Patri, semper gratias referamus Patri *per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Præceptis salutaribus moniti. Christi præceptis, quæ salute sunt plena, quia ipse est salus æterna sumus ammoniti, et jussi, *et divina institutione formati*, id est formam et exemplum a Christo Domino nostro accepimus, et ausi sumus orare, sicut ille docuit discipulos suos, et Patrem nostrum credimus in cœlis esse, qui nos creavit, et dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis.* Christus dixit post resurrectionem suam ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum. Aliter dixit Patrem suum, aliter Patrem nostrum. Patrem suum, quia proprius Filius; Filius est Patris ex substantia Patris ante omnia tempora genitus Patri cœternus. Pater noster est ideo, quia nos creavit in tempore, et nos Filii sumus sui adoptivi, et hereditatem cœlestem Patris nostri cœlestis possidere debemus, si operibus implemus, quæ perceptione fidei spopondimus. Cœlum a celando dicitur, eo quod celat divina secreta. Aliter cœlum a celsitudine dicitur, eo quod altius sit rebus terrenis. Nos autem ideo dicimus Pater noster qui es in cœlis, ut credere nos ostendamus Patrem cœlestem; Et sicut Filii præcepta Patris sui implere, et ad cœlum semper tendere desideremus. *Sanctificetur nomen tuum*, hoc est, ut nos digni simus nomen sanctum ejus tenere in cordibus nostris, ut sicut angeli sancti, qui in cœlo sunt, sciunt et intelligunt sanctitatem nominis ejus, ita et nos, qui in terra sumus ipso adjuvante sanctitatem ejus mereamur agnoscere, ut sicut in cœlo, ita et in terra sit nomen ejus sanctificatum. *Adveniat regnum tuum*, hoc est, ut nos regnum ejus et potentiam ejus mereamur cognoscere, et ut jam propter nostra peccata diabolus non regnet super nos, sed ipsius regnum adveniat, sicut in Evangelio scriptum est : regnum Dei intra vos est. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, hoc est, ut ejus voluntatem sicut illi, qui in cœlo sunt, faciunt, ita et nos, qui in terra sumus faciamus. Terra a terendo dicitur, eo quod pedibus teritur. *Panem nostrum cottidianum da nobis hodie.* Panis apud Grecos in nostra lingua omnis interpretatur, et nos oramus, ut omnipotens Pater omnem victum spiritalem ac carnalem nobis largiri dignetur omni tempore. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Nihil enim injuste facit, qui sibi debenti debitum requirit. Nullus sine debito invenietur. Et ideo debemus debitoribus nostris debita dimittere, ut nobis omnipotens nostra dimittat, quia ipse dixit : *Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra*, et alibi : *Auferentur de regno ejus omnia scandala.* Et iterum : Sacrificium non recipitur, si cum scandalo offertur, sed ante altare dimitti jubetur, usque dum reconcilietur fratri suo, et tunc offerri mundo corde. *Et ne nos inducas in temptationem*, hoc est, ne intremus in temptationem illam, in qua diabolus nos temptat, et ei consentiamus, sed Dominus nos ipse defendat, ne inducamur in temptationem diabolicam. Quia si Deus nos dimittit, statim introducimur in laqueum diaboli, et ideo postulamus, ut ipse nos liberet a malo, hoc est ab omni impugnatione diabolica. *Libera nos, quæsumus, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, et futuris*, hoc est, postulamus, ut ipse nos ab omnibus malis liberet, qui nos bonos et mundos creavit, in quo nullum est malum. Præterita sunt, quæ jam ante peccantes commisimus, et ideo flagella sustinemus. Præsentia sunt, quæ cottidie committimus. Futura sunt, quæ adhuc diabolo suadente advenire possunt. Et ideo oramus, ut ab omnibus liberemur, quia ante conspectum Dei nulla sunt præterita, nec futura, sed omnia sunt præsentia. *Intercedente pro nobis beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, et beatis Apostolis tuis Petro, et Paulo, atque Andrea.* Invocamus nobis in adjutorium genetricem Dei, quæ virgo fuit, ante partum, virgo in partu, virgo post partum, et beatos Apostolos, qui nobis hæc mysteria celebranda tradiderunt, ut intercedant pro nobis, quia nos ipsi digni non sumus de præteritis ac præsentibus veniam promereri, nec de futuris cautelam, nisi nobis eorum orationibus donetur. Jam oravimus, ut liberemur a malis, nunc oramus, ut prædictis sanctis intervenientibus ipse donet pacem propitius in diebus nostris, qui potens est a malo liberare. Pacem a temptatione diaboli ne inducamur in eam. Pacem a malis hominibus, ne patiamur flagella eorum, utpote misericordiæ tuæ adjuti, hoc est, ut Dei adjutorio adjuti; a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi, hoc est, ut peccatis nostris dimissis, in præsenti sæculo ne perturbemur iterum precantes, nec in die judicii æternam patiamur perturbationem per Christum Dominum nostrum. *Pax Domini sit semper vobiscum.* Christus est pax æterna, qui nos reconciliavit Patri per passionem suam, ne propter peccatum primi hominis in inferno detineremur. Hoc orat Sacerdos, ut illa pax cum populo permaneat, et

omnes concordes faciat, ut pacificati cum Christo mereamur in cœlo regnare, et ideo tunc facimus pacem antequam Corpus et Sanguinem Domini sumamus, ut concordiam inter nos habere ostendamus, et cum concordia Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in corpora nostra suscipiamus, quia sine concordia digni non sumus sanctam Communionem accipere, quia munera nostra, si discordiam habemus cum proximis nostris antequam reconciliemur, a Deo non recipiuntur.

Tunc orat clerus cantando. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis.* Agnus dicitur propter innocentiam, quia nulli hominum vel bestiarum nocet, et dum ad victimam ducitur occidentem se non ledit, sed occisorem suum post occisionem suam reficit, ita et Christus nullum lesit, sicut Apostolus dixit : Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Sed post passionem suam conversos persecutores suos multos per sanctam Communionem Corporis et Sanguinis sui refecit, et credentes fecit. Ipse tulit peccata mundi, quando veniam peccatorum nobis dedit, quia ante passionem ejus justi et peccatores in infernum descenderunt, et in Veteri Testamento remissionem peccatorum nusquam legimus. Christus vero per pœnitentiam non solum veniam peccatorum, sed etiam gaudium nobis promisit angelicum dicens : Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Ipsum Christum, qui est agnus Dei innocens, qui passus est pro salute mundi petimus, ut misereatur nostri dicentes : Miserere nobis (267). Nam et agnus in veteri testamento Christus semetipsum obtulit Deo Patri, ut genus humanum per passionem suam liberaret a peccato, et ideo agnus Dei tunc canitur, quando Corpus et Sanguis Dni percipitur, ut omnes credamus, quia ipsius agni Corpus et Sanguis tunc sumitur, qui peccata mundi tulit moriendo et vitam æternam nobis donavit resurgendo Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre in unitate sancti Spiritus vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen. Et post Missam finitam dicit Diaconus ad populum : *Ite Missa est.* Diaconus grece, latine minister dicitur. Ille nuntiat populo, quod finitæ sunt preces, quia nullus antea exire debet de ecclesia, quam nuntiatum sit de ministro. Et omnes respondeant : *Deo gratias.*

Primum in Ordine Missæ Antiphona ad Introitum canitur. Antiphona enim grece, latine vox reciproca interpretatur. In quo genere cantionis duo vicissim chori reciprocando melodiorum cantus alternant, vel unius vox reflexuose alteri reciprocaciterque respondet.

Introitum namque ab introeundo est dictum. Eo enim cantu ad sanctæ modulationis officia intratur; et tunc christianæ religionis congregatio ecclesiam Dei intrans, ad ceteras officiorum laudes præparat se. Sicut enim invitatorium dicitur ab invitando cum inchoatur initium nocturnum, et dicitur venite, ita Introitum ab introeundo, quando initiatur nocturnum. Antiphonam autem ad Introitum Cœlestinus natione Campanus Pontifex Romæ constituit, ut ante sacrificium celebraretur. Quod ante non fiebat, nisi tantum Epistola Pauli recitabatur, et sanctum Evangelium. Inde Kyrieleison dicitur, quod ex greco in latinum Domine miserere interpretatur. Sic et Christe eleyson, hoc est : Christe miserere. Ymnum vero angelicum id est *Gloria in excelsis* Deo tunc angeli cecinerunt, quando natus est Dominus. Quæ etiam Telesphorus Pontifex natione Grecus statuit, ut ante sacrificium psalleretur. Qui et constituit, ut in natale Domini per noctem Missæ celebrarentur.

Deinde legitur Epistola Pauli. Paulum, omnibus notum est, Doctorem gentium esse. Et quia a Domino vas electionis fore meruit, idcirco idem dum corpore maneret, ex quo quasdam scribendo gentes ad tempus docuit. Inde nunc cottidie dum recitatur : omnium mentes fidelium fidei firmæ roborat soliditate. Post responsorium Gradale psallitur. Et dictum responsorium, quod uno cessante, hoc ipsum alter respondeat. Gradale autem dicitur ab illorum distinctione responsoriorum, quod hoc in gradibus psallitur. Cætera ubicunque voluerit clerus. Deinde cantatur alleluia, quod ex hebreo in latinum laus Dei interpretatur. Ex duobus enim hebraicæ locutionis verbis hoc unum est compositum nomen. Decem quippe nominibus apud Hebræos Deus vocatur, ex quibus ia, quod hic dicitur, unum est.

Ceterum hæc in officio melodia a sanctis institutoribus sunt prepositа, ut populus laudibus Dei insistens ad sancti Evangelii verba, ut ad alia sacri mysterii officia attentior, sollicitiorque exsistat. Post hanc enim laudem lectio S. Evangelii legitur. Evangelium namque grece, latine bonum nuntium interpretatur. Nullum enim nuntium melius potest esse, quam illud, quod nuntiat salutem totius sæculi, et promittit æterni felicibus præmia regni. Et bene convenit post hanc melodiæ laudem, quæ proprie Dei nomine continetur ejus sanctissima protinus verba

(267) Passim in mss. etiam Alemannicis additur : *Expositio hæc a cœnobio S. Dionysii venit*, cui nempe S. Fulradus abbas varias cellas a se conditas in Alsatia testamento univit sæc. VIII, quo celeberrimus fuit Pipini et Caroli M. archicapellanus, simulque papæ apocrysiarius in maximis Ecclesiæ et imperii negotiis adhibitus. In conc. Vermeriensi an. 853 episcopi « cum (aiunt) inter cætera ecclesiastica negotia de ordinabili dispositione monasterii S. Dionysii disponeremus, venerunt monachi ipsius sacri cœnobii in præsentia venerandæ synodi deferentes auctoritates, videlicet testamentum, quod sanctæ recordationis abba Fulradus de monast. Lebbraha, ubi S. Alexander M. quiescit humatus, et de cella, quæ ad sanctum Hippolytum nominatur, sive de aliis rebus, quas per idem testamentum idem venerabilis abbas sancto Dionysio contulerat. » Exstat testamentum illud apud Mabill. sæc. III ord. S. Ben. t. II, p. 341, anno 777 conditum, septennio ante Fulradi mortem, quæ an. 784 contigit. Facile ergo e monasteriis S. Dionysio obnoxiis in alia Alemanniæ monasteria exp sitio hæc devenit.

legi, ut dulcedinis canore primum spiritus populi informetur. Postea boni nuntii, id est Evangelii avida auditurus gratulatione consoletur.

Offertoria, quæ in sacrificiorum honore canunt ecclesiasticus liber inditium est, veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur, sicut enim dicit : porrexit, inquit, Sacerdos manum suam in libationes, et libavit de sanguine uvæ, et fudit in fundamentum altaris odorem divino et excelso principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis productilibus, et sonaverunt, et auditum fecerunt magnam vocem in memoriam coram Domino. Non aliter et nunc in sonitu tubæ, id est, in vocis prædicatione cantus accendimus. Simulque corde et opere laudes Domino declamantes jubilamus in alto; illo scilicet vero sacrificio, cujus sanguine salvatus est mundus. Deinde post orationem secrete dicitur a Sacerdote : *Dominus vobiscum.* Sacerdos orat salutando populum pro clero et plebe, et clerus et plebs, ut participes sint pariter cum Domino reciprocaciter exorando respondent, et cum spiritu tuo; id est, ut mens et spiritus noster unum sint secundum Apostolum : psallam spiritu, psallam et mente, ipse pro illis, et illi pro illo, quia Apostolus docet : invicem orare, ut salventur. Et Dominus in Evangelio : *Amen dico vobis, quia si duo, vel tres consenserint de omni re super terram, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui est in cœlis.* Iterum dicit Sacerdos : *Sursum corda.* Hic non solum plebem hortatur, ut ad Dominum erigat corda, verum etiam suum cor participare cum ipsis desiderando exorat. Et sicut illos optat sursum habere corda, et de cœlestibus cogitare dicente Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et iterum, *quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram,* sic et ipse ima reliquens mente ad cœlestia cum ipsis tendat juxta Psalmistam : *Levavi oculos meos.* et *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Hinc clerus exhortatione Sacerdotis roboratus respondet : *Habemus ad Dominum;* ac si diceret : Sicut ammonendo nos hortaris sursum erigere corda, sic exortationi tuæ facientes, attende ad Dnum habere profitemur. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Gratias enim Deo nobis agere optando imperat Sacerdos, qui ante professi sumus ad Dominum nos esse intentos. *Dignum et justum est.* Quid enim dignius, quam ut Deo gratias indesinenter agamus pro immenso dignationis ejus dono, quo nos in mente dignatus est suos adoptare filios. Unde in consequentibus se Patrem a nobis permittit vocari. Et hæc responsio plebis augmentum accumulat gratiarum actionis.

PRÆFATIO.

Vere dignum, et justum, et æquum, et salutare. Contestatur vero Sacerdos fixe et veraciter professionem populi, id est, gratias referre Deo esse dignum, qui nobis salutem indignis tribuit æternam. Dignum, hoc est meritum; et justum, hoc est jure et ratione stans, ac solidatum, æquum rectum et æquale; et salutare, hoc est salubre, omnique salute plenum, et medicabile. *Nos tibi semper, et ubique gratias agere.* Postquam autem profitetur se populus ad Dnum corda habere intenta. Conversio vocis et mentis fit a Sacerdote veluti præsentialiter loquentis ad ipsum dicendo : Nos tibi semper et ubique gratias agere. Tunc enim digne Deo gratiæ concelebrantur, si ab omnibus humani generis fidelibus semper et ubique agantur. Semper juxta Psalmistam *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Et iterum : *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero.* Et Apostolus : *Sine intermissione orate : in omnibus gratias agite,* et reliqua. Et ubique Psalmista dicente : *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Et quia etiam Deus ubique est, idcirco illi ubique gratias referre debemus. *Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus.* Dominus a dominando dicitur, jure enim illi hoc nomen proprie adhibetur, qui ipse potestative omnium dominatur creaturarum, in quo nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum. Et sicut Dominus a dominando, ita sanctus a sanctificando dicitur, quia ab ipso omnia sanctificantur. Pater, hoc non dicimus nostro merito, sed sola suæ concessionis largitione, qui dum peccati servi essemus, et filii iræ secundum Apostolum, liberi facti justitiæ. Patrem, illum diligendo, eo jubente vocamus. *Per Christum Dnum nostrum,* grece enim Christus, latine unctus interpretatur. Unde in psalmo : *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Per Christum vero Dominum nostrum. Omnes fideles gratias Deo Patri referunt mediatorem, ac mundi redemptorem, a quo cuncta creata et pereuntia, non nostris meritis, sed sola sua misericordia sunt recuperata. Et bene, sicut per ipsum novem ordines angelorum distinctis vocabulis creavit dicens : *Fiat lux, et facta est lux,* ita etiam et per ipsum paterna majestas merita vicissitudine ab angelis, id est, a nuntiis, et Archangelis, id est, Principibus angelorum conlaudatur, quia archon grece, latine Princeps dicitur. Et a Dominationibus, id est, Dominationibus supra prædictos ordines adoratur. Per ipsum etiam unicum verbum, id est, filium paternam divinitatem tremunt Potestates. Cœli cœlorumque virtutes, id est, potestatem habentes, et virtutem supra inferiores ordines. Ac beata Seraphim. Seraphim quoque ardentes et incendentes interpretantur propter vicinitatem sanctissimi divinitatis ignis, quia Deus noster ignis consumens est. Et ideo juste ab ipsis per unicum verbum socia exultatione Pater concelebratur. Cum ipsis vero supra dictis ordinibus angelorum et nostras, id est, hominum voces, ut admitti jubeas, deprecamur. Ammittere enim per duo m, et admittere per d, suscipere est. Amittere vero per unum m absque d, hoc est dimittere. Hic jam conjungendo pars inferior chordarum superiori in concordatione cœlestis cytharæ, id est, concordis ecclesiæ, sociatur. Quæ spiritale ac novum carnem æterno regi concinenti modulatione perstrepit. Unde Johannes :

Et audivi vocem sicut vocem citharizantium in citharis suis, et cantant canticum novum. Duas quoque Deus creaturas, id est angelos et homines ad sibi debitum reddere famulatum ac dignum servitium condidit, qui laudem illius dignam agerent, et placitam ejus voluntatem sensibiliter cum laudibus et gratiarum actionibus explerent. Per unigenitum Filium suum, per quem hi omnes ordines divinam ejus potentiam sine intermissione laudant, adorant, et tremunt, concelebrantque supplici confessione dicentes, id est præcaria, humilique laude, unde Cassiodorus inquit : Confessionis enim nomen in divinis Scripturis duplici modo intelligitur. Aliquando enim ad satisfactionem, et ad publicam sanabilemque proditionem per pœnitentiam pertinet, ut Apostolus : *Confitemini peccata vestra alterutrum, ut salvemini.* Aliquando ad gratiarum actionem, ut in Evangelio : *Confiteor tibi Domine Pater cœli et terræ.* Hinc iterum Cassiodorus dicit : Confitentur enim, qui peccata deplorant. Et qui Domino gratias referunt, confitentur; sed et illud in lacrimis, istud in gaudio est. Illud in afflictione, istud in sanctæ mentis alacritate. Illud in tristitia, istud in exultatione. Illud in labore, istud in requie. Illud in timore istud in dilectione. Illud in luctu, istud in jocunditate. Illud in sorditate, istud in decore. Illud quiescit in indulgentia, istud permanet hic, et in futuro. Illud homines peccatores, istud homines sancti, et angeli gratulando et laudando confitentur. Ex quo intelligitur, sicut prædictum est, quod nomen confessionis duplici modo intelligitur, id est, aliquando fit Confessio ad salutis satisfactionem, et ad ploranda peccata. Aliquando ad gratiarum actionem, Deo gratias agendo, et ejus nomen digne laudando; unde dicitur in psalmis : Confitemini Domino, quoniam bonus, et reliqua. Hic enim possumus intelligere de præsenti loco, verum dum sancti in hoc caduco vivunt sæculo, antequam inseparabili consortio cœlestis conjungantur chori, divisis variisque modis Dominum laudant. Hinc Augustinus : Laudant eum omnes angeli ejus condigne, quorum cibus æternus est, cujus vita vivunt, cujus æternitate et bonitate semper beate vivunt. Laudemus Dominum nostrum, qui redemit, et fecit nos; laudant illi competenter, laudemus et nos obedientes. Illi laudant videndo, nos credendo; illi fruendo, nos petendo; illi cantando, nos quærendo; illi intrando, nos pulsando.

Sanctus, sanctus, sanctus.

Juste enim, et rationabiliter istud nomen majestati divinæ ter decantatur, quia sanctus Pater dicente Filio ad eum : Pater sancte sanctifica eos in veritate, quos dedisti mihi, quia tu sanctus es. De Filio autem per angelum ad Mariam dicitur : et quod nascetur ex te vocabitur sanctum. Filius Dei de Spiritu Patris et Filii dicit idem Filius discipulis suis : Accipite Spiritum sanctum, et cætera. Sed quamvis unicuique personæ nomen inponatur sanctum, non tamen plurali numero tres sunt sancti, sed unus Deus sanctus; et sub trina repetitione una in tribus personis sanctitas demonstratur; unde inquit Esaias : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum, et Seraphim stabant super illud sex alæ uni, et sex alæ alteri, et clamabant alter ad alterum et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dnus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Inde et Johannes Evangelista in libro Apocalypsis scribit, se vidisse ante thronum Dei et agni viginti quatuor animalia adstantia, et incessanter dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, et reliqua. Sabaoth quoque hebraice latine exercituum sive virtutum interpretatur; quia ipse est omnium creator et Deus, qui operatur per Filium una cum Spiritu sancto omnia in omnibus. *Pleni sunt cœli,* hoc est cœlestes ordines, in quibus Deus plenissime habitare dicitur. *Et terra,* id est, fideles adhuc per spem futuræ beatitudinis in terra conversantes. *Gloria tua :* illa enim gloria pleni sunt cœli et terra, quam nascente Domino multitudo angelorum cantasse dicitur : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Osanna in excelsis. Osanna in interpretationem linguæ alterius in toto transire non potest, quia Osi salvifica interpretatur. Anna vero interjectio est, significans motum animi sub postulantis affectu. Osianna autem integre dicitur, quod nos vocali media litera, et corrupta, et elisa Osanna dicimus, sicut fit in versibus cum scandimus Litera enim prima verbi sequentis extremam prioris verbi veniens excludit; et dicitur hebraice Osanna, quod interpretatur salvifica subaudiendo : ut populum tuum, ut totum mundum. *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Adpropinquante Jesu Hierosolymis pueri Hebreorum sumentes ramos olivarum obviaverunt ei dicentes : *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.* Sine intermissione etenim et nunc a fidelibus nomen ejus in sancta illius ecclesia pronunciari debet, quia ab ipso spiritali benedictione, spiritales replentur, de qua Apostolus testatur : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo Jesu Domino nostro.*

Te igitur clementissime Pater per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Recte per Jesum Christum Deus, et jam Pater supplicatur, quia per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso nihil factum est. Et quia per ipsum salvati sumus, dignum est etiam, ut per ipsum Patrem, a quo genitus est, imploremus. *Supplices,* id est humiles, *rogamus et petimus, uti accepta habeas;* uti prout accepta habeas, id est placabiliter accipias, *et benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia inlibata.* Donum dantis est munus accipientis, quia illud a dando, hoc a muniendo dicitur. Tamen proprie dona dicuntur, quæ Deo dantur. Munera autem hominum sunt, quia manibus dantur, et accipiuntur. In hoc tamen loco et dona, et munera Deo offeruntur. Sacrificia, id est, sacra facta, quia prece mystica consecrantur in

memoriam pro nobis dominicæ Passionis. Unde ab hoc, eo jubente, corpus et sanguinem dicimus. Quod dum fit ex fructibus terræ sanctificatur, et fit Sacramentum operante invisibiliter Spiritu Dei, cujus panis et calicis Sacramentum Greci eucharistiam dicunt, quod latine bona gratia interpretatur. Et quid melius Corpore et Sanguine Christi? Inlibata, hoc est incontaminata, et omni immunditia carentia; inlibata etenim tunc sunt sacrificia, si de propriis puro corde dantur, et justo labore adquiruntur. *Inprimis, quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica.* Primo enim omnium pro ecclesia sancta offerre debemus mente pura ac toto digne devotionis affectu, ut semper dilatetur, et munitione Christi firmata stabilis in pace perseveret. Catholica autem dicitur universalis, quia grece catholicon, latine universalitas dicitur, *quam pacificare*, id est in concordia manere, sicut dicitur: Quia duos condidit in se unum novum hominem faciens pacem. Pacem his, qui longe, et pacem his, qui prope. Custodire, quia est custos, sicut est custos, qui de nocte; et nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat, qui custodit eam. *Adunare*, id est, unam per fidem facere, quia una est columba, id est, una ecclesia. Et licet septem in Apocalipsi scribantur, una tamen est septiformi Spiritu plena. Salomon enim dicit: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas VII.* quas septem Apostolus unam dicit ecclesiam Dei vivi, quæ est columna et firmamentum veritatis. *Et regere digneris*, id est, tuo nomimine, ac gubernatione firmare. *Toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N.* Quia enim ipse vice apostolica caput est ecclesiæ, ideo primus nominatur in hac prece. *Et antistite nostro.* Antistes dicitur, quod ante stat, eo quod præsit cæteris ordinibus. Et dignum est, ut pro eo Sacerdotes nominatim exorent, in cujus parochia, et sub cujus gubernatione reguntur.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum. Famuli a famulando dicti, id est a serviendo, eo quod famulatum cuicunque impendunt. *Et omnium circum adstantium.* Sunt nonnulli, qui putant, non pro his tunc orari, qui forte aut infirmitatis causa, aut aliqua interveniente necessitate sedent, sed adstantium dicit ad præsens consistentium, et in fide ac spe permanentium, sicut Apostolus dicit: Vigilate, et state in fide, et stabiles estote, atque immobiles. *Quorum tibi fides cognita est, et nota devotio.* Deo enim nihil est incognitum, quia scrutator est cordium: Dominus enim novit cogitationes hominum. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium* laudis juxta Apostolum: quicquid agere debetis, omnia in laudem Dei facite, ut et Deus laudetur in vobis. *Pro se suisque omnibus*, id est, et pro se ipsis, et pro omnibus, qui ad se pertinent. *Pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suæ.* Per oblationem enim illius sacrificii animæ redimuntur a vitiis, et salvantur per spem salutis æternæ. *Tibi reddunt vota sua.* Vota dicuntur voluntarie data, unde Psalmista: Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus offeretis munera. *Æterno Deo vivo et vero.* Æterno, quia nec initium habuit, nec fine claudetur. Deo vivo: vivum eum dicit, quia ipse est vita, et ab eo omnia vivificabuntur. Vero: quia verax est, et non fallit. *Communicantes*, id est, communiter participantes. *Et memoriam venerantes*, venerabiliter memoriam habentes. *Inprimis gloriosæ semper virginis Mariæ.* Ejus memoriam primum Sacerdos facit, quia per eam salus omnibus nobis advenit. Semper Virginis dicit, quia beata Virgo Maria ante partum, et virgo in partu, et post partum virgo incorrupta permansit. *Genitricis Dei, et Dni nostri Jesu Christi.* In horum duorum vocabulo nominum in Dei, et Domini ostendit beatam Mariam Deum genuisse, et hominem. *Sed et beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum.* Post memoriam Dei genitricis, horum memoriam facit Sanctorum, qui ecclesiæ Petro commissæ primum præsules exstiterunt, post illos reliquos omnes, dicens: *et omnium Sanctorum tuorum*, et reliqua. Non enim nostris precibus et meritis, Dei meremur auxilium, sed sanctorum intercessionibus, si nostrum digne oblatum fuerit sacrificium. Et hoc non nisi per Christum Dominum nostrum a quo omnia fiunt, et per quem omnia facta sunt. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ.* Istam oblationem Sacerdotes snæ servitutis dicunt, quia quicquid ad hujus pertinet mysterii celebrationem, per eorum dispensatur ministrationem. Et non solum dicit servitutis nostræ, verum cunctæ familiæ tuæ; quia quamvis per eorum ministerium celebretur, non solum pro se, sed et cuncta Dei familia immolatur. *Quæsumus Domine*, hoc est precamur, *ut placatus accipias*, id est non nostri attendas reatus culpam sed tua miseratione placabiliter concedas veniam. *Diesque nostros in tua pace disponas.* Hoc primum non dicebatur, sed a Gregorio Papa viro eruditissimo postea additum est. Quod omnes incessanter petere debemus, ut quamdiu in hoc peregrinamur sæculo, dies nostri gubernentur a Deo. Quid enim est aliud dies nostros eum in pace disponere, nisi ab æterna damnatione nos eripere, et in electorum suorum nos congregatione sociare, et hoc per illum per quem, et a quo cum Patre omnia facta sunt. *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam* benedictione spiritali confirmatam; *Adscriptam*, mensæ cœlesti adsignatam. *Ratam*, tibi firmiter solidatam. *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Rationabile est, cum ratione actum. Et inde si rationabiliter ac digne oblatio efficitur, tunc Deo acceptabilis habetur. *Ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, id est, ut nos efficiamur corpus ejus, et nobis divinitus tradat in ministerio divinæ gratiæ panem, qui de cœlo descendit, ut sicut visibili pane, et potu reficitur corpus, ita et invisibili animus noster recreetur ac potetur, ne lassescat in itinere hujus solitudinis. Quid enim est, quod in panem, et vinum Dominus corpus suum transfigurare voluit? nisi quia

panis ex multis conficitur granis, et vinum ex multis uvarum racemis exprimitur, sic et Ecclesia, quæ est Corpus Christi ex multis gradibus et ætatibus, et personis, et linguis congregatur in unam fidem. Eisdem quippe materiis Dominus se ipsum ostendit dicens : Ego sum panis vivus. Et infra : Ego sum vitis vera. Et ideo in eadem materias, unde cor hominis confirmatur, et lætificatur dicente Psalmista : panis cor hominis confirmat, et vinum lætificat. Corpus suum Dominus transfiguravit, ut quamdiu illud adsumpserimus læti, et firmi maneamus, et ipse in nobis, ipso promittente : qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum in me manet, et ego in eo. Dilectissimus Filius dicitur, quia, quamvis multi sunt Filii, gratia tamen, non natura. Iste solus naturaliter est Filius Patre attestante, qui dicit : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Dominus Deus, quia solus cum Patre, et Spiritu sancto dominatur, et divino cultu colitur. Christe Jesu, hæc nomina sunt divinæ gratiæ suæ; unum tamen hebreum, id est Jesus, quod interpretatur Salvator. Undè dicitur : Salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Alterum grecum, id est, Christe, unde jam superius dictum est. *Qui pridie, quam pateretur.* Pridie dicitur, quasi præ die, id est, ante diem, qua per passionem occideretur. *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.* In hoc pane quis alius, nisi ille panis vivus designatur, qui de cœlo descendit. *Et elevatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem.* Oculos elevavit in cœlum, ut ostenderet nobis in omnibus, quæ agimus, nihil quærere terrenum; et ut sciamus inde nobis omne venire bonum. *Tibi gratias agens benedixit.* Exemplum nobis donans, ut in omnibus, quæ bene gerimus, Deo gratias semper agamus. *Fregit, dedit discipulis suis.* Quid aliud significat in fractione hujus panis, nisi quia corpus suum manducabile præbuit nobis. *Simili modo postquam cœnatum est,* id est, postquam ille veteris testamenti agnus comestus est. Quod dicit simili modo, non aliud est, nisi sicut fecit primum de pane, sic per omnia fecit, et de calice. Sicut illum gratias agendo benedixit frangens ad manducandum, sic et hunc benedicendo tradidit discipulis ad bibendum dicens : *Accipite, et bibite ex eo omnes ; hic enim calix Sanguinis mei novi. et æterni testamenti.* Quod autem dicitur hic calix novi testamenti ; ad discretionem veteris legis dicitur dicente Moyse : *Hic est sanguis, quem mandavit ad nos Dominus. Misterium fidei, qui pro vobis effundetur.* Quia dicitur, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam. *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Unde Apostolus : *Quotiescunque,* inquit, *manducatis panem hunc, et calicem bibitis, mortem Domini adnuntiabitis donec veniat. Unde et memores sumus Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta Christi Filii tui Domini Dei nostri.* Hic Sacerdotes admonitione Christi imbuti, memores illius se esse profitentur, quia ipsis celebratio sacrificii hujus commissa est ad consecrandum. Deinde subditur, sed et plebs tua, ut intelligamus non solum Sacerdotibus dignum esse memoriam Christi venerari, sed et generaliter omnibus, plebs Christi vocatis, quia pro cunctis Christus mortuus est, et resurrexit, et ad cœlos victor ascendit. Ipsa etenim sancta dicitur, quia per mysterium sacri baptismatis est abluta. Et juste adjicitur tua, quia Filii sui Domini nostri Jesu Christi proprio cruore est redempta. *Tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis.* Horum ergo omnium sumus memores, quia per hæc nos credimus esse salvatos. Et idcirco *offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam. Panem sanctum vitæ æternæ et Calicem salutis perpetuæ.* Hostiæ apud veteres dicebantur sacrificia, quæ fiebant, antequam ad hostem pergerent. Nunc autem Domine *Hostiam puram,* id est, omni fermento malitiæ et nequitiæ carentem majestati tuæ corde puro offerimus, quia sicut illi auxilium a te credebant impetrare victoriæ, ita et nos per Corpus Filii tui, qui est vera hostia salutem nostrarum nobis credimus promereri animarum. *Hostiam sanctam,* id est, cœlesti dono per assumptionem Corporis Domini nostri Jesu Christi sanctificatam. *Hostiam immaculatam,* quia ipse sine macula peccati ex Maria Virgine natus, et cruce suspensus, redeundo ad cœlos ascendit. *Panem sanctum vitæ æternæ* offerimus, quia vitam, quicunque eum acceperunt, percipient indeficientem, ipse est enim panis vivus. *Et Calicem salutis perpetuæ.* Si vero calicem Domini condigne sumpserimus, salutem animæ semper manentem habebimus. *Supra quæ ;* subauditur munera, *propitio ac sereno vultu respicere digneris,* hoc est, misericordi et claro percipere. *Et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium immaculatam hostiam.* Abel namque de primogenitis quicquid optimum duxit, ac de adipibus gregis sui, et justo labore adquisitis. Hoc Deo cum intimis cordis amore, ac tota mentis devotione optulit. Ideoque Deus ad munera ejus sereno vultu respexit. Abraham vero voci Domini obediens filio suo non pepercit propter eum, sed immolare eum voluit, ideoque reputatum est ei ad justitiam. Melchisedech summus Sacerdos primum panem et vinum typice Domino obtulit. Quam figuram postea Christus, qui est verus Sacerdos in æternum corpus suum et sanguinem offerendo Deo Patri adimplevit. Dixit enim discipulis suis, dans eis panem et calicem : hoc est Corpus meum ; et hic est Calix Sanguinis mei, qui pro multorum redemptione effundetur. Cum omni ergo puritate mentis implorare omnipotentem Deum debemus, ut sicut, horum trium munere placatus,

respexit, ita etiam per suam misericordiam respicere dignetur et nostra.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ. Incessanter enim nobis, et cum summa humilitate postulandum est, ut sacrificia, quæ a nobis in hoc corporali altare offeruntur, et per manus Sacerdotum consecrantur, ab angelo in presenti adsistente sancto suscipiantur, per manusque illius sanctas in sublime altare Dei. Idem in præsentiam paternæ majestatis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, perferantur. *Ut quotquot ex altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur, per Christum Dnum nostrum.* Semperque Deum Patrem exorare debemus, ut quotquot Corpus et Sanguinem proprium in commemorationem Filii sui Domini nostri Jesu Christi fideliter sumimus, illius benedictione ac gratia repleti, cœlesti ejus nos largiflua pietate non nostris meritis agnoscamus esse salvandos.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris. Hic petitur, ut nobis indignis cum sanctis suis, et electis gloriam tribuat. Miserationes dicuntur, quia novit compati vulneribus nostris, et medicamentum dat. Et hæc tamen tantummodo sperantibus promittuntur, quia nihil valent sine spe, sicut namque per pedes corpus ambulat, sic et mentes bonorum per spem ad cœlestia proficiscuntur. *Cum tuis sanctis Apostolis, et Martyribus cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agne, Cecilia, Anastasia, et cum omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte, per Christum Dnm nostrum.* Ideo præsumit rogare Deum sacerdos nobis dari partem cum Sanctis, quia nihil resistit voluntati Dei. Non enim meritis vocamur ad regnum Sanctorum, sed sola bonitate Dei, per Xpm Dnm nostrum, qui factus est mediator, quem advocatum habemus apud Patrem. Cujus pietate ac beata passione reconciliati sumus Patri. *Per quem hæc omnia bona Dne semper creas.* Creat ac condit Pater per Filium, ut in mysterio gratiæ divinæ nobis traditur corpus et sanguis. *Sanctificas*, ut et nos sanctificemur per sanctum sacrificium. *Vivificas.* Vivificatur sancta oblatio panis et vini, quatinus divinis mysteriis acceptis, vita æterna tribuatur fidelibus. Bona scilicet Dni creaturæ, quæ nobis largiuntur, sanctificata sunt, quia nos sanctificant. Vivificata : per quæ prestatur vita beata. Benedicta : per quæ benedictio corporis et sanguinis datur nobis. *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.* Est honor et gloria Patri, sed cum Filio, per quem omnia creavit, cum quo cuncta cœpit facere, et in quo sunt omnia perfecta. Honor et gloria est Patri, et Filio, sed cum Spiritu sancto, per quem vivificatur, et sanctificatur, quæ ex ipso, et per Filium facta noscuntur. *Per omnia sæcula sæculorum.* Sæcula sæculorum dicuntur, sicut sancta sanctorum ; hoc est, per æterna sæcula. Per quem vivit, et regnat Pater, vivit, ac regnat Filius, vivit, et regnat Spiritus sanctus. *Amen*, id est vox fidelium, et credentium in trinitatem et unitatem. Amen hebreum est, quod ab aliquibus interpretibus interpretatur vere et fideliter, ab aliis, vere fiat.

Oremus, præceptis salutaribus moniti. Præceptis enim salutaribus, id est, Dni Salvatoris, qui nos sine nostris meritis salvavit, moniti sumus ; ipso attestante discipulis suis : sic enim orabitis : *et divina institutione formati audemus dicere.* Si vero ejus monitis et divina institutione formati fuerimus, recte dicere audebimus nobis ab ipso prædictam orationem subsequentem. *Pater noster, qui es in cœlis.* Hæc vox libertatis est. Patrem invocamus, qui nos creavit, quia omnes ab uno creati sumus Deo. *Sanctificetur nomen tuum.* Num quod non semper sanctificatum fuit nomen Dni, oramus, ut in nobis sit sanctificatum nomen ejus. *Adveniat regnum tuum.* Regnum Dei semper fuit. Oramus, ut in nobis non regnet diabolus, neque vitia, sed regnum Dei sit in nobis. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra ;* ut efficiatur voluntas Dei in nobis in timore consummemur angelorum, ut simus in societate, nos terreni, supernorum civium. *Panem nostrum cottidianum da nobis hodie*, id est panem supersubstantialem, de quo pane Dns dixit : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, ut de sancto altari reficiamur corpore Xpi. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ecce remissionem dicimus, quod in Evangelio Dns dicit : Si non remiseritis peccata hominum, nec Pater cœlestis dimittet peccata vestra. *Et ne nos inducas in temptationem*, ne nos dimittas incidere in temptationem diaboli. *Sed libera nos a malo*, a diabolo, et malis hominibus.

Libera nos quæsumus Dne ab omnibus malis præteritis, præsentibus, et futuris. Et hoc etiam nobis postulandum, et supplici prece omnipotens Deus a nobis exorandus est, ut nos a præsentibus, id est nunc instantibus malis eripiat, et secundum suam largifluam misericordiam a præteritis, ne ad illa referamur, liberet : et a futuris ipso auxiliante secernat, qui est agnitor præsentium, præteritarum, futurarumque rerum. *Et intercedente pro nobis beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, et sanctis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea. Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato sumus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.* Beata ergo Dei genitrix, quæ meruit virgo esse in partu, virgo post partum, primum humillima postulatione imploranda est, ut ipsa intercedat pro nobis ad Patrem, Filiumque, ex se secundum carnem natum. Postque Dei

apostoli Petrus et Paulus atque Andreas primi ecclesiæ doctores sunt flagrandi, ut ipsis intercedentibus, pax in diebus nostris Christo propitio detur nobis, ut misericordiæ suæ auxilio circumdati, mereamur esse ab his liberi, et ab omni perturbatione noxia corpus, et sanguinem Xpi sumamus securi, quia non nostra virtute speramus nos ab hisdem liberari, sed magis credimus per illorum intercessionem salvari. *Per Xpm Dnm nostrum.* Et reliqua. Hæc quoque redemptio ac liberatio per Xpm Dnm nostrum, qui cum Patre vivit et regnat in sæcula sæculorum esse debet, quia per ipsum et cum ipso et in ipso facta sunt omnia, sine quo factum est nihil, in quo vivimus, movemur, et sumus.

Deinde Sacerdos pacem populis habendam denuntiat dicendo : *Pax Domini sit semper vobiscum.* Et clerus, et plebs in eadem concordia respondendo subjungit : *Et cum spiritu tuo.* Dignum etenim est, ut post tanti sacramenta celebrata mysterii, et post corpus, et sanguinem Dni nostri Jesu Xpi consecratum, pax accepturis prænuntietur, quia ipse est, quem sumimus, pax nostra, qui fecit utraque unum, ipso attestante discipulis : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et iterum : *Pacem habete intra vos.*

Post pacem autem omnibus fidelibus in ecclesia Dei peractam, juste illius corpus, et sanguis a dignis percipitur, qui est pax vera, et in quo falli non potest. Quia a non nisi pacificis, et in concordia manentibus Corpus et Sanguis Dni nostri Jesu Xpi digne percipitur, Scriptura attestante : *Quicunque comederit Carnem Dni, et biberit ejus Sanguinem injuste, judicium sibi manducat, et bibit.*

Agnus Dei vero, dum Corpus, et Sanguis Xpi sumitur, a clero modulando decantatur, quia ipse est verus agnus sine macula Joanne dicente : *qui tollit peccata mundi.* Et dum ipse a fidelibus percipitur, dignum est, ut communio sacramenti modulationis lenitate aures accipientium mulceat, ut ociosa quæque minus recordari, ac eis delectari ad hanc vocem intenti valeant, cordaque eorum ad conpunctionem ejus amoris, quæ accipiunt, excitentur.

Deinde orationes a sacerdote sacræ communionis peraguntur, et benedictio super populum, ut a nobis digne percepta stabiles in fide, et mundo corde maneamus, et nobis salutem animarum et corporum habere credamus. Per Dnm nostrum Jesum Xpm, qui cum Patre vivit, et regnat Deus una cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum amen. Deinde a diacono populo pronuntiatur dicendo : *Ite missa est.* Missa enim dicitur, eo quod tempore sacrificii catecumeni foras mittuntur. Postea vero a clero respondetur : *Deo gratias*, quia in hujus Missæ celebratione Augustino attestante : primum fiunt obsecrationes, deinde orationes, et interpellationes, nec non gratiarum actiones. Obsecrationes namque, id est, præcationes dictas accipimus, quas facimus in celebratione sacrificiorum, antequam illud, quod in Dni mensa est, incipiat benedici, quam totam petitionem fere omnis ecclesia Dominica oratione concludit. Orationes aguntur, dum sancta oblatio benedicitur, et ad distribuendum præparatur. Interpellationes vero, sive ut aliqui codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocali susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. His enim paractis, et participato tanto sacramento gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.

KALENDARIA ET MARTYROLOGIA ANTIQUA.

(Apud Marten. *Ampl. Collect.* et Zaccaria *Antiquit. medii ævi.*)

KALENDARIUM FLORIACENSE.

(Apud Marten. *Ampl. Collect.*, tom. VI, pag. 649.)

JANUARIUS.

Kal. Januarias. Circumcisio Domini.
VIII. Idus. Epiphania Domini nostri Jesu Christi.
IV. Idus. Natale beati Pauli primi eremiti.
Idus. Jan. Depositio Hilarii Pictaviensis.
XIX. Kal. Februar. Natale S. Felicis.
XVII. Kal. Natale S. Marcelli.
XVI. Kal. Depositio S. Antonii.
XV. Kal. Natale S. Priscæ.
XIII. Kal. Natale S. Sebastiani.
XII. Kal. Natale S. Agnes de passione.
XI. Kal. Natale S. Vincentii.
V. Kalend. Natale S. Agnes de nativitate.

FEBRUARIUS.

IV. Nonas. Purificatio B. Mariæ.
II. Nonas. *Autissiodori depositio corporis S. Alexandri papæ. Fidicula.*
Nonas. Febr. Natale S. Agathæ.

XVI. Kalendas. Martii. Natale S. Valentini.
XIV. Kal. Natale S. Julianæ.
VI. Kal. Natale S. Matthæi [*l.* Matthiæ] apostoli.

MARTIUS.

VII. Idus. Natale SS. XL martyrum.
IV. Idus. Natale S. Gregorii papæ.
XIII. Kal. Depositio domni Cudberchti episcopi.
XII. Kalend. Depositio S. Benedicti.
VIII. Kal. Annuntiatio archangeli ad sanctam Mariam.
VI. Kal. Resurrectio Domini nostri Jesu Christi.

APRILIS.

V. Idus. Septem Virginum quæ in unum meruerunt coronas.
XVIII. Kalendas Maias. Natale SS. Tiburtii et Valeriani et Maximi.
IX. Kal. Natale S. Georgii martyris.
VII. Kal. Letania major ad S. Petrum et S. Marci evangelistæ.
IV. Kal. Natale S. Vitalis Martyris.

MAIUS.

Kalendas Maias. Natale S. Philippi apostoli. *Autissiodori Amatoris episcopi.*
Nonas Maii. Inventio S. Crucis, et passio SS. Alexandri papæ cum sociis suis.
VIII. Idus. Natale S. Victoris martyris.
VI. Idus. Natale S. Gordiani martyris.
IV. Idus. Natale S. Pancratii martyris.
II. Idus. Natale S. Hisidori.
XVI. Kal. Junii. *Autissiodori passio sancti Peregrini episcopi et martyris primi civitatis ipsius.*
XIV. Kal. Natale S. Pudentianæ. *Autissiodori dedicatio ecclesiæ S. Stephani senioris.*
XIII. Kal. Natale S. Bassillæ.
VIII. Kal. Natale S. Urbani papæ.
VII. Kal. *Bedæ presbyteri depositio.*
III. Kal. Natale S. Felicis papæ.
II. Kal. Natale S. Petronellæ.

JUNIUS.

VI. Idus Junii. Natale S. Medardi.
V. Idus. Natale SS. Primi et Feliciani.
IV. Idus. Natale S Barnabæ.
XVI. Kal. Julii. Natale S. Viti.
XV. Kal. Natale SS. Diogeni et Blasti.
XIV. Kal. Natale SS. Marcellini et Marci.
XIII. Kal. Natale SS. Gervasii et Protasii.
X. Kal. Natale S. Jacobi apostoli.
VIII. Kal. Natale S. Johannis Baptistæ.
VI. Kal. Natale SS. Johannis et Pauli.
IV. Kal. Natale S. Leonis papæ.
III. Kal. Natale beatorum apostolorum Petri et Pauli.

JULIUS.

VI. Nonas. Natale SS. Processi et Martiniani.
II. Nonas. Octavas apostolorum.
VI. Idus. Natale Septem Fratrum.
V. Idus. *Adventus beatissimi Benedicti abbatis.*
Idus. Natale S. Cyrici.
VIII. Idus. Natale Jacobi apostoli, fratris Johannis.

A IV. Idus. Natale SS. Felicis, Simplicis, Faustini et Beatricis.
III. Idus. Natale SS. Abdo et Senne.
II. *Natale sancti Germani episcopi et confessoris.*

AUGUSTUS.

Kalendas Augustas. Natale Machabæorum
IV. Nonas. Natale S. Stephani pontificis.
VIII. Idus. Natale S. Xisti papæ, et SS. Felicissimi et Agapiti.
IV. Idus. Natale S. Laurentii.
III. Idus. Natale S. Tiburtii.
XVIII. Kal. Septembris, Assumptio S. Mariæ.
XV. Kal. Natale S. Agapiti.
XI. Kal. Natale S. Timothei.
VIII. Kal. Natale S. Bartholomæi apostoli.
B V. Kal. S. Augustini episcopi. *Autissiodori Translatio corporis S. Germani episcopi.*
IV. Kal. Passio S. Johannis Baptistæ.

SEPTEMBER.

VI. Idus Septembris. Natale S. Mariæ.
III. Idus. Natale SS. Proti et Jacinthi.
XVIII. Kal. Octembres. Natale SS. Cornelii et Cypriani. *Et exaltatio S. Crucis.*
XI. Kal. Natale S. Matthæi apostoli.
X. Kal. Passio Mauritii et VI M DCLX. *Autissiodori acceptio corporis S. Germani ab Italia.*
VIII. Kal. Conceptio Johannis-Baptistæ.
V. Kal. Natale SS. Cosmæ et Damiani.
III. Kal. Dedicatio basilicæ archangeli Michaelis.
C II. Kal. Natale S. Hieronymi presbyteri.

OCTOBER.

Kalendas Octembris. Natale S. Remedii.
V. Nonas. Passio duorum Heuveddorum.
VII. Idus. Natale SS. Marcellini et Genui.
VI. Idus. Depositio domni Paulini Ebroicensis [*l.* Eboracensis] episcopi.
XV. Kal. S. Lucæ evangelistæ.
V. Kal. Natale apostolorum Simonis et Judæ.

NOVEMBER.

VI. Idus Novembris. Natale sanctorum IV Coronatorum.
III. Idus. Natale S. Martini episcopi.
Idus, *Autissiodoro exceptio corporis SS. Alexandri papæ et Crisanti.*
D X. Kal. Decembris. Natale S. Ceciliæ.
IX. Kal. Natale S. Clementis.
VIII. Kal. Natale S. Crisogoni.
III. Kal. Natale S. Saturnini et *S. Crisanti.*
II. Kal. Natale S. Andreæ apostoli.

DECEMBER.

II. Nonas Decembr. *S. Benedicti abbatis*
III. Idus. Natale S. Damasi papæ.
XVI. Kal. Jan. Natale S. Ignatii martyris.
XII. Kal. Natale Thomæ apostoli.
X. Kal. Natale S. Eugeniæ.
VIII. Kal. Natale Domini nostri Jesu Christi.
VII. Kal. Natale S. Stephani martyris.
VI. Kal. Natale S. Johannis evangelistæ.
V. Kal. Natale S. Innocentium.
II. Kal. Natale S. Svilestri papæ.

KALENDARIUM ANTIQUISSIMUM.

(Apud Bandini, *Catalog. bibl. Laurent.*, supplem.)

. . . Continet hic Codex (*sc. Bibliothecæ Laurentianæ*) sæculi IX ineuntis, characteribus ferme quadratis exaratus, præter computi ecclesiastici libros duos, et alia monumenta astronomica, Kalendarii fragmentum initio præfixum. Hoc cum clarissimo Leonardo Ximenes S. J. presbytero ignotum fuerit in sua ad Florentinum Gnomonem historica introductione, impressa Florentiæ typis regiis anno 1767, et aliorum recentiorum exactam notitiam exhibet, visum est integrum exhibere; licet enim, quod maxime dolendum, dimidia fere parte mutilum sit, quod superest tamen, non parvo usui astronomicis observationibus esse poterit.

Incipit Kalendarii fragmentum a die sexta mensis Junii hoc pacto :

t c VIII. Idus.
u d VII.
a e VI.
b f V. Nat. Primi, et Feliciani.
c g IIII.
d a III.
e b II. Nat. Basilidis, Nazarii et Naboris.
f c Idus. Ultimum Pentecosten (*Characteres viridi*).
g d XVIII. Kal. Jul.
h e XVII. Nat. sancti Viti mart.
i f XVI.
k g XV. Sol in Cancrum (*Charact. rubr.*)
l a XIIII. Nat. sanctorum Marcelli et Marcelliani.
m b XIII. Nat. sanctorum Gervasii et Protasii.
n c XII. Solstitium (*virid.*).
o d XI.
p e X.
q f VIIII. Vigilia sancti Joannis.
r g VIII. Nativitas sancti Joannis.
s a VII. Xmus Ægyptiorum mensis Episi (*rubr.*).
t b VI. Nat. sanctorum Joannis et Pauli.
a c V.
b d IIII. Nat. sancti Leonis papæ.
c e III. Nat. apostolorum Petri et Pauli.
d f II. Nox h. VI, d. XVIII (*rubr.*) (1).

MENSIS JULIUS D. XXXI (*vir.*)

a l d sept. d sol. g d (2).
e g Kal. Jul.
f a VI. Non. Nat. sanctorum Processi et Martiniani.
g b V.
h c IIII.
i d III.
k e II.
l f Non.
m g VIII. Id.
n a VII.
o b VI. Nat. septem Fratrum.
p c V.
q d IIII.
r e III.

(1) Scilicet *nox norarum* VI, *dies* XVIII
(2) Lege *Gesta dierum*.

A s f II. Dies caniculares (*vir.*).
t g Idus. Sancti Quirici.
u a XVII. Kal. Aug.
a b XVI.
b c XV. Sol in Leonem (*rubr.*) sancti Mamæ.
c d XIIII.
d e XIII.
e f XII. Nat. sanctæ Praxedis.
f g XI. Nat. sancti Apollinaris.
g a X. Aquileæ occasus (*virid.*).
h b VIIII. Acsias oritur (*virid.*), *sed vosten expunctum fuit.*
i c VIII. Nat. sancti Jacobi Ap., fratris Joannis.
k d VII. XIImus. Ægyptiorum mensis Mesore (*rubr.*)
l e VI.
B m f V. Nat. Simplicii, Faustini et Beatricis.
n g IIII. Nat. Felicis conf.
o a III. Umbra absumitur in Meroe. Nat. Abdon et Sennen.
p b II. Nox h. VII, d. XVI (*rubr.*).

MENSIS AUGUSTUS DIES XXXI (*virid.*).

d l d sept. d *sol.* g d (*rubr.*).
q c Kal. Aug. Nat. Machabæorum.
r d IIII. Non. VI emb. (*virid.*). Nat. Stephani *pontific.*
s e III.
t f II.
u g Non. Dedicatio Ecclesiæ.
a a VIII. Id. Nat. sancti Xisti, et Felicissimi et Agapiti.
C b b VII. Autumni initium, hb. d. XCII (*rubr.*) (3).
c c VI. Nat. Quiriaci.
d d V. Ver. Firmi et Rustici.
e e IIII. Nat. sancti Laurentii.
f f III. Nat. sancti Tiburtii.
g g II.
h a Idus. Nat. sancti Ypoliti.
i b XVIIII Kal. Sept. Nat. sancti Eusebii.
k c XVIII. Assumptio sanctæ Mariæ.
l d XVII.
m e XVI.
n f XV. Sol in Virginem (*vir.*). Nat. Agapiti.

(3) Scilicet *habet dies* XCII.

o g XIIII.
p a XIII. Nat. sancti Magni.
q b XII.
r c Nat. sancti Timothei.
s d X.
t e VIIII. Residui dies quinque Æg. epagomene dicit.
a f VIII.
b g VII.
c a VI. Nat. sancti Ruffi.
d b V. Nat. sancti Hermetis mart. Primus Ægyptiorum mensis Thoth (*virid.*).
e c IIII. Passio sancti Jo. Baptistæ.
f d III. Nat. Felicis et Audacti.
g e II. Nox h. x, d. XIIII. (*rubr.*).

MENSIS SEPTEMBRIS DIES XXX (*virid.*).

d l d sept d sol gesta dierum (*rubr.*).
h f Kl. Sept. Nat. sancti Prisci.
i g IIII. Non.
k a III.
l b II.
m c Non.
n d VIII. Id.
o e VII.
p f VI. Nativitas sanctæ Mariæ et sancti Adriani.
q g V. Nat. S. Gurgonii.
r a IIII.
s b III. Nat. Proti et Hyacinthi.
t c II.
u d Idus.
a e XVIII. Kl. Oct. Exaltatio sanctæ Crucis, et Cornelii, et Cypriani.
b f XVII. Nat. sancti Nicomedis.
c g XVI. Nat. Luciæ et Geminiani.
d a XV. Sol in Libram (*virid.*).
e b XIIII.
f c XIII.
g d XII. Æquinoctium (*virid.*).
h e XI. Nat. sancti Matthei evangelistæ.
i f X.
k g VIIII.
l a VIII. Hic indict. incipiunt et finiuntur (*virid.*).
m b VII.
n c VI.
o d V. Nat. sanctorum Cosmæ et Damiani.
p e IIII.
q f III. Dedicatio Ecclesiæ S. Archangeli.
r g II. Nox h. XII, d. XII (*rubr.*).

MENSIS OCTOBRIS, DIES XXXI (*virid.*).

d l d sept d sol, gesta dierum (*rubr.*)
s a Kl. Oct.
t b VI Non.
u c V.
a d IIII.
b e III.
c f II.
d g Non. Nat. sancti Marci evangelistæ.
e a VIII. Id.
f b VII.
A g c VI.
h d V.
i e IIII.
k f III.
l g II. Nat. sancti Calisti.
m a Idus.
n b XVII. Kl. Nov.
o c XVI.
p d XV. Sol in Scorpionem (*vir.*).
q e XIIII. Nat. Lucæ evang.
r f XIII.
s g XII.
t a XI.
a b X.
b c IX.
B c d VIII.
d e VII.
e f VI.
f g V. Tertius Æg. mensis Athyr. (*rubr.*). Nat. App. Simonis et Judæ.
g a IIII.
h b III.
i c II. Nox h. XIIII, d. X (*rubr.*).

MENSIS NOVEMBRIS, DIES XXXI (*virid.*).

d l d sept. d sol g d (*rubr.*)
k d Kl. Nov. Nat. sancti Cæsarii. Initium divion. Saureland. (*sic*).
l e IIII. Non. v. emb. (*virid.*)
m f III.
n g II.
o a Non.
p b VIII. Id.
q c VII. Hiemis initium lib. d. XCII (*virid.*)
r d VI. Occasus Vergiliarum. Nat. Illlor Coronat.
s e V. Nat. sancti Theodori.
t f IIII.
u g III. Nat. sancti Mennæ Nat. sancti Martini.
a a II.
b b Idus.
c c XVIII. Kal Dec.
d d XVII.
e e XVI.
D f f XV. Sol in Sagittar. (*virid.*).
g g XIIII.
h a XIII.
i b XII.
k c XI.
l d X. Nat. sanctæ Cæciliæ.
m e VIIII. Nat. sancti Clementis.
n f VIII. Nat. Chrisogoni.
o g VII.
p a VI.
q b V. Quartus Æg. mensis Cheac. (*rubr.*).
r c IIII. Nat. Saturnini, Crisanti, Dariæ.
s d III. Vigilia sancti Andreæ.
t e II. Nat. sancti Andreæ. Nox h. XVI, d. VIII (*rubr.*).

MENSIS DECEMBRIS, DIES XXXI (*virid.*).

d l d Sept. d sol gesta dierum (*rubr.*).
u f Kl. Decem.
a g IIII. Non. I. emb. (*virid.*).
b a III.
c b II. IIII. emb. (*rubr.*).
d c Non.
e d VIII. Id.
f e VII.
g f VI. Dedicatio ecclesiæ sancti Zenonis. (*manu rec.*).
h g V.
i a IIII.
k b III.
l c II.
m d Idus. Nat. sanctæ Luciæ.
A n e XVIIII. Kl. Jan
o f XVIII.
p g XVII.
q a XVI.
r b XV. Sol in Capricorn. (*vir.*).
s c XIIII.
t d XIII. Thomæ apost. Solstitium. (*rubr.*).
a e XII.
b f XI.
c g X.
d a VIIII
e b VIII. Nat. D. N. J. C. (*rubr.*).
f c VII. Nat. sancti Stephani.
g d VI. Quintus Æg. mensis Tybi (*virid.*). Nat. Joannis evangelistæ.
B

KALENDARIUM STABULENSE.

JANUARIUS.

Kalendis Januarii. Circumcisio et octava Domini. Romæ S. Concordii martyris. *Thiatmarus episcopus.*

IV Nonas. Romæ S. Telesfori papæ et martyris VIII.

III Nonas. Parisius depositio S. Genovefæ virginis. Romæ Antheri papæ et martyris XVIII.

II Nonas. In Antiochia S. Simeonis monachi, et Jerusalem S. Simeonis prophetæ.

Nonas. Natalis S. Severini confessoris. *Hepo decanus obiit.*

VIII Idus. Epiphania Domini.

VII Idus. In Thracia S. Isidori episcopi, et SS. Martyrum, Faustæ et Evilasii, S. Valentini episcopi.

VI Idus. In Gallia civitate Bellovagus natalis SS. martyrum Luciani, Maximiani, Juliani.

V Idus. *Sicco obiit.*

IV Idus. in Thebaidis depositio S. Pauli primi eremitæ.

III Idus. Eductio Domini de Ægypto. *Havuini presbyter obiit.*

Idus. Octava Epiphaniæ. S. Hilarii episcopi et SS. Juliani et Basilissæ. In Campania civitate Nola passio Felicis, Agapiti, et Pontiani mart.

XIX Kalendas Februarii. deposito S. Remigii confessoris.

XVIII Kal. Romæ S. Marcelli papæ XXX, et Perronæ S. Fursei abbatis, et Honorati martyris.

XVII Kal. S. Sulpitii martyris et S. Antonini.

XVI Kal. Romæ S. Priscæ virginis, et cathedra S. Petri.

XIII Kal. Romæ Fabiani martyris papæ XX, Sebastiani martyris, Mari, Marthæ, Audifax et Abacuc martyrum. S. Pontiani martyris.

XII Kal. S. Agnetis virginis.

XI Kal. Passio S. Vincentii diaconi, et Anastasii martyris.

X Kal. Passio SS. Emerentianæ et Macnarii atque Eugenii.

IX Kal. In Antiochia Babillæ episcopi cum tribus pueris. *Tertii Ottonis imperatoris obitus.*

VIII Kal. Damasco conversio Pauli; et Arvernis Præjecti martyris.

VII Kal. *Ædit regina obiit.*

VI Kal. *Gisilharius archiepiscopus obiit.*

V Kal. Romæ S. Agnæ virginis.

IV Kal. S. Valerii episcopi, Papiæ et Mauri martyr. *S. Constantini martyris.*

III Kal. Malbodio monasterio S. Aldegundæ virginis.

II Kal. S. Julii conf. *Roaolt subdiaconus obiit.*

C

FEBRUARIUS

Kalend. Februarii S. Brigidæ virginis et S. Polycarpi episcopi.

IV Nonas. Purificatio sanctæ Dei Genitricis. *Eodem die, anno* MIV *ordinatio Tageni sanctæ Magadaburgensis ecclesiæ archiepiscopi tertii.*

III Nonas. S. Blasii episcopi et martyris.

Nonas. In Sicilia passio S. Agathæ virginis.

VIII Idus. Amandi episcopi, S. Vedasti episcopi et S. Dorotheæ virginis.

VII Idus. S. Helenæ.

III Idus. S. Sotheris et Scholasticæ virginis, Zotici, Herenei et Jacinti. *Adricus presbyter obiit.*

II Idus. S. Castrensis martyris. *Hilderadus presbyter obiit.*

D XVI Kal. Martii. Interamnis Valentini episcopi. Romæ Valentini presbyteri, Vitalis, Feliculæ, Tenonis.

XV Kal. Depositio S. Silvini episcopi, Faustini et Jovitæ martyrum.

XIV Kal. In Combas passio S. Julianæ virginis, Onclimi confessoris.

XII Kal. *Vestburg soror nostra obiit.*
XI Kal. *Godila diaconus obiit.*
X Kal. S. Eucharii episcopi et confessoris.
IX Kal. S. Felicis confessoris.
VIII Kal. In Antiochia cathedra S. Petri, Teclæ, Concordiæ. *Anno* MVIII, *die Dominica dedicata est crypta nostræ basilicæ.*
VII Kal. *Husenuardus presbyter, Bodo confrater noster obiit.*
VI Kal. S. Mathiæ apostoli.
V Kal. *Walburgæ virginis adventus S. Mauricii martyris.*
IV Kal. In Alexandria S. Fortunati confessoris. *Amuco presbyter obiit*
III Kal. *Hazacho presbyter obiit.*

MARTIUS.

Kalend. Martii, Depositio S. Albani, Donati martyris, et Leonis.
VI Nonas. Romæ S. Simplicis papæ XLVIII. *Willihelmus archiepiscopus obiit.*
V Nonas. *domina Chunigunda imp. augusta obiit dignæ et piæ memoriæ.*
IV Nonas. S. Adriani martyris cum sociis suis, Lucii papæ et martyris. *Ende abbas obiit.*
III Nonas. Passio S. Focæ episcopi.
II Nonas. S. Quiriaci presbyteri. *Thiedericus comes obiit.*
Nonas. Passio SS. Perpetuæ et Felicitatis. *Alferi presbyteri obitus*
VII Idus. In Sebaste Armenia minore XL militum *Bruno archiepiscopus obiit.*
IV Idus. Romæ S. Gregorii papæ. *Amurea laica obiit.*
Idus. *Sigiefriaus comes obiit.*
XVII Kalendas April. S. Cyriaci martyris et S. Eusebiæ virginis. *Reinwardus presbyter obiit. Obiit Fritherun sanctimonialis.*
XVI Kal. In Scotia S. Pancratii, et in Nivella S. Gertrudis virginis.
XV Kal. Romæ S. Pimenii martyris.
XIV Kalendas. In Bethleem S. Joseph nutritoris Domini. *Frithericus presbyter obiit.*
XIII Kal. Fontinella depositio Wilfranni episcopi, Cuthberti app. et episcopi. *Bernhardus diaconus obiit.*
XII Kal. Depositio S. Benedicti abbatis.
IX Kal. *Wihberhtus episcopus et frater noster obiit.*
VIII Kal. Adnuntiatio, conceptio et passio Domini. Passio Jacobi fratris Domini.
VII Kal. S. Castuli presbyteri et Acacii. *Liudgeri episcopi et confessoris. Thiedricus decanus. Badegoz presbyter obiit*
VI Kal. Resurrectio Domini.
V Kal. *Liudulfus laicus obiit.*
III Kal. In Thessalonica S. Victoris martyris.
II Kal. Silvanectis S. Reguli episcopi et confessoris.

APRILIS.

Kalendis Aprilis. In Thessalonica SS. Quintiani, Agapi, et Chioniæ.
A III Nonas. Passio S. Theodosiæ virginis.
II Nonas. Mediolani depositio S. Ambrosii episcopi et confessoris.
VIII Idus. Romæ S. Cœlestini papæ XLIV.
VII Idus. *Luidulfus archiepiscopus.*
V Idus. S. Antonini confessoris, et in Sirmia VIII virginum.
IV Idus. S. Antonii martyris.
III Idus. Romæ S. Leonis papæ XLVI et S. Zenonis martyris. Item, Romæ S. Julii papæ XXXV.
Idus. In civitate Calcedona passio S. Euphemiæ virginis. *Wilping diaconus obiit.*
XVIII Kal. Maii. Romæ SS. martyrum Tiburtii, Valeriani Maximi et Frontoni. *Kristin subdiaconus.*
B XVII Kal. Nat. S. Helenæ matris Constantini.
XVI Kal. *Erp laicus obiit, Merquuardus presbyter obiit.*
XIV Kal. Eleutherii episcopi et martyris, et Antiæ matris ejus.
XII Kal. SS. Victoris episcopi Feltcis, Alexandri. Papiæ Senesii martyris. *Obiit Thiezuca sanctimonialis.*
XI Kal. S. Maximi martyris. *Thoncuuardus presbyter obiit.*
X Kal. Romæ S. Sotheris papæ XII.
IX Kal. S. Georgii martyris. *S. Adalbertl episcopi et martyris. Tabæ sororis nostræ.*
VII Kal. In Alexandria S. Marci evangelistæ.
V Kal. Romæ S. Anastasii papæ et confessoris XL.
C IV Kal. SS. martyrum Vitalis, Torpetis Panphili episcopi et confessoris. *Atheldagus archiepiscopus.*
III Kal. Romæ S. Cleti papæ et martyris II, et translatio S. Richari sacerdotis.
II Kal. Romæ Quirini episcopi et martyris.

MAIUS.

Kalendis Maii. Natalis apostolorum Philippi et Jacobi. Passio S. Cyriaci episcopi, et Sigismundi regis, et Walburgæ virginis.
VI Nonas Maii. S. Anastasii episcopi et confessoris.
V Nonas. Romæ S. Alexandrini papæ VI, et SS. Eventii et Theodoli, et Inventio S. Crucis. *Biso, Egico fratres nostri.*
D IV Nonas. S. Floriani martyris cum XL sociis. *Herdingus abbas obiit.*
Nonas. *Obitus Ottonis Magni imperatoris. Sztodorinus presbyter obiit.*
VIII Idus. Mediolani S. Victoris martyris *et Coronæ virginis.*
VII Idus. S. Beati presbyteri et confessoris, *Gerontii martyris.*
VI Idus. Romæ natalis SS. martyrum Gordiani et Epimachi. *Commemoratio sancti Remagli episcopi.*
V Idus. Vienna depositio sancti Mamerti episcopi.
IV Idus. Romæ SS. martyrum Nerei, Achillei et Pancratii.
III Idus. Trajecto S. Servatii episcopi, araci, Probi et Andronici.

M Idus. Romæ S. Theodori papæ LXXXIII. *Richarius* A *abbas obiit.*

XIV Kal. Junii. Romæ S. Potentianæ virginis.

XIII Kal. S. Cononis et S. Basillæ virginis.

XII Kal. In cœnobio Augense S. Vitalis martyris.

XI Kal. S. Faustini confessoris et S. Helenæ virginis.

X. Kal. SS. martyrum Desiderii episcopi, Sulpitii et Serviliani.

IX Kal. In civitate Nannetis passio ꝺꝺ. Donatiani et Rogatiani.

VIII Kal. Romæ S. Urbani papæ et martyris XVI, et S. Desiderii martyris. *Obiit Guntheri diaconus frater noster.*

VII Kal. In Britannia ꝺ. Augustini primi Anglorum episcopi, et Symmetrii episcopi. *Thiatsvith soror* B *nostra obiit.*

V Kal. Parisius depositio S. German. episcopi.

IV Kal. Treviris depositio sancti Maximini episcopi.

III Kal. Romæ S. Felicis papæ et mart. XXVI.

II Kal. Romæ S. Petronillæ virginis et SS. martyrum Cantii, Cantiani et Cantianillæ.

JUNIUS.

Kalendis Junii. S. Pamphili martyris, SS. Faustini episcopi et martyris, sociorum ejus Abundii, Gratiani, Secundi martyrum, Juvini confessoris. *Adelgerus diaconus obiit. Hecil. Commemoratio Hivæ abbatissæ.*

IV Nonas. Romæ natalis Sꝺꝺ. martyrum Marcellini et Petri et S. Martinæ cum aliis XLVII. *Prebor frater noster obiit.*

III Nonas. Pergentini et Laurentini martyr.

II Nonas. S. Quirini episcopi et martyris.

Nonas. Fuldensi in cœnobio Bonifacii martyris natale celebratur et passio. *Et dedicatio in Stabulaus.*

VIII Idus SS. martyrum Vincentii et Benigni. *Radulfus laicus confrater noster.*

VII Idus. Ordinatio Henrici regis secundi,

VI Idus. Nat. SS. Medardi et Gildardi.

V Idus. Romæ SS. Primi et Feliciani.

IV Idus. S. Gethullii martyris.

III Idus. S. Barnabæ adjutoris Pauli. *Sicco subdiaconus obiit. Atfkerius et Ricolfus monachus obiit.*

II Idus. SS. Basilidis, Cyrini, Naboris, Nazarii, Tripodis et Mandalis.

Idus. S. Feliculæ virginis.

XVIII Kalendas Julii. Passio SS. Valerii et Rufini.

XVII Kal. Passio SS. Viti, Modesti et Crescentiæ.

XVI Kal. SS. Ferrioli, Ferrutionis, Aurei et Justini.

XV Kal. Depositio S. Aviti presbyteri. et Diogenis martyris.

XIV Kal. Romæ SS. martyrum Marci et Marcelliani.

XIII Kal. Mediolano passio SS. Gervasii et Prothasii.

XII Kal. *Ædelberhtus archiepiscopus Magadeburgensis ecclesiæ primus.*

XI Kal. In Alamannia passio S. Albini martyris, S. Eusebii hystoriographi.

X Kal. In civitate Nola depositio S. Paulini episcopi.

VIII Kal. Natalis S. Johannis Baptistæ.

VII Kal. *Translatio S. Remagli.*

VI Kal. Romæ SS. martyrum Johannis et Pauli fratrum, et Valentianis S. Salvi martyris.

V Kal. In Epheso revelatio SS. VII. dormientium.

IV Romæ S. Leonis papæ et vigilia apostolorum.

III Kal. SS. apostolorum Petri et Pauli. Fortunati episcopi et confessoris. *Gero Coloniensis archiepiscopus.*

II Kal. Celebritas S. Pauli, S. Marcellian. episcopi et confessoris.

JULIUS.

Kalendas Julii. Romæ S. Gaii episcopi, et SS. Fidei, Spei, Caritatis, cum Sophia matre earum.

VI Nonas. Romæ SS. Processi et Martiniani, et S. Monegundis. *Obitus militum S. Mauricii, qui occisi sunt in Arnaburg.*

V Nonas. Translatio S. Thomæ apostoli.

IV Nonas. *Festivitas S. Odalrici episcopi. Benedictus papa obiit.*

II Nonas. Octavas Apostolorum, et S. Goaris confessoris.

Nonas. *Gerlacus monachus.*

VIII Idus. In Germania S. Cyliani et sociorum ejus.

VII Idus. In Ægypto passio Cyrilli episcopi, Procopii, et S. Effrem monachi, et Briccii confessoris.

VI Idus. Romæ passio SS. VII fratrum filiorum Felicitatis, id est Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silvani, Januarii, Felicis. C

V Idus. Translatio S. Benedicti abbatis.

IV Idus. SS. Martyrum Felicis et Primitivi.

III Idus. S. Margaretæ virginis.

II Idus. *Fridericus diaconus. Adiel presbyter obiit.*

Idus. *Ekkihardus diaconus obiit.*

XVII Kal. Augusti. Hilarii martyris. *Adelmannus presbyter obiit.*

XVI Kal. In Cartagine natalis SS. Speratı episcopi, Martialis, Januarii, Cythii.

XV Kal. Vestarii, Felicis, Aquilini, Jactantii, Generosi, Vestæ, Donatæ et Secundæ martyrum. *Arnulfi episcopi.*

XIV Kal. S. Arsenii monachi. D

XIII Kal. Gemmetico in Galliis S. Philiberti abbatis.

XII Kal. S. Praxedis virginis, passio S. Symphorosæ cum VII. filiis. *Obiit Gisla filia Cuonradi regis.*

XI Kal. SS. martyrum Sisinnii et Florentii, Mariæ Magdalenæ. *Burchardus presbyter obiit.*

X Kal. Ravenna S. Apollinaris martyris.

IX Kal. S. Cristinæ virginis, et S. Simplicis.

VIII Kal. S. Jacobi fratris Domini, S. Johannis evangelistæ, et SS. Georgii, Aurelii, Nataliæ et Cristofori martyrum. *Liudulfus episcopus obiit.*

VII Kal. Romæ S. Eutyciani papæ XXVII. SS. martyrum Rustici et Florentii. Eodem die S. Fronymi episcopi.

VI Kal. In Syria Simeonis monachi, Romæ Aconei et Emeriti martyrum.

V Kal. Romæ Innocentii papæ XLI. *Azo presbyter et præpositus.*

IV Kal. In Africa Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis, Lubi confessoris. *Rich presbyter laïcus obiit.*

III Kal. Romæ Abdon et Sennes, et S. Ursi episcopi.

II Kal. Antissiodori depositio S. Germani episcopi et confessoris.

AUGUSTUS.

Kal. Augusti. Romæ S. Petri ad vincula, passio Machabæorum VII. fratrum cum matre sua.

IV Nonas. Romæ S. Stephani papæ XXIII.

III Nonas. Hierosolymis inventio corporis protomartyris Stephani. *Thiatmarus obiit*

II Nonas. Romæ S. Justi presbyteri, qui corpora sanctorum collegit.

Nonas. Cassiani episcopi, Memmei episcopi, et Holwaldi regis.

VIII Idus. SS. martyrum Sixti episcopi, Felicissimi et Agapiti, Magni, Januarii, Justi, Pastoris.

VII Idus. Passio SS. Donati episcopi, Elarini monachi, et S. Afræ.

VI Idus. S. Cyriaci diaconi et martyris, cum aliis viginti. *Hadamarus presbyter obiit.*

V Idus. Romæ S. Romani, Firmi et Rustici martyris.

IV Idus. Passio S. Laurentii martyris et levitæ. *Obiit Thiadricus presbyter.*

III Idus. SS. martyrum Tiburtii et Susannæ, S. Gaugerici episcopi et confessoris, et Radegundis. *Gero et Waldo.*

II Idus. In civitate Catanensium, passio S. Eupli diaconi. *S. Cassiani martyris. Obiit Walthardus episcopus.*

Idus. Romæ, SS. martyrum Ypoliti et Cassiani, Wigberti confessoris.

XIX Kal. Septembris, S. Eusebii sacerdotis.

XVIII Kal. Assumptio S. Dei genitricis.

XVII Kal. S. Arnulfi episcopi et confessoris

XVI Kal. Octava S. Laurentii et S. Mammetis monachi et martyris.

XV Kal. Passio S. Agapiti martyris.

XIV Kal. In Alexandria S. Magni martyris, Felicis et Fortunati. *Liudulfus diaconus.*

XIII Kal. S. Maximi confessoris.

XII Kal. S. Privati martyris.

XI Kal. S. Timothei et S. Symphorian martyrum.

X Kal. In civitate Agea SS. Timothei, Apollinarii, Claudii, Austerii, et Neonis.

VIII Kal. In India passio Bartholomæi apostoli, Genesii martyris, S. Audoeni episcopi. Arelato passio S. Genesii martyris. *Obiit Landoltus comes.*

VII Kal. Romæ SS. Erenei et Abundi. *Liutharius presbyter obiit.*

VI Kal. In Capua S. Rufi martyris.

A V Kal. Romæ S. Hermetis, S. Augustini, S. Juliani martyris. *Cuonradus presbyter obiit.*

IV Kal. Romæ S. Sabinæ martyris, et decollatio S. Joannis Baptistæ.

III Kal. In Apuleia passio S. Felicis et Audacti.

II Kal. Treviris depositio S. Paulini episcopi et confessoris *Justi et Clementis.*

SEPTEMBRIS.

Kalend. Septembris, in Capua Aquaria SS. martyrum Prisci, Petri, Felicis, Donati, Victoris: Sennis, Lubi, Sixti et Sinnicii episcoporum.

IV Nonas. SS. martyrum Aniceti et Foniti, et S. Justi Lugdunensis episcopi. *Helmricus decanus obiit.*

III Nonas. S. Antonini martyris. *Depositio S. Remagli episcopi et confessoris.*

B

II Nonas. SS. martyrum Marcelli et Justi. *Eggihardus presbyter obiit et philosophus.*

Nonas. Vienna S. Ferrioli episcopi, Ferrutii, Quintini, Ingenui, Taurini, Acensi, Erculani. *S. Victorini martyris et episcopi.*

VII Idus Sept. Evurtii episcopi, Clodoaldi regis, et Reginæ virginis. *S. Madalberhtæ virginis*

VI Idus. Nativitatis Dei genitricis, S. Adriani martyris, et Corbiliani confessoris

V Idus. S. Gorgonii martyris, et S. Audomari episcopi.

IV Idus. S. Salvii martyris

III Idus. Romæ SS. martyrum Prothi et Jacinthi. Felicis et Regulæ. *Adiel presbyter obiit. Waldo episcopus obiit.*

C

II Idus. *Heinricus subdiaconus obiit*

Idus, Depositio S. Lidorii episcopi.

XVIII Kal. Octobris, Exaltatio S. Crucis, et SS Cornelii et Cypriani.

XVII Kal. S. Nicomedis

XVI Kal. Passio S. Euphemiæ, et SS. Luciæ et Geminiani.

XV Kal. Passio Landberti episcopi.

XIII Kal. In Campania passio S. Januarii, Theodori episcopi, SS. martyrum Faustæ et Evilasii, et S. Eustochiæ. *S. Florentii episcopi et martyris*

XII Kal. Vigilia S. Matthæi apostoli et evangelistæ.

D XI Kal. Nat. S. Matthæi apostoli et evangelistæ. *Eggihardus presbyter obiit.*

X Kal. Passio SS. martyrum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis et VI. MDCLVI. sociorum. Eodem die Radesbonæ S. Emmerammi martyris, Luitdrudis virginis. *Wulfhardus episcopus obiit.*

IX Kal. Romæ S. Lini papæ I post Petrum, et S. Declæ virginis.

VIII Kal. Conceptio S. Joannis Baptistæ, S. Ruodberti episcopi, et S. Eonii.

VII Kal. Passio S. Firmini.

VI Kal. SS. martyrum Cypriani et Justinæ.

V Kal. Passio Cosmæ et Damiani, et S. Timothei

discipuli Pauli, SS. martyrum Fidentii et Terentii.

IV Kal. Depositio Liobæ virginis, et Stactei martyris. Nat. S. Gunthildæ virginis.

III Kal. In monte Gargano dedicatio basilicæ archangeli Michaelis.

II Kal. In Bethleem depositio S. Hieronymi presbyteri. *Ositeri infans obiit.*

OCTOBER.

Kalendis Octobris. Piatonis martyris, S. Nicetii episcopi, Bavonis, Remigii, Vedasti.

VI Nonas Passio Leodgarii martyris.

IV Nonas. S. Marci confessoris.

II Nonas. S. Caprasi et Fidei martyrum

Nonas. Romæ S. Marci papæ, et S. Marci, Apulei, Sergii, Bachi martyrum. *Ostericus diaconus obiit.*

VIII Idus Octobris. S. Reparatæ virginis, depositio S. Amoris confessoris. *Elvier presbyter obiit.*

VII Idus. Parisius passio S. Dionysii episcopi cum sociis suis. Colonia S. Gereonis cum CCCXIX martyrum.

VI Idus. S. Victoris martyris, Paulini confessoris. Eodem die SS. martyrum Cassii atque Florentii.

V Idus. Recordatio fratrum nostrorum. *Konco presbyter obiit.*

III Idus. S. Lupentii presbyteri et confessoris.

I Idus. Romæ S. Calixti papæ XVI. Hic instituit jejunium quatuor temporum esse. *Volcherdus laicus frater noster.*

Idus. SS. *Maurorum.*

XVII Kal. Novembris, Natale S. Galli confessoris.

XV Kal. Bithinia S. Lucæ evangelistæ

XIV Kal. S. Januarii cum sociis suis. *S. Maximi martyris.*

XII Kal. Depositio S. Hilarionis. In Basona villari S. Waldeni confessoris. *Thuardus frater noster obiit*

XI Kal. In Francia S. Philippi episcopi et martyris.

X Kal. Parisius S. Venantii abbatis.

IX Kal. S. Columbani monachi, Eracliani confessoris et episcopi.

VIII Kal. In civitate Suessionis SS. martyrum Crispini et Crispiniani. *Miniatis martyris. Godescalcus frater noster obiit.*

VI Kal. *Aifruinus frater noster obiit.*

V Kal. Natale apostolorum Simonis et Judæ.

III Kal. Eusebii martyris. *Obiit Hillericus episcopus. Eadem nocte revertente archiepiscopo Tageni post nocturnam cum duobus capellanis suis Theoderico subdiacono et Erico presbytero, aperto cœlo quasi per ostium lux clarissima facta est quasi per unius horæ circulum.*

II Kal. In Gallia passio S. Quintini martyris. Eusebii et Gavini.

NOVEMBER.

Kalendis Novembris. Romæ S. Cæsarii diaconi. A Passio S. Eustachii cum filiis suis.

III Nonas. S. Humberti episcopi. Valentini presbyteri et Hilarii diaconi.

II Nonas. S. Germani episcopi, Domnini et Amandi episcopi. *Frithericus presbyter et Richardus presbyter.*

Nonas. S. Felicis presbyteri, et Eusebii monachi. *Herculiani martyris. Otto dux obiit.*

VIII Idus. Depositio S. Willibrordi episc

VI Idus. Romæ quatuor Coronatorum. Severi, Severiani, Victorini et Carpofori.

V Idus. S. Theodori martyris.

IV Idus. Leonis confessoris.

II Idus. Turonis depositio S. Martini et S. Mennæ martyris.

B Idus, Turonis S. Briccii episcopi.

XVI Kalendas Decembris. In Alamannia S. Magni confessoris et S. OTMARI confessoris. *Hager presbyter obiit.*

XV Kal. Aurelianis depositio S. Aniani episcopi. *Bernhardus nostri cœnobii frater.*

XIV Kal. S. Romani monachi et martyris.

XIII Kal. S. Simplicii episcopi et confessoris.

XI Kal. In Istria civitate S. Mauri martyris.

X Kal. Romæ passio S. Ceciliæ virginis.

IX Kal. Romæ S. Clementis et S. Felicitatis.

VIII Kal. Romæ S. Chrysogoni et translatio S. Feliculæ. *Eodem die S. Prosperi episcopi et confessoris. S. Eleutherii martyris. Eodem die S. Felicitatis matris* VII *filiorum. Guntharius episcopus obiit.*

C VII Kal. S. Audentii confessoris. *Hilliwardus episcopus obiit.*

V Kal. *Heinricus comes obiit.*

IV Kal. Romæ S. Gregorii papæ LXXXVIII. *Everhardus laicus obiit.*

III Kal. Romæ Saturnini, Chrysanti, Mauri, Darii cum LXX millibus.

II Kal. In Achaia passio S. Andreæ apostoli.

DECEMBER.

Kalendis Decembris. Noviomo S. Eligii confessoris, Candidæ virginis, et ordinatio Bonifacii. SS. martyrum Sabini, Latini, et Superantis.

IV Nonas. Capua S. Longini militis, qui latus Domini perforavit. *Emnil sanctimonialis obiit.*

III Nonas. In Alamannia depositio S. Solæ virginis.

D II Nonas, S. Barbaræ et Inlatio corporis Benedicti in Floriaco *Liutherius laicus, Mathil comitissa obiit.*

Nonas. S. Dalmatii martyris.

VIII Idus. S. Nicolai, Hermogenis et Rogati.

VII Idus. S. Sabini episcopi. *Octava S. Andreæ. Otto imperator Augustus obiit. Biso frater noster et diaconus obiit. Gerdagus episcopus obiit.*

V Idus. *Tricus diaconus obiit.*

IV Idus. In Barcilona civitate in Spania passio S. Eulaliæ virginis et martyris.

III Idus. Romæ S. Damasi papæ XXXVIII, Victorici, Fusciani et Gentiani.

II Idus. S. Finiani episcopi.

Idus. S. Siracusa passio S. Luciæ. Cameraco

S. Authberti episcopi et confessoris.
XIX Kal. Januarii, Remis depositio S. Nicasii episcopi et martyris.
XVIII Kal. *Widikindus comes.*
XVI Kal. In Antiochia passio S. Ignatii episcopi et confessoris. *Athelheid. imperatrix obiit.*
XV Kal. *Bagred soror nostra obiit.*
XIII Kal. *Liudricus presbyter et monachus.*
XII Kal. In India passio S. Thomæ apostoli. *Brun presbyter.*
X Kal. Romæ S. Victoriæ martyris, et S. Gregorii presbyteri.
A VIII Kal. Nativitas Domini nostri Jesu, et passio sanctarum virginum Anastasiæ et Eugeniæ.
VII Kal. In oppido Hierusalem passio S. Stephani protomartyris. *Burhardus infans obiit. Athilger presbyter obiit.*
VI Kal. In Epheso Assumptio S. Joannis apostoli et evangelistæ.
V Kal. In Bethleem SS. Innocentium. *Geppe abbas obiit.*
IV Kal. *Brigida abb. obiit.*
III Kal. S. Perpetui Turonis episcopi et confessoris. *SS. Sabini et Exuperantii Ewerhardus laicus obiit.*
II Kal. Romæ S. Silvestri papæ XXXIII.

KALENDARIUM VERDINENSE.

JANUARIUS.

Jani prima dies et septima fine timetur.

Januarius habet dies XXXI, *lunam* XXX.

Kalend. Jan. Circumcisio Domini nostri Jesu Christi. *Dies Æg.*
IV Nonas. *Octab. S. Stephani. Isidori episcopi et martyris.*
III Nonas. Octava S. Johannis. *Genovefæ virginis.*
II Nonas. *Octab. S. Innocentum.*
Nonis Jan. S. Simeonis prophetæ. Vigilia epiphaniæ Domini.
VIII Idus. Epiphania Domini. Juliani martyris.
VII Idus. S. Isidori episc. et confessoris.
VI Idus. S. Luciani et Maximiani.
V Idus. S. Vitalis et Felicis.
IV Idus. S. Pauli primi eremitæ.
III Idus. Eductio Domini de Ægypto, S. Felicitatis.
II Idus. S. Muscentii, Saturi.
Idus Jan. Octab. Epiphaniæ. Hilarii episc.
XIX Kal. Jan. S. Felicis presbyteri.
XVIII Kal. S. Chrysogoni et Zenonis.
XVII Kal. S. Marcelli papæ et martyris. Fursei confessoris.
XVI Kal. S. Sulpitii episcopi, Antonii monachi.
XV Kal. S. Priscæ virginis et martyris. *Sol in Aquario.*
XIV Kal. S. Mauri, Marthæ, Audifax, Abacuc.
XIII Kal. S. Fabiani papæ, Sebastiani martyris.
XII Kal. S. Patrocli martyris, Agnetis virginis et martyris.
XI Kal. S. Vincentii martyris, Anastasii monachi.
X Kal. S. Emerentianæ virginis et martyris. *Gerardus comes obiit.*
IX Kal. S. Babilli episcopi cum tribus parvulis martyribus.
VIII Kal. Conversio S. Pauli. Projecti martyris. *Dies Æg.*
VII Kal. S. Polycarpi episcopi et martyris.
VI Kal. S. Vitelliani, Johannis Chrysostomi.
V Kal. Octabas S. Agnetis virginis.
B IV Kal. S. Valerii episcopi, Papiæ et Mauri.
III Kal. S. Aldegundis virginis.
II Kal. S. Victoris Publii.

FEBRUARIUS.

Ast Februi quarta est, præcedit tertia finem

Februarius habet dies XXIX, *lunam* XXIX.

Kal. Feb. Severi episcopi, Brigidæ virginis.
IV Nonas. Purificatio S. Mariæ.
III Nonas. S. Blasii episcopi et martyris.
II Nonas. S. Castoris presbyteri et martyris, Gemini, Gelasii. *Dies Æg.*
Nonis Februarii. S. Agathæ virginis et martyris.
VIII Idus. S. Vedasti et Amandi martyrum.
C VII Idus. S. Auguli episcopi.
VI Idus. S. Pauli episcopi, ..um papæ. Thiatgrimus episcopus.
V Idus. S. Ammonis et Alexandri martyris.
IV Idus. S. Zotici, Erenei, Jacincti.
III Idus. S. Scholasticæ virginis
II Idus. S. Simplicii episcopi, Dorotheæ virginis.
Idus. Feb. S. Stephani episcopi et confessoris.
XVI Kal. Martii. S. Valentini martyris, Vitalis, Felicolæ, Zenonis.
XV Kal. S. Faustini.
XIV Kal. S. Julianæ virginis et martyris.
XIII Kal. S. Polocronii episcopi.
XII Kal. S. Pigmenii presbyteri.
XI Kal. S. Publii, Juliani.
D X Kal. S. Eucharii episcopi et martyris
IX Kal. S. Eucharii confessoris.
VIII Kal. Cathedra S. Petri.
VII Kal. S. Polycarpi martyris. Vigilia.
VI Kal. Natalis S. Mathiæ apostoli. Inventio capitis S. Johan. Bapt. *Bissext.*
V Kal. S. Nestoris et Casti.
IV Kal. S. Fortunati confessoris. *Dies Æg,*
III Kal. S. Serviliani martyris.
II Kal. S. Claudiani martyris.

MARTIUS.

Martis prima cujus sic cuspide quarta est.
Martius habet dies XXXI, *lunam* XXX.

Kalend. Martii. S. Suidberti confessoris, Albini, Donati. *Dies Ægypt.*
VI Nonas. S. Simplicii papæ.
V Nonas. S. Felicis et Luciani.
IV Nonas. S. Lucii papæ et martyris.
III Nonas. S. Saturnini martyris.
II Nonas. S. Quiriaci et Victoris.
Nonas Martii. S. Perpetuæ et Felicitatis virginis.
VIII Idus. S. Cyrilli episcopi.
VII Idus. SS. martyrum XL militum.
VI Idus. S. Ansberti episcopi.
V Idus. S. Zozimi, Piloni.
IV Idus. S. GREGORII PAPÆ.
III Idus. S. Macedonii presbyteri.
II Idus. S. Donati et Leonis mart.
Idus. S. Longini martyris, Matronæ mart.
XVII Kal. S. Eugeniæ virginis, Eusebiæ virginis.
XVI Kal. S. Patricii episcopi, Gerthrudis virginis.
XV Kal. S. Pimenii martyris. *Sol in Arietem.*
XIV Kal. S. Joseph in Bethleem.
XIII Kal. S. Guthberti episcopi et confessoris.
XII Kal. *S. Benedicti abbatis. Æquinoctium.*
XI Kal. S. Saturnini.
X Kal. S. Theodori presbyteri. Fidelis et aliorum XX.
IX Kal. S. Seleuci.
VIII Kal. ANNUNTIATIO S. MARIÆ. PASSIO DOMINI.
VII Kal. S. LIUDGERI EPISCOPI ET CONFESSORIS.
VI Kal. RESURRECTIO DOMINI.
V Kal. S. Rogati et Alexandri et Successi. *Dies Ægypt.*
IV Kal. S. Eustasii abbatis et confessoris. Pastoris presbyteri.
III. Kal. S. Victoris martyris.
II. Kal. S. Reguli episcopi, Balbinæ virginis et martyris.

(*Desunt quatuor sequentes menses.*)

AUGUSTUS.

Augusti nepa prima fugat de fine secunda.
Augustus habet dies XXXI, *lunam* XXIX.

Kalendis Augusti. *Ad vincula Petri.* Septem fratrum Machabæorum. *Dies Ægypt.*
IV Non. S. Stephani papæ.
III Non. Inventio corporis S. Stephani protomartyris.
II Non. S. Justini episcopi et confessoris.
Nonas. S. Memmei episcopi et confessoris, Oswaldi regis et martyris.
VIII Idus. S. Sixti papæ et martyris, Felicissimi, Agapiti mart.
VII Idus. S. Donati episcopi et martyris, Afræ virginis et martyris.
VI Idus. S. Cyriaci, Largi, Smaragdi, Cresceptiani martyrum.
V Idus. S. Romani martyris. *Vigilia.*
A IV Idus. S. LAURENTII MARTYRIS.
III Idus. S. Tiburtii martyris, Gaugerici episcopi.
II Idus. S. Eupli martyris.
Idus. S. Hypoliti martyris cum sociis suis.
XIX Kal. Sept. S. Eusebii confessoris.
XVIII Kal. ASSUMTIO S. DEI GENITRICIS MARIÆ.
XVII Kal. S. Arnulfi confessoris.
XVI Kal. Octava S. Laurentii. *Theodorieus presbyter obiit.*
XV Kal. S. Agapiti martyris. *Sol in Virginem.*
XIV Kal. S. Magni martyris.
XIII Kal. S. Athanasii episcopi.
XII Kal. DEDICATIO ECCLESIÆ S. MARIÆ SIVE TURBIS VINCENTII.
XI Kal. SS. martyrum Timothei et Simphoriani.
B X Kal. SS. martyrum Timothei et Apollinaris. VIGILIA.
IX Kal. Natalis S. Bartholomæi apostoli.
VIII Kal. S. Genesii martyris. Maximiani martyris.
VII Kal. SS. martyrum Herenei et Abundi.
VI Kal. S. Rufi martyris.
V Kal. S. Hermetis martyris, et S. Augustini episcopi.
IV Kal. S. Joannis Baptistæ decollatio, Sabinæ virg. *Dies Æg.*
III Kal. SS. martyrum Felicis et Adaucti.
II Kal. S. Paulini episcopi.

SEPTEMBER.

C Tertia Septembris vulpis ferit a pede denam.
September habet dies XXX, *lunam* XXX.

Kal. Sept. S. Prisci martyris.
IV Nonas. S. Justini episcopi et confessoris.
III Nonas. S. Antonii martyris, Remagli confessoris. *Dies Æg.*
II Nonas. SS. martyrum Marcelli et Justi.
Nonas. S. Ferrucii martyris, Quinti martyris.
VIII Idus S. Eleutherii episcopi, Magni confessoris.
VII S. Reginæ virginis.
VI Idus. NATIVITAS S. MARIÆ, S. ADRIANI martyris.
V Idus. S. Gorgonii martyris.
IV Idus. S. Salvii episcopi et martyris. GERFRIDUS EPISCOPUS.
D III Idus. SS. martyrum Proti et Jacineti.
II Idus. SS. martyrum DCCC. in Alexandria. Evantii episcopi.
Idus Sept. Philippi episcopi et martvris, Lodorii episcopi.
XVIII Kal. Octobris. EXALTATIO S. CRUCIS, SS. martyrum Cornelii et Cipriani.
XVII Kal. S. Nicomedis martyris.
XVI Kal. SS. martyrum Lucii, Germiniani, et S. Euphemiæ virginis.
XV Kal. S. LANTBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS. *Sol in Libram.*
XIV Kal. S. Trophymi martyris. Vienna S. Ferreoli martyris, Medodi episcopi.

XIII Kal. S. Januarii mart. sociorumque ejus. Theodori martyris.
XII Kal. S. Eustachii martyris et filiorum ejus. Fausti martyris. Vigilia.
XI Kal. S. Matthæi apostoli et evangelistæ. *Dies Ægypt.*
X Kal. S. Mauritii cum aliis VI. M. DC. LXVI.
IX Kal. S. Lini papæ et martyris, Teclæ virginis.
VIII Kal. S. Johannis Baptistæ conceptio.
VII Kal. S. Firmini martyris.
VI Kal. S. Cipriani episcopi et martyris, Justinæ virginis.
V Kal. SS. MARTYRUM COSMÆ ET DAMIANI.
IV Kal. SS. martyrum Fausti, Januarii, Martialis, Liobæ virginis.
III Kal. DEDICATIO BASILICÆ S. MICHAELIS ARCHANGELI.
II Kal. S. Hieronymi presbyteri.

OCTOBER.

Tertius Octobris gladius decimo in ordine nectit.
October habet dies XXXI, *lunam* XXIX.
Kal. Octobris. S. Remigii, Germani, Vedasti, Amandi, Bavonis confessorum.
VI Nonas. S. Leodgarii episcopi et martyris.
V Nonas. SS. Euvaldorum presbyterorum in Colonia. *Dies Æg.*
IV Nonas. SS. Marci, Marciani, Marsi martyrum.
III Nonas. S. Apollinaris episcopi, Flavinæ virginis.
II Nonas. SS. martyrum Marci et Apulei, Caprasii abbatis.
Nonas. SS. martyrum Sergii et Bachi.
VIII Idus. S. Reparatæ virginis.
VII Idus. SS. martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii.
VI Idus. SS. martyrum Gereonis, Victoris, Cassii, Florentii et aliorum CCCCXXXII.
V Idus. SS. martyrum Tharaci, Probi, Andronici.
IV Idus. SS. martyrum Cipriani et Felicis, Nidisti martyris.
III Idus. S. Laurentii episcopi et confessoris, Lupentii episcopi et confessoris.
II Idus. S. Calesti papæ et martyris. *Recordatio fratrum.*
Idus. SS. Maurorum martyrum in Colonia, Aureliæ virginis.
XVII Kal. S. Galli confessoris, Eliphii martyris. *Heriburga soror S. L.*
XVI Kal. S. Florentii episcopi.
XV Kal. S. Lucæ evangelistæ et confessoris. *Sol in Scorpionem.*
XIV Kal. S. Desiderii, Ferti, Januarii martyrum.
XIII Kal. S. Neoris martyris, et SS. Lucii, Marcellini martyrum.
XII Kal. S. Hilarionis monachi et SS. XI. millium virginum in Colonia.
XI Kal. S. Philippi episcopi et martyris, Severi episcopi, Marci episcopi et confess.
X Kal. S. Severini episcopi in Colonia. Venantii abbatis. *Dies Æg.*
IX Kal. S. Columbani monachi et confessoris.
VIII Kal. SS. martyrum Crispini et Crispiniani.
VII Kal. S. Amandi episcopi et confessoris, Dariæ virginis.
VI Kal. S. Evaristi papæ, Florentii martyris. Vigilia.
V Kal. SS. APOSTOLORUM SIMONIS et JUDÆ.
IV Kal. S. Quirini martyris, Narcissi episc.
III Kal. S. Theonesti martyris, Eusebii martyris.
II Kal. SS. martyrum Quintini, Gavini. Vigilia.

NOVEMBER.

Quinta Novembris acus vix tertia mansit in urna.
November habet dies XXX. *lunam* XXX.
Kal. Novembr. SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM. Cæsarii martyris.
IV Nonas. S. Benigni presbyteri et martyris, Hugberti confessoris.
III Nonas. S. Germani episcopi, Valentini presbyteri.
II Nonas. S. Proculi episcopi et martyris.
Nonas. S. Felicis presbyteri, Eusebii monachi. *Dies Æg.*
VIII Idus. S. Melani episcopi.
VII Idus. S. Wilbrordi episcopi et confessoris.
VI Idus. SS. quatuor Coronatorum.
V Idus. S. Theodori martyris.
V Idus. S. Demetrii episcopi. DEDICATIO ECCLESIÆ MAJORIS. HETHARICUS ABBAS.
III Idus. S. Martini episcopi. S. Mennæ martyris.
II Idus. S. KUNIBERTI ET LIAFWINI CONFESSORIS.
Idus. S. Bricii episcopi et confessoris.
XVIII Kal. S. Clementini episcopi.
XVII Kal. S. Secundi.
XVI Kal. S. Otmari confessoris, Magni confessoris, Eucherii confessoris.
XV Kal. S. Aniani episcopi, Florini confessoris. *Sol in Sagittarium.*
XIV Kal. S. Romani confessoris et martyris.
XIII Kal. S. Simplici episcopi.
XII Kal. SS. martyrum Bassi, Dionysii.
XI Kal. S. Mauri martyris, Columbani abbatis.
X Kal. S. CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.
IX Kal. S. Clementis episcopi et martyris, S. Felicitatis.
VIII Kal. S. Chrisogoni martyris.
VII Kal. S. Petri episcopi et martyris, Maximi confessoris.
VI Kal. Amatoris episcopi, Nicandri, Cassiani martyris.
V Kal. S. Theodoli martyris.
IV Kal. S. Sisinnii episcopi. *Dies Ægypt.*
III Kal. S. Saturnini martyris. Vigilia.
II Kal. S. ANDREÆ APOSTOLI.

DECEMBER.

Dat duodena cohors septem inde decemque Decem-
[bris.

December habet dies XXXI, *lunam* XXIX.

Kal. Decembris. Sanctorum martyrum Crisanti, Mauri, Dariæ martyris, Eligii episcopi.

IV Nonas. S. Longini militis et martyris.

III Nonas. S. Lucii regis et confessoris.

II Nonas. S. Barbaræ virginis et martyris.

Nonas. S. Talmatii martyris.

VIII Idus. S. Nicolai episcopi et Hermogenis.

VII Idus. Octava S. Andreæ apostoli, Mauturii martyris.

VI Idus. Sanctorum confessorum Euticiani, Eusebii et episcoporum

V Idus. SS. martyrum Petri, Successi.

IV Idus. S. Eulaliæ virginis et martyris.

III Idus. S. Damasi papæ.

II Idus. S. Finiani episcopi et martyris. *Dies Ægypt.*

Idus. S. Luciæ virginis et martyris.

XIX Kal. Jan. S. Nicasii episcopi et confessoris.

XVIII Kal. S. Aureliani episcopi et confessoris. *Dies Ægypt.*

A XVII Kal. S. Valentini episcopi et confessoris.

XVI Kal. S. Ignatii episcopi et martyris.

XV Kal. S. Simplicii episcopi. *Sol in Capricornium.*

XIV Kal. S. Secundi, Zozimi martyris.

XIII Kal. S. Anastasii episcopi et confessoris Vigilia.

XII Kal. *S. Thomæ apostoli in India.* Hildigrimus episcopus.

XI Kal. S. Theodosiæ virginis

X Kal. S. Victoriæ virginis et martyris.

IX Kal. Vigilia Natalis Domini.

VIII Kal. Nativitas Domini nostri Jesu Christi.

VII Kal. *Natalis S. Stephani protomartyris.*

VI Kal. *S. Johannis apostoli et evangelistæ.*

B V Kal. SS. Innocentium martyrum.

IV Kal. S. Felicis papæ et martyris.

III Kal. S. Perpetui episcopi Turonensis

II S. Silvestri papæ, Columbæ virginis.

MARTYROLOGIUM INSIGNIS ECCLESIÆ ANTISSIODORENSIS.

JANUARIUS.

Jani prima dies et septima fine timetur.

Kalendis Januarii. Circumcisio et octava Domini nostri Jesu Christi. Romæ S. Almachii martyris, et S. Martinæ virginis et martyris. Apud Spoletum civitatem passio S. Concordii martyris. Apud Cæsaream Cappadociæ natalis S. Basilii episcopi et confessoris. In Africa natalis S. Fulgentii episcopi et confessoris. Apud Alexandriam S. Eufrosinæ virginis. In territorio Lugdunensi natalis S. Eugendi abbatis. Ravennæ S. Severi episcopi et martyris. Item Romæ martyrum XXX.

Obiit Robertus Levita et canonicus. Ipsa die in territorio Arvernensi, cœnobio Silviniaco, depositio domni Ordilonis Cluniacensis abbatis.

IV Nonas Januarii. In Thebaide depositio beati Macharii abbatis. Et in Ponto civitate Thomis trium fratrum Argei, Narcissi, et Marcellini pueri et mart. In Frisia passio S. Theaginis martyris. D

III Nonas Januar. Romæ natalis S. Antheros papæ et martyris. Parisius depositio sanctæ Genovefæ virginis. In civitate Aulana passio S. Petri, qui crucis supplicio est interemptus. Viennæ sancti Florentii episcopi.

Obiit Gislebertus episcopus et Ablenus archidiaconus.

Pridie nonas Januar. Apud Cretam natalis S. Titi apostolorum discipuli. Romæ SS. mart. Prisci presbyteri et Priscilliani et Benedictæ religiosissimæ feminæ et beatæ Dafrosæ martyris, et aliorum VII mart.

C Nonis Januar. Romæ natalis sancti Telesphori papæ et martyris. Jerosolymæ B. Simeonis prophetæ, qui Dominum nostrum Jesum Christum in ulnas accepit. Apud Antiochiam in ecclesia quæ vocatur Pœnitentia, depositio Simeonis monachi qui in columna stetit.

Obiit Ebrardus subd. et canon., qui datis in claustrum faciendum C *solidis, dedit etiam domum suam canonicis et vineas, hoc pacto ut fratres sui anniversarium ejus diem inde facerent, et canonici canonicis refectionem persolverent. Quod si facere recusarent, canonici domum et vineas sibi acciperent, et anniversarium idem cum eleemosynis et refectione celebrarent.*

VIII Idus Januarii. Epiphania Domini nostri. In civitate Antiochiæ natalis sancti Juliani martyris et Basilissæ et Celsi pueri et Marcianillæ, et Antonii presbyteri et Anastasii martyrum. In territorio Remensi passio sanctæ Magnæ virginis. Antissiodero translatio sancti Germani confessoris.

Obiit dominus W. hujus sanctæ ecclesiæ episcopus. Ipso die Wadricus miles de Warziaco obiit.

VII Idus Januar. Relatio Jesu ex Ægypto. In Antiochia natalis sancti Luciani presbyteri et martyris, qui in quatuor partibus est divisus, et in singulis lapidibus ligatus et in mare mersus.

VI Idus Januarii. Neapoli in Campania sancti Severi confessoris, Belvacus sancti Luciani presbyteri, Maximiani et Juliani martyrum.

Obiit Anastasius Senonum archiepiscopus.

V Idus Januar. Apud Smyrnam natalis SS. Vitalis,

Revocati et Fortunati; et in Mauritania Cæsariensi natalis sanctæ Martinæ virginis.

IV Idus Januar. In Thebaide depositio sancti Pauli primi eremitæ, qui a XVI ætatis suæ anno usque ad CXIII solus in eremo permansit, ejusque animam inter sanctorum choros ad cœlum ferri ab angelis B. Antonius vidit. Et in Cypro B. Nicanoris qui fuit unus de VII diaconibus.

Ipsa die Leotardus sacerdos et decanus Senonum obiit. Item Frotmundus miles S. Stephani obiit.

III Idus Januar. In Africa natalis sancti Salvii martyris. Apud Alexandriam natalis SS. confessorum Petri, Severi et Leutici.

II Idus Jan. Apud Achaiam natalis sancti Saturi martyris. Eodem die sancti Archadii martyris. Apud Lingones sancti Gregorii episcopi et confessoris.

Idibus Jan. Romæ via Lavicana coronæ militum XL. Pictavis depositio S. Hilarii episcopi et confessoris. Remis natalis S. Remigii episcopi et confessoris. Octavæ epiphaniæ Domini.

Ipsa die Rainaldus Æduensis episcopus ab hoc sæculo est translatus.

XIX Kal. Febr. In Antiochia Glicerii diaconi multis tormentis passi et in mare mersi. Nola Campaniæ passio sancti Felicis presbyteri sepulti in Pincis. Et alibi depositio sancti Eufrarii episcopi et confessoris

Ordinatio Gerranni episcopi, qui dedit fratribus in comitatu Laticensi Gaiacum cum omnibus appenditiis suis. Vineam quoque quæ est in suburbio civitatis quæ dicitur Cerseredus, quam qui habuerit per chartam det fratribus vini modium unum ad minorem mensuram.

Eodem die Rotdulphus rex obiit. Ipsa die Tetardus miles ab inimicis interfectus est, et Frotmundus sacerdos. Item ipsa die obiit Heldricus abbas S. Germani.

XVIII Kal. Febr. In Ægypto B. Macharii abbatis discipuli S. Antonii. Et alibi S. Hisiodori confessoris. Andegavis B. Mauri monachi et abbatis. Et alibi depositio Abacuc et Michææ prophetarum.

XVII Kal. Febr. Romæ via Salaria in cimiterio Priscillæ, depositio Marcelli papæ et martyris. Arelate sancti Honorati episcopi et confessoris. Parrona cœnobio sancti Fursei confessoris. Arvernis natalis sancti Boniti episcopi et confessoris.

Obiit Heribertus episc. et postea monachus. Obiit Arnaldus diaconus et magister. Item obiit Gyla bonæ memoriæ femina Deoque sacrata. Eodem die obiit Gaufridus hujus ecclesiæ canon. et decanus.

XVI Kal. Feb. In Ægypto apud Thebaidam natalis B. Antonii monachi. Bituricas depositio Sulpicii episc. et confessoris. Lingonas passio SS. geminorum Speusippi, Eleusippi et Meleusippi Leonillæ, Jovillæ et Neonis.

Eodem die Gurardus obiit hujus ecclesiæ canonicus et præpositus sanctæ Mariæ. Item obiit Vauterius levita et canonicus, qui dedit ad officium altaris S. Stephani vestimenta sacerdotalia et librum necessarium ad missam celebrandam, et fratribus dedit duos molendinos apud Villamnovam, domum, viridarium, vinum ad sui memoriam faciendam.

XV Kal. Febr. Cathedra sancti Petri apostoli qua primum Romæ sedit. Eodem die natalis sanctæ Priscæ virginis et martyris. Et in Ponto natalis SS. martyrum Mosei et Ammonis. Alexandriæ sancti Maximi episcopi et confessoris. In civitate Apollonia passio SS. Tirsi, Leuci et Gallenici. Antissiodero dedicatio beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ.

Obiit Gislaudus presbyter, qui cum fratre suo Fredeberto diacono et Vinberto laico dederunt fratribus mansum suum cum omnibus appenditiis suis, de vineis arpennes VIII, de terris ancingas sex, qui est situs in pago Senonico in villa Caciaco ad refectionem canonicis celebrandam.

Commemoratio Gaufredi et uxoris ejus Heldradæ, pro quorum absolutione et sanctæ Mariæ veneratione Ricco filius eorum vineam dedit, de qua fratribus dedicationis ipsius Virginis die daretur pro tempore refectio.

XIV Kal. Febr. Jerosolymæ natalis Marthæ et Mariæ, sororum Lazari. In Smyrna natalis S. Germanici mart. ac bestiis damnati. Corbionis monasterio natalis sancti Launomari confessoris.

Obiit Airricus levita. Eodem die Frodo levita et canonicus obiit, qui pro salute animæ suæ fecit huic ecclesiæ columbam argenti auro . . . deauratam cum corona et catenis argenteis desuper altare pendentem ad corpus Domini nostri Jesu Christi *conservandum.*

Eodem die Willelmus canonicus et levita obiit, qui pro remedio animæ suæ ad bibliothecam faciendam de nummis suis libras quatuor dedit. Item obiit Rodulphus sacerdos et canonicus, qui ob remissionem peccatorum dedit ecclesiæ calicem argenteum, missale librum optimum et sacerdotale indumentum.

XIII Kal. Febr. Romæ natalis Fabiani papæ et martyris, et sancti Sebastiani martyris, in vestigia apostolorum sepulti. In cimiterio Callisti via Appia Marii et Marthæ cum filiis suis Audifax et Abacuc. Lugduno Galliæ Clementis presbyteri.

XII Kal. Febr. Romæ passio sanctæ Agnetis virginis. Athenas B. Publii episcopi, qui a B. Paulo apostolo episcopus ordinatus est. Trecas natalis sancti Patrocli martyris. In Hispaniis natalis SS. martyrum Fructuosi episcopi, Augurii et Eulogii diaconorum.

Ipsa die Johannes humilis episcopus migravit ad Dominum, vixitque in episcopatu ann. I, *menses* XI, *dies totidem.*

XI Kal. Febr. In Hispaniis sancti Vincentii diaconi

et martyris. Romæ ad aquas Salvias natalis sancti Anastasii monachi et martyris de Persida. Eodem die in Galliis, civitate Ebreduno, SS. martyrum Vincentii, Orontii et Victorini. In territorio Viennensi, passio SS. XVIII.

X Kal. Feb. Romæ natalis S. Emerentianæ virginis et martyris. Et in Mauritania civitate Neocæsariensi natalis S. Severiani et Aquilæ uxoris ejus igne combustorum. Eodem die, natalis S. Parmenii diaconi, qui unus fuit de septem diaconibus. Toleto civitate, natalis S. Hildefonsi episcopi et confessoris.

IX Kal. Febr. apud Ephesum, natalis sancti Timothei discipuli B. Pauli apostoli, cujus corpus XX anno Constantini imperatoris Constantinopolim translatum est. In Antiochia, natalis S. Babilli episcopi. Trecas S. Saviniani martyris. Et Neocæsaria civitate, natale sanctorum martyrum Mardonii, Musonii, Metelli, Eugenii.

VIII Kal. Febr. Conversio S. Pauli apostoli et translatio corporis ejus. Apud Damascum depositio Ananiæ, qui ipsum Paulum baptizavit. Eodem die, natale B. Gregorii Nazianzeni episcopi, qui Theologus appellatur. Arvernis S. Præjecti episcopi et martyris, et Marini viri Dei. Apud Gabalensem civitatem S. Severiani episcopi.

VII Kal. Febr. In Nicæa Smyrnæ, natalis S. Polycarpi episcopi et martyris discipuli S. Johannis apostoli, et Theogenis cum aliis XXXVI. In Bethleem dormitio sanctæ Paulæ matris Eustochii virginis Christi. Et in monasterio Calæ, depositio Bathildis reginæ.

VI Kal. Febr. Constantinopoli, depositio S. Johannis Chrysostomi episcopi et confessoris. Eodem die, natalis S. Marii abbatis monasterio Bobacensi.

Obiit Heribaldus levita, qui dedit fratribus de prædio suo mansum et dimidium in Senonico, in villa quæ dicitur Liviniacus, cum mancipiis et omnibus adjacentiis et quinque arpennos de vinea in villa Pauliaco. Hubertus diaconus obiit, et Adoynus sacerdos et decanus

Obiit Atto sacerdos et canonicus hujus ecclesiæ succentor egregius, qui omnibus quæ habebat in eleemosynam datis, cum servis, vineis et rebus aliis, ecclesiam honestavit libris suis.

V Kal. Febr. Romæ octavas S. Agnetis virginis et martyris. Apud Alexandriam depositio B. Cyrilli episcopi. In Tornodorensi, Reomago monasterio, transitus viri apostolici, doctoris eximii, Johannis summi confessoris.

Obiit Carolus imperator. Gotelindis Deo sacrata.

IV Kal. Febr. Romæ SS. martyrum Papiæ et Mauri militum. Treviris depositio S. Valerii episcopi discipuli sancti Petri apostoli. Trecas, sanctæ Savinæ virginis.

III Kal. Febr. In Antiochia passio S. Hippolyti martyris. Jerosolymæ, B. Matthiæ episcopi. Eodem die, S. Alexandri martyris. Malbodio monasterio, natalis sanctæ Aldegundis virginis.

Pridie Kal. Feb. Apud Alexandriam, natalis S. Metrani martyris. Item Alexandriæ, natalis SS. martyrum Tirsi, Saturnini et Victoris. Trientina civitate, beati Vigilii episcopi et martyris. Et alibi, SS. martyrum Cyri, Johannis, et SS. virginum Theodoctæ, Theotiotæ et Eudoxiæ, et sanctæ matris earum Athanasiæ.

FEBRUARIUS.

Kalendis Februarii. Apud Antiochiam, natalis S. Ignatii episcopi et martyris. Et in Scotia sanctæ Brigidæ virginis. Smyrnæ, natalis S. Pionii martyris. Et alibi, beati Effrem diaconi. Tricastina civitate, sancti Pauli episcopi et confessoris.

IV Nonas Febr. Purificatio S. Mariæ. Cæsareæ B. Cornelii centurionis, ipsius urbis episcopi. Romæ natalis S. Aproniani martyris. Aurelianis, depositio Floscoli episcopi et Sicariæ Deo sacratæ virginis.

III Nonas Febr. In Africa, B. Celerini diaconi, et SS. martyrum Celerinæ aviæ ejus, et Laurentini et Ignatii. Lugduno, depositio B. Lupicini episcopi.

Pridie Nonas Febr. In civitate Ægypti, quæ appellatur Tumbis, passio beatissimi Phileæ ejusdem urbis episcopi, et Philoromi tribuni et innumerabilium martyrum. Trecis S. Aventini episcopi et confessoris. Antissiodero, S. Alexandri subdiaconi et confessoris.

Obiit Emmena Deo sacrata.

Nonis Febr. Apud Siciliam civitate Cathanensium, passio S. Agathæ virg. Vienna B. Aviti episcopi et confessoris.

Eodem die obiit Gislebertus sacerdos atque decanus, postea monachus effectus; et Raginaldus sacerdos atque canonicus obiit.

VIII Idus Febr. Cæsaræa Cappadociæ, natalis sanctæ Dorotheæ virginis et martyris, et sancti Theophili martyris scholastici. Arvernis natalis S. Antholiani martyris. Atrabis [*l.* Atrebatis], SS. confessorum Vedasti et Amandi gloriosissimorum episcoporum.

VII Idus Feb. In Britanniis civitate Augusta, natalis sancti Auguli episcopi et martyris. Apud Asiam provinciam, S. Apollonaris Hierapolitanæ urbis antistitis

VI Idus Febr. Apud Armeniam minorem, natalis SS. Dionysii, Emiliani et Sebastiani. Romæ depositio S. Pauli episcopi. Alexandriæ, natalis sanctæ Cointhæ martyris.

V Idus Febr. Apud Pontum provinciam, S. Athenodori episcopi, fratris beati Gregorii, qui et Theodorus cognominatus est. Alexandriæ, natalis S. Apolloniæ virginis.

IV Idus Febr. In Benevento, natalis sanctæ Scholasticæ virginis, sororis S. Benedicti. In Oriente (4),

(4) Hic error, nam verius Romæ via Appia.

S. Sotheris virginis. Romæ, SS. martyrum Zotici, Irenæi, Hyacinti et Amantii. Apud Sanctonas, Trojani episcopi et confessoris.

III Idus Febr. Alexandriæ, depositio S. Eufrasiæ virginis, Lugduno, natalis B. Desiderii episcopi et confessoris. Eodem die S. Severini abbatis.

Obiit Aldoenus sacerdos, qui dedit fratribus patrimonium suum in Valeria villa.

Pridie Idus Febr. In Africa, SS. martyrum Saturnini presbyteri, Felicis, Apelii et sociorum ejus, qui passi sunt pro Christo sub Anolino proconsule. Apud Alexandriam, Modesti et Ammonii martyrum. In Africa, passio S. Damiani militis.

Eodem die obiit Robertus hujus ecclesiæ episcopus, qui annuale beneficium pro defuncto canonico instituit, et molendinum subtus murum ab Atone B *acquisitum, fratribus hujus ecclesiæ concessit et sauvamentum duplex a Pulvereno . . . . removit.*

Idibus Febr. Apud Antiochiam, natalis S. Agabi prophetæ. In Militana civitate Armeniæ, natalis S. Polieucti martyris, qui Latine interpretatur multum orans. Andegavis, S. Lisinii episcopi et confessoris, Lugduno, depositio S. Stephani, episcopi et confessoris.

Obiit Aaron episcopus.

XVI Kal. Martii. Romæ, natalis S. Valentini presbyteri et martyris. Interamnis, natalis S. Valentini episcopi. Apud Alexandriam SS. martyrum Bassi, Antonii, Protholici, qui in mare mersi sunt. Eodem die, SS. martyrum Vitalis, Feliculæ et Zenonis cum aliis plurimis. In Eraclea, C natalis S. Felicis, Januarii. Et alibi passio S. Sereni.

XV Kal. Martii. Romæ, natalis S. Cratonis martyris. Apud Sebasten civitatem, passio S. Blavii [*l.* Blasii] episcopi et septem Feminarum sanctarum. Ipso die, depositio Quinidii episcopi et S. Silvini episcopi. Interamne, natalis S. Agapæ virginis.

XIV Kal. Martii. Natalis S. Onesimi apostoli, qui Romæ lapidatus, ad Ephesum corpus ejus delatum est, ubi fuerat ordinatus episcopus; et in Cumis, sanctæ Julianæ virginis. Et in Ægypto, Juliani martyris cum aliis numero quinque millia.

XIII Kal. Martii. In Perside, natalis S. Polychronii episcopi et martyris. In Africa passio S. Donati, Secundiani, Romuli, cum aliis LXXXVI. In Scotia D S. Fintani presbyteri et confessoris.

XII Kalendas Martii. Hierosolymis beati Simeonis episcopi et martyris. Romæ sanctorum martyrum Claudii et Præpedignæ uxoris ejus, et filiorum Alexandri et Curæ, et fratris Claudii, beati Maximi. Apud Alexandriam beati Dionysii episcopi et confessoris.

Obiit Walterius Aurelianensis episcopus.

XI Kalendas Martii. Romæ natale S. Gabinii presbyteri et martyris patris beatissimæ Susannæ. In Africa Publii, Marcelli, Juliani martyrum.

Obiit Robertus miles.

A X Kal. Martii. Apud Tyrum multorum martyrum, quorum numerum Dei scientia colligit. Romæ depositio Gagi episcopi, et alibi Victoris et Coronæ. In Alemannia beati Galli confessoris.

Eodem die obiit Erembertus sacerdos et præpositus, qui dedit fratribus alodum in Antonno villa, quem comparavit de Regemberto.

IX Kal. Martii. In Sicilia martyrum septuaginta et novem sub Diocletiano diversis tormentis passi. In Africa civitate Adrumeto natale sanctorum martyrum Veroli, Secundi, Servuli et aliorum XX.

Goffridus canonicus S. Stephani et decanus S. Petri obiit

VIII Kal. Martii. Apud Antiochiam Cathedra S. Petri apostoli qua primum sedit Antiochiæ. In Alexandria Abilii episcopi adjutoris Johannis apostoli et evangelistæ, et alibi beati Aristiodonis, qui unus fuit de septuaginta duobus discipulis.

VII Kal. Martii. Apud Smyrnam natale S. Sineri monachi et martyris, et septuaginta duorum martyrum. In Asia Polycarpi episcopi.

Ipsa die Otto Burgundiæ marchio obiit DCCCCLXIII *incarnationis Dominicæ anno. Item obiit Obertus miles.*

VI Kal. Martii. Natale S. Mathiæ apostoli, et inventio capitis Johannis Baptistæ et præcursoris Domini. Apud Cæsaream Cappadociæ natale S. Sergii martyris.

Obiit domnus Betto episcopus, qui dedit fratribus Vendosam ecclesiam et Rontonnacum villam, et in C *Corboiaco mansum 1 ad exhibendam refectionem et commune obsequium.*

V Kal. Martii. Apud Ægyptum natale sanctorum martyrum Victorini et Victoris, Nicefori, Claudiani, Dioschori, Serapionis et Papiæ. Pamphilia natale S. Nestoris et confessoris.

IV Kal. Martii. In civitate Pergem Pamphiliæ beati Nestoris episcopi et martyris. In Alexandria beati Alexandri gloriosissimi episcopi et confessoris.

III Kal. Martii. Apud Hispaniam civitate Hispali natale S. Leandri episcopi, ad quem B. Gregorius libros Moralium scripsit. Et in Alexandria Juliani martyris.

II Kal. Martii. In territorio Lugdunensi locis Jurensibus depositio B. Romani abbatis. Eodem die D sanctorum Macharii et Rufini.

MARTIUS.

Kalendis Martii. Romæ natale sanctorum martyrum CCLX, quos jussit primo Claudius pro Christi nomine damnatos arenam fodere, deinde præcepit ut foras muro portæ Salariæ mitterentur, et in amphitheatro ejusdem civitatis militum sagittis interficerentur. Andegavis Albini episcopi et confessoris. Carthagine passio Donati martyris. Apud urbem Antinoum passio beati Leonidis.

Obiit Actaldus sacerdos, qui dedit hospitali fratrum suorum in villa Gratis mansum cum vinea adhærente. Eodem die Rotfredus decanus viam

universæ carnis est ingressus. Guadilo subdiaconus obiit eodem die, qui dedit fratribus suis alodum suum in loco qui dicitur Vallis cum vineis et silvis seu mancipiis. Ipso die Enricus subdiaconus interfectus est. Item Waldricus præpositus corpus terræ, beatum Christo tradidit spiritum.

VI Nonas Martii. Romæ natalis sanctorum martyrum Jovini et Basilei, et aliorum plurimorum martyrum sub Alexandro capitali sententia damnatorum. Item Romæ Simplicis papæ et martyris.

V Nonas Martii. In Hispania sanctorum Emittenrii et Cheledonii martyrio coronatorum. Antissiodero natale sanctæ Camillæ virginis. Cæsareæ natale sanctorum martyrum Marini militis et Aerii senatoris.

IV Nonas Martii. Natale sancti Lucii papæ et martyris. Item, Romæ sanctorum martyrum nongentorum, qui sunt positi in cimiterio ad sanctam Ceciliam. Eodem die natale sancti Gaii palatini in mare mersi. Nicomedia passio sancti Adriani cum aliis numero viginti tribus.

III Nonas Martii. Antiochia passio sancti Focæ martyris, cujus ecclesiæ januam si attigerit credens quilibet colubrino morsu percussus, statim sanatur. Ipso die sancti Eusebii palatini et aliorum novem martyrum.

Obiit Walo Trecassinæ Ecclesiæ episcopus. Eodem die ordinatio domni Hugonis episcopi, qui dedit fratribus in die ordinationis suæ altare Billiacensis ecclesiæ.

Pridie Nonas Martii. Nicomedia natale sanctorum Victoris et Victorini, qui tormentis multis afflicti, et retrusi in carcerem, ibidem vitæ suæ cursum impleverunt. Civitate Toleto depositio sancti Juliani antistitis.

Nonas Martii. Mauritania civitate Tuburbitanensi passio sanctorum martyrum Satiri, Perpetuæ et Felicitatis, et cum eis Revocati, Saturnini et Secundoli.

VIII Idus Martii, Carthagine natale sancti Pontiani diaconi et beati Cypriani episcopi. In civitate Antinoum natale sanctorum martyrum, Philemonis, Apollonii, Arriani, Theotici et aliorum III in mare mersorum.

Eodem die defunctorum commemoratio monachorum monasterii de Caritate solemniter, quod et ipsi pro defunctis nostris celebrant.

VII Idus Martii. Nisena civitate natale sancti Gregorii episcopi fratris beati Basilii. Barzilona Paciani episcopi et confessoris. Apud Sebasten Armeniæ minoris natale sanctorum gloriosorum martyrum XL militum tempore Licinii regis. Nam et nomina et gesta eorum habentur. In Africa Cyrilli, Felicis, Philippi, Mariani, Rogati, Concessi.

Obiit Wala episcopus, pro cujus memoria facienda Ansergisus germanus ejus arcniepiscopus.... duos mansos cum regali et episcopali consensu fratribus dilargitus est, et in administratione luminis divini altaris ecclesiæ S. Stephani in Piscasiolo villa mansum unum.

VI Idus Martii. Apamia natale sanctorum martyrum Alexandri et Gaii de Eumenia. In Persida sanctorum martyrum XLII. In Antiochia Agapæ virginis. Parisius sancti Drothoveri abbatis, discipuli beati Germani episcopi. Luxovio monasterio sancti Attali abbatis.

V Idus Martii. Apud Alexandriam natale sanctorum Philoni episcopi, Candidi, Valerii cum aliis viginti. Apud Sebasten Armeniæ minoris natale sanctorum XL martyrum, qui crurifragio martyrium consummarunt. Carthagine natale sancti Heracli. Antissiodero sancti Vigilii episcopi et martyris.

Ipso die Agano decanus sancti Stephani obiit.

IV Idus Martii. Natale sanctorum Innocentii papæ et beatissimi Gregorii papæ et præcipui doctoris. Apud Nicomediam natale beati Petri excellentissimi et martyris, qui fide et nomine hæres almi Petri apostoli exstitit aliorum octo.

Obiit Adalgarius diaconus, qui dedit fratribus de vineis arpennos VI in circuitu Gratiaci ad sui memoriam celebrandam. Eodem die ordinatio domni Bettonis episcopi.

III Idus Martii. Nicomedia natale sanctorum martyrum Macedonii presbyteri et Patriciæ uxoris ejus, et Modestæ filiæ ejus. Nicæa civitate sanctorum martyrum Theusetæ, Horis, Theodoræ, Nimpodoræ, Marcii, Arabiæ, qui omnes igni traditi sunt. In Thebaida sanctæ Euphrasiæ virginis. In territorio Nevernensi sancti Viventii presbyteri.

Pridie Idus Martii. Romæ natale sanctorum martyrum XLVII, qui baptizati sunt a beato Petro cum teneretur in custodia, qui omnes Neroniano gladio consumpti sunt. Apud Laodiciam natale sancti Segaris episcopi et martyris. Nicomedia Felicissimi, Dativi et Frontinæ. Romæ Innocentii episcopi. In Africa sancti Petri martyris et sancti Eufrosii.

Idus Martii. In Cæsarea Cappadociæ passio sancti Longini, qui latus Domini lancea perforavit, ut in gestis ejus invenitur. Thessalonica civitate natale sanctæ Matronæ martyris, quæ viriliter usque ad mortem in confessione Christi permansit. Romæ Zachariæ papæ.

Obiit eodem die Adelhelmus sacerdos et concentor. Eodem die obiit Odo miles, qui apud Crevenum villam alodum suum canonicis dedit.

XVII Kalendas Aprilis. Aquileia beati Hilarii episcopi et Taciani diaconi, qui una cum filio suo Felice, Largo et Dionysio martyrium consummarunt. Romæ Cyriaci martyris, et cum eo Smaragdi et Crescentiani, et aliorum viginti martyrum. Arvernis sancti Patricii episcopi et confessoris. Nicomedia Castorii martyris.

XVI Kalendas April. In Scotia natale sancti Patricii episcopi et confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit. Alexandria natale sancti

Ambrosii diaconi. Nivigella monasterio sanctæ Gertrudis virginis.

XV Kalend. April. Apud Cæsaream natale sancti Alexandri episcopi et martyris, qui cum Narcisso Hierosolymitanæ Ecclesiæ gubernacula suscepit. Romæ Cyrilli episcopi et confessoris.

Obiit Walaharius sacerdos et decanus.

XIV Kalend. April. In Cæsarea Cappadociæ sancti Theodori presbyteri. Apud Penarensem urbem beati Johannis magnæ sanctitatis VIII. Surrentum sanctorum martyrum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem.

XIII Kalend. April. In Britanniis natale sancti Chudbrahcti episcopi et confess. Eodem die natale sancti Archippi commilitonis Pauli apostoli. In Syria sanctorum Pauli, Cyrilli, Eugenii cum aliis IV. Ipso die sancti Wilfranni.

Obiit Adoardus presbyter et Aroildis Deo devota, qui dedit fratribus in villari Tornetrense et Marolio optimum alodum cum capella pro sui memoria facienda.

XII Kalend. April. Apud Cassinum castrum sancti patris nostri Benedicti abbatis, qui fuit spiritu justorum omnium plenus. Et in Flaviniaco adventus et exceptio corporis sanctæ Reginæ virginis et martyris. In territorio Lugdunensi beati Lupicini abbatis. Et in Alexandria beati Serapionis anachoritæ.

XI Kalend. April. In Galliis civitate Narbonæ natale sancti Pauli episcopi et confessoris discipuli apostolorum. Apud Corinthum beati Dionysii episcopi. Civitate Biterris sancti Afrodisii episcopi et confessoris.

Obiit Conradus comes et Maginfridus miles sancti Stephani. Eodem die obiit Theodericus canonicus et sacerdos, qui dedit domum suam et vineas, quidquid etiam proprietatis habere videbatur, ad hospitale pauperum pro obtinenda venia delictorum suorum.

X Kalend. April. Natale sanctorum martyrum Victoriani, Frumenti et alterius Frumentii, duorumque germanorum egregio tormento coronatorum sub Honorico rege. Apud Africam beati Fidelis martyris.

Gislarus archidiaconus obiit, qui dedit fratribus suis omne prædium suum quod in Melundis et in circuitu ipsius habere visus est ad memoriam sui faciendam. Eodem die Willelmus laicus obiit, qui dedit inter fratres et altare patrimonium suum in Senonico, in villa Confluente. Eodem die obiit Andreas miles.

IX Kalend. April. In Syria natale sancti Seleuci. Ipso die sanctorum Romuli et Secundoli, qui apud Mauritaniam pro Christo passi sunt. Romæ passio sancti Pigmenii presbyteri. Hic Julianum apostatam a puero nutrivit et sacris litteris erudivit, a quo postea in Tiberim pro Christi fide necatus est; dehincque abstractus, sepultus est in cimiterio Pontiani non longe a sanctis Abdon et Sennen. In Syria sancti Seleucii, itemque in Frigia sancti Agapiti.

VIII Kalend. April. Apud civitatem Galileæ Nazareth Annuntiatio sanctæ ac perpetuæ virginis Mariæ, et in Hierosolymis crucifixio Domini nostri Jesu Christi. Apud Syrmium natale sancti Herenei episcopi et martyris. Romæ passio sancti Cyrini martyris. Nicomedia natale sanctæ Sedulæ martyris. In Antro insula natale sancti Ermelandi abbatis.

Obiit Ilduinus Senonensis archidiaconus hujus ecclesiæ canonicus.

VII Kalend. April. Romæ sancti Castuli presbyteri et martyris. Pentapolim Lybiæ Theodori episcopi, Yrenei diaconi, Serapionis et Ammonii lectorum. Apud Syrmium natale sancti Montani presbyteri et Maximæ uxoris ejus in mare mersorum.

Obiit Aya sanctæ Mariæ ancilla. Eodem die obiit Anastasia mater domini Acardi presbyteri, quæ dedit canonicis sancti Stephani protomartyris quamdam vineam optimam, hoc pacto ut qui matutinis horis institerint, vinum dum duraret biberent. Canonici autem qui erant in capitulo hoc concesserant.

VI Kal. April. Apud Ægyptum B. Johannis eremitæ, admirandæ sanctitatis, et prophetiæ spiritus viri. Hierosolymis Resurrectio Domini nostri Jesu Christi. Apud Smyrnam beati Traseæ episcopi et martyris. In Pannonia sancti Alexandri martyris.

V Kalend. April. Cæsareæ Palestinæ natale sanctorum martyrum Prisci, Malchi, Alexandri. Cavillono depositio domni Gontranni regis. Romæ Sixti papæ. Tharso Ciliciæ Castoris et Dorothei.

Eodem die obiit Ansellus juvenis miles S. Stephani. Item, obiit Condrada Deo sacrata.

IV Kalend. April. Natale SS. martyrum Armogasti, Archinimi, et Satyri tempore Wandalicæ persecutionis. Monasterio Luxoviensi depositio beati Eustasii abbatis discipuli S. Columbani.

Ordinatio domni Waldrici episcopi. Ipsa die obiit Dodo miles sancti Stephani.

III Kalend. April. Romæ natale SS. martyum Quirini, Tribuni. Apud castrum Silvanectensium depositio S. Reguli confessoris et primi civitatis ipsius episcopi. Thessalonicæ natalis sanctorum Domnini et Victoris.

Pridie Kalend. April. Romæ S. Balbinæ virginis, quæ jacet juxta patrem suum Quirinum martyrem. Eodem die Amoos prophetæ. In Africa SS. Diodoli et Anesii.

Ipsa die obiit Belinus levita et canonicus, vir honestæ vitæ, qui canonicis sancti Stephani ad emendos reditus mille solidos dedit, de quibus singulis annis communis refectio canonicis exhibeatur.

APRILIS.

Kalendas April. In Armenia SS. martyrum Quintiani, Victoris. Romæ depositio beatissimæ Theodoræ martyris. In Thessalonica natale SS. virgi-

num Agapis et Cyoniæ martyrum. In Sardinia A
B. Meritoris episcopi et confessoris. Ipso die S.
Venantii episcopi et martyris.

Obiit Guido canonicus et Edissæ archidiaconus.

IV Nonas Aprilis. Lugduno beati Nicetii episcopi et confessoris. Apud Palæstinam depositio beatæ Mariæ Ægyptiacæ, quæ Peccatrix appellatur.

III Nonas April. Cæsaræa Cappadociæ passio sanctæ Theodosiæ virginis. Nicomedia, S. Donati et S Amphiani. In Scithia civitate Thomis, natale sanctorum Evagrii et benigni.

Obiit Abbo hujus ecclesiæ miles.

II Nonas Aprilis. Mediolano beati Ambrosii episcopi et confessoris doctoris præcipui. Apud Ispalim depositio S. Isidori episcopi et confessoris. B

Ipsa die obiit Leotericus vicecomes, hujus ecclesiæ vexillarius.

Nonas Aprilis. Thessalonicæ natale sanctæ Hyrenæ virginis et martyris. Apud Ægyptum, natale sanctorum Nichanoris, et Apollonii, et Martianæ, quorum gesta habentur.

Eodem die ordinatio domni Aeriboldi episcopi. Item ipsa die Ingelvinus miles obiit.

VII Idus Aprilis. Romæ natale S. Sixti papæ et martyris temporibus Adriani passi. In Macedonia sanctorum Timothei et Diogenis. Libiæ superioris Theodori episcopi, Herenei diaconi, Serapionis et Ammonii lectorum. Et alibi natale sanctæ Marinæ et Egulinæ.

Obierunt Remigius et Warimbertus episcopi. Eo- C
dem die obiit Gaufridus archidiaconus et abbas sancti Eusebii.

VIII Idus Aprilis. Apud Africam natale sanctorum Epiphanii episcopi, et donati et aliorum XIII. Eodem die Hejesippi XIV sanctissimi. Alexandria sancti Peleusii presbyteri,

Obiit Johannes levita et anoas sancti Eusebii adhuc juvenis prudentia litterarum imbutus et bonitate decorus. Ipsa die obiit Adila religiosa femina.

VI Idus Aprilis. Apud Tolosam natale sancti Exuperii episcopi et confessoris, cujus actus beatus Hieronymus memorabiliter describit. Romæ Calisti papæ.

Obiit Beraldus sacerdos et concentor. D

V Idus Aprilis. Apud Antiochiam natale Procori martyris, qui unus fuit de VII diaconibus. Apud Syrmium natale VII virginum, quæ in unum meruerunt coronari, quarum nomina Deus novit.

Obiit Suavis subdiaconus in litteris multum deditus. Eodem die regina uxor Guiberti obiit, cujus assensu et precibus idem Guibertus ecclesiam sancti Stephani canonicis in Acolaco villa dedit.

IV Idus Aprilis. Romæ natale plurimorum martyrum quos sanctus Alexander papa baptizavit, et Aurelianus in mari necare fecit, et alibi Ezechielis prophetæ. Antissiodero depositio sancti Palladii episcopi et confessoris.

Obiit Wanngus, qui dedit fratribus suum mansum indominicatum cum optima vinea et viridario adhærente in loco qui dicitur Mausiacus, ad sui memoriam celebrandam. Eodem die Hludovicus rex obiit.

III Idus Aprilis. Romæ natale S. Leoni, papæ, cujus temporibus exstitit sancta synodus Calcedonensis. Apud Cretam urbe Gortina natale sancti Philippi episcopi et confessoris. In Dalmatia civitate Salona natale sancti Dominionis episcopi et confessoris cum militibus VIII. Nicomedia S. Eustorgii.

II Idus Aprilis. Romæ via Aurelia depositio beati Julii episcopi et confessoris. Ipso die Zenonis episcopi. Wapingo depositio Constantini episcopi. Antissiodero beati Tetrici episcopi

Eodem die Guillelmus subdiaconus canonicus feliciter emisit spiritum, et pro delictorum suorum remissione domum suam et vineam canonicis dedit.

Idus Aprilis. In Calcedonia natale sanctæ Eufemiæ virginis et martyris. Apud Pergamum Asiæ urbem natale SS. martyrum Carpi episcopi, et Papilii diaconi, et beatæ Agathonicæ, et aliarum multarum. In Hispania natale S. Hermenegildis regis et martyris.

XVIII Kalendas Maii. Romæ natale SS. Tiburcii et Valeriani et Maximi. Interamnis S. Proculi martyris. Apud Alexandriam beati Hontonis et sanctæ Domnæ virginis cum sociis virginibus coronatæ.

Eodem die ordinatio domni Richardi præsulis. Ipsa die obiit Otbertus miles S. Stephani.

XVII. Kal. Maii. In civitate Cordula natale sanctorum martyrum Olympiadis et Maximæ nobilium. In Italia sanctorum martyrum Maronis, Euthicetis et Victorini. Et in Reomago cœnobio beati Sylvestri discipuli sancti Johannis confessoris.

XVI Kal. Maii. Cæsar-Augustæ sanctorum decem et octo martyrum, quorum nomina et passio habentur. Apud Chorintum natale S. Calixti et Carisii cum aliis VII. Romæ S. Anicheti papæ et martyris, et in Mauritania natale sanctæ Basiliæ

Eodem die obierunt Godolgarius presbyter et Augustus sacerdos, qui dedit fratribus alodum suum Maisilinæ cum vinea adjacente in villa quæ dicitur Loconiacus ad sui memoriam recolendam.

XV Kal. Maii. Apud Africam natale sancti Mappalici, qui cum aliis pluribus cononatus est. Antiochia natale sanctorum Petri diaconi et Hermogenis.

Obiit Petrus diaconus qui dedit fratribus in pago Senonico, in villa quæ dicitur Rivisiacus, et in pago Antissioderense in villa quæ dicitur Poziacus, on-

nia propria sua quæcunque visus est habere, cum masilinis et terris et vineis ad sui memoriam recolendam. Ipso die David levita et præpositus migravit ab hac vita. Item, Johannes levita et abbas humilis ab hoc sæculo migravit ad clementiam Christi. Obiit Richardus comes. Victoria comitissa.

XIV Kalend. Maii. Apud Messanam Apuleiæ civitatem natale SS. martyrum Eleutherii gloriosissimi episcopi, et Anthiæ matris ejus. Romæ passio S. Apollonii senatoris. In Africa Victoris-Pamphili cum aliis numero VII.

XIII Kalend. Maii. Apud Chorintum natale S. Timonis crucifixi, qui fuit de VII. diaconibus. In Armenia civitate Militina natale SS. Rufi, Aristonici, Hermogenis cum aliis numero sex. Caucoliberi Hispaniæ natale S. Vincentii martyris. In cœnobio quod dicitur ad Laubias depositio beati Ursmari episcopi et confessoris.

Obiit Ersendis vidua Deo sacrata, quæ dedit fratribus pro Agini quondam sui mariti atque animæ suæ absolutione in pago Senonico in villa Caciaco clausum vineæ habentem Arpennos IV, *et ad sanctum Priscum inter monachos et fratres vineolas quas ibi habebat. Stephanus miles obiit.*

XII Kalend. Maii. Natale S. Victoris papæ et martyris. Item, Romæ SS. martyrum Sulpitii et Serviliani. Antissiodero civitate depositio SS. confessorum Mamertini et Mariani.

XI Kalend. Maii. Apud Persidem natale S. Simeonis episcopi et martyris cum aliis plurimis. In Galliis civitate Ebredunensi natale S. Marcellini episcopi et confessoris. Apud Alexandriam natale SS. Fortunati, Aratoris presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt.

Obiit domnus Galdricus episcopus. Obiit Hugo nobilissimus miles sancti Stephani, qui dedit fratribus Acolacum villam cum appendiciis suis, annuente Goffrido episcopo suo seniori ad sui memoriam recolendam.

X Kalend. Maii. Romæ S. Gai papæ et martyris. Apud Persidem SS. martyrum quingentorum. Lugduno Galliæ natale sancti Epipodii martyris. Et alibi S. Parmenii cum sociis suis. Senones civitate S. Leonis episcopi et confessoris.

Eodem die Elya uxor Roberti ducis, mundo plangente, cœlo plaudente, ultimum exhalavit spiritum. Ipsa die Elisabeth uxor Josberti militis, cujus assensu et precibus isdem Josbertus nemus quoddam et olquam unam non longe ab Acolaco villa canonicis sancti Stephani dedit ad sui memoriam faciendam.

IX Kalend. Maii. In Persida civitate Diospoli passio S. Georgii martyris. In Galliis civitate Valentia natalis SS. Felicis presbyteri, Fortunati et Achillei diaconorum. Fontenella monasterio S. Wlfranni episcopi et confessoris.

Eodem die obiit Gwilencus miles.

VIII Kalend. Maii. Lugduno Galliæ natale S. Alexandri martyris cum aliis numero XXXIV. In Britannia S. Melliti episcopi et confessoris.

Obiit Ansellus levita et canonicus insignis, in divinis scripturis magister egregius, qui pro salute animæ suæ vineam quam habebat in monte Defenso canonicis dedit.

VII. Kalend. Maii. In Alexandria natale S. Marci evangelistæ. Lugduno depositio beati Rustici episcopi. Romæ letania major ad S. Petrum. In Syracusa civitate Siciliæ natale SS. Evodii, Ermogenis et Calistæ.

Obiit domnus Eribaldus episcopus qui dedit ad vestimenta fratrum emenda, Condidam villam cum suis appenditiis et abbatiolam sancti Remigii cum vineis, corticano videlicet et plantis ; et ad stipendia ipsorum dimidium Maximiacum, hoc est mansos XXI.

VI. Kalend. Maii. Romæ natale SS. martyrum Cleti et Marcellini papæ. In pago Pontivo, cœnobio Centulæ, depositio sancti Richarii confessoris. Antissiodero dedicatio majoris ecclesiæ S. Mariæ.

V Kalend. Maii. Romæ natale S. Anastasii papæ. Nicomedia S. Antimi episcopi et martyris cum innumera multitudine martyrum. In civitate Tarso Ciliciæ natale S. Castori.

Obiit Lambertus hujus ecclesiæ canonicus et sacrista, qui ad sui memoriam recolendam dedit huic ecclesiæ bacinos duos argenteos, thuribulum argenteum, cappam de pallio, et duo candelabra; et duo tapetia ; canonicis autem dedit centum solidos et furnum quem apud Crevenum fecit, et quidquid domorum vel aliorum ædificiorum tam apud Crevenum, quem apud Acolacum habuit.

IV Kalend. Maii. Apud Ravennam natale S. Vitalis martyris patris SS. Gervasii et Prothasii. Alexandria beatæ Theodoræ virginis et martyris, et S. Didimi martyris. In Pannonia S. Eusebii episcopi et S. Pollionis martyris

Obiit Stephanus laicus, qui dedit prædium suum, quod in Loconiaco villa adquisivit de Georgio presbytero, fratribus sancti Stephani, ad sui memoriam agendam post obitum uxoris Gelesindis.

III Kalendas Maii. Apud Paphum natale S. Titichi apostolorum discipuli. In Tuscia Torpetis martyris. In Numidia apud Cirtensem coloniam natale sanctorum martyrum Agapii et Secundini episcoporum. Passi sunt cum eis alii sex.

Eodem die Ayglulfus sacerdos atque decanus, divinorumque erogator verborum ab hac luce migravit, canonicis S. Stephani tribuens tres arpennos vineæ sui prædii in Garricis villa.

Pridie Kalend. Maii. Natale sanctorum martyrum Mariani presbyteri et Jacobi diaconi cum aliis multis. Sanctonas civitate natale S. Eutropii martyris. Apud Asiam passio S. Maximi martyris. Romæ via Appia depositio Quirini episcopi et confessoris.

Obierunt Nivelon miles. Item Hugo hujus ecclesiæ canonicus et decanus.

MAIUS.

Kalendas Maii. Natale SS. apostolorum Philippi et Jacobi. Jerosolymis natale sancti Quiriaci episcopi et martyris, qui et Judas vocatus est. Et alibi Jeremiæ prophetæ. Autissiodero civitate depositio sanctissimi Amatoris episcopi et præcipui confessoris Christi. In Galliis territurio Vivariensi passio S. Andioli subdiaconi. Civitate Sedunensi loco Agauno passio S. Sigismundi regis. Tolosa civitate depositio S. Orientis episcopi et confessoris.

VI Nonas Maii. Alexandria natale sancti patris nostri Athanasii episcopi et confessoris. Item in Alexandria natale SS. Saturnini et Neapolis qui in carcere requieverunt. Hierosolymis natale beati Simeonis episcopi et martyris, qui propinquus Salvatoris fuit secundum carnem. Autissiodero Optati episcopi, Memorii presbyteri et Sanctini presbyteri.

Obiit Remigius monachus et egregius doctor. Eodem die obiit Norgaudus Eduensis episcopus, hujus ecclesiæ canonicus, qui per manum Humbaldi episcopi ecclesiæ nostræ dedit pretii librarum x *ex pallio cappam optimam et quinque marcas argenti purissimi ad mensam altaris exornandam, et duo super altare operimenta mirabiliter et operose operata.*

V Nonas Maii. Hierosolymis inventio sanctæ Crucis ab Helena regina in monte Golgota anno post Passionem Domini CCLXXXIII, regnante Constantino imperatore. Romæ via Nomentana natale SS. martyrum Alexandri papæ, Eventii et Theodoli presbyteri. Ipsa die Juvenalis episcopi et confessoris. Autissiodero Eusebii presbyteri et Aviti diaconi.

IV Nonas Maii. In Palæstina civitate Gazan natale sancti Silvani episcopi cum plurimis clericorum suorum coronati. Et alibi sanctorum martyrum XL. Nicomediæ natale S. Antoniæ martyris. Autissiodero depositio et translatio S. Corcodomi diaconi et confessoris. Lauriaco natale sancti Floriani martyris.

Obiit Walterius levita et canonicus et S. Mariæ præpositus. Eodem die Girbertus levita et præceptor et abbas S. Eusebii corpus tumulo, animamque reddidit Christo.

III Nonas Maii. Ascensio Domini ad cœlos. Apud Alexandriam natale S. Euthimi diaconi. Thessalonicæ natale SS. Herenei et Peregrini et Hirenes ignibus combustorum. Arelato depositio S. Hilarii episcopi et confessoris. Autissiodero passio S. Juviniani lectoris. Vienna B. Nicetii episcopi venerabilis sanctitatis viri.

Obiit Frodo archipresbyter et canonicus litteris bene eruditus.

Pridie Nonas Maii. Romæ S. Johannis apostoli et evangelistæ, quando ante portam Latinam in ferventis olei dolio missus est. Antiochia natale S. Evodii episcopi et martyris. Eodem die B. Lucii Cyrenensis episcopi, et alibi sanctorum martyrum Helyodori, Venusti, Postumii, Maximi, Niceti, cum aliis LXXII. Autissiodero depositio SS. Valerii et Valeriani episcoporum et confessorum.

Eodem die Mediolano ordinatio domni Humbaldi episcopi, et obitus magistri Guidonis canonici sancti Stephani et archiclavi, qui dedit ecclesiæ nostræ ex libris suis passionales duos, antiphonarium, gradale, hymnarium et psalterium optimum.

Nonas Maii. Apud Terracinam Campaniæ urbem natale beatæ Domitillæ virginis et martyris cum aliis virginibus martyrio coronatis. Eodem die natale sanctorum Nerei et Achillei eunuchorum. Trecas sanctæ Mastidiæ virginis. Ipso die apud Nicomediam passio sanctorum Flavii, Augusti et Augustini fratrum.

Ipso die Ilgerius hujus ecclesiæ venerabilis præpositus, speculum et forma clericorum, tandem monachalem suscipiens habitum, mortem perdidit et vitam invenit. Hic autem ut in anniversario Humbaudi episcopi avunculi sui fratribus refectio exhiberetur, molendinum quod apud Agligniacum de suo proprio fecit, huic ecclesiæ donavit. Multis etiam ornamentis ecclesiam istam decoravit sacerdotalibus, scilicet vestimentum diaconorum et subdiaconorum. Dedit etiam calicem argenteum, canulas argenteas et cappam de pallio optimam, missale et breviarium, et multos alios libros. Inter etiam multa beneficia quæ huic ecclesiæ fecit, dedit super altare quinque operimenta linea venerabiliter operata. Portas autem principales istius ecclesiæ fecit, in quarum operatione CCC *solidos donavit, medietatem quoque terræ de* Albex, *quam a Gaufrido Rufo emit, et molendinum quod ædificavit in villa quæ dicitur* Molins, *ad refectionem in die anniversarii sui singulis annis fratribus exhibendam donavit. Eodem die obiit Hugo Nivernensis episcopus, hujus ecclesiæ canonicus.*

VIII Idus Maii. Mediolano natale sancti Victoris martyris. Autissiodero depositio sancti Eladii episcopi et confessoris. In Santonico [*f.* Nannetico] Vertavense monasterio depositio sancti Martini presbyteri et confessoris. Romæ Benedicti papæ. In territurio Bituricæ civitatis monasterio Silviniaco depositio S. Desiderati confessoris.

VII Idus Maii. In Persida sanctorum martyrum CCCX. Castro Vindocino natale Beati confessoris, cujus gesta habentur. Constantinopoli natale sancti Timothei.

VI Idus Maii. Obitus Job prophetæ. Romæ Via Latina in cimiterio ejusdem natale sanctorum martyrum Gordiani et Epimachi cum aliis multis. Item Romæ Calepodii episcopi et martyris. Item Romæ ad Centum aulas [*f.* Centumcellas] Quarti et Quinti.

V Idus Maii. Romæ Via Salaria natale beati Antimi presbyteri et martyris et S. Pontii. Vienna natale sancti Mamerti. Silviniaco natale S. Maioli abbatis. Eodem die passio S. Gengulfi martyris.

Obiit Wibertus laicus et Dutinus puer, qui dederunt nobis mansinile cum vinea in valle juxta

Matriacum. Ipso die obiit Landricus comes.

IV Idus Maii. Romæ in cimiterio Prætextati natale sanctorum martyrum Nerei et Achillei fratrum. Item, Romæ via Aurelia natale S. Pancratii martyris. Eodem die beati Dionysii patrui ejusdem beati Pancratii. Apud Cyprum sancti Epiphanii episcopi et confessoris.

Obierunt Hugo abbas et Wigbaldus episcopus, qui dedit fratribus XII *mansos in Chichiriaco per præceptum regis. Item Hermengardis comitissa obiit.*

III Idus Maii. Romæ sanctæ Mariæ ad Martyres dedicationis dies agitur a Bonifacio papa institutus. Tungrensis ecclesiæ depositio S. Servatii episcopi et confessoris, et alibi beati Mitrii presbyteri et confessoris. Autissiodero depositio S. Marcelliani episcopi et confessoris.

Pridie Idus Maii. In civitate Cymela natale S. Pontii martyris. In Syria natale sancti Victoris et S. Coronæ, qui simul passi sunt. Ipso die natale S. Pachomii patris nostri. Eodem die passio S. Bonifacii martyris, qui Nonas Junias Romæ sepultus est, quando et celebrior ejus dies agitur.

Obiit Letardus presbyter, qui dedit fratribus quæcumque habere visus est in pago Senonico, in villa quæ dicitur Bagnentiis, et in pago Autissiodorensi in villa quæ dicitur Molendinis, ad sui memoriam recolendam.

Idus Maii. Natale sanctorum confessorum Torquati, Tisefontis, Secundi, Indaletii, Cecilii, Esicii, Eufrasii, qui Romæ a sanctis apostolis episcopi sunt ordinati. Apud insulam Chium natale S. Hysidori martyris. Lomosaco natale sanctorum Petri, Pauli, Andreæ et Dionysiæ, quorum miræ passiones leguntur. Augustiduno natale S. Tetrici episcopi.

XVII Kalendas Junii. Autissiodero vico Baugiaco passio S. Peregrini episcopi primi civitatis ipsius. In pago Tricassino sancti Fidoli episcopi et confessoris. Et alibi natale sanctorum Aquilini et Victoriani, quorum gesta habentur. In pago Foro-Julensi vico qui vocatur Calidianus, natale S. Maximæ virginis. In Provincia civitate Aquis sancti Mitrasii martyris.

Eodem die domnus Rikardus episcopus viam universæ carnis est ingressus. Eodem die obiit Fulco sancti Amatoris canonicus et sacerdos, qui pro salute animæ suæ domum suam Petrinam fratribus dedit.

XVI Kal. Junii. Apud Hierapolim beati Papiæ antistitis. In Tuscia depositio corporis Torpetis martyris, qui V Kalendas Maii martyrium complevit, sed festivitas ejus hoc die celebrior agitur. In Alexandria Victoris.

Obiit Gauzelmus sanctæ Lingonensis ecclesiæ episcopus.

XV Kalend. Junii. Apud Ægyptum sancti Dioscori lectoris et martyris. Ipso die natale sancti Felicis episcopi et martyris. Autissiodero exceptio reliquiarum sanctæ Eugeniæ virginis et martyris.

XIV Kalendas Junii. Romæ natale S. Potentianæ virginis et martyris et S. Pudentis patris ejus. Item Romæ natale sanctorum martyrum Calocerii et Partheni eunuchorum uxoris Decii imperatoris. In Africa natale SS. Quinti, Primuli, Salusti, Fortunati, Domnionis.

XIII Kalendas Jun. Romæ via Salaria natale S. Basillæ virginis et martyris. In Galliis civitate Nemauso natale S. Baudelii martyris. Bituricas natale S. Austregesili episcopi et confessoris. Autissiodero in basilica S. Germani dedicatio subteriarum cryptarum, et in occidentali parte ejusdem ecclesiæ consecratio oratorii S. Joannis Baptistæ.

XII Kalend. Jun. In Mauritania natale sanctorum martyrum Timothei, Poli et Eutichii diaconi. Autissioderi natale sancti Valis confessoris.

Obiit Ricco sacerdos, qui omne alodum suum, quod in Montiniaco possederat, cum areis infra civitatem sitis, dedit canonicis S. Stephani pro obtinenda peccatorum suorum remissione, et ut in obitus sui die optima exhibeatur refectio eisdem fratribus.

XI Kalendas Junii. In Africa natale sanctorum martyrum Casti et Emili. Autissiodero S. Helenæ virginis, cujus actus præclari in gestis S. Amatoris continentur. Apud Corsicam passio S. Juliæ, quæ crucis supplicio coronata est. Item, Autissiodero depositio S. Romani monachi et confessoris, sanctique Benedicti discipuli.

Eodem die Hludovicus juvenis rex obiit, et Heldradus miles S. Stephani.

X Kalend. Jun. Apud Lingones passio sancti Desiderii episcopi. Vigenna passio sancti Desiderii episcopi, qui passus est in territurio Lugdunensi.

Obiit Ablenus levita, qui dedit in pago Senonico in villa Juliaco canonicis S. Stephani patrimonium suum pro obtinenda peccatorum suorum remissione, et ut in die obitus sui eisdem fratribus optima exhibeatur refectio. Ipso die obiit Walo sacerdos atque decanus S. Petri.

IX Kalendas Junii. In Portu Romano natale S. Vincentii martyris. Et alibi natale S. Manahen et beatissimæ Johannæ. In Galliis civitate Nannetis natale sanctorum martyrum Donatiani et Rogatiani fratrum.

Obiit Legerius levita et canonicus, qui a Jerosolymis revertendo in mari sepulturam habuit.

VIII Kalendas Jun. Romæ natale S. Urbani papæ et martyris. Mediolano natale S. Dionysii episcopi et confessoris. In territurio Tricassino S. Leonis monachi et confessoris. Et alibi sanctorum quatuor martyrum.

VII Kalendas Jun. Apud Athenas B. Quadrati episcopi discipuli apostolorum. In Britannia natale S. Augustini episcopi et confessoris. Item, Quadrati martyris. In territurio Autissiodorensi loco Quotiaco passio S. Prisci martyris cum ingenti multitudine. Romæ SS. martyrum XXIII.

VI Kalendas Jun. Mesia civitate Dorostrensi natale S. Julii martyris. Civitate Arausica natale S. Eutropii episcopi et confessoris. In territurio Adartensi S. Ragnulfi martyris.

V Kalendas Junii. Romæ natale S. Johannis papæ et martyris. Apud Parisium transitus sancti Germani episcopi et confessoris. Apud Carnotum civitatem passio S. Carauni. In Sardinia SS. Emili, Felicis, Priami, Luciani.

Obiit Walo levita et canonicus et postea monachus effectus.

IV Kal. Jun. Romæ via Aurelia natale S. Restituti. Via Tyburtina natale septem germanorum. Treviris B. Maximini episcopi et confessoris. Iconio civitate natale S. Coronis martyris. Eodem die natale SS. martyrum Sisinnii, Martyrii atque Alexandri.

Obiit Frotmundus miles S. Stephani, et postea monachus S. Benedicti. Ipso die est interfectus comes Raynaldus.

III Kal. Jun. Romæ via Aurelia natale S. Felicis papæ et martyris. Turribus Sardiniæ natale SS. martyrum Gabini et Crispuli. Antiochia natale SS. Isitii et Palatini, qui multa tormenta passi sunt. Ipso die natale S. Hucberti Tungrensis episcopi.

Pridie Kalend. Jun. Romæ depositio S. Petronillæ virginis, quæ fuit filia beati Petri apostoli. Eodem die apud Aquileam Cantii, Cantiani et Cantianillæ fratrum. Turribus Sardiniæ natale S. Crescentiani.

Eodem die obiit Elizabeth femina, pro cujus anima Obertus miles vir ejus ecclesiæ S. Stephani, duas olchas in Crevenno villa sitas, dedit ad sui memoriam recolendam.

JUNIUS.

Kalendas Junii. Romæ dedicatio S. Nichomedis martyris, cujus martyrium XVII Kalendas Octobris ibidem celebratur. Augustiduno SS. Riviriani episcopi et Pauli presbyteri, cum aliis X martyrum. Apud Cæsaream Palæstinæ natale S. Pamphili presbyteri et martyris. Ipso die S. Caprasii abbatis monasterio Lirinensis. Vigenna Eladii episcopi et confessoris.

IV Nonas Jun. Romæ in cimiterio inter duas lauros via Lavicana Marcellini presbyteri et Petri exorcistæ. Ipso die Lugduno passio S. Blandinæ virginis cum XLVIII martyribus, qui sunt in territurio Autissioderensi delati vico Bacernensi a beata Balbina.

III Nonas Jun. Apud Auretium civitatem Tusciæ natale SS. martyrum Pergentini et Laurentini fratrum. Item in Campania B. Erasmi episcopi et martyris. In territurio Aurelianensi vico Maiduno depositio S. Lifardi presbyteri et confessoris.

Pridie Nonas Junii. Romæ in cimiterio Catacumbis via Appia natale SS. Aretii, Datiani. Apud Hilliricum civitatem Scisciam natale S. Quirini episcopi et martyris.

Obiit Alto canonicus, qui dedit fratribus in pago Autissioderensi, in villa quæ dicitur Posiacus, de vinea in unum continentes plus minus arpennos V. *Eodem die Stephanus de Casellis obiit, pro cujus anima Johannes ejus filius illam partem, quam in Casellis habere videbatur, per manum Innocentii papæ et Willelmi comitis, canonicis hujus ecclesiæ Domino Deo servientibus dimisit : et in Nanto villa tres arpennos de terra arabili octoque denarios de censu pro anima atris suæ, prope murum civitatis.*

Nonas Junii. Apud Ægyptum natale SS. martyrum Marciani, Nicandri et Apollonii, quorum gesta habentur. Apud Tharsum civitatem natale S. Bonifacii martyris. Item Bonifacii episcopi et martyris, qui de Britannis veniens, in Frisia passus est.

Ipsa die obiit Theobaldus miles.

VIII Idus Junii. Apud Cæsaream depositio S. Philippi diaconi, qui fuit unus de VII diaconibus. Romæ sanctorum martyrum Artenii cum uxore sua Candida et filia Paulina. Apud Antiochiam S. Asclepiadis episcopi et confessoris.

VII Idus Junii. Constantinopolim natale S. Pauli episcopi et martyris. Corduba SS. martyrum Petri presbyteri, Aventii, Hieremiæ et aliorum trium quorum gesta habentur.

Obiit Letericus subdiaconus, qui dedit fratribus alodum suum in Adrebleto villa.

VI Idus Junii. In Galliis Suessione civitate natale S. Medardi episcopi et confessoris. Eodem die depositio S. Godardi Rotomagensis episcopi, fratris ejusdem sancti Medardi, quos ferunt una die natos, una eademque die episcopos ordinatos, similiter quoque una die ab hac die subtractos. In Dorostoro civitate sancti Marci episcopi.

V Idus Junii. Romæ in monte Cœlio natale SS. martyrum Primi et Feliciani. In Scotia S. Columbæ presbyteri et confessoris. In Galliis civitate Agenno loco Pompeiaco passio S. Vincetii levitæ et martyris.

IV Idus Junii. Romæ via Aurelia natale S. Basilidis martyris et aliorum XXII martyrum. Autissiodero depositio S. Censurii episcopi et confessoris. Eodem die beati Gestulii martyris.

III Idus Junii. In India natale S. Barnabæ apostoli. Apud Corinthum natale S. Sostenes discipuli S. Pauli. In Aquileia SS. martyrum Felicis et Fortunati. Romæ Salutaria vetere natale sanctæ Basillæ.

Pridie Idus Junii. Mediolano inventio et translatio corporum sanctorum martyrum Nazarii et Celsi, quorum inventio pridie Idus Junii, martyrium V Kalendas Augustas celebratur : commemoratio tamen eorum publica et celebris in die sanctorum martyrum Prothasii et Gervasii celebrius excolitur. Et alibi SS. martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris : sed et Nazarii et Celsi, quos duos passos fuisse apud Ebredunensem urbem antiquitas memorando celebrat. Romæ via Aurelia SS. Tripuli, Magdaletis, Zabini, Donatellæ et Secundæ.

Idus Junii. Romæ natale sanctæ Feliculæ virginis

et martyris. Corduba civitate natale S. Fandilæ presbyteri et martyris. In Africa SS. Luciani, Fortunati, Crescentiani et Teclæ.

XVIII Kal. Jul. Suessionis civitate passio SS. martyrum Valerii et Rufi, qui Romæ quidem orti, sed in Gallia glorioso sunt martyrio coronati. Et alibi Helizei prophetæ. In civitate Aurelianis translatio corporis S. Aniani episcopi et liberatio civitatis ipsius a Chunis. In Africa SS. Quintiani, Theodolæ, Festivæ et Cantianellæ.

Obiit iterius monachus doctor eximius.

XVII Kal. Jul. Apud Siciliam natale SS. martyrum Viti, Modesti et Crescentiæ. Eodem die apud civitatem Dorostro natale S. Esitii militaris et martyris. In Aquileia SS. Cantiani, Proti, Marci, Clementis.

Obierunt Umbaldus et uxor sua Ingelsindis, qui dederunt fratribus in Alnedo villa alodum suum. Ipso die Robertus rex in bello occisus est.

XVI Kal. Jul. Apud Antiochiam natale SS. martyrum Cyrici et Julitæ matris ejus et aliorum CCCCIV. Civitate Vinsontionensi natale SS. martyrum Ferreoli presbyteri et Ferrutionis diaconi. Civitate Nannetis S. Similiani episcopi et confessoris. Madriaco villa S. Felicis martyris.

Obiit Hugo comes.

XV Kal. Jul. Romæ natale SS. martyrum CCLII. Aurelianis depositio B. Aviti presbyteri et confessoris. Et in monasterio qui Aurea nuncupatur, depositio S. Wlmari confessoris.

XIV Kal. Jul. Romæ via Ardeatina natale SS. martyrum Marci et Marcelliani fratrum. In Hispaniis civitate Malacha SS. martyrum Cyriaci et Paulæ virginis. Alexandria natale S. Marinæ virginis.

Obiit Adhelardus sacerdos, qui dedit pro amore vitæ æternæ in Montiniaco alodum suum canonicis S. Stephani, et in civitate Autissiodero aream in qua degebat.

XIII Kal. Jul. Mediolano natale SS. martyrum Gervasii et Prothasii, et commemoratio SS. Nazarii et Celsi. Ravennæ natale S. Ursicini martyris.

Obiit Æia mulier bona.

XII Kal. Jul. Romæ depositio S. Novati fratris Timothei presbyteri, qui a beatis apostolis eruditi sunt. Ravenna Crispuli et Vitalis martyris. In Thomis civitate sanctorum Paul'i, Cyriaci, Paulæ, Feliciæ, Thomæ, Felicis.

Obiit Hludovicus imperator. Ipsa die obiit Ingrannus et Elizabeth uxor ejus, pro quorum memoria Milo filius eorum dedit canonicis S. Stephani XII *nummos in censu.*

XI Kal. Jul. Apud Siciliam civitate Syracusana natale SS. martyrum Rufini et Martiæ. Romæ sanctæ Demetriæ virginis. In Cæsarea civitate natale S. Eusebii istoriographi.

X Kal. Jul. Natale S. Albani martyris cum aliis DCCCLXXXVIII. In civitate Nola Campaniæ natale S. Paulini episcopi et confessoris. Ipso die B. Nicei Romatianæ civitatis episcopi.

IX Kal. Julii. Vigilia S. Johannis Baptistæ. Eodem die S. Johannis presbyteri et martyris via Salaria veteri sepulti. Apud Britanniam Ediltrudis virginis et reginæ.

VIII Kal. Jul. Nativitas beati Johannis Baptistæ. Augustiduno depositio S. Simplicii episcopi et confessoris. Romæ in cimiterio Gaudenti, sanctorum Felicis, Emeritæ.

VII Kal. Julii. Natale S. Sosipatris discipuli Pauli apostoli. Alexandria Gallicani martyris. Romæ via Salutaria [*l.* Salaria] natale S. Luceiæ virginis et martyris cum aliis XXII simul et Aceiæ regis barbari. Apud Cretam S. Philippi Gortianensis episcopi.

VI Kal. Jul. Natale SS. martyrum fratrum Johannis et Pauli, quorum primus præpositus, secundus fuit primicerius Constantiæ virginis filiæ Constantini. In Africa Gaudenti, Felicis, Emitæ.

Obiit Leotericus Senonensis archiepiscopus.

V Kal. Julii. Apud Galatiam B. Crescentii discipuli Pauli apostoli. Tiburtina urbe Italiæ natale sanctæ.... cum septem filiis martyrizatæ. Cordubæ Hispaniis natale SS. Zoili et aliorum X et IX. Cartagini sanctæ Guddenæ virginis et martyris. Oia monasterio S. Florentii confessoris.

Obiit Johannes sacerdos et canonicus, qui ad missas celebrandas dedit pro redemtione animæ suæ vestimenta sacerdotalia et calicem argenteum, et fratribus XXII *solidos censuales, ut eis refectio communis exhiberetur. Præterea dedit ecclesiæ domum suam. Item obiit Galo laicus, qui omne patrimonium suum quod habebat in pago Tornetrensi in Villari-villa pro amore vitæ æternæ fratribus dedit ob sui memoriam faciendam.*

IV Kal. Julii. Vigilia apostolorum Petri et Pauli. Ipso die natale S. Leonis papæ et confessoris. Lugduno Galliæ S. Hyrenei episcopi et martyris, et aliorum VII.

III Kal. Jul. Romæ natale sanctorum apostolorum Petri et Pauli, qui passi sunt sub Nerone, Basso et Tusco consulibus. In eadem urbe via Aurelia sanctorum martyrum nongintorum septuaginta septem.

Pridie Kal. Jul. Natale et celebratio iterum beati Pauli apostoli. Item beatissimæ Lucinæ apostolorum discipulæ. Lemovicas natale S. Martialis episcopi et confessoris. Ipso die sanctorum Corsici presbyteri et Leonis subdiaconi. In territurio Vivariensi S. Hostiani presbyteri et confessoris.

Eodem die obiit Andreas miles Jerosolymis sepultus.

JULIUS.

Kalendas Julii. In monte Hor depositio Aaron sacerdotis primi. In territurio Lugdunensi depositio beatissimi Domitiani abbatis. Eodem die Aninsulæ monasterio natale S. Carelefphi presbyteri et confessoris. Turonis natale S. Monegundis virginis. Civitate Engolisma depositio S. Ebarchii episc. et

conf. In territurio Remensi S. Theoderici presbyteri et confessoris. In territurio Cameracensi Portu, qui Valentianas nuncupatur, natale S. Salvii martyris. Augustiduno depositio Leonti episcopi et confessoris.

Obiit Rainardus miles. Item obiit Jonas levita et canonicus, qui dedit ad restaurationem librorum hujus ecclesiæ XL *solidos.*

VI Nonas Julii. Romæ natale SS. martyrum Processi et Martiniani, qui a beatissimis Petro et Paulo baptizati et instructi sunt. Et in eadem urbe natale S. Eutici et Melchiadis papæ.

V Nonas Jul. Apud Edissam Mesopotamiæ passio S. Thomæ apostoli, qui translatus est XII Kalendas Januarii quando celebrior dies agitur. Constantinopolim natale S. Eulogii. Laodicia S. Anatholii episcopi et confessoris. Apud Neocæsariam Ponti beati Gregorii episcopi et beati Athenodori fratris episcopi. Sepones S. Sydronii martyris.

IV Nonas Jul. Oseæ et Aggei prophetarum. Turonis translatio S. Martini episcopi et confessoris, et ordinatio episcopatus ipsius. In Africa natale S. Jocundiani martyris. In territurio Bituricæ civitatis, vico Vesteno, natale S. Lauriani martyris. In Sirmia natale SS. Innocentii, Sabbatiæ cum aliis XXX.

III Nonas Jul. Apud Syriam natale S. Domitii martyris. Romæ natale sanctæ Zoæ martyris uxoris beati Nicostrati. In Alexandria S. Arpotis.

Pridie nonas Julii. Oseæ et Johel prophetarum, et octavæ apostolorum. Romæ natale S. Tranquillini martyris patris martyrum Marci et Marcelliani, qui ad prædicationem beati Sebastiani credidit Christum. In pago Threcarensi natale sancti Gotharis presbyteri et confessoris. Augustiduno depositio Legonti episcopi et confessoris.

Nonas Julii. Apud Alexandriam natale S. Pantheni viri apostolici. Romæ SS. martyrum Nicostrati, Claudii, Castorii, Victorini, Symphoriani, quos beatus Sebastianus credere Christum docuit, et S. Polycarpus presbyter baptizavit.

Obiit Angilelmus episcopus, qui dedit villam, cui Pulverenus nomen est, fratrum canonicorum scilicet stipendiis. Res etiam quæ ex jure proprio ei cesserant tam in Biliaco, quam in Annau cum servientibus, eorumdem usibus delegavit.

VIII Idus Julii. Apud Asiam S. Aquilæ et Priscillæ, de quibus in Actibus apostolorum scribitur. In Palæstina natale S. Procopii martyris. Apud Eracleam SS. Johannis et Apri. Ipso die S. Ceciliani martyris.

VII Idus Julii. Romæ ad Guttam jugiter manantem natale S. Zenonis et aliorum decem millium ducentorum trium. Eodem die beati Cyrilli episcopi et martyris. In civitate Tyriæ natale S. Anatholiæ martyris, et S. Audatis martyris. In civitate Martulana natale S. Briccii episcopi et confessoris.

Eodem die depositio S. Patris nostri Effrem diaconi. Senones sancti Eraclii episcopi.

Obiit Odo sancti Dionysii monachus.

VI Idus Julii. Romæ natale SS. martyrum septem fratrum filiorum S. Felicitatis, id est, Januarii, Felicis, Philippi, Alexandri, Vitalis, Silvani, Martialis. In Africa natale SS. martyrum Januarii, Marini, Naboris et Felicis. Item, Romæ natale SS. virginum Rufinæ et Secundæ sororum et martyrum. Apud Ephesium in monte Cœlio depositio septem Dormientium, quorum nomina hæc sunt: Maximianus, Malcus, Martianus, Dionysius, Johannes, Serapion, Constantinus.

V Idus Julii. Translatio corporis S. Benedicti abbatis In Armenia minore civitate Nicopoli natale SS. martyrum Januarii et Pelagiæ. In territurio Pictavensi natale S. Savini confessoris. Hic fuit ex discipulis sancti Germani Autissiodorensis episcopi.

IV Idus Julii. Apud Aquileiam natale S. Hermogaræ episcopi et martyris, discipuli S. Marci Evangelistæ. Apud Cyprum natale beati Vasonis antiqui Christi discipuli. Mediolano translatio corporum SS. martyrum Naboris et Felicis. Romæ in Vaticano S. Pii papæ. (*Recenti manu.* Exceptio reliquiarum S. Amatoris.)

III Idus Julii. Natale S. Silæ apostoli, adjutoris beati Pauli apostoli. In Africa natale SS. confessorum Eugenii Cartaginensis episcopi et universi cleri ejusdem ecclesiæ, qui cæde inediaque mactati fere quingenti vel amplius fuerunt. In Britannia minori natale S. Thuriavi episcopi et confessoris. In Anthiochia passio S. Margaritæ virginis. In Alexandria Serapionis et Trophimi.

Pridie Idus Julii. Romæ natale S. Anacleti papæ. Apud Pontum natale S. Focæ episcopi et martyris. Alexandria depositio S. Eracleæ antistitis. Lugduno Galliæ S. Justi episcopi et confessoris.

Obiit Gualdricus levita et canonicus sancti Stephani et abbas sancti Eusebii.

Idus Julii in Alexandria SS. Philippi, Zenonis, Narsei, et decem Infantum. Nisibi natale S. Jacobi episcopi et magnæ virtutis viri. Cartagine SS. Catulini diaconi, Januarii, Florentii, Juliæ et Justæ, qui sunt positi in basilica Fausti. Hierosolymis divisio XII apostolorum ad prædicandum.

Obiit Jonas sacerdos et canonicus almi Stephani complens præsentis vitæ debitum, ovanter emisit spiritum.

XVII Kalend. Augusti. In civitate Hostia natale S. Hilarini martyris. Apud Antiochiam Syriæ natale S. Eustachii episcopi et confessoris. Et alibi SS. Valentini, Theoni et Dyocletis.

XVI Kalend. Aug. In Cartagine natale SS. martyrum Schillitanorum numero XII Autissiodero depositio B. Theodosii episcopi et confessoris.

XV Kalend. Aug. Romæ passio septem germanorum Petri, Marcelliani, Dionysii, Januarii, Symphro-

nii, Clementis et Hyrenei. Civitate Mettis natale S. Arnulfi episcopi et confessoris.

XIV Kalend. Aug. Apud civitatem Colossis natale beati Epafræ episcopi et martyris. Apud Hispaniam Hispali civitate natale SS. Justæ et Rufinæ martyrio coronatarum. Eodem die natale S. patris nostri Arsenii monachi et confessoris, qui propter abundantiam lacrymarum sudarium in sinu semper ferebat. Lugduno Galliæ sancti Rustici presbyteri et confessoris.

XIII Kal. Aug. Natale S. Joseph, qui cognominatus est Justus. Civitate Corduba natale S. Pauli diaconi et martyris. In Thebaïda S. Victoris. Apud Damascum SS. martyrum Sabini, Maximini, cum aliis XIV. Autissiodero S. Marini presbyteri.

XII Kalend. Aug. Obitus Danihelis prophetæ. Romæ natale S. Praxidis virginis. In civitate Marsilia natale S. Victoris martyris. Passi sunt autem cum eo tres milites, Alexander, Felicianus et Longinus. Trecas passio S. Juliæ virginis.

Ipso die obiit Robertus rex Franciæ.

XI Kalend. Aug. Natale S. Mariæ Magdalenæ, de qua, ut Evangelium refert, septem dæmonia ejecit Dominus. Ancyra Galatiæ natale S. Platonis martyris. Cœnobio Fontenella depositio S. Wandregesili confessoris et abbatis.

X Kalend. Aug. Apud Ravennam natale S. Apollinaris episcopi et martyris. Hic Romæ ordinatus a beato Petro apostolo Ravennam directus est, ibique passus.

IX Kalendas Aug. Apud Hemeritam Hispaniæ civitatem natale S. Victoris martyris cum duobus fratribus. In Italia civitate Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale S. Christinæ virginis et martyris. Eodem die natale SS. Nicetæ et Aquilæ, quæ martyrii palmam capitis abscissione meruerunt.

VIII Kalendas Augusti. Natale beati Jacobi apostoli fratris Johannis evangelistæ, quem decollavit Herodes. In Licia civitate Samon natale S. Christophori martyris. Civitate Barcinona passio S. Cucuphatis. Romæ Nemesii diaconi et martyris.

VII Kalend. Aug. Natale beati Herasti, qui Philippis a beato Paulo apostolo ordinatus, ibi martyrio coronatus quievit. Romæ in Porto natale S. Jacincti martyris. Item Romæ via Latina sanctorum martyrum Symphronii, Olympii, Theodoli et Exuperiæ.

VI Kalend. Aug. Apud Nicomediam civitatem natale S. Hermelagi presbyteri et martyris, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem conversus est. Et alibi natale sanctorum XII, quorum gesta habentur. In Sicilia beati Simeonis monachi. Autissioderi beati Hethereii episcopi et confessoris.

V Kalend. Aug. Nicomedia passio S. Pantaleonis. Britannia minore, Dolo S. Samsonis episcopi et confessoris. Mediolano passio SS. Nazarii et Celsi, quorum passiones annotatæ sunt II Idus Junii, quando sacra corpora eorum inventa sunt.

Obiit domnus Gerannus episcopus. Ipso die Hacardus abbas sancti Germani ab hac vita sublatus est.

IV Kalend. Aug. Romæ via Aurelia translatio corporis beati Felicis episcopi et martyris, qui IV Idus Novembris martyrio coronatus est. Eodem die sanctorum martyrum Simplicii, Faustini et S. Beatricis martyris sororis eorum. Trecas depositio S. Lupi episcopi et confessoris. Item Romæ natale B. Seraphiæ virginis et martyris, cujus celebrior dies agitur III Nonas Septembris.

Ragenaldus hujus ecclesiæ... eodem die Senonis pugnando interfectus est. Eodem die Philippus rex Francorum obiit.

III Kalend. Aug. Romæ SS. martyrum Abdon et Sennen V Kalendas Augusti martyrizatorum, et III Kalendas ejusdem mensis sepultorum. Apud Africam civitatem Lucernariam natale SS. virginum et martyrum Maximæ, Donatillæ et Secundæ. Autissiodero depositio S. Ursi episcopi et confessoris.

Pridie Kalend. Aug. Apud Ravennam Italiæ civitatem transitus S. Germani episcopi Autissiodorensis. Apud Cæsaream sancti Fabii martyris.

Eodem die Ludovicus rex Franciæ obiit.

AUGUSTUS.

Kalendas Augusti. Romæ S. Petrum ad vincula. In Antiochia passio SS. Machabæorum septem fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho rege. In Italia Vercellis civitate natale S. Eusebii episcopi et martyris. Civitate Philadelphia SS. martyrum septem una die coronatorum. Gerunda civitate natale S. Felicis præcipui martyris. Romæ SS. virginum et martyrum Spei, Fidei et Caritatis, et matris earum Sapientiæ.

IV Nonas Aug. Romæ in cimiterio Calisti via Appia natale sancti Stephani papæ et martyris. In provincia Bithinia urbe Nicæa natale S. Theodotæ cum tribus filiis suis martyrizatæ. Et in Italia civitate Verona natale S. Felicis. Et alibi natale sancti Niceti.

III Nonas Aug. Hierosolymis inventio corporis beati Stephani protomartyris Christi, et SS. Gamalihelis, Nicodemi et Abibon. Romæ via Appia natale S. Tharsitii martyris. Augustiduno depositio Eufroni episcopi et confessoris.

Pridie Nonas Augusti. Romæ ad S. Laurentium natale S. Justini presbyteri. Eodem die beati Aristarchi discipuli S. Pauli apostoli, qui fuit Thessalonicensium episcopus. Romæ in crypta Arenaria beati Tertulliani martyris.

Obiit Henricus rex Francorum. Eodem die Gaufridus comes Cabilonensis, hujus ecclesiæ casatus, apud castrum suum Donziacum monachus factus obiit.

Nonas Augusti. Augustiduno natale S. Cassiani episcopi. Catalaunis natale S. Memmii episcopi. Eodem die natale S. Hoswaldi Anglorum regis et martyris.

Eodem die Hugo sancti Stephani præpositus in

via Hierosolymitana sepulturæ traditus est. Eodem die Ruinaldus Willelmi comitis filius interfectus est.

VIII Idus Aug. Transfiguratio Domini in monte. Romæ natale S. Sixti episcopi et martyris, cum quo passi sunt Felicissimus et Agapitus diacones, et alii quator, id est Januarius, Magnus, Vincentius et Stephanus subdiaconus, ac beatus Quartus cum eis, ut scribit S. Cyprianus. Item Romæ S. Ormisdæ papæ.

Obiit Maurinus episcopus, qui dedit stipendiis fratrum agellum proprietatis suæ, cujus vocabulum est Villare, non longe a Varziaco.

VII Idus Augusti. Apud Tusciam civitate Aritia natale S. Donati episcopi et martyris. Apud Mediolanum S. Faustini. Romæ passio sanctorum XXVIII. Apud Cretam civitate Augusta passio S. Affræ.

Obiit Ermenfredus præpositus, qui dedit fratribus prædium suum super fluvium Baleæ, et in Capiliaco et in pago Senonico et in Basau ad sui memoriam celebrandam.

VI Idus Augusti. Romæ S. Cyriaci martyris sociorumque ejus, qui passus est XVII Kalendas Aprilis : sed postea beatus Marcellus episcopus una cum beatissima Lucina transtulit in prædium suum sacrum corpus ejus, pariterque XXII sociorum ejus, manu sua recondidit cum aromatibus VIII die mensis Augusti, quando et celebrem ejus festivitatem statuit. Viennæ S. Severi presbyteri.

Eodem die obiit Heriveus Nivernensis episcopus hujus ecclesiæ canonicus. Item obiit Ato miles, pro cujus anima Humbaudus frater ejus terram Lonniaci quam tenebat, canonicis S. Stephani reliquit.

V Idus Augusti. Romæ S. Romani militis, qui confessione S. Laurentii compunctus, baptizatus martyrizatus est. Ipso die vigilia S. Laurentii archidiaconi et martyris.

Obiit Salomon canonicus et decanus sancti Stephani.

IV Idus Augusti. Romæ natale S. Laurentii diaconi et martyris. Item Romæ militum centum sexaginta quinque.

III Idus Augusti. Romæ via Lavicana inter duas lauros natale S. Tiburtii martyris. Item Romæ natale S. Susannæ virginis et martyris. Cameraco natale S. Gaugerici episcopi et confessoris. In civitate Ebroicas natale S. Taurini episcopi.

Obiit Hugo hujus ecclesiæ venerabilis episcopus, quem vitæ sanctitas et morum probitas decoravit, et quam pie et religiose vixerit, hujus vitæ exitus satis comprobavit. Qui ob amorem Dei et sui memoriam singulis annis recolendam, ecclesiam Ausiaci ad refectionem fratrum in die anniversarii sui huic ecclesiæ donavit. Dedit etiam eidem alias ecclesias, ecclesiam scilicet Bacernæ et S. Briccii, et Induniaci, et Veniosæ, et decimas Visiaci. Præterea ipsam ecclesiam multis cappis de pallio, et duobus tapetis, et multis sacerdotalibus indumentis, et aliis ornamentis ipse dives ditavit.

Pridie Idus Augusti. In Sicilia civitate Cathena natale S. Eupli diaconi et martyris. Eodem die natale S. Hilariæ martyris matris S. Afræ, cum qua passæ sunt Digna, Eumenia et Euprepia. Civitate Filare passio S. Gratiliani et Felicissimæ virginis.

Obiit venerabilis memoriæ magister Gislebertus, Veteris et Novi Testamenti glossator eximius, qui Universalis merito est appellatus, hujus ecclesiæ canonicus, postmodum vero Londoniensis factus episcopus; qui præter cetera quæ ecclesiæ nostræ ex Anglia transmiserat ornamenta, octoginta et duas libras eidem ecclesiæ contulit : Fratres vero inde possessiones ementes, anniversarium ejus singulis annis celebrari devote constituerunt.

Idus Augusti. Romæ via Tyburtina natale S. Hippoliti martyris. Passa est autem Concordia nutrix ejus, et alii de domo ejus XIX. Forosillæ natale S. Cassiani martyris. Pictavis depositio S. Radegundis reginæ.

Obiit Norgaudus miles S. Stephani.

XIX Kal. Septembris. Vigilia Assumtionis S. Mariæ. Via Appia in cimiterio Calixti depositio S. Eusebii presbyteri et confessoris. Apud Aquileiam passio sanctorum Felicis et Fortunati fratrum. In Africa Demetrii cum aliis decem.

XVIII Kal. Septembris. Assumtio sanctissimæ et gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ. Eodem die natale S. Tharsitii acolythi et martyris. Et alibi S. Eusebii martyris.

XVII Kal. Septembris. In Nicæa Bithiniæ natale S. Ursatii confessoris. Romæ natale S. Serenæ uxoris Diocletiani Augusti. Autissiodero translatio Augurii et Desiderii episcoporum. In Persida natale S. Tyrsi martyris. Nivernis natale S. Arigii episcopi et confessoris.

Ipso die Odo præceptor S. Stephani præsentem finivit vitam.

XVI Kal. Septembris. In Cæsarea Cappadociæ natale S. Mammetis martyris. Apud Africam SS. martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servi et Rustici subdiaconorum, Rogati et Septimi monachorum, et Maximi pueri. Romæ octabas S. Laurentii.

XV Kalendas Septembris. Apud Prænestinam civitatem natale S. Agapiti martyris. Romæ SS. presbyterorum Johannis et Crispi. Apud Cartaginem passio SS. Massæ Candidæ, qui fere CCC fuere viri, et in clibanum calcis vehementer ardentis pro fide Christi sunt demersi, unde candidatus ille exercitus beatorum Massa Candida meruit nuncupari : Massa, propter numerum, Candida, propter meritum : quorum memoria agitur IX Kalendas Septembris. Tamen sciendum quia XV Kalendas prædicti mensis passi sunt.

Obiit Gualterius vicecomes.

XIV Kal. Septembris. Natale S. Magni seu S. Andreæ martyrum cum sociis suis duobus millibus DXCVII. In monte qui dicitur Jura S. Donati pre-

sbyteri et confessoris. Romæ beati Julii senatoris et martyris. In territurio Biturícensi natale sancti Mariani confessoris, cujus gesta habentur.

Ipso die obiit Ebrardus miles S. Stephani.

XIII Kal. Septembris. Samuelis prophetæ. Eodem die beati Porphirii hominis Dei. Herio insula in loco qui dicitur Deas, natale S. Philiberti abbatis et confessoris.

XII Kalendas Septembris. In territurio civitate Gavalitana vico Mimatensi, natale S. Privati episcopi et martyris. Eodem die natale SS. martyrum Bonosii et Maximiani, quorum gesta habentur.

Obiit Adelelmus nobilis miles et humilis. Eodem die Willelmus Nivernensis comes, Carturiæ religiosam vitam ducens sanctissime obiit.

XI Kal. Septembris. Romæ natale S. Timothei martyris, qui de Antiochia Romam venit, et sua prædicatione multos ad Christum convertit : pro quo et martyrizatus sepultus est juxta beatum Apostolum pro eo quem habuerat ejusdem nominis discipulum. Augustiduno natale S. Symphoriani martyris. Item, Romæ B. Antonii martyris, et SS. Peregrinorum martyrum Martialis, Epiterii, Saturnini cum sociis eorum.

Stephanus hujus ecclesiæ præpositus et canonicus obiit.

X Kalendas Septembris. Antiochia natale SS. martyrum Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ cum aliis XII. Alexandria beati Theonæ viri Dei. Et alibi S. Zachei episcopi et SS. martyrum Minerii, Eleazari cum filiis IX. Eodem die natale sanctorum Timothei et Apollinaris, qui apud Remensium urbem consummato martyrio cœlestia regna meruerunt. In Licea civitate Egea SS. Claudii, Asterii et Neonis, qui post acerba tormenta cruci adfixi sunt. Augustiduno depositio sancti Flaviani episcopi.

Eodem die Eribertus Autissioderensis episcopus viam universæ carnis est ingressus.

IX Kalendas Septembris. In India natale S. Bartholomæi apostoli. Apud Cartaginem commemoratio sanctorum Massæ candidæ, quorum solemnitas superius XV Kalendas Septembris annotata est. Romæ natale S. Genesii martyris. Civitate Rotomago natale S. Audoeni episcopi et confessoris. In territurio Nivernensi natale SS. confessorum Patricii abbatis et Gildardi presb.

Obiit Hugo comes.

VIII Kalendas Septembris. Romæ natale SS. martyrum Eusebii, Pontiani, Peregrini, et Vincentii. Arelato natale S. Genesii martyris proprio cruore baptizati. Civitate Compluto passio SS. Justi et Pastoris fratrum, qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt. Item, Romæ via Nomentana militum XVIII.

VII Kalendas Septembris. Romæ SS. martyrum Herenæ et Abundi. Item, Romæ natale S. Zephirini papæ. Apud Victimilium castrum Italiæ natale S. Secundi martyris. Bergamis civitate natale S. Alexandri martyris. Salona passio S. Anastasii, cujus memoria festivitatis supra notata est XII Kalendas Septembris. Autissiodero depositio S. Eleutherii episcopi.

VI Kalendas Septembris. Apud Capuam S. Rufi martyris. Arelato S. Cæsarii episcopi et confessoris. Augustiduno depositio S. Siagri episcopi et confessoris. Thomis natale SS. martyrum Marcellini tribuni, et uxoris ejus Manneæ, et filii ejus Johannis, et Serapionis clerici, et Petri militis. Eodem die passio SS. Georgii diaconi, Aurelii, Felicis, Nataliæ, et Liliosæ. Civitate Biturícas translatio corporis S. Sulpitii episcopi et confessoris.

V Kal. Septembris. Romæ passio S. Hermetis martyris. Constantinopolim natale sancti Alexandri episcopi gloriosi senis, cujus oratione Arrius divino nutu crepuit medius effusis visceribus. In civitate Ypponna natale S. Augustini episcopi et confessoris, qui spiritu divino tactus, fecit libros, tractatus, epistolas numero mille XXX, excepto quæ numerari non possunt. Santonas natale S. Bibiani episcopi et confessoris. Ipso die in Brivato vico natale sancti Juliani martyris.

Obiit Gimo miles S. Stephani.

IV Kalendas Septembris. Romæ ad arcum Faustini beatissimæ Sabinæ martyris, quæ fuit uxor præclarissimi quondam Valentini et filia Herodis Metallarii, quæ passa est Adriano imperante, sub præfecto Helpidio. Item, Romæ passio S. Seraphiæ virginis. In provincia Palæstinæ civitate. . . decollatio S. Johannis Baptistæ.

Ipsa die ordinatio domni Herefridi, qui dedit fratribus ad refectionem ipsius diei faciendam Artaldum villam, et in Lindriaco mansum unum, et in Capillaco mansum alterum, et molendinum subtus murum. In Nativitate vero S. Mariæ quando sedit primum in cathedra episcopali, dedit fratribus ecclesiam Bacernæ et Lindriacum, et Lupinum, necnon Logniacum. Gimiliacum autem dedit in natali S. Clementis. Obiit Archemboldus episcopus.

III Kalendas Septembris. Romæ via Ostiensi milliario ab Urbe beatissimorum martyrum Felicis et Audacti, ambo presbyteri. Item, Romæ Gaudentiæ virginis.

Obiit Ermembertus sacerdos, qui innocenter gladio interfectus est.

Pridie Kalendas Septembris. Treviris natale S. Paulini episcopi et confessoris. Apud Athenas B. Aristidis fide sapientiaque clarissimi. Autissiodero depositio S. Optati episcopi et confessoris. Ancira Galatiæ SS. Gaiani et Juliani.

SEPTEMBER.

Kalendas Septembris. Hiesu Nave et Gedeon prophetarum, et beatissimæ Annæ prophetissæ, quæ in evangelio legitur. Capua natale S. Prisci martyris. Senones depositio B. Lupi episcopi et confessoris. Cenomanis natale S. Victoris episcopi et

confessoris. Ipsa die transitus S. Ægidii abbatis et confessoris.

Obiit Richardus comes.

IV Nonas Septembris. Lugduno natale S. Justi episcopi et confessoris, qui migravit ad Dominum in eremo pridie Idus Octobris, et ejus sacrum corpus et B. Viatoris ministri ejus Lugdunum relatum, cum digno cultu conditum est IV Nonas Septembris. Eodem die apud præfatam urbem depositio B. Helpidii episcopi. Apud Apamiam B. Antonini martyris.

III Nonas Septembris. Natale S. Fœben, de qua Apostolus Romanis scribit : *Commendo autem vobis Fœben*, etc. Romæ commemoratio B. Seraphiæ virginis et martyris, quæ passa est IV Kalendas Augusti, sepulta pridie Kalendas Augusti, sed IV Nonas Septembris festivior dies agitur, quando locus orationis dedicatus est, et sepulcrum ejus ornatum est. Apud Capuam natale SS. martyrum Antonini pueri et Aristei episcopi.

Pridie Nonas Septembris. Moysi legislatoris. Cabilonis civitate natale S. Marcelli martyris. Et alibi natale SS. martyrum Rufini, Silvani et Vitalicæ. Romæ in cimiterio Maximi via Salutaria natale sancti Bonifacii episcopi.

Nonas Septembris. In suburbio Romæ beati Victorini martyris. Romæ in Portu natale S. Herculiani martyris. Eodem die natale S. Bertini abbatis.

Obiit Lambertus levita et doctor eximius. Ipso die Helisabeth Deo sacrata obiit.

VIII Idus Septembris. Obitus Zachariæ prophetæ, et natale S. Honesyppheri, de quo ad Timotheum scribit Apostolus : *Det misericordiam Dominus Honesyppheri domui*, et reliqua. Apud Africam beatissimorum episcoporum Donatiani, Præsidii, Mansueti, Germani, Fusculi.

VII Idus Septembris. In Galliis territurio Æduorum nuncupato loco Alesia, quæ olim fortissima civitas fuerat, sed a Julio Cæsare destructa, natale sive passio sacratissimæ Reginæ virginis. Nicomedia natale beati Johannis viri Dei. Aurelianis depositio B. Evurtii episcopi. Parisius vico Novegento sancti Clodoaldi presbyteri et confessoris.

VI Idus Septembris. Nativitas sanctæ Dei genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, quem Spiritus sanctus custodivit, et electam sanctificavit, ut ex utero illius nasceretur Homo Deus altissimus. Romæ festivitas sepulturæ S. Adriani, qui apud Nicomediam cum aliis XXIII passus est IV Nonas Martii.

Obiit Eribaldus levita et archiclavis, qui insperate ab inimicis gladio interemtus est. Eodem die Dodo sacerdos occisus est in bello. Ipso die Ingelbaldus sacerdos atque decanus S. Stephani obiit.

V Idus Septembr. Apud Nicomediam passio SS. Dorothei et Gorgonii martyrum. Eodem die Audomari Tarvanensis episcopi. Romæ natale S. Sergii papæ.

IV Idus Sept. Depositio S. Hilarii papæ. Apud Africam natale sanctorum confessorum X quorum actus gloriosi habentur. In Calcedonia natale SS. Sostenis et Victoris, qui post varia tormenta incumbentes orationi, vocati de cœlo datoque sibi invicem pacis osculo spiritum emiserunt.

Obiit Hludovicus serenissimus rex filius Karoli.

III Idus Sept. Romæ in cimiterio Basillæ natale SS. martyrum Proti et Jacinti, qui fuerunt eunuchi sanctæ Eugeniæ virginis. Lugduno Galliæ depositio S. Patientis episcopi et confessoris.

II Idus Sept. Apud Ticinum . . . pia dicitur, natale SS. confessorum Syri et Yventii, qui glorioso fine quieverunt in pace. Et in Sicilia civitate Catena S. Eupli et beati Serapionis episcopi. Augustiduno civitate S. Evanti episcopi et confessoris.

Idus Sept. Apud Ægyptum civitate Alexandria B. Philippi episcopi et martyris patris sanctæ Eugeniæ virginis. Ipso die S. Amati presbyteri et abbatis monasterii Romerici. Andegavis depositio sancti Maurilionis episcopi. Augustiduno B. Nectari episcopi.

XVIII Kal. Octobris. Exaltatio sanctæ Crucis, quando Eraclius imperator eam de Perside Hierosolymam reportavit. Romæ via Appia in cimiterio Calisti natale sancti Cornelii papæ et martyris. Passi sunt cum eo XXIII viri. Apud Africam B. Cypriani episcopi et martyris, cujus sacratissima ossa cum capite S. Pantaleonis et membris B. Sperati martyris tempore Caroli Magni Lugdunum delata honorifice tumulata sunt. Referuntur autem cum eo passi Crescentianus, Victor, Rosula et Generalis.

XVII Kal. Octob. Natale S. Nicomedis presbyteri et martyris. In territurio Cavillonense castro Trenorcio S. Valeriani martyris. Lugduno Galliæ B. Albini episcopi. Tullo natale sancti Apri episcopi et confessoris

Obierunt Dadoenus et Alfaldus presbyteri, qui dederunt alodum suum in villa Montiniaco fratribus.

XVI Kal. Octob. Civitate Calcedona natale S. Euphemiæ virginis et martyris cum aliis XLIX. Romæ natale S. Luciæ viduæ et martyris. Item, Romæ B. Geminiani martyris cum aliis LXXV.

Obiit Gofridus clarus consilio, amicus pacis et pietatis, episcopus ecclesiæ quidem suæ dignus memoria, lachrymis, et benedictionibus. Item, Guibertus miles obiit, qui in manum Humbaldi episcopi ecclesiam in Acolaco villa reliquit, annuente uxore sua et duobus filiis suis et filia.

XV. Kal. Octob. In Britanniis natale SS. Socratis et Stephani. Eodem die natale S. Lamberti Tungrensis episcopi et martyris. Cordubæ sanctorum martyrum Emiliani diaconi et Hieremiæ, quorum corpora post abscissionem capitis igne conflagrata sunt.

XIV Kal. Octob. Natale B. Methodii Olympi Liciæ et postea Tyri episcopi, qui sub Diocletiano in Calcidæ Græcia, ut scribit Hieronymus, martyrio coronatus est. Mediolano natale S. Saturi fratris

S. Ambrosii episcopi. In Alexandria natale S. Trophimi. A

XIII Kal. Octob. In Neapolim Campaniæ natale SS. martyrum Januarii Beneventanæ episcopi cum aliis VIII. In Palæstina natale SS. martyrum Pili et Nili episcoporum. Apud Nuceriam natale S. Felicis martyris et beatæ Constantiæ martyris. In territurio Lingonicæ civitatis monasterio Segestro, depositio S. Sequani presbyteri et monachi, et alibi S. Potiti martyris. In Galliis civitate Vigenna natale S. Ferreoli martyris.

XII Kal. Octob. In Cizico natale SS. martyrum Faustæ virginis et Evilasii, qui, inauditis multigenisque laniati tormentis, vocati de cœlo reddiderunt animas.

XI Kal. Octob. Natale beati Matthæi apostoli et B evangelistæ, qui primus in Judæa evangelium Christi Hebræo sermone scripsit. Postea vero apud Æthiopiam prædicans martyrium passus est. Eodem die natale S. Alexandri martyris, cui papa Damasus cryptam condignam faciens, illuc eum VI Kalendas Decembris transposuit, quando et festivitatem ejus dedicavit.

X Kal. Octob. In Galliis civitate Seduno loco Augauno seu Octodero natale SS. martyrum Thebæorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum sociis eorum sex millibus sexcentis sexaginta sex. Autissiodero adventus (seu) exceptio corporis S. Germani episcopi et confessoris ab Italia. Et in Reomau cœnobio translatio corporis sancti patris nostri beatissimi Johannis confessoris. In provincia Bajoaria natale S. Emeremni martyris atque pontificis. C

IX Kal. Octob. In Campania natale S. Sosii martyris diaconi Mesenatæ civitatis. Hic cum quoddam evangelium legeret in ecclesia præfatæ urbis, præsente beato Januario, vidit subito idem episcopus de capite ejus flammam exsurgere, quam nemo alius vidit, et pronunciavit eum martyrem futurum : quod postea veritas rei tam in ipso episcopo, quam in aliis quinque ministris ipsius, martyrizando comprobavit. Eodem die natale S. Teclæ virginis apud Seleuciam quiescentis, quæ de civitate Hyconio a beato Paulo apostolo instructa est.

VIII Kal. Octobris. Conceptio S. Johannis Baptistæ. D In territurio Æduorum vico, qui dicitur Sedelocus, natale SS. martyrum Andochii, Tyrsi et Felicis, qui ad docendam Galliam ab oriente directi, sub Aureliano principe gloriosissime sunt coronati. Et alibi SS. Juliani, Christophori, Laurentii. In territurio Biturico castro Mediolano natale S. Genesii martyris.

VII Kal. Octob. Natale B. Cleopæ, qui unus fuit de LXX Christi discipulis, quem tradunt in eadem urbe, eademque domo, in qua mensam quasi peregrino Domino præparaverat, a Judæis esse occisum. Lugduno S. Lupi episcopi ex anachoreta. Ambianis civitate natale S. Firmini episcopi et martyris. Autissiodero depositio et translatio S. Augnarii episcopi et confessoris. Ipso die natale S. Herculiani martyris.

Obiit Eldaldus Senonum archiepiscopus. Eodem die Abbo levita et perfector obiit.

VI Kal. Octobr. Natale SS. martyrum Cypriani episcopi et doctoris egregii et beatæ Justinæ, quæ prædicto episcopo causa extitit salutis : quorum corpora ad urbem Romæ deportata, ac reverenter tumulata sunt. Item Romæ via Appia in cimiterio Calisti depositio S. Eusebii episcopi. Arvernis Apollinaris episcopi et confessoris.

V Kal. Octob. Apud Egeam natale SS. Cosmæ et Damiani. Corduba civitate sanctorum martyrum Adulfi et Johannis fratrum. In territurio Augustidunensi passio SS. Florentini et Hilarii.

IV Kal. Octob. In Hispaniis civitate Corduba natale SS. Fausti, Januarii et Martialis martyrum. Romæ ad Guttas natale sancti Stertei. Autissiodero depositio S. Alodii episcopi et confessoris.

III Kal. Octob. In monte Gargano venerabilis memoria S. Michaelis archangeli, ubi multa mirabilia Deus ostendit. Romæ dedicatio oratorii S. Michaelis, quod venerabilis Bonefacius pontifex dedicavit in summitate circi miro opere altissime porrectum. Autissiodero passio S. Fraterni episcopi, quem tradunt eodem die interemtum, quo et episcopum esse ordinatum.

Obiit Walterius Æduensis episcopus.

Pridie Kal. Octob. In Galliis castro Solodoro, quod est super Arulam fluvium, passio SS. Victoris et Ursi ex gloriosa legione Thebæorum. Eodem die apud Bethleem Judæ depositio S. Hieronymi confessoris doctoris præcipui, qui libros suos per L et VI annos confecit, et XCVIII ætatis suæ anno in pace quievit pridie Kalendas Octobris. In Placentia civitate SS. Antonii, Gasti et Desiderii.

Obiit Teubertus laicus, qui dedit prædium suum canonicis sancti Stephani, in pago Autissiodorensi, in vicaria Baugiacensi, in villa Matriaco, propter remedium animæ suæ et ad memoriam recensendam.

OCTOBER.

Kalendas Octobris. Autissiodero depositio sacratissimi corporis beati Germani episcopi et confessoris, qui apud Ravennam pridie Kalendas Augusti feliciter obiit, et Kalendis Octobris suæ tandem redditus civitati, honorifice traditus est sepulturæ. Eodem die translatio corporum SS. confessorum Remigii Remensis episcopi et Vedasti Atrebatensis. In pago Medenentense natale S. Patonis martyris. In Portu Ganto natale S. Bavonis confessoris.

VI nonas Octob. Apud Nicomediam natale S. Eleutherii martyris. In Atrebatis villa Syricinio passio S. Leodegarii Augustidunensis episcopi. Romæ

S. Eusebii papæ, sub cujus tempore inventa est crux. Et alibi Sereni confessoris.

V Nonas Octob. Natale Dionysii Areopagitæ Athenisium episcopi et martyris; et alibi natale SS. Euvoldorum presbyterorum, qui cum sancto Willebrordo episcopo venientes, in Germaniam transierunt ad Saxones, et cum prædicare ibi Christum cœpissent, comprehensi sunt a paganis et occisi. Autissiodero dedicatio cryptarum beatissimi Stephani protomartyris.

Obiit Adhebaldus sacerdos et magister hujus ecclesiæ.

IV Nonas Octobris. Natale SS. Crispi et Gaii, quos apud Corinthios beatus apostolus se meminit baptizasse. Apud Ægyptum natale SS. martyrum Marii et Marciani fratrum, et cum eis innumerabiles alii passi sunt. Romæ via Appia S. Balbinæ virginis et Marcelli episcopi. Autissiodero S. Marsi presbyteri et confessoris. Parisius S. Aureæ virginis.

III Nonas Octob. In Galliis civitate Valentia natale S. Apollonaris episcopi et confessoris. Autissiodero depositio SS. germanorum Firmati diaconi, Flavianæ virginis Deo sacratæ. Apud Eumeniam beati Traseæ episcopi et martyris.

Pridie Nonas Octobris. Autissiodero depositio S. Romani episcopi, qui cum rexisset ecclesiam sibi commissam annos III, dies XV, tandem, ut fertur, martyrio vitam finivit. Laodicia B. Sagaris episcopi et martyris. In civitate Agenno natale sanctæ Fidis virginis et martyris.

Obiit Carolus imperator et Guido abbas. Ipso die Aginulfus subdiaconus obiit, qui dedit fratribus alodum suum cum masenili et vineis arip. V. Nonas Octobris. Romæ natale S. Marci papæ. Item, Romæ SS. martyrum Marcelli et Apulei. Apud provinciam quæ nuncupatur Augusta Eufratesia, SS. martyrum Sergii et Bacchi sub Maximiano imperatore.

VIII Idus Octobris. Cortina civitate beati Philippi episcopi. Thessalonicæ natale S. Demetrii martyris. Eodem die juxta montem Oliveti depositio S. Pelagiæ, quæ peccatrix appellatur. In pago Laudunensi natale S. Benedictæ virginis et martyris. Autissiodero Palladiæ virginis. Senones Porchariæ virginis.

Obiit Arnaldus subdiaconus, qui dedit fratribus prædium suum in pago Senonico, in villa quæ dicitur Vallis diaconi, et in villa Aganonis arpen. de vineis VIII.

VII Idus Octob. Obitus Abrahæ patriarchæ. Parisius natale SS. martyrum Dionysii episcopi, Eleutherii presbyteri, et Rustici diaconi, qui beatus episcopus propter prædicationis officium a sancto Clemente in Galliis directus, ibique est martyrizatus. Apud Coloniam Agripinam natale sancti Gereonis martyris cum aliis CCCVIII quos ferunt Thebeos fuisse. Apud Juliam via Claudia passio S. Domnini.

VI Idus Octob. Apud Cretam beati Piniti inter episcopos nobilissimi, qui in scriptis suis velut in quodam speculo viventem sibi imaginem reliquit. Apud Agripinensem urbem natale sanctorum martyrum Mallosi et Victoris. In Britannia natale S. Paulini episcopi Eburaci.

Obiit Trutbertus laicus, qui dedit fratribus masinile suum cum vineis et campis in pago Senonico in villa Caciaco.

V Idus Octob. In Acervo Siciliæ S. Zanasii presbyteri. Apud Tharsum metropolim Ciliciæ sanctorum martyrum Tharaci, Probi et Andronici. Turonis depositio sancti Venantii abbatis et confessoris.

Ipso die Ato archipresbyter et canonicus, homo simplex et rectus, et timens Deum, monachus factus spiritum Christo reddidit : qui dedit fratribus suis canonicis domum cum appendiciis, quam ab Ugone de Gurgiaco emerat, et vineam quam plantavit apud Billiacum, aliam etiam quam emerat in Curto-cane, et dedit etiam octo nummos de censu.

IV Idus Octobris. Apud Ravennam via Laurentiana natale sancti Hedisti martyris. Apud Africam sanctorum quatuor millium nongentorum septuaginta et sex. Bituricas S. Opilionis presbyteri.

Obiit Taganboldus sacerdos, qui dedit fratribus prædium suum cum masinili et vineis et campis in villa quæ dicitur Pradilis. Ipsa die Hugo bonæ memoriæ Autissiodorensis episcopus, decus pontificum et forma totius religionis, qui in vita sua pacem dilexit, bona pace quievit : qui inter cetera quibus episcopatum suum ditavit, usum nemoris de Tullo, quem canonici per multos annos sine spe recuperationis amiserant, cum summo labore et studio acquisivit. Dedit etiam ecclesiæ sacerdotalia indumenta peroptima, et calicem deauratum. Præterea assignavit in Lindriaco triginta solidos, quibus die anniversarii singulis annis canonicis refectio exhibeatur. Dimisit etiam canonicis ecclesiam Lindriaci post mortem Anselmi seu dimissionem. Interim autem Stephanus præpositus X *solidos ad refectionem faciendam persolvet.*

III Idus Octobris. Apud Troadam natale beati Carpi discipuli Pauli apostoli. Antiochia beati Theophili episcopi. Alexandria Athanasii episcopi et confessoris.

Obiit Rudovicus levita, cujus industria masinile cum vinea in villare quod est in conspectu sancti Juliani, fratribus adquisitum est, et ea quæ ad eum pertinent.

Pridie Idus Octobris. Romæ natale S. Calixti papæ et martyris. Lugduno Galliæ transitus S. Justi episcopi.

Idus Octobris. In Galliis apud Coloniam Agrippinam natale sanctorum martyrum Maurorum de militibus ex illa legione sacra Thebeorum numero quinquaginta in basilica conditorem ex musivo quodammodo deaurato, unde et sancti Aurei vocantur.

Lugduno beati Antiochii episcopi. In territorio Remensi natale S. Basuli presbyteri et confessoris. Fontenella monasterio S. Wiframni archiepiscopi.

Obiit Henricus Burgundiæ marchio.

XVII Kalendas Novembris. In Africa sanctorum martyrum CCLXX pariter coronatorum, et sanctorum martyrum Martiani et Satiriani cum duobus fratribus eorum, et egregiæ Christi ancillæ Maximæ virginis et martyris. Apud Biturícam natale S. Ambrosii episcopi et confessoris.

Obiit Gaufridus miles, qui reddidit terram quam tenebat de manu firma in Artadisvilla.

XVI Kal. Novembris. Natale B. Aristonis, qui unus fuit de septuaginta Christi discipulis. Eodem die natale B. Heronis episcopi. In civitate Auraus:ca S. Florentii episcopi.

Obiit Seuvinus Senonum archiepiscopus.

XV Kal. Novembris. Natale S. Lucæ evangelistæ, qui obiit in Bytinia; sed ejus sacra ossa Constantinopolim sunt postmodum delata. Antiochia natale S. Asclepiadis episcopi et confessoris. Romæ S. Trophoniæ uxoris Decii Cæsaris. In territurio Belvacensi passio S. Justi martyris, cujus caput requiescit in basilica S. Amatoris.

XIV Kalendas Novembris. Apud Alexandriam natale SS. Ptolomei et Lucii martyrum pretiosorum. In Antiochia Syriæ natale SS. Pelagi, Heronicæ et Pelagiæ.

Ipso die Gauzo sacerdos et decanus obiit, qui dedit canonicis S. Stephani prædium suum cum servis et ancillis, omne quod habuit in villa Crevenno.

XIII Kalendas Novembris. In Galliis civitate Agenno natale S. Caprasii martyris. Apud Aviensem provinciam natale beati Maximi levitæ et martyris.

Eodem die obiit Humbaldus humilitatis ac benignitatis episcopus, qui cum multis ædificiis atque ornamentis, quibus ecclesiam intus et exterius decoravit, ecclesiam Acolaci et ecclesiam Crevenni cum decimis ac pareda fratrum stipendiis donavit. Hic siquidem inter fratres pace prius reformata, Jerusalem causa orationis adiit, atque inde rediens, sanctamque psalmos canendo Deo confessionem faciens, maris pelago sepulturam promeruit pretiosam.

XII Kal. Novembris. Apud Nicomediam natale SS. martyrum Dasii, Soticigii cum XII militibus. Eodem die sancti patris nostri Hilarionis, cujus vitam S. Hieronymus virtutibus plenam scripsit. In civitate Hostia natale S. Asterii presbyteri. Ipso die transitus S. Viatoris lectoris. In eremo comitis S. Justi.

Obiit Arnulfus laicus, qui pariter cum fratribus suis Norgaudo et Walgaudo dederunt fratribus prædium suum quod habuerunt in villa Crevenno.

XI Kalendas Novembris. Hierosolymis natale S. Marci episcopi et martyris. Apud Adrianopolim Trachiæ natale SS. Philippi episcopi, Eusebii et Hermetis. In civitate Osea SS. virginum Mulinionis et Helodiæ. Lingonis civitate in Portu Bucino passio S. Valerii martyris et levitæ.

X Kal. Novembris. Apud Antiochiam Syriæ natale S. Theoderici presbyteri et martyris. In Hispaniis natale SS. martyrum Servandi et Germani. Colonia civitate S. Severini episcopi.

Obiit domus Herifredus episcopus, pater pissimus, qui dedit medietatem Malliaci ad refectionem fratribus exhibendam. Die quoque ordinationis ejus dedit fratribus Artadum villam, et in Lindriaco mansum unum, et in Capiliaco mansum alterum et molendinum subtus murum, et in Nativitate S. Mariæ dedit ecclesiam Bacernæ, et Lindriacum, et Lupinum, necnon Logniacum; Gimiliacum autem in natale S. Clementis

IX Kal. Novembris. In Venusia civitate Apuleiæ, natale SS. martyrum Felicis episcopi et Audacti et Januarii presbyterorum, et Fortunati et Septimi lectorum.

VIII Kal. Novembris. In Galliis civitate Suessionis natale SS. martyrum Crispini et Crispiniani. Eodem die Petragoricas civitate natale S. Frontonis episcopi, qui per virtutem Dei, accepto baculo S. Petri apostoli, socium suum Gregorium presbyterum a morte recepit. Romæ sanctorum martyrum XLVI militum. Item, Romæ Bonifacii papæ. In civitate Gavalis depositio S. Hilarii episcopi vita et miraculis præclari. In territurio Turonico natale S. Spani martyris.

VII Kal. Novembris. Apud Africam natale SS. martyrum Rogatiani presbyteri et Felicissimi. Apud Ephesum S. Policratis episcopi egregii et nobilissimi viri.

VI Kal. Novembris. Romæ Euvharisti papæ et martyris. Autissiodero depositio beati Desiderii episcopi. In pago Pictavo natale S. Florentii presbyteri et monachi. In Hispaniis Helbora civitate natale SS. martyrum Vincentii, Sabinæ et Christeæ.

V Kal. Novembris. Natale beatorum apostolorum Simonis Cananei, qui et Zelotes scribitur, et Thaddæi, qui et Judas Jacobi legitur, et alibi Lebbeus appellatur : e quibus Thaddæus apud Mesopotamiam, Simon vero apud Ægyptum legitur prædicasse. Inde simul Persidam ingressi, cum infinitam catervam Christo ibi aggregassent, martyrizati sunt. Romæ S. Cyrillæ martyris filiæ Decii imperatoris. Civitate Meltis S. Faronis episcopi et confessoris. Parisius translatio S. Genovefæ virginis.

IV. Kal. Novembris. Natale beati Narcissi Hierosolymorum episcopi, viri sanctitate, et patientia ac fide laudabilis, contra quem crimen falso objectum cum tres testes jurassent, imprecati sunt super se maledicta : primus ut igne consumeretur si vera non diceret; secundus ut regio morbo corrum-

peretur; tertius ut luminibus orbaretur; quod ita singulis statim post perjurium accidit. Apud Sindonem urbem natale S. Zebei presbyteri et martyris. A

III Kal. Novembris. Civitate Tingitana passio S. Marcelli centurionis. Apud Africam SS. martyrum numero CCXX. Apud Antiochiam beati Serapionis episcopi et confessoris.

Obiit Andreas presbyter, qui dedit mastnile suum fratribus cum vinea adhærente in villa Ferreoli, similiter in villa Garricas. Item, obiit Bernardus presbyter, qui dedit masinile suum fratribus cum horto et vinea in villa Vendonsa.

Pridie Kalendas Novembris. Romæ B. Nemesii diaconi et martyris, et Lucillæ filiæ ejus, qui octavo Kal. Septembris decollatus, pridie Kal. Novembris honorifice translatus est. In Galliis territurio Virmandensi S. Quintini martyris. B

Eodem die obiit Robertus præpositus, qui dedit fratribus vineas suas, ut singulis annis in die obitus sui communis refectio canonicis exhibeatur.

NOVEMBER.

Kalendas Novembris. Festivitas Omnium sanctorum. Diviono castro natale sancti Benigni presbyteri et martyris. Eodem die natale SS. martyrum Cæsarii diaconi et Juliani presbyteri. Parisius S. Marcelli episcopi et confessoris. Ipso die natale S. Severini monachi de Tyburtina civitate. Et alibi natale S. Mariæ virginis et martyris. In territurio Biturico nomine Dolus S. Lusoris confessoris. C

IV Nonas Novembris. Romæ passio S. Eustachii cum uxore et duobus filiis. Eodem die natale S. Victorini martyris Pictabionensis episcopi. Leodicia B. Theodoti episcopi optimi viri. Monasterio Augaunensi natale S. Ambrosii abbatis.

III Nonas Novembris. Natale S. Quarti apostolorum discipuli. Apud Cæsaream Cappadociæ natale sanctorum martyrum Germani, Theophili, Cæsarii et Vitalis. In pago Vilcassino S. Clari presbyteri et martyris.

II. Nonas Novembris. Apud Alexandriam B. Iterii presbyteri hominis Dei. In territurio Rotomagensi S. Amantii episcopi et confessoris. Augustiduno natale sancti Patrocli episcopi et confessoris. D

Eodem die Hugo decus pontificum emisit spiritum.

Nonas Novembris. Obitus Zachariæ prophetæ patris Johannis Baptistæ. In Terracina civitate Campaniæ natale SS. martyrum Felicis presbyteri et Eusebii monachi. Capua civitate natale S. Quarti confessoris.

VIII Idus Novembris. Toniza Africæ natale S. Felicis, cujus martyrium B. Augustinus in quodam psalmo mirabiliter exponit. In Oriente civitate Theopoli sanctorum decem martyrum, qui sub Sarracenis passi leguntur. Redonis S. Melanii episcopi et confessoris.

VII Idus Novembris. Apud Alexandriam beati Achillæi episcopi viri Dei. Apud Albiginensem urbem natale S. Amaranti martyris. Apud Perusinam urbem Italiæ natale sancti Herculiani episcopi et martyris, cujus corpus post abscisionem capitis ita unitum die quadragesimo repertum est, ut meminit papa Gregorius, ac si hoc nulla incisio ferri tetigisset. In Frisia natale S. Willibrordi episcopi, cujus actus Beda presbyter in gestis Anglorum describit.

Obiit Teodaldus juvenis, qui dedit partem patrocinii sui et hereditatis suæ canonicis S. Stephani, propter amorem patriæ cælestis et remissionem peccatorum suorum. Sitæ sunt autem ipsæ res in villa quæ dicitur Cormedus, cum capella et suis adjacentiis, mancipiis, vineis, campis et domibus, ad sui memoriam recolendam.

VI Idus Novembris. Romæ natale V martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii et Simplicii. Ipso die juxta corpora eorum natale sanctorum quatuor coronatorum Severi, Severiani, Carpophori et Victorini.

Obiit Hunencus sacerdos et decanus sancti Mammetis.

V Idus Novembris. Natale S. Theodori martyris diversis tormentis coronati. Apud Bituricas S. Ursicini episcopi et confessoris (*altera manu*: In Syria civitate Berithe passio sanctæ et gloriosæ imaginis Domini Salvatoris).

Obiit Ademarus sacerdos et præpositus.

IV Idus Novembris. In territurio Agathensi in Cessarione natale sanctorum martyrum Tyberii, Modesti et Florentiæ. Apud Antiochiam natale SS. Demetrii episcopi, Aniani diaconi, Eustasii et aliorum XX. Aurelianis S. Monitoris episcopi et confessoris. Eodem die natale S. Martini papæ et martyris.

III Idus Novembris. In Galliis civitate Turonis natale S. Martini episcopi et confessoris, cujus gloriosi actus longe lateque divulgati extant. In Scytia metrepolim Frigiæ Salutariæ passio S. Mennæ variis tormentis coronati. Lugduno passio S. Verani episcopi.

Obiit Stephanus Cavillonensis episcopus

Pridie Idus Novemb. Apud Africam commemoratio SS. martyrum Arcadii, Paschasii, Probi, et Eutichiani, et Paulilli pueri. Apud provinciam Tarraconensem, civitate Tyrassona B. Emiliani presbyteri et confessoris.

Obiit Ingelboldus, qui villas S. Stephani Crevennum, Acolacum et Villam-novam reædificavit, et ad domos fratrum componendas quingentos solidos de suo donavit.

Idus Novembris. Ravennæ natale sanctorum martyrum Valentini, Solutoris, Victoris. Apud Toletum urbem depositio B. Eugenii episcopi. Turonis natale S. Briccii episcopi et confessoris. Autissio-

dero exceptio corporis S. Alexandri et S. Crysanti martyris. Senones Paterni martyris.

Obiit Aldulfus episcopus, qui instituit hac die de suo hospitale fratribus refectionem præparari.

XVIII Kalendas Decembris. Apud Trachiam civitate Heraclea natale sanctorum martyrum Clementini, Theodoti, Philomini. Apud Alexandriam beati Serapionis clarissimi martyris. In Laodicia S. Anatholii episcopi.

Obiit Velfo abba.

XVII Kal. Decembris. Natale S. Felicis episcopi et martyris cum aliis XXX simul martyrizatis. Ipso die S. Eugenii, qui apud pagum Parisiacensem consummato martyrii cursu beatæ passionis coronam percepit a Domino.

Obiit Walthérius Senonum archiepiscopus, et Gratianus abba.

XVI Kalendas Decembris. Lugduno Galliæ natale S. Eucherii admirandæ fidei, vitæ et doctrinæ viri. In Africa SS. Nerei, Pauli, Adriani.

XV Kalendas Decemb. Apud Alexandriam B. Dionysii episcopi magnæ sanctitatis viri. Apud Pontum natale beati Gregorii Neocæsariensis episcopi et martyris. Aurelianis S. Aniani episcopi et confessoris, cujus mortem in conspectu Domini miracula crebra testantur. Eodem die Cordulæ, in Hispaniis sanctorum martyrum Aciscli et Victoriæ, ubi ob commendationem pretiosæ mortis eorum eodem die rosæ ortæ divinitus colliguntur. Turonis sancti Gregorii episcopi miraculorum factoris.

Obiit Milo canonicus puer et acolythus, qui dedit fratribus in Monteio arpennos vinearum XV.

XIV Kalendas Decembris. Antiochiæ natale S. Romani monachi et martyris. Eodem die in eadem urbe natale S. Sychii martyris. Autissiodero dedicatio basilicæ S. Germani episcopi cum superioribus cryptis. Eodem die translatio corporis beati prothomartyris Stephani a Jerosolymis in Bizantium.

XIII Kalendas Decembris. Romæ via Appia natale S. Maximi presbyteri et martyris.

Apud Viennam sanctorum martyrum Severini, Exuperii et Feliciani. Eodem die S. Fausti martyris. Augustiduno natale S. Simplici episcopi et martyris. Ipsa die beati Crispini martyris. Item Romæ Gelasii papæ.

Obiit Lantbertus presbyter, qui dedit fratribus alodum suum in villa quæ dicitur Stabulis, et ibidem in circumjacentibus locis. Item, Lanfredus presbyter obiit, qui dedit fratribus patrimonium suum in villa Gratiaco.

XII Kalendas Decembris. Romæ natale S. Pontii papæ et martyris. Apud Siciliam civitate Messana sanctorum Ampelii et Gaii. Apud Cavillonem S. Silvestri episcopi et confessoris.

Obiit Iterus de Porta, qui pro obtinenda peccatorum suorum venia dedit canonicis S. Stephani duos homines apud Crevennum cum uxoribus et filiis suis.

XI Kalendas Decembris. Natale beatissimi Rufi, de quo apostolus Paulus ad Romanos scribit: *Salutate Rufum electum et matrem ejus et meam.* In Antiochia sanctorum Basilii, et Auxilii et Zephirini.

Obiit Otardus, qui dedit fratribus propter amorem Dei et remissionem peccatorum suorum res optimas proprietatis suæ in comitatu Tornotrensi, in villa quæ dicitur Malorum, et in circumjacentibus locis, cum masinilibus, vineis, campis et domibus.

X Kalendas Novembris. Romæ S. Ceciliæ virginis et martyris. Item, Romæ sancti Mauri martyris. In Cæsarea natale S. Longini militis et martyris, qui latus Domini lancea perforavit.

Obiit Christianus episcopus, qui dedit fratribus Albaris villam ad sui memoriam faciendam. Ipsa die obiit Clemens omnis sapientiæ luce coruscans.

IX Kal. Decembris. Natale S. Clementis papæ et martyris. Eodem die natale S. Felicitatis matris septem filiorum martyrum, quos Antoninus imperator jussit diversis suppliciis interire; mater vero eorum novissime decollata est pro Christo. In Italia monasterio Bobio natale sancti Columbani abbatis. In pago Asbanio natale S. Trudonis presbyteri et confessoris.

VIII Kalendas Decembris. Romæ natale sanctorum martyrum Crysogoni et Crescentiani. Castro Blavia S. Romani presbyteri et confessoris, cujus sanctitatis præconium miraculorum gloria declarat. Civitate Corduba sanctarum virginum Floreæ et Mariæ, quæ post diuturnos carceres, pro Christo gladio interemtæ sunt.

Obiit Hictarius bonæ memoriæ, qui dedit fratribus suis in circuitu civitatis vineas adquisitionis suæ. Eodem die anniversarium Attonis canonici, qui dedit fratribus XXX *libras, servos etiam et ancillas, arpennos quoque vinearum tres in Montetenso, necnon areas quæ sunt juxta S. Stephani capellam, et aream unam ante domum pauperum sitam. Profectus est Jerosolymam, et in eo itinere, Christo miserante, defunctus.*

VII Kalend. Decemb. Natale S. Petri Alexandrini episcopi et martyris, inter præcipuos egregii, cui post diversa certamina pro fide Christi, quadam nocte in habitu Dominus apparuit indutus colobio lineo candido nimis, conscisso a summo usque deorsum, et ambabus manibus conjungebat eum circa pectus suum, quodam modo cooperiens nuditatem suam, et dixit ad eum: Quid est, Domine, quod video vestem tuam scissam? Et respondit Dominus: Arrius hoc fecit, qui separavit a me populum comparatum sanguine meo. Præcipio nunc et moneo ne recipias eum in communione, etc. Passi sunt autem cum eo ex Ægypto episcopi fere cum clericis et laicis sexcenti sexaginta.

Obiit Milo laicus, qui dedit fratribus alodum A *suum, qui conjacet in villa Colonicas super fluvium Senodum. Eodem die Goscelinus hujus ecclesiæ canonicus et decanus obiit, qui pro remedio animæ suæ domum suam cum vineis suis canonicis dedit, ut in die anniversarii ejus in refectorio* (5) *reficerentur. Ipse vero ad missas celebrandas pro defunctis apud sanctum Clementem proprium sacerdotem cum duobus arpennis vinearum constituit, et in reprehensione et in custodia capituli eum stabilivit. Dedit etiam præfatæ ecclesiæ vestimentum sacerdotale, missale optimum cum graaale, calicem argenteum cum canulis argenteis, et ita ornatam reliquit ecclesiam.*

VI Kalend. Decemb. Natale S. Lini papæ et martyris, qui post beatum Petrum primus Romanam B ecclesiam tenuit annos XII, menses III, dies XII, et martyrio coronatus sepultus est in Vaticano. Apud Alexandriam natale SS. martyrum Fausti presbyteri, et Dii, et Ammonii. Eodem die beati Alexandri martyris et episcopi. In pago Avalensi natale S. Magnentiæ virginis. Augustiduno natale S. Amatoris episcopi et confessoris.

V. Kal. Decemb. Apud Bononiam Italiæ urbem natale SS. martyrum Vitalis et Agricolæ, post varia tormenta crucifixorum. In Galliis civitate Regensi natale S. Maximini episcopi et confessoris.

Eodem die obiit Johannes sacerdos et canonicus hujus ecclesiæ cantor eximius, qui dedit ecclesiæ nostræ ex libris suis missale unum, antiphonarium, gradale, hymnarium, prosarium optimum, et C *in Acolaco villa dedit fratribus domos suas, et quidquid etiam proprietatis habere videbatur, ad sui memoriam recolendam.*

IV Kal. Decemb. Natale S. Sostenes discipuli apostolorum. Eodem die S. Rufi martyris. Ipso die Papini et Mansueti episcoporum cum aliis multis, qui eo tempore passi sunt. Romæ S. Gregorii papæ III, qui rexit ecclesiam annis X. Antissiodero translatio sancti Vigilii episcopi et martyris.

III. Kalend. Decemb. Vigilia S. Andreæ apostoli. Romæ natale S. Saturnini martyris, et Sennis et Sisinnii diaconorum et martyrum. Eodem die apud Tolosam natale S. Saturnini episcopi et martyris.

Pridie Kalend. Decemb. In civitate Patras provinciæ D Achaiæ natale B. Andreæ apostoli, qui etiam apud Scythiam prædicavit. Apud Sanctonas S. Trojani episcopi, magnæ virtutis et sanctitatis viri. Romæ in cimiterio apud Guttam S. Castuli.

DECEMBER.

Kalend. Decemb. Romæ passio SS. Chrysanti et Dariæ virginis. In Africa natale SS. martyrum Papini et Mansueti episcoporum. Apud civitatem Maguntiam beati Albani martyris. Eodem die S. Eligii Noviomensis episcopi. Apud Bizantum Nicomediam natale S. Nataliæ uxoris sancti Adriani martyris.

Obiit Teutgarius diaconus, qui dedit nobis vineam in villa Sigliniaco. Eodem die ordinatio domni Gaufredi episcopi. Eodem die Vitalis Antissiodorensis ecclesiæ decanus est viam universæ carnis aggressus.

IV Nonas Decemb. Natale sanctæ Vivianæ martyris, et SS. martyrum Fausti et Dafrosæ filiæ ejus. Ipso die passio SS. Veri et Securi, qui apud Africam martyrio coronati sunt.

III Nonas Decemb. Tingi metropoli Mauritaniæ Tingitanæ natale S. Cassiani martyris. Eodem die SS. martyrum Claudii tribuni, et uxoris ejus Hilariæ, ac filiorum Jassonis et Mauri et LXX militum, qui omnes ad prædicationem S. Chrysanti crediderunt Christo.

Obiit Abbo episcopus.

II Nonas Decemb. Romæ natalis SS. martyrum Symphronii et Olympii temporibus Valeriani et Gallieni imperatorum. In Africa SS. Armogasti, et Archinimi, et Satyri, qui cum essent lucidissima membra ecclesiæ Christi, pro confessione veritatis multa et gravia perpessi supplicia atque opprobria ab Arrianis, cursum gloriosi certaminis impleverunt. Et in Lauditia sanctorum Metropoli, Felicis.

Ipsa die obiit Stephanus sancti Stephani præpositus et sacerdos egregius, necnon et divinarum Scripturarum doctor eximius.

C Nonas Decemb. In Africa apud Coloniam Thebastinam natale S. Crispinæ martyris. Eodem die in Italia natale Dalmatii martyris. Treviris S. Nicetii episcopi et confessoris.

Obierunt Ermenbertus præpositus et levita, et Arnaldus vicecomes.

VIII Idus Decemb. Natale beati Nicolai episcopi Mirorum Liciæ. Apud Africam SS. Dionysiæ, Davitæ, Leontis et Emiliani medici, et religiosi viri Noetercii, et Bonifacii, et Servi, et Victricis, et Majorici adolescentis, qui omnes innumeris suppliciis excruciati, confessorum Christi numero sociari meruerunt.

VII Idus Decemb. Apud Alexandriam beati Agathonis martyris sub Decio imperatore. Apud Sanctonas beati Martini abbatis, discipuli beati Martini Turonicæ urbis episcopi, qui in monasterio quod ipse ædificavit in pace quiescit. Eodem die in Spolitana urbe S. Sabini episcopi et martyris. In pago Mellicensi sanctæ Faræ virginis.

VI Idus Decemb. Romæ natale S. Eutichiani papæ et martyris, qui et ipse per diversa loca CCCXLII martyres manu sua sepelivit. Apud Alexandriam Macharii martyris. In territorio Dunensi depositio S. Leonardi eximii confessoris.

V Idus Decemb. Natale S. Leuchadiæ virginis, quæ

(5) Goscelinus decanus, cujus hac die consignatur obitus, vivebat anno 1133 et 1137, quo vigebat adhuc vita communis inter canonicos Antissiodorenses, ut patet ex hoc loco.

apud Toletum in carcere posita, cum audisset beatæ Eulaliæ cruciatus et reliquorum martyrum, qui tunc interficiebantur, genibus in oratione positis, impollutum Christo spiritum reddidit. Ipso die beati Cypriani abbatis Petragorici.

IV Idus Decemb. Romæ Melchiadis papæ. Apud Emeritam Hispaniæ civitatem natale S. Eulaliæ virginis et martyris. Eodem die apud præfatam urbem passio S. Juliæ virginis, quæ fuit convirginalis beatæ Eulaliæ. Hispolitana civitate sanctorum martyrum Carpophori presbyteri, et Abundi diaconi.

Obiit Wadimirus corepiscopus. Ipso die obiit Amalricus levita, qui dedit fratribus prædium adquisitionis suæ in villa quæ dicitur Castriacus, et in confinibus ejus arpennos vinearum VII, *propter amorem vitæ æternæ et sui memoriam recolendam. Eodem die obiit Reinaldus archipresbyter et canonicus, qui dedit fratribus optimam vineam et viginti modia vini, et servam unum, et in claustro faciendo* C *solidos.*

III Idus Decemb. Romæ S. Damasi papæ, et natale SS. martyrum Pontiani, Prætextati et Trasonis. In Galliis civitate Ambianis, natale SS. martyrum Victorici, Fusciani, atque Gentiani, qui gloriosissimam suæ fidei confessionem sanguine passionis decoraverunt. In Hispaniis natale S. Eutichii, cujus gesta habentur.

Obiit Gerberga cometissa uxor Henrici ducis. Ipsa die obiit Gosfridus sacerdos atque decanus Senonicæ urbis.

II Idus Decemb. Natale SS. Hermogenis, Donati et aliorum XXII. Apud Alexandriam beatorum martyrum Epimachii, Alexandri. Apud Septimaniam urbe Narbona depositio beati Pauli episcopi et confessoris. In pago Vimmacense natale S. Walerici confessoris, qui super Sommam fluvium eremiticam vitam duxit.

Idus Decemb. Apud Syracusam Siciliæ civitatem natale S. Luciæ virginis et martyris.

Ipsa die obiit Matildis comitissa Landrici conjux. Eodem die Hermengardis abbatissa obiit.

XIX Kalend. Januarii. Apud Cyprum natale S. Sphiridionis episcopi et confessoris. Remis S. Nicasii episcopi et martyris, qui a Wandalis pro fide Christi intra domum ecclesiæ decollatus est. Autissiodero dedicatio altaris ecclesiæ superioris a Calixto papa II facta, et ut solemniter a nobis quoque anno celebraretur ab eodem instituta.

XVIII Kal Jan. Apud Africam natale sancti Valeriani episcopi et confessoris. In territurio Aurelianensi beati Maximini presbyteri venerabilis sanctitatis viri.

Obiit Aclevertus sacerdos et decanus.

XVII Kal. Jan. Trium puerorum Ananiæ, Azariæ, Misaelis, quorum corpora apud Babyloniam sub quodam specu sunt posita. Eodem die natale beatorum martyrum Rufi et Zosimi. In Tuscia S. Barbaræ virginis et martyris. Apud Pontum S. Meletii episcopi et confessoris.

XVI Kal. Jan. Apud Antiochiam translatio et depositio corporis S. Ignatii episcopi et martyris, qui passus est Romæ Kalendis Februarii. Eodem die beati Lazari, quem Dominus Jesus in evangelio legitur resuscitasse a mortuis. Item beatæ Marthæ sororis ejus. In Oriente apud Eleuteropolim civitatem SS. martyrum quinquaginta, qui sub Sarracenis passi sunt.

XV Kal. Jan. Apud Africam natale S. Moysis martyris. Eodem die S. Anatholiæ virginis et martyris. Turonis S. Gatiani primi episcopi ipsius civitatis.

Obiit Eldegarius laicus, qui dedit fratribus omne prædium suum in pago Tornetrensi, in villa Madriaco, tam in vineis quam in terris, pratis cultis et incultis, silvis, domibus, et cum omnibus adjacentiis, pro absolutione peccatorum suorum.

XIV. Kal. Jan. Autissiodero depositio beati Gregorii episcopi, qui sedit annos XII, menses VII, dies III. Sepultus est in ecclesia S. Germani. Apud Ægyptum beati Nemesii martyris. Alexandriæ beati Clementis presbyteri.

XIII Kal. Jan. Beatissimorum martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomei, Ingenii et Theophili.

Obiit Eliseus archidiaconus, qui dedit fratribus res proprietatis suæ in villa quæ dicitur Gratiacus, arpennos vinearum IX, *propter remedium peccatorum suorum, suique memoriam recensendam.*

XII Kal. Jan. natale B. Thomæ apost. qui Parthis et Medis evangelium prædicans, passus est in India V Nonas Julias. Corpus ejus in civitatem quam Syri Edessam vocant, XII Kalendas Januarii translatum, ibique digno honore conditum est.

Electio domni Geranni episcopi, qui dedit fratribus Logniacum villam et Solium, unde debet ad luminaria ecclesiarum sanctæ Mariæ, et sancti Stephani, et sancti Johannis modium olei, et fratribus libram unam denariorum, qui ipsam terram tenuerit. Eodem die obiit Agnes de Longavilla, quæ dedit ecclesiæ protomartyris B. Stephani cortinam pretiosam diversis coloribus decoratam.

XI Kal. Jan. Romæ via Lavicana inter Duas Lauros natale XXX martyrum, qui omnes uno die in persecutione Diocletiani coronati sunt. Apud Alexandriam B. Schyrionis martyris. Ipso die aliorum plurimorum martyrum, qui in desertis et montibus apud Ægyptum oberrantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestiisque consumti sunt. Eodem die Theodosiæ virginis et martyris, et sancti Didimi monachi eruditissimi viri.

X Kal. Jan. Romæ natale S. Victoriæ virginis et martyris. Apud Nicomediam SS. martyrum XX. Item Romæ beati Servuli de quo beatus Gregorius scribit: Qui rebus pauper, meritis autem dives fuit et cetera mira quæ de eo loquitur. Eodem die natale S. Heuvaristi papæ et martyris. Au-

tissiodero dedicatio ecclesiæ S. Johannis Baptistæ.

Obiit Ablenus diaconus, qui dedit fratribus res proprietatis suæ in villa quæ dicitur S. Mauricius, et in villa quæ dicitur Antonus, propter veniam peccatorum percipiendam, et ad sui memoriam celebrandam.

IX Kal. Jan. Vigilia Natalis Domini. Eodem die apud Antiochiam Syriæ natalis SS. virginum XL. Quæ per diversa tormenta martyrium consummaverunt. Apud Spoletum natale S. Gregorii presbyteri et martyris, qui sæpe regyratus variis tormentis est coronatus.

VIII Kal. Jan. Bethleem Nativitas Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI secundum carnem. Eodem die natale S. Anastasiæ virginis et martyris, quæ de Roma secuta est sanctos qui ad martyrium ducebantur. Romæ in cimiterio Aproniani passio S. Eugeniæ virginis.

VII Kal. Jan. Apud Jerosolymam passio S. Stephani protomartyris et diaconi, qui non multo post Ascensionem Domini, ab apostolis cum esset plenus fide et Spiritu sancto, diaconus est ordinatus, atque eodem anno quo et Christus passus, a Judæis est lapidatus. Eodem die natale sancti Marini clarissimi viri, qui martyrii præmium sub imperatore Martiano Romæ adeptus est.

Obiit Ingelboldus miles.

VI Kal. Jan. Apud Ephesum natale sancti Johannis apostoli et evangelistæ dilecti Domini. Hic post exilii relegationem, post Apocalypsis revelationem divinam, post evangelii descriptionem, confectus senio mortuus est post passionem Domini anno LXVIII, ætatis autem suæ nonagesimo nono. In partibus Aquileiæ natale S. Zoeli presbyteri et confessoris.

V. Kal. Jan. Bethleem natale sanctorum Innocentium, quos Herodes cum Christi nativitatem Magorum indicio cognovisset, trigesimo quinto anni regni sui interfici jussit. Qui anno XXXVI, morbo intercutis aquæ, scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter et digne moritur.

Obiit Sigradus, qui dedit fratribus mansum suum indominicatum cum omnibus appenditiis suis in pago Tornetrensi, in villa Cidernaco, de vineis arpennos..... de terra accingas..... ad censum fratribus dandum.

IV Kal. Jan. Hierosolymæ depositio Davidis regis. Apud Arelatem natale sancti Trophymi episcopi, de quo scribit Apostolus ad Timotheum : *Trophymum reliqui infirmum Mileti.* Hic ab apostolis Romæ ordinatus episcopus, primus Arelatensem urbem Galliæ ob Christi evangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut beatus papa Zozimus scribit, totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt. In pago Occimense natale sancti Ebrulfi confessoris, cujus gesta habentur. Antissiodero dedicatio ecclesiæ sancti Michaelis et sancti Clementis.

III Kal. Jan. Apud Spoletum passio sancti Sabini episcopi, Exuperanti et Marcelli diaconorum, et Venustiani cum uxore et filiis simul martyrizatis sub Maximiano imperatore. Turonis natale S. Perpetui episcopi et confessoris.

II Kal. Jan. Romæ natale S. Silvestri papæ et confessoris, cujus actus clari habentur. Hic fuit post beatum Petrum apostolorum XXXV. Sedit autem in episcopatu annos XXIII, menses V, dies XI. Hic plenus virtutibus obiit in pace, et sepultus est in cimiterio Priscillæ via Salaria pridie Kalendas Januarii. Apud Senones beatorum Sabini episcopi et Potentiani, qui a beatis apostolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii sui confessione illustrem fecerunt. Item, Senones passio S. Columbæ virginis, quæ superato igne gladio cæsa est.

Obiit Anseisus Tricasinensis episcopus.

KALENDARIUM MANTUANUM.

Jan. habet dies XXXI, *lun.* XXX.

A. KL. Jan. Circumcisio Domini Bonifatii pp.
b IIII. Non. Oct. Steph. Telesphori pp.
c III. Oct. Johan. Anteros pp. et mart.
d II. Oct. Innoc.
e Non. vig.
f VIII. Id. Epiphania Domini.
g VII.
A VI.
b V.
c IIII. Pauli primi herem. Agathonis pp.
d III. Yginii pp. et Mart.
e II.
f Idus. Oct. Epyphan.
D g XVIIII. K. Feb. Felicis Presbiteri.
A XVIII. Mauri Abb.
b XVII. Marcelli pp. et Mart.
c XVI. Savini Episcopi et Antonii.
d XV. Priscæ V.
e XIIII. Bassiani Episcopi.
f XIII. Fabiani pp. et M. Sebast. M.
g XII. Agnetis V.
A XI. Vincentii et Anastasii M.
b X.
c VIIII. Timothei Apostoli.
d VIII. Conversio S. Pauli.
e VII. Paulæ Abbatissæ.
f VI. Vitaliani pp.

g V. Agnetis secunde.
A IIII.
b III.
c II. Geminiani Episcopi.

Feb. habet dies XXVIII, *lun.* XXX.

d KL. Feb. Severi Episcopi Brigidæ V.
e IIII. Non. Ypapanti domini.
f III. Blasii Episcopi et m.
g II.
A Non. Agathæ V.
b VIII. Id.
c VII. Pelagii pp.
d VI.
e V.
f IIII. Scolasticæ V.
g III.
A II. Gregorii pp.
b Idus.
c XVI. K. Mar. Valeriani Episcopi et M.
d XV. Faustini et Iovite M.
e XIIII. Die Jovis Fra . . . . obiit anno Domini m. cc.....
f XIII.
g XII.
A XI.
b X.
c VIIII. Siricii pp.
d VIII. Cathedra Scl P.
e VII. Mathie Apostoli Sabinjani pp.
f VI.
g V.
A IIII.
b III.
c II.

Martius habet dies XXXI, *lun.* XXX.

d K. Mar. Simplicii pp.
e VI. Non.
f V.
g IIII.
A III.
b II.
c Non. Perpetuæ et Felicitatis Thomæ de Aquino.
d VIII. Id.
e VII.
f VI.
g V.
A IIII. Gregorii pp. et inventio Sanguinis Domini.
b III.
c II. Zachariæ P. P.
d Idus.
e XVII. K. Ap.
f XVI.
g XV. Anselmi Episcopi.
A XIIII. ✠ Ioxep.
b XIII.
c XII. Transitus Sancti Benedicti.
d XI.
e X.
f VIIII.

A g VIII. Annunciatio S. Mariæ.
A VII.
b VI. Resurrectio Domini.
c V.
d IIII.
e III.
f II.

Aprilis habet dies XXX, *lun.* XXVIIII.

g K. April.
A IIII. Non. Sixti pp. et M.
b III.
c II.
d Non. Ambrosii Archiepiscopi.
e VIII. Id
f VII. Cœlestini pp.
B g VI.
A V.
b IIII. Doni pp.
c III. Leonis pp.
d II. Julii pp. Benonis Episcopi.
e Idus.
f XVIII. K. Mad. Tiburtii et Valeriani M.
g XVII.
A XVI. Aniceti pp. et M.
b XV.
c XIIII.
d XIII. Leonis pp.
e XII.
f XI.
g X. Sotheris pp. et M. Gaii pp. et M.
C A. VIIII.
b VIII. Georgii M. et Anselmi Benedicti pp.
c VII. Marci Evangel. et Litaniæ Majores.
d VI.
e V. Anastasii pp.
f IIII. Vitalis M.
g III. ✠ Petri Mart. Ordinis Prædicatorum.
A II.

Madius habet dies XXXI, *lun.* XXX.

b K. Ma. Philippi et Jacobi Apostoli.
c VI. Non.
d V. Inventio S. ✠ Alex. pp. et Eventii.
e IIII. Floriani Mart.
f III.
g H. Johannis in Dolio missi.
D A Nonis.
b VIII. Id. Victoris Med. Mart.
c VII. Translationis Andreæ Apostoli.
d VI. Gordiani.
e V. Maioli Abbatis.
f IIII. Nerei, Achillei, et Pancratii M.
g III. Mariæ ad Mart.
A II. Victoris Rom. Theodori pp.
b Idus.
c XVII. K. Jun.
d XVI. Siri Episcopi.
e XV.
f XIIII. Potentianæ Mart.
g XIII.

A XII. Teopompi et Sinesii.
b XI. Juliæ V. et M.
c X. Desiderii Episcopi et M.
d VIIII.
e VIII. Urbani pp. et M. Gregorii pp.
f VII. Eleuterii pp. et M.
g VI. Johannis pp. et M.
A V.
b IIII. Salmati, Mariani, et Max. M.
c III. Felicis Papæ et M.
d II. Cantiani, Cantianillæ Petronille V.

Junius habet dies XXX, *lun.* XXVIIII.

e K. Junii. Nicomedis M.
f IIII. Non. Marcellini, Petri, Erasmi m. Eugenii pp.
g III.
A II.
b Nonis. Bonifacii Episcopi, et Mart.
c VIII. Id.
d VII. Celestini Mart.
e VI.
f V. Primi et Feliciani.
g IIII. Pantaleonis Mart.
A III. Barnabe Apostoli.
b II. Basilidis, Cirini Naboris et Naxarii.
c Idus * Antoni de Padua Ord. Fratrum minorum.
d XVIII. K. Julii.
e XVII. Viti, et Modesti, et Crescentie.
f XVI. Adcedati pp.
g XV.
A XIIII. Marcelliani, et Marci Imerii Ep.
b XIII. Gervasii et Prothasii.
c XII. Silverii pp. et M.
d XI.
e X. Paulini Episcopi.
f VIIII. Vig.
g VIII. Nativitas S. Johannis Baptistæ.
A VII.
b VI. Johannis et Pauli Vigil.
c V.
d IIII. Leonis pp. Vig.
e III. Petri et Pauli Apostoli.
f II. Pauli Apostoli.

Julius habet dies XXXI, *lun.* XXX.

g Kal. Julii. Oct. Johannis Bapt.
A VI. Non. Processi, et Martiniani.
b V.
c IIII. Transl. S. Martini. Udalrice.
d III.
e II. Oct. Apostolorum.
f Nonis Apollonii.
g VIII. Id. Chiliani M. Adriani pp.
A VII. Vig.
b VI. VII. Fratruum.
c V. Transl. Sancti Ben. Pii pp.
d IIII. Naboris et Felicis. Ermagoræ.
e III. Anacleti pp. et M. Margar. V.
f II.
g Idus Quirici et Jol.
A XVII. Kal. Augusti.
b XVI. Oct. VII. Frat.
c XV. Oct. S. B. Filastrii E. *
d XIIII. Simachi pp.
e XIII.
f XII. Praxedis V.
g XI. Hieron. Episcopi. Mariæ Magd.
A X. Apollenaris Episcopi et Mart.
b VIIII. Cristinæ V. Vig.
c VIII. Jacobi Apostoli Euticiani pp. Xpofori.
d VII.
e VI.
f V. Victoris pp. et M. Nab. etc. Innoc. pp.
g IIII. Felicis pp. Simplicii. Faust. et B.
A III. Abdon. et Senen Mart.
b II. Benedicti pp. Germani episcopi.
B * Obiit Baiolotus Pater Domini Wambariuiani m. LXXXXVIII.

Augustus habet dies XXXI, *lun.* XXVIIII.

c Kal. Augusti Petri ad V. Joh. pp. Mach. Eusch. Episcopi.
d IIII. Non. Steph. pp. et Mart.
e III. Invent. S. Stephani.
f II.
g Nonis * Dominici.
A VIII. Id. Sixti pp. Felic. Ag. Hormisde pp.
b VII. Donati Episcopi.
c VI. Ciriaci, Maximi et Arch.
d V. Secundiani. Veriani. Marc. Rom.
e IV. Laurentii Mart.
f III. Tiburtii Mart.
C g II Eupli Mart.
A Idus Ypoliti etc.
b XVIIII. Kal. Sept. Eusebii Presb. Vig.
c XVIII. Assumptio S. Mariæ.
d XVII.
e XVI. Oct. S. Laurent.
f XV. Agapiti Mart.
g XIIII. Ruffini Conf. et Magni Mart.
A XIII.
b XII.
c XI Oct. S. Mariæ Timot. et S.
d X. Vig.
e VIIII. Lucn pp. et M. Bartolomei Ap.
f VIII.
g VII. Alexandri M. Zepherini pp. et M.
D A VI.
b V. Augustini Episcopi. Hermetis M.
c IV. Decoll. S. Johannis. Sabinæ V.
d III. Felicis et Adauct.
e II.

Septemb. habet dies XXX, *lun.* XXX.

f Kal. Sept. Constantini Felician.
g IIII. Non.
A III.
b II. Bonifacii pp.
c Nonis. Erculani M.
d VIII. Idus.
e VII
f VI. Nativitas S. Mariæ. Adrianus m.

g V. Sergii pp. Gorgonii Mart.
A IV. Hilarii pp.
b III. Proti et Jacinti.
c II.
d Idus.
e XVIII. Kal. Oct. Cornelii, Cypr., Exalt. S. ✠.
f XVII. Nicomedis Mart.
g XVI. Eutemiæ. Luciæ, et Gemin.
A XV.
b XIIII.
c XIII.
d XII. Vig.
e XI. Mathei Apostoli. Cononis pp.
f X. Mauritii cum SS. Hemeran : D.
g VIIII. Lini pp. et M.
A VIII. Concep. S. Johannis.
b VII.
c VI. Cypriani et Justinæ.
d V. Cosme et Damiani.
e IIII. Dedic. S. Benedicti in Leon.
f III. Michaelis Arch.
g II. Hieronymi Presbiteri.

October habet dies XXXI, *lun.* XXX.

A Kal. Oct. Remigii. Germani Episcopor.
b VI. Non. Eusebii Episcopi.
c V.
d IIII. * Petronii Episcopi. et S. Francisci.
e III.
f II.
g Nonis. Marci pp. Marcelli et al.
A VIII Id.
b VII. Domnini Dionisii R. et Eleuterii.
c VI.
d V. Probi Conf.
e IIII. Felicis pp. Honorii pp.
f III. Giraldi Conf.
g II. Calixti pp. et Mart.
A Idus.
b XVII. Kal. Nov. Galli Abbatis.
c XVI.
d XV. Luce Evang.
e XIIII.
f XIII.
g XII.
A XI.
b X.
c VIIII.
d VIII.
e VII. Bonifacii pp.
f VI. Evaristi pp. et martir. Vig.
g V. Ss. Simonis et Jude Apost.
A IIII.
b III. Germani Episc. Cap.
c II. Quintini mart. Vig.

Novemb. habet dies XXX, *lun.* XXX.

d Kal. Nov. Festivitas omnium Sanctorum Cesarii Martyris.
e IIII. Non. * Commemoratio Mortuorum.
f III.
A g II. Vitalis, et Agricolæ.
A Nonis.
b VIII. Idus.
c VII. Deus dedit pp. D.
d VI. IIII. Coronatorum.
e V. Theodori mart.
f IIII Leonis pp.
g III. Martini Episc. Antonini mart.
A II. Martini pp. mart.
b Idus. Bricii Episc. Antonini mar.
c XVIII. Kal. Dec. Initium xl.
d XVII.
e XVI.
f XV.
g XIIII. Oct. S. Mart.
B A XIII. Caloceri cum officio.
b XII. Pontiani pp. et mar.
c XI. Gelasii pp.
d X. Ceciliæ v.
e VIIII. Clementis pp. et mar. Columb. Abb.
f VIII. Grisogoni mar. Prosp. Episc.
g VII. * Caterinæ virg. et mart.
A VI.
b V.
c IIII. Greg. pp.
d III. Saturnini m. Crysanti et Dariæ.
e II. Andree Apost.

Adventus Domini nec ante quinta Kal. Decemb. nec post III Non. ipsius mensis. Sed in his VII diebus ubicumque dies Dominicus evenerit celebrari
C oportet.

Decemb. habet dies XXXI, *lun.* XXIX.

f Kal. Decemb. Ursicini.
g IIII. Non. Longini mart.
A III.
b II.
c Non.
d VIII. Id. Nicolai Episc.
e VII. Ordinatio S. Ambrosii. Oct. S. Andree.
f VI. Zeno. * Conceptio B. Mariæ.
g V. Siri Episc.
A IIII. Melciadis pp. et mart.
b III. Damasi pp.
c II.
d Idus. Lucie v.
D e XVIIII. Kal. Jan.
f XVIII.
g XVII. * Floriani mart.
A XVI. Ignatii Episc.
b XV.
c XIIII. Gregorii pp.
d XIII. Vig.
e XII. Thome Apost.
f XI. Felicis pp.
g X.
A VIIII. Vig.
b VIII. Nativitas Domini.
c VII. Stephani Protomar. Zosimi pp.
d VI. Johannis Evang. Dionisii pp.

e V. Innocent. A g III.
f IIII. David Regis. A II. Silvestri pp.

KALENDARIUM BRIXIANUM.

Kal.			Jani prima dies et septima a fine timetur.		
			Prima dies nona fit jam scorpius aura.		
			Vulnera seva nimis fert hora septima quinis.		
			Januarius habet dies XXXI, *luna* XXIX.		
lij	a	Januarii.	Circuncisio Domini nostri Jesu Christi.	D.	IXL.
	b	iiij Non.	Octava sancti Stephani.		IXL.
xj	c	ij Non.	Octava sancti Johannis.		IXL.
	d	ij Non.	Octava Innocentorum (*sic*).		IXL.
xviiij	e	Nonas Jan.	Rustitiani epi. Brix. Vig.		IXL.
viij	f	viij Id.	Epiphania.		IXL.
	g	vij Id.	Luciani presbiteri.		
xvj	a	vj Id.	Anastasie virg.		
v	b	v Id.	Martialis mart.		
	c	iiij Id.	Pauli primi heremite.		
xiij	d	iij Id.	Gregorii Naxaneeni, Ygidii. pp. mar.		
ij	e	ij Id.	Muscenti, et Zotici mar.		
	f	Idus. Jan.	Oct. Epiphan. Hilarii epi.		IXL.
x	g	xjx Chal.	Felicis presb.		
	a	xviij Chal.	Isidori epi.		
xviij	b	xvij Chal.	Marcelli pp. et mar.		IXL.
vij	c	xvj Chal.	Antonii Monachi.		
	d	xv Chal.	Prisce virg.		IXL.
xv	e	xiiij Chal.	Marii et Marthe.		IXL.
iiij	f	xiij Chal.	Fabiani et Sebastiani mar.		IXL.
	g	xij Chal.	Agnetis virg. et mar.		IXL.
xij	a	xj Chal.	Vincentii mar.		IXL.
j	b	x Chal.	Emerentiane virg. et mar.		
	c	jx Chal.	Thimothei apost. et mar.		IXL.
viiij	d	viij Chal	*Conversio S. Pauli apostoli.*	D.	IXL.
v	e	vij Chal.	Policarpi epi. Paule virg.		
xvij	f	vj Chal.	Ceciliani et Satur.		
vj	g	v Chal.	Agnetis Secundo.		
	a	iiij Chal.	Maureli, Saturnini, et Sisinii mar.		
xiiij	b	iij Chal.	Ypoliti cum aliis XXIIII mart.		
iij	c	ij Chal.	Julii presb. Juliani diaconi.		
Kal.			Ast Februari quarta precedit tertia finem		
			Quartus,in octonis februs manet ut lupus horis.		
			In decimis ternus est horis fine timendus,		
			Februarius habet dies XXVIII, *luna* XXIX.		
	d	Februarii.	Brigide virg. Severi archiepiscopi.		IXL.
xj	e	iiij Non.	*Purificatio Sancte Marie.*		IXL.
xjx	f	iij Non.	Blasii episcopi, et mart.		IXL.
viij	g	ij Non.	Geminiani et Aquilini mart.		
	a	Nonas Febr.	Agathe virg. et mart.		
xvj	b	viij Id.	Sotheris V.		
v	c	vij Id.	Pauli episcopi Brix.		
	d	vj Id.	Tiberii pp. [*fortasse* Liberi, *sed charactere posteriori*].		
xiij	e	v Id.	Pauli et Cipriani conf.		IXL.
ij	f	iiij Id.	Sotheris virg. Zotici Nerei. Jacinti. Scolastice virg.		
	g	iij. Id.	Barthemii mar.		

x	a	ij	Id.	Simplicii mar.	
	b	Idus	Febr.	Stephani episcopi.	
xviij	c	xvj	Chal.	Valentini, Valentiniani, Vitalis, Felicule, et Zenonis.	IXL.
vij	d	xv	Chal.	*Faustini et Jovite mari.*	IXL.
	e	xiiij	Chal.	Faustini epis. Brix. Juliane virg.	IXL.
xv	f	xiij	Chal.	Polieronti epis.	
iiij	g	xij	Chal.	Epymenii epis. et mar.	
	a	xj	Chal.	Publii, Marcelli, et Juliani.	
xij	b	x	Chal.	Gagii epis.	
j	c	jx	Chal.	Justi et Amatoris	
	d	viij	Chal.	Cathedra S. Petri apost.	IXL.
jx	e	vij	Chal.	Policarpi epis.	S.
	f	vj	Chal.	*Mathye Apost.*	IXL.
viij	g	v	Chal.	Justi et Donati.	
vj	a	iiij	Chal.	Alexandri.	D.
	b	iij	Chal.	Abundantii.	
xiij	c	ij	Chal.	Celeris.	
	Kal.			Martis prima necat cujus in cuspide quarta est.	
				Dando diem primam dabit horam Martius ipsam.	
				Quarta nec est munda cujus nocet hora secunda.	
				Martius habet dies XXXI, *luna* XXX.	
iij	d	Martii.		Albini epis.	
	e	vj	Non.	Simplicii pp.	
xj	f	v	Non.	Pauli Epis. Brix.	
	g	iiij	Non.	Sanctorum mar.	
ix	a	iij	Non.	Lucii pp. et mar.	
viij	b	ij	Non.	Victoris et Victorini mar.	
	c	Nonas	Mar.	Perpetue et Felicitatis, Gaudiosi epis. Brix.	IXL.
vij	d	viij	Id.	Cirili epis.	
v	e	vij	Id.	Quadraginta Martires.	
	f	vj	Id.	Gorgonii et Candidi.	
xiij	g	v	Id.	Eradii et Zosimi.	
ij	a	iiij	Id.	Gregorii pp. et Doctoris S. Ecclesiæ.	IXL.
	b	iij	Id.	Marcedonii pres. et Patricie uxoris ejus.	
x	c	ij	Id.	Leonis pp. et mar.	
	d	Idus	Mar.	Longini mar. Pauli et Silvii.	
xviij	e	xvij	Chal.	Ciriaci Diac. cum Azo. mar.	
vij	f	xvj	Chal.	Patricii conf. Quiriaci epis.	
	g	xv	Chal.	Collegi Diacon. Anselmi epis.	
xv	a	xiiij	Chal.	Theodori pres.	
iiij	b	xiij	Chal.	Guthpretti epis.	
	c	xij	Chal.	Benedicti Abbatis.	IXL.
xij	d	xj	Chal.	Pauli conf. Saturnini.	
j	e	x	Chal.	Felicis.	
	f	jx	Chal.	Seleucii.	
jx	g	viij	Chal.	*Annunciatio S. Marie.*	IXL.
	a	vij	Chal.	Pontiani presb. et Maxime uxoris ejus.	
xviij	b	vj	Chal.	Marciani episc. et mar.	
vj	c	v	Chal.	Rogati.	D.
	d	iiij	Chal.	Theodoricis mar.	
xiij	e	iij	Chal.	Secundi mar.	
iij	f	ij	Chal.	Anesi.	
	Kal.			Aprilis decima ē undecima a fine minatur.	
				Horis in primis decimus suffocat Aprilis.	
				Undecimus nonas ferit inde diesque per horas.	
				Aprilis habet dies XXX, *luna* XXIX.	
	g	Aprilis		Agapitus	
xj	a	iiij	Non.	Niceti et Abundi episcoporum.	
	b	iij	Non.	Sixti pp. et mar.	

xjx	e	ij	Non.	Depositio S. Ambrosii archiepiscopi.		
viij	d	Nonas	Apr.	Yrenei.		
xvj	e	viij	Id.	Celestini pp. et mar.		
v	f	vij	Id.	Pelusii pp. mar.		
	g	vj	Id.	Januarii, Macharii, et Successi.		
xiij	a	v	Id.	Translatio S. Filastri episc. Brix.		
ij	b	iiij	Id.	Ezechielis Prophete.	D.	
	c	iij	Id.	Leonis pp.		
x	d	ij	Id.	Depositio S. Zenonis epis.		
	e	Idus	Aprilis	Euphemie virg. et mar.		
xviij	f	xviij	Chal.	Tiburtii, Valeriani, et Maximi mar.		
vij	g	xvij	Chal.	Olimpiadis et Maximi.		
	a	xvj	Chal.	Karissimi mar.		
xv	b	xv	Chal.	Innocentii Epis. Aniceti pp. et mar.		
iiij	c	xiiij	Chal.	Caloceri mar. Elene Matris Constantini.		
	d	xiij	Chal.	Vincentii Epis.		
xij	e	xij	Chal.	Anacleti pp.	D.	
j	f	xj	Chal.	Maximi, Cipriani mar.		
	g	x	Chal.	Gaii et Sotheris pp. et mart.		
viij	a	viiij	Chal.	Georgii mar. Theophili Episc. Brix.		IXL.
	b	viij	Chal.	Honorii Episc. Brix.		IXL.
xvij	c	vij	Chal.	Marci Evang. Letanie Majores.		IXL.
vj	d	vj	Chal.	Cleti pp. et mar. Marcellini pp.		
	e	v	Chal.	Castoris mar.		
xiiij	f	iiij	Chal.	Vitalis mar.		IXL.
iij	g	iij	Chal.	Pauli Ep. Brix. Torpetis mar° Petri Mar.		IXL.
	a	ij	Chal.	Laurentii Presb.		
Kal.				Tertius in Maio lupus est, et septimus Anguis.		
				Interimit tertia Madii lux, horaque sexta.		
				Astque mali moris undenis septimis horis.		
				Madius habet dies XXXI, *luna* XXX.		
xj	b	Madii.		Sanctorum Apostolorum *Philippi, et Jacobi.*		IXL.
	c	vj	Non.	Athanasii Episc.		
xjx	d	v	Non.	Alexandri Evencii, et Theodecti. Inventio S. Crucis.	D.	IXL.
viij	e	iiij	Non.	Horiani mar. et aliorum XL Martirum.		IXL.
	f	iij	Non.	Juviniani Lectoris.		
xvj	g	ij	Non.	Johannis Apost. in Dolio Missi.		IXL.
v	a	Nonas	Mai.	Flavi Episcopi.		
	b	viij	Id.	Victoris mart.		
xiij	c	vij	Id.	Translatio Sanctorum Faustini, et Jovite.		
ij	d	vj	Id.	Gordiani et Epimachi mart.		
	e	v	Id.	Maioli conf.		
x	f	iiij	Id.	Narei. Archilei, et Pancratii mart.		IXL.
	g	iij	Id.	Marie ad Martires.		
xviij	a	ij	Id.	Victoris, Felicis, et Fortunati martires.		
vij	b	Idus	Mai.	Stephanie virg.		
	c	xvij	Chal.	Pauli Episc.		
	d	xvj	Chal.	Sirii Episc.		
iiij	e	xv	Chal.	Johannis pp. et mart.		IXL.
	f	xiiij	Chal.	Potentiane virg. et mart.		
xij	g	xiij	Chal.	Anastasii Episc. Brix.		
j	a	xij	Chal.	Translatio Sancti Zenonis Episc.		
	b	xj	Chal.	Julie virg. et mart.		IXL.
jx	c	x	Chal.	Desiderii Episc. et mart.		IXL.
	d	jx	Chal.	Affre mart.		IXL.
xvij	e	viij	Chal.	Urbani pp. et mart.		IXL.

vj f vij Chal. Eleuterii pp. et mart. Augustini Episcopi.
g vj Chal. Johannis pp. et mart.
xiiij a v Chal. Cancii, Canciani, et Cancianille martires.
iij b iiij Chal. Sisinii Martiris, et Alexandri mart.
c iij Chal. Felicis pp. et mart.
xj d ij Chal. Petronille virg.
Kal. Junius in decimo quindenum a fine salutat.
Quinta nocet deni Junii satis hora diei.]
Horis quartanis quindenus mordet ut anguis :
Junius habet dies XXX, *luna* XXIX.
e Junii. Nichomedis mart.
xix f iiij Non. Marcelini et Petri mart. IXL.
viij g iij Non. Gratini Episcopi. Laurentii et xl mart.
xvj a ij Non. Quirini Episcopi et mart.
v b Non. Junii. Bonifacii Archiepiscopi.
c viij Id. Amati, Donati et Peregrini.
xiij d vij Id. Pauli et Fortunati
ij e vj Id. Gethuli, Amancii, et Primitivi.
f v Id. Primi, et Feliciani mar.
x g iiij Id. Panthaleonis mar. D.
a iij Id. Bernabe Apostoli. IXL.
xviij b ij Id. Basilidis, Cirini, Naboris, et Nazarii mar.
vij c Idus Junii. Luciani et Fortunati. Antonli Conf.
d xviij Chal. Felicule, Eliisei Prophete.
xv e xvij Chal. Viti et Modesti mar. Crescentie. IXL.
iiij f xvj Chal. Fenoli Presbyteri. D.
g xv Chal. Albini mart.
xij a xiiij Chal. Marci et Marcellini mart. Ymeri Episcopi.
j b xiij Chal. Yervasii et Protasii mart. IXL.
c xij Chal. Crispini.
ix d xj Chal. Silverii pp. et mart.
e x Chal. Eusebii episcopi. Albini mar.
xvij f jx Chal. Heltrude Virg., et Regine. Vig. S. Jo.
vj g viij Chal. *Nativitas S. Johannis Baptiste.* IXL.
a vij Chal. Prosperi Episcopi. IXL.
xiiij b vj Chal. Joannis et Pauli mar. Vigilii Episcopi et mar.
iij c v Chal. Crescentii et Crispiniani.
d iiij Chal. Leonis pp. Vig. Apostolorum. IXL.
xj e iij Chal. Scor. Apost. *Petri et Pauli.* IXL.
f ij Chal. *Commemoratio S. Pauli.* IXL.
Kal. Ter decimus Julii decimo invit an Kalendas:
Dampnat tredecima Julii vocat hora secunda.
Hujus et in novis decimis quoque sanciat horis.
Julius habet dies XXXI, *luna* XXX.
xix g Julii. Oct. Sancti Johannis Bapt. IXL.
viij a vj Non. Processi et Martiniani Mart.
b v Non. Translatio S. Thome Apostoli.
v c iiij Non. Translatio S. Martini Episcopi.
v d iij Non. Agathonis.
e ij Non. Oct. Apostolorum. Ysaie Prophete. IXL.
xiij f Nonas Julii. *Apolonii Episcopi Brix.* IXL.
ij g viij Id. Procopii.
a vij Id. Anatholie Virg.
x b vj Id. Sanctorum vij fratrum Felicitatis Matris eorum. IXL.
c v Id. Translatio S. Benedicti Abbatis Pii pp. et Mar.
xviij d iiij Id. Naboris et Felicis Mart.

vij e iij Id. Margarite Virg. et Mar. Optatiani Episc. Brix. D. IXL.
f ij Id. Focati Episcopi.
xv g Idus Julii. Quirici et Jolite Mar.
iiij a xvij Chal. Ylariani Mar.
b xvj Chal. Duodecim Mart.
xij c xv Chal. *Filastrii Episc Brix.* Arnulfi Episc. IXL.
j d xiiij Chal. Arseni.
e xiij Chal. Victoris et Ciriaci.
jx f xij Chal. Praxedis Mart.
g xj Chal. *Mariæ Magdalene.* D. IXL.
xviij a x Chal. Apolenaris Episcopi et Mart. IXL.
vj b jx Chal. Victorini Episcopi Vig.
c viij Chal. *Jacobi Apostoli.* Xpofori Mar. Christine V. IXL.
xiiij d vij Chal. Anne Matris S. Marie. IXL.
ij e vj Chal. Simeonis Monachi.
f v Chal. Nazari et Celsi Mart.
xj g iiij Chal. Felicis. Simplicii. Faustini. et Beatricis Mart. IXL.
xjx a iij Chal. Abdon. et Senen. Mart. IXL.
b ij Chal. Geminiani Episcopi.
Kal. Augusti nempe prima fugat de fine secunda.
Horas dat primas Augustus datque Kalendas.
Inde secunda dies septenas turbidat horas.
Augustus habet dies xxxj, *luna* xxviiii.
viij c Augusti. Petri ad vincula. Machabeorum. Eusebii Epis. et Mart.
xvj d iiij Non. Stephani pp. et Mart. D. IXL.
v e iij Non. Inventio SS. Stephani. Nicodemi. et Gamalielis. IXL.
f ij Non. Justi et Crescentiani.
xiij g Non. Aug. Dominici Conf. Fratrum Predicatorum. IXL.
ij a viij Id. Sixti PP. et Mart. Felicissimi, et Agapiti Mart. IXL.
b vij Id. Donati PP. et Mart. IXL.
x c vj Id. Ciriaci Mart. et septem Dormientium.
d v Id. Firmi et Rustici Mart. Vig. IXL.
xviij e iiij Id. *Laurentii Mart.* IXL.
vij f iij Id. Tiburcii Mart.
g ij Id. Erculani Episc. Brix. Claræ Virg. IXL.
a Idus Aug. Ypoliti et Cassiani Mar. IXL.
iiij b xjx Chal. Eusebii Presbiteri. Vig.
c xviij Chal. *Assumptio S. Marie.* IXL.
xij d xvij Chal. Marion. et Tirsi cum Sociis suis.
e xvj Chal. Octava S. Laurentii. IXL.
f xv Chal. Agapiti mar.
ix g xiv Chal. Magni mar. et aliorum cl 96.
a xiij Chal. Bernardi Conf.
xvij b xij Chal. Luxurii mart.
vj c xj Chal. Octava S. Marie. Tymothei et Sinphoriani mart. IXL.
d x Chal. Flaviani Episcopi.
xiiij e jx Chal. Genesii mart. Vig.
ij f viij Chal. *Bartholomei Apostoli.*
g vij Chal. Alexandri mart. Ludovici Conf. Regis Francie. IXL.
xj a vj Chal. Grathe virg.
xjx b v Chal. Augustini Episc. et Doctoris. Hermetis mart. IXL.
c iiij Chal. Decollatio S. Johannis Bapt. Sabine Virg. IXL.
viij d iij Chal. Felicis et Audacti mar. D.
e ij Chal. Paulini Episcopi.
Kal. Tertia Septembris vulpes ferit a pede dena.
Horis Septembris perimit lux tertia ternis.
Ejusdemque mensis necat horis dona quaternis.

September habet dies xxx, *luna* xxx.

xvj	f	Septembris.		Prisci mar. Egidii abbatis.	
v	g	iiij	Non.	Justi episcopi.	
	a	iij	Non.	Marini et Leonis.	
xiij	b	ij	Non.	Ruffini.	D.
ij	c	Non.	Sept	Taurini et Quinti.	
	d	viij	Id.	Eugenii Episcopi Zacharie Profete.	
x	e	vij	Id.	Elodoaldi Conf.	
	f	vj	Id.	*Nativitas S. Marie.* Adriani mar.	IXL.
xviij	g	v	Id.	Gorgonii mar.	
	a	iiij	Id.	Hylarii pp.	
	b	iij	Id.	Prothi et Jacincti mar. Eugenie Virg.	
xv	c	ij	Id.	Serapionis mar.	
iij	d	Idus	Sept.	Sanctorum 29 mar.	
	e	xviij	Chal.	Cornelii et Cipriani. Exultatio S. Crucis.	IXL.
xij	f	xvij	Chal	Nicomedis mar	
j	g	xvj	Chal.	Euphemie Virg. et mar.	
	a	xv	Chal.	Restitute Virg.	
jx	b	xiiij	Chal.	Eustorgii et Satiri.	
	c	xiij	Chal.	Januarii Episcopi. Sosii. Festi, et Proculi mar.	
xvij	d	xij	Chal.	Fauste Virg. Vig.	
vj	e	xj	Chal.	*Mathei Apostoli et Evangeliste.*	D. IXL.
	f	x	Chal.	Mauritii et Sociorum ejus.	IXL.
xiiij	g	viiij	Chal.	Tecle Virg. Calimeri Epi. Lini pp. et mar.	IXL.
iij	a	viij	Chal.	Conceptio S. Johannis Bapt.	
	b	vij	Chal.	Barduniani.	
ij	c	vj	Chal.	Cypriani et Justine mar. Vigilii Episcopi.	IXL.
xjx	d	v	Chal.	Cosme et Damiani mar.	IXL.
	e	iij	Chal.	Silviani Episcopi Brix.	IXL.
viij	f	ij	Chal.	*Festivitas S. Michaelis Archangeli.*	IXL.
	g	ij	Chal.	Jeronimi Presbiteri Cardinalis et Doctoris.	IXL.

Kal. Tertius Octubris Pullus decem in ordine necat.
Sauciat Octubris in quinis tertius horis.
Inque die dena hujus ferit, hora novena.
Octuber habet dies xxx, *luna* xxix

xvj	a	Octubris.		Remigii Episcopi.	
v	b	vj	Non.	Eusebii pp. et mar.	
xiij	c	v	Non.	Duorum presbiterorum.	
ij	d	iiij	Non.	Francisci Conf.	D.
	e	iij	Non.	Flaviani Episcopi.	IXL.
x	f	ij	Non.	Casti et Emeli : Fidis. Virg.	
	g	Nonas	Oct.	Marci pp.	
xviij	a	viij	Id.	Pellagie Virg. et mar.	IXL.
vij	b	vij	Id.	Domnini. Dionisii. Rustici. et Eleutherii mart.	IXL.
	c	vj	Id.	Sanctorum 350. mar.	
xv	d	v	Id.	Eustachii. Agapiti, Theopisti et Theopiste mar.	
iij	e	iiij	Id.	Venantii Episcopi.	
	f	iij	Id.	Athanasii Episcopi.	
xij	g	ij	Id.	Calixti pp. et mar.	
j	a	Idus	Octub.	Lupuli.	
	b	xvij	Chal.	Galli Abbatis ✠ o Ep. Berardus m. ccccvij. de madiis.	IXL.
jx	c	xvj	Chal.	Evaristi pp.	
	d	xv	Chal.	Luce Evang.	
xvij	e	xiiij	Chal.	Columbani.	
vj	f	xiij	Chal.	Caprasii mar.	
	g	xij	Chal.	Ursule Virg. et mar. cum 1000. Virg.	IXL.
xiiij	a	xj	Chal.	Translatio SS. Cosme et Damiani mart.	D

iij b x Chal. Dorothei mar.
c jx Chal. Vitalis. Felicis. et Bonifacii.
xj d viij Chal. Gaudentii Episcopi Brix. IXL.
xjx e vij Chal. Luciani et Marciani.
jx f vj Chal. Evaristi pp. et mart. Vigil.
viij g v Chal. *Apostolorum Symonis et Jude.* IXL.
a iiij Chal. Appiani Episcopi.
xvj b iij Chal. Donciani pp.
v c ij Chal. Quintini mart. Sophie cum tribus filiis suis.
Kal. Quinta Novembris acus vox tertia mansit in urna.
Pungit in octavis horis lux quinta Novembris.
Cujus terna nigram facit horam confore quintam.
November habet dies XXX, *luna* XXX.
d Novembris. Festivitas omnium Sanctorum. IXL.
xiij e iiij Non. Officium omnium Defunctorum.
ij f iij Non. Theophili Ep. *Jacet Corpus ad S. Johannem de foris.* IXL.
g ij Non. Vitalis et Agricole mar. Proculi Episc
x a Nonas Nov. Flecis Presb. Eusebii Monac. D.
b viij Id. Melani Episc.
viij c vij Id. Rogati et Donati mart
vij d vj Id. Quatuor Coronatorum. IXL.
e v Id. Theodori mart.
xv f iiij Id. Leonis Episc.
iiij g iij Id. Martini Episc. Menne mart. IXL.
a ij Id. Martini Episc. et Mart.
xij b Idus Nov. Antonini mart. Briel conf. IXL.
j c xviij Chal. Antigii Episc. IXL.
d xvij Chal. Felicis pp.
jx e xvj Chal. Rufiniani.
f xv Chal. Aniani Conf.
xvij g xiiij Chal. Romani Monac.
vj a xiij Chal. Officium S. Caloceri. IXL.
b xij Chal. Octavii et Fecundi.
xiiij c xj Chal. Gelasii pp.
iij d x Chal. Cecilie virg. et mart. IXL.
e viiij Chal. Clementis pp. et mart. Columbani Abbatis. IXL.
xj f viij Chal. Grisogoni mart.
g vij Chal. Katherine virg et mart. IXL.
a vj Chal. Valentini Episc.
viij b v Chal. Optati Episc.
c iiij Chal. Trophini Episc. D.
xvj d iij Chal. Grisanti et Darie. Saturnini et Mauri mart. vig. IXL.
v e ij Chal. Andree Apost. IXL.
Kal. Dat duodena choors septem in decemque decembris
Vulnerat in primis horis septena Decembris.
In senis horis decimus fit causa doloris.
December habet dies XXXI, *luna* XXIX.
f Decembris. Ursicini Episc. Brix. IXL.
xiij ij g iiij Non. Pontiani.
a iij Non. Crispini et Agricole.
b ij Non. Barbare virg.
c Non. Xbris. Dalmacii virg.
xviij d viij Id. Nicholai episc. IXL.
vij e vij Id. Ordinatio S. Ambrosii Archiepiscopi. D. IXL.
f vj Id. Zenonis Episc.
xv g v Id. Depositio S. Syri Episc.

iiij a iiij Id. Melciadis pp. et mar.
b iij Id. Dalmasci pp.
xij c ij Id. Ermogenis.
j d Idus Xbris. Lucie virg. et mart.
e xjx Chal. Victoris Episc. IXL.
viiij f xviij Chal. Maximi conf. Silvie virg. IXL.
g xvij Chal. Valentini.
xvij a xvj Chal. Ignatii Episc. et mar.
vj b xv Chal. Translatio S. Julie virg. et mart.
c xiiij Chal. Yzosimi.
xiiij d xiij Chal. Julii et Yconii. Vigil.
iij e xij Chal. *Thome Apostoli.*
f xj Chal. Sanctorum xxiiij mart. D.
xj g x Chal. Victorie virg.
xjx a jx Chal. Vigilia Nativitatis Domini.
b viij Chal. *Nativitas Domini nostri Jesu Christi.* Anastasie virg. IXL.
viij c vij Chal. *Stephani Prothomartiris.* IXL.
d vj Chal. *Johannis Apostoli, et Evangeliste.* IXL.
xvj e v Chal. *SS. Innocentium.* IXL.
v f iiij Chal. Thome Archiepisc. et mart. IXL.
g iij Chal. Perpetui Episc.
xiij a ij Chal. Silvestri pp. IXL.

KALENDARIUM VALLUMBROSANUM.

Januarius habet dies XXXI, *luna* XXX, *nox horas* XVI, *dies* VIII. A

Kal. Jan. Circumcisio Domini, Basili conf., Martine virg. mart.
iv Non. Octava S. Stephani.
iij Octava S. Johannis.
ij Octava Innocentium.
Non.
viij Id. Epiphania Domini.
vij
vj
v
iv Pauli primi Eremite.
iij Yginii Pape martiris.
ij
Idus. Octava Epiphanie.
xix Kal.
xviij Mauri Abbatis.
xvij Marcelli Pape martiris.
xvj Antonii Abbatis.
xv Prisce virginis mart.
xiv Marii, et Marthe Audifex, et Abacuc.
xiij Fabiani, et Sebastiani.
xij Agnetis virginis mart.
xj Vincentii, et Anastasii.
x Emerentiane virginis mart.
ix
viij Conversio S. Pauli.
vij
vj
v Agnetis Secundo.
iv
iij
ij Ciri, et Johannis.

Februarius habet dies XXVIII, *luna* XXII, *nox horas* XIV, *dies* X.

Kal. Ygnacii Episcopi, et martiris.
iiij Non. Purificatio B. Marie Virg
iij Blasii Episcopi martiris.
ij Giliberti Abbatis.
Non. Agate virginis, et martiris.
viij Id.
vij
vj
B v Apollonie virg. et mart.
iv Scolastice virginis.
iij
ij
Id
xvj Kal. Valentini Presbiteri mart.
xv
xiv
xiij
xij
xj
x
ix
viij Cathedra S. Petri.

vij
vj Mathie Apostoli.
v
iv
iij
ij Translatio S. Augustini Episcopi et Conf.

Martius habet dies XXXI, *luna* XXX. *Nox habet horas* XII, *dies* XII.

Kal. Mart.
vj Non.
v
iiij
iij
ij
Non. j Sanctorum Virginum Perpetue et Felicitatis.
vij Id
vj Sanctarum quadraginta Martirum.
v
iv
iij Gregorii Pape Conf.
ij
Id.
xvij Chal.
xvj
xv
xiv
xiij
xij
xj Benedicti Abbatis.
x
ix
viij Annuntiatio Dominica.
vij
vj
v
iiij
iij
ij

Aprilis habet dies XXX, *luna* XXX. *Nox habet horas* X, *dies* XIV.

Kal. Apr.
IIII Non.
iij
ij S. Ambrosii Episcopi et Conf.
Non.
viij Id.
vij
vj
v
iiij
iij
ij
Idus.
xviij Kal. S. Tiburtii, Valeriani, et Maximi.
xvij
xvj
xv S. Aniceti Pape et Martiris.
xiv
xiij

A xij
xj
x
ix
viij S. Gregorii Martiris.
vij S. Marci Evangeliste.
vj S. Cleti Pape et M. et Marcellini Pape Mart.
v
iiij S. Vitalis Martiris.
iij S. Petri M. Ordinis S. Dominici.
ij

Madius habet dies XXX, *luna* XXX. *Nox habet horas* VIII, *dies* XVI.

Kal. Mad.
vj Non.
B v Inventio S. Crucis et Sanctorum Martyrum Alexandri, Eventii, Theodori, et Jovenalis.
iiij S. Monice Matris S. Augustini Patris nostri.
iij Conversio S. Augustini.
ij S. Johannis ante portam latinam.
Non.
viij Id. Apparitio S. Michaelis Archangeli.
vij
vi SS. Gordiani, et Epimachi.
v
iiij SS. Nerei, et Archilei, atque Pancratii.
iij
ij S. Bonifatii Martyris.
Idus.
xvij Kal. Jun.
C xvj
xv
xiij S. Potentiane Virginis et S. Petri de Murrona Conf.
xiij
xij
xj
x
ix
viij S. Zenobii Ep. et Confess. et S. Urbani Papæ et Mart.
vij S. Eleutherii P. et Mart.
vi S. Joh. Pape et M.
v
iiij
D iii S. Felicis P. et M.
ij S. Petronille Virg.

Junius habet dies XXX, *luna* XXIX. *Nox habet horas* VI, *dies* XVIII.

Kal. Jun.
iiij Non. SS. Petri, Marcellini, atque Herasmi.
iij
ij
Nonis.
viij Id.
vij
vj
v SS. MM. Primi, et Filitiani.
iiij

iij S. Barnabe Apostoli.
ij SS. MM. Basilidis, Cirini, Naboris, et Nazarii.
Idibus. S. Antonii Confess.
xviij Kal.
xvij SS. MM. Viti, et Modesti, atque Crescentie.
xvj
xv
xiiij SS. MM. Marchi et Marcellini.
xiij SS. MM. Gervasii et Prothasii.
xij S. Silverii P. et M.
xj
x S. Paulini Ep. et Conf.
ix Vigilia.
viij Nativitas S. Johannis Bapt.
vij
vj SS. MM. Joh. et Pauli.
v
iiij S. Leonis P. et Conf. vig.
iij SS. Apostolorum Petri et Pauli.
ij Commem. S. Pauli.

Julius habet dies xxxi, *luna* xxx, *Nox habet horas* viii, *dies* xvi.

Kal. Octava S. Johannis Bapt.
vj Non. SS. MM. Processi et Martiniani. Visitatio Virginis Marie.
v
iv
iij
ij Octava Apostolorum Petri et Pauli.
Non. Anniversarium fratrum nostrorum defunctorum.
viij Id.
vij
vj SS. MM. septem fratrum, et SS. Ruphine, et Secunde Virginum mm.
v S. Pii P. et M.
iv SS. MM. Naboris, et Felicis et S. Joh. Gualberti.
iij S. Anacleti P. et M.
ij
Id. SS. MM. Quirici, et Julite.
xvij Kal.
xvj S. Alexii Conf.
xv S. Symphorose cum vij filiis.
xiv
xiij S. Margarite V. et M.
xij S. Praxedis V.
xj S. Marie Magdal.
x S. Apollinaris Episc. et M.
ix S. Christine V. et M. Vig.
viij S. Jacobi Ap. et S. Cristofori m.
vij S. Pastoris Presb. et Conf., et S. Anne.
vi S. Pantaleonis M.
v SS. MM. Nazarii, et Celsi, et Victoris PP., et Innocentii P. et m.
iiij SS. MM. Simplicii, Faustini, Beatricis, et Felicis P. et M.
iij SS. MM. Abdon. et Sennen.
ij

A *Augustus habet dies* xxxi, *luna* xxix. *Nox habet horas* x, *dies* xiv.
Kal. Ad vincula S. Petri et SS. MM. Machabeorum.
iv Non. S. Stephani P. et M.
iij Inventio Corporis S. Stephani Protomartyris.
ij S. Justini Presb. et M.
Nonis. S. Dominici Confessoris, et Sancte Marie ad Nives.
viij Id.
vij S. Donati Episcopi et Martiris.
vj Sanctorum Cyriaci, Largi, et Smaragdi Martirum
v S. Romani Martiris. Vigilia.
iiij S. Laurentii Martiris.
iij Sanctorum Tiburtii, et Susanne.
Id. ij Sancti Ypoliti cum Sociis suis.
B xix Kal. Sanctorum Felicis, et Fortunati.
xviij
xvij S. Leonardi Confessoris.
xvj
xv S. Agapiti Martyris.
xiv
xiij S. Bernardi Abbatis et Confess.
xij
xj Octava Beate Virginis Marie, et Sanctorum Martyrum Timothei, Ipoliti, et Sinphoriani.
x
ix
viij S. Bartholomei Apostoli.
vij S. Zepherini Pape, et Martyris, et S. Ludovici Confess. Regis.
C vj
v S. Augustini Episc., et Confess., et Sanctis Hermetis Martyris, et Sancte Sabine Virginis
iv Decollatio S. Joh. Baptiste.
iij Sanctorum Martirum Felicis, et Adaucte.
ij
September habet dies xxx, *luna* xxx. *Nox habet horas* xii, *dies* xii.
Kal. Sep. Sanctorum Martyrum 12. Fratrum. et S. Egidii Abb. et Conf.
iiij Non. S. Antonini Mar.
iij
ij Octava Be: Augustini.
Non.
D viij Id.
vij
vj Nativitas B. V. Marie, et Sancti Adriani m.
v S. Gorgonii m.
iiij S. Nicolai de Tolentino Conf.
iij SS. MM. Prothi, et Jacinthi.
ij
Idus.
xviij Kal. Exaltatio Sancte ✠ et SS. MM. Cornelii, et Cipriani.
xvij Octava B. Marie V.
xvj SS. MM. Geminiani, Lucie, et Eufemie.
xv
xiv

xiii
xii SS. MM. Eustachi, et Soc. ejus.
xj S. Mathei Apostoli et Evang.
x SS. MM. Mauritij et Sociorum ejus.
jx S. Lini Pape et M.
viii
vii
vi SS. MM. Cosme et Damiani.
v
iiii
iii Dedicatio Basilice S. Michaelis Arch.
ii S. Jeronimi Presb. et Conf.
Octuber habet dies XXXI, *luna* XXIX. *Nox habet horas* XIV, *dies* X.
Kal. S. Remigij Episcopi et Conf.
vi Non.
v Non.
iv Non. S. Francisci Confessoris.
iii Non.
Prid. Non.
Non. SS. MM. Sergii, Bachii, Marcelli, et Apulei.
viij Idus S. Reparate Virg. et M.
vii Idus SS. MM. Dionisij, Rustici et Eleutherii.
vi Idus S. Cerbonii Ep. et Conf.
v Idus Transl. B. Patris nostri Augustin.
iv Id.
iii Id.
ii Id. S. Calixti Pape et Martiris.
Idus.
xvii Kal. S. Galli Abb. et Conf.
xvi
xv S. Luce Evang.
xiv
xiii
xii S. Ilaryonis Abb. et Conf. et undecim millium Virginum.
xj
x
ix
viii SS. MM. Crisanti et Darie, et Sancti Miniatii Martiris.
vii S. Evaristi Pape et Mart.
vi Vigilia.
v SS. Ap. Simonis et Jude
iv
iii
ii Vigilia.
November habet dies XXXI, *luna* XXX. *Nox habet horas* XVI, *dies* VIII.
Kal. Nov. Festum omnium SS. et S. Cesarij Mart.
iv Non. Anniversarium omnium Fidelium defunctorum.
iij Non.
ii SS. MM. Vitalis, et Agricole.
Nonas.
viii Id. S. Leonardi Conf.
vii

A vi S. Quatuor Coronat. Mart.
v Dedicatio Basilice Salvatoris, et Teodori Martiris.
iv SS. MM. Triphonis et Respicii et Nimphe Virg. et Mart.
iii S. Martini Ep. et Conf. et S. Menne Mart.
ii S. Martini Pape et Mart.
Idus. S. Britii Episcopi et Conf.
xviii Kal.
xvii
xvj
xv
xiv Dedicatio Basilice Ap. Petri et Pauli.
xiii S. Helisabeth, et S. Pontiani Pape et Mart.
B xii
xi
x S. Cecilie Virg. et Mart.
ix S. Clementis Pape et m. et S. Felicitatis.
viii S. Crisogoni M.
vii S. Katherine Virg. et Mart.
vi S. Petri Alexandrini Ep. et M.
v S. Jacobi Intercisi M.
iv
iii S. Saturnini M. Vigilia.
ii Andree Apostoli.
December habet dies XXXI. *Luna* XXIX. *Nox habet horas* XVIII, *dies* VI.
Kal. Dec.
C iv Non S. Bibiane Virg. et M.
iij
ii S. Barbare V. et M.
Nonas. S. Sabbe Abb. et Conf.
viii Idus S. Nicholai Ep. et Conf.
vij S. Ambrosii Ep. et Conf.
vi Conceptio B. M. semper V.
v
iv *Deletum.*
iii *Deletum.*
ii
Idus. S. Lucie V. et M.
xix Kal.
xviii
D xvii
xvi
xv
xiv
xiii
xii S. Thome Apostoli
xi
x
ix
viii Nativitas Domini Nostri Jesu Christi.
vij S. Stephani Protom.
vi S. Johannis Ap. et Ev.
v SS. MM. Innocentium.
iv S. Thome Archiepis. et Conf.
iii
ii S. Silvestri Pape et Conf.

FRAGMENTUM

ALTERIUS MULTO ANTIQUIORIS VALLUMBROSANI KALENDARII.

Mad. habet d. XXXI, *l.* XXX.

B Philippi et Jacobi
C vj. Non.
D v. Non. Inventio Sancte ✠, Alexandri, et Theadoli.
E iiii. Non.
F iii. Non.
G ii. Non. S. Johannis ante portam latinam.
A Non.
B viii. Id. Victoria S. Michahelis.
C vii. Id.
D vi. Id. Gordiam et Epimachi. S. Christine.
E v. Id. S. Antimi.
F iiij. Id. Nerei. Achill. Pancratii.
G iii. Id.
A ii. Id.
B Idus.
C xvii. Chal.
D xvi. Chal.
E xv. Chal.
F xiiii. Chal.
G xiii. Chal.
A xii. Chal.
B xi. Chal.
C x. Chal.
D viiii. Chal.
E viii. Chal. Urbani pp. et Zenobii Episcopi.
F vii. Chal.
G vi. Chal.
A v. Chal.
B iiii. Chal.
C iii. Chal.

Jun. habet dies XXX, *l.* XXVIII.

E Jun. Proculi et Nicomedis iii L.
F iiii. Non. Marcellini et Petri iii. L.
G iii. Non. SS. Alexandri Epis. ✠
A ii. Non.
B Non. Sanctorum Mar. Naboris et Nazarii. ✠
C viii. Id.
D vii. Id.
E vi. Id.
F v. Id. Primi et Feliciani.
G iiii. Id. ✠
A iii. Id. Barnabe Ap. et nonofrii.
B ii. Id. Basilidis Cyrini Naboris Nazarii.
C Idus
D xviii. Chal. Translatio S. Bartholomei Apostoli ✠
E xvii. Chal. Viti et Modesti.
F xvi. Chal.
G xv. Chal,
A A xiiii. Chal. Marci et Marcelliani.
B xiii. Chal. Gervasii et Protasii.
C xii. Chal.
D xi. Chal.
E x. Chal.
F viiii. Chal. Vig. S. Johannis.
G viii. Chal. Nativitas S. Johannis.
A vii. Chal.
B vi. Chal. Johannis et Pauli.
C v. Chal.
D iiii. Chal. Vig. Apostolorum.
E iii. Chal. Apostol. Petri et Pauli.
F ii. Chal. Commemorat. S. Pauli.

Julius habet dies XXXI, *l.* XXX.

G Jul. oct. S. Johannis.
B A vi. Non. Processi et Martini.
B v. Non. S. Mustuole V. ✠✠
C iiii. Non. Translatio S. Thome ✠
D iii. Non.
E ii. Non. Oct. Apostolorum 4. Romuli.
F Non. Dedicatio Ecclesie.
G viii. Id.
A vii. Id.
B vi. Id. Septem Fratrum.
C v. Id.
D iv. Id. Naboris et Felicis
E iii. Id.
F ii. Id. Eugenue
G Idus. Quiric' et Julitte.
C A xvii. Chal. Aug.
B xvi. Chal.
C xv. Chal.
D xiiii. Chal.
E xiii. Chal. S. Margarite.
F xii. Chal. Praxedis
G xi. Chal. S. Marie Magdal. ✠✠
A x. Chal. Apolenaris.
B viiii. Chal. Vigil. S. Jacobi.
C viii. Chal. Jacobi. Xpofori.
D vii. Chal. S. Anne Matris Domine ✠✠
E vi. Chal.
F v. Chal. Nazarii et Celsi.
G iiii. Chal. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis.
D A iii. Chal. Abdon. et Sennen.
B ii. Chal.

Terdecim Julii, decimo innuit ante Kalendas.

C *Aug. habet dies* XXXI, *luna* XXIV.
D Aug. Vincula S. Petri Machabeorum.
iiii. Non. Stephani pp.
E iii. Non. Inventio S. Stephani

F ii. Non.
G Non. Sancta Maria de Nive, et S. Dominici confessoris ✠✠
A viii. Id. Sixti Felicissimi et Agapiti.
B vii. Id. Donati Episc. et ✠✠ Transfiguratio Domini Nostri.
C vi. Id. Sancti Cyriaci.
D v. Id. Vig. S. Laurentii, et ✠✠ Romani Mart.
E iiii. Id. S. Laurentii.
F iii. Id. S. Tyburtii.
G ii. Id. S. Date Virg. ✠✠
A Idus Ypoliti, et Cassiani.
B xix. Chal. Sept. Eusebii. Vig.
C xviii. Chal. Assumptio S. Marie.
D xvii. Chal.
E xvi. Chal. Oct. Sancti Laurentii.
F xv. Chal. S. Agapiti.
G xiv. Chal. S. Ludovici Ep. de Ordine Minorum ✠✠
A xiii. Chal. S. Bernardi Ab. et Confessoris ✠✠
B xii. Chal.
C xi. Chal. Oct. S. mar. Timothei Simphoriani.
D x. Chal. Vig.
E ix. Chal. S. Bartholomei.
F viii. Chal. S. Genesii, et S. Ludovici Francorum Rex ✠✠
G vii. Chal.
A vi. Chal.
B v. Chal. Augustini. Hermetis.
C iiii. Chal. Decollatio S. Johannis Sabine.
D iii. Chal. Felicis et Audacti.
E ii. Chal. S. Juliani Martyris ✠✠

Augusti nepa prima : fugat de fine secunda
Septemb. habet dies xxx, *luna* xxx.

F Sep. S. Reguli Epi.
G iiii. Non.
A iii. Non. Ordinatio S. Gregorii Papæ.
B ii. Non.
C Non.
D viii. Id.
E vii. Id.
F vi. Id. Nat. S. Marie.
G v. Id. S. Gurgonii.
A iiii. Id. S. Salvii Episcopi.
B iii. Id. Sanctorum Prothi, et Jacinti.
C ii. Id.
D Idus.
E xviii. Chal. Oct. Exalt. ✠ Cornelii, Cipriani.
F xvii. Chal.
G xvi. Chal. Lucie et Geminiani.
A xv. Chal.
B xiiii. Chal.
C xiii. Chal.
D xii. Chal. Vig. S. Mathei.
E xi. Chal. S. Mathei Apost.
F x. Chal. Mauricii cum Sociis suis.
G viiii. Chal.

A A viii. Chal. Conceptio S. Johannis
B vii. Chal.
C vi. Chal.
D v. Chal. Cosme et Damiani.
E iiii. Chal.
F iii. Chal. Dedicatio S. Michaelis.
G ii. Chal. Sancti Hieronimi.

Tertia Septemb. vulpis : ferit a pede dena.
Oct. habet dies xxxi, *luna* xxix.

A Oct. Sancti Remigii Epis.
B vi. Non.
C v. Non.
D iiii. Non.
E iii. Non.
F ii. Non.
B G Non. S. Marci pp.
A viii. Id. S. Reparate.
B vii. Id. Donnini, Rustici, et Eleutherii.
C vi. Id. S. Carboni Episc.
D v. Id.
E iiii. Id.
F iii. Id.
G ii. Id. S. Calixti pp.
A Idus.
B xvii. Chal. Non. Galli Abbatis.
C xvi. Chal.
D xv. Chal. S. Lucæ Evangelistæ.
E xiiii. Chal.
F xiii. Chal.
G xii. Chal. S. Hylarionis, et ✠✠ quadraginta militum.
C
A xi. Chal.
B x. Chal.
C ix. Chal.
D viii. Chal. S. Miniatis, Grisanti, et Darie.
E vii. Chal.
F vi. Chal. Vig. Apostolorum Symonis, et Judæ.
G v. Chal. Apostolorum Symonis, et Judæ.
A iiii. Chal.
B iii. Chal. S. Germani Episc.
C ii. Chal. Vig. Omnium Sanctorum.

Tertius October gladius decimo ordine nectit.
Nov. habet dies xxx, *luna* xxx.

D Nov. Festivitas omnium Sanctorum.
D E iiii. Non.
F iii. Non.
G ii. Non. Vitalis et Agricole.
A Non.
B viii. Id. Appiani et Leonardi.
C vii. Id.
D vi. Id. Quatuor Coronatorum.
E v. Id. Theodori et Sancti Salvatoris ✠
F iiii. Id.
G iii. Id. S. Martini. S. Menne.
A ii. Id.
B Idus. S. Britii Episcopi.
C xviii. Chal.
D xvii. Chal.

E xvi. Chal.
F xv. Chal.
G xiiii. Chal. S. Fridriani Epis. ✠✠
A xiii. Chal.
B xii. Chal.
C xi. Chal.
D x. Chal. S. Cecilie.
E ix. Chal. Clementis pp. S. Columbani.
F viii. Chal. Crisogoni.
G vii. Chal. S. Prosperi Episcopi.
A vi. Chal. Gaudentii Episc.
B v. Chal. Jacobi intercisi.
C iiii. Chal.
D iii. Chal. Vig. S. Andreæ, S. Antonini.
E ii. Chal. S. Andreæ Apostoli.
Quinta November atque jus tertia mansit in urna.
Dec. habet dies xxxi, *luna* xxix.
F Dec.
G iiii. Non.
A iii. Non.
B ii. Non.
C Non.
D viii. Id. S. Nicholai Episcopi.
E vii. Id. Ordinatio S. Ambrosii.
F vi. Id. S. Zenonis Episcopi.
A G v. Id. Syri Episcopi.
A iiii Id.
B iii Id.
C ii Id.
D Idus. S. Luciæ virg.
E xix Chal.
F xviii Chal.
G xvii Chal.
A xvi Chal.
B xv Chal.
C xiv Chal.
D xiii Chal.
E xii Chal. S. Thomæ Apostoli.
F xi Chal.
G x Chal.
B A ix Chal. Vig. Nativitatis Domini.
B viii Chal. Nativitas Domini, et S. Anastasie.
C vii Chal. S. Stephani.
D vi Chal. S. Johannis Evangeliste.
E v Chal. Innocentum.
F iiii Chal.
G iii Chal
A ii Chal. Sylvestri pp.
Dat duodena cohors septem in decemque De- [cember.

LUCENSIS KALENDARII FRAGMENTUM.

November habet dies xxx, *luna vero* xxx. *Nox habet* C
horas xvi, *dies* viii.
Kal. Nov. Festivitas omnium Sanctorum, et Sancti Cesarii martyris.
iv Non. Sancte Eusthachie virg.
iij Non. Sancti Euffrosine.
ij Non. Sancti Euffrosini Episc. et Conf.
Nonas. Sanctorum mm. Vitalis et Agricole.
viij Idus.
vij Idus.
vj Idus. Sanctorum martyrum quatuor Coronatorum.
v Idus. Basilica Sancti Salvatoris, et S. Theodori m.
iv Idus. Sanctorum martyrum Respitii, et Nimphe, et Triphonis.
iij Idus. S. Martini Epis. et Conf. et S. Mene m.
ij Idus. S. Martini Pape et m.
Idibus. [*sic*] S. Bricci Episc. et Conf.
xviij Chal. dec.
xvij Chal.
xvj Chal.
xv Chal. S. Ergenii Conf. *Sol in Sagittario.*
xiv Chal. S. Fridiani Ep. et Conf. ✠✠ et dedicatio Basilice Apostolorum Petri et Pauli, duplex minus.
xiij Chal. S. Pontiani pp. et m. ✠ et sanctæ Helisabeth.
xij Chal.
xj Chal. S. Columbani Abbatis ✠✠ et presentatio S. Menne, duplex majus.
x Chal. S. Ceciliæ v. et m.
ix Chal. S. Clementis Pape et m.
viij Chal. S. Grisogoni m.
vij Chal. S. Caterine v. et m. et sancti Prosperi Epis. et Conf.
vj Chal. S. Gaudentii Conf. ✠✠ et S. Petri Alexandrini Episcopi, et martyris.
v Chal. S. Jacobi intercisi m.
iv Chal.
iij Chal. Vig. Apostoli, et S. Saturnini m.
ij Chal. Sancti Apostoli Andreæ : Duplex.
December habet dies xxxi, *luna vero* xxviii. *Nox habet* D
horas xviii, *dies vero* vi.
iv Non. Sanctorum MM. Grisanti, et Darie, et S. Sabbæ Abbatis ✠✠ et S. Ansani m.
iij Non. S. Sabinæ v. et m.
ij Non. S. Barbare v. et m.
i Non. S. Dalmatii Episc. et m. ✠✠ et S. Sabbæ Abbat.
viij Idus. S. Nicolai Episc. et Conf.
vij Idus. S. Ambrosii Episc. Duplex.
vj Idus. Conceptio M. V.
v Idus. S. Siri Ep. et Conf.
iv Idus. S. Eulatie v., ✠✠ et Sancti Melchiadis pp. et m.

iij Idus. S. Damasii Ep. et Conf.
ij Idus.
i Idus. S. Luciæ v. et m.
xix Chal. Jan.
xviij Chal.
xvij Chal.
xvj Chal. Luciani P. sol in capricornis.
xv Chal.
xiv Chal.
xiij Chal. Vigilia Apost.
xij Chal. S. Thomæ Apost. duplex.

A xj Chal.
x Chal.
ix Chal. Vig. Nativitatis Domini
viij Chal. Nat. Domini Nostri Jesu Christi et S. Anastasie Martyris.
vij Chal. S. Stephani Protomartyris Duplex.
vj Chal. S. Joh. Evang. Duplex.
v Chal. SS. Innocentium. Duplex.
iv Chal. S. Thome Episc. et M.
iij Chal. S. Florentii Epis. et Conf.
ij Chal. S. Silvestri Pape et Conf.

INCIPIT BEDÆ MARTYROLOGIUM [6].

Januarius habet dies XXXI, *luna* XXX. *Signum Capricornii. Nox habet horas* XVI, *dies* VIII.

B Jani prima dies, et septima fine tenetur.
Kal. Jan. Circumcisio Domini, et sanctæ Martinæ, et sancti Concordii.
iiij Non. S. Macharii Abb.
iij Non. S. Genofefe Virg.
ij Non. SS. Aquilini, Gemini, Quinti.
Non. Symeonis Profetæ.
viij Idus. Epyphania Domini.
vij Idus. Luciani Presbiteri.
vj Idus. Severini Confessoris.
v Idus. S. Martianæ Virg.
iiij Idus. Pauli Primi Heremitæ.
iij Idus. S. Salvii Conf.
ij Idus. Eductio Jesu ex Ægypto, et S. Basilii Ep.
Idus. Octava Epyphaniæ et S. Hilarii Epis.
xix Chal. S. Felicis Presbiteri.
xviij Chal. S. Mauri Abb.
xvij Chal. Marcelli Papæ et Mart.
xvj Chal. Antonii Monachi.
xv Chal. *Sol in aquarium.* S. Priscæ Virg.
xiv Chal. SS. Marii et Martæ.
xiij Chal. SS. Mart. Fabiani et Sebastiani.
xij Chal. S. Agnetis Virg.
xj Chal. S. Vincentii Mart.
x Chal. S. Emerentianæ Virg.
ix Chal. S. Timothei Apostoli.
viij Chal. Conversio S. Pauli.
vij Chal. S. Policarpi Presbiteri ✠✠ eodem die D Translatio B. Zenobii.
vj Chal. Depositio S. Johannis Chrysostomi.
v Chal. S. Agnetis Secundæ.
iv Chal. . . . .
iij Chal. . . . .
ij Chal. S. Geminiani Episc., et Conf.

Februarius habet dies XXVIII, *et anno bissestili* XX *et* IX, *luna* XXVIII, *anno bissestili* XXX. *Signum Aquarii. Nox habet horas* XIV, *dies* X.

Ast Februi quarta est, procedit tertia fini.
Chal. Febr. Sanctæ Brigidæ Virg., et S. Severii Archiep.
iv Non. Purificatio S. Mariæ.
iij Non. S. Blasi Episc. et Mart.
ij Non. . . . .
Nonas. S. Agathæ Virginis.
viij Idus. . . . .
C vij Idus. . . . .
vi Idus. S. Yventii Episc.
v Idus. . . . .
iv Idus. SS. Zobici, Hyrenei, Jacinti, Amanti, et S. Scolasticæ Virg.
iij Idus. SS. Caloceri, Parthenii, Desiderii ✠ S. Eufraxiæ Virg.
ij Idus.
Idus.
xvj Chal. Mart. S. Valentini Epis. et Mart.
xv Chal. *Sol in pisces.* SS. Martirum Faustini, et Jovidæ.
xiv Chal. S. Julianæ Virg. *Abrasum hic nomen alicujus Sancti. Et hoc positum.*
xiij Chal. S. Polocronii.
xij Chal.
xj Chal. S. Gavini Presbiteri,
x Chal. S. Gagi Papæ.

(6) Vetustissimum est *Martyrologium Bedæ* (ut in codice inscribitur) quod hic procudimus. Neque Martyrologium, neque Bedæ illud ego existimaverim, sed Kalendarium, cum nuda sanctorum nomina contineat, sed fortassis ex Bedæ Martyrologio erutum, atque hic illic auctum atque interpositum. Extat codex unde illud in lucem emittimus in Laurentiana celeberrima bibliotheca, pluteo XVI, n. 6. Missalis autem liber est ad sæculum XI revocandus videtur, uti et *Martyrologium Bedæ*, quod in ejus fronte legitur. Animadverti autem tum in hoc, tum in cæteris Kalendariis auctaria non ita pauca, quæ recentiores manus addidere. Illud igitur curæ mihi fuit ut hæc a primo exemplo apte distinguerentur. Quare auctaria isthæc asterisco quodam prænotavi, et ea quidem quæ omnino recentiora sunt cæteris duobus omnino asteriscis. Festos quoque dies qui in codicibus mss. rubro ut plurimum charactere insigniti sunt, alio hic charactere exhiberi jussi. Intelligebam enim harumce cupediarum studiosis nihil ejusmodi observationum inutile aut ingratum futurum.

jx Chal. S. Policarpi Presbiteri.
viij Chal. Cathedra S. Petri.
vij Chal. ✠✠ Vigilia S. Mathiæ Apostoli.
vj Chal. S. Mathiæ Apostoli, et Inventio capitis Præcursoris.
v Chal. SS. Victoris, Nicofori, Claudiani.
jv Chal. S. Nestoris.
iij Chal. S. Abundantiis.
ij Chal. S. Rufini.

Martius habet namque dies XXXI, *luna* XXX. *Signum Piscis. Nox habet horas* XII, *dies* XII.

Martii prima necat cujus in cuspide quarta est.

Kal. Martii. S. Adriani.
vj Non. S. Hennarii.
v Non. Felicis. Lucioli.
jv Non.
iij Non. SS. Victoris, et Victorini.
ij Non. Perpetuæ et Felicitatis.
Nonas.
viij Id. *Prima incensio Lunæ Paschalis.* S. Urbani.
vij Id. in Armenia 40 militum.
vj Id. Attalæ Abb.
v Id.
jv Id. Depositio S. Gregorii Pap.
iij Id.
ij Id.
Idus.
xvij Chal. April. SS. Cyriaci, Largi, et Smaragdi.
xvj Chal.
xv Chal. *Sol in Arietem.*
xjv Chal.
xiij Chal.
xij Chal. *Equinoctium. Saltus Lunæ.* S. Benedicti Abb.
xj Chal. *Primum Pascha, et Sedes Epacturum.*
x Chal. Adam plasmatus est.
jx Chal.
viij Chal. Dominus Crucifissus est. Annuntiatio Dominica.
vij Chal.
vi Chal.
v Chal.
iv Chal.
iii Chal.
ii Chal.

Aprilis habet dies XXX, *luna* XXIX. *Signum Arietis. Nox habet* X, *dies* XIV.

Aprilis decima est: undena a fine minatur L.....
Chal.
jv Non.
iii Non.
ii Non.
Nonas.
viii Idus.
vij Id.
vi Id.
v Id.
iiii Id.

A iii Id. S. Leonis Papæ.
ij Id. S. Julii Epis.
Id. S. Eufemiæ Virginis.
xviij Chal. Madii SS. Tiburtii, Valeriani, et Maximi.
xvij Olimpiadis, et Maximi.
xvi
xv Sol in Taurum.
xjv
xiii ✠✠ S. Crescentii.
xij
xj
x
jx S. Georgii Martiris.
viij
vij S. Marci Evangelistæ, et Letaniæ majores.
B vj S. Cleti Papæ et Mart.
v
iv S. Vitalis Mart.
iij S. Torpetis Mart.
ij

Maius habet dies XXXI, *luna* XXX. *Signum Tauri. Nox habet horas* VIII, *dies* XVI.

Maius tertius est lupus, et septimus anguis.
Chal. Mad. SS. Apostolorum Filippi et Jacobi.
vj Non. S. Sigismundi Regis, et Mart.
v Non. Inventio S. Crucis, et SS. Alexandri Papæ, Eventi, et Theodoli.
jv Non.
iij Non.
C ij Non. S. Johannis Evangelistæ ante portam latinam.
Non. * 1245 obiit Mag. Pelagotus Cano: Favent: cujus anima requiescat in pace.
viij Id. Victoria S. Michaelis Archangeli.
vij Id. *Estatis initium* habet dies 91.
vj Id. SS. Gordiani, Epimachi, et S. Christinæ Virg.
v Id. S. Victorini Mart.
iv Id. SS. Martirum Neerei, Achillei, et Pancratii.
iij Id. Dedicatio S. Mariæ ad Martires.
ij Id.
Idus *Primum a Pentecosten.* Sancti Hilari Conf.
D xvij Chal. S. Peregrini.
xvj Chal.
xv Chal. *Sol in Geminos.*
xjv Chal. S. Potentianæ Virg.
xiij Chal. S. Eustasii, cum Uxore, et filiis suis.
xij Chal.
xj Chal. S. Juliæ Virg. et Mart.
x Chal.
jx Chal. *Estas oritur.*
viij Chal. S. Urbani Papæ, et sancti Zenobii Ep. et Conf.
vij Chal. S. Augustini primi Anglorum Episcopi.
vj Chal.
v Chal. S. Germani Conf.
jv Chal. S. Restitutæ Virg.

iij Chal.
ij Chal. S. Petronillæ Viduæ.

Junius habet dies xxx, *luna* xxix. *Signum Geminorum. Nox habet horas* vi, *dies* xviii.

Junius in decimo, quindeno a fine salutat.

Chal. SS. Martirum Proculi et Nicomedis.
jv Non. SS. MM. Marcellini, et Petri.
iij Non. SS. Laurentii et Pergentini fratrum.
ij Non. S. Bonifatii Martiris.
viij Idus. S. Alexandri Episc. Fesulani.
vij Idus. S. Fortunati Epis.
vj Idus. S. Medardi Conf.
v Idus. SS. MM. Primi et Feliciani.
jv Idus.
iij Idus. Sancti Barnabe Apostoli.
ij Idus. SS. Basilidis Cyrini Naboris et Nazarii.
j Idus. *Ultimum Pentecosten.*
xviij Chal. S. Feliculæ.
xvij Chal. SS. MM. Viti, et Modesti.
xvj Chal.
xv Chal. *Sol in Cancrum.* ✠ Translatio S. Bartholomei Apostoli.
xjv Chal. SS. MM. Marci et Marcelliani.
xiij Chal. SS. Gervasii, et Protasii.
xij Chal. *Solstitium.* S. Jacobi Alfei, et S. Florentiæ Virg.
xj Chal. S. Albani Mart.
x Chal. S. Albini Mart., et sanctæ Consortiæ Virg.
jx Chal. Vigilia S. Johannis Baptistæ.
viij Chal. Natalis S. Johannis Baptistæ.
vij Chal.
vj Chal. SS. Johannis et Pauli fratrum.
v Chal.
jv Chal. S. Leonis Papæ, et sancti Hyrenei Mart. et Vig. Apost.
iij Chal. Natalis Apost. Petri et Pauli.
ij Chal. Commemoratio S. Pauli Apostoli, et S. Martialis Conf.

Julius habet dies xxx, *luna* xxxi. *Signum Cancri. Nox habet horas* viii, *dies* xvi.

Ter decimus Julius, decem innuit ante Kalendas.

Kal. . . . . .
vj Non. SS. MM. Processi et Martiniani.
v Non. . . . .
jv Non. Turoniæ Translatio sancti Martini.
iij Non. . . . .
ij Non. Octava Apost., et S. Romuli Epis. et mart.
Non. . . .
viij Id. . . .
vij Id. . . .
vj Id. Natalis septem Fratrum.
v Id. SS. Naboris, et Felicis, et Translatio S. Benedicti.
jv Id. . . .
iij Id. . . .
ij Id. *Dies Canicularum.*
Idus. SS. MM. Quiricis, et Julitte.

A xvij Chal. . . .
xvj Chal. S. Alexii Conf.
xv Chal. *Sol. in Leonem.* S. Rosilli, et S. Arnulfi. Conf.
xiv Chal. Sancti Arseni.
xiij Chal. S. Margharitæ virg.
xij Chal. S. Praxesidis virg.
xj Chal. S. Cyrilli Episc. et S. Mariæ Magdalenæ.
x Chal. S. Apolenaris mart.
jx Chal. ✠✠ Vigilia S. Jacobi.
viij Chal. S. Jacobi Apost. Zebedei, et S. Christofori mart.
vij Chal. . . . .
vj Chal. . . . .
v Chal. SS. MM. Nazarii, et Celsi.
B jv Chal. SS. MM. Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis.
iij Chal. SS. MM. Abdon, et Sennenn.
ij Chal. S. Germani Episcopi, et Confessoris.

Augustus habet namque dies xxxi, *luna* xxix. *Signum Leonis. Nox habet horas* x, *dies* xiv.

Augustus nepa prima fer de fine secunda.

Kal. S. Petri ad vincula, et S. Felicitatis, et septem Fratrum Machabeorum.
iv Non. S. Stephani Papæ et mart.
iij Non. Inventio Corporis S. Stephani Protomartiris.[1]
ij Non. S. Justini Presbiteri.
Non. S. Dominici Conf. de ordine FF. Predic.
viij Id. Transfiguratio Domini, et S. Sixti Papæ,
C SS. Felicissimi, et Agapiti.
vij Id. *Autumni initium habet dies* 91. S. Donati Epis. et m.
vj Id. S. Cyriaci mart.
v Id. Vigilia S. Laurentii mart.
iv Id. S. Laurentii.
iij Id. S. Tyburtii mart. et S. Taurini et S. Susannæ.
ij Id. . . .
Id. SS. MM. Ypoliti, et Cassiani.
xix Chal. Sept. Vigilia Assumptionis S. Mariæ, et sancti Eusebii Episc.
xviij Chal. Assumptio S. Mariæ virg.
xvij Chal. . . .
xvj Chal. Octava S. Laurentii.
D xv Chal. S. Agapiti mart.
xiv Chal. S. Magni.
xiij Chal. S. Feliberti Abb.
xij Chal. . . .
xj Chal. SS. MM. Timothei, et Simphoriani.
x Chal. *Autumnus horitur.*
jx Chal. Translatio S. Bartholomæi Apost.
viij Chal. S. Genesii mart. et S. Anastasii mart.
vij Chal. Rufi mart. et Alexandri mart.
vj Chal. S. Cesarii Epis. et Conf.
v Chal. S. Hermetis mart. et Juliani mart. et S. Augustini Episcopi.
jv Chal. Decollatio S. Johannis Baptistæ. et S. Sabinæ virg.

iij Chal. SS. Felicis, et Adaucti martirum.
ij Chal. S. Pauli Episcopi, et Confessoris.

September habet autem dies XXX, *luna* XXX. *Signum Virginis. Nox habet horas* XII, *dies* XII.

Tertia Septembris vulpis ferit a pede dena.

Kal. SS. MM. Prisci, Felix, et Peguli.
jv. Non. S. Justi Epis. et S. Antonini mart.
iij. Non....
ij. Non. S. Marcelli mart.
Non. Exceptio S. Marcelli mar. Cluniaco.
viij. Id. S. Eleutherii, et Zachariæ Prophetæ.
vij. Id....
vj. Id. Nativitas S. Mariæ, et S. Adriani mart.
v. Id. S. Gorgonii mart.
jv. Id. S. Ylarii Papæ, et 800 Mart. et S. Salvii Conf.
iij. Id. S. MM. Proti, et Jacineti.
ij. Id. S. Amati Conf.
Id.
xviij. Chal. Oct. S. MM. Cornelii, et Cypriani, et Exaltatio S. Crucis.
xvij. Chal. S. MM. Nicomedis, et Mamiliali.
xvj. Chal. S. Luciæ, et Geminiani, et S. Eufemiæ virg.
xv. Chal. *Sol in libra.*
xjv. Chal. S. Trophimi.
xiij. Chal. SS. MM. Januarii, Festi, et Desiderii.
xij. Chal. *Equinotium autumnale.* Sanctæ Faustæ virg.
xj. Chal. S. Mathei Apost. et Evang.
x. Chal. S. Mauritii cum sociis suis.
jx. Chal. S. Lini pp. et S. Teclæ virg.
viij. Chal. *Hic inditiones incipiunt. Hicque finitur locus inditionum.* Conceptio Sancti Johannis.
vij. Chal....
vj. Chal. S. Eusebii Conf. et Sanctæ Justinæ virg. et Cypriani mart.
v. Chal. Ss. MM. Cosmæ, et Damiani.
jv. Chal....
iij. Chal. Victoria S. Michahelis Archangeli.
ij. Chal. S. Hyeronimi Presb. et S. Sophiæ cum filiabus suis.

October habet dies XXXI, *luna* XXIX. *Signum Libræ. Nox habet horas* XIV, *dies* X.

Tertius Octubris Gladius decimo ordine nectit.

vij. Chal. Oct. S. Remigi Conf. et Germani Episc.
vj. Non. S. Leodegarii Episc. et m.
v. Non. . . .
jv. Non. S. Francisci Conf. de ordine Fratrum minorum.
iij. Non. Placidi, Eventi, Fausti.
ij. Non. S. Marci Papæ et mart., S. Marcelli, et Apulei.
Non.
vij. Id. S. Reparate virg., et Ss. Dominici, Dionisii, Rustici, et Eleutherii.
vj. Id. S. Victoris mart., et Sancti Cervonii Conf.

A v. Id. S. Martialis.
jv. Id. . . .
iij. Id. . . .
ij. Id. S. Calysti Papæ et mart.
Id. . . .
xvij. Chal. S. Galli Conf.
xvj. Chal. . . .
xv. Chal. S. Lucæ Evang. et S. Aquilini Epis. et Conf.
xjv. Chal. *Sol in Scorpionem.*
xiij. Chal. S. Hylarionis heremitæ.
xij. Chal. S. Modesti, et SS. undecim millia Virginum.
xj. Chal. S. Donati, Scotti, Fesolani, Fhilippi, Eusebii, Severini.
B x. Chal. S. Severi Dorothei.
xj. Chal. SS. Vitalis, Felicis, et S. Cresci mart.
viij. Chal. Florentia S. Miniatis cum sociis suis.
vij. Chal. S. Verani mart.
vj. Chal. S. Policarpi, et vigilia Apost. Symonis, et Judæ.
v. Chal. Natalis Apost. Symonis, et Judæ.
jv. Chal. S. Narcisci Epis.
iij. Chal. S. Gergani Conf.
ij. Chal.

November habet autem dies XXX, *luna* XXX. *Signum Scorvii. Nox habet horas* XVI, *dies* VIII.

Quinta Novembris acus vis tertia mansit in urna.

v. Chal. Festum omnium SS., et S. Cesarii mart.
C jv. Non. . .
iij. Non. S. Eufrosini Conf.
ij. Non. Ss. MM. Vitalis, et Agricolæ.
Non.
viij. Id. S. Appiani Conf., et S. Leonardi Conf., et Dedicatio S. Johannis Baptistæ.
vij. Id. *Hiemis initium habet dies* 91.
vj. Id. SS. Quatuor Coronatorum.
v. Id. S. Theodori mart. et S. Salvatoris
jv. Id.
iij. Id. S. Martini Epis. et S. Mennæ mart.
ij. Id.
Idus. S. Britii Episc. et Conf.
xviij. Chal. . .
xvij. Chal. . .
D xvj. Chal. . .
xv. Chal. *Sol in Sagittarium.* S. Eugenii Conf.
xjv. Chal. S. Fridiani Epis. et Conf.
xiij. Chal. . .
xij. Chal. S. Ponziani Papæ.
xj. Chal. . .
x. Chal. S. Ceciliæ virg.
jx. Chal. S. Clementis mart. et Columbani Abb. et S. Felicitatis mart.
viij. Chal. S. Gorgonii mart.
vij. Chal. *Hiems oritur.* S. Prosperi Episc.
vj. Chal. S. Gaudentii Conf.
v. Chal. S. Jacobi intercisi.
jv. Chal. . .

iij. Chal. SS. Grisanti, et Dariæ, et S. Saturnini, et vigilia S. Andreæ.
ij. Chal. Natalis S. Andreæ Apost.

December habet autem dies XXXI, *luna* XXIX. *Signum Sagittarii. Nox habet horas* XVIII, *dies* VI.

Dat duodena cohors septem in die decemque De- [cember.

Kal. S. Candidæ virg.
jv. Non. S. Vivianæ virg. et mart.
iij. Non. . .
ij. Non. S. Barbaræ virg.
j. Non. S. Dalmatii Conf.
viij. Id. S. Nicholai Epis. et Conf.
vij. Id. S. Ambrosii Conf. et S. Savini Epis. et mart.
vj Id. S. Zenonis Epis. et Conf.
v. Id. S. Syrii Epis. et Conf.
jv. Id. S. Gulaliæ virg.
iij. Id. S. Damasi Papæ.
ij. Id. . .
Id. S. Luciae virg.
xjx. Chal. . .
xviij. Chal. . .
xvij. Chal. . .
xvj. Chal. . .
xv. Chal. *Sol. in Scorpionem.*
xjv. Chal. . .
xiij. Chal. Vigilia B. Thomæ Apost.
xij. Chal. *Solstitium.* S. Thomæ Ap.
xj. Chal. . .
x. Chal. . .
jx. Chal. . . Vigilia Nativitatis Domini.
viij. Chal. Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et S. Anastasiæ virg.
vij. Chal. S. Stephani Protomart.
vj. Chal. S. Johannis Apost., et Ev
v. Chal. SS. MM. Innocentium.
jv. Chal. S. Thomæ mart.
iij. Chal. S. Florentii Conf.
ij. Chal. S. Silvestri Papæ.

IN SEQUENTEM MISSAM ET MISSÆ FRAGMENTUM

JOANNIS BONÆ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. S. Bernardi ad Thermas presbytero cardinali, ordinis Cisterciensis,

ADMONITIO.

(*Rerum liturgicarum*, lib. I, pag. 108.)

Matthias Flaccus Illyricus, Centuriatorum Magdeburgensium ac rigidorum Lutheranorum princeps, missam Latinam in antiquo codice ms. repertam typis mandavit Argentinæ anno 1557, eique hunc titulum præfixit : *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa septingesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque codice descripta.* Et in epistola præliminari ad principem palatinum Rheni opinari se ait eam in usu fuisse in Occidente, præsertim in Gallia, et in Germania, *antequam Romana* missandi *ratio ubique recepta est.* Desunt in ea Introitus, Collectæ, Epistola, Graduale, Evangelium, Offertorium, Præfatio, Postcommunio, et quædam alia quæ generaliter tantum sine ulla speciali assignatione nominantur, quia dierum festorumque varietas diversos exigit Introitus, diversas Orationes, Epistolas, et reliqua, quæ singulis missis peculiaria sunt. Ex quo destruitur falsa Illyrici opinatio existimantis unicam olim fuisse missæ celebrandæ rationem absque ullo discrimine temporum et festivitatum. Hujus autem missæ evulgatione credidit vir improbus se plurimum detrimenti catholicæ Ecclesiæ allaturum, ac si illa antiquos sacrificii ritus perperam innovasset; sed excæcavit illum malitia sua; nam e contrario orthodoxæ fidei dogmata receptique Ecclesiæ ritus ex ea passim confirmantur, sanctorum scilicet, et beatæ Virginis invocatio, realis præsentia Christi in Eucharistia, confessio auricularis, oratio pro vivis et defunctis, et alia ejusdem generis multa. Quod cum Lutheri asseclæ statim animadvertissent, omnia edita exemplaria quotquot reperire potuerunt, in unum congesta igne protinus concremarunt; et hinc factum est ut codex ille rarissimus sit, quem nec Cassander nec Pamelius viderunt, licet eo tempore vixerint, et in perquirendis libris ad sacros ritus pertinentibus diligentissimi fuerint. Vidit tamen Menardus, qui eam missam examinat, et cum altera simili a se edita confert in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii, pag. 380 et sequentibus. Vidit Guillelmus Peyratius, qui ejus synopsim refert in tractatu De juribus et antiquitatibus capellæ regis Galliarum lib. II, cap. 13, a pag. 561 et deinceps. Hanc ego Romæ et alibi diu, sed frustra, quæsitam reperi tandem Viennæ in instructissima imperatoris bibliotheca studio ac diligentia Caroli Veterani Musici, qui eam transcripsit ex edito codice, quem ipsi libentissime communicavit V. cl. ejusdem bibliothecæ præfectus Petrus Lambecius. Incidit postea in manus meas eruditum opus Annalium ecclesiasticorum Francorum, auctore Carolo le Cointe, quibus inserta est tomo II, anno 601, num. 20, cum variis notis et observationibus. Ne quid autem hic desit quod ad missæ Latinæ illustrationem pertineat, eam hic recudi facio, simul cum alterius similis missæ fragmento nondum edito.

II. Porro Guillelmus præcitatus, et eum secutus Carolus, quamvis non ignorarent quæ fides præstari posset hæretico pervicacissimo, aliis tamen studiis impediti ne rem accuratius perpenderent, ipsi asserenti sine teste, et ex mera suspicione omni funda-

mento destituta, illam esse missam in Gallicanis Ecclesiis usitatam, antequam Romanam recepissent, facile crediderunt, idque nonnullis conjecturis stabilire conati sunt. Sed quam longe absit hæc missa a veteri Gallicana, et quam falsum de ipsa ac præposterum judicium tulerit Illyricus, hic primitus ostendam; mox meas de vera Gallicana missa conjecturas proponam, peritorumque ac eruditorum hominum, quibus Gallia abundat, censuræ subjiciam. Quæro autem primo loco unde sciat Illyricus missam quam edidit regnum Pippini antecessisse, aut quo teste quove argumento id probet. An Pythagoricum illud obtrudet: *Ipse dixit?* At ego didici nulli mortalium credere, nisi dicti sui rationem reddat. Credo potius viro sapientissimo Hugoni Menardo, qui loco citato haud contemnendis rationibus demonstrat non tantæ esse antiquitatis quantam illi sectarius affinxit, sed duobus aut tribus sæculis posteriorem. Quis etiam illum docuit Romana antiquiorem et ab ea diversam esse? Clausis enim vel in totum Uomericis oculis liquet, ut phrasim Tertulliani usurpem, eam meram ac puram missam Romanam esse diversis orationibus interpolatam. Notavit hoc Georgius Wicellius, Lutheri primum discipulus, postea catholicus in defensione Liturgiæ ecclesiasticæ, statim ac in eam oculis fixit. *Edidit*, inquit, *Illyricus repertam missam Latinam non triumphans tamen de thesauro tanto adversus catholicos, cum vel cæcutienti homini apparent totum illud quod edidit, contra Lutheri Calvinique sectas edidisse, sed et nobis catholicis rem longe gratissimam fecisse. Quid enim ibi nisi missam Latinam, quæ hodie in usu generali est, insciens imprudensque defendit? Tantum abest ut suo sectæque more oppugnet. Locupletior est illa quidem, plusque precum continet, sed omnino tamen eadem est cum usitata; cujus etiam dicta factaque omnia passim sequitur, ut diversam esse confirmare nemo audeat.* Hæc Wicellii verba refert et laudat Carolus le Cointe anno supra notato, num. 21. Eidemque consentit agnoscens hanc esse puram putam missam Romanam, quæ hodie in usu est, licet plures insertæ sint ei orationes. Ait nihilominus hanc missam his precationibus auctam Gallicanam fuisse: ac si Gallicanæ Ecclesiæ tunc relictis propriis ritibus ordinem Romanum jussu Pippini suscepisse censeantur, cum rejectis precationibus missæ Illyrici adjunctis puram missam Romanam frequentare cœperunt, quod sane absurdum foret. Sicut enim homo nudus et idem diversis indutus vestibus, unus et idem homo est, ita missa Romana semper Romana est, etiamsi plures eidem orationes immisceantur. Deinde Illyrici missa nullam habet similitudinem aut convenientiam cum his quæ de missa veteri Gallicana mox citandi auctores tradiderunt. Aiunt enim in Gallicanis missis martyrum passiones descriptas fuisse, cujus rei in missa Illyrici ne minimum quidem vestigium exstat. Aiunt antiquum ordinem missarum diversum prorsus fuisse ab usu Romanæ Ecclesiæ; at missa Illyrici a Romana non differt, imo eadem est, sed interpolata. Denique observo nullam hujus missæ Illyricianæ apud antiquos Patres et ecclesiasticos scriptores mentionem reperiri; nullam ejus in conciliis sive in decretis summorum pontificum approbationem exstare: ex quo conficitur privata alicujus episcopi institutione missæ communi et Romanæ tot orationes superadditas, ut iis recitandis sacerdos occuparetur, cum missam solemniter decantabat, eo præsertim tempore quo Introitum, Graduale, Symbolum et cætera hujusmodi chorus modulatur. Idem prorsus dicendum de duabus similibus missis, quas ex antiquis codicibus Hugo Menardus edidit in appendice ad librum Sacramentorum S. Gregorii, eas nimirum peculiari devotione ab aliquo episcopo institutas: tantum abest ut olim toti Galliæ communes fuerint. Cumque in illis regionibus tot concilia habita sint, tot viri doctrina et ecclesiastica eruditione præstantissimi floruerint, quorum etiam nunc scripta leguntur, nulla tamen harum liturgicarum precationum vel tenuis umbra in illis apparet, quod certe magni momenti est ad Illyrici commentum explodendum de ipsius missa communiter in Galliis usurpata.

III. Accedit aliud argumentum ad falsam Illyrici persuasionem evertendam, quod alia quædam missa eodem modo interpolata reperitur ad usum alicujus Ecclesiæ Romanæ diœcesos, quam opportune mihi videre contigit, dum Illyricianam evolverem. Ea exstat in codice ms. bibliothecæ eminentissimi cardinalis Chisii, num. 1521, charactere Longobardico, cui desunt quædam folia in principio, et multo plura in fine. Continet primo aspirationes ad Deum ex psalmis artificiose contextas, et alias orationes ac litanias; secundo ordinem missæ usque ad Evangelium duntaxat, nam reliqua vel ab iniqua manu avulsa, vel hominum incuria desunt, magno ecclesiasticæ eruditionis detrimento. Hoc fragmentum hactenus ineditum, ne prorsus intereat, publici juris facio post missam Illyrici, cui fere in omnibus consonat, quamvis orationes superadditæ sæpe dissimiles sint. Hæc autem nullo modo spectabat ad Galliam, nam utitur versione Psalmorum Italica quæ diu in usu fuit non solum in Urbe, sed et in omnibus ecclesiis suburbicariis, ac etiam in aliis regionibus, excepta Gallia quæ versionem a S. Hieronymo emendatam statim recepit, atque ideo versio Gallicana dicta est. Cum igitur missa Romana multis superadditis orationibus ad instar ejus quam Illyricus veterem Gallicanam fuisse dixit, in Italia quoque usitata, atque aliis ecclesiis communis fuerit, hinc satis perspicue infertur non fuisse eum ritum specialem alicujus regni aut provinciæ; sed uni tantum vel aliquot ecclesiis privata propria episcopi auctoritate absque ulla synodorum vel apostolicæ sedis approbatione tributum. In Missali item ms. bibliothecæ Vaticanæ, num 3807, proponitur oratio *Summe sacerdos* pro celebrantis arbitrio recitanda, dum in choro *Kyrie* vel *Gloria* cantatur. Eadem præscribitur in Missali Hispalensis Ecclesiæ et ordinis Prædicatorum. Ex quibus omnibus et ex duabus missis editis a Menardo id quoque deducitur quod prædictæ interpolationes in solis missis solemnibus locum habebant, ut tam sacerdos quam ministri, psallente choro, iis vel ex integro vel ex parte recitandis occuparentur. Ex silentio autem veterum scriptorum, qui nullam harum missarum mentionem faciunt, et ex raritate codicum in quibus repertæ sunt, non improbabiliter conjicio, vel ab ecclesiis, quibus traditæ erant, non fuisse receptas; vel statim cum suis auctoribus interiisse. Abhorrent enim plerique a prolixitate, et qui religiosiores sunt ægre novitatibus consentiunt, nec orationes in publicis Ecclesiæ functionibus facile admittunt, nisi fuerint juxta decretum Milevitani concilii, aliasque ecclesiasticas sanctiones synodali vel apostolica auctoritate approbatæ. Missas hujusmodi cœpisse arbitror prope finem sæculi decimi, sive initio undecimi, ut de suis asserit Menardus, qui Illyricianam his antiquiorem non putat. Ejusdem ævi, decimi nimirum sæculi, est codex Chisius, nam characterem Longobardicum, quo scriptus est, in fine ejus sæculi desiisse viri periti a me consulti asseverant. Idem colligitur ex sanctis qui prima parte libelli in litaniis recensentur; nam cum omnes sancti monachi singillatim invocentur, non tamen illi qui circa annum millesimum et deinceps floruerunt. Notæ quoque musicales, quibus in ordine missæ prænotantur *Gloria in excelsis* et *Dominus vobiscum*, illæ sunt quæ in usu erant ante Guidonem Aretinum. Hæc omnia, si rite perpendantur, Illyrici commentum refellunt, qui sine probabili testimonio ausus est missam a se repertam veteris Gallicanæ nomine publicare.

MISSA LATINA.

Incipit Ordo Sacramentorum. *In primis, quomodo sacerdos Apologetica celebrare debeat, antequam ad Missarum celebrationem accedat. Mox antequam sacerdotalibus induatur vestibus, si locus acciderit, vel tempus permiserit, flexis genibus coram Altare cantet VII Psalmos pœnitentiæ, cum litania, qua finita dicat.* Pater noster. Credo in Deum Patrem omnipotentem : *post has preces.*

Exurge Domine adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Dominus Salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine : et misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt.

Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris Domine.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo ; multum est enim.

Non derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me : Domine ad adjuvandum me respice.

Fac mecum Domine signum in bono, ut videant, qui me oderunt, et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Manus tuæ Domine fecerunt me, et plasmaverunt me ; da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Servus tuus sum ego da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Egredere Domine in salutem populi tui : in salutem cum Christo tuo.

Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis.

Dignare Domine die isto : sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos : quemadmodum speravimus in te.

Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus Domine.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum : cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster ; propter gloriam nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Ne reminiscaris Domine dilecta nostra, vel Parentum nostrorum : neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Libera nos Deus in mirabilibus tuis : et da gloriam nomini tuo.

Extende Domine brachium tuum : et libera animas nostras, ne pereamus.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo.

Memor esto Domine congregationis tuæ : quam possedisti ab initio.

Custodi nos Domine, ut pupillam oculi : sub umbra alarum tuarum protege nos.

Protege nos Domine a facie impiorum ; qui nos afflixerunt.

Esto nobis Domine in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvos nos facias.

Esto nobis Domine turris fortitudinis, a facie inimici.

Da nobis Domine auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

In Domino faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.

Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

Sacerdotes tui induantur justitia : et sancti tui exultent.

Domine Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam : et salvi erimus.

Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

His autem precibus finitis, dicat sacerdos has Orationes.

Dominus vobiscum. *Oremus.*

Omnipotens mitissime Deus, respice propitius preces meas, et libera cor meum de malarum tentatione cogitationum, et sancti Spiritus dignum fieri habitaculum merear.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram, et quod delictorum catena constringit miseratio tuæ pietatis absolvat.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

Omnipotens sempiterne Deus misericordiam tuam nobis ostende supplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, sed indulgentiam sentiamus.

Omnipotens Deus misericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui te contemnendo culpam in

currimus, confitendo veniam consequamur.

Postea surgens ad induendum se vestimentis sacerdotalibus primo dicat.

Intervenientibus pro nobis omnibus Sanctis, et electis tuis, actiones nostras quæsumus Domine, et aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut omnis oratio, et cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Tunc lavet manus hunc versum dicendo.

Lavabo inter innocentes.

Oremus.

Largire sensibus nostris omnipotens Deus, ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum.

Cum se exuerit quotidianis vestibus, dicat.

Conscinde Domine saccum meum, et circumda me lætitia salutari.

Hos psalmos interim aum paratur episcopus, circumstantes Clerici canent.

Quam dilecta tabernacula etc. Benedixisti Domine terram etc. Inclina Domine aurem tuam etc. Fundamenta ejus in montibus etc. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod locutus sum. Memento Domine.

Induendum ad Ephot, vel Amictum.

Humeros meos sancti Spiritus gratia tege Domine, renesque meos vitiis omnibus expulsis præcinge ad sacrificandum tibi viventi, et regnanti in secula seculorum.

Ad Albam.

Circumda me Domine fidei armis, ut ab iniquitatum sagittis erutus valeam æquitatem, et justitiam custodire.

Oratio ad Albam.

Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter exoro, ut fraude omnium fuscatorum exutus, alba veste indutus te sequi merear ad regna, ubi vera sunt gaudia.

Ad Cingulum.

Circumcinge lumbos meos Domine zona justitiæ, et circumcide vitia cordis, et corporis mei.

Ad præcinctorium.

Præcinge me Domine virtute, et pone immaculatam viam meam.

Ad Stolam.

Stola justitiæ circumda Domine cervicem meam, et ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Oratio ad Stolam.

Dirumpe Domine vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ servitutis innixus valeam tibi cum timore, et reverentia famulari.

Ad Subtile.

Indue me Domine vestimento salutis, et circumda me lorica fortitudinis

Ad Dalmaticam.

Indumento hoc typico priscorum Patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto vestitus humiliter postulo, ut ex commemoratione passionis tuæ, fiam tibi Domine Jesu Christe jugiter gratiosus, qui vivis, etc.

Ad Casulam.

Indue me Domine sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

Oratio ad Casulam.

Indue me Domine ornamento humilitatis, et charitatis, et concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, ut valeam puro corde, et casto corpore laudare nomen tuum sanctum in secula seculorum. Amen.

Cum Mappulam acceperit.

Investione istius mappulæ subnixe deprecor Domine, ut sic operer in temporali conversatione, quatenus exemplo priorum patrum in futuro merear perenniter gaudere. Per omnia etc.

Cum mappulam induerit.

Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis, et corporis valeam tibi servire. Amen.

Ad induendas manus.

Creator totius creaturæ dignare me indignum famulum tuum indumentis justitiæ et lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus.

Ad Annulum.

Circumda Domine digitos meos virtute, et decora sacrificatione.

Ad Rationale.

Da nobis Domine veritatem tuam firmiter retinere, et doctrinam veritatis plebi tuæ digne aperire.

Postquam infulatus fuerit dicat hanc Orationem.

Rogo te altissime Sabaoth, Pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, et meos lumbos baltheo tui amoris ambire ac renes cordis ac corporis mei charitatis igne perurere, quatenus pro peccatis meis possim digne intercedere, et astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacifics singulorum hostias immolare, me quoque audacter Domine ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me mundare, lavare, ornare, et leniter, ac benigne suscipere, Pater sanctissime, qui cum Filio, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Inde confessio singularis.

Domine Deus omnipotens, qui es trinus, et unus, et ubique præsens, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen latere non possunt, quia peccavi nimis in cogitationibus, in locutionibus, diversisque operibus malis, et multis, et quia ego miser, et miserabilis Domine propter duritiam, et nequitiam cordis mei, nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea propter te miserere mei, qui vivis et regnas.

His omnibus rite peractis dicat Episcopus preces has.

Exurge Domine adjuva nos: Et redime nos propter nomen tuum.

Fiat misericordia tua Domine super nos: Quemadmodum speravimus in te.

Deus tu conversus vivificabis nos: Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: Et salutare tuum da nobis.

Ne intres in judicium cum servis tuis Domine: Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis viveus.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Propitius esto peccatis nostris Domine: Propter nomen tuum Domine.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

Sequuntur Orationes. *Oremus.*

Fac me quæso omnipotens Deus ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Qui etc.

Alia.

Aures tuæ pietatis mitissime Deus inclina precibus meis, et gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, atque æterna charitate diligere merear. Per, etc.

Ad incensum imponendum.

C In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti sit benedictum hoc incensum in odorem suavitatis Domino et in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Amen.

Ad osculandum Evangelium.

Pax Christi in visceribus nostris permaneat.

Cum egreditur Episcopus de Sacrario dicat:

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Ecclesiam intrans dicat:

Introibo in domum tuam Domine, et adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

D Domine deduc me in justitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu meo viam tuam.

Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me, Deus propitius esto mihi peccatori.

Interim cum Processione egrediens, ad gradus hunc psalmum pro se cum deducentibus eum cantet.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit etc.

Cum Versu.

Virga tua, et baculus tuus etc. *Quo finito subjungat orationem hanc:* Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui es magnus, et mirabilis Dominus, qui nobis donasti introitum in A Sancta Sanctorum incarnationem Unigeniti Filii tui Domini nostri obsecrantes, postulamus benignitatem tuam, quia in timore sumus, et tremore, volentes assistere ante sanctum, et gloriosum Altare tuum, ut emittas super nos donum gratiæ Spiritus sancti, et innoves animas nostras, et corpora, ut mundo corde offeramus tibi sacrificium, donum fructiferum in remissionem peccatorum nostrorum, et populi tui, per gloriam, et humanitatem Jesu Christi filii tui, qui tecum etc.

Coram Altare autem stans cum Processione, proferens confessionem det indulgentiam Ministris hanc.

Indulgentiam et remissionem ipse occultorum omnium cognitor per Dominum nostrum Jesum Christum filium suum, una cum Spiritu sancto con-
B tritionem spiritus, gemitum cordis, et confessionem oris vestri blande et venerabiliter suscipere dignetur, quique mulieri peccatrici omnia peccata dimiserat lachrymanti, et latroni ad unam confessionem claustra aperuit Paradisi, ipse vos redemptionis suæ participes ab omni vinculo peccatorum absolvat, et membra aliquatenus debilitata suæ medicina misericordiæ sanata, corpori sanctæ Ecclesiæ redeunte gratia restituat, atque in perpetuum solidata custodiat. Qui vivit et regnat.

Data indulgentia adnectat has Orationes.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus te humiliter deprecamur, ut non nos permittas perire, quia tua creatura sumus, sed concede nobis spatium vitæ vivendi, ut ante diem exitus nostri per veram pœnitentiam, fidemque rectam, et puram confessionem tibi omnipotenti Domino in hac præsenti vita placere mereamur. Per etc.

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens, et misericors Deus, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per etc.

Alia.

Famulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce, et qui placere de actibus nostris non valemus Genitricis filii tui Domini Dei nostri, et istorum, atque omnium Sanctorum tuorum intercessione salvemur. Per eumdem etc.

Deinde in eodem loco presbyteris illum ducentibus, et diaconis præbeat osculum pacis, ipsique post acceptam pacem ab episcopo, singuli ascendant ad cornu altaris, osculantes illud. Et redeant presbyteri ad ducendum Episcopum ad altare, et in ascendendo dicat orationem hanc:

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aufer a nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire.

Et dum pervenerit ad Altare imponat per se Antiphonam.

Introibo ad altare Dei, ad Dominum, qui lætificat juventutem meam. *cum Psalmo.* Judica me Deus, et discerne causam meam de gente.

Quo finito has adnectat preces.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non abscondi, iniquitates meas ego cognosco, et delicta mea contra me sunt semper. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam ; propter nomen tuum Domine vivificabis me in B æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

Egredere Domine in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Tunc salutat Evangelium, dicens :

Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet, et conservet corda et corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Deinde osculetur Altare dicens hanc orationem :

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris Altaribus adstare voluisti, et sancti nominis tui laudare potentiam, concede, quæso, per hujus Sacramenti mysterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare, atque æterna charitate diligere merear. Per etc.

Post hæc secreto dicat hanc confessionem.

Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ Domine Deus meus Jesu Christe, quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, accidia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, et superbia perditus sum, et omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis extinctus sum, qui justificas impios, et vivificas mortuos, justifica me, et resuscita me Domine Deus meus. Qui vivis etc.

Alia.

Confiteor tibi peccata mea æterne Pontifex, et sanctorum minister, et veri tabernaculi sacerdos, qui semel in anno in mysteria sancta intrasti, et sanctum immaculatum agnum proprii corporis tui ad hostiam dedisti, pro peccatis meis. Tibi confiteor, quia debitor sum tibi, non solum decem millia talenta delictorum meorum, sed totius vitæ meæ reddere rationem debeo, quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfecte a me custoditum scio, in quo ego sermone, visu, auditu, gestu, gressu, opere, cogitatione, aut suasione, vel consensu me deliquisse profiteor. Sed nunc Domine prævenio faciem tuam in confessione, et in conspectu Angelorum, et A omnium sanctorum confiteor tibi peccata mea, veniam postulo pro delictis meis, teque obsecro, ut in hoc tempore accepto exaudias me, et in his diebus salutis adjuves me, ut in præsenti perfecte valeam recognoscere peccata mea, et æterno Judici confiteri, et per id veniam mereri omnium delictorum meorum, quatenus ad tremendum judicium tuum securum me ab omnibus accusationibus inimici facias pervenire. Per etc.

Alia.

Ego miser peccator, qui me præ omnibus Christianis sceleratissimum puto, et scio, confiteor Domino, et omnibus Sanctis ejus, omnibus sceleribus et flagitiis infinitis ab ineunte ætate usque in præsentem diem me semper occupatum fuisse, sine aliquo divini timoris intuitu, maxime autem in fornicationibus nimiis et variis, sedula ebrietate hoc perpetrante, negligentiis omnigenis, perjuriis, mendaciis, invidia, superbia, malitia, gula, avaritia, rapina, furto, in vana gloria, in arrogantia, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in detractione, in ira, in odio, in maledictione, in susurratione, in tristitia, in lætitia vana, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderate, in remittendo incaute, in dilectione vana, in risu, in joco, in scurrilitate, in discordia, in seminando discordiam, in ficta amicitia, in dando, et accipiendo, et in omnibus sensibus corporis me corruptum esse confiteor, et in omnibus pestibus, quæ ad mortem C meam pertinent, me gravatum, et repletum esse profiteor ; in tantum ut nec homicidii me securum confidam, quia plurimos per meam negligentiam fame mortificatos esse, quos aliquatenus vivificare potuissem, si de his, quæ superflua erant, propensiorem eis curam impendissem. Hæc omnia cum semper fecissem, numquam ea pura confessione purgavi, vel debita pœnitentia minui, sed semper gravibus graviora adjeci, pro his omnibus, et aliis innumerabilibus, quæ non solum non numerare, sed nec ad memoriam reducere potero, veniam a misericordissimo Domino peto, quia nescio, ubi fugiam ab ira ejus nisi ad illum.

Post confessionem singularem sequuntur orationes.

Tuam Domine clementiam deprecor, ut mihi ve- D niam peccatorum meorum concedas, et me in mandatorum tuorum custodias observatione, nec non etiam me indignum exaudiri digneris pro omnibus, quorum confessiones, vel eleemosynas suscepi, vel qui se confidentia charitatis mihi commendaverunt, ut sive vivunt, sive in tuæ pacis spe requiescunt, tuæ propitiationis perpetualiter sentiant adjumentum.

Salva me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, da mihi et velle, et operari, et perficere, quæ tibi placent, et mihi expediunt, da in perturbatione auxilium, in persecutione solatium, et in omni tentatione virtutem, tribue de præteritis veniam, de præsentibus malis emendationem, de futurisque digneris largiri custodiam. Amen.

Alia.

Obsecro Domine Jesu cunctas Civitatis meæ portas justitiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo, tuæque majestati cum ministris cælestibus eam crebrius invisenti non fœtor elati cadaveris occurrat. Sed occupet salus muros illius, et portas ejus laudatio.

Alia.

Deus Omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi, contemptu seculi sublimes, justitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica, pœnitendo tibi meruerunt esse devoti, qui etiam, si quid boni, tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quave a te districtione pensetur, ignoro.

Alia.

Indignum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis, nam qui te blandis verbis rogare præsumo, improbis sæpissime factis offendo; tu enim mihi medicinam ingeris ægro, ego sanitati meæ indesinenter contraria ago, legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam vero disciplinam infelix negligo, ad tuum quidem altare, quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contumaci corde recedo, quasi dignum me in oculis hominum ostendo, sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est Domine Deus dare peccatori cor compunctum, fontemque lacrymarum, quo digne valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris delicta deflere, tuum est, ea, ut nubem, cito delere, et licet palmam amiserim innocentiæ, inimico suadente, saltem per confessionem veniam merear, te miserante, ut tibi sit gloria, laus et honor, cuncta regenti in secula seculorum etc.

Alia.

Deus propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis et sine peccato, solus Domine Deus meus, indulge mihi indigno famulo tuo et peccatori, quia peccator sum, et indignus, qui præsumo ad sanctum Altare accedere, et invocare te, quia peccavi coram te, et coram Angelis tuis : sed per illorum intercessionem tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, et confirma me in sancta Ecclesia tua in fide Orthodoxorum, et doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

Alia.

Domine Jesu Christe Redempor Mundi propitius esto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti, quia tu solus Domine immortalis es, et sine peccato indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum Altare tuum et invocare te, quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, et coram Angelis, et omnibus Sanctis tuis, sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque peccatorum meorum, et doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

A

Alia.

Deus misericordiæ et veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, ut mihi misero innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi, quatenus te miserante in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus ad æternæ beatitudinis participationem pertingam, cunctis etiam in corpore, sive extra corpus viventibus, qui mihi spiritali, vel carnali conjunctione cohærent, et qui se mihi vel confitendo, vel rogando commendaverunt, nec non et quorum pecunias, vel eleemosynas suscepi, vel qui per meam negligentiam, seu malitiam corrupti sunt, manum misericordiæ tuæ porrigas, et per ineffabilem largitatem tuam adoptatam eis indulgentiam peccatorum concedas et ad requiem
B beatorum spirituum perducere digneris. Per, etc.

Alia.

Clementissime Christe fidelium animarum redemptor, propitius quæso adesto meis indignis precibus exauditor, qui ad immolandam sacræ tuæ passionis hostiam tremens assisto, dum multifaria, et noxia me accusantia crimina recognosco, debita altaribus tuis indignus sacrificia tuo conspectui offerre præsumo, qui ante tuæ Majestatis præsentiam jaceo, corpore, mente, cordeque pollutus, sed habeas inter hæc tuum antidotum Christe, quo sanare bone Medice animarum vulnera nosti. Conscriptum quæso contra me, Arbiter alme, dele peccati chirographum, ne ultor a me suum ultra valeat exigere nummum. Ob hoc tuam Domine clementiam indigno ore, mente-
C que deposco, ut sereno familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem digneris aspicere vultu, ne per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus dignatus es tuum sanctum fundendo sanguinem esse redemptio, sed tua nos semper, et ubique protectione conserva, ut quos pretioso sanguine redemisti in terris, æterna facias cum sanctis tuis gloria numerari in cœlis, qui cum æterno Patre, vivis, et regnas Deus in unitate Spiritus sancti in secula seculorum. Amen.

Has orationes interim dicat, donec cantentur Versus ad introitum, et kyrie eleison, et deinde carmen Angelorum.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus
D bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, Hymnum dicimus tibi, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens; Domine Fili unigenite Jesu Christe altissime, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis, quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu Christe cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Hæc sequens Oratio dicatur ab episcopo interim donec hymnus Angelicus finiatur.

Oremus.

Deus qui juste irasceris et clementer ignoscis, qui

etiam non mortem peccatorum, sed vitam desideras, me miserum, fragilemque peccatorem delictorum sordibus plenum a tua pietate non repellas, neque respicias ad peccata mea, quæ male vivendo commisi, sed ad immensas misericordias tuas, quibus gratuito munere peccantibus subvenire consuevisti, obsecro itaque Domine, ut immemor sis peccatorum meorum, et memor misericordiarum tuarum, vota, precesque meas dignanter suscipias, et dissimulatis fragilitatis meæ peccatis, labia mea aperias, et ad confessionem me tuæ laudis placatus admittas, qui per incarnationem et humanitatem D. N. J. Christi filii tui dedisti pacem hominibus, et cœlestium collegium Angelorum, da me et de tuæ pacis ubertate repleri, et de Angelicæ societatis unitate lætari; sicque me facias his temporalibus officiis interesse, ut ad tuas misericordias in æternum cum illis decantandas perpetuis electorum tuorum choris aggregari præcipias. Per etc.

Finita Angelica laude missalem orationem dicat sacerdos. Deinde lectio recitetur, et inter lectionem, et evangelium, id est tempore Gradualis, et Alleluia ac Sequentiæ, episcopus dicat has orationes:

Ante oculos tuos Domine Deus, conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non mereor, tu scis Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus fateri, quod non timemus admittere: verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce Domine confidentibus, ignosce precantibus, miserere te rogantibus. Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, et apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta Domine, ut si ex nobis indignis, duri cordis verba non suscipis per temetipsum veniam largiaris. Qui vivis etc.

Alia.

Christe parce miserere mei, non secundum merita mea, sed secundum misericordiam tuam. Noli me despicere peccatorem. Noli me reprobare, sed suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione mea: miserere mei Domine, quia peccavi tibi, da mihi fontem lachrymarum, fons vitæ, et lux luminis, concede mihi in præsenti vita veram pœnitentiam de peccatis meis, et in bono perseverantiam. Domine exaudi orationem meam: Qui vivis etc.

Alia.

Quæsumus immensam pietatem tuam Deus ne nos pro nostra iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta disponas, nec sicut meremur delinquentibus irascaris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias, omnibusque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.

Alia.

Mordacis conscientiæ stimulis, et delictorum nostrorum recordatione commoniti Dominum indulgentiæ deprecamur, ut quidquid, dicto, facto, cogitatione deliquimus, sive lubricæ ætatis impulsu, sive errore ignorantiæ commisimus, pietas Domini nostri solvere, ac perdonare dignetur, ut te Domine annuente, valeamus quæ mala sunt declinare, et quæ bona sunt consequenter explere, et quia nos fecisti ad tua sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare, omnibusque errantibus indulge, juxta magnitudinem pietatis tuæ.

Alia.

Si ante oculos tuos Domine, culpas quas fecimus, et plagas quas, vel durissimas in hac vita pati possumus conferamus, minus est, quod patimur, majus est, quod meremur; peccati pœnam sentimus et peccandi pertinaciam non evitamus; in flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, et iniquitas non mutatur; mens ægrota torquetur, et cervix dura non flectitur; vita in dolore suspirat, et tamen in opere non se emendat. Si expectamur, non corrigimur; si vindicas, non duramus, confitemur in correptione, quod fecimus, obliviscimur in visitatione, quod flevimus; si impresseris manum facienda promittimus, si suspenderis gladium promissa non facimus; si ferias, clamamus ut parcas; si parcis, iterum te provocamus ut ferias; si angustiæ veniunt, tempus petimus pœnitentiæ; si misericordia subveniat, abutimur patientia, quæ pepercit: adhuc plaga illata vix præterit, etiam non recolit mens ingrata, quod pertulit: si citius nos exaudias, ex misericordia insolescimus; si tardius, ex impatientia murmuramus. O Domine volumus te servare, quod feceris, non timemus negligere, quod jusseris; habes Domine confitentes reos, parce quia pius es. Vovimus, quod nisi dimittas, recte nos punias; sed apud te est multa miseratio, et propitiatio perabundans; præsta sine merito, quod rogamus, qui fecisti qui te rogarent. Clamantibus autem ad te nobis Domine miserere. Moveat pietatem tuam vox fidelis et flebilis, atque illa de qua totum speramus pietas non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus; et cum sit grandis miseria esse nos reos, major tibi sit clementia erga nos miseros. Erige nos Domine Deus noster, et alleva misericordia tua, ut communione salutis, et gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide et pace cunctarum gentium gaudeamus. Per etc.

Alia.

Ante conspectum tuæ inæstimabilis majestatis, sancta Trinitas, et vera Unitas omnipotens æterne Deus non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate vilis admodum precator accedo, et reus conscientiæ assisto testis, accuso ego me, et non excuso, sed coram testibus: scilicet omnium Sanctorum tuorum reliquiis, vel omnibus Sanctis tuis in cœlo, et in terra, confiteor omnes injustitias meas tibi, quatenus per eorum merita, et intercessiones remittas omnem peccati mei impietatem, quia ego peccavi in cœlum, et coram te; etiam non sum dignus vocari filius tuus, peccatorum sordibus involutus, sed tu occultorum cognitor miserere mei, et resuscita me de morte animæ meæ, et septiformis

gratia Spiritus sancti illumina cor meum, et doce me facere voluntatem tuam ubique, quia Deus meus es tu. Amen.

Alia.

Miserere Deus omnibus errantibus, et ad te pertinentibus, et his omnibus miserere, pro quibus debitores sumus exorare vivis, sive defunctis, vel quorum eleemosynas, et confessiones suscepimus, et nomina ad commemorandum conscripsimus, quatenus his omnibus misericorditer indulgeas, et vitam æternam concedas, nec non persequentibus nos, et calumniantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ. Amen.

Alia.

Succurre mihi Deus meus antequam moriar, antequam me tormenta rapiant, antequam me tenebræ obvolvant ; Deus enim judicii tui teneor peccati pavore, iram tuam formido ; si enim vix justus salvabitur, ego impius ubi ero, quid faciam, dum venerit tremendi judicii dies? Cum examen judicis venerit, quid respondeam? quid vero dicturus sum, cum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Melius fuisset non in sæculo procreatum, quam æterna supplicia perpeti cruciandum. Peccavi enim sæpe in verbo, in facto, in cogitatione, et peccavi crudeliter, nullum invenitur peccatum, cujus sordibus non sim ego miser inquinatus, nullus est morbus vitiorum, a quo non contraxi contagium. Semper delicta mea iteravi : plurimos pravi moribus ad iniquitatem perverti : exemplis vitæ meæ multi subversi sunt. Obsecro vos omnes choros sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, et omnium sanctorum, ut oretis pro me, ut misereatur mei Deus, et deleat peccata mea, uti auferat iniquitatem meam, et recipiat me in gaudium sempiternum. Tu Domine misericors, clemens, et pius nullum relinquis, nullum respuis, nullum secludis a misericordia tua. Converte animam meam in requiem Paradisi. Tu ovem errantem requisisti, et inventam tuis humeris reportasti ad gregem ; quæso hanc vilissimam animam manibus attrahe, et offer benedicto, et immortali Patri tuo, coram Cherubim et Seraphim, et coram sanctis Angelis, ut deliciis paradisi fruens cum eis dicere possim. Gloria Patri immortali, gloria Filio immortali, gloria Spiritui sancto immortali, in sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Domine Jesu Christe, qui me tuo sanguine redemisti, exaudi me peccatorem quotidie peccantem, et in peccatis nimiis jacentem. Tibi soli peccavi, te Christe confessus sum. Ego peccavi coram te, et coram omnibus sanctis tuis, in verbis, et in factis, in omnibus cogitationibus meis, quibus excogitare potui. Infelix ego homo innumerabilia sunt peccata mea : miserere mei Deus, omnipotens Deus. Veniam peto coram te et sanctis tuis, de universis peccatis meis præteritis, præsentibus, et futuris. Deus propitius esto mihi peccatori, et da mihi licentiam in hac vita agendi pœnitentiam, per quam deleam omnia peccata mea, quia nescio ubi fugiam, nisi ad te Christe, quia tu es vita vivorum, et resurrectio mortuorum. Orate pro me misero omnes sancti Apostoli, atque Martyres, Confessores, et sanctæ Virgines, atque Viduæ, et omnes Sancti, et electi Dei ; orate pro me, ut Deus omnipotens illuminet vultum suum super me miserum, et misereatur mei. Qui vivit, et regnat etc.

Alia.

Domine Jesu Christe integritatis amator muni cor meum ab omnibus sagittis, et insidiis inimici, et extingue in me omne incendium libidinis, et ad veram humilitatem, et patientiæ tranquillitatem converte, pectus meum succende charitatis stimulis, ut odio habens omnem viam iniquitatis possim cunctis diebus vitæ meæ tibi complacere. Qui vivis etc.

Alia.

Tuam Domine clementiam precor, ut mihi famulo tuo remissionem cunctorum tribuas peccatorum, et omnibus pro quibus debitor sum exorare, vivis sive defunctis, misericordiæ tuæ munus impendas, ut ad æternam vitam tua gubernatione perveniant, et tuæ ubique gratiæ dona percipiant. Per etc.

Alia.

Projectis nobis Domine in condemnationem operum nostrorum, da capiti nostro aquam, et oculis nostris fontem infunde lacrymarum, ut peccati maculas abluendo ultrices pœnarum flammas fletuum ubertate vincamus, et quia tibi Domine non sunt occulta, quæ gessimus, concede, ut in nobis, non oris sit tantum confessio, sed etiam cordis, nec excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. Siquidem castos cordis nostri oculos lasciviæ violavit aspectus, sunt mores corrupti, disciplina violata, simulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio stulta, mens dubia, concupiscentia carnalis, sollicitudo terrena, oblivio animæ, negligentia sanctitatis, super hæc autem mortis timor increvit. Miserere nobis Domine, miserere nobis, et da de præteritis malis veniam, de præsentibus emendationem, et de futuris cautelam. Qui vivis etc.

Alia.

Impellit me peccatorem ministrandi officium, hostiam salutarem offerre pro populi delicto ; sed terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu, si a me omnium sacerdotum peripsema sacrificium offertur, pollutæ conscientiæ crimen augetur. Si tantæ majestati, et universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus adscribitur, inter hæc tuæ omnipotens Deus libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accusante conscientia pertimesco, ne me indignum, quæso, misericordia tua judices, quem, a tempore pœnitentiæ non excludis.

Suspende, precor, interventu istorum, et omnium sanctorum meritis securim, donec cultor vineæ admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi Domine clementissime pœnitenti

qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri, Misericors amare flentis lacrymas respexisti; qui latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum, divina gratia illustrasti; cui mox obtinuit confessio propitium Dei Filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, dum confessor in cruce, possessor extitit Paradisi propter crucem, sed quia verba veniæ tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem adstantium vota suscipe, ut et mihi suis apud te precibus veniam, et eorum meritis sacrificia, nostrorum vulnerum nobis conferant medicinam. At quia Omnipotens pro omnium peccatis factus es hostia salutaris, adsis nobis justificatio pro delictis Jesu Christe Salvator mundi. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas etc.

Oratio pro semetipso.

Salva me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, et da mihi, ut valeam et operari, et perficere, quæ tibi placeant, et mihi expediant; Domine sancte Pater omnipotens Deus da mihi in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, et in omni tempore tentationis virtutem.

Domine sancte, pissime Pater, da mihi de præteritis delictis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris largire custodiam, quia malum dimittere non possum, nec bonum facere, nisi succurrat mihi misericordia tua magna, ut te merear cognoscere et timere, et amare ex toto corde Domine Jesu Christe redemptor omnium, qui es refugium pauperum, et consolator tribulatorum, per tuam magnam misericordiam sis mihi consolatio in omnibus angustiis, et tribulationibus meis, quia non habeo in alium spem nisi in te, quia tu es refugium meum, et virtus in tribulationibus meis, quæ invenerunt me nimis. Propterea clamo ex toto corde ad te, ut exaudire me digneris, et hæc omnia, quæ indignus precor, clementia tuæ pietatis merear adipisci, et quicquid illud est quod infelicitas mea a te petere non sapit, aut non præsumit, id tu pro tua pietate, ac majestate tribue, quia tu es consolatio et protectio vitæ meæ in omni tempore etc.

Oratio in quacunque tribulatione.

Deus qui contritorum non despicis gemitum, et merentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas pietatis tuæ pro tribulatione nostra effundere præsumimus implorantes, ut eas clementer suscipere digneris, tribuasque, ut quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio pietatis tuæ allidas, ut nullis adversitatibus læsi, sed erepti de omni tribulatione, et angustia, læti tibi in Ecclesia tua sancta gratias referamus per Christum, per quem te summe Deus rogamus, ut preces has attendas, et propitiabili dignatione ad hanc nostram orationem respicias, quam tibi pro ereptione, ac revelatione a pressura nostræ infirmitatis offerimus, jam Domine respice super nos vultu placabili, et misericordia singulari a nobis amove, quod sævitia malorum promittit, quod A inimicorum pravitas infert, quod pravorum in consiliis adversitas alligat, quod ex judicio imminet, quod ex sententia pendet, quod conspiratione machinatur, quod accusatione confringitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis fictionibus alligamur, quod pressuris dejicimur, quod cruciatibus premimur, quod angustiis angustiamur, non justitiam tuam, quæsumus Domine in injustitiis nostris exerceas, sed potius pietatem tuam in iniquitatibus nostris manifesta; non nos in persecutione dejicias, non per intolerantiam perdas, sed per tribulationem exerce, per pietatem attolle, per misericordiam rege, quo te protegente ab inimicorum jaculis tuti, a præsenti tribulatione exempti, te Dominum vivum in Trinitate consona laudemus voce. Qui cum B Unigenito filio tuo, sanctoque Paraclito Spiritu vivis, et regnas per infinita secula seculorum. Amen.

Oratio Pastoris dicenda pro se, et pro subditis.

Dimitte Domine Deus omnipotens quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris nostri increpatio momordit in subditos, quicquid minus de boni perfectione diximus parce, quicquid incongruum, vel minus temperate protulimus ignosce. Non incautum præsumptio puniat, sed agnoscentem me iniquitates meas, miserationis tuæ pietas absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia tua. Tu et os meum præconio veritatis perarma, et opus pleniore ubertate sanctifica, ut et indignum salves, et commissum mihi gregem pro tua pietate C sanctifices. Quidquid in illis vitiatum est sana, et quidquid in me vitiosum inspicis cura; si quæ vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt delicta, propitius dimitte. Si quo etiam me ignorante, vel sciente ceciderunt in crimine, atque si exempli mei offendiculo prorumpunt manu misericordiæ tuæ inde eripe, et pro talibus culpis misero mihi non restituas ultionis vicem. His tamen, quibus increpationis visus sum adhibere judicium, increpatio proficiat ad salutem. Et oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortalibus pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, et illorum iniquitatibus tribuas veniam, et meam contractam abluas de regendi incommoditate offensam. D Præbe Deus aurem sacrificiis nostris, et me, mihique commissos tuis adscribe in paginis, quo cum Grege mihi credito, et a cuncto eluar crimine, et ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde Deus nostrorum cordium habitaculum, expulsione carnalium vitiorum; et quia in subditis conor summam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis pacificus merear te judicante coronari cum Angelis. Fac ergo quæsumus nos pie Deus adspicientes in conspectu tuo flammescere tuæ gratiæ dono, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem sancti Spiritus regentes subditos temperemus, ut ex disciplina nostri regiminis capiant lucrum, et illorum duritia frangatur, ac vita sancti-

ficetur. Suscipe Domine nostrorum votorum libamina, et per hæc quidquid in subditos correctionis verbo, vel merito impertimur, non ad discordiam nostri, sed ad dulcedinis perpetuæ gaudium, et nobis, et illis profecisse gaudeamus : ablue nos omnipotens Deus, et alieno, et proprio delicto, ut in utroque et spiritalis gratiæ efficientiam capientes, fiducialius tuo nomini supplicemus. Per etc.

Cum incensum ante evangelium in thuribulum mittitur dicat sacerdos.

Odore cœlestis inspirationis tuæ accendat, et impleat Dominus corda nostra ad audienda, et implenda evangelii sui præcepta. Qui vivis etc.

Benedictio ejusdem.

In nomine Domini nostri Jesu Christi benedicatur incensum istud, et acceptabile fiat in odorem suavitatis.

Deinde inclinanti se diacono dat benedictionem Dei dicens.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, et aperiat Christus Dominus os tuum ad digne, idoneeque pronunciandum sanctum evangelium suum. Dominus Deus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut nuncies competenter evangelium pacis.

Diaconus accipiendo, vel osculando evangelium dicat.

Da mihi Domine sermonem rectum, et bene sonantem in os meum, ut placeant tibi verba mea, et omnibus audientibus propter nomen sanctum tuum in vitam æternam. Amen.

Perlecto autem evangelio, Diaconus dicat.

Per istos sermones sancti Evangelii tui indulge mihi Domine omnia peccata mea.

Et cæteri omnes dicant.

Pax tibi.

Tunc allato incenso, simulque Evangelio ad salutandum dicant singuli.

Per istos sanctos sermones Evangelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus universa peccata nostra.

Quando incensum offertur dicant singuli.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Tunc sacerdos incipiat Symbolum, id est :

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, et terræ. Visibilium omnium et invisibilium ; Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos. Cujus regni non erit finis, et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem. Qui ex Patre, filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas, et unam sanctam catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam futuri seculi. Amen.

Finito Symbolo Apostolorum dicat Sacerdos.

Dominus vobiscum.

Et cum Spiritu tuo

Deinde lavat manus hanc Orationem dicens.

Largire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, et crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per etc.

Hæc prædicta oratio dicenda est a sacerdote cum manus lavat, sive ante Missam, vel interim, seu postea.

Tam diu autem, quam diu offertorium, et versus canuntur has dicat orationes.

Domine Deus omnipotens fac me peccatorem hodie, secundum magnam misericordiam tuam accedere ad sanctum Altare tuum, et præsta, ut non sit mihi hoc sacrificium reatus ad pœnam, sed ablutio salutaris ad veniam. Per etc.

Deus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos ; munda cor meum, et corpus meum ab omni cogitatione mala, et sorde peccati, et fac me digne, atque strenue sanctis Altaribus ministrare tuis, et concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis, et offensionibus meis, et innumeris quotidianis excessibus. Et pro grege mihi commisso, et famulis, et famulabus tuis, qui mihi confessi sunt peccata sua, et suas eleemosynas largiti sunt. Et pro populo mihi subjecto, et omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus odio execrabili insectantibus, et ecclesiæ mihi commissæ adversantibus, cunctisque simul fidelibus Christianis. Et per eum sit tibi meum votum, atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium, qui est summus sacerdos, et pontifex, et solus sine macula peccati Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia, etc.

Alia.

Majestatem tuam totis viribus Deus piissime humili prece deposco, et exoro, ut remittas crimina, quæ caro fragilis a tentatione iniquorum spirituum nequiter admisit, etiam reverti ad ea ultra non sinas, sed confirma me in justificationibus tuis, et perseverantiam mihi tribue in illis, et fac me dignum ante conspectum Majestatis tuæ astare, et sacrificium tibi Domine casto corpore, et mundo corde digne offerre. Per, etc.

Cum autem ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, has orationes humillime ante altare se flebiliter accusans dicat.

Ante oculos tuos Domine reus conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non merear; Tu scis, Domine quæ aguntur in nobis, erubescimus confiteri, quod non timemus admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce Domine confitentibus : ignosce peccantibus : miserere te rogantibus : Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, et apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta Domine, ut si ex nobis indignis, et peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum veniam largiaris. Qui vivis, et regnas etc.

Alia.

Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique contriti cordis sacrificium offerri, hoc sacrificium, quod ego indignus famulus tuus confisus de tua misericordia, tuæ immensæ majestati offerre præsumo, acceptare dignare; et ut ipse tibi sacerdos et ara, et templum, et sacrificium esse merear propitiatus concede quo per ministerii hujus exhibitionem peccatorum meorum adipisci merear remissionem, mihique et his omnibus pro quibus offertur tuam misericordissimam propitiationem concede. Per etc.

Alia.

Conscientia quidem trepidi Domine ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tua misericordia retinemus, et licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, tamen si recedimus, veremur de inobedientia condamnari, pro qua re pietate paterna omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis nostri interiora purgare digneris, precamur etiam, licet culpabiles simus, nostrorum tamen tibi sint placita mysteria consecrata.

Alia.

Ante conspectum divinæ Majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo, miserere mihi Domine homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce mihi Domine præ cæteris capitalium criminum labe polluto, et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet vitiis, ac voluptatibus carnis aggravatus sum; recordare Domine, quod caro sum, in tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus immundus, sicut pannus menstruatæ. Indignus sum Domine Jesu Christe, ut sim vivens, sed tu, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; da mihi veniam in carne constituto ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cœlis etc. Qui vivis etc.

Alia.

Altissime Deus ignosce mihi peccatori, quia totius vitæ meæ superavit me iniquitas; quo vultu te conspiciam Domine, vel quibus verbis me coram tuis conspectibus excusabo, nec enim potero abscondi ante te, qui secreta cordis consideras. Væ mihi peccatori, qui sancto altari tuo indignus assistens, nullum apud voluntatem tuam meritis ornatum exhibui : sed tu Domine miserator, et misericors, qui creasti cuncta ex nihilo, qui me quoque immeritum formasti, et statuisti digne tibi servire, non me repellas a cœlesti tuo sacrario, nec confundas me ante conspectum tremendæ Majestatis tuæ.

Ego vero tibi servire, tibi Domine placere proposui, sed per meam negligentiam non implevi; ego ergo tam in terris quam in cœlo destitutum, et nudum me esse conspicio, quia mandatorum tuorum non custodivi præcepta. Non est igitur mihi spes salutis in operibus meis, sed anima mea in sola pietatis tuæ immensitate suspensa est, et in multitudine misericordiæ tuæ confidit, ut eam salvam facias Domine Jesu Christe, qui non vis mortem peccatorum, nisi ut convertantur, et vivant. Respice secundum magnam misericordiam tuam super me miserum, et rumpantur funes peccatorum meorum, ut non peream. Respice in me Domine de sede Majestatis tuæ, et tenebras cordis mei radio tuæ lucis expelle; protege me Domine scuto veritatis tuæ, ac fidei, ut me diaboli jacula ignita non penetrent; et quicquid illud est, quod infelicitas mea a te petere non sapit, aut non præsumit, id tu Domine pro virtute tua tribue, quod animam meam salvet a morte, et exeunti mihi de hoc cœno tenebrarum manum porrigas, et lumen ostendas, et illud indulge, quod feci, et concede ne amplius faciam. Amen.

Alia.

Ignosce quæso mihi Domine, quem maculatæ vitæ conscientia trepidum, et criminum meorum confusio fecit esse captivum, et qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus assisto, profero ad te, si digneris Domine captivorum gemitus, tribulationes plebium, pericula populorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, desolationes ecclesiarum, sed quoniam me eadem, quæ populum catena peccati constringit; ideo omnes lugeo passiones : non obsit Domine populo tuo oratio subjugata peccatis, per me offertur votum, per te Domine meum compleatur officium, quia vivis, et regnas etc.

Tunc accedens ad altare, et illud osculando dicat.

Oro te Domine omnipotens Deus, ut per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic continentur, eorum intercessionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Qui vivis etc.

Tunc convertat se suscipere oblationes presbyterorum aliorumque. Quando quis oblationem in manum episcopi, vel presbyteri offert, dicat.

Tibi Domino creatori meo offero hostiam pro re-

missione omnium peccatorum meorum, et cunctorum fidelium tuorum vivorum, ac defunctorum.

Pro semetipso, et pro cuncto populo Christiano.

Tibi Domino creatori meo offero hostiam placationis pro delictis meis, et populi tui, peto Domine, ut des nobis veniam omnium peccatorum nostrorum.

Pro rege, et antistite nostro, et pro cuncto clero, ac pro omni populo Christiano.

Tibi Domino creatori meo offero hostiam placationis, et laudis pro me, et pro rege nostro, et antistite nostro, ac pro cuncto populo Christiano, peto Domine, ut des nobis vitam æternam.

Episcopus vero, vel presbyter oblationes accipiens dicat.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. et præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat etc.

Post acceptas oblationes a clero, vel plebe accipiat diaconus de manu subdiaconi oblatam ita dicendo.

Acceptum sit omnipotenti Deo, et omnibus sanctis ejus sacrificium tuum.

Veniensque diaconus ante episcopum offerat dicens hoc offertorium.

Suscipe Domine sancte Pater hanc oblationem, et hoc sacrificium laudis in honorem nominis tui, ut cum suavitate ascendat ad aures pietatis tuæ. Per etc.

Et episcopus accipiens oblationem a diacono dicat.

Acceptabilis sit omnipotenti Deo oblatio tua.

Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens.

Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo et vero, quia te pro æterna salute cunctæ Ecclesiæ tuæ suppliciter exoro. Per etc.

Alia.

Suscipe clementissime Pater hostias placationis, et laudis, quas tibi offero ego indignus famulus tuus, quia tu scis figmentum meum, quia peccavi in conspectu tuo, et non sum dignus tibi hostiam offerre, sed tu clemens, et misericors indulge mihi, et indulgentiam quærentem placatus suscipe Clementissime. Qui vivis etc.

Istæ orationes cum oblationes offeruntur ad altare dicendæ sunt, et est hæc prima quotidiana, et generalis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Jesu Christi, et in honorem sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, et eorum quorum hodie festivitas celebratur, et quorum hic nomina, et reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per etc

Pro semetipso.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis atque offensionibus meis, ut præterita mihi dimittas, et de futuris me custodias, pro salute corporis et animæ meæ, ut hic te donante mandata tua custodiam, et in futuro præmia æterna consequi merear. Per.

Alia pro semetipso

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, et miserrimo omnium hominum, et pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, et de futuris me custodias, et pro sanitate corporis, et animæ meæ, et pro gratiarum actione de tuis bonis, quibus quotidie utor. Domine averte faciem tuam à peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Apologia Sacerdotis.

Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ Domine, Deus meus, quia peccavi in lege tua in cogitationibus, in verbis, in factis, et multa sunt peccata mea, et negligens sum de opere Dei, et de ordine meo, quia peccavi de vana gloria, de superbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falso testimonio, de perjurio, de adulterio, de opere Dei, quod ego negligenter feci, de concupiscentia carnali, de risu, de auditu, de visu, de gula, de crapula, vel de omnibus malis meis; quæ ego negligenter commisi, veniam inde peto Domine, quia culpabilem me regnosco.

Alia.

Deus, qui per os David locutus es, vovete, et reddite Domino Deo vestro, te suppliciter exoro, ut me famulum tuum vigilanter custodias, et oblationem, quam tibi pro memetipso offero, interveniente Beata Maria semper Virgine clementer accipias, qui vivis etc.

Alia.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus, et peccator famulus tuus tibi offerre præsumo pro absolutione peccatorum meorum, quatenus te Domino miserante mihi remissio, et indulgentia peccatorum concedatur.

Pro familiaribus, ac fratribus, et sororibus.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, et nostræ congregationis salute, et pro omnibus in Christo fratribus, et sororibus nostris, et pro omni populo Christiano, et pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, et pro his etiam, qui se commendaverunt in nostras orationes, et qui nostri memoriam in suis orationibus habent. ut hic veniam recipiamus peccatorum, et in futuro præmia consequi mereamur æterna.

Pro Rege, et populo Christiano

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege nostro, et sua venerabili

prole, et statu regni sui, et pro omni populo Christiano, et pro eleemosynariis nostris, et pro his, qui nostri memoriam in suis continuis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, et in futuro consequi præmia æterna mereantur. Per etc.

Pro Ecclesia Catholica.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Ecclesia tua sancta catholica tibi offero, ut tibi grata sit, et ipsi salutaris semper exista Per etc.

Pro salute vivorum.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro salute famuli N. tui, quatenus te donante percepta venia peccatorum, vitæ quoque sempiternæ immensa gaudia percipere mereatur.

Pro infirmis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro infirmo famulo tuo N. ut mentis, et corporis recepta sanitate, in ecclesia tua sancta tibi laudes referat, et de *verbere* tuo æterna præmia consequi mereatur.

Pro defuncto.

Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc salutare sacrificium purgata sanctorum tuorum consortio coadunari mereatur. Per etc.

Pro defunctis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum, famularumque tuarum, et requiem æternam dones eis inter tuos sanctos, et electos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per etc

Alia.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro omnibus in tui nominis confessione defunctis, ut te dexteram auxilii tui porrigente vitæ perennis requiem habeant, et a pœnis impiorum segregati, semper in tuæ laudis lætitia perseverent. Per etc.

Pro omnibus universalis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro seniore nostro, et cuncta congregatione sancti Petri, meisque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus, amicis, meisque propinquis, et omnibus circumstantibus, cunctisque, qui se mihi commendaverunt, et qui pro me orant, seu pro quibus debitor sum exorare tam vivis, quam defunctis, tibi offero, quatenus te Domino miserante, eis et mihi remissio, et indulgentia peccatorum concedatur, et vita æterna condonetur. Per etc.

Tunc imponat oblatam altari, et dicat.

Sanctifica Domine hanc oblationem, ut nobis unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiat. Qui tecum vivit etc.

Deinde Diaconus accipiat a Subdiacono vinum, et misceat cum aqua in calice, dicens.

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti, da nobis A quæsumus hujus aquæ, et vini mysteria ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ dignatus est fieri particeps Jesus Christus

Tunc Diaconus calicem offerat super altare et Episcopo dicat.

Immola Domino sacrificium laudis, et redde Altissimo vota, sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, et dum oraveris ad eum exaudiat te.

Et Sacerdos calicem offerens dicat orationem istud.

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, et deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat

Sequitur Oratio

Domine Deus Jesu Christe, qui in cruce passionis B tuæ, de latere tuo sanguinem, et aquam unde tibi Ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium Altari tuo superpositum, et concede clementissime, ut pro redemptione nostra, et etiam totius mundi in conspectum Divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Qui vivis etc.

Posito Calice super altare dicat sacerdos

Oblatum tibi Domine calicem sanctifica, ut nobis unigeniti tui D. N. Jesu Christi sanguis fiat. Qui tecum etc.

Tunc benedicat utrosque elevata manu, et dicat.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sit signatum, ordinatum, sanctificatum, et benedictum hoc sacrificium novum.

Adjungat.

C Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, et benedic hoc sacrificium, tibi præparatum. Qui vivis etc.

Postea accipiens episcopus thus a diacono ponat in thuribulum, dicens.

Per intercessionem sancti Gabrielis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, et omnium electorum suorum incensum istud Dominus dignetur benedicere, et in odorem suavitatis accipere.

Hæc oratio dicenda est, dum incenso misso in thuribulum ipsum thuribulum super panem, et calicem circumducitur.

Memores sumus, æterne Deus, Pater omnipotens, gloriosissimæ passionis Filii tui, resurrectionis etiam ejus, et ascensionis ejus in cœlum. Petimus D ergo Majestatem tuam, ut ascendant preces humilitatis nostræ una cum incenso isto in conspectum tuæ clementiæ, et descendat super hunc panem, et super hunc calicem plenitudo Divinitatis : descendat etiam Domine illa sancti spiritus incomprehensibilis invisibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat. Per eumdem ejusdem etc.

Circumiens autem altare cum incenso Episcopus aut Presbyter dicat.

Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Sequitur.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Quando odor Incensi porrigitur sacerdoti et fratribus, dicat unusquisque eorum.

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis.

Tunc sacerdos humillime se convertat ad circumstantes dicens.

Orate pro me peccatore, fratres et sorores, ut meum, et vestrum sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum.

Tunc respondeatur ei a singulis.

Suscipiat omnipotens Deus de manibus tuis sacrificium, et orationes tuæ ascendant in memoriam ante Dominum, ipseque te exaudiat, qui te constituit intercessorem pro peccatis nostris.

Orent pro te omnes sancti, et electi Dei, memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue B fiat.

Immola Domino sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Exaudiat te Dominus orantem pro nostra omnium salute.

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua.

Dominus sit in corde tuo, et in ore tuo, et suscipiat sacrificium tibi acceptum de manibus tuis pro nostra, omniumque salute.

Tunc conversus sacerdos ad altare fundat pro semetipso hanc orationem ante secreta.

Domine Jesu Christe fides, et fiducia nostra, et tota in hujus præsentis vitæ ærumna consolatio nostra, me indignum. et peccatorem propitius respice, C et placatus exaudi, et mitte sanctum Angelum tuum de cœlis, qui hanc oblationem suscipiat, et ante conspectum tuæ miserationis repræsentet in memoriam mei ad laudem, et gloriam nominis tui. Qui vivis, etc.

Tunc incipiat secreta, quibus finitis, et præfatione dicta, quando alii Sanctus, sanctus, sanctus *decantant, hæc oratio cursim dicenda est a sacerdote.*

Domine Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque adspicias ad peccata, et scelera mea, et immunditias, turpesque cogitationes, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed ad misericordias tuas et ad fidem, devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam D deprecantur misericordiam, et quia me indignum inter te, et populum tuum medium fieri voluisti, fac me talem, ut digne possim tuam exorare misericordiam pro me, et pro eodem populo tuo.

Domine adjunge voces nostras vocibus sanctorum Angelorum tuorum, et sicut illi te laudant incessabiliter et infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per, etc.

Hac oratione finita, antequam sacramenta incipiantur iterum se Domino commendet dicens.

Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem, et meam intueor fœditatem, A conscientia torqueor peccatorum: verum quia tu Deus multum misericors es, imploro, ut digneris mihi dare spiritum contribulatum, qui tibi gratum sacrificium revelasti, ut eo purificatus vitali hostiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat, et ea deinceps in perpetuum vitandi mihi tutelam infundat, omnibusque fidelibus vivis, et defunctis pro quibus tibi offertur, præsentis vitæ, et futuræ salutis commercia largiatur. Qui vivis, et regnas, etc.

Deinde cum summa reverentia incipiat, Te igitur, *et Ministri stantes in gradibus suis cantent ipsos psalmos, usque dum* Te igitur *finiatur.*

Exaudiat te Dominus.

Ad te Domine levavi animam meam.

Miserere mei Deus secundum magnam.

Domine refugium.

Qui habitat in adjutorio.

Deindè Preces.

Salvum fac servum tuum Domine; Deus meus sperantem in te.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei Domine; et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Vitam petiit a te, et tribuisti Domine longitudinem dierum, in seculum, et in seculum seculi

Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

Exurge Domine adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Oratio pro sacerdote.

Gaudeat Domine quæsumus famulus tuus beneficiis impetratis, et cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum.

Alia communis.

Precibus nostris quæsumus Domine aures tuæ pietatis accommoda, et orationes supplicium, occultorum cognitor benignus exaudi, ut te largiente ad vitam perveniamus sempiternam. Per, etc.

Infra actionem.

In primis una cum famulo tuo Papa nostro N. et pro omnibus orthodoxis, atque Apostolicæ Fidei cultoribus Pontificibus, et Abbatibus, Gubernatoribus, et Rectoribus Ecclesiæ sanctæ Dei, et pro omni populo sancto Dei.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate mihimet, vel familiaritate, et amicitia conjunctorum, cunctorumque sua mihi peccata confitentium, meque in tuo nomine bonis reficientium, et omnium circumstantium.

Hanc etiam oblationem humilitatis meæ, et devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, et criminosis actionibus meis castigandis, et dimittendis, pro cæca, et lapidea cordis mei duritia dissolvenda, et

illuminanda, quæso Domine, ut placatus accipias, et sinum pietatis super me expandas, meque illumines, sensum aperias, spiritum corrigendi tribuas, et ad te misero mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedas. Per Christum Dominum, etc.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus.

Istud præfer in eodem canone, quando concilium, vel consilium aliquod agitur, postquam dixeris æterno Domino viro, et vero.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negotii qualitate, de quo in præsentis disputationis actione ventilatur, ut benigne suscipias suppliciter deprecamur, qualenus, non humano, sed tuo sancto consilio æquoque judicio misericorditer terminatum, vel directum, justitiæ, veritatisque termino finiatur, atque secundum tuam voluntatem modis B omnibus ordinetur, et compleatur. Per Christum Dominum nostrum.

Communicantes, et memoriam venerantes.

Pro semetipso.

Memento Domine, et miserere mei, multi enim, et magni sunt languores mei, mali sunt et pessimi, sed major est misericordiæ tuæ multitudo, miserere mei Domine, et per hoc unicum mundi remedium aliquod stillicidium cœlestis gratiæ arido cordi meo infunde ad cognoscendum te.

Nobis quoque peccatoribus.

Pro semetipso, et pro debitoribus.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. præcipue deprecor pro his, qui memoriam mei coram te in suis precibus faciunt, vel qui se C meis indignis precibus commendaverunt, quique etiam in tuo conspectu, sua mihi delicta confessi sunt, et qui mihi, vel congregationi tuæ aliquid charitatis officio sive pietatis, vel largitatis suæ studio impenderunt, quique etiam mihi propinquitatis, vel consanguinitatis, seu tuæ charitatis affectu conjuncti sunt; mihi quoque indignissimo famulo tuo propitius esse digneris, et ab omnibus delictorum offensionibus me emundare. Per, etc.

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro semetipso in eodem canone dicenda.

Memento etiam mei, quæso Deus, et miserere: et licet hæc sancta indignis meis manibus tibi sancte Pater omnipotens æterne Deus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum, ac venerabile nomen tuum D dignus sum, tamen, quæ in honore, laude, et memoria gloriosissimi et dilectissimi Filii tui D. N. J. C. offeruntur, sicut incensum in conspectu Divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per eundem Christum Dominum, etc.

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro salute vivorum, et mortuorum.

Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, et beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque sanctorum tuorum intercedentibus meritis suppliciter quæsumus omnipotens Deus, ut famulos, ac famulas tuas, quorum eleemosynas accepimus, seu qui nobis familiaritate conjuncti sunt larga miseri- A cordia tua protegas, et ab omnibus impugnationibus defendas, ut tua ubique protectione salventur, et animabus famulorum, famularumque tuarum, videlicet omnium orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, et quorum corpora hic, et ubique requiescunt, vel quorum nomina hic in libro vitæ scripta esse videntur, indulgentiam, et remissionem omnium tribuas peccatorum, et in consortio electorum tuorum habere digneris.

Hic recites nomina quorum velis.

Istis, et omnibus in Fide catholica quiescentibus locum pacis, refrigerii, et quietis, ut indulgeas deprecamur. Per Christum, etc.

Nobis quoque peccatoribus.

Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur. Per Dominum.

Nobis quoque peccatoribus.

Expleta secreta, et oratione Dominica cum dixerit.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Misceatur corpus Dominico sanguini, et dicatur.

Hæc sacrosancta commixtio corporis et sanguinis D. N. J. C. fiat omnibus nobis sumentibus salus mentis et corporis, et ad æternam vitam capessendam præparatio salutaris. Per eumdem, etc.

Fiat commixtio et consecratio corporis, et sanguinis D. N. J. C. omnibus accipientibus nobis in vitam C æternam.

Non mittat episcopus in calicem partem oblatæ, ut presbyteri solent, sed expectet, donec finita benedictione episcopus communicare debeat: et tunc accipiens partem, quam antea fregerat tenensque super calicem immittat dicens:

Sacri sanguinis commixtio cum sancto corpore D. N. J. C. prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

Oratio.

Concede Domine Jesu Christe, ut sicut hæc sacramenta corporis, et sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti; ita mihi famulo tuo indigno, et omnibus per me sumentibus, hæc ipsa mysteria non sint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium D delictorum per te Jesu Christe, etc.

Post hæc dicta osculetur altare, dicens.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum tuam voluntatem pacificare, et adunare dignare.

Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque ferat dicendo:

Habete vinculum pacis, et charitatis, ut apti sitis sacrosanctis Mysteriis.

Et ipsi invicem se pacificando dicant.

Pax Christi, et Ecclesiæ abundet in cordibus nostris.

Quando corpus Dominicum sacerdos in manus accipit dicat

Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Sequitur oratio.

Perceptio corporis tui Domine Jesu Christe, quam indignus sumere præsumo, non mihi proveniat ad judicium, et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamen mentis, et corporis, qui cum Patre etc.

Alia.

Fiat mihi obsecro Domine hoc sacramentum tuum quod indignus, et peccator præsumo percipere confisus de tua larga clementia ad viscera misericordiæ tuæ, et gratiam salutis, ad sanitatem animæ, et corporis, remissionemque omnium peccatorum, ut non ad judicium, sed ad remedium, illud merear percipere Salvator mundi, etc.

Cum corpus sumitur.

Corpus D. N. J. C. sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

Quando calicem in manus accipit sacerdos dicat.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sequitur oratio.

Communicatio, et confirmatio corporis, et sanguinis D. N. J. C. prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, et conservet me ad vitam æternam.

Alia ad utrumque.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus da mihi hoc corpus, et sanguinem Filii tui, ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum accipere, et tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, et præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in secula seculorum Amen.

Cum sanguis sumitur.

Sanguis D. N. J. Christi custodiat me in vitam æternam.

Post perceptam communionem.

Domine J. C. Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus, et sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus, et universis malis meis, et fac me tuis obedire mandatis, et a te nunquam in perpetuum separare digneris. Qui vivis etc.

Alia.

Corpus tuum Domine, quod accepi, et calix quem potavi, adhæreant in visceribus meis, et præsta ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. Qui vivis etc.

Deinde presbyteris, et diaconis corpus in manus accipientibus, et communicantibus dicitur singulis:

Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Alia.

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

Calicem vero cum sacrosancta commixtione dando unicuique dicat.

Hæc sacrosancta commixtio corporis, et sanguinis D. N. J. C. prosit tibi ad vitam æternam

Subdiaconis autem, ac alio clero communicet hoc modo dicens.

Perceptio corporis, et sanguinis D. N. J. C. sanctificet corpus, et animam in vitam æternam. Amen.

Populo quidem communicando dicat.

Corpus, et sanguis D. N. J. C. prosit tibi in remissionem omnium peccatorum, et ad vitam æternam. Amen.

Interim dum communicant, dicat.

Ignosce Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, et immundorum actuum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine, tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, et immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mei Domine, miserere, mihi ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices quem pro aliis rogare permittis, et in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses. Salvator miserere mei

Post perceptam communionem.

Quod ore sumpsimus, Domine, mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per etc.

Oratio.

Obsecro etiam te piissime omnium auxiliator, ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie cum conscientia polluta nomen sanctum tuum præsumo invocare, corpusque Christi Filii tui, et sanguinem indignus audeo accipere : quin magis per hoc me expurges sedulo, et munias ab omnium inimicorum jaculo, ac per eum in me habitare digneris, quem ad hoc misisti, ut redimeret nos ab omni inquinamento spiritus, et carnis, per ipsum unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, nos omnes ab omni libera malo, et in omni bono conserva. Qui tecum, etc.

Alia.

Conservent nos Domine munera tua, et æternam vitam tribuant nobis. Per etc.

Alia.

Custodi intra nos Domine, gratiæ tuæ munus, ut adversus omnia præsentis, et futuri seculi mala, eucharistiæ, quam percepimus viribus, et virtute muniamur. Qui vivis etc.

Alia.

Præsta Domine Jesu Christe fili Dei vivi, ut qui corpus, et sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus, et bibimus, fiat nobis ad salutem, et ad redemptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum. Per etc.

Postquam Diaconus dixit Ite Missa est, *veniat Sacerdos ante Altare, et osculando dicat :*

Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, et præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis obtuli, sit tibi placens, mihique, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Qui vivis, etc.

Finita Missa accedat ad Altare, et osculetur illud dicens.

Meritis, et intercessionibus Beatæ Mariæ semper Virginis, et istorum atque omnium sanctorum suorum misereatur nostri omnipotens Deus, qui vivit, etc.

Expletis omnibus, episcopus de altari ad sacrarium rediens cum diaconibus, et cæteris quibus voluerit, cantet hymnum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino.

Laudate Dominum omnes gentes.

Laudate Dominum in sanctis ejus

Postea.

Pater noster, qui es in cœlis.

Et preces.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua; et sancti tui benedicant tibi.

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Exultent justi in conspectu Dei : et delectentur in lætitia.

Non nobis Domine non nobis : sed nomini tuo da gloriam.

Sacerdotes tui Domine induantur justitia, et sancti tui exultent.

A Non intres in judicium cum servis tuis Domine, Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine Deus virtutum converte nos : Et ostende faciem tuam, et salvi erimus

Benedicat nos Dominus Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.

Domine exaudi orationem meam; et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, quem omnia opera benedicunt, quem cœli glorificant, quem Angelorum multitudo conlaudant, quæsumus te, ut sicut tres pueros de camino incendii, non solum illæsos, sed etiam in tuis laudibus conclamantes liberasti; ita nos peccatorum nexibus obvolutos, velut de voragine ignis eripias, ut dum B te pari benedictione laudamus, criminumque flammas, operumque carnalium incendia superantes, hymnum tibi debitum jure, meritoque reddamus. Per Dominum nostrum etc.

Alia.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium concede propitius per intercessionem eorum, et merita omnium sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum atque tormentorum. Per Dominum, etc.

Alia.

Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut omnis oratio, et cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per. etc.

C *Explicit ordo de officio Missæ.*

FRAGMENTUM MISSÆ

Ab initio usque ad Evangelium, ad instar superioris variis orecationibus interpolatæ.

Incipit Ordo qualiter Missa celebrari debeat. *In primis sacerdos dicat orationem ad calceandum se.*

Calcea Domine pedes meos in præparatione evangelii pacis, et protege me in velamento alarum tuarum.

Ad manus lavandas. Largire sensibus meis omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentis, et crescant in nobis sanctarum argumenta virtutum. Per Christum etc.

Ad mappam. Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire. Per Christum.

Ad amictum. Obumbra Domine caput meum umbraculo sanctæ fidei, et pelle a me nubila ignorantiæ.

Ad albam. Indue me Domine vestimento salutis, et circumda me lorica fortitudinis.

Ad zonam. Domine accinge in me custodiam mentis meæ, ne ipsa mens infletur spiritu elationis. Amen.

Ad stolam. Stola justitiæ circumda Domine cervi- D cem meam, et ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Ad casulam. Indue me Domine ornamento humilitatis, charitatis, et pacis, ut undique munitus virtutibus possim resistere vitiis, et hostibus mentis et corporis.

Ad manipulum. Da mihi Domine sensum rectum et vocem puram, ut implere possim laudem tuam. Amen.

Deinde cantet cum circumstantibus clericis hos psalmos, quam amabilia, *id est Psal.* LXXXIII, *qui sic incipit in versione Italica* (1) *et propria Romanæ*

(1) Ex loco citato verba cardinalis Bonæ hic sistimus : « Illud autem hoc loco non est prætermittendum, quod cum omnes Introitus ex psalmorum versibus ut plurimum compositi sint, Gregorius eorum auctor non eam Psalterii versionem secutus est, qua hodie omnes Ecclesiæ in divinis officiis

Ecclesiæ, de qua egimus lib. II, cap. 3. Benedixisti. Inclina Domine. Pater noster. *Vers.* Exurge Domine, adjuva nos. Fiat Domine misericordia tua super nos. Deus tu conversus vivificabis nos. Ostende nobis Domine misericordia tuam. Non intres in judicium cum servo tuo. Propitius esto Domine peccatis nostris. Domine exaudi orationem meam.

Oremus.

Aures tuæ pietatis mitissime Deus inclina precibus meis, et gratia S. Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere merear. Per Dominum nostrum etc.

Tum dicat apud se. Rogo te Deus Sabaoth altissime, Pater sancte, ut tunica castitatis digneris me accingere, et lumbos meos baltheo tui amoris ambire, ac renes corporis mei igne charitatis exurere, quatenus pro peccatis meis te Dominum meum di-

A gne possim intercedere, et astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum tibi hostias immolare. Me quoque indignum audacter ad te accedentem sinas perire, sed dignare me tua pietate mundare, lavare, ornare, tibique idoneum et dignum ministrum efficere, leniter me ac benigne suscipere. Præsta mihi hoc omnipotens Pater per Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, etc.

Fac me quæso omnipotens Deus ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum consortium adipiscat tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ consciencia gravat. Per

B Christum. etc.

Deinde cum clerici inceperint Gloria *post Intro-*

utuntur, sed veterem quæ ante S. Hieronymum in usu erat, et a sanctis Patribus Itala et Vulgata dicebatur : atque idem in Responsoriis, Tractibus, Offertoriis, et Communionibus exactissime observavit. Quæ res cum nonnihil habeat caliginis, breviter elucidanda est; plerique enim ignorant quæ fuerit ista versio, et ex quibus fontibus emanarit. Id vero ut clarius explicetur, paulo altius ejus initium repetendum est. Notum est omnibus vel mediocriter erudltis quantæ olim auctoritatis fuit ante et post Christi adventum septuaginta duorum Interpretum Græca ex Hebraico sermone translatio. Illa enim Judæi in synagogis utebantur, teste Tertulliano, qui de ea disserens cap. 18 Apologetici in fine ait, *sed et Judæi palam lectitant*. Eadem usi sunt Hebræorum doctissimi Philo et Josephus, ut ex libris ipsorum C liquet. Sed et apostoli ac fideles in exordio nascentis Ecclesiæ eam publice in ecclesiasticis conventibus legebant, ut Cyrillus Hierosolymitanus docet Catech. 4, in qua disserens de his interpretibus eorumque auctoritate : *Hos*, inquit, *solos studiose meditare, quos et in Ecclesia secure tutoque recitamus. Multo prudentiores te erant apostoli, veteresque illi episcopi Ecclesiæ antistites, qui hos tradiderunt.* Idem asserit Irænеus lib. III, cap. 25, dicens, postquam enarravit ipsorum Interpretum historiam : *Apostoli consonant prædictæ interpretationi, et interpretatio consonat apostolorum traditioni. Etenim Petrus et Joannes et Matthæus et Paulus et reliqui deinceps, et horum sectatores prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.* Qua de causa apud Christianos in magna semper veneratione fuit. Sed cum postea scriptorum vitio corrupta fuerit, ut sancti Patres Justinus martyr in Dial. cum Triphone, Augustinus De civit. Dei lib. XV, cap. 13, D et Hieronymus ep. 108, conqueruntur, eam primum Origenes, deinde Lucianus martyr, postmodum Hesychius, ac denique Hieronymus a mendis expurgarunt. An vero Origenes prototypon viderit, quod Tertullianus loco citato Apologetici credidit suo tempore integrum Alexandriæ exstitisse; et quando illud interierit, incertum est; nec mei instituti aut otii est in hujus rei disquisitione immorari. Cum igitur Græca ista translatio tantæ apud omnes auctoritatis fuerit, omnes Latinæ versiones, quæ post Christi Domini in cœlum ascensionem ac deinceps primis illis temporibus ante sanctum Hieronymum factæ sunt, non ex Hebræis fontibus immediate, sed ex Græco textu LXX expressæ sunt. Erant autem eæ versiones innumerabiles, quia ut scribit S. Augustinus lib. II, De doctr. Christ. cap. 11, quicunque sibi videbatur aliquantulum facultatis utriusque linguæ Græcæ et Latinæ habere, ausus est novam

cudere interpretationem. Verum inter omnes illa præstantissima, et communiter ac ubique recepta fuit, quæ Itala dicebatur, teste ipso Augustino qui libro citato cap. 15 ait : *In ipsis interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Cum autem Vulgatæ et Veteris nomine tempore S. Hieronymi hæc insignita fuerit, consequens est eam cæteris antiquiorem fuisse, majoremque inter alias auctoritatem habuisse. Dicta est etiam Romana, quia illam ab initio recepit Romana Ecclesia. Et fortassis hæc prima fuit ex Græco textu translatio ab aliquo apostolorum discipulo facta, et a primis Ecclesiæ fundatoribus visa et approbata, atque ab his ad successores simul cum deposito fidei tradita, qua non solum sedes apostolica, quæ Latina versione nullo unquam tempore caruit; sed et reliquæ Occidentales Ecclesiæ utebantur : quamvis in eam aliquot mutationes irrepserint vel scriptorum audacia sive oscitantia, vel episcoporum licentia, qui quædam verba vel sententias ad suæ regionis idiotismos accommodarunt. Porro hujus versionis integrum corpus nullibi exstat, solumque Psalterium remansit cum canticis, quæ in divinis officiis recitantur. Sunt et aliquot ejus particulæ in expositionibus sanctorum Patrum. Cum enim versio S. Hieronymi, ut Isidorus scribit lib. VI Orig., cap. 3, cæteris melior et Hebraicæ veritatis magis consona æstimaretur, ac ideo cœperit in ecclesiis legi, in conciliis citari, in commentariis exponi, vetus illa, quasi jam minime necessaria esset, paulatim negligi cœpit, donec tandem omnino interiit, ac perpetua oblivione sepulta est. Suspicor autem id contigisse ducentis et amplius annis post Hieronymum; nam tempore Gregorii Magni utraque in usu erat, et vetus et nova, ut ipse in fine epistolæ dedicatoriæ expositionis in Job ad S. Leandrum episcopum indicat, ubi novam versionem, Hieronymi scilicet, se exponere dicit, et quando causa comprobationis exigit nunc novam, nunc veterem assumere : *Ut quia*, inquit, *sedes apostolica, cui auctore Deo præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.* Solum autem Psalterium antiquissimæ illius versionis, quæ fidem Ecclesiæ nascentis in Occidentalibus regionibus nutriverat, deplorabile naufragium evasit, quia cum illo in decantandis divinis officiis uterentur fideles, ipsumque longo usu memoriæ mandassent, non potuit ab illis obtineri, ut novam translationem ediscerent, ac veterem, cui assueti erant, dimitterent. Hoc est illud Psalterium, cujus occasione ad ista digressus sum, ex quo Gregorius Introitus et reliqua excerpsit quæ in suo Antiphonario continentur. »

ilium, procedat antecedente eum diacono, et ante eum subdiacono cum libro evangelii, et ante subdiaconum acolytho cum thymiamate; ante quem duo alii acolythi præcedant cum candelabris et luminaribus, et sic ordinate exeant a Secretario cum Antiphona, Redime me et miserere mei, ut in ecclesiis benedicam te Deus Israel : *et Psalmo* Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum : *et ut pervenerint ante altare incipiant Psalmum cum Antiphona* Introibo ad altare Dei. *Psal.* Judica me Deus et discerne causam meam, *cum* Gloria Patri, *et repetitur Antiphona. Deinde inclinati faciant confessionem diacono stante ad dexteram sacerdotis cum Acolytho, et subdiaconus a sinistris teneat librum evangelii contra faciem ejus.*

Sequitur confessio.

Confiteor Deo omnipotenti, et istis, et omnibus sanctis ejus, et vobis fratribus, quia ego miser peccavi nimis in lege Dei mei cogitatione, sermone, et opere, pollutione mentis et corporis, et in omnibus malis, quibus humana fragilitas contaminari potest, propterea precor vos, ut oretis pro me misero peccatore.

Precibus et meritis sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ et omnium sanctorum suorum misereatur vobis omnipotens Dominus, et dimittat vobis omnia peccata vestra præterita, præsentia et futura : liberet vos ab omni malo, conservet vos in omni opere bono, et perducat nos pariter Christus Filius Dei vivi in vitam æternam. Amen.

Indulgentiam et absolutionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum, et spatium veræ pœnitentiæ per intercessionem omnium sanctorum suorum tribuat nobis omnipotens, pius, et misericors Dominus. Amen.

Vers. Converte nos Deus salutaris noster. *Resp.* Et averte iram tuam a nobis.

Dignare Domine die ista sine peccato nos custodire.

Fiat Domine misericordia tua super nos : quemadmodum speravimus in te.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aufer a nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem. Per Dominum, etc.

Quibus expletis subdiaconus apertum librum præbeat sacerdoti osculandum. Osculato autem evangelio, quod eo die legendum est, dicat : Pax Christi, quam nobis per evangelium suum tradidit, conservet et confirmet corda nostra et corpora in vitam æternam. Amen. *Et subdiaconus claudens librum pona. super altare in sinistro cornu. Cum vero inceperint in choro* Kyrie eleison, *acolythi deponant candelabra in pavimento. Diaconus vero accipiat thuribulum de manu acolythi et accedens osculetur altare, quem subsequitur sacerdos, et inclinatus oret prius hujusmodi.*

Ad te Plasmator meus, redemptor meus, salvator meus, ego miserrimus servus tuus ad te cordis devotione confugio. Tu quia pius es miserere mei et suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus. Nam gulæ, ebrietatis, et crapulæ vitiis quotidie sine intermissione deservio, et delector. Fornicationis, pollutionis, et libidinis stercoribus ab ipsa pene pueritia putrefactus sum : et omni spurcitia et immunditia libidinis intus exteriusque maculatus sum. Tristitia, acedia, somnolentia, iracundia, concupiscentia, cupiditate, avaritia, invidia, malitia, odio, detractione, suspicione, simulatione, perjurio, falsitate, mendacio, negligentia, inobedientia, vana gloria, levitate, ac superbia perditus sum : et omni mala cogitatione, locutione, sive actione, atque omnibus malis et iniquitatibus extinctus sum. Sed tu qui justificas impios et vivificas mortuos, justifica me et resuscita me Domine Deus meus.

Deinde surgat et osculetur altare dicens : Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, et sancti nominis tui laudare potentiam, concede quæsumus per hujus sacramenti mysterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear. Per, etc.

Et sic accepto thuribulo de manu diaconi faciat incensum super altare, et reddat eidem diacono porrigens ei osculum. Diaconus vero faciat incensum circum altare, et reversus odorem præbeat sacerdoti, redditoque thuribulo acolytho stet post sacerdotem, et subdiaconus retro post eum. Finitis in choro Kyrie eleison, *si tempus fuerit, dicat sacerdos* Gloria in excelsis Deo. *Deinde versus ad populum, cum quo verti debet et diaconus dicat* Dominus vobiscum *et orationem. Qua dicta subdiaconus contra altare legat epistolam, quam dum incipit, sacerdos et diaconus sedeant in sedilibus suis ad dexteram partem altaris, juxta quos et subdiaconus post lectam epistolam sedeat. Deinde canatur Graduale, Alleluia, vel Tractus, seu Sequentia. Interim vero dicantur a sacerdote vel ministris istæ orationes.*

Oratio.

Benignissime ac misericordissime, serenissime ac clementissime Deus, cui omnis angelica famulatur virtus, cuique quicquid sanctum et mundum est obsequitur, ante conspectum divinæ majestatis tuæ assisto reus, sacrosancti mysterii usurpator satis indignus : quin et invocare sanctum ac venerabile nomen tuum non sum idoneus, quippe qui sum innumerabilibus criminibus prægravatus, superbia inflatus, cenodoxia turgidus, invidia demolitus, acedia anxiatus, libidine fracidus, lascivia dissolutus, iracundia stimulatus, odio inveteratus, detractione perditus, protervia tumidus, ventris ingluvie et gulæ appetitu immoderatus, fallacia repletus, im-

munditia sordidatus, amore sæculi nimis detentus, avaritia irretitus, jactantia elatus, hypocrisi subdolus, contentione pertinacissimus, discordia fraudulentus, susurratione promptissimus, rancore cordis et pusillanimitate affectatus, torpore ignavus, injurando inconsideratus, scurrilitate assiduus, verbis otiosis et superfluis atque criminosis deditus, fornicatione tam spirituali quam corporali graviter pollutus, et in cunctis voluptatibus in quibus humana fragilitas labi potest miserrime præcipitatus; et in omnibus omnino vitiis atque criminibus, in quibus cogitando, loquendo et operando, peccari potest, coram examine æquitatis tuæ me graviter peccasse et reum esse recognosco et confiteor. Sed tu piissime et misericordissime Deus, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens, quippe qui est fœnum arescens, et corruptibilis caro, quotidieque ad non esse tendens omnino. Quis ergo potest mundum de immundo concœptum semine facere, nisi tu qui solus es Deus? Sicut enim pannus menstruatæ, sic immundi sumus ante majestatem claritatis tuæ Domine. In tuo namque conspectu nec ipsi cœli sunt mundi, quanto magis nos creati in carne corruptibili, atque homines terreni et immundi? Quid enim digne offerat mortalis immortali, corruptibilis incorruptibili mutabilis incommutabili? Sed ut hoc valeret fieri, incarnatus es pro nobis Fili Dei, mundus et incorruptibilis permanens sicut es. Sacramentum quoque corporis et sanguinis tui electis tuis tradidisti, quo efficeremur de immundis mundi, de peccatoribus sancti, de incestis casti, et de fœditate nitidi et quo possemus ante majestatem gloriæ tuæ apparere præclari. Ergo tu Domine sacerdos summe, sanctificator et sanctificatio sacerdotii, miserere mihi homini peccatori, parce indigno sacerdoti, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, et in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem creditæ non recuses dispensationis. Et fiat mihi hæc sacrosancti mysterii frequentatio omnium scelerum meorum indulta propitiatio, Salvator mundi. Qui vivis etc.

Alia oratio.

Deus misericordiæ, et veritatis clementiam tuam suppliciter deprecor etc. *Exstat supra in missa Illyrici.*

Ana oratio.

Deus qui non mortem sed pœnitentiam desideras peccatorum. *Ut supra in missa Illyrici.*

SEQUITUR LITANIA.

Christe audi nos.
Pater de cœlis Deus miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancte sanctorum Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Mater Domini, ora.
Sancta Virgo Virginum.
Sancta Regina cœlorum.
Sancta Mater misericordiæ.
Sancte Michael.
Sancte Gabriel.
Sancte Raphael.
Omnes sancti Angeli et Archangeli.
Sancte Joannes Baptista.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ.
Sancte Petre.
Sancte Paule.
Sancte Andrea.
Sancte Jacobe.
Sancte Joannes
Sancte Jacobe.
Sancte Philippe.
Sancte Bartholomæe.
Sancte Matthæe.
Omnes Sancti Apostoli et Evangelistæ.
Sancte Dionysi.
Sancte Stephane.
Sancte Corneli.
Sancte Cypriane.
Sancte Sebastiane.
Sancte Chrysante.
Sancte Georgi.
Sancte Aureli.
Sancte Processe.
Sancte Januari.
Sancte Hermes.
Sancte Vite.
Sancte Mercuri.
Sancte Cæsari.
Sancte Pancrati.
Sancte Adelberte.
Sancte Cyriace.
Sancte Evatici.
Sancte Phocas.
Sancti Joannes et Paule.
Sancti Tiburti et Valeriane.
Sancti Faustine et Jovita.
Sancti Prime et Feliciane.
Sancti Sergi et Bacche.
Sancti Nazari et Celse.
Sancti Felicissime et Agapite.
Sancti Nicander et Marciane.
Sancti Valentine et Hilari.
Sancti Cirine et Maxime.
Sancti Quadraginta Martyres.
Sancte Fortunate cum sociis tuis.
Omnes sancti Martyres.
Sancte Gregori.
Sancte Martine.
Sancte Ambrosi
Sancte Pauline.
Sancte Maxime.
Sancte Felix.
Sancte Nicolae.

Sancte Remigi.
Omnes sancti Pontifices et Confessores.
Sancte Benedicte.
Sancte Maure.
Sancte Placide.
Sancte Severine.
Sancte Romane.
Omnes sancti Monachi et Heremitæ.
Sancta Scholastica.
Sancta Cæcilia.
Sancta Daria.
Sancta Catharina.
Omnes sanctæ Virgines.
Omnes sancti et sanctæ Dei.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Ab insidiis dæmonum libera nos Domine.
A periculo mortis libera
Ab immundis cogitationibus.
A dominatu omnium vitiorum.
A cæcitate cordis.
Ab omni malo.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut parcas nobis, te rog.
Ut nobis spem certam dones.
Ut fidem rectam tribuas.
Ut charitatem perfectam conferas.
Ut cunctorum in nobis vitiorum monstra mortifices.
Ut omnium nos virtutum prærogativa vivifices.
Ut nobis per incarnationem tuam introitum in sancta sanctorum pandas.
Ut per hoc sacrosanctum mysterium animas et corpora nostra renoves.
Ut per hoc conscientias nostras purifices.
Ut hoc terribile mysterium non sinas nobis fieri ad judicium
Ut istud ineffabile sacramentum mundis manibus tractemus.
Ut puris mentibus sumamus.
Ut indulgentiam omnium peccatorum per hoc consequamur.
Ut per hoc tibi semper inhærere valeamus.
Ut per hoc et tu in nobis, et nos in te manere mereamur.
Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nostris infundere digneris.
Ut cunctum populum Christianum pretiosissimo sanguine tuo redemptum conservare digneris.
Ut locum pœnitentiæ nobis concedas.
Pater noster. *Vers.* Converte nos Deus salutaris noster.
Dignare Domine die ista.
Miserere nobis Domine.
Fiat Domine misericordia tua super nos.
Delicta juventutis meæ et ignorantias meas.
Adjuva nos Deus salutaris noster.
Non intres in judicio cum servo tuo Domine.
Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

ora.

A Non nobis Domine, non nobis.
Exurge Domine adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.

Sequitur oratio.

Adjuva nos Domine Deus noster tuorum deprecatione sanctorum, ut omnium beatorum Angelorum, Archangelorum, cunctorumque spirituum supernorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Innocentium, atque omnium fidelium tibi in cœlo et in terra ministrantium, quorum hodie festa geruntur per universum mundum, eorum nos peccatores et indigni quod optamus et indigemus opportuno tempore sentiamus auxilium. Per te Jesu Chri-
B ste, Salvator mundi. Qui vivis, etc.

Alia oratio.

Conscientia quidem trepida omnipotens Deus ad altare tuum accedo, sed si dimitto vereor de inobedientia condemnari. Parce ergo mihi Domine indigno famulo tuo, et licet ad tanta mysteria celebranda semper indignus inveniar, tamen fiduciam de tua misericordia retineo. Pro qua re, Deus omnipotens, dignare me paterna pietate placidoque vultu respicere, et cordis mei interiora purgare, et si ego reatu culpabilis existo, beatæ tamen et gloriosæ semperque Virginis Mariæ, et omnium sanctorum tuorum obtentu sint tibi in omnibus placita mea ministeria. Qui vivis, etc

Alia oratio

C Domine Deus omnipotens qui es trinus et unus, ubique præsens, ubique totus, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen Domine, quem occulta non fallunt, latere non poterant: quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diversisque operibus malis et multis. Et quia ego miser et miserabilis propter duritiam cordis mei, nisi tu adjuves me in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea precor te, miserere mei. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Deus qui de indignis dignos, de immundis mundos, de peccatoribus effici justos, munda cor meum
D et corpus meum ab omni sorde et contagione peccati, et fac me dignum sacris altaribus tuis ministrum, et concede propitius, ut in hoc altari ad quod indignus ministraturus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro omnibus peccatis et offensionibus meis, et innumeris quotidianis excessibus, et pro omnibus qui se meis indignis precibus commendaverunt; sed et pro omnibus fidelibus Christianis, et pro omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate vel consanguinitate conjunctis, et pro omnibus etiam qui mei memoriam in suis orationibus faciunt: et per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum etc.

Alia.

In gnum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis. *Exstat totidem verbis in superiori missa Illyrici.*

Alia.

Altissime Deus ignosce mihi, etc. *Exstat etiam supra aliquot verbis additis et immutatis.*

Alia.

Impellit me ministrandi officium hostiam salutarem offerre pro populi delicto, sed terret conscientia indebiti sacerdotii, etc. *Habetur item in superiori missa.*

Cætera desunt.

MONUMENTA MONASTICA.

De Prandio monachorum qualiter monasteriis in Romana Ecclesia constitutis est consuetudo.

(Gerbert, *Monum. vet. liturg. Alem.* ex ms. Sangall. sæc. IX.)

Quando autem ad prandium accedunt, dicit prior orationem cum fratribus, hoc est : *oculi omnium;* totam cum *Gloria Patri* subsequente prolixe dicuntur, et postea in fine *alleluia* canuntur; et dicit sacerdos orationem talem vocem, ut cuncti audiantur, et respondeant. *Amen. Hoc benedicantur nobis Dne dona tua.* Vel alias sunt plurimas, quæ ad hunc cibum sunt deputatas. Et sedeunt postea omnes in loco suo; habent autem prope mensa Abbatis cathedra tale ex alto stabilita cum annologio, ubi librum ponitur, et sedeunt, cum legunt. Et statim, cum primum cibum ponunt ministri, et signum insonuerit, ut signetur ad comedendum, respondent omnes : *Deo gratias.* Priore signante, aut presbytero, vel cui jusserit, tali voce signatur, ut universi audiant, et respondent : *amen.* In ipso inicio comedentium est præparatus lector, qui statim petit benedictionem, dicit : *jube Domne benedicere.* Senior autem dicit : *Salvet nos Dns ;* et respondent omnes *amen ;* et ingreditur ad legendum, et legit, quamdiu illum cibum manducant, et postea, si longo prandio habuerint, ut diucius sedeant, vel si aliam ministrationem ministrentur, tangit Prior mensa, ut sileat ipse lector modicum, et si fuerint pisces, vel etiam si volatilia, manducant ; cum ministratur, et insonuerit signum, ut benedicatur, respondent omnes : *Deo gratias*, et benedicit Prior, aut cui jusserit, dicente : *creaturam suam creator omnium Dns benedicat*, et respondent omnes, *amen;* et manducatur. Si item alius cibus fuerit, dicit orationem, hoc est : *precibus scæ Dei genitricis Mariæ, et nos, et dona sua Xps Filius Dei benedicat ;* respondent omnes, *amen.*

Et ad aliam ministrationem iterum legit lector tamdiu, quousque præcipiat ei Abba ut finiatur. Aut si ille congruam finem invenerit, si benedictio sonaverit in extremo sermone repetit ipsum iterum secundum vicem prolixe; et respondent omnes : *Deo gratias*, et descendit. Si autem longa fuerit lectio, et vel bene finierit sermonem, repetit ipsum, et postea dicit : *tu autem Dne miserere nobis*, et respondent omnes, *amen.* Sic et ad nocturnis, vel ad collecta, vel ubi præceptum legerint divinum, ista est consuetudo, ut semper quando incipit legere, petita benedictione dicit : *jube Domne benedicere ;* quando finierit lector lectionem, *Deo gratias* respondent. Et descendente eo vadit ante mensam Abbatis, et dat ei benedictionem, unde manducat, et bibit. Surgentibus autem fratribus dicent lente : *confiteantur tibi Dne ;* adjungentes *Gloria Patri*, et ad finem *alleluia* canentes. Et si majorem refectionem habuerint, ut eis exinde superfuerit dicit Prior, vel cui cura commissa est orationem : *fragmenta, quæ superaverunt servis suis, Xpus Filius Dei multiplexit, et benedicat, et abundare faciat, qui est benedictus in sæcula sæculorum*, et respondentibus omnibus, *amen*, vadunt in oratorio ad orationem Dnm gratias agentes, et ibi dicent post finitam orationem *dispersit dedit*, completo officio cibi.

Item ad sera cœnantibus, cum ingressi fuerint, ubi reficiuntur, dicant, subtrahendo moras, orationem : *edent pauperes*, adjungentes *Gloria Patri*, et in fine canentes *alleluia*. Et dicit senior orationem, sic tamen, ut cuncti audiant, et respondeant, *amen*, hoc est : *tua nos Dne ;* vel alias sunt multas secundum tempus. Sedentes autem in sedilia sua faciunt similiter, sicut et in prandio in die, et si contigerit, ut nox perveniat cœnantibus, et lumen necesse sit accendere; ille autem frater, qui lumen adportat, statim cum ingreditur in domum prope seniores dicit tali voce, ut omnes audiant : *lumen Xpi*, et dicunt omnes *Deo gratias ;* et iterum ipse incurvatus dicit : *jube Domne benedicere.* Senior autem dicit : *in nomine Dni sit ;* et respondent omnes, *amen*, et sic ponit lumen in locum suum, ut luceat omnibus in domo. Et si miscere jussum fuerit fratribus, ut bibant, vadit minister ad ministerium, et tangit digito suo calicem, et respondent omnes *Deo gratias*, et signat, et respondent omnes, *amen*, et sic bibent cum benedictione; et si fructum eis Dns dederit, dicit senior ita orationem : *fructus suos Dns omps benedicat*, et respondent omnes, *amen.* Sic fit de omnia (omni) administrationem. Cum autem refectio expleta fuerit, facto signo, ut surgant, ille frater, qui in quoquina septimanam facit, quando fratres reficiunt, semper cum aliis ministris ad mensam seniorum sive fratrum administrat. Cum autem surgunt a mensa, ille frater curvat se contra oriente super genua sua, et rogat pro se orare, dicens : *Domni orate pro me;* et dicit senior, *salvet nos Dns*, ille frater surgens, dicit prolixa voce, *Deo gratias.* Statim omnes fratres incipiunt canere, *semper tibi Dne gratias.* Ita finitum, dicit Prior cum fratribus : *miserator et misericors Deus*, prolixe cum *Gloria*, adjungentes et in fine *alleluia.* Sive : *Qui dat escam omni carni, confitemini Dno cœli, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, et dicit sacerdos orationem, hoc est : *satiasti nos Dne*, finita respondent omnes, *amen*, et sic vadunt ad orationem, et orant, sicut supra scriptum est.

Ille autem septimanarius, qui ingreditur quoquinam, in die dominica ingreditur, vel egreditur, juxta id quod in regula sci Benedicti continetur scriptum. Matutinis finitis statim in oratorio, qui egreditur, postulat pro se orare dicens : *Domni orate pro me*, dicit autem senior : *salvum fac servum tuum ;* ille vero subsequens dicit cum omnibus fratribus : *benedictus es Dne Deus*, hoc usque tercio repetens, accepta benedictione egreditur. Statim dicit, qui ingreditur : *Deus in adjutorium meum intende*, et ista oratione tertio cum omnibus repetitur, et sic accepta benedictione, intrat ad serviendum fratribus suis. Sic et in ecclesia beati Petri apostoli, presbyter septimanam facit, vel mansionarii, qui lumen vel ornatum ipsius ecclesiæ custodiunt, die Sabbati ora tercia consignant officia sua ad pares suos, et sic descendunt, et vadunt in domos suas; et illi alii cum presbytero vel paris suos (paribus suis) usque ad alio Sabbato serviunt, et faciunt similiter, et sic in omnibus officiis honeste, vel ordinabiliter Deo conservantur.

Et si fortasse ista, quæ de multis pauca conscripsimus (conscripsi) alicui displicuerit, non sit

piger, sed habeat prudentiam; sic habent alii Sacerdotes, vel Patres, seu et Monachi devoti, qui recto ordine vivere, atque custodire cum divina auctoritate desiderant. Quomodo illi vadunt, istam scam doctrinam ad suam utilitatem, vel suos, seu et multorum ædificationem cum magno labore ipsam deferent, ut hic postmodum, vel in futurum perpetualiter gaudeant, atque letentur in conspectu Dei et angelorum, vel omnium sanctorum ejus. Vadat sibi ipse Roma, aut si piget, misso suo fideli in loco suo transmittat, et inquirat diligenter, si est ita, aut non est, quod de pluribus parum conscripsimus; aut si non ita ibidem celebratur, vel si bene cum sancta intentione vel devotione inquisierat, et adhuc in centuplum melius, unde in opere Dei proficiat, invenerit; tunc postmodum fortasse ista audiat, despicere vel derogare, vel etiam tantos et tales scos Patres contra se adversare præsumat, qui istam scam normam instituerunt. Primus, beatus Damasus Papa, adjuvante S. Hieronimo presbytero vel ordinem ecclesiasticum descriptum de Hierosolyma permissu sci ipsius Damasi transmittentem instituit, et ordinavit. Post hunc beatissimus Leo Papa annalem cantum omnem instituit, atque opuscula in canonica institutione luculentissima edidit, quam, si quis ea usque ad unum iota non receperit, vel veneraverit, anathema sit. Deinde beatus Gelasius (Zelasius) Papa similiter omnem annalem cantum seu et decretalia canonum honeste atque diligentissime, facto in sede beati Petri apostoli conventu Sacerdotum plurimorum, conscripsit. Post hunc Simmachus Papa similiter et ipse annalem suum cantum edidit. Iterum post hunc Johannes Papa similiter et ipse annum circuli cantum, vel omni ordine conscripsit. Post hunc Bonifacius Papa, qui inspirante sco Spu et regulam conscripsit, et cantilena anni circuli ordinavit. Post hos quoque beatus Gregorius Papa, qui afflatu sci Spus, magnam atque altissimam gratiam ei Dns contulit, ut super librum beati Job moralia diptycha (tibica), investigatione tripliciter atque septiformem expositionem lucidaret. Super Ezechiel quoque propheta prima parte, seu et extrema, luculentissima expositione declaravit. Quid super evangelia quadraginta humiliarum expositione fecerit, notum est omnibus Christianis, quam pulchre explanarit. Quid inde aliquorum libris operante sco Spu digessit, vel aliarum multarum sanctarum Scripturarum interpretatus est, Xpianis in mundo tegentibus, patefactum est. Et cantum anni circuli nobile edidit. Post istas quoque Catalenus Abba, ibi deserviens ad sepulcrum sci Petri, et ipse quidem annum circuli cantum diligentissime edidit. Post hunc quoque Maurianus Abba ipsius sci Petri apostoli serviens, annalem suum cantum, et ipse nobile ordinavit. Post hunc vero Domnus Vir bonus Abba, et omnem cantum anni circuli magnifice ordinavit.

Si quis, postquam ista cognoverit, custodire, vel celebrare, in quantum Deo jubente valuerit, neglexerit, aut si melius aliunde scire, vel accepisse exemplum fortasse jactaverit, dubium non est, quod ipse sibi fallit, et in caligine erroris semet ipsum infeliciter demergit, qui tantos, et tales Patres, scos Auctores ausus sit despicere, vel derogare. Nescio, qua fronte, vel temeritate præsumptuoso spiritu ausi sunt beatos Hilarium atque Martinum, sive Germano vel Ambrosio, seu plures sanctos Dei, quos scimus de sca sede Romana a beato Petro apostolum successoribus suis directos in terra ista occidentali, et virtutibus atque miraculis coruscare, qui in nullo a sca sede Romana, vel a synodo trecentorum decem, et octo Patrum catholicorum Niceni (Niceni) conventus, medium cum Spiritu sco cohabitantem vel cæteris tribus aliis principalibus synodis deviarint, cum qua sca canonica instructione omnia esse noscuntur, ut tales ad testimonium adducere audeant, ut dicantur, sicut et illi tenuerunt, vel custodierunt, sic et nos tenere, A atque custodire videmur; quorum vita, vel mores, et opera atque meritum longe ab istis, quos modo memoravimus, quantum cœlum a terra, distat, distare videatur; cum istos præclaros Confessores Xpi, quos superius nominavimus, sciamus, frequenter eos Romam ambulasse, et apud beatos Papatus, vel Xpianis Imperatoribus colloquium habuisse, vel si qui a sca Romana sede deviabant, sæpe recorrexisse, apud nos manifestum est. Iniquirant ergo, qui istos se fatentur habere auctores, volumina, vel gestas eorum, si sic tenent, et operantur, quomodo et illi operati sunt, atque tenuerunt, adsentimus et nos eos cum omni devotione et veneratione. Si autem non est ita, oportet eos diligenter inquirere, et imitare, atque custodire, sicut et sca Romana ecclesia custodit, ut teneant et ipsi unitatem catholicæ fidei, amen; ne dum peregrinas consuetudines inquirentes, atque sectantes involvantur, vel excidantur a fide, ne superveniat in illos illud, B quod egregius prædicator prædixit: in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, et omnem intellectum in captivitatem redigentes, veritatem autem non loquentes, nec adquiescentes; et illud; erit enim tempus, cum sanam doctrinam non substinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus habentes, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur; et illud; testimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habeant, sed non secundum scientiam, vel traditionem, quam acceperunt a nobis; ignorantes enim Dei scientiam, et suam quærentes, statuere justitiæ Dei non esse subjectam justitiam suam. Illi qui sunt, qui statuere? qui veram auctoritatem derelinquunt, et arbitrio suo vel voluntatem sequuntur; quod ita Xpianis non expedit facere, sed magis divinarum Scripturarum cottidie scrutare, et sanctorum Patrum dogmata investigare, atque imitare, qui in omnibus semper Domino placuerunt, et hic C in mundo hominibus probati paruerunt, nec e schismaticis vel contradictoriis adversus scam sedem Romanæ ecclesiæ esse demonstrentur, et ne forte videantur esse ramusculi, quod sunt membra de illo sigillo septimo, id est septima hæresis, qui ad extremo surrectura est, adtestante sacra scriptura: quia prope est pro foribus, quod dicitur ante januis, quia juxta beati Johannis Apostoli vocem, qui septem ecclesiis in Apocalypsi scribere a Domino jussus est, et librum signatum vidit sigillis septem secundum misterium septem dona Spiritus sancti. Econtra ex adversa parte septem spiritus nequam sunt contrarii septem donis Spiritus sancti, et septem sigillis, septem hæreses sunt. Sex enim jam surrexerunt in mundo de parte orientali contra sca Romana ecclesia, sed opitulante gratia Xpi omnes illas hæreses fregit sancta sedes beati Petri apostoli, atque computavit. Adhuc septima restat, et sic tradunt seniores et sapientes, atque Doctores D scæ sedis Romanæ ecclesiæ, quia de parte ista occidentali, seu et aquilone surgere habet; et data est eis potestas tenebrosa, et perdant semetipsos, et alios in errore ducantur, et quos non potuerunt seducere per blandimenta, faciunt per fortitudinem et per tormenta, vel gladium Ecclesiæ Dei quærantur trucidare, atque extingere. Sed fundamentum Dei fortiter ac fixum stat, quod in evangelium per semetipsum Dominus promittere dignatus est dicens ad beatum Petrum apostolum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Fideles autem Romanæ sedis ecclesiæ tormentis et tribulationibus adfligi vel mori quidem possunt, sed superari fides atque credulitas eorum nullatenus nec frangi potest.

Oremus misericordem Dominum, et instanter vigilemus, atque sobrii simus, et non dormiamus, sicut illi, qui spem non habent, ut de ista mala omni, quæ universa orbe superventura sunt in proxi-

mo, ut nos eripere, et liberare dignetur, et unitatem catholicæ fidei usque in finem habere, atque custodire concedat, et per portas sit introitus noster in civitatem Dei, quod est Hierusalem cœlestis, ut lignum vitæ A in perpetuum cum sanctis Dei perfruere et jucundare mereamur donante Domino nostro Ihu Xpo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, Deus per omnia sæcula sæculorum amen. Finit. Deo gratias.

FRAGMENTUM

STATUTORUM CANONICORUM TURONENSIUM CUM VIVEBANT IN COMMUNI.

(*Bibliotheca sanctæ ac metropolitanæ ecclesiæ Turonensis, compendiose et ordinate digesta; seu catalogus librorum mss. qui in eadem bibliotheca asservantur*, etc. Studio et opera D. D. G. Joüan, majoris archidiaconi, et V. d'Avanne, ejusdem ecclesiæ canonici, in notis, ad calcem, pagg. 61, 62, 63 et 64, *nota* i.)

Si quis frater in congregatione canonica constitutus, horas canonicas frequentare neglexerit; ecclesiamque non religiose, sed pompatice, vel incomposite intraverit, et opus Dei neglegenter exsecutus fuerit; ad collationem venire distulerit; obedientiam a magistris sibi injunctam agere recusaverit; in legendo vel cantando, vel in cæteris ecclesiasticis disciplinis juxta vires studium non exhibuerit; ad mensam non necessitate, sed vitio tarde occurrerit; et claustris sine licentia exierit; per licentiam vero egressus, extra constitutum sibi placitum moras fecerit; in plateis ire, aut in biviis residere temptaverit; in dormitorio aliquid indecens vel inhonestum verbis perpetraverit aut actibus; alicubi nisi in dormitorio cum cæteris absque causa inevitabili dormire præsumpserit; fratribus charitatis officio obedienter servire neglexerit; discordiam quam dicente Scriptura Dei anima detestatur, inter fratres seminaverit; et huic institutioni contumax, aut superbus, aut murmurans, seu in aliquo contrarius, exstiterit; et cætera hujuscemodi agere temptaverit, hic primi secundum Domini præceptum, non solum semel, et secundo ac tertio, quin imo crebrius admoneatur. Et si his admonitionibus non cesserit, publica admonitione corripiatur. Quod si et his remissus fuerit, cæteris sibi alimentis interdictis, pane tantum usque ad dignam satisfactionem utatur, et aqua. B

Si vero nec sic se correxerit, separetur a mensa, et a societate fratrum in choro psallentium removeatur, et seorsum in loco hujuscemodi neglegentibus a prælatis constituto stare cogatur, ut saltem rubore sequestrationis emendetur. Dein, si his modis correptus, incorrigibilis exstiterit, et ætas permiserit, quia juxta Salomonis vocem: « Stultus verbis non corripitur, » congrua ei verberum adhibeatur castigatio, quibus utpote filius verberetur; quatenus secundum beati Gregorii sententiam: « Qui jubentis verba non audiunt, verberibus admoneantur, ut ad bona desideria pœnæ trahant, quos præmia non invitant. » Cæterum si talis fuerit, quem aut ætas una, qualitas personæ verberari non siverit, publica objurgatione et sequestratione hujuscemodi corripiatur, usquedum digna pœnitentiæ satisfactione veniam consequatur. Si vero utique, et qui flagellatur, et quem flagellari ætas, aut qualitas personæ prohibent, adhuc incorrigibiles exstiterint, sic locus intra claustra canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, et secundum modum culpæ castigentur, ut juxta Apostolum, « traditi Satanæ in interitum carnis, spiritus salvus sit in die Domini. » C

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

RICHERUS S. REMIGII MONACHUS.

De Richero et ejus Chronico notitia. 9
HISTORIARUM LIBRI QUATUOR. 17
Prologus. 17
LIBER PRIMUS 17
LIBER II. 49
LIBER III. 89
LIBER IV. 125

APPENDIX AD SÆCULUM X.

SÆCULI X AUCTORES ANNI INCERTI.

GERARDUS S. MEDARDI SUESSIONENSIS DECANUS.

Prologus in Vitam S. Romani. 171
Admonitio. 173
Vita. 173

ALBUINUS EREMITA.

Epistola ad Heribertum. 186

TERALDUS.

Epistola ad Guidonem. 186
Amblardus abbas Sollemniacensis. Epistola ad Herveum. 187

SÆCULI X OPERA ADESPOTA.

DE FUNDATIONE MONASTERII S. ARNULPHI METENSIS. 189
SERMO DE S. CLODOALDO CONFESSORE. 195
LIBELLUS DE SUCCESSORIBUS S. HILDULPHI IN VOSAGO. 203
DE GESTIS EPISCOPORUM ANTISSIODORENSIUM. 219
CARMEN DE MONASTERIO GEMMETICENSI. 394
De sequente collectione canonica Maii monitum. 397
CANONUM PRISCA COLLECTIO. 397
Præfatio. 397
LIBER I. — De ordinatione clericorum. 397
LIBER II. — De celebratione concilii, etc. 403
LIBER III. — De ministeriis ecclesiasticis. 412
LIBER IV. — De monachis. 415
LIBER V. — De gratia baptizandorum. 417
LIBER VI. — De diversis. 421
LIBER VII. — De homicidio, matrimonio, jurejurando jejunio, eleemosyna et oratione. 428
LIBER VIII. De pœnitentia et gratia communis etiam in ultimis, etc. 434
LIBER IX. — De judicio pœnitentium etc. 437
EPISTOLA CANONICA. 443

MONUMENTA DIPLOMATICA.

ANGLO-SAXONUM REGUM LEGES ECCLESIASTICÆ.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALFREDI REGIS ANGLORUM. 447
LEGES ECCLESIASTICÆ EDUARDI SENIORIS ANGLORUM REGIS ET GUTHURNI REGIS DANORUM. 459
LEGES ECCLESIASTICÆ ÆTHELSTANI ANGLORUM REGIS. 461
LEGES ECCLESIASTICÆ HOELI-DDA, REGIS SEU PRINCIPIS TOTIUS WALLIÆ. 471
LEGES ECCLESIASTICÆ EDMUNDI ANGLORUN REGIS. 480
LEGES ECCLESIASTICÆ EDGARI REGIS ANGLORUM. 485
Charta ejusdem. 485
Leges Ecclesiasticæ. 496
Prisca versio legum. 497
Canones editi sub Edgardo. 499
Charta ejusdem in concilio Londoniensi, anno 969 vel 972 data. 518
Charta Malmesburiensi cœnobio confecta anno 974. 519
LEGES PRESBYTERORUM NORTHUMBRENSUM. 522

FRANCORUM REGUM IMPERATORUM DIVISO IMPERIO CAPITULARIA.

LOTHARII I Conventus Ingelheimensis. 525
HLUDOVICI II ET KAROLI II pactum Argentoratense. 527
KAROLI II Conventus in villa Celonia. 528
Synodus apud Tolosam 532
HLOTHARII I, HLUDOWICI II et KAROLI II Conventus ad Theodonis villam. 535
KAROLI II Concilium in Verno palatio. 540
Ejusdem synodus Bellovacensis. 544
HLUDOWICI II Italiæ regis capitulum. 546

KAROLI II Conventus in villa Sparnaco. 546
HLOTHARII, HLUDOWICI et KAROLI conventus apud Marsnam. 554
HLUDOWICI II imperatoris conventus Ticinensis. 557
HLOTHARII, HLUDOWICI et KAROLI conventus apud Marsnam II. 575
HLUDOWICI Germaniæ regis conventus Moguntinus. 579
KAROLI II. — Synodus Suessionnensis 589
Ejusdem synodus apud vermeream. 595
HLOTHARII et KAROLI conventus apud Valentianas. 600
Conventus apud Leudicam. 605
KAROLI II. Conventus Attiniacensis. 608
HLUDOVICI II. Imperatoris conventus Ticinensis II. 609
Conventus Ticinensis III. 617
Constitutiones. 622
Capitula excerpta. 627
KAROLI II. — Capitula ad Francos et Aquitanos missa de Carisiaco. 631
Procerum consilium. 635
Capitula ad Francos et Aquitanos missa. 637
Coronatio Judithæ filiæ suæ. 639
Conventus Carisiacensis. 641
KAROLI II et HLOTHARII. Conventus apud Quintinum. 649
Conventus Carisiacensis. 651
Synodus Mettensis. 653
Conventus apud Saponarias. 658
HLOTHARII II. Synodus Aquensis. 664
Synodus Aquensis II. 666
HLUDOWICI, KAROLI, HLOTHARII conventus in Basilica S. Castoris apud Confluentes. 669
KAROLI II. Edictum de tributo Nordmannico. 680
Edictum Carisiacense. 682
Synodus Pistensis. 684
HLUDOWICI, KAROLI et HLOTHARII conventus ad Sablonarias. 692
KAROLI II edictum Pictense. 700
HLUDOWICI GERMANICI et KAROLI II pactum Tusiacense. 718
HLOTHARII II, sacramentum de Theodberga recipienda. 724.
Hludowici II constitutio de exercitu Beneventum promovendo. 725
Coronatio Hermintrudis reginæ. 727
HLUDOWICI et KAROLI conventus Mettis. 751
KAROLI II conventus apud Pistas. 751
Ejus coronatio in regno Hlotharii 757
HLUDOWICI GERMANICI et KAROLI II pactio Aquensis. 742
Divisio regni Hlotharii. 744
KAROLI II, conventus apud Gundulphi villam. 745
Capitulare Carisiacense. 745
Conventus Attiniacensis. 782
HLUDOWICI II capitula diversa. 753
KAROLI II conventus Ticinensis. 762
Synodus Pontigonensis. 767
Edictum in tributo Nordmannico. 772
Conventus Carisiacensis. 775
HLUDOWICI II coronatio. 781
HLUDOWICI JUNIORIS ET HLUDOWICI KAROLI filii conventus Furonensis. 785
BOSONIS regis electio. 788
KARLOMANNI HLUDOWICI II filii Galliæ regis promissio apud Carisiacum. 791
Capitula in Brollo compendii. 792
Capitula apud Vernis palatium. 792
ODONIS REGIS ELECTIO. 797
WIDONIS REGIS ELECTIO. 797
LEGES WIDONIS. 801
LUDOVICI REGIS ARELATENSIS ELECTIO. 804
ARNULFI CONCILIUM TRIBURIENSE. 806
CORONATIO EJUS. 809
LAMBERTI IMPERATORIS CONVENTUS RAVENNAS. 809
KAROLI III CAPITULA DE [illegible]NENSI EPISCOPATU. 814
HENRICI I ET KAROLI conventus Confluentes. 817
Conventus Diusburgensis. 820
Conventus Erfordiensis. 820
TRIUM OTTONUM CONSTITUTIONES ECCLES.
OTTONIS MAGNI CONSTITUTIONES. 821
Synodus Ingelheimensis. 821
Constitutio Francofurtana. 831
Conventus Augustanus. 833
Coronatio Romana. 839
Ottonis Magni pactum cum Joanne XII. 837
Synodus romana. 843
Ottonis I imperatoris et Ottonis II regis edictum. 847
Ottonis magni mandatum de inthronizatione archiepiscopi Magdeburgensis. 849
Conventus Papiensis. 851
Ottonis II imp. pax cum Venetis. 851
Ottonis III imperatoris edictum. 853
Ottonis III constitutio Ticinensis. 855

MONUMENTA LITURGICA.

MISSÆ GALLIGANÆ UNDECIM 863
LITURGIÆ GALLICANÆ FRAGMENTA. 883

LITANIÆ ET ORATIONES ANTIQUÆ.

Litaniæ Carolinæ. 887
Litaniæ Arelatenses 889
Litaniæ a sanctis Patribus constitutæ. 889
Litaniæ Byzantinæ. 897
Laudes seu Acclamationes. 901
Orationes quædam. 903
Pœnitentiale Gerundense. 903
Necrologium Gerundense. 907
Missa Æthiopum. 907
Benedictio puerperæ secundum usum Æthiopum. 927
Ordo baptismi secundum usum Æthiopum. 930

MONUMENTA VARIA QUÆ AD CELEBRATIONEM SACRAMENTORUM ET OFFICIA QUÆQUE ECCLESIASTICA PERTINENT.

ORDO BAPTISMATIS. 950
ORDO CONFIRMATIONIS. 957
JUDICIUM POENITENTIS. 959
Ordo ad dandam pœnitentiam. 980
Ordo ad reconciliandos pœnitentes. 983
Orationes ad visitandum infirmum. 987
Ordo ad visitandum infirmum. 999
Ordo de sacris Ordinibus. 1003
Ordo quomodo Ecclesia debeat dedicari. 1015
Benedictio salis et aquæ. 1039
Benedictio cereorum. 1053
Benedictio cinerum. 1053
Benedictiones palmarum. 1058
Benedictio olei. 1063
Benedictiones variæ. 1071
Versus in Cœna Domini et Parasceve, et Sabbato s. 1078
BENEDICTIONES, CONSECRATIONES ET ORDINATIONES VARIÆ. 1090
Consecratio viduæ. 1099
Ordinatio abbatissæ. 1100
Consecratio sacræ virginis. 1104
Benedictio et oratio ad monachas faciendas. 1107
Professio regularis. 1108
Ordinatio abbatis. 1109
Ordo ad regem benedicendum. 1111
Benedictio reginæ. 1118
Benedictio armorum. 1122
ORDO EXCOMMUNICATIONIS. 1123
PROBATIONES PER AQUAM, IGNITOS VOMERES, etc 1127
BENEDICTIONES VARIÆ. 1139
ORATIONES CONTRA DÆMONIACUM. 1143
OBSEQUIUM CIRCA MORIENTES. 1159
EXPOSITIO SUPER MISSAM. 1163

KALENDARIA ET MARTYROLOGIA ANTIQUA.

Kalendarium Floriacense. 1186
— Antiquissimum. 1190
— Stabulense. 1194
— Verdinense. 1203
Martyrologium insignis ecclesiæ Antissiodorensis. 1210
Kalendarium Mantuanum. 1258
— Brixianum. 1266
— Vallumbrosanum. 1279
Fragmentum alterius multo antiquioris Vallumbrosani Kalendarii. 1287
Lucensis Kalendarii Fragmentum. 1291
Incipit Bedæ martyrologium. 1294
In sequentem missam et missæ fragmentum cardinalis Bonæ admonitio. 1302
MISSA LATINA. 1306
Fragmentum missæ. 1335

MONUMENTA MONASTICA.

DE PRANDIO MONACHORUM. 1343
STATUTA CANONICORUM TURONENSIUM cum vivebant in communi. 1349

Ausgeschieden

FINIS TOMI CENTESIMI TRICESIMI OCTAVI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

1352
830
837
845
847
piscopi
849
851
851
853
855
863
883
887
889
889
897
901
903
903
907
907
927
930
ATIO-
QUÆ-
950
957
959
980
983
987
999
1003
1015
1039
1053
1055
1058
1063
1071
1078
DINA-
1090
1099
1100
1104
1107
1108
1109
1111
1118
1122
1123
OME-
1127
1139
1143
1159
1163
1186
1190
1194
1203
1210
1258
1266
1279
rosani
1287
1291
1294
linalis
1302
1306
1355
1345
vive-
1349